Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XXIV
D
2
NAPOLI

IACOBI BRVCKERI
REG. SOC. SCIENT. BEROLIN. MEMBRI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE

AB INITIIS

MONARCHIAE ROMANAE

AD REPVRGATAS VSQVE LITERAS.

PERIODI SECVNDAE PARS PRIMA.

EDITIO ALTERA.

TOMVS SECVNDVS.

LIPSIAE, MDCCLXVI.
IMPENSIS HAERED. WEIDEMANNI ET REICHII

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quem coepimus curſum, LECTOR BENEVOLE, hiſtoriam philoſophicam critica enarratione a mundi primordiis ad noſtra tempora expoſituri, ita in hoc Tomo ſecundo proſecuti ſumus, vt philoſophiam gentilem omnem ſub imperatoribus Romanis florentem, tum philoſophiam gentis Iudaicae totam Tuis oculis perluſtrandam ſubiecerimus. Animus erat Saracenicam quoque philoſophiam huic tomo adiicere, et ſequentem ſeruare integrum philoſophiae inter Chriſtianos a ciuitatis ſacrae origine ad tempora vsque reſtauratarum literarum cultae, ſed obſtitit conſilio noſtro prolixitas argumenti, quae nimis voluminoſum hunc tomum reddidiſſet, reliquisque mole nimis inaequalem. Seruata igitur philoſophiae Saracenicae conſideratione ſequenti tractationi, duo iſta capita hiſtoriae philoſophicae poſt C. N. qua potuimus diligentia

Digitized by Google

et accuratione enarrauimus, et hoc argumentum eo plenius excuſſimus, quo magis hanc hiſtoriae philoſophicae partem nemo hactenus, totam ex inſtituto expoſuit, quique particulas quasdam eius nobis deſcriptas dederunt, quoad potiora, ita plerique in eo verſati ſunt, vt accuratiora deſiderare iure quis queat. Cuius rei rationes et ſpecimina cum in ipſa tractatione dederimus, Lectorem hic, vbi breuitas ſectanda eſt, non moramur. Aſt merebatur hoc hiſtoriae philoſophicae caput plenam atque veritati propiorem et accuratiorem expoſitionem, eo quod illius in hiſtoria non ſolum eruditionis vniuerſalis, ſed ſacrae quoque, et ad Chriſtianam rempublicam pertinentis ſumma eſt neceſſitas, nec recte cognoſci ſine ea multa ſacrorum annalium loca, resque in eccleſia geſtae, maxime vero doctrinae mutationes, et, quas paſſa eſt, corruptiones, variique ritus et conſuetudines poſſunt. De quo dubium Lectorem ea cum attentione legere velimus, quae de philoſophia Alexandrina et Orientali ſcripſimus, certi, miraturum eum eſſe, quantas vtrumque philoſophiae genus radices in Chriſti ciuitate egerit, quantumque habuerit in res eius, exiguo licet eius commodo, detrimento vero maximo, influxum. Eadem fere ratio eſt philoſophiae Iudaicae, cuius hiſtoriam ignorare is non poteſt, qui vel innumera ſacrorum oraculorum loca recte intelligere, vel origines eccleſiaſticas intime perſpicere cupit. Ea itaque prolixitate, quam inſtitutum noſtrum permittebat, eaque attentione, diligentia et accuratione, abiectis praeiudiciis omnibus, quae magnos cetera quoque viros faſcinauere, in vtroque capite verſati ſumus

quam

Digitized by Google

quam vires dedere; ſummo ſtudio ea, quae in Germanico H. P. opere ſcripſimus, omnia recolentes nouoque ſubiicientes examini, iisque luminibus vtentes, quae tempus, meditatio, et induſtria virorum quorundam in hac palaeſtra magnis profectibus progreſſorum, maxime vero viri ſummi Io. Lavrentii Mosheмii, qui prorſus incomparabilem iudicii aciem in hoc argumento demonſtrauit, ſubminiſtrauerunt. Quo factum eſt, vt diſpar prorſus tractationis huius a priori prodiret facies, non mutatae tantum penitus, ſed auctae quoque nouis acceſſionibus inſigniter. Nam et reliquarum ſectarum, maxime Pythagoricae, imprimis vero famoſiſſimi impoſtoris Apollonii Tyanei hiſtoriam ita excuſſimus, vt vbique de rei veritate et momento iudicium interponeremus; et ſectae eclecticae, vel, quo nomine appellari aequius eſt, Alexandrinae origines, fata, philoſophos, rationes arcanas, affectiones, damna eccleſiae illata &c. ex inſtituto ita deſcripſimus, vt ſine iactantia ſperare nos liceat, tam plenam eius hiſtoriam alibi fruſtra quaeri. Maxime vero copioſa narratione ſyſtematis Alexandrinae philoſophiae delineationem ſumus proſecuti, cumque eius partem aliquam, nempe theologicam et moralem in Germanico opere tantum dediſſemus, integram nunc exhibuimus, et, quae reliquarum fundamentum eſt, metaphyſicam adiecimus. Philoſophiae autem Orientalis deſcriptio noua prorſus acceſſit, quae occaſionem quoque dedit, re paulo altius mente penſitata, multa in hiſtoria philoſophiae Iudaicae mutandi, ſcenamque hanc melius pulchriusque, quam antea inſtruendi. De his itaque

Digitized by Google

que dogmatibus, reliquisque hiſtoriae philoſophicae circa haec capita circumſtantiis, id tantum iudicium eamque ſententiam pro noſtra agnoſcimus, quam poſterioribus curis, in haud paucis meliora et veriſimiliora edocti, in hoc tomo indicauimus. Non enim erubeſcimus mutare ſententiam, et vel viris doctis certiora demonſtrantibus accedere, vel recentiores et maturiores cogitationes, antiquioribus praeferre; quin non alia ratione hoc eruditionis genus ad aliquam perfectionem perduci poſſe, ſumus perſuaſiſſimi; dies enim diem docet, nouisque auget et emendat luminibus. Haec vero cum nobis ob oculos poſita conſtanter ſimus intuiti, facile intelliget lector, nos ad fontes hiſtoriae huius iterata diligentia recurriſſe, et omnia nouo labore examinaſſe, quo factum eſt, vt haut pauca errata ſuſtulerimus, quae vel noſtra, vt ſumus homines, nec humani quid a nobis alienum eſt, ἀβλεψία, vel typothetarum, quibus praeſentes non fuimus, incuria admiſit. Abiecimus etiam ex hac noſtra tractatione nonnulla, quae in Germanico opere attulimus, eo quod in iuuentutis ſtudioſae gratiam ibi adducta eſſent, viris vero, haec forte noſtra lecturis, ignota eſſe non poſſent. Reliquum tractationis ordinem habitumque ex antecedentis tomi facie Lector beneuolus facile colliget, quem totum in hoc quoque tomo ſeruauimus, iisdemque legibus parentes, eadem momenta reſpicientes, eodem dictionis genere vſi in coepto curſu perreximus. Cum autem in hoc quoque tomo, veterum verba vbicunque licebat, maxime in delineandis dogmatibus, expreſſerimus, vt ex collatione locorum in fine paginae ſumma fide et dili-

Digitized by Google

diligentia adductorum intelligi poteſt, hic quoque veniam a Lectore beneuolo exoramus, ſi in iis philoſophiae generibus, quae barbaras nobis doctrinas tradiderunt, aures Latinas interdum vocibus minus puris, et ſubſellia philoſophorum magis redolentibus, quam oratorum, violauerimus: maluimus enim cum aliquo elegantiae Latinae detrimento intelligi eſſeque in narrando fideles atque accurati, quam ſectando dicendi ornatum obſcuri et non ſatis veterum mentem exponentes. Iam ad tertium Tomum properantes, non ſolum Saracenorum hiſtoriam explicabimus, ſed fata quoque philoſophiae inter Chriſtianos veteres, maxime vero iis temporibus, quae aeuum medium vocari ſolent, accurate delineabimus, ſicque vsque ad eam aetatem, qua literae deperditae reuocatae ſunt, et honos illis reſtitutus eſt, hiſtoriae noſtrae filum deducemus. Interim vt hoc noſtro labore qualicunque fruatur cum beneuolentia et aequitate lector, maximopere oramus. Quamuis enim omnem, quam licebat, diligentiam adhibuerimus, vt et plenam et accuratam tractationem ſiſteremus, ita tamen nobiscum habitantes, noſtri ſumus curtaeque ſupellectilis noſtrae memores, vt et humana multa nobis accidiſſe, et potuiſſe alios melioribus eruditionis copiis inſtructos in hac palaeſtra doctius verſari, merito credamus. Quemadmodum vero illius veniam in via tam ardua, et a nemine hactenus rite calcata iure quodam poſcimus, laetique ſperamus, ita laboris noſtri fructum reputabimus dulciſſimum, ſi is viris doctiſſimis, quorum merita vehementer ſuſpicimus, occaſionem dederit, melioribus curis hanc eruditionis partem adeo neceſſariam, adeo vtilem

Digitized by Google

vtilem, ita excolendi, vt, quae hodienum tantum non deſerta iacuit, ad perfectionem quandam atque certitudinem perducatur, certiſſime perſuaſi, magnam inde futuram eſſe aliis quoque eruditionis partibus acceſſionem, oculosque apertum iri illis, qui hanc ignorantes multis ſe praeiudiciis occoecari et in deuia abripi paſſi ſunt. Ceterum cum nos ab editionis loco ſatis magna locorum intercapedine disiuncti ſimus, et typos emendandi labore curaque perfungi ipſi non valeamus, veniam quoque, ſi qua typorum errata offenderit, Lectorem oramus, et ab eius aequitate nos conſecuturos ſperamus. Scrib. Kaufbyrae VI Idus Iunii, anno poſt Soteris natiuitatem cIↃ IↃ CCXL.

IACOBI

Digitized by Google

IACOBI BRVCKERI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE

TOMVS II.

Digitized by Google



HISTORIAE PHILOSOPHICAE PERIODVS SECVNDA,

Ab initiis monarchiae Romanae ad re-purgatas vsque literas.

PARS PRIMA
DE PHILOSOPHIA GENTILI, IVDAICA, SARACENICA.

LIBER PRIMVS
DE PHILOSOPHIA ROMANORVM.

CAPVT PRIMVM
DE PHILOSOPHIA APVD ROMANOS VSQVE AD CONDITAM MONARCHIAM.

§. 1.

Ordo tractationis.

Enarrauimus in antecedente historiae philosophicae parte primam eius periodum, per omnis gentis et aetatis fata, quae philosophia habuit, decurrentem, vna Romanorum natione excepta, cuius circa philosophiam historia ita cohaeret, vt ab ea, quam suscepimus, tractatione commode diuelli nequeat. Succedit altera, quam constituimus, periodus philosophiae, historiam a Romani imperii natalibus ad renatas vsque et ex tenebris atque squalore reuocatas literas complexa. Quae cum partim gentilium sub isto imperio florentium

tium philoſophorum fata et doctrinas exponat, partim Iudaeorum de philoſophia merita enarret, partim Saracenorum in ea excolenda depingat ſtudium, vno haec omnia faſce comprehenſuri, quicquid circa philoſophiam memorabile occurret, a populis a Chriſtianae religionis doctrina diuerſis ſuſceptum, hoc quidem tomo delineabimus; alteri parti hiſtoriam philoſophiae omnem inter Chriſtianos a ſanctiſſimi Seruatoris natalibus, qui cum ſecundae huius periodi initiis conſpirant, ad reuocatam vsque meliorem eruditionis atque ipſius philoſophiae quoque faciem, quod circa Sec. XV. contigit, decurrentem ſeruabimus. Qua in tractatione quem nobis ordinem praeſcripſerimus, in *προλεγομένοις* fuſius ediſſeruimus, hicque repetere oticſe ſuperſedemus.

Scriptores de philoſophia Romanorum.

§. II. Philoſophiae Romanae hiſtoriam conſideraturi, ea potiſſimum tempora reſpiçimus, quibus reſpublica adoleuit, quaeque propius a virili iſta aetate abſunt, qua imperii ſumma ad vnum potiſſimum dominum adque principem reducta eſt. Quae enim de antiquorum Romanorum, ſub ipſa reipublicae incunabula florentium, philoſophia diſputari ſolent, ea, quod ad barbaricam ſuo modo philoſophiam pertinent, ſuperioris tomi primi libro primo excuſſimus. Huius vero hiſtoriae philoſophicae partis tractationem iuſtam atque ſolidam hactenus deſideramus. Et dedit quidem *de philoſophia Romanorum* iuſtae magnitudinis librum PAGANINVS GAVDENTIVS [a], in quo non ſine dictionis ornatu de fatis philoſophiae, eiusque initio et progreſſu [b] ab incunabulis reipublicae vsque ad tempora Boëthii differit, qui cum rarius occurreret [c], meruit, ut non tantum recuderetur [d], ſed et a viris doctis paſſim laudaretur [e]. Nec denegandam eſſe vel eruditionis vel eloquentiae in iſta tractatione adhibitae laudem Gaudentio putamus, qui multam lectionem comtamque atque veneribus dictionis ornatam Muſam in ea prodidit. Tantum tamen abeſt, vt vel iuſtae hiſtoriae philoſophiae menſuram expleat, vel legibus in iſto argumento tractando obſeruandis aequiſſimis reſpondeat, vt omnia alia praeſtitiſſe, quam Romanae philoſophiae hiſtoriam ſcripſiſſe Gaudentius merito videatur. Totus enim declamando occupatus, et oratorio dicendi genere circa veterum Romanorum ſtudia verſatus [f], laudat non narrat, et neglecto omni fere rerum iudicio, quicquid in buccam venit extemporali ſcribendi facultate gauiſus, cumulat, miſcet quadrata rotundis, et ſuperficiaria opera in excutiendis potiſſimis argumenti grauiſſimi et prolixi momentis

a) Homo Rhaetus, Reformatorum coetui addictus, a quo ad Romanae eccleſiae caſtra tranſiit, literasque Graecas et humaniores primo Romae, poſtea Piſis docuit, et apud magnum Hetruriae ducem valde gratioſus fuit, teſte LEONE FRANCVCCIO DE BEZZOLIS in epiſtola operi huic praefixa. Plura de eo colligentem vide Cel. HEVMANNVM, Act. philoſoph. Vol. III. p. 631. ſeqq.

b) Titulus libri hic eſt: De philoſophiae apud Romanos initio et progreſſu Paganini Gaudentii volumen, in quo praeter hiſtoriam multa ad contemplationem rerum, et diſſidentes veterum ſapientum ſcholas facientia enarrantur.

c) Prodiit Piſis 1643. et ita diſparuit, vt Ionſio indictus liber manſerit, a Cl. DORNIO, demum novae editioni, L. III. c. 29. §. 1. p. 164. adiectus.

d) In conlectione noua librorum rariorum Hal. Magd. Faſc. II. p. 81. ſeqq. Faſc. III. toto, p. 1. ſeqq.

e) Obſ. Halenſ. T. VII. obſ. 9. 13. vid. §. 2. p. 238. Cl. STOLLE, Hiſt. liter. P. II. c. 1. §. 60. p. 375.

f) Saepius etiam carmina inſerit facili et profluente vena laudes virorum doctorum inter Romanos canentia.

mentis vſus, ſatis prodit, nec ſe intellexiſſe, quid ſit philoſophia, nec aliter, niſi ſine ordine et iudicio, quod in aliis quoque eius ſcriptis deſideres [g], ſcribere potuiſſe. Confuſa enim ſemel inter ſe eruditionis et philoſophiae notione, mirum non eſt, tot hic inueniri ἀλλότρια, tot homines de philoſophia parum nihilue meritos, tot abſurdas tractationes, quae a ſaniori philoſophiae diſciplina auctorem longius abfuiſſe produnt, tot digreſſiones, ipſam, quam ſibi propoſuerat, argumenti rationem mole ſuperantes, vt parum ad Romanae philoſophiae hiſtoriam auctor contuliſſe merito dicendus ſit [h]. Tacemus, nec fontes hominem feſtinantem indicaſſe, nec veros recte et diligenter ſatis conſuluiſſe. Alii, qui in hac arena deſudarunt, vel ad eundem plerique lapidem impegerunt, et hiſtoriam eruditionis Romanae, cum philoſophiae ſatis commiſcuerunt, vel iuſto breviores ſunt, et vix limina tangunt [i]. Ipſa itaque Romanorum monumenta rimanda ſunt, vt, qua fortuna inter eos philoſophia vſa ſit, diſcamus.

§. III. Exulaſſe regum tempore philoſophiam apud Romanos, falſque eos, qui in Numa philoſophum deprehendunt, luculentis ſuperioris tomi libro primo argumentis euicimus. Idem de temporibus regiam inter eos poteſtatem ſecutis dicendum eſt, quibus aliquam philoſophiae ſpeciem apud Romanos floruiſſe, ipſa reipublicae recens enatae et corroboratae ratio et conditio negat. Narrant enim Romanae hiſtoriae conditores LIVIVS [k] atque FLORVS [l], Romulum interfecto, qui nouae vrbi illuſerat, fratre Remo, *cum ei incolae deeſſent, lucum, qui in proximo erat, aſylum feciſſe, et ſtatim miram vim hominum, Latinos Tuſcosque paſtores, quosdam etiam transmarinos, Phryges, qui ſub Aenea, Arcades, qui ſub Euandro duce influxerant, conueniſſe. Ita ex variis quaſi elementis congregaſſe corpus vnum, populumque Romanum ipſum feciſſe.* Conſtitit ita tota ciuitas agreſti hominum turba, quae vna armorum vi nixa, cum latrociniis aſſueuiſſet, non alio vinculo contineri colligarique niſi armis, potuit. Hinc ratio deriuanda eſt, cur ſapientiſſima Numae inſtituta, qui diuino cultu, religione, et ſeuera diſciplina neruos reipublicae connexuerat, cum ipſo Rege prudentiſſimo tantum non deſierint penitus et exoleuerint. Scilicet feroci hominum cumulo non alia mens erat, niſi in armis, quae ſi aduerſus exteros mouendi defuiſſet occaſio, in propria facuitura fuiſſent ciuitati recens conſtitutae viſcera. Cui malo auertendo bellorum ſemper quaerenda erat occaſio, et ita armorum occupationi-

Tempore poſt reges proximo philoſophiae inter Romanos locus nullus.

g) Τὸ αὐτοσχέδιον, in eius ſcriptis reprehendit NAVDAEVS, ep. 90. p. 675. eaque impetu magis quam certa ratione edita, ſine ingenio ſolido, iudicat OCTAVIVS FERRARIVS, Proluſ. XIII. p. 153. non diſſentiente Nicolao Heinſio, et qui eum laudat MORHOFIO, Polyhiſt. T. II. L. I. c. 2. §. 9.

h) Recte et erudite hoc tuetur Cl. HVMANNVS, l. c. non diſſentiente Cl. GENTZKENIO, Hiſt. philoſ. P. I. c. 10. p. 138.

i) Pertinent huc praeter GENTZKENIVM, alioſque, qui compendia hiſtoriae philoſophicae dederunt v. c. CHRISTIANVS FALSTERVS, qui in Qq. Roman. c. II. p. 249. ſeqq pauca quaedam de ſtudio Romanorum philoſophico attulit, b. Io. GEORGIVS FRICKIVS, in initiis eruditionis apud Romanos, §. 13. ſqq. p 12. ſeqq CHRIST. CELLARIVS, diſſ. de ſtudiis Romanorum literariis in vrbe et prouinciis, §. 9. CONRADVS BVDDEVS, de ſtudiis liberalibus apud veteres Romanos, p. 30. ſeqq, aliique.

k) L. I. c. 5.

l) L. I. c. 1.

Digitized by Google

bus detinendi animi, ne noua in imperantes moliri et fundamenta reipublicae conuellere vel auderent vel huius etiam sceleris meditandi tempus nanciscerentur. Quae status Romani ratio vti ad summum rerum fastigium Romanam rempublicam euexit, ita neglecta, turbarum motuumque internorum inter eos plerumque occasio caussaue extitit. Pulchre id videre, qui regibus in imperio succeſſere optimates, homines fortes et astuti, ingeniumque nacti moribus et inclinationi plebis se assuefacere pulchre edoctum; hinc vt contra infrunitae plebis, quae toties mala pessima reipublicae minitata est, otia in inteſtina bella desitura se munirent, mature iuuentutem ad armorum vsum bellique apparatum adduxerunt, moresque eius in ipso aetatis tirocinio et rudimentis ad seueritatem bellicam et austeram disciplinam formarunt, cuius rei cum testis sit tota Romae veteris historia, bella et disciplinam militarem inter eos vigentem seueriſſimam enarrans, ampliore testimonio opus non habet. Contrarium his rationibus non immerito visum fuit, quidquid isto et sequenti etiam tempore circa artes et philosophiam moliebatur Graecia. Quae cum tota voluptatibus esset corrupta, et priſtinae fortitudinis militarisque disciplinae laudem amisisset fere omnem, Athenaeque ipsae, vbi Apollo cum sororibus domicilium sibi fixisse videbatur, libertatis vix vmbram tuerentur, philosophia, quae inter Graecos et imprimis in hoc Musarum emporio sedem sibi elegerat, inter causſas eneruatae reipublicae et amissae laudis militaris relata est, hincque factum, vt Romani proceres pugnis calcibusque repugnarent, ne Graecanica philosophia Romae admiſſa iuuentus a veteri disciplina auocata corrumperetur, nervique reipublicae, quibus hactenus immensum in modum excreuerat, inciderentur; qua de re in sequentibus plura dicemus. Aliam rationem affert Cl. FALSTERVS [m], sine examine non dimittendam; causſam philosophiae inter veteres Romanos non admiſſae reiicit is in varias philosophorum de diis sententias inter se vehementer dissentientes, quas pati noluerint Romani, cultus diuini a maioribus accepti tenaciſſimi. Cuius rei argumentum in eo haud leue situm esse putat, quod, narrante PLINIO [n], libri Numae, in agro Cn. Terentii reperti, combusti fuerint, quia Pythagorici fuerint, et philosophice scripti, praecepta scilicet philosophiae continentes. Ex quo vir praeclarus infert, libros eos ad destruendam auitam religionem nouamque introducendam aptiſſimos igne fuisse deletos. Valde vero aut fallimur, aut plus sibi sumit vir doctus, quam vel Plinii verba postulant, vel res ipsa. Non enim receptis religionis placitis contradixisse libros Numae repertos, Plinius ait, sed philosophiam arcanam, qualis Pythagorica fuit, enarrasse, quam vulgare nefas ipse Numa ducebat, et id sine dubio in ipsis libris innuerat. Deinde manifeste falsam opinionem sequitur Plinius, Numam a Pythagora fuisse edoctum, quam tomo primo totam inuictis rationibus euertimus. Qui tamen ipse haud obscure veras rei causſas prodit, monens, fuisse eos libros iuris

m) l. c. p. 256.

n) L. XIII. c. 13.

iuris pontificii, id est veras rationes introductae inter Romanos religionis explanauisse. Eas vero non vulgari nec plebi innotescere eo magis e re Romanorum erat, quo magis religionis capistro, vbi alia omnia deessent, plebs ad obsequium erat ducenda, terrenda ominibus, vincienda superstitione et flectenda coeco pontificum sacerdotumque imperio, cuius exempla plurima Romanae historiae scriptores narrant, et in his praecipue Liuius. Religionis itaque arbitrium cum penes senatum esse cuperent, manifestum est, ad politicas, non vero philosophicas, rationes rem omnem fuisse reuocatam, ad quas illi Numae libri pertinebant. Verum tamen est, fuisse apud Romanos tempus, quo peregrinas religiones, e. g. Aegyptiorum, vehementer perhorrescebant, et ex vrbe eiiciebant, visos quoque aliquando philosophos et mathematicos fuisse in patrium deorum cultum iniurios, adeoque iussos esse vrbe et Italia excedere; sed hoc serius et circa monarchiae emergentis tempora demum factum est: vera autem ratio, cur pristino illo aeuo, philosophiam procul vrbe esse Romani iusserint, illa est, quod homines adolescentulos dies totos apud philosophos desidere sicque maiorum deseri instituta noluerint, quod haec noua praeter consuetudinem ac morem maiorum fieri censerent, quibus verbis philosophos et rhetoras ex vrbe eiectos esse in sequentibus docebimus. Ludos itaque Martios commendabant, quibus cum Apollinis ludos putarent contrarios, philosophos procul ire iubebant. Nec meliori fundamento firmiorique talo nituntur, quae de Hermodoro, amico Heracliti, monet GAVDENTIVS *), verisimile esse, eum fuisse philosophica praeditum cognitione. Cum autem tanti factus fuerit, vt XII. viri eius opera et consilio fuerint vsi, in concinnandis XII. tabulis, suspicari licere, eius auspiciis aliquid saltem ex philosophia Heraclitea, quae maximi fiebat apud Graecos, Romae illatum fuisse. Recte enim is ipse adiicit: suspicionem hanc esse destitutam claro historicorum testimonio, sine quo, qui verisimilitudini velificetur, nihil agat. Incertissimum enim est, vtrum Heracliti philosophiae tenax fuerit Hermodorus, etsi certum est, in compilandis duodecim tabulis eum legatos Romanos adiuuisse, quod suo loco *) veterum testimoniis comprobatum dedimus. Quod si tamen veteres legislatores sensu latiori ad philosophiae cancellos reuocamus, poterit aliqua ratione duodecim illis tabulis rudimentorum philosophiae Romanae nomen iusque tribui, quanquam veri non simile est, Romanos philosophicas earum legum rationes intellexisse vel quaesiuisse.

§. IV. Multum vero satisque longum effluxit temporis spatium, quo Roma auitae disciplinae militari institutisque parentum innutrita et intenta, nihil de philosophis atque philosophia comperit, ad finem nempe Seculi ab V. C. sexti, quo tempore Athenienses legatos Romam miserunt philosophos disertissimos, Carneadem Academicum, Diogenem Stoicum, Critolaum Peripateticum, mulctam D. talentorum, quam ob vastatam Oropiorum vrbem Sicyonii Athenienssibus dictauerant, deprecatum. Enar-

Tempus, quo primum philosophi Romae comparuerunt.

*) De philos. Roman. c. IV. p. 105. *) P. I. L. III. c. 12

Enarrauimus totam legationis eius hiſtoriam ſuperioris tomi libro tertio [q], et qua ratione praeſtantiſſimi philoſophi ſe geſſerint, expoſuimus, adductis veterum de ea legatione teſtimoniis [r]. Vnde ſemel prolixe dicta otioſe heic loci non repetemus, de iis tantum dicturi, quae ad praeſentem magis Romanae, quam Graecae, philoſophiae hiſtoriam pertinent, et ſtrictim tantum ſupra tacta ſunt. Et temporum quidem rationes, quibus iſta legatio contigit, ob obſcuram et incertam Carneadis aetatem [s], dubias et non ſatis expeditas eſſe, eodem loco monuimus, cauſſasque difficultatum expediuimus. Curatius iam nobis de iſtius legationis tempore diſpiciendum eſt, cum veram nobis epocham exhibeat, qua primum philoſophi Romanis innotuerunt. Illud vero, Clitomachi auctoritatem ſecutus CICERO [t] ait fuiſſe, cum P. Scipio et M. Marcellus conſulatu, A. Albinus praetura fungerentur. Conſulatum hunc A. V. C. DXCVIII. Olymp. CLVI. 2. contigiſſe, faſtorum auctoritate conficitur: concordantque haec etiam tempora cum rationibus chronologicis legatorum, quas ſuo loco excuſſimus. Interceſſit vero his doctiſſimus FOVCHERIVS [u], qui vt contra Lantinum euinceret, Carneadem Epicuro fuiſſe contemporaneum, maturius hunc conſulatum contigiſſe coniicit, Scipione Caluo et Marcello Coſſ. qui conſulatus in A. V. C. DXXXI. vel DXXXII. incidit. Haec vero ornandae tantum hypotheſis cauſſa ſine fundamento aſſeruiſſe Foucherium, vel hoc vno argumento euincitur, quod Oropus poſt deuictum demum a Romanis Macedonum Regem, Perſeum, cum Macedonia in prouinciam eſſet redacta, in Romanorum poteſtatem devenerit, id quod A. V. C. DLXXXVII. factum eſt, ex quo luce meridiana clarius eſt, Athenienſibus de direpta Oropo non potuiſſe ante hoc tempus vel mulcta indici, vel ea remitti. Tacemus aetatem Catonis maioris, eo tempore iam ſenis [x], quem, cum Philippo et Caepione Coſſ. annum aetatis LXV. egerit [y], A. V. C. DXIX. natum eſſe oportet; iſte enim conſulatus in A. V. C. DLXXXIV. incidit, id quod notationibus chronologicis Foucherii prorſus aduerſatur. Ipſa quoque Diogenis et Critolai repugnant tempora. Hic enim Ariſtoni Ceo, vt parte prima dictum, in ſchola ſucceſſit, Ariſto Olymp. CXXXVIII. ſcholae praeeſſe coepit, adeoque Critolaus multo ſerius Peripateticam cathedram conſcendit; ille Chryſippi et Zenonis praeceptorum ſucceſſor fuit, quorum iſte Olymp. CXLIII. fatis conceſſit. Quae omnia euidenter euincunt, ſerius, quam Olymp. CXXXII. quod vult Foucherius, hos legatos in Capitolio ſtetiſſe. Difficilius vero eſt, ſtatuere, quo anno iſta legatio ſuſcepta ſit, quia incertum eſt, vixque definiri poteſt, quis ille Scipio et Marcellus fuerint? Et Scipionum quidem, qui ex Afri-

q) c. VI. ſect. 4. c. VII. ſect. 2. c. IX.
r) Addi laudaris poſſunt LACTANT. L. V. c. 14. QVINTILIAN. Inſtit. L. XII. c. 1. PAVSANIAS L. VII. p. 216. ſeqq. PLIN. L. VII. c. 30.
s) Conf. BAYLE Dict. T. II. art. Carneade not. N. p. 63. ſeqq.
t) Acad. Queſt. L. IV. c. 45.
u) Journal des Savans 1692. p. 704.
x) PLVTARCH. in Cat. mai. T. IV. p. m. 638.
y) CICERO de ſenect. c. 5. Incidit vero hic Conſulatus in A. V. C. DLXXXIV. vnde deductis annis LXV. ſequitur, Catonem maiorem A. V. C. DXIX. natum fuiſſe. Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Porcius, not. A. p. 748.

d by Google

Africae victoriis nomen tulerunt, neutrum fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod ſenior A. V. C. DCVI. demum conſul creatus eſt, et CICERONE [a] auctore, Laelio et Scipione adoleſcentibus Stoicus Diogenes, et Academicus Carneades ad ſenatum ab Athenienſibus miſſi legati ſunt, quos principes adoleſcentes illos ſecutos fuiſſe, recte ex hoc ipſo Ciceronis loco colligitur. Scipionem itaque Naſicam fuiſſe ſtatuit LANTINVS [b], qui A. V. C. DXCVIII. conſul fuit: quod ſi ob adductas ſupra rationes ſequimur, incertum eſt plane, quis Marcellus eius collega fuerit, cum Marcellus, qui bello Punico II. inclaruit, A. V. C. DXLV. occubuerit. Aliam difficultatem mouet A. GELLIVS [b], qui refert: C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala Conſulibus ſenatusconſultum de philoſophis et rhetoribus Latinis factum eſſe. M. Pomponium Praetorem Senatum conſuluiſſe, quod verba facta eſſent de philoſophis et rhetoribus: de ea re ita cenſuiſſe, vt M. Pomponius Praetor animaduerteret, curaretque, vti ei e Rep. fideque ſua videretur, vti Romae ne eſſent. Aliquot deinde annis poſt id Senatusconſultum, Cn. Domitium Aenobarbum, et L. Licinium Craſſum Cenſores de coërcendis rhetoribus Latinis edixiſſe. Quibus poſtea ipſum Cenſorum edictum adiungit, quo nouum genus diſciplinae ab his hominibus inſtitutum, ad quos iuuentus in ludum conueniat, prohibetur. Incidit vero Conſulatus C. Fannii Strabonis et M. Meſſalae in A. V. C. DXCII. quo anno legationem Athenienſium iam factam fuiſſe oportet, quae eiiciendi philoſophos occaſionem praebuit. Nec habemus, quo ex hoc labyrintho nos extricemus filum, niſi, quod certum putamus, circa finem ſeculi ab vrbe condita ſexti ea legatione ab Athenienſibus miſſa primum ſapientiae profeſſores inter Romanos innotuiſſe, id quod haud obſcure quoque confirmat CICERO [c]. Incertae vero notationes temporum, quae circa Coſſ. dictos occurrunt, eo minus mirandae ſunt, quo magis in his veterum Romanorum faſtos non ſemper fuiſſe accuratos vel certos, exempla plurima monſtrant, dudumque viri docti dubitarunt, an faſti Conſulares, an tabulae Cenſoriae maiorem fidem mereantur [d], ipſa quoque nominum homonymia, incertumque, quo Conſulatum Conſules inierunt, tempus, ſuadet ad modeſtam hic ἐποχὴν confugere. More vero ſuo hic αὐτοσχεδιάζει GAVDENTIVS [e], qui non tantum SC. hoc, quod alio loco [f] ad A. V. C. DXCII. retulerat, A. V. C. DLXV. adſcribit, ſed ea quque ratione Gellium mendacii coarguit, quod, teſte Cicerone, Scipio, Laelius et Furius eruditiſſimos homines ex Graecia ſemper palam ſecum habuerint. Non enim credibile eſſe, legatos a tantis viris auditos, pulſos fuiſſe, cum tantae auctoritatis viri Catoni in os contradixiſſent, etc. Supra enim obſeruauimus, tres hos, viros poſtea ſummos, eo tempore admodum iuuenes fuiſſe, cum legatos Athenienſium conſectarentur, quo tempore exigua eorum in republica auctoritas eſſe potuit. §. V.

a) Tuſc. Q q. Lib. IV. c. 2.
b) Journ. des Savans l. c.
b) Lib. XV. c. 11. c) l. c.
d) Conf. STRAVCH. breuiar. chronol. c. XVII. q. 1. p. m. 658.
e) l. c. XIX. p. 157. f) c. X. p. 116.

Fata Philosophorum Graecorum apud Romanos.

§. V. Legatis Athenienſium Romam aduenientibus ſtatim, narrante PLVTARCHO [g], „adoleſcentum ſtudioſiſſimi quique literarum viros „illos acceſſerunt, audientesque eos in admiratione habuerunt. Maxime „autem Carneadis gratia in dicendo, qua valebat plurimum, et auctoritas „eloquentiae non minor magnos nacta et humanos auditores venti inſtar „vrbem perſonabat: et fama tenebat, Graecum virum ad ſtuporem vsque „ad percellendos hominum demulcendosque animos aptum vehementem „apud iuuenes amorem excitare, quo correpti omiſſis voluptatibus reli„quisque oblectationibus, quaſi furore quodam ad philoſophiam ferrentur. „Haec reliquis Romanis accepta erant, filiosque ſuos diſciplinis Graecis „operam dare, et cum viris ſummae exiſtimationis verſari gaudebant.„ Laetiſſimam hanc philoſophiae ſementem pulcherrimam promiſiſſe meſſem, eo magis credibile eſt, quod ſummorum virorum filii, et inter hos Laelius, Furius et Scipio, tanto ardore correpti philoſophiae amorem conceperunt, qui ad ſumma reipublicae faſtigia graſſantes magnum philoſophiae peperiſſent patrocinium. Sed interceſſit ſeuera Catonis maioris auſteritas [h], totamque hanc ſegetem in herba, quod aiunt, ſuffocauit. Is auitae diſciplinae innutritus, quae militarem auſteritatem et virtutem vnice ſectabatur, homo etiam iam prouectioris aetatis et indolis ſeuerae [i] non

g) l. c. Vtimur verſione G. XYLANDRI.

h) Catonis maioris, ſiue, quo integro nomine gaudebat M. Porcii Catonis Cenſoris vitam praeter veteres CORNELIVM NEPOTEM et PLVTARCHVM, quibus addendi LIVIVS L. XXXIX. c. 40. PLIN. L. VII. c. 27. L. XXIX. c. 1. ex recentioribus delinearunt Io. GLANDORPIVS, ANDREAS SCHOTTVS, CASPAR SAGITTARIVS, MARTINVS HANCRIVS aliique, quorum loca indicauit Io. ALB. FABRICIVS Bibl. Latin. T. I. p. 19. omnium diligentiſſime in ea examinanda verſatus eſt P. BAYLE Dict. T. III. art. Porcius p 793. Diligenter ea excuti meretur, quod ex Catonis exemplo diſci poteſt, qua facie eruditio, quin philoſophia quoque, ſi hac voce vti fas eſt, Romana ea tempore enituerit. Vtroque enim nomine Catonem inclaruiſſe ex PLVTARCHO patet, librique de agricultura et de re ruſtica ingenium et eruditionem ſatis reſtantur. Quae cum a Graecanica, comtiorem faciem efferente diſtaret, mirum non eſt, quod PLVTARCHVS l. c. p. 633. refert, eum vniuerſam philoſophiam Graecorum inuiſam ſibi habuiſſe, et ambitione quadam omnes Graecas artes et diſciplinas contempſiſſe, Socratem affectatae tyrannidis accuſaſſe, Iſocratis ſcholam ſubſannaſſe, et vaticinatum eſſe, Romanos Graecis ſtudiis repletos rem ſuam perdituros. Sed et medicinam Romae facientes Graecos ſuſpectos habuiſſe, filiumque, vt ab vniuerſis ſibi caueret, monuiſſe, et peculiari ſcripto libro domeſticam medendi rationem docuiſſe. Qua de re ipſa Catonis verba recitat PLINIVS L. XXIX. c. 1. Vnde merito mirandum, hominem auſterum, Graecosque tanto proſecutum odio, ſenem Graecas literas ab Ennio, cum in Sardinia Praetor eſſet, didiciſſe, qua de re videſis CICERONEM in Cat. c. 1. 8. in Lucullo c. 2. QVINTIL. L. XII. c. 11. AVREL. VICT. de vir. illuſtr. c. 47. PLVTARCHVM l. c. p. 615. qui eius in Graecis literis labores enumerat. Idem narrat quoque, quod hic omittendum non eſt: *Quo tempore Fabius Maximus Tarentum recepit, Catonem innenem admodum ſub eo ſtipendium feciſſe: ibi hoſpitio cuiusdam Nearchi Pythagorici vſum ad philoſophiam eum animum applicuiſſe. A quo cum eadem, quae Plato docuit, percepiſſet, voluptatem maximam malorum eſſe eſcam, id primum animo hominis incommodi accidiſſe, quod eſſet corpori incluſus, purgari tamen animum ſoluique earum cogitationum auxilio, quae maxime eum a corporis affectionibus abducerent, atque ſepararent, frugalitatis atque continentiae amorem inde auxiſſe.* Quae, ſi modo vera ſunt, non ad eſotericam, quae aduenis non patuit, ſed exotericam Pythagoreorum philoſophiam pertinent, qua facile fuit Catonem imbui: qui cum eiusmodi praeceptis rigidiorem philoſophiam didiciſſet, mirum non eſt, quam paternis et domeſticis inſtitutis attemperatam amauerat, reliquis Graecorum ſectis oppoſuiſſe, quos hanc moralis philoſophiae ſeueritatem loquacitate Graeca corrumpere credebat, quosque internecinum erga barbaros fouere odium, ſuſpicacius, quam par erat, contendebat, vid. PLIN. l. c. Toto enim coelo ingenium, mores, inclinationes Graecorum a Romanorum indole diuerſa fuiſſe, nemo veteris hiſtoriae peritus eſt, qui ignorat.

i) Eleganter animi eius characterem exprimit LIVIVS L. XXXIX. c. 40. 41. vbi inter alia; *Aſperi procul dubio animi, et linguae acerbae, et immodice liberae fuit, ſed innixi cupiditatibus animi, et rigidae innocentiae, contemtor gratiae, diuitiarum, in parſimonia, in patientia laboris periculique ferrei prope corporis animique etc.*

ed by Google

non potuit non ab initio, quod PLVTARCHVS [k] porro addit, „aegre fer-
„re, ſermonem ea de re cum admiratione hominum per ciuitatem ſpargi,
„veritus ne ſtudio ſuo ad philoſophiam adiuncto, adoleſcentes inde potius,
„quam agendis rebus et militia decus ſibi quaerere intenderent. Vbi per
„vrbem gloria philoſophorum increbuit, primosque eorum ſermones C.
„Acilius, vir illuſtris, in ſenatu, a quo, id vt ſibi liceret, magno ſtudio im-
„petrauerat, eſt interpretatus, ſtatuit Cato, honeſte philoſophos ab vrbe
„amandare. Quam ob rem in ſenatum iuit, et magiſtratus incuſauit,
„quod legationem eorum virorum, qui facile perſuadere de quacunque re
„poſſent, tamdiu in vrbe, re infecta deſidere paſſi eſſent; cognoſcendum
„quam primum, et decernendum de legatione, vt legati ad ſcholas re-
„verſi apud Graecos pueros differant, Romani vero adoleſcentes magi-
„ſtratus, vt ante, et leges audiant.„ Reſpexiſſe hac in re Catonem ad
Romanae reipublicae rationem et naturam, dubium non eſt, quam iſta
Graecorum philoſophorum loquacitate corrumpi, et a bellica virtute, qua
tota nitebatur, auocari, ſimulque maieſtatem Romanam, ſeueritate et au-
ctoritate tanquam talis nixam peſſundari credebat. Quae ratio quoque
ita apud ſenatum valuit, vt legati re confecta quam primum domum re-
mitterentur, iuuentus vero Romana ad maiorum inſtituta reuocaretur.
Cumque ab eo tempore philoſophiae amor, qui tantas inter Romanos ra-
dices egerat, extingui penitus non poſſet, et, vt veriſimile, alios quoque in
vrbem philoſophos alliceret, eiusdem forte Catonis ſtudiis tribuendum
eſt, quod iam narrauimus, C. Fannio Strabone, M. Valerio Coſſ. SC. M.
Pomponio prætori mandatum, curaret philoſophi vti Romae ne eſſent.
Quod aliquot deinde annis poſt id SC. ad rhetores quoque a cenſoribus
relatum eſt, quorum edictum hic omitti non debet, quod ita recitat GEL-
LIVS: [l] *Renuntiatum eſt nobis, eſſe homines, qui nouum genus diſcipli-
nae inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat: eos ſibi nomen im-
poſuiſſe, Latinos rhetoras: ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere.
Maiores noſtri, qui liberos ſuos diſcere, et quos in ludos itare vellent,
inſtituerunt. Haec noua, quae praeter conſuetudinem, ac morem maiorum
fiunt, neque placent, neque recta videntur. Qua propter et iis, qui eos
ludos habent, et iis, qui eo venire conſueuerunt, viſum eſt faciundum, vt
oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere.* Mirifice hoc edi-
ctum, ea quae ſupra differuimus illuſtrat. Vt enim vero videtur
ſimillimum, viuidam triumvirorum iſtorum Graecorum eloquentiam
ſtudia Romanorum ita accendiſſe, vt aliis, qui poſt dimiſſos Athenien-
ſium legatos, philoſophiam ſe docturos in ſe receperant, locum apud ſe
facerent; eaque re SC. impedita, rhetorum ſibi nomen illos aſciuiſſe, eo
quod eloquentia Graeca animos Romanorum tempore iſtius legationis
cepiſſet, ſicque ſenatusconſultum nouo nomine poſſet eludi: ita prohibu-
iſſe magiſtratus hanc Graecae philoſophiae et rhetorices diſciplinam ea

k) l. c. p. 632. l) Lib. XV. c. 11. SVETON. de Clar. Rhetor. c. 1.

potiſſimum ex cauſſa inde patet, quod a moribus et inſtitutis maiorum iuventutem auocari aegre ferrent. Cum enim in Graeciae ciuitatibus philoſophorum et ſophiſtarum eloquentia in republica multum valeret, qua nempe populus ad optimatium voluntatem flecti poterat: contrariam prorſus in republica Romana rationem obtinere videntes viri acuti, qui ſummam rerum moderabantur, eiusmodi homines, qui facile perſuadere de quacunque re poſſent, tanquam peſtes reipublicae vrbe eiiciendos cenſuerunt [m]. Quae ſententia etiam Romanis ſequentibus temporibus ſtetit, vbi C. Claudio Pulchro et M. Perperna Coſſ. A. V. C DCLXII. idem edictum repetita vice vulgatum eſt [n], donec introducta per duces Romanorum, qui Graeciam ſubegere, philoſophia et eloquentia Graeca inter Romanos quoque locum obtineret exoptatiſſimum [o].

Philoſophia Graeca Romae recepta.

§. VI. Nempe patrocinium philoſophiae Graecae, parauit eadem, quae eiiciendorum Roma philoſophorum occaſionem exhibuit, legatio Athenienſium. Quae cum diſſertationes philoſophicas Romae habuiſſet, iuuentutem Romanam, vt ſupra dictum, ita corripuit amore, vt furore quaſi quodam ad philoſophiam ferrentur. Inter eam vero adoleſcentes quoque patricia gente, ſummoque loco natos, fuiſſe, ex Cicerone notauimus. Hos, ne patria inſtituta deſererent, Graecamque ſequerentur diſciplinam, Cato quidem impediuit, amorem tamen philoſophiae extinguere non potuit. Etſi enim pauci admodum erant, qui Muſas Graecas ſequi, et imprimis philoſophiam, cuius elegantiam legati Athenienſes Romanis oſtenderant, amplecti prae patria diſciplina vellent, ſic vt CICERO [p] fateatur, *ſcientiis reliquis ſenſim emergentibus ex contemtu, quo Romae delituerant, vnam philoſophiam iacuiſſe vsque ad ſuam aetatem, nec vllum habuiſſe lumen literarum Latinarum* [q], dicti tamen iuuenes cum adoleuiſſent, ſummis Reipublicae muneribus admoti occaſionem nacti ſunt, amorem, quem in philoſophiam conceperant, latius explicandi. Exercitibus enim, quibus Graeciam Romani ſubiugabant, itemque prouinciis, quae Romano adiectae erant imperio in magiſtratibus, quos acceperant, praefecti, non Graecae tantum eruditionis pulchritudinem propius perno-ſcebant, ſed viris quoque magnis, qui philoſophiam literasque et elegantiores et ſeueriores tum temporis in Graecia, praecipue Athenis, ſumma nominis fama docebant, innoteſcebant, quorum eloquentiam et doctrinam admirantes eorum conſuetudinem affectabant, et cum facile eos ſibi conciliaſſent, philoſophiae praecepta ab iis percipere non dedignabantur, hocque fine eos ſecum habebant, cum in prouincia eſſent, ſaepius, immo domum

m) Conf. CHR. FALSTER. Qq. Rom. Lib. II. c. 4. §. 6. p. 165.

n) Conf. GAVDENT. de philoſ. Rom. c. XIV. p. 128. VINET. ad l. c. Suet. Plura in hiſtoria Rhetorices quaerenda ſunt hac de re.

o) Ex dictis de Romanorum de eloquentia Graeca iudicio iudicari poteſt, quam falſi ſint, qui Catonem, Carneadis odio et inuidia ductum Senatui perſuaſiſſe putant, ne Graecorum orationes diutius apud Romanam iuuentutem tolerarentur, quem errorem ipſe notauit PLVTARCHVS l. c. p. 633. vnde merito miramur, Auctorem hiſtoriae criticae philoſophiae T. I. p. 261. dum ad Plutarchum prouocat, ad haec non attendiſſe.

p) Tuſc. Qq. Lib. I. c. 3.

q) Cauſſas ſerius apud Romanos caput extollentis eruditionis Graecae eleganter explicat VELLEIVS PATERCVLVS Lib. I. c. 17. 18. qui legendus.

domum quoque adducebant, tanta vis erat amoris illius in philoſophiam ſemel in adoleſcentia concepti, quamuis philoſophos agere, hancque vitae profeſſionem ſequi non conſtituiſſent viri rebus ſummis pace belloque gerendis occupati. Inter hos nobiles ex patriciorum gente viros, quos patronos apud Romanos philoſophia nacta eſt, fuiſſe Scipionem Africanum, Laelium et Furium Cicerone teſte ſupra iam probauimus. Et Scipio quidem Africanis victoriis immortale nomen nactus, armorum ſtrepitum literarum dulcedine mitigauit, Graecamque eruditionem tantopere adamauit, et, quod VELLEIVS PATERCVLVS [r] teſtatur, *tam elegans liberalium ſtudiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit, vt Polybium, Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque ſecum habuerit; Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio diſpunxit, ſemperque aut belli aut pacis ſeruiit artibus, ſemper inter arma ac ſtudia verſatus aut corpus periculis aut animum diſciplinis exercuit.* Cumque Panaetius, quem ex Stoica familia philoſophum fuiſſe magnae famae et exiſtimationis ſuo loco [s] docuimus, non homo tantum eſſet ingenuus et grauis, dignusque illa familiaritate Scipionis et Laelii, vt ait CICERO [t], ſed et praeter Stoicorum diſciplinam, Platonem quoque maximi faceret [u], facile inde intelligi poteſt, ſummum illum Carthaginis euerſorem non vnius tantum porticus praecepta perluſtraſſe, ſed aliorum quoque philoſophorum, ex diuerſis ſectis, placitis cognoſcendis tempus impendiſſe. Cuius fidem nobis facit CICERO [x], teſtatus, ſemper Africanum Socraticum Xenophontem in manibus habuiſſe. Et haec quoque diuerſarum ſectarum praeceptorum quaſi miſtura, cauſſa videtur fuiſſe, cur Scipio oratione et praeceptis Panaetii, quamquam Stoica forent, aſperior factus non ſit, ſed leniſſimus [y], cum eodem modo ipſe Panaetius animum inſtituens Stoicam ſeueritatem temperauerit. His acceſſere ſtudia alia, et imprimis hiſtoria, cuius excolendae cauſſa Polybium frequentiſſimum ſecum habuit imperator ſummus, qua ſcilicet non armorum tantum, bellique artium ſeueritatem demulcebat, ſed et animum, ad pacis bellique neceſſitates formabat. Iisdem veſtigiis eodem calcari incitati inſtitere Laelius et Furius, quos *cum Scipione ſecum eruditiſſimos homines ex Graecia ſemper palam habuiſſe* CICERO [z] auctor eſt, qui et alibi [a], *Laelium adoleſcentem, ait, audiuiſſe Diogenem Stoicum, poſt autem Panaetium, et ſapientem fuiſſe appellatum, quia, quod eſſet, ſuauiſſimum duceret.* Laudandum vero in ſummis his viris praecipue eſt, quod licet philoſophorum choris ſe non immiſcuerint, ſed belli pacisque artibus ad nominis immortalitatem fuerint graſſati, philoſophiae tamen, praecipue Stoicae, praecepta ad formandam virtutem, tantis viris dignam adhibuerint, ſicque, *cum ad naturam eximiam atque illuſtrem*

r) Lib. I. c. 13.
s) P. I. c. 8.
t) De finib. L. IV. c. 9.
u) CICERO Tuſc. Qq. L. I. c. 32.
x) Tuſc. Qq. L. II.
y) Orat. pro Murena Or. XXXIII.
z) De Orat. L. II.
a) De finib. L. II.

Iuſtrem, recte id obſeruante CICERONE [b], *acceſſiſſet ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare extiterit. Ex quo numero diuinum hunc hominem Africanum, C. Laelium et L. Furium, modeſtiſſimos homines et continentiſſimos fuiſſe*, idem teſtatur. Tantorum virorum exemplo excitati ſecuti ſunt in premenda philoſophiae ſemita viri alii magnae inter Romanos exiſtimationis, et imprimis Iureconſulti famigeratiſſimi. Ex quorum imprimis numero Q. Tubero, et Q. Mucius Scaeuola notandi ſunt; illum enim, Scipionis Africani ſororis filium Panaetio duce, Stoicam philoſophiam didiciſſe, CICERO [c] teſtatur atque TACITVS [d], ideoque GELLIO [e] audit *antiſtes iuris ciuilis et Stoicae doctrinae ſectator*, et CICERONI [f] *eruditus vir ex ſtudio Stoico;* cuius tamen ſeueritas Stoica, paupertati, cui ab ineunte aetate eſſet aſſuetus, iuncta, cum epulum dare vellet populo nomine patrui ſui Africani, isque igneos lectulos, haedinasque pro ſtragulis pelles, et ante ipſius Iouis cellam propoſita conuiuis vaſa fictilia ſtruxiſſet [g], praetura eum deiecit [h]. Scaeuolam vero Panaetium quoque praeceptorem habuiſſe, idem ait CICERO [i], qui *Iurisperitorum eloquentiſſimi* nomine eum mactat. Addi his poſſent Iureconſultorum Romanorum veterum alii, paſſim Ciceroni laudati [k], ſi eorum hiſtoriam ſcriberemus, qui philoſophiam honore ſtudioque dignam iudicarunt, licet ipſi philoſophi ſtricto nomine appellandi non ſint. Semper enim fere apud Romanos Stoica philoſophia iuris antiſtitibus placuit [l], cuius contrariam ſententiam licet defendat GAVDENTIVS [m], veterum tamen teſtimoniis atque rationibus, quae rem conficiunt, prorſus deſtituitur.

ICti philoſophiae ſtudioſi.

§. VII.

b) Pro Archia Orat. XXVI.
c) Pro Muraena Orat. XXXVI.
d) Annal. L. XVI.
e) Lib. XV.
f) Pro Muraena.
g) SENECA ep. 95. VALER. MAX. L. VII. c. 5. CICERO l. c.
h) Conf. VINC. GRAVINA de ortu et progreſſu iuris ciuilis c. LVII. p. m. 112. ed. Neap.
i) De orat. L. II. plura de eo dabit GRAVINA l. c. c. LIX. p. 115. ſeq. conf. FRANC. BALDVINVS de Iurisprudentia Muciana.
k) De Orat. plerosque poſt GRAVINAM l. c. Io. SCHILTERVM manud. philoſ. moralis ad Iurisprud. c. I. §. 3. ſeqq aliosque iuris ciuilis eiusque interpretum hiſtoriam exponentes nominat FABRICIVS Biblioth. Lat. T. I. p. 829. ſeqq. conf. D. WESTPHAL. de Stoa Iureconſultorum Rom. Roſt. 1727.
l) Fuiſſe inter ſacerdotes iuſtitiae Romanos quosdam, quibus aliarum quoque ſectarum doctrinae arriſerint, dubitari quidem non poteſt. Supra enim Catonem Cenſorium Pythagorea placita fuiſſe edoctum, probauimus, quem in echtium etiam Appius Claudius Coecus ob carmen, quod Ciceronis aetate extitit, cui ipſi Pythagoricum viſum fuit, referri ſolet, quod tamen paraeneticum fuiſſe, hincque ad exotericam tantum philoſophiam Pythagoreorum pertinuiſſe, recte monet SCHILTERVS l. c. §. 2. p. 3. Verum hoc non de ſyſtemate toto morali, ſed de certis tantum dogmatibus intelligendum eſt, quae ex reliquarum ſectarum placitis ſparſim receperunt. Ipſum tamen philoſophiae moralis aedificium a Stoicis extructum adhibuiſſe ICtos Romanos et principia ab iis adhibita, et definitiones, partitiones, axiomata Stoica hisque ſimilia, teſtimonia item Ciceronis aliorumque inter veteres luculenter probant. Quae ne hoc loco, vbi hiſtoriam iuris Romani non ſcribimus, demonſtremus, otium nobis fecere viri doctiſſimi, Io. SCHILTERVS l. c. §. 44. ſqq. GRAVINA l. c. EVERARDVS OTTO de Stoica Iurisconſultorum philoſophia, CHR. AVG. HEVMANNVS act. philoſ. Vol. I. p. 48. qui ipſi conſulendi.
m) De philoſ. Roman. c. XLIII. p. 197. quo loco demonſtrandum ſibi ſumit, veteres Iurisconſultos videri potius cum Platonicis et Peripateticis, quam cum Stoicis feciſſe. Cuius ſententiae, communi veterum ſuffragio contrariae rationes has potiſſimum affert: ciuilem et forenſem vitam longe maiorem habere cum Ariſtotelica et Platonica philoſophia affinitatem, quam cum Zenonis ſchola. In hac enim multa aſſerri, quae leges euertunt e. c. omne delictum eſſe ſcelus neceſſarium, clementiae non eſſe locum et veniae. Sapientem nihil opinari. Quae vero Stoica videntur apud ICtos

by Google

§. VII. In cauſſas, vt hic Lectoris pace parumper a via digrediamur, adamatae a iurisperitis Romanis Stoicae philoſophiae inquiſituri, non ad rationes tantum huius philoſophiae, ſed ad temporum potiſſimum circumſtantias attendendum eſt. Etſi enim non magnopere repugnandum putamus, elegantiſſimae eruditionis ICto EVERARDO OTTONI *, qui magnificentiam ethicae Stoicae iurisperitos Romanos ita occupaſſe putat, vt crediderint, eam omnium aptiſſimam eſſe praeparandis ad rempublicam capeſſendam animis, quam ſcenam virtutem Stoicam omnium optime inſtruxiſſe, feneſcentis et in monarchiam degenerantis reipublicae exempla ſatis loquuntur: primariam tamen hanc cauſſam fuiſſe, eo minus affirmari poteſt, quo magis magnificentia ſectae Stoicae inter ampullata verba et hypocriticam philoſophorum ſuperbiam ab ipſa Zenonis aetate ſolebat referri et contemni. Alia itaque ratio ex ipſius ſectae Stoicae hiſtoria repetenda eſt. Nempe Panaetium praecipuum philoſophum fuiſſe, per quem extorris reducta Romam, certe inter Romanos ad dignitatem et exiſtimationem euecta fuit philoſophia, ex allatis hactenus teſtimoniis indubitatum eſt. Factum id vero conſuetudine cum maximis ex patricia gente viris inita, qui Panaetium hominem optimum, omnique eruditione et diſciplina imbutum maximi faciebant. Is vero, moderato licet iudicio, ſectae adhaerebat Stoicae. Cum itaque homines magni, Scipio, Laelius, Furius, et quos CICERO * addit L. Philippus et C. Gallus Stoico profeſſori adhaererent, eumque in familias ſuas traductum liberaliter alerent, factum eſt, vt qui reipublicae vel gubernandae vel iuris peritia moderandae operam nauabant, praeſtantiſſima exempla ſecuti in eandem philoſophiam incumberent. Acceſſit vero alia quoque ratio, qua Stoicae philoſophiae pars illa, quae mores hominum format, non potuit non iuſtitiae ſacerdotibus commendari. Nempe Stoicos primos fuiſſe, qui derelictam a reliquis philoſophis doctrinam de officiis gnauiter perſecuti ſint, Tomi primi libro tertio, vbi de Stoicis actum, demonſtrauimus, monuimusque Panaetium huic practicae philoſophiae parti maxime ſtrenuam nauauiſſe operam. Huic vero doctrinae tota innitebatur iurisprudentia Romana, quae ex diuerſarum gentium, aetatum, morumque legibus et conſuetudinibus collecta cum fundamento certo et rationali careret, principiis Stoicis ſemel admiſſis in non abſurdum ſyſtema coibat, id quod apud reliquas ſectas non ita fiebat commode, nec eae ita innotuerant iſto, quo Stoica vulgata fuit inter Romanos, tempore, vt ſtudium et attentionem iurisperitorum poſcerent. Sceptica enim ſecta, quae cum Academica valde arridebat viris ſummis, cum euertere putaretur omnia

Cauſſae adamatae a ICtis Stoicae philoſophiae.

ICtos Romanos ex legibus XII. tabularum, interpretatione prudentum, iudiciorum vſu, iuribus magiſtratuum etc ante natam ſectam Stoicam innotuiſſe. Poterimus haec ſine examine dimittere, adeo infirma ſunt, et more Gaudentii nihil ad rhombum faciunt. Ne tamen nihil dixiſſe videamur, hoc vnum monemus, Gaudentium ab hiſtoriae philoſophicae accuratiori imparatum notitia, Stoicam philoſophiam non intellexiſſe, et praecepta Sapientis perfecti, de quibus loquitur, cum incipientis officiis, quae ſequebantur ICti, turpiter confudiſſe.

*) Diſſ. cit. conf. Act. philoſ.

*) Pro Muraena.

omnia honesti iustique principia, ad regendos et continendos in officio ciues inutilis visa fuit et prorsus aliena. Epicuream adamabant viri principes, sed priuatae magis vitae quam reipublicae aptam, cuius administrationem effugiebat. Peripateticae vero philosophiae, in ipsa Graecia exigua fortuna vsae, ante Syllae aetatem, vt postea dicemus, notitia Romae nulla fuit, eaque ad reipublicae Romanae minus, quam ad Graecarum formam adaptata. Platonicae etsi magna erat existimatio, ea tamen ab Antiocho circa haec tempora ita cum Stoica in concordiam reuocata fuit, vt qui hanc sequeretur, se ab illa haud procul abire crederet: vt taceamus, Platonicam philosophiam magis de diuinis quam humanis rebus fuisse sollicitam, ipsumque Platonem ineptis de republica somniis, quae locum in ciuitate inueniebant nullum, et omnium minime Romanae reipublicae aptari poterant, laudem fidemque, quam in metaphysicis sibi parauerat, in practicis, praecipue in politicis, amisisse fere omnem. Quae cum, ita esse, indubitata veterum loquantur testimonia, ratio vera patet, cur ad Stoicam potissimum philosophiam iurisconsulti diuerterint. Qui cum ducendae etiam auctoritate virtutisque opinione plebi eam philosophiam inseruire viderent, et dialectica quoque Stoica magnam accurationem in tradendis populi iuribus sponderet, mirum certe haud est, plerosque iurisperitos in Zenonis castra transiisse, huiusque sectae principia, quibus totum mundum tanquam ciuitatem considerabant, et ex iis officia communia praescribebant, admittendo, iis legum a maioribus acceptarum vel a reipublicae necessitate et emolumento praescriptarum rationes attemperauisse. Nec alia vel potior ratio fuit, cur viri quoque magni magistratibus in prouinciis Graecis functi philosophos audirent, et imprimis Stoicis adhaererent. Quanquam nec alias sectas contemsisse in confesso est. Cuius exemplum praeter Pompeium Magnum, quem magna veneratione Posidonium prosecutum fuisse, Rhodique inuisisse, in huius philosophi vita docuimus, Crassus est, qui cum praetor ex Macedonia Athenas veniret, Carneadem, Clitomachum, Aeschinem, Metrodorum, Carneadis discipulum, Mnesarchum, discipulum Panaetii, Critolaum et Diodorum Peripateticos aliosque vidit, Platonemque legit, vt narrat CICERO [p].

Lucullus.

§. VIII. Multum contulisse virorum horum summam, qua in republica gaudebant, auctoritatem, fauoremque, quo philosophiam Graecam prosequebantur, dubitari nequit, omnium tamen maxime ad summum, quod Romae nacta est philosophia Graeca, fastigium eam euexit Lucullus. Is cum primum Quaestor in Macedonia esset, et post hunc magistratum bellum quoque Mithridaticum non sine fortunae fauore multisque victoriis gereret, fauentissimam occasionem nactus est, philosophos Graecos, praecipue Athenienses conueniendi, et praecepta philosophiae hauriendi, sicque eam, quam in Graecia didicerat, doctrinam Romae iuuandi ornandique. Qui quo animo erga philosophiam fuerit, praeter PLVTARCHVM, vitae eius enarratorem [q] testatur CICERO,

p) De Orat. L. I. q) In Lucullo, T. IV. p. m. 221.

Digitized by Google

RO, familiaris Luculli amicus [r], licet in philoſophia ab eo diſſentiret. Is in *Lucullo*, quo amici ſui nomine *Academicarum quaeſtionum librum quartum* inſigniuit, poſt enumeratas ciuiles eius virtutes, ita de eius in philoſophiam ſtudio differit: [s] *Nos illa exteriora cum multis, haec interiora cum paucis ex ipſo ſaepe cognouimus. Maiore enim ſtudio Lucullus cum omni literarum generi, tum philoſophiae deditus fuit, quam, qui illum ignorabant, arbitrabantur: nec vero ineunte aetate ſolum, ſed et pro Quaeſtore aliquot annos, et in ipſo bello, in quo ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, vt non multum imperatori ſub ipſis pellibus otii relinquatur. Cum autem e philoſophis ingenio ſcientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor excellere, eum ſecum et quaeſtor habuit, et poſt aliquot annos imperator: cumque ea eſſet memoria, quam ante dixi, ea ſaepe audiendo facile cognouit, quae vel ſemel audita meminiſſe potuiſſet. Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat.* Etſi vero Lucullus, quod PLVTARCHVS [t] teſtatur, philoſophiae omnia genera amplexus erat et familiaria habebat, Academiam tamen iam inde ab initio miro ſtudio et amore coluit, non vero novam illam, quae tum maxime Philonis opera diſputationibus Carneadicis florebat, ſed veterem, cuius tum princeps erat Antiochus Aſcalonita [u], vir magna dicendi vi praeditus; quem cum omni ſtudio amicum domeſticumque ſuum feciſſet, Philonis auditoribus, inter quos erat Cicero, opponebat. Quae ratio quoque eſt, cur Cicero in *Academicarum quaeſtionum libro quarto* Lucullo Academiae veteris vel renouatae etiam partes tuendas dederit, cum mediam Academiam non probaret. Qui philoſophiae amor in Lucullo effecit, vt non ipſe tantum ei operam etiam inter armorum ſtrepitus nauaret, ſed et apud alios et Romae quoque pro virili iuuaret, promoueretque. Cuius finis obtinendi cauſſa multos beneque ſcriptos coëmit libros, vſumque eorum poſſeſſione laudabiliorem inſtituit. Inſtructa enim praeſtantiſſima bibliotheca, quam Xyſtis et Scholis iuxta aedificatis auxerat, Graeci, qui ex patria bellorum tumultibus plena, Romam tanquam in nidum quendam ſe receperant, eo ſe tanquam in Muſarum aliquod diuerſorium recipiebant, diesque ibi iucunde commentando exigebant. Ipſe frequenter in ambulationes eas ſe contulit, ac cum philoſophis diſputauit, Graecisque Romam venientibus hoſpitii Prytaneique publici vſum domus eius praeſtitit [x]. Tantum viri optimi exemplum aemulatione accenſi ſecuti ſunt alii, qui pari ratione Graecos philoſophos commendarunt et receperunt. Inter quos inprimis Cicero fuit, qui Philonis, qui quartam Academiam inſtituerat, diſciplinae innutritus eiusque facundia captus, cum is Romam veniſſet, eum de meliori Lucullo commendauit [y], licet hic Antiochi magis, quam Philonis viam philoſophandi probaret.

r) Eius ſibi conſilium et auctoritatem in maximis rebus profuiſſe, fatetur l. c. c. 3.
s) Cap. 4. t) l. c. p. 221.
u) Concordiam hunc philoſophum inter Academiam veterem et Stoam tentaſſe Tomi primi libro tertio, c. 8. narrauimus.
x) PLVTARCH. loc. cit.
y) IDEM. in Cicerone, T. VI. p. m. 28. CICERO

baret. Ab hoc itaque Luculli et Ciceronis tempore, quod in A. V. C. DCLXX. incidit, prima adoleſcentis inter Romanos philoſophiae aetas deriuanda eſt. Et fuerunt quidem ante iſtud tempus quidam, qui monente CICERONE [z], *ſe philoſophos appellari voluerunt, quorum dicebantur eſſe Latini ſane multi libri:* parum tamen exiſtimationis eos philoſophiae parauiſſe, ex contemtu eorum colligi poteſt, nec ſine probabili coniectura haec ad Epicuri ſequaces trahi poſſunt, quos circa iſtam philoſophiae Graecae apud Romanos infantiam valde fuiſſe contemtos et neglectos conſtat [a]. Paulo tamen prius, quam Lucullus vrbem philoſophis repleuit, Peripateticae ſectae nouus quaſi ſol Romae exortus eſt. Cum enim amiſſis, et in peregrinas bibliothecas translatis ſcriptis Ariſtotelis et Theophraſti acroamaticis ipſa, quid vere Peripateticum eſſet, ignoraret, valdeque de auctoris ſui mente receſſiſſet, hincque tantum non contemneretur, vt primi tomi libro tertio prolixe narratum, belli fortuna euenit, vt non tantum Romae innoteſceret, ſed et Ariſtotelis libros, qui tot annis delituerant, reciperet, cuius rei hiſtoriam paucis ſic habe: Sylla in Graeciam miſſus cum exercitu, reliquas vrbes legatis miſſis ſe ei dedentes recepit, Athenas reſiſtentes vi oppugnauit, cumque materia munimentis machinisque exſtruendis deficeret, ſacros lucos aggreſſus Academiam, quae pluſtimas omnium ſuburbanorum arbores ferebat, et Lyceum cecidit, et ſacra philoſophiae ita loca violauit [b]. Occupata tandem et crudeliter directa vrbe [c], cum omnia in victoris poteſtate eſſent, Apelliconis Teii bibliothecam, quae in Piraeeo collocata communem ſtragem euaſerat, paulo poſt ex Aſia redux, ſibi exemit. Erant in illa bibliotheca plerique Ariſtotelis et Theophraſti libri, quos non vulgatos fuiſſe, ſed intra priuatos parietes manusque hominum indoctorum delituiſſe, et ab iis ad Apelliconem emtio-

in Lucullo, ſ. Q q. Acad. L. IV. Epiſt. ad famil. L. IX. ep. 8. L. XIII. ep. 1.

a) Tuſc. Q q. L. II. c. 2.

z) Quos hoc loco philoſophos Cicero intelligat, valde obſcurum eſt, nihil enim de iis affert, niſi, eorum libros ſe non quidem contemnere, quippe quos nunquam legerit, ſed quia profiteantur ipſi illi, qui eos ſcribunt, ſe neque diſtincte, neque diſtribute, neque eleganter, neque ornate ſcribere, lectionem ſe ſine vlla delectatione negligere, quid enim dicant, ſentiantue ii, qui ſunt ab ea diſciplina, neminem mediocriter quidem doctum ignorare. Patet tamen ex his Tullii verbis, certam hic diſciplinam ſectamque philoſophorum peti, qui dicendi ſcribendique ornatum et elegantiam negligentes, a Romanis dicendi virtutem maxime facientibus neglecti ſint. Quoniam vero non aliae, niſi Graecae ſectae, Romae innotuere, inter eas hanc diſciplinam Latino ſermone ſcriptis propoſitam quaerendam eſſe dubio caret. Inter Graecas vero ſectas, quae Latina lingua dogmata ſua iſto tempore propoſuit, non alia inuenitur, niſi Epicurea, cuius dogmata primum Latinis vocibus expoſuit Lucretius. Is id ipſe ita innuit:

Denique natura haec rerum ratioque reperta eſt
Nuper: et hac primum cum primis ipſe reperrus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.

L. V. *v.* 535. conf. LACTANT. Inſt. L. III. c. 15. Huic quoque accurate conueniunt, quae obiicit Cicero. Partis enim primae L. III. capite decimo quarto docuimus, Epicurum et ſequaces ab ornate dicendi ſtudio abſtinuiſſe, et *ἰδιοτισμοὺς* ſcripſiſſe. Quam ſcribendi negligentiam libros Epicuri et Metrodori ita contemtos feciſſe, vt nemo, praeter ſuos, in manum ſumat, hoc ipſo loco Cicero ait, haud obſcure prodens, ad Latinos Epicuri interpretes eum reſpexiſſe. Dubium tamen eſt, an ipſum Lucretium iſto loco petierit, cuius doctam et elegantem ſimplicitatem Ciceronem adamauiſſe, immo eius carmina emendaſſe, infra dicemus.

b) PLVTARCHVS in Sylla T. II. p. m. 130. conf. MEVRSIVS de Ceramico gemino, cap. XXVII. p. 94.

c) Narrant victoris crudelitatem PLVTARCHVS l. c. FLORVS Lib. III. c. 5. VELLEIVS L. II. c. 23. APPIANVS de bello Mithridat. et Romanae conditores hiſtoriae alii.

Digitized by Google

emtionis iure peruenisse, suo loco narrauimus [d]. Bibliothecam hanc Romam perferri cum curasset Sylla, Tyrannio grammaticus [e], quem captivum Romam Lucullus deduxerat, occasionem nactus gratiam Syllae aucupandi, potestatem ab eo accepit, describendi, quos cuperet, codices. Is melioribus libris manum admouens, Aristotelis quoque et Theophrasti scripta compilauit. Id cum comperisset Andronicus Rhodius [f], qui Peripateticam philosophiam deperibat, Tyrannionem exorauit, vt Aristotelis atque Theophrasti exemplarium copiam sibi faceret. Id quod eo facilius obtinuit, quo magis in id illo tempore connitebantur viri docti inter Romanos, vt eruditionis incrementa quouis modo iuuarent. Andronicus itaque acceptos a Tyrannione ipso [g] libros Aristotelis carie exesos, mutilosque ex ingenio et coniectura suppleuit, obscuros illustrauit, et vulgavit; sicque Peripateticae philosophiae studium, quod Romae hactenus neglectum iacuerat, valde euexit, licet, quod suo loco [h] demonstratum dedimus, haud parum ista emendatione veram Aristotelis doctrinam adulteraverit, incertamque reddiderit. Ab his itaque Syllae, Lucullique temporibus,

d) Tom. I. L. IV. c. 7. vbi veterum testimonia de ea re copiose attulimus, recentioribus etiam, qui eam tetigere, indicatis.

e) Tyrannio grammaticus, Amisenus fuit, ex Ponto, Epicratidis et Lindiae Alexandrinae filius, discipulus cum aliorum, tum etiam Hestiaei Amiseni, a quo etiam Tyrannio dictus est, eo quod condiscipulos vexaret et exagitaret, (κατατρίχων τῶν ὁμοσχόλων,) cum antea Theophrastus diceretur. Postea vero etiam Dionysium Thracem Rhodi audiuit, aemulusque fuit Demetrii Erythraei, de quibus in historia grammaticae pluribus dicendum. Aristionis tyrannidem fugiens, cum Athenis in patriam Amisenum se recepisset, a Lucullo in vrbis expugnatione captus Romam traductus, Muraena vero apud Lucullum pro eo intercedente, libertate donatus fuit. Ibi artis, quam profitebatur, criticae fama innotescens, summis viris carus fuit, adeo, vt opibus tandem magnis auctus, incredibilem numorum summam in bibliothecam, quam struxerat, conferret, optimosque vbique codices magnis sumtibus coëmeret. Quo studio illa tantum creuit, vt plus triginta millibus librorum constaret, narrante id SVIDA T. III. v. Tyrannio, p. 517. seq. vnde audiendi non sunt GAVDENTIVS de philos. Rom. c. 20. p. 140. et post eum Lexicographi MORERIVS et HOFFMANNVS, qui constantem tribus tantum librorum millibus bibliothecam habuisse Tyrannionem falso produnt. Quanta vero in existimatione Romae fuerit Tyrannio, inde colligere est, quod non tantum praeter Strabonem, Ciceronis filium et nepotem discipulos habuerit, sed et Cicero pater eius ministerio vsus sit, ad designationem librorum suorum conficiendam, quam mirificam vocat, Atticoque commendat, Lib. IV. ep. 4. Plura de eo dabunt PLVTARCHVS l. c. p. 143. et in Lucullo T. II. p. 210. HESYCHIVS MILESIVS et SVIDAS in Tyrannio l. c. ex recentioribus PATRICIVS discuss. Perip. T. I. L. III. p. 29. L. IV. p. 34. sqq. GAVDENTIVS l. c. et qui primo loco nominandus erat P. BAYLE Dict. T. IV. art. Tyrannion. Non confundendus vero est cum Tyrannione iuniore, Phoenice, eius discipulo, qui nomen a praeceptore accepit, cum prius Diocles vocaretur, qui in bello inter Caesarem et Antonium captus, a quodam Dymante Caesaris liberto redemtus, et postea Terentiae, Ciceronis vxori, donatus est, a qua manumissus Romae docendo et scribendo inclaruit, de cuius scriptis SVIDAS l. c. videndus. Incertumque annon Tyrannio hic iunior bibliothecae Ciceronis catalogum confecerit, Straboque eius fuerit discipulus, quod placet doctissimo KVSTERO ad l. c. Suidae. Ceterum in geographiae quoque cognitione Tyrannionem fuisse versatissimum, ex CICERONIS ep. 6. L. II. ad Atticum colligere est. Atque STRABO L. XIII. p. 609. valde eum Aristotelem amauisse, eiusque libros manu sua emendasse. (διεσκεύάσατο.) Quam vocem PATRICIVS l. c. praeter rem vertit: *peiores reddidit*; Recensuisse enim tantum eos Tyrannionem, officium grammatici innuit, et Andronicus is fuit, qui lacunas supplendo textum Aristotelis corrupit. Obiit Tyrannio post Ol. CLXXXIV. si ipse apud CICER. l. c. intelligendus est. Apud SVIDAM enim, qui senem podagra confectum obiisse Olymp. CXX. dicit, in numero vitium esse, ex Syllae, Luculli, Ciceronis, Strabonis aetate, qua vixit Tyrannio, manifestum est.

f) Dicemus plura de eo paulo infra.

g) Contendit RAPINVS, comparat. Platonis et Aristotelis pag. 371. Andronicum post Tyrannionis mortem Romam demum venisse, et ab eius haeredibus libros Aristotelis accepisse. Cui recte opponitur PLVTARCHVS, qui in Sylla l. c. Andronicum Rhodium scribit, a Tyrannione adeptum exemplaria in medium protulisse atque edidisse ea, quae hodie circumferuntur volumina.

h) Tom. I. L. III. c. 7.

bus, mira velocitate philoſophia Romae adoleuit, omnesque Graecorum ſectae patronos ſectatoresque viros ſummos nactae ſunt. Illi enim non domi tantum praeſentes audiebant philoſophos, ſed filios quoque ad diſcendam philoſophiam Graecam mittebant in Graeciam, ipſique contubernio adhaerebant philoſophorum praeſtantiſſimorum *i*.

Cauſſae cur ſectaria Graecorum philoſophia Romae admiſſa.

§. IX. Cunctarum itaque ſectarum Graecarum fata, ſectatoresque, qui eas inter Romanos amplexi ſunt, exponendi, et qua ratione ſingulis adhaeſerint viri magnae auctoritatis, ediſſerendum, vt Romanae philoſophiae acta enucleentur, eiusque hiſtoria pateat. Quod tamen priusquam fiat, duo lector monendus eſt, hic non negligenda. Primum enim probe obſeruandum eſt, non aliam philoſophiae rationem, quam ſectariam Romae obtinuiſſe, nec ad nouas ſectas deſcendiſſe viros iudicii et ingenii laude inclutos, ſed iis tantum adhaeſiſſe, quos Graecia protulerat. Id quod primo quidem intuitu alienum a tantorum virorum, qui ab A. V. C. DCLXX. ad A. DCC. floruerunt, (quo ſcilicet temporis interuallo philoſophia inter Romanos adoleuit,) praeſtantia et ingenii acumine, et mirabile videri queat, homines tantis animi virtutibus ornatos maluiſſe Graecarum ſectarum dogmata ſequendo, deuictae quaſi genti praeſtare obſequium, quam propriis vtendo viribus noua philoſophiae ſyſtemata condere: propius tamen et ex temporum hominumque iſtorum circumſtantiis conſideratum, aliter euenire non potuiſſe, manifeſtum erit. Plerique enim, quos Graecae philoſophiae aſſeclas in ſequentibus producemus, viri erant ſummae inter Romanos auctoritatis et dignitatis, qui non tantum ſupremis reipublicae muneribus admoti eam regebant, ſed et exiſtimatione, nominisque gloria, opibus etiam et cenſu immenſum aucti nouas plerumque res moliebantur, et augendae in republica poteſtatis ſuae conſilia capiebant innumera, magnamque ſibi ea de re ſpem concipiebant, quae res tandem libertati Romanae exitio fuit, et monarchiam introduxit. Tantis vero viris, belli pacisque artibus et facinorum gloria immortale nomen conſecutis, non deerat iudicii acumen, ingenii elegantia et literarum praeſidium ad exco-

i) Abhorruiſſe veteres Romanos a moribus, literisque aliarum gentium, imprimis Graecorum, ſupra luculento Catonis Cenſorii exemplo comprobauimus. Valde enim timebant, ne peregrinis inſtitutis et diſciplina capti iuuenes a patriis legibus et moribus deſciſcerent, ſicque respublica detrimentum caperet. In omnia alia tamen conuerſa eſt Romana elegantia morum literarumque, ex quo imperatores Romani gentes eas, inter quas literae vigebant, vicerunt, et imprimis Aſiam, Macedoniam, Graeciamque ſubegerunt, iisque in provincias redactis magiſtratibus in illis ſuncti ſunt. Cum enim viri ſummae auctoritatis Graeca eloquentia et eruditione mire caperentur, virosque doctos, imprimis philoſophos magni facerent, colerentque, ad tantorum virorum Graecae eruditionis elegantia ſuperbientium exemplum tota ſe Roma compoſuit, et non humaniores tantum literas, imprimis poëticam et oratoriam artem, ſed et philoſophiam magnifacere et addiſcere coepit, filiosque non tantum ad ſapientiae profeſſores in Graeciam miſit, ſed et ipſi viri ſummi eos inuiſerunt, ſuoque dignati ſunt contubernio Ita Pompeium M. Poſidonium inuiſiſſe ſuo loco diximus. Idem de M. Antonio PLVTARCHVS tradit T. III p. m. 115. et de Bruto. T. II. in Bruto, p. m. 703. quem Academicum Theomneſtum et Peripateticum Cratippum Athenis audiuiſſe, narrat. Athenas quoque eandem ob cauſſam Aticum inuiſiſſe tradit CORNELIVS NEPOS in Attico c. 2. ita OVIDIVS quoque Triſt. L. I. eleg. 2 v. 77. et Cicero ipſe atque eius filius. Non vero Athenas tantum inuiſerunt, poſt Syllae direptionem a veteri gloria valde deficientes, ſed et Spartam, vid. QVINTILIAN. L. III. c. 7. Rhodum, Apolloniam, Maſſiliam aliaque loca philoſophiae, ſtudio clara, de quibus videndus GEORG. NICOL. KRIEGK, in erudita diatribe de Romanorum peregrinationibus Academicis, add. Cl. FALSTERI Qq. Rom. c. VII. p. 207.

Google

excolendam ſuo Marte philoſophiam, ſed tempus atque otium, a rerum ciuilium et bellicarum tumultu remotum, ſine quo fruſtra noua fiet ad philoſophiam acceſſio. Cum vero omni artis elegantia ornatos adeoque philoſophia quoque munitos ſe cuperent, ne deeſſet virtutibus pace belloque partis literarum et philoſophiae imprimis honos, quo ſapientiae laudem adiici poſſe videbant, ſectis Graecorum adhaeſerunt, et prout in profeſſorem inciderunt, eloquentiae vi et eruditionis praeſtantia aures demulcentem, ita ſectam ſibi ex Graecanicis elegerunt, quam ſequerentur. Multum vero diſertiſſimi quoque inter Graecos philoſophi eloquentia ſua ad id contulerunt, vt prudente doctrinarum delectu omiſſo, ſine magno et prolixo examine Romani principes placitis ſuis calculum adiicerent. Cum enim facundia eorum viros illos ſummos mirifice cepiſſet, enata primum admiratio et ex ea amor haud vulgaris ita auctoritatis firmauit praeiudicium, vt tandem in aſſenſum quoque doctrinarum raperentur, et eorum placita admitterent, quos diligebant, vt Panaetii, Poſidonii, Philonis, Antiochi, Cratippi exemplo diſcimus. Nec aliud oculis obuerſabatur ſtudium, niſi ſectarium, toto orbe philoſophico in ſectas diuiſo et ſectariam philoſophandi rationem ſequente. Etſi enim in fine partis primae demonſtrauimus, in certam quandam ἔκλεξιν vel ſyncretiſmum potius philoſophicum in Aegypto philoſophantes quosdam homines conſpirare coepiſſe, ſerius tamen, et poſt roboratas tantum inter Romanos et ſtabilitas ſectas, id Romae, capta Aegypto et in prouinciam redacta, innotuit, et ipſa haec eclectica philoſophandi ratio ſectae Platonicae nomen titulumque ſeruauit. Non defuere quidem Romanis ingenia excelſa, quae et ipſa Graecorum dogmata examinabant, et fundamenta ſyſtematum excutiebant, et infirmitatem atque naeuos, quae paſſim latebant, detegebant, cuius fidem nobis faciunt elegantiſſimae Ciceronis diſſertationes, ſyſtematum ſectarum defectus, errores et naeuos paſſim luculenter demonſtrantes: ſed, quo minus ad ſalubriora et meliora progrederentur, et ipſi nouam doctrinae viam inirent, obſtitit Academica philoſophandi ratio ab Arceſilao et Carneade introducta, quae omnibus ſectarum philoſophis dubia obiiciendo fortiſſima, earum quidem infirmitatem demonſtrabat, verum nec meliora dabat, nec certiora, ſed rebus omnibus incertitudinem ex vtraque parte diſputationi obnoxiam ineſſe contendebat, et de recte inſpiciendis philoſophiae myſteriis deſperabat. Hanc cum optimam philoſophandi viam eſſe crederent, viri excitati ingenii, qui acute ſectarum diſſidia et errores peruidebant, actum erat de meliori philoſophiae ordine modoque, multumque ſe profeciſſe credebant, ſi nobiliſſimam illam incertitudinis philoſophicae artem didiciſſent, id quod elegantiſſimae, quas CICERO inſtituit, *Quaeſtiones*, ſiue diſputationes *Academicae* luce meridiana clarius comprobant, oſtenduntque, ſuffeciſſe viris magnis, ſi in tanto philoſophorum diſſenſu et rationum incertitudine, aliquam ſaltem ſequi probabilem ſententiam liceret. Addi his poteſt, ſectarum Graecarum ſyſtemata diuerſa, diuerſi quoque generis homi-

hominibus placuiſſe, prout rationibus, temperamento, vitae profeſſioni, muneribus aliisque, quae eos premebant, circumſtantiis conueniebant, et ex horum hominum voto reſpondebant. Ita iureconſultis et magiſtratibus Romanis Stoicam philoſophiam eo potiſſimum nomine placuiſſe, ſupra docuimus, quod regundis ciuibus, et inſtruendae virtute Stoica, quam exorſi erant, ſcenae magnificae melius quam reliquae ſectae, inſeruire poſſe credebant. Alii eloquentiae laude, et orationum ad populum habitarum commendatione ad ſupremos reipublicae honores adſpirantes non poterant non Academicae philoſophiae nomen dare, et inſigni eam amore proſequi, quod eius philoſophandi et differendi modo ſcopum feliciter ſuum aſſequerentur. Alii difficiliori et triſtiori ingenio atque temperamento vſi, et ad metaphyſicas cogitationes inter reipublicae turbas et tumultus, quibus ſe ſubducebant, ſibi viuentes, delapſi, Pythagorica et Platonica deperibant. Alii inter tanta vitae ſcelera et facinora, quibus nefandis auſibus ſe Roma maculauerat, magnum animi ad tranquillitatem adſpirantis ſolatium et praeſidium in Epicuri inuenerunt ſyſtemate, et poſthabito atque reiecto omni diuinorum metu et religione ſibi viuere gaudebant. Quidam melioris commatis vitaeque non prorſus malae, vacationem a republica, quae miſere tum concuti coeperat, ſummum ſibi ſtatuentes leuamen miſeriae, ob eiusdem commendationem et priuata otia hortos quoque Epicuri reliquis praeferebant. Quae omnia cum ſuis commodis et felicitati, quam quaerebant, ſatis reſpondere Romani crederent, non potuere non in ſectaria Graecorum haerere philoſophia, nec noua moliri opus habebant. Id quod eo difficilius cum eſſet, quo magis turbae atque tumultus, quae noua philoſophiae molimina vehementer impedire ſolent, inualeſcebant, impoſſibile fere fuit, ſi morali ratione conſideramus, ut orbis Romanus nouum philoſophiae genus conderet. Ex hoc vero clarum eſſe putamus, in delineanda philoſophiae Romanae hiſtoria doctrinarum a Romanis admiſſarum explanatione opus haud eſſe: eae enim non aliae fuerunt, quam quas tomo primo fuſe delineauimus. Niſi hoc vnum addas, non tam ſeruili iugo ſectariae philoſophiae inhaeſiſſe Romanos, vt non ex aliis quoque ſectis quaedam ſibi eligerent: quae tamen et pauca fuerunt, ſuis locis non praetermittenda, et ab integro ſectae ſyſtemate eos non auocarunt. Alterum, quod monendus eſt lector, antequam philoſophiam Romanorum ſectariam pandimus, hoc eſt, deſerendam eſſe pauliſper notionem eam philoſophi, quam ſectas Graecas deſcribendo ſecuti ſumus. In iis enim homines inuenimus certo profeſſionis vitaeque genere philoſophos et philoſophiae doctores. Qui quidem ex Graecis, qui Romam commigrarunt, circa haec quoque tempora non defuerunt, vt in ſequentibus docebimus, inter Romanos vero, qui philoſophiae operam dederunt, eo characteris genere tantum non inueniuntur. Qui enim ex Romanis philoſophati ſunt, fuere viri fere maximi ſummisque reipublicae gubernaculis admoti, munerumque ſplendore illuſtres, qui non elegantiores tantum et humaniores

literas

Digitized by Google

literas excolebant, sed philosophiam quoque artibus iungebant politicis, et rempublicam curantes ad philosophiae praesidia respiciebant. Inter eos sectas Graecorum Pythagoream, Academicam, quaeque sub eius nomine latuit Scepticam, Stoicam, item atque Peripateticam, et tandem Epicuream quoque assectas inueniisse, iam prolixius demonstrabimus.

§. X. *Non potuisse Pythagorae disciplinam, licet is in vltimis Italiae oris iuuenum aemulantium studia coetus habuerit, fama linguaeue commercio per tot gentes dissonas sermone moribusque in Sabinos peruenire,* recte monuit, et hac ratione Romanis Pythagoricam philosophiam denegauit LIVIVS [k]. Cum tamen eius fama inter Graecos postea percrebuisset, isque inter celeberrimos Graecorum philosophos esset numeratus, tanta quoque eius existimatio Romae fuit, vt teste PLINIO [l], *illi et Alcibiadi in cornibus comitii statua poneretur, cum bello Samnitico Apollo Pythius fortissimo Graecorum gentis iussisset et alteri sapientissimo simulacra celebri loco dicari.* Addit his Plinius: *Mirum est, illos patres Socrati cunctis ab eodem Deo sapientia praelato Pythagoram praetulisse, aut tot aliis virtute Alcibiadem, aut quemquam vtroque Themistocli.* Cuius caussam eam putat G. I. VOSSIVS, quod Pythagoras Romanis notior fuerit Socrate, quia docuerit in Italia: immo et acceptior, quia Numa fuisse Pythagoricus vulgo crederetur. Vtrumque leui verisimilitudine dicitur: nam eadem facilitate Socrates Romanis innotescere potuit, qua Pythagoras, Numam vero Pythagoricum fuisse, error est temporum bello Samnitico posteriorum. Nobis ratio et conditio vtriusque philosophiae caussa fuisse videtur. Socrates enim, qui vitae, non scholae, philosophabatur, quamuis inter suos integerrimae vitae morumque laudem obtinuisset, longe tamen et ipse ab ostentatione sectaeque studio abfuit, et eius gloria a Sectis, quae ex eius schola prodierunt, breui obscurata est, vt mirum non sit, tanti viri famam istis temporibus ad Romanorum aures non pertigisse. Pythagoreae vero disciplinae fama, non ea tantum ex ratione inualuit, quod arcana methodus, quam adhibebat, nescio quae mysteria promitteret, sed quod etiam potissima huius philosophiae pars in Deorum cultu et religione explicanda occuparetur, quae non potuere non Romanis ad superstitionem isto tempore procliuibus videri magnifica, et eo magis Pythagoras pro sapientissimo haberi, quo magis miracula, quae de hoc viro ferebantur, in vulgus edita, et finitimarum gentium laudibus iactata, mirumque in modum mendaciis aucta, opinionem de Pythagora viri diuini, et humana forma augustioris confirmabant, ad quam Romanos potissimum in isto iudicio respexisse, nulli dubitamus. Nihil tamen haec Pythagorei nominis existimatio ad eius philosophiae excolendae studium contulit, quos nempe Marti magis, quam Apollini, litasse, et arma magis tractasse, quam literas, supra demonstrauimus. Intercidente quo-

Pythagoricae philosophiae fata Romae.

k) Lib. I. c. 18. Ad quod non attendit Auctor Historiae criticae philosophiae, qui T. III p. 8. Nigidium Pythagoricae philosophiae assectam Numae philosophiam resuscitasse scribit.

l) Lib. XXXIV. c. 6.

Digitized by Google

quoque mature secta, et reliquis, qui ex collegio Pythagoreo supererant, in Aegyptum et Graeciam fugientibus, non potuit non Pythagorea philosophia Romae manere incognita, quae etiam alienis prorsus institutis, quam Romani habebant, vsa, exigua forte fortuna fuisset gausa, vbi etiam innotuisset. Vnus ENNIVS Rudiae inter Calabros A. V. C. DXIV. natus [m], cum vicinus illis locis esset, vbi reliquiae Pythagoricae philosophiae, tanquam tenues igniculi sub cineribus latebant, quibusdam doctrinas Pythagoricas hausisse visus est. Hinc de eo PERSIVS [n]:

Ennius.

Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides Quintus pauone ex Pythagoreo.

Pauonem enim Pythagoreum nominat ideo, quod initio annalium suorum somniauerit Ennius, Pythagorea metempsychosi suppositа, animam suam fuisse in Homero, exque eo in Ennium descendisse, quare etiam *Quintum* (quo nomine gaudebat) *Maeonidem* vocat [o]. Cum vero Ennius non tantum in vltimis Italiae oris natus sit, sed et quadraginta annos in Sardinia triuerit, non absque verisimilitudine dicitur, eum quaedam dogmata Pythagoreorum exoterica, inter quae transmigratio animarum locum habuit nobilissimum, didicisse. Certe literaturae Graecae non expertem fuisse Ennium, ex eo patet, quod eo in isto eruditionis genere praeceptore Cato Censorius vsus sit, vt supra dictum. Cumque a Nearcho quodam Pythagorico eundem Catonem praecepta Pythagorica didicisse eodem loco demonstratum sit, facile intelligitur, simile quid de Ennio quoque non absurde statui posse, qui semper fere in iis locis haesit, vbi Pythagorica instituta viguerant. Quicquid tamen verisimilitudinis huic coniecturae inesse potest, attamen omne illud ad exoterica Pythagorae dogmata trahendum est, qui enim acroamaticam disciplinam tenuerant Pythagorei vltimi, integro seculo [p] ante Ennium A. V. C. DLXXXV. denatum, vixere. Non defuisse vero Ennio ingenium philosophicum clarius disceremus, si Euemeri *historia de Diis* suppeteret, quam ex Graeca Latinam feciſſe tradit LACTANTIVS [q]: hunc enim librum non exigui in historia veteris philosophiae momenti esse, parte prima docuimus [r].

Nigidius Figulus.

§. XI. Maiorem melioremque nacta est assectam philosophia Pythagorica inter Romanae eruditionis principes in PVBLIO NIGIDIO, cui FIGVLI cognomen peperit data de astrorum praedictione et euentu responsio [s]. Qui Ciceroni coaeuus eiusque amicus familiarisque circa A. V. C.

m) POMPON. MELA de situ orbis Lib. II. c. 4.

n) Satyr. VI. v. 10. seqq.

o) Conf. Comment. ad h. l. HORN. Hist. phil. Lib. IV. c. 4. p. 239.

p) Annus enim natiuitatis in Olymp. CXXXV. incidit, vltimi vero Pythagorei vixere Olymp. CX.

q) De falsa relig. Lib. I. c. 11. 13. 14.

r) De reliquis Ennii circumstantiis vid. VOSSIVS de hist. Lat. Lib. I. c. 2. p. 9. de poëtis Lat. p. 4. aliique.

s) Frustra affertur nobile illud commentum de figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium hac quaestione turbatum, vnde et Figulus appellatus est. Dum enim rotam figuli, vi quanta posset, intorsisset, currente illa bis numero de atramento tanquam vno eius loco summa celeritate percussit, deinde inuenta sunt signa, quae fixerat desistente motu non paruo interuallo in eius rotae extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta coeli rapacitate, etiam si alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussi in coeli spatio plurimum est. Hinc sunt inquit, quaecunque dissimillima perhibentur in moribus casi-

Digitized by Google

V. C. DCLXXX. floruit et non eruditionis tantum praecipue mathematicae gloria, ſed et munerum dignitatibus magnam ſibi nominis famam conciliauit. Tanta enim diſciplinarum omnium, praecipue elegantiorum notitia inclaruit, vt *hominis in ſtudiis bonarum artium praecellentis, et impenſe docti* laudem conſequeretur a GELLIO *t*, qui eundem cum M. Varrone inter *doctrinarum multiformium variarumque artium, quibus humanitas erudita eſt, columina quae aetas Ciceronis habuit*, referre nullus dubitat *u*. Praeter elegantiores autem literas mathematicas quoque diſciplinas impenſe coluit *x*, et inter has imprimis aſtrologiae tanta felicitate operam dedit, vt fidem fere ſuperet, quod de eius praedictionibus aſtrologicis referunt veteres, qui Auguſto orbis imperium praedixiſſe ex themate natalitio teſtantur *y*, et triumuiratus mala ex aſtrorum conſtellationibus fuiſſe vaticinatum, referunt *z*. Qui tanta, addunt, certitudine in euoluendis futuri ſeculi fatis vſum fuiſſe, vt in magiae ſuſpicionem adduceretur, et arcanis ſtudiis vti crederetur *a*. Id quod male accepit EVSEBIVS *b*, qui perperam ait: *Nigidius Figulus Pythagoricus et magus in exilio moritur.* Adderemus, quod APVLEIVS *c* narrat: *Fabium, cum quingentos denarios perdidiſſet, ad Nigidium conſultum veniſſe, ab eo pueros carmine inſtinctos indicaſſe, vbi locorum defoſſa eſſet crumena, cum parte eorum; ceteri vt forent diſtributi, vnum etiam denarium ex eo numero habere M. Catonem philoſophum, quem ſe a pediſſequo in ſtipem Apollini accepiſſe confeſſus ſit;* niſi manifeſtum putaremus eſſe, haec ex illarum narratiuncularum genere eſſe, quae ad fidem vaniſſimis artibus faciendam ab otioſis hominibus ſolent excogitari, adeo indigna ſunt Nigidii grauitate et eruditione, et anilia commenta ſapiunt. Rationibus vero arithmeticis et aſtrologicis impenſe delectatum fuiſſe, vel vnum Pythagoricae philoſophiae ex tenebris ab eo quaſi reuocatae ſtudium demonſtrat, ſi vera ſunt, quae CICERO *d* narrat, accuratus de amico intimo teſtis, qui qualis quantusque fuerit philoſophus ita ediſſerit: *Multa ſunt nobis et in Academicis conſcripta contra phyſicos, et ſaepe P. Nigidio Carneadeo more et modo diſputata. Fuit enim vir ille, quum ceteris artibusque geminorum. Hoc figmentum fragilius eſt, quam vaſa quae illa ratione figuntur. Ita S. AVGVSTINVS de C. D. Lib. V. c. 3. qui cum vnicus rei teſtis ſit, fides penes eum eſto. Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Nigidius not. G. p. 509.*

t) Lib. X. c. 11. Lib. XI. c. 11. MACROB. Saturn. Lib. VI. c. 8.

u) Lib. XIX. c. 14.

x) Scripſit enim Comm. de ſphaera barbarica et Graecanica, cuius meminit SERVIVS ad VIRG. Georg. I. 29. 42. conf. Voss. de Scient. mathem. c. XXXVI. §. 6. p. 569. ſeqq.

y) Dio Lib. XLV. p. 306. SVETON. in Aug. c. 94.

z) Digni, qui hic legantur, ea de re verſus ſunt LVCANI Pharſal. Lib. I. v. 639. ſeqq.

At Figulus, cui cura Deos ſecretaque coeli
Noſſe fuit, quem non ſtellarum Aegyptia Memphis
Aequaret viſu, numerisque mouentibus aſtra,
Aut hic errat, ait, nulla cum lege per aeuum
Mundus et incerto diſcurrunt ſidera motu,
Aut, ſi fata mouent, orbi generique paratur
Humano matura lues.

a) DIO l. c.

b) In Chronic. n. MDCCCCLXXIII.

c) In Apologia.

d) De vniuerſitate c. 1. Pythagoreos vero non numerorum tantum et ſiderum ſcientiae plurimum tribuiſſe, ſed vaticinari quoque ex vtrisque fuiſſe ſolitos, ex dictis P. I. Lib. III. c. 10, notum hicque repetendum eſt.

artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum, quae a natura inuolutae videntur. Denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodammodo, quum aliquot secula in Italia Siciliaque viguissent, hunc extitisse, qui illam renouaret. Ex quo Ciceronis loco haud obscure colligitur, Nigidium non tantum more Pythagoreo arcanam seruauisse doctrinam, sed rationes quoque mathematicas et inprimis arithmeticas ad rerum naturalium scrutinium adhibuisse; quae fidem quoque faciunt, vaticinia eius, quibus more Pythagoreo vacabat, ex numeris facta fuisse. Quod si libri eius *de animalibus*, *de extis*, *de auguriis*, *de ventis*, aliique quorum mentio passim fit apud veteres [e], extarent, accuratius de philosophia Nigidii posset fieri iudicium: illud certum est, si SERVIO [f] credimus, non in communibus tantum literis, verum in theologia quoque eum scripsisse, in qua tamen eum Varroni postponit; dignus itaque visus Sammonico Sereno apud MACROBIVM [g], qui *maximus rerum naturalium indagator* audiat. Etsi vero scripsit plurima, vnde Varroni a veteribus iungi solet, disparuere tamen mature eius monumenta, eo quod more Pythagoreo obscurius essent scripta. Vnde GELLIVS [h], *Varronis*, ait *monumenta rerum ac disciplinarum, quae per literas condidit, in propatulo frequentique vsu ferri; Nigidianas autem commentationes non perinde in vulgus exire, et obscuritatem subtilitatemque earum tanquam parum vtilem derelictam esse.* Quibus frustra opponit Macrobianum de eruditione Nigidiana testimonium GAVDENTIVS [i], more suo leui brachio de hoc viro tractans, cum obscuritas a Pythagoreae disciplinae studio quaesita, literarum profunditatem non tollat. Non vero in literis tantum vir summus fuit Nigidius, verum etiam in republica, senatui enim erat adscriptus [k], Praeturamque gessit, Ciceronique Consuli in supprimenda Catilinae coniuratione fidelem operam praestitit [l], qui cum ingenii doctrinarumque nomine eum summe reuereretur, *non in philosophia tantum eum*, quod ait PLVTARCHVS [m], *socium habuit, sed eius quoque grauissimis in negotiis publicis vsus est consilio.* Licet vero Pythagoricam Nigidius adamaret philosophandi rationem, tantum tamen abest, vt Pythagoreum αὐτὸς ἔφα secutus aliarum sectarum philosophos contemserit, vt non tantum more Academico, vt supra ex Cicerone relatum, disputarit, sed et libenter cum aliis philosophis sermones miscuerit, quales disputationes cum Cicerone suo et Cratippo Peripatetico habuisse ille testatur.

e) Vid. DONAT. ad Terent. p. 447. 448. 454. PHYLARGIR. in Georg. Virg. III. 147. et Scholiastae alii, inprimis SERVIVS, qui ad eius librum de animalibus Georg. III. 147. de Diis Ecl. IV. 10. comm grammaticalem Georg I 120. de hominum naturalibus Aen. IV. 152. de sphaera Graecanica Georg. I. 43. etc. prouocat. Alios tacemus. Fragmenta quaedam collegit IANVS RVTGERSIVS var. lect. Lib. III. c. 16. p. 259. conf. FABRICIVS Bibl. Lat. Lib. IV. c. 7. §. 31. p. 799. BAYLE l. c. not. B.

f) In Aen. X. 175.

g) Saturn. Lib. II. c. 12.

h) Lib. XIX. c. 14.

i) l.c.c. XXXI. p. 169. Inter obscuritatis Nigidianae causas non immerito referas etiam modum disputandi Carneadeum, quem ei tribuit Cicero.

k) DIO l. c. SVETON. l. c. in Senatu enim exspectans Octauium, qui sero venerat, cognita morae caussa, ei imperium praedixit.

l) GELLIVS Lib. XI. c. 11.

m) In CICER. T. III. p. m. 40. conf. CICER. ad famil. Lib. IV. ep. 31. BAYLE l. c. not. F.

Digitized by Google

tur [n]. Tandem secutus Pompeii M. partes, cum C. Iulius Caesar rerum potiretur, in exilium abire coactus est, in quo A. V. C. DCCIX. magna elegantiorum et philosophicarum literarum iactura decessit [o].

Caussae cur Pythagoricae secta mox euanuerit.

§. XII. Quamuis vero inter Romanos quoque Pythagorica disciplina magnam existimationem esset nacta, eamque summa Nigidii eruditio vehementer auxisset, neglecta tamen mox adeo iacuit, vt post eum paucissimi inueniantur, qui huic philosophiae generi nomen dederint, vixque sub Caesaribus vnus atque alter comparuerit, qui in hunc censum queat referri. Cuius caussae variae videntur fuisse. Nempe secta ipsa diu desierat, et tria fere effluxerant secula, ex quo vltimi Pythagorei vixerant: qui cum arcane custoditam secum quasi sepeliuissent philosophiam, paucaque essent, quae hominum memoriae de ea essent relicta, nemo fuit, qui sectam eam ex cineribus reuocare, tantumque laborem impendere vellet, vt quid Pythagorae placuerit, accuratius inquireret. Multa quoque, quae in vulgus exire passi erant Pythagorei, vel Graeci philosophi ab iis fuerant expiscati, ad Platonem reliquosque Academiae philosophos peruenerant, et ab iis tanquam sua laudabantur, maiori sapientiae fama et minori labore. Cum etiam pauca illa, quae supererant, obscurissima essent, neglecta ea sunt, nec lecta, quae intelligi ipsi auctores noluerant, citoque contemtus obscurorum memoriam deleuit, id quod ipsis Nigidii scriptis, licet doctissimis, accidisse, modo narrauimus. Tales quoque erant philosophiae Pythagoricae reliquiae, vt ad rerum futurarum scientiam, et occulta naturae, ad Deorum etiam cultum pertinere viderentur. Ea vero non negligebant tantum plerique tanquam exigui in republica vsus, sed et ipse Senatus Romanus ab eiusmodi studiis homines arcebat; supra enim docuimus, ideo libros Numae tanquam Pythagorice scriptos combustos fuisse, ne religionis arcana vulgarentur. Mirandum itaque non est, exiguam sectae huius apud Romanos fuisse fortunam. Narrat quidem VALERIVS MAXIMVS [p]: *C. Cornelium Peregrinum M. Pompilio Laenate et Cn. Calpurnio Consulibus edicto Chaldaeos intra decimum diem abire ex vrbe atque Italia iussisse, leuibus et ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quaestuosam mendaciis suis caliginem nutrientes, iniicientes.* Verum et pauso supra eam aetatem haec ascendunt, qua philosophia Graeca caput Romae extulit, cum iste Consulatus vel ad A. V. C. DLXXX. quod vult GAVDENTIVS [q], vel ad A. V. C. DCXIV. quod vult PIGHIVS [r], referendus sit: et incertum prorsus est, vtrum hi astrologi Pythagoricam philosophiam mentiti eiusmodi disciplinam prae se tulerint, cum Chaldaeorum natio in hoc vaticiniorum genere, quod ex sideribus fit, peculiarem semper sectam constituerit. Non tamen plane omittendum hoc est in historia philosophiae Romanae, eo quod Chaldaei, qui astrologiae iudiciariae operam locabant suam, philosophorum famam quaererent, et mathematicorum

n) De vniuersitate c. 1.
o) EVSEB. in Chron. ad Olymp. CLXXXIII. 4. qui est A. V. C. DCCIX. conf. CICERO famil. ep. Lib. IV. ep. 13.
p) Lib. IV. c. 3.
q) l. c. c. XLIV. p. 200.
r) Ad l. c. Val. Max.

Digitized by Google

corum nomen affectarent. Vnde mathematicos non tantum geometris et arithmeticis opponit SEXTVS EMPIRICVS [s], sed et veteres hoc nomine plerumque astrologos notarunt [t]. Etsi vero non sine apparatu mathematico inanem iactantiam et vanissima mendacia vulgo facile credenti, facileque decepto vendebant, tantum tamen abest, vt virorum prudentium et in philosophiae mysteriis non coecutientium oculos fefellerint, vt potius vanissimae artis somnia ad emungendos tantum loculos et ducendam plebem excogitata mature omnibus patuerint. Vnde Chaldaei et astrologi, quod et sub imperatoribus factum, tamquam homines otiosi et inutiles in republica, vrbe et agro Romano excedere iussi sunt. Nihil tamen momenti hoc ad ipsius astrologiae contemtum habuit, vt ipsius Nigidii exemplo patet, qui ob istius scientiae cognitionem maximi naturae indagatoris titulum nomenque meruit, immo sub Caesarum imperio eam illa fidem locumque inuenit, vt principibus viris esset gratissima, et Augustus Theagenem, Tiberius Thrasyllum haud semel ex siderum constellationibus praedicentes consuluerint. Cum enim hi essent philosophi, naturaeque indagatione fidem sibi nomenque conciliassent, hypotheses philosophicas obseruationibus astrologicis pro fundamento substernentes ab agyrtarum istorum, qui Chaldaeorum nomine totum orbem terrarum oberrabant, infamia se distinxere, sicque, quod in his contumeliosum viroque bono et sapiente indignum visum fuit, tanquam laudabile et commendandum excoluere. Ita scilicet semper mundus voluit decipi. Verum de sectae Pythagoricae satis ante Caesarum imperium satis. Iam de reliquarum quoque sectarum inter Romanos studio dispiciendum est.

Academiae primae sectatores.

§. XIII. Academiae duplicem fuisse faciem, qualem nempe Plato prius instituit, Arcesilaus vero et Carneades totam immutarunt, indeque distinctionem inter Academiam veterem et nouam inualuisse, suo loco prolixe enarrauimus, illud etiam addentes, vltimae Academiae, quam quartam a Philone, et quintam ab Antiocho auspicium habuisse diximus, doctrinam ad primam valde appropinquasse, hancque concordiam insuper inter Stoicos et Academicos tentasse. Huius itaque non minus, quam illius sectatores Romae deprehendimus plurimos. Et quod ad primam quidem Academiam Antiochi cura resuscitatam nouoque colore auctam attinet, Lucullum amicum eam habuisse, supra docuimus. Iungimus maximo viro alium, vitae factorumque magnitudine Lucullo non minorem M.

M. Brutus.

BRVTVM, cuius memoriam in historia reipublicae Romanae summi esse momenti, scriptorum historiae Romanae testimonia loquuntur [u]. Matrem habuit Seruiliam, cuius frater cum esset Cato philosophus, quem auunculum Brutus omnium Romanorum potissimum sibi ad imitandum proposuit, facile inde ratio iniri potest, Brutum magno, quod et Cato solebat, studio

s) Adv. math. Lib. IV. f. vlt. conf. Lib. V. f. 8.
t) Vid. EVSEB. Praep. L. VI. c. 1. GELLIVS Lib. I. c. 9. SVETON. in Tiber. c. 14. 36. conf. FABRICIVS praef. ad Sextum adu. mathematicos, FALSTERVS Q q. Rom. L. III. c. 7. q. 1. p. 331.
u) VELLEII, PLVTARCHI, FLORI, DIONIS. Ex recentioribus P. BAYLE. Dict. T. I. art. Brutus p 685. seqq.

ſtudio accenſum in philoſophiam incubuiſſe. Id quod diſerte tradit PLVTARCHVS [x]; *nullum fere fuiſſe Graecorum philoſophorum, quem non audierit: nullam ſectam, quam non cognouerit.* Ita enim ſolebant Romani per omnes fere ſectas tanquam exploratores, quid ſentiant doceantque, perquirere, et tum demum eam, quae maxime ipſis placuiſſet, eligere; id quod Brutus quoque fecit, qui, eodem teſte, *maxime Platonicam doctrinam amplectebatur, nouamque et mediam Academiam non admodum probans, antiquam ſectabatur, et ob eam cauſſam Antiochum Aſcalonitam perpetua in admiratione habebat, fratremque eius Ariſtonem amicum ſibi et contubernalem adſciſcebat, hominem vſu doctrinae longe reliquis philoſophis inferiorem, modeſtia autem et lenitate nemini primorum cedentem.* Idem tradit CICERO [y], qui et alibi [z] de eo ita ad Varronem: *Brutus quidem noſter excellens omni genere laudis, ſic Philoſophiam Latinis literis perſequitur, nihil vt iisdem de rebus a Graecis deſideres: et eandem quidem ſententiam ſequitur, quam tu, nam Ariſtum audiuit aliquamdiu, cuius tu fratrem Antiochum.* Ex quo Ciceronis loco etiam manifeſtum eſt, multum debuiſſe Latinas literas et philoſophiam hoc quoque nomine Bruto, quod non ſine elegantia Graecorum praecepta patrio ſermone tradiderit, licet ob ſermonis breuitatem [a], cuius magiſter CICERONI [b] audit, huic viſus fuerit conciſus nimis et diſiunctus [c]. Tantus vero philoſophiae propagandae inſedit Brutum ardor, vt homo maximis negotiis occupatus, libros etiam philoſophicos ſcripſerit. Libri enim eius *de virtute* mentionem faciunt CICERO [d] et SENECA [e], cuius pars videtur fuiſſe laudata a DIOMEDE [f] tractatio *de patientia;* diuerſus vero ſine dubio fuit a libro *de officiis* veteribus [g] laudato. Alia eius ſcripta, quibus eloquentiam et hiſtoriam illuſtrauit, cum ad noſtrum inſtitutum non pertineant, praeterimus, quaerenda apud VOSSIVM [h] et FABRICIVM [i]. Errant itaque, quos GAVDENTIVS [k] caſtigat, quidam Itali recentiores, quos ſequitur P. BAYLE [l], qui Brutum Stoicos ſecutum fuiſſe ſomniant, quos Plutarchi et Ciceronis teſtimonia modo adducta ſatis refutant. Niſi hoc ſenſu Brutus Stoicis fauiſſe dicatur, quod Antiochus, quem ille in philoſophia ſequebatur, Stoicos cum Platonicis in concordiam redegerit, hosque verbis magis quam re ab Academia vetere recedere, contenderit, Stoicamque Platonicae diſciplinae iungere iuſſerit. Id quod Brutum ſecutum fuiſſe, veriſimilitudine non caret; cum is enim de officiis ſcripſerit, partem ethicae Stoicae perſequi voluiſſe apertum eſt; reliquae enim ſectae de officiis tacebant. Laudanda vero Bruti philoſo-

x) In Bruto T. V. p. m. 688.
y) In Bruto c. VII.
z) Academ. Qq. Lib. I. c 3.
a) PLVTARCH. l. c.
b) Epiſt. fam. Lib. IX. ep. 15.
c) Dial. de cauſſis corruptae eloq. Bruto vero Cicero viſus eſt fractus et elumbis. Sed nec Caeſari Bruti ſtilum placuiſſe ex CICERONE ad Attic. Lib. XII. ep. 46. colligi poteſt.
d) Tuſc. Qq. Lib. V. c. 1. de finibus Lib. I. c. 3.
e) Conſol. ad Heluiam c. 9. f) Lib. I.
g) CHARISIVS L. I. PRISCIAN Lib. VI. SENECA ep. 95.
h) De hiſtor. Lat. Lib. I. c. 7. p. 28. c. 13. p. 68.
i) Bibl. Graec. Vol. I. p. 410. ſeq. 440. Vol. XIII. p. 622. Bibl. Lat. T. III. p. 681. conf. BAYLE Dict. T. I. art. Brutus not. G. p. 686.
k) De philoſ. Rom. c. XXV. p. 151. l) l. c.

Digitized by Google

phia, quod non tantum ſcribendo, ſed viuendo quoque philoſophum ſe praeſtiterit. Eum enim *ob virtutem a multitudine dilectum, ab amicis amatum et ne hoſtibus quidem inuiſum* fuiſſe, PLVTARCHVS [m] perhibet, *quod in eo inſignis manſuetudo, animus magnus, et ab ira, voluptatibus et cupiditatibus vacuus eſſet, qui in recta et immobili de honeſto et iuſtitia perſiſteret ſententia; maximam autem beneuolentiam et gloriam ei parauiſſe voluntatis propoſitique fidem.* Quam laudem licet caede Iulii Caeſaris, maximis beneficiis ab eo mactatus, et virtutis vituperio [n] maculauerit, vtrumque tamen ſi non condonandum homini ereptam patriae libertatem aegerrime ferenti, ſaltem illud opinioni falſae de patriae amore aliis omnibus praeferendo, hoc vel deſperationi, vel principio aliquo Platonico et Stoico, corporis ſarcinam et vincula abiici poſſe, licereque vita emigrare, vbi ſalus publica deſperata eſt, nec a nobis medicina poteſt afferri, quae auunculo quoque Bruti Catoni philoſopho gladium in pectus adegit, eſt adſcribendum.

M. Terentius Varro.

§. XIV. Nemo vero Academiae veteris famam & honorem inter Romanos vindicauit melius, et tuitus eſt felicius, quam M. TERENTIVS VARRO, cum Varrone Atacino eodem tempore ſcriptis hiſtoricis et poëticis inclareſcente [o] non confundendus, cuius vitam ab ipſo ſcriptam periiſſe merito dolemus [p]. Natus Romae A. V. C. DCXXXVIII. et ad optimarum artium et ſcientiarum ſtudia animum feliciſſimo euentu applicans, maximorum virorum beneuolentiam et amicitiam virtute et doctrina meruit, cuius ampliſſimum ei exhibuit teſtimonium CICERO [q] in illa epiſtola, qua Varronem quaeſtorem Bruto imperatori commendauit, promiſitque, *fore eum illi et voluptati et vſui: nam et modeſtum hominem cogniturum, et prudentem, et a cupiditate omni remotiſſimum, praeterea magni laboris ſummaeque induſtriae.* Quibus virtutibus inſolitae eruditioni iunctis aditum ſibi ad honores et munera parauit, Pompeii tamen partibus addictus eiusque fatis preſſus victoris vindictam fuiſſet expertus, niſi mature de eo ſibi reconciliando cogitauiſſet. Ex turbis itaque, quibus respublica tum miſere iactabatur, tandem eluctatus, totus literarum ſtudiis ſe tradidit, et bibliothecis ſuae curae demandatis praefuit. Triumuiratus vero tempore cum Cicerone proſcriptus, vita quidem ſaluus euaſit, bibliothecam vero, et ſcripta propria perdidit. Tandem Romae redux otio literato totum ſe dedit, negotioſus tamen adeo, vt teſte GELLIO [r] librorum a ſe conſcriptorum numerum CDXC. attigerit, et LXXXVIII. aetatis anno adhuc in exarandis ſcriptis ſuis fuerit occupatus [s], donec morte

m) l. c. p. 706.

n) Quanto efficacior eſt fortuna quam virtus! et quam verum eſt, quod moriens efflauit, non in re ſed in verbo tantum eſſe virtutem. FLORVS Lib. IV. c. 7. Id quod prolixius explicat Dio Lib. XLVII. et fruſtra negat GAVDENTIVS L. c. p. 152.

o) GYRALD. de poët. Dial. IV. p. 202. VOSS. de hiſt. Lat. L. I. c. 16. p. 77. G. HORN. hiſt. philoſ. Lib. IV. c. 4. p. 240.

p) Pleraque veterum loca de eo collegere vitamque eius enarrauere VETERANIVS MAVRVS et AVSONIVS PORMA praemiſſam ſcriptis Varronis Lugdun. Bat. 1601. 8. editis.

q) Ep. fam. Lib. XIII. ep. 10.

r) Lib. III. c. 10.

s) PLINIVS Lib. XXIX. c. 4.

t) Splendida, quibus Varronis eruditionem ornarunt

ized by Google

morte XL. anno, A. V. C. DCCXXVII. qui XXVII. poſt C. N. eſt, viuis eriperetur. Tanta vero eruditionis praeſtantia inter omnes ſui temporis viros doctos enituit, vt communi iudicio [t], neminem vnquam doctiorem ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos vixiſſe, dictum fuerit [u], et S. AVGVSTINVS [x] laudato illo Terentiani elegantiſſimo verſiculo: *Vir doctiſſimus vndecunque Varro*, addere hoc aequum cenſuerit: *eum tam multa legiſſe, vt aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur, tam multa ſcripſiſſe, quam multa vix quenquam legere potuiſſe credamus.* Cuius in optimarum artium et ſcientiarum ſtudium et felicitatem diligentiae et eruditioni parem vel ex ſola ſcriptorum eius deſignatione, quam FABRICIVS [y] exhibet, facili iudicio colligas. Quae tamen cum ad literariam Romanorum hiſtoriam pertineant, hic praetermittimus, illud vero porro notamus, philoſophiae non minus, quam elegantioribus literis, in quibus quidem totus haerebat, operam ſuam impendiſſe. Cui etſi *Latinis literis lumen aſſerre ſe nolle* apud CICERONEM [z] profiteatur, teſtis tamen QVINTILIANVS [a] eſt, eum cum Lucretio in Latinis praecepta ſapientiae verſibus tradidiſſe. Academiae vero veteris doctrinam ſecutum fuiſſe, CICERO [b] locuples teſtis eſt, qui non eius tantum partes defendendas Varroni tradidit, ſed eadem in ſententia quoque eſſe, qua Brutus fuit, teſtatus eſt. Mirandum itaque, LEONARDVM COZZANDVM [c] Varronem inter Stoicos numerauiſſe eiusque auctoritate ſeductum τὸν πάνυ FABRICIVM [d], Stoicorum catalogo inſeruiſſe, niſi eodem id nomine iureque factum eſſe dicatur, quo Brutus, vt ſupra dictum. Aliter doctiſſimus HVETIVS [e], qui Varronem inter Academiae mediae patronos numerat, eo quod in Satyra, cui *Eumenidis* nomen Varro inſcripſit, quaque ſenſu et ſapientia carere homines probauiſſe dicitur, humanae cognitionis incertitudinem demonſtrauiſſe, ipſi videtur. Qui, ſi, qua erat veteris philoſophiae notitia inſtructiſſimus, pauliſper cogitaſſet, Antiochum, cuius praeceptis Varronem imbutum fuiſſe ipſe eruditiſſimus praeſul innuit, Philoni non tantum contradixiſſe, ſed longius etiam progreſſum apertum ab Arceſilae et Carneadis ſententia diuortium feciſſe, neque Varronem, neque Piſonem, neque Lucullum, neque Brutum inter ſcepticiſmi patronos numeraſſet. Etſi enim argumentum ſatyrae verum ignotum eſt, non inepte tamen coniicimus, Varronem non tantum ad humani intellectus imbecillitatem, ſed praecipue quoque ad humani generis ſtultitiam ignauiamque in veritate inquirenda reſpexiſſe. Scripſiſſe vero Varronem non plurima tantum, ad eruditionis vniuerſae ambitum pertinentia, ſed philoſophiam quoque illuſtrantia, licet non eadem, qua reliqua argumen-

narunt viri docti encomia vide apud CICERONEM paſſim; SENECAM Conſol. ad Helv. c. 8. ARNOB. adu. gent. Lib. V. p. 158. ed. Cant. AVGVSTIN. de C. D. Lib IV. c. 1. QVINTILIAN. Inſtit. or. Lib. X. c. 1, Recentiorum collegit THOM. POPE-BLOVNT Cenſ. cel. auct. p. m. 60.

t) LACTANT. Lib. I. c. 6.

u) l. c. Lib. VI. c. 2.

y) Bibl. Lat. T. I. L. I. c. 7. p. 76. conf. VOSS. de hiſt. Graec. L. I. c. 16. p. 77. ſeqq.

z) Acad. Qq. Lib. I. c. 2.

a) l. c. Lib I. c. 4. b) l. c.

c) De magiſterio antiq. phil. L. III. p. 231. ſeqq.

d) Bibl. Graec. Vol. II. p. 413.

e) De la foibleſſe de l'eſprit humain Lib. I. ch. 14. §. 25. p. 121.

mentorum genera, deduxerit prolixitate, vel vnus CICERONIS [f] locus ad demonſtrandum ſufficit, vbi de Varrone ita: *Tu aetatem patriae, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum et locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti, plurimumque poëtis noſtris omninoque Latinis et literis luminis attuliſti et verbis: atque ipſe varium et elegans omni fere numero poëma feciſti; philoſophiamque multis locis inchoaſti, ad impellendum ſatis, ad docendum parum.* Extitiſſe etiam Varronis librum *de philoſophia*, AVGVSTINVS [g] teſtis eſt, qui idem fuiſſe videtur, cum libro ſecundo *de formâ philoſophiae* Charifio laudato. Quin non libros tantum *de republica* huc referendos eſſe, argumentum eorum ſuadet, ſed et *de re ruſtica*, in quibus politicam ſpecialem, ſiue prudentiam explicuiſſe oeconomicam, ipſa docet tractationis hodie extantis inſpectio, in qua meliori ordine ac ratione quam Graecos Varronem fuiſſe philoſophatum, recte iudicauit SCALIGER [h], qui libros hos tanquam praeſtantiſſimos iure ſuo commendat. Addit, qui his calculum ſuum adiicit Cl. STOLLIVS [i], SARDVM in *derelictis a Polydoro Virgilio* tradidiſſe, fuiſſe Varronem primum, qui Latino ſermone philoſophiae rationalis praecepta explicuerit, id quod tamen veteres tacent omnes, leuique coniectura niti videtur. Inter moralis vero philoſophiae ſcriptores meliori iure tituloque Varro collocandus eſt propter ſatyras, quas ad imitationem Cynici Menippi proſa carminis vario genere diſtincta atque expolita ſcripſit, vnde *Menippeus* ATHENAEO et TERTVLLIANO, *Cynicus Romanus* ARNOBIO et SYMMACHO dictus eſt. *In illis enim veteribus ſuis Menippum imitatum ſe multa ex intima philoſophia, multa dialectice dixiſſe*, ipſe apud CICERONEM [k] fatetur. Varroni iunginus M. PISONEM, quem de finibus bonorum et malorum veteris Academiae ſententiam prolixe ediſſerentem producit CICERO [l], licet non tantum Academicam ſed Peripateticam quoque doctrinam in hoc argumento defendat. Ait etiam Athenis eum per multos menſes audiuiſſe Antiochum, et Peripateticum quendam philoſophum, Neapoli oriundum, Staſeam. Ex quibus colligitur, non defuiſſe inter Romanos, quibus Antiocho praeeunte placuerit ſyncretiſmus philoſophicus.

M. Piſo.

Academiae mediae et novae aſſeclae.

§. XV. Non vero Academia tantum vetus viris magnis placuit, ſed et media patronos nacta eſt non minus illuſtres. Cuius cauſſas facile deteget, qui ad philoſophorum circa iſtam aetatem circumſtantias paulo attentiorem habet animum. Suo enim iam loco [m] demonſtratum dedimus, incerta et precariis tantum fundamentis nixa ſyſtemata philoſophorum Graecorum mature Scepticiſmum peperiſſe. Cuius licet, vt hoc quoque in

f) Academ. Qq. Lib. I. c. 3.
g) De C. D. L. XII. c. 4. L. XIX. c. 1.
h) Scaligerana prima p. 146. ſeq.
i) Hiſt. liter. P III. c. 6. §. 9. p. 737. vbi libri hi recte inter eos referuntur, quibus practica philoſophia illuſtratur.
k) Tuſc. Qq. Lib. I.
l) De finibus Lib. V. c. 1.
m) Tom. I. Lib. III. c. [illegible]

ed by Google

in historia Pyrrhoniae sectae monuimus, exigua esset existimatio, eo quod communem rationem atque sensum hominum eiurare, sicque sacra et profana omnia euertere videretur, fecit tamen et dissensus dogmaticorum, et mutua, quibus se inuicem oppugnabant tela, et scepticorum perpetua, qua dogmaticos impetebant, pugna, vt homines acri ingenio praediti, quam imbecillis esset philosophia Graecorum sectaria omnis, apertis viderent oculis. Qui cum de rebus omnibus dubitationes et obiectiones fundi cernerent, veritatem in profundo puteo demersam putantes, unde nequiret depromi, satisfieri et intellectui humano, et vtilitati communi arbitrabantur, si probabili quadam ratione differere de rebus in vita occurrentibus liceret. Quam ratiocinandi viam cum Academia media esset ingressa, sicque inuidiam, qua Pyrrhonii, tanquam humani generis osores, premebantur, declinasset, sua sponte in amplectendam sectae huius philosophiam ruebant viri magni inter Romanos nominis et existimationis. Accessit his alia ratio, quae Academicam philosophandi viam valde commendauit. Nempe forensi eloquentia causarumque patrocinio non famam tantum quaerebant ex patricio et equestri ordine viri excitatissimi ingenii, sed ad munera quoque et magistratus isto modo adspirabant. Huic fini obtinendo cum Academica disputandi ratio viam aperiret facillimam, vnde argumentorum in omnes partes versatilium copia posset depromi, non sine contentione ad huius sectae philosophiam properarunt, qui ita in republica emergere conati sunt. Accessit his Philonis, bello Mithridatico Romam fugientis, apud Ciceronem contubernium. Qui cum nouae Academiae placitis, tanto praeceptore duce, nomen dedisset, auctoritate sua facile alios ad eandem sectam admittendam adduxit. Cuius exempla nobis dant CICERONIS *dialogi Academici* et *de natura Deorum*, huius potissimum philosophiae generis tuendi caussa conscripti, in quibus Cotta prae aliis acerrimi Academici locum occupat. Qui licet dialogorum more conficti sint, virorum tamen, quos collocutores inter se disputantes introducit Cicero, eam sententiam fuisse, illisque eos sectis adhaesisse, quas illis tribuit, ipse Cicero monuit. Nemo tamen inter veteres Romanos, qui Academiam nouam secuti sunt, maiorem inde famam et illustrius nomen consecutus est, quam M. Tullius Cicero, qui non tantum eloquentiae laude, (quo iure quaue iniuria hic non disquirimus[a]) omnes multis post se parasangis reliquit, sed et philosophi ius titulumque, quem ipse sibi ambitiose vindicauit [o], apud veteres [p] et recentiores [q] non iniquo, vt plerisque visum,

a) Conf. BAYLE Dict. T. I. art. Brutus not. H. p. 686. MORHOF. Polyhist. lit. T. I. Lib. IV. c. 11. §. 7. p. 845. seqq. quosque nominat FABRICIVS Bibl. Lat. T. II. p. 165. seqq.

o) Vid. Acad. Q q. Lib. I. c. 2. ad famil. Lib. IX. ep. 17. Lib. XV. ep. 4. conf. PLVTARCH. in Cicerone T. VI. p. m. 55.

p) LACTANT. Lib. I. c. 15. Lib. III. c. 14. HIERONYM. in Nahum c. I. QVINTILIAN. Lib. X. c. 1. MACROB. in Somnium Scip. Lib. I. c. 27. Lib. I. c. 17. aliique.

q) ERASMVS ep. Lib. XXVII. ep. 1. Lib. II. ep. 26. conf. THOM. POPE-BLOVNT. Cens. celebr. auct. p. 58. seq. G. HORNIVS Histor. philos. Lib. IV. c. 5. p. 246. GAVDENTIVS de philos. Romana c. XXXVI. p. 179. seq. CONRING. de prud. ciu. p. 47. aliique laudati cel. HEVMANNO act. philos. Vol. II. p. 433. seq. qui ipse accurate de Ciceronis philosophia differit.

Digitized by Google

visum, calculo accepit. Qui cum toties in philosophiae historia in partes nobis vocatus sit, dignus est, Romanae eloquentiae parens, de quo in praesenti tractatione pluribus agatur.

Ciceronis vita.

§. XVI. M. TVLLIVS CICERO, cuius vitam enarrauerunt plurimi [r], Arpinas fuit, *in hac enim germana patria stirpe antiquissima se ortum fuisse, hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia, villamque fuisse, patris sui lautius aedificatum cura*, ipse narrat [s]. Matrem Heluiam et honesto loco natam, et honestam egisse vitam in confesso est, de patre diuersissima traduntur [t]. Habuit eum M. Tullium, qui *cum esset infirma valetudine, in Arpinati villa aetatem fere in literis exegit*, vt habet noster: Eum vero fulloniam fecisse, ac vites oleasque semper coluisse Q. Calenus apud DIONEM [u] ait, nec negat PLVTARCHVS [x], quosdam dicere, eum in officina fullonis et natum esse, et educatum: id quod tamen inimicorum videtur fuisse opprobrium, ipse enim Cicero haud semel ad maiores nobilitate inclytos prouocat. Natus est III. Non. Ianuar. A. V. C. DCXLVII. [y] qui est ante C. N. CIII. iis, si matri et nutrici habenda fides, circumstantiis, quae magnum Romanae vrbi virum portendebant. Nam et mater sine dolore se peperisse dicebat, et nutrix sibi spectrum apparuisse, asserebat, atque praedixisse, puerum, quem aleret, magnae Romanis vtilitati fore [z]. Id quod tamen vel mulierc ularum nugis, vel hominum Platonicae de genio tutelari doctrinae addictorum [a] fabulis adscribendum est, vel confictum ab iis, quorum intererat, Ciceronem pro homine diuinitus misso et promisso venditare. Illud magis fidem invenit, in prima pueritia ita ingenium eius eluxisse, tantumque ei nominis et gloriae inter pueros peperisse, vt patres eorum ad ludum literarium venirent, videre cupientes Ciceronem, celebratamque eius in discendo celeritatem cognoscere; et inurbaniores nonnullos filiis suis fuisse iratos, cum hono-

r) Vitam Ciceronis concinnarunt ex veteribus Tullius. Tiro et Cornelius Nepos, quorum scriptis caremus. Supersunt autem PLVTARCHI vita CICERONIS, quae inter vitas comparatas exstat Tom. III. p. m. 27. seq. Breuius eam ac stricte expositit AVRELIVS VICTOR. c. 81. Ex recentioribus omnium in hac vita delineanda diligentiam superauit FRANC. FABRICIVS, qui secundum aetatis annos digestam LXIV. quibus Cicero vixit, totius simul Romanae historiae παραλληλισμῷ illustrauit editam prima vice Colon. 1563. 8. qua vtimur editione, quae vero variis locis formisque recusa, et melioribus quoque operum Ciceronis editionibus praefixa est, vid. TH. CREN. Animadu. P. I. p. 193. seqq. PASCH. Introd. in rem lit. vet. c. III. §. 12. p. 632. Praeter Fabricium LEONARDVS ARETINVS vitam Ciceronis delineauit, et Plutarchum suppleuit, vnde Plutarcho interdum adiici solet. His addendi CHRISTOPHORVS MYLAEVS, HENR. BVLLINGERVS, IAC. ANGELVS DE SCARPARIA, CONSTANTINVS FELIX, CHR. PREYSSIVS, SEBAST. CORRADVS, PETRVS RAMVS, DIONYS. LAMBINVS, Io. BRANTIVS, BENEDICTVS HERBESTVS, DAVID CHYTRAEVS, SIMON VALLAMBERTVS, RVDOLPHVS CAPPELLVS, CASP. SAGITTARIVS, IAC. MASENIVS, quorum scripta enumerant MORHOF. Pol. T. I. Lib. IV. c. II. §. 7. p. 846. seq. et FABRICIVS Bibl. Lat. T. I. p. 89. seq. not. b. qui Vallamberti vitam Cic. cum ANDR SCHOTTI Ciceronem a calumniis vindicato recudi fecit Hamb. 1730. 8. Addi potest vita Ciceronis ex eius scriptis congesta a CHRISTOPH. CELLARIO praefixa Epistolis ad famil.

s) De legib. Lib. II. c. 1.

t) PLVTARCH. l. c. PROSPERI Chron. p. 679.

u) Lib. XLVI. conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. II. p. 95.

x) l. c. conf. FRANC. FABRIC. l. c. p. 2.

y) GELLIVS Lib. XV. c. 28. Ipse CICERO in Bruto, et L. VII 5. Lib. XIII. 41. ad fam. conf. STEPH. BALVZII diss. de die natali Ciceronis, quosque laudat Io. ALB. FABRICIVS l. c.

z) PLVTARCH. l. c.

a) Hinc PLVTARCHVS pronus ad fidem dandam fabulae, cuius tamen incertum rumorem ipse prodit.

Digitized by Google

honoris cauſſa Ciceronem ab iis inter eundum in medium recipi viderent [b]. Cum autem, quod porro narrat PLVTARCHVS [c], ingenio ad omnes diſciplinas ferretur, neque quidquam literarum eruditionisue aſpernaretur, praeceptoribus doctis vſus eſt, et quidem Graecis, inter quos L. Plotium quendam ipſe commendat [d]. Fuit etiam inter eos Archias poëta, *quem ſibi*, teſtatur, *prima pueritia principem et ad ſuſcipiendam et ad ingrediendam rationem ſtudiorum ſuorum* [e]. Imprimis autem ad poëticam propenſior, in eam diligenter incubuit, et puer adhuc Pontium Glaucum, quod carmen fuit verſibus tetrametris conſcriptum, compoſuit [f]. Cuius in fingendi artis gloriam adhuc poſt fata integram permanſiſſe ait PLVTARCHVS [g], quae tamen hodie ſuperſunt carminum eius fragmenta [h], multo eum plus valuiſſe in ſolutae orationis genere, quam ligato, loquuntur. Puerilibus ſtudiis relictis maturiori iudicio in philoſophiam incubuit, Philonemque Lariſſaeum, *quem vnum*, PLVTARCHO [i] teſte, *de ſectatoribus Clitomachi Romani et propter doctrinam in admiratione ſumma habuerunt, et morum cauſſa magnopere dilexerunt*, audiuit [k]: ab eoque dicendi quaeque praecepta accepit [l], cuius vtriusque ſtudium eo magis in Academia iungendum exiſtimabat, quo magis Academicam diſputandi rationem forenſi eloquentiae inſeruire iudicabat [m]. Cui tamen cum et Stoicorum et Peripateticorum dialectica inſeruiret, quae ſcilicet differendi locos et quaſi fontes exhiberet, nec in harum quoque ſectarum praeceptis hauriendis diligentiam ſuam deſiderari paſſus eſt [n]. Quin ſibi Phaedrum, hominem Epicureum, cum puer eſſet, antequam Philonem cognouiſſet, valde fuiſſe probatum ipſe fatetur [o], Patronemque, ex hac quoque familia philoſophum, ob hunc eius praeceptorem commendatione iuuit, licet a philoſophia Epicurea valde abhorreret. His fundamentis eloquentiae ſuperſtruxit aedificium, quod noſtra adhuc mirantur tempora. Anno aetatis decimo octauo iuris, vt ipſe quoque narrat [p], ciuilis ſtudio multum operae dabat, ſub Q. Mucio Scaeuola, P. F. qui quanquam nemini ſe ad

b) PLVTARCH. l. c. qui de hoc honore in praeceptis ciuilibus T. II. p. 450. ſeq. OVIDIVS faſtor. Lib. V.

Et medius iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat et interior, ſi comes vnus erat.

c) Indolem philoſophicam ex praeſcripto Platonis hinc in eo notat PLVTARCH. l. c.

d) In epiſtola ſeruata SVETON. de clar. rhetor. c. 2. Alios vide apud FRANC. FABRIC. l. c. p. 30. *e*) CICERO pro Archia c. 1.

f) PLVTARCHVS l. c. p. 28. *g*) Ibid.

h) Vertit adhuc adoleſcentulus Arati carmina de coelo ſtellisque, quorum fragmenta extant. De reliquis eius carminibus vid. VOSSIVS de poët. Lat. p. 16. ſeq. FABRICIVS Bibl. Lat. T. I. p. 129.

i) Ibid.

k) De orat. Lib. III. c. 28. Tuſc. Qq. Lib. II. c. 2. non confundendus hic Philo cum iudaeo huius nominis, qui calami error eſt in Cl. GENTZKENII hiſt. phil. p. 120.

l) l. c. Qua vero ratione in dicendo ſtudium adhibuerit, ſub Craſſi perſona Lib. I. de Orat. explicat, quem locum eloquentiae ſtudioſis vehementer commendamus.

m) Rationem, cur eloquentiae philoſophiam iunxerit, explicat de offic. Lib. I. c. 1. cur vero Academicam philoſophiam ſecurus ſit, in paradoxis c. 1. exponit, vbi ait, ſe ea philoſophia plus vti, quae peperit dicendi copiam, et in qua dicuntur ea, quae non multum diſcrepant ab opinione populari, nihil enim eſſe tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, et tanquam excolatur: cum e contrario Stoici et ea ſentiant, quae non probentur in vulgus, et nullum ſequantur orationis florem, nec dilatent ſententiam etc. Vidit hoc GAVDENTIVS de phil. Rom. c. XXXVI. p. 179.

n) De offic. Lib. II. c. 1. et quae infra notabimus.

o) Fam. ep. Lib. XIII. ep. 1.

p) In Laelio ſ. de amicitia c. 1. conf. FRANC. FABRIC. l. c. p. m. 42.

docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat: et hic Mucius Augur est, *ad quem sumta virili toga a patre se ita deductum* ait, *vt quoad posset, et liceret, a senis latere nunquam discederet*, ex quo loco, et PLVTARCHI [r] relatione, testantis, vsum eum fuisse consuetudine Mucii, viri in republica et senatu principis, coniici potest, eius gauisum fuisse contubernio. Sed et optimos et excellentissimos in dicendo viros eo tempore studiose consectatus est [s]. Militauit etiam aliquamdiu sub Sylla, bello Marsico, et sub Pompeio [t]. Post haec domum reuersus, cum vrbs fere sine armis esset, hoc tempore omni, vt ipse scribit, noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur; tunc erat cum Diodotô Stoico [u], quem cum Diodoro dialectico male quidam confundunt [x], cui adeo se tradidit, vt habitaret is cum ipso, atque viueret, et domi etiam suae moreretur: ab eo cum in aliis rebus, tum studiosissime in Dialectica exercebatur, quam contractam et adstrictam eloquentiam esse putabant Stoici: fateturque alio loco [y], *hominem eum fuisse eruditissimum, quem et admiratus sit, et dilexerit, eo quod artibus variis atque multis excelleret.* Sub hoc magistro totus in exercitationibus philosophicis et oratoriis fuit, ita vt nullus ab iis dies esset vacuus [z]. Commentabatur declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie, idque faciebat multum etiam latine, sed graece saepius. Circa hoc tempus in Xenophontis *oeconomico* lusit [a], quem *se iuuenem viginti annorum e graeco in latinum conuertisse* ad filium scribens ait [b]. Sed et FABIO [c] teste, libros Platonis quosdam hoc genere tralatos edidit, *Timaeique pars* hodie huius versionis specimen extat [d]. Protagorae etiam aliqua ab eo conuersa fuisse Hieronymi, Prisciani et Donati testimoniis scimus [e]. Tandem eloquentiae indefesso studio acquisitae specimen editurus, Sextum Roscium parricidii reum contra Syllae accusationem defendit [f], sex et viginti annos natus [g], qua occasione ob Syllam, cuius ob metum patrocinium Roscii nemo suscipiebat, splendidius aut praeclarius gloriae initium sperare non poterat. Et victor quidem in caussa tanta admiratione fuit, vt, quod ipse scribit, *non vlla esset, quae non eius digna patrocinio videretur* [h], metu tamen Syllae, cuius dominantis opes omnes reformidabant, in Graeciam abiit, sparso rumore, se curandi corporis caussa profectum. Et prae se tulisse quidem hecticam aliquam corporis dispo-

q) l. c. r) Vid. de Or. Lib. I.
s) PLVTARCH. l. c. CICERO Philipp. XII. 11.
t) In Bruto c. 90. ad fam. L. XIII. ep. 16.
u) Diuersos enim esse ex fam. Lib. IX. ep. 4. patet. Conf. CELLAR. ad l. c. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 402. FR. FABRICIVS l. c. ad An. 22. Cicer. p. 56.
x) Lib. XIII. fam. ep. 16. et in Lucullo. Caesum fuisse, et tamen, quod credibile vix esset, eum in philosophia multo etiam magis assidue, quam antea, versatum, et fidibus Pythagoreorum more vsum, cum ei libri noctes et dies legerentur, tum, quod sine oculis fieri posse vix videtur, Geometriae munus tuitum, verbis praecipientem, vnde, quo, quamque lineam ducerent, refert Noster Tusc. Qq. Lib. V.
y) In Bruto c. 90. conf. PLVTARCH. l. c. QVINTILIAN. Inst. orat. L. I. c. 2. L. III. c. 1. CICERO de officiis L. II. c. 24. FR. FABRIC. l. c. p. 59. seqq.
z) HIERONYM. praef. in EVSEB. Chronic.
a) De officiis Lib. II.
b) Lib. X. c. 5.
c) Sub titulo: de vniuersitate.
d) FR. FABRICIVS l. c. p. 60.
e) Extat hodie oratio, conf. GRAEVIVS ad Orat. pro Roscio c. 21. GELLIVS Lib. XV. c. 28.
f) QVINTILIAN. Lib. XII. c. 6.
g) Ipse in Bruto c. 91.

by Google

diſpoſitionem, facile credemus PLVTARCHO [k], qui eum gracili ait, fuiſſe et minimo carnoſo corpore, cum ob imbecillitatem ſtomachi pauco vteretur ac tenui victu, idque ſero atque imminente iam nocte, voce item copioſa quidem praeditum et bona, ſed aſpera et rudi, et quae ob orationis vehementiam ſemper ad altitudinem contenta periculum videretur denunciaſſe: veram tamen peregrinationis eius cauſſam fuiſſe metum Syllae, nec Plutarchus negat, nec circumſtantiae eius temporis dubitare ſinunt: Athenas delatus in Antiochum Aſcalonitam incidit, cuius facundiam et elegantiam magis probabat, quam doctrinae, qua ab Academia recedebat, nouitatem. His ſtudiis delectatus Cicero, magnopere intendebat animum, atque ita ſecum cogitabat, ſi a republica plane arceretur, a foro et negotiis publicis in otio philoſophico ſe vitam tranſacturum [l]. Poſt mortem vero Syllae, cum, quem metuebat, non amplius eſſet, amicis Romam crebro per literas reuocantibus, ac Antiocho etiam ad rempublicam capeſſendam hortante, cum iam et corporis vires exercitationibus confirmaſſet, habitumque valetudinis bonae paraſſet, et vocem ita formaſſet, vt et ſuauis ac copioſa in aures auditorum influeret, et corporis ſtatui congrueret, eloquentiam rurſus, tanquam inſtrumentum negotia publica cum dignitate tractandi arripuit, ac cum ipſe ſe declamando exercuit, tum nobiles oratores adiit [k]. Eius rei cauſſa in Aſiam et Rhodum nauigauit, ac ex rhetoribus Aſianis, Dionyſio Magnetto, Xenocli Adramytteno, ac Menippo Cari vacauit, Rhodi oratore Apollonio, philoſopho Poſidonio vſus eſt, tantaque, ferunt, facundia Graece declamaſſe Ciceronem, vt Apollonius triſtis et admirabundus fortunam Graeciae miſeratus ſit, cernens ea, quae ſola ei relicta erant, ornamenta etiam Romanis addere, doctrinam et facundiam [l]. Domum poſtea redux cum bona ſpe plenus ad rempublicam ſe conferret, ex oraculi non tantum monitu [m], primum tempus caute admodum triuit, ſegniterque ad magiſtratus petendos acceſſit, ſed neglectus quoque eſt, tanquam Graecus, et literario otio deditus, id eſt, vt PLVTARCHVS habet, *ſcholaſticus* et reipublicae minus aptus [n]. Poſtquam vero et innata laudis cupiditate et patris amicorumque adhortationibus compulſus, cauſſis agendis ſe dedit, non iam paullatim, narrante PLVTARCHO, ad principem locum progreſſus eſt, ſed gloria eius ſtatim effulſit, longoque poſt ſe interuallo caeteros reliquit oratores. Ita cum

b) l. c. p. 29. Ipſe l. c. et ex his FR. FABRICIVS l. c. p. 76. conf. G. NIC. KRIEGK de peregrin. Romanorum lit. S. Reu. WALCHII amoenit. hiſt. ex peregrinatione Ciceronis Lipſ 1715. ex locis quoque aliis de forma Ciceronis iudicandum, cuius imagines paſſim ex veteribus marmoribus aere impreſſae apud viros doctos viſuntur, quorum loca indicauit I. A. FABRICIVS Bibl. Lat. T. II. c. 8. p. 95.

i) PLVTARCH. l. c.

k) IDEM l. c. QVINTIL. Lib. XII. c. 6. de Xenocle et Menippo, qui Stratonicenſis quoque et Catocas audit, vid. STRABO Lib. XIII. Lib. XIV. Habuit etiam Molonem praeceptorem, vt ipſe in Bruto teſtatur. De his viris in hiſtoria literaria rhetorices pluribus dicendum.

l) PLVTARCH l. c. *m*) IDEM l. c.

n) CICERO Orat. pro Sextio, ſe Graeculum et orioſum habitum fuiſſe dixit, pro quo Plutarchus voce Scholaſticus vſus, quae vox poſtea enata, hominem ſtudiis priuataeque vitae indulgentem denotauit, vid. ARRIAN. diſſ. Epict. Lib. I. c. 11. Eodem vero ſenſu vſurpatum, quo noſtra aetate, paedantiſmum exprimimus, Hadriano imperatori conuicium Graeculi et Scholaſtici peperit, vid. VIR. HVBERVS de pedantiſmo p. m. 49. Cl. HEVMANN. ad TRIBECHOV. de DD. Scholaſt. p. 7.

vnum annum, vt ipſe ait [o], reuerſus ex Aſia cauſſas nobiles egiſſet, Quaeſturam petiit, et quaeſtoriis comitiis, quae tributa fuerunt, quaeſtor cunctis ſuffragiis eſt factus. De quo ſibi collato munere paſſim, more ſuo, gloriatur, *ſibi honorem illum tum non ſolum datum, ſed etiam creditum, ac commiſſum ſe putaſſe.* Quaeſturam hanc vero, qua ratione geſſerit, et Siciliam, quae ipſi ſorte obtigerat, annonae caritate laborantem, ſublevauerit, diligentia, iuſtitia et comitate ſua Siculis probata, pluribus PLVTARCHVS [p] ediſſerit, nos vero hic, vbi ſtudiorum Ciceronis tantum hiſtoriam ſcribimus, non repetemus. Ipſe certe, nullius vnquam in Sicilia quaeſturam aut gratiorem, aut clariorem fuiſſe, ſeſeque negotiatoribus comem, mercatoribus iuſtum, municipibus liberalem, ſociis abſtinentem, omnibus in officio diligentiſſimum, ſe praebuiſſe, paſſim iactantius gloriatur [q]. Hunc honorem ſecuti ſunt alii, cumque annum aetatis trigeſimum ſextum exegiſſet, quinquennio poſt quaeſturam in plurimis cauſſis et in principibus patronis, vt monet ipſe [r], verſatus, nullis donis ab iis, quorum cauſſas egerat, acceptis, aedilis factus eſt, et paulo poſt praetor primus; cumque anno aetatis XLIII. conſulatum homo nouus petiiſſet, ad eum non minus optimatium fauore, quam populi iudicio euectus eſt [s], quo in munere C. Antonium collegam habuit. Acceperat Cicero rempublicam plenam ſolicitudinis, plenam timoris, in qua nihil eſſet mali, nihil aduerſi, quod non boni metuerent, improbi expectarent [t]: cum non ſolum tribuni plebis multa turbarent, ſed et L. Catilina, homo audax, et magnarum rerum appetens, conſulatusque ſpe excidens, euertendae reipublicae conſilia concepiſſet. Quae cum initio latuiſſent, mira Ciceronis prudentia protracta in lucem auctori exitium attulerunt, et euerſa Conſulis vigilantia ſalutem reipublicae conſeruarunt: cuius rei hiſtoria, cum ad noſtrum inſtitutum non pertineat, ex Romanis ſcriptoribus peti poteſt [u]. Magnam hoc Conſulatu feliciter geſto gratiam cum apud optimates, tum apud populum Cicero iniit [x], quam tamen paulo poſt maior inſecuta eſt inuidia. P. Clodius enim, homo audax et inſolens, Pompeiae vxoris C. Caeſaris amore captus, anno poſt conſulatum Ciceronis ſequente, cum Bonae deae pro populo ſacra fierent, in opertum cum veſte muliebri venit; ſperans ſe, quod imberbis eſſet, clam ingreſſum ad Pompeiam peruenturum. Sed dum in amplis et laxis aedibus oberrat, ab Aureliae matris Caeſaris ancilla conſpectus nomenque rogatus, cum ſe Auram pediſſequam Pompeiae quaerere dixiſſet, ex voce agnitus, et a mulieribus in cubiculo ancillae, cum qua domum ingreſſus erat, deprehenſus atque foras eiectus eſt [y]. Huius facinore

o) In Bruto l. c.

p) l. c. p. 30. et CICERO ipſe Orat. pro Planc. in Bruto l. c. Or. in Piſon. Orat. VII. in Verr. c. 14.

q) Loca congeſſit FR. FABRIC. l. c. p. 89. ſeqq.

r) In Bruto l. c. Or. in Piſ. FABRIC. p. 115.

s) Cauſſas exponit PLVTARCHVS p. 33. conf. orationes pro lege agraria.

t) Or. agrar. II.

u) Omnium accuratiſſime rem narrat SALLVSTIVS in bello Catilinari, cui iungendus PLVTARCHVS l. c. Ciceronis loca huc pertinentia collegit FR. FABR. l. c. p. 114. ſeqq.

x) Pater patriae primus appellatus Or. pro Sextio, aliorum loca habes apud FABRIC. l. c. p. 171. 172.

y) Pluribus haec enarrant PLVTARCH. l. c. p. 49. ſeqq. et in Caeſare T. V. p. m. 518. SVETONIVS

nore patefacto, cum Caesar vxori nuntium remisisset, Clodius a tribuno plebis accusatus est. In eo iudicio M. Tullius testis productus, cum Clodius crimen ita refelleret, vt se illa nocte Romae non fuisse diceret, Cicero contra testimonium dixit, illum ad se domum venisse, et de quibusdam rebus egisse. Clodius tamen non absolutus tantum, verum etiam, licet patricia gente esset, patriciatu eiurato, ad plebem transiens, tribunus plebis creatus, L. Calpurnio Pisone Caesonino A. Gabino Coss. Ciceronem, captata prius omnium ordinum a seditioso tribuno gratia, in exilium eiecit, rogationem ferens, qua ei aqua et igni interdiceretur, qui ciuem Romanum indemnatum interemisset, qua lege solus Cicero petebatur. Reus igitur Cicero vestem mutauit, et sordidatus populo supplicauit, Clodius omnibus illi vicis occurrens, eum exagitauit, et supplicationes indignissimo impediuit modo. Quod licet plerique boni ex Senatorio et equestri ordine aegerrime ferrent, et Ciceronem etiam mutata veste defenderent, hosque hominum viginti millia sequerentur, Cicero tamen a Consulibus derelictus et proditus, maluit vrbe cedere, quam bonorum vitam servis armatis obiicere. Quem vbi discessisse compertum est, illi aqua et igni interdictum est, edictumque ne intra quingenta millia passuum tecto reciperetur, quod qui fecissent, cum ipso impune interficerentur. Clodius praeterea villas eiecti Ciceronis flammis deleuit, et domum in palatio incendit, atque in area templum libertatis extruxit, bona direpta atque ad Consules delata sunt *. Pulsus patria M. Tullius, vt scribit PLVTARCHVS [a] pedibus iter per Lucaniam, Siciliam versus fecit, a praetore vero C. Virgilio, ne in Siciliam veniret, prohibitus, a Vibone in fundo Sicae Brundisium venit, eoque proficiscens, Dyrrhachium peruenit. Dyrrhachio aliquorum dierum viam in Macedoniam perrexit, et cum eo Thessalonicam adiit, vbi eum Plancius sua liberalitate per menses septem retinuit. Mature tamen Romae de reuocando Cicerone in senatu actum est, tribunis plebis de eius reditu legem promulgantibus; ipsum autem certatim officiis prosequebantur Graeciae vrbes, multique ad eum beneuoli viri conueniebant. Quae omnia licet exilii miseriam homini philosopho lenire apta essent, ipse tamen, referente PLVTARCHO [b], moestus semper et in summo dolore viuebat, crebro ad Italiam, vt infeliciter amantes ad amasias, respiciens, animo calamitate plane deiecto, quod de viro ita in optimis studiis versato, vt IDEM recte addit, nemo sibi fuisset pollicitus. Adiicit porro: frequenter ipsum ab amicis postulasse, *vt non oratorem se, sed philosophum appellarent; nam se philosophiam, vt rem, sibi proposuisse, arte oratoria tanquam instrumento in rebus publicis tractandis vti, eam vero doctrinam vim gloriae veluti tincturam quandam eluisse* [c]. Tan-

NIVS in Caes. c. 6. Ex recentioribus FR. FABRICIVS l. c. p. 800. seqq. et nuperus Historiae Coniugum imperatorum Romanorum auctor Gallus DE SERVIES p. 18. seqq. ad cuius versionem Germanicam a nobis editam loca veterum diligenter notauimus.

*) Videndi, qui haec prolixius narrant, Romanae historiae scriptores Dio Lib. XXXVIII. VELLEIVS Lib. II. PLVTARCHVS l. c. et ipse CICERO multis locis. a) l. c. p. 49. b) l. c.

c) Vix itaque caussam Ciceronis tuetur, quod Act.

Tandem, cum Clodii licentia in Pompeium quoque graſſaretur, et Lentulo Conſule ſeditio augeſceret, ita vt tribuni plebis in foro vulnerarentur, animi populi mutari coeperunt, et tribunus plebis Annius Milo auſus eſt Clodium vi in iudicium trahere. Pompeioque Clodium repellente vnanimi populi conſenſu Cicero reuocatus eſt, Senatusque decreuit, vt villae eius et domus publicis ſumtibus reſtaurarentur [c]. Tanto etiam ſtudio, tantaque contentione omnium fere vrbium ciues ei obuiam contenderunt, vt *ſe humeris Italiae Romam deportatum eſſe*, ipſe CICERO [d] dixerit. De quo ſuo reditu ipſe ad populum orationem habuit, ſenatuique ea oratione, quae *poſt reditum in ſenatum* inſcripta eſt, gratias egit, pecuniamque publicam ad aedificandam domum, cuius area ei reſtituta erat, accepit. Poſthaec prouinciam Ciliciam ſortitus, multa egregie perfecit, pacisque artes in bello exercuit. E prouincia decedens Rhodum appulit, Athenis autem deſiderio ante actae olim ibi vitae aliquantiſper commoratus, et cum doctiſſimis viris collocutus, amicis et familiaribus ſalutatis Romam reuerſus eſt [f]. Id quod eo quidem accidit tempore, quo flamma, quae ſub cineribus hactenus latuerat, in apertum ciuilis belli incendium erumpere conabatur. Auctorem pacis inter ſocerum et generum Ciceronem fuiſſe, Caeſaremque per literas et Pompeium coram deprecatum, mitigare vtrumque et placare tentauiſſe, et ipſe paſſim innuit, et ciuilis diſcordiae, quae tum erupit, enarratores teſtantur omnes [g]. Poſtquam inſanabile malum vidit, diu anceps et incertus haeſit, grauique ſollicitudine in vtramque partem diſtractus, cuius partes ſequi debeat? cum Pompeium quidem glorioſam et honeſtam belli habuiſſe cauſſam, Caeſarem autem rem melius gerere, magisque ſuae et amicorum ſaluti conſulere ipſi viſum eſſet. Quod ſi Caeſaris voluntatem fuiſſet ſecutus, qui, ſi ob ſenectutem bello abhorreret, ei ſuadebat ab vtraque parte remotum in Graeciam proficiſci et ibi quietem agere, melius ſibi conſuluiſſet. Iam ſe eam, quam ab initio delegiſſet, reipublicae conſtitutionem honeſte deſerere non poſſe credens, Pompeio ſe iunxit [h]. Cuius tamen conſilii ipſum mature poenituit, cum nulla neceſſitate coactus tanti periculi ſocietatem iniiſſet, nec vlla in re magna eius opera Pompeius vteretur. Pugna quoque apud Pharſalum facta, cui Cicero non interfuit, et fugato Pompeio, Cato, qui Dyrrhachii magnas copias et numeroſam claſſem habebat, Ciceroni quidem imperium detulit, Cicero autem recuſauit, et omnino cum illis militare ſubterfugit, occiſusque fere fuiſſet a Pompeio iuniore, niſi eum Cato ſeruaſſet. Cae-

Act. Phil. Vol. II. p. 460. dicitur, hanc animi abiecti et deſperantis ſollicitudinem rationibus politicis inductum Ciceronem tantum ſimulaſſe. His enim adductus Plutarchi locus repugnat, quem ipſe Ciceronis animi character, verum eſſe ſuadet.

d) DIO L. XXXIX. PLVT. l. c. CICERO or. pro domo ſua, poſt redit. ad Quir. poſt red. ad ſenatum, aliisque locis, quae diligenter collegit FR. FABRIC. p. 213. ſeqq.

e) Orat. vltima poſt reditum, in Sen.

f) PLVTARCH. l. c. p. 52.

g) Ep. Lib. VI. fam. ep. 6. PLVT. l. c. p. 53. Ep. Lib. VII. ep. 3. Lib. XIII. ep. 11.

h) PLVTARCH. l. c. quae hoc tempore quo Pompeii partes ſecutus eſt, Cicero fecerit, ſuſceperitque, ex eius ſcriptis collegit FR. FABRIC. ad ann. 58. p. 287. ſeqq.

i) PLVTARCH. l. c. p. 54.

Digitized by Google

Caesari itaque ex Asia redeunti obuiam factus, ei reconciliatus est, qui etiam eum constanter honore et beneuolentia prosecutus est. Reipublicae vero forma mutata, vt auctor est PLVTARCHVS [k], et ipse prodit CICERO [l], cum omnia in vnius potestatem essent redacta, Cicero publicorum negotiorum dimissa cura, adolescentibus philosophiae studiosis vacauit, qui cum nobilissimi et primarii essent, eorum fere consuetudine in vrbe iterum plurimum valuit [m]. Occupabat autem suam operam in scribendis dialogis philosophicis, vel conuertendo aliquid de Graeco, vel vocabulis dialecticorum ac physicorum in Latinum sermonem transferendis [n]. Sua etiam in scribendo carmine facilitate animi caussa vtebatur, ferturque, quoties ad eam rem se dedisset, vna nocte D. versus fecisse. Eius vero temporis maiorem partem in praedio suo apud Tusculum [o] exigebat, raro autem in vrbem veniebat, Caesaris colendi caussa, taediumque quod de mutata reipublicae forma ceperat, studiorum dulcedine leniebat, quibus lectissima inseruiebat bibliotheca [p], cuius designationem confeciisse Tyrannionem grammaticum supra monuimus. Hoc vero tempore studiorum olim inter Graecos cultorum memoria Ciceronem iterum Athenas petiisse, ex eius epistolis ad Atticum [q] colligere est. Multumque in hoc viri doctissimi otio eius doctrina inualuit, quae in omni genere vires versauit [r]. Ait etiam PLVTARCHVS, animum induxisse Romanam historiam scribere, multaque ei operi de Graecis rebus immiscere, et omnes eorum fabulas narrationesque inserere; multis tamen publicis priuatisque casibus impeditus est. Primum cum Terentia diuortium fecit, quod malae mulieris sustineret notam, officioque erga maritum defuisset suo [s]. Paulo post ducta puella diuite, filia eius Tullia in partu apud Lentulum periit, cui post Pisonis, mariti prioris mortem nupserat. Ad consolandum vero Ciceronem vndique philosophi conuenerunt, cum nimis grauiter is mortem filiae tulisset [t]. Post Caesaris caedem, cuius coniurationis particeps non fuit, mature Antonio, regnum inuasuro, inuisus fuit, qui

k) loc. cit.

l) Tusc. Q q. L. I. c. 1. de offic. L. II. c. 1. §.

m) PLVT. l. c.

n) Hoc tempore scripsit Hortensium, siue adhortationem ad philosophiam, de qua infra.

o) Videndus de villa hac Ciceronis ATHANASIVS KIRCHERVS in Latio c. II. & ex eo REIMMANNVS Syst. antiq. liter. p. 496. conf Tusc. Q q. L. I. c. 1.

p) Seruum Dionysium, qui suam bibliothecam multorum nummorum tractauerit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum sperauret, aufugisse, ipse conqueritur L. XIII. fam. ep. 77. Conditionem vero bibliothecarum Romanarum exponit C. FALSTERVS Q q. Rom. L. II. c. 1. p. 113.

q) L. XII. ep. vlt. FABRIC. ad ann. 52. p. 318.

r) Conf. IAC. PERIZONIVS de eruditione et industria Ciceronis Franeq. 1682. In Iurisprudentia versatum fuisse demonstrauit ANT. SCHVLTINGIVS de Iurisprud. Cicer. in medicina IO. SAM. BERGER in Cicerone medico, in Theologia IO. GASP. HAFERVNG. in Theologo Cicerone. Alios nominat IO. FABRIC. Bibl. Lat. T. II. p. 100.

s) Caussas multas, officiique neglecti specimina narrat PLVTARCHVS l. c. p. 55. qui tamen non negat, sparsisse rumorem Terentiam, id factum amore formae puellae, quam paulo post duxerat. Tironem libertum, vt esset, qui aes alienum, quo opprimebatur, solueret, cum dives admodum esset, eius bona fidei suae commissa Cicero haeres ab ea scriptus seruaret. Eam tamen postea quoque repudiauit, quod ex morte filiae Tulliae cepisse gaudium suspicaretur. Nupsit postea Terentia Vibio Rufo, et VALERIO MAX. L. VIII. c. 13. auctore CIII annos viuendo expleuit.

t) Filiam hanc sibi carissimam primo C. Pisoni, post Furio Crassipedi, vid. L. II. ad Q. fr. ep.

qui eius praesentiam moleste ferebat. Haec metuens Cicero cum Dolabella statuit in Syriam legatus proficisci; Consulibus tamen cum Hirtio et Pansa, bonis viris, pactus se aestatem Athenis acturum, cumque ipsi consulatum occepissent, rediturum, eo nauigauit solus [a], et cum mutati in melius Antonii nuncius esset allatus, Romam rediit, inimicitiam tamen Antonii mox expertus est, quam orationibus Philippicis mire auxit. Commoratus circa hoc tempus Athenis Ciceronis filius Marcus Tullius, studiorum caussa, quem Brutus ad se recepit, eoque legato vsus est. Ad hunc nobilem de officiis librum pater exarauit. Ita vero exitium, inimicitia contra Antonium aucta, sibi ipsi parauit Cicero. Consul enim creatus Caesar Octauianus, pace cum Antonio et Lepido facta, triumuiratus societatem iniit, Romanumque imperium tres viri quasi possessionem aliquam inter se diuiserunt, partiti inter se prouincias, pactique vt suos quisque inimicos proscriberet [x]. In qua proscriptione cum praeter CXXX. senatorum nomina Cicero quoque esset, ab Antonio postulatus, maximam hoc contentionem peperit, cum Antonius nullam conditionem acciperet, nisi primus ille interficeretur, Lepidus Antonio assentiretur, et Caesar vtrique repugnaret, vt narrat PLVTARCHVS [y]. Tandem tertio die Caesare, quamuis inuito concedente, Cicero proscriptus est. Is primo in Tusculanum fugerat cum Quincto fratre, vnde in Macedoniam ad M. Brutum, de cuius victoria laeti rumores spargebantur, transire constituerunt. Ferebantur lecticis confecti moerore, inopia etiam pressi, cum perexiguum illis viaticum esset. Quinctum itaque Marcum fuga antecedere, Marcum conuasatum domum recurrere cum placuisset, Quinctus paulo post a seruis proditus cum filio interfectus est. Marcus Astyram [z] delatus, nauem subito conscendit, et oram legens Circeum vsque peruenit: Inde soluere gubernatores cum pararent, vel maris metu permotus vel Caesaris fidem non plane desperans, in terram egressus, Romam pedibus contendit, mutata tamen mox sententia, ad mare rursus descendit desperabundus, cogitationes anxias versans, consiliaque concipiens inepta. Tandem ad Caietam [a], vbi praedia habebat deportatus, in villam se recepit, et quieti se dedit. Vbi cum milites aduenissent, qui eum trucidarent, a seruis lecticae impositus ad mare delatus est. Quibus percussores cum ministris superuenerunt, et Popilius Laenates tribunus militum, quem Cicero parricidii reum olim defenderat, caput disertissimum, Ciceroni immotam ex lectica ceruicem praebenti, praecidit, manus quoque milites amputauerunt; quae membra cum capite Romam ad An-

ep. 5. L. I. fam. ep. 7. postea P. Cornelio Dolabellae, apud quem in partu extincta est L. VI. fam. ep. 19. L. IX. ep. 11. Aegerrime hanc filiae mortem tulisse Ciceronem ex L. XII. XIII. ad Attic. patet. Librum, quem de consolatione hac occasione scripsit, intercidisse dolemus. Qui enim hoc titulo superest, recentiorem manum auctorem agnoscit, vid. FABR. Bibl. Lat. T. I. p. 138. seqq. T. II. p. 154.

x) PLVT. l. c. FABRIC. ad an. 63. p. 331.

x) Historiam triumuiratus huius plerique huius temporis historici enarrant, quibus addi possunt vitae Ciceronis scriptores omnes. Loca veterum diligenter congessimus ad DE SERVIRS hist. des femmes des douze Cesars p. 73. not. 7.

y) p. 59.

z) Fuit id praedium maritimum Ciceronis.

a) Alii Capuam nominant, sed male, vid. VALER. MAX. L. I. c. 4.

Digitized by Google

Antonium perlata, pro roſtris poſita ſunt, vbi in Antonium orationes habuerat, non ſine indignatione et lachrymis populi, qui Romanae eloquentiae parentis finem tragicum vehementiſſime dolebat [b]. Factum id A. V. C. DCCX. aetatis Ciceronis LXIV. Animi characterem, et temperamenti rationem fuiſſe ſanguineo-cholericam, ex tota vitae eius hiſtoria patet. Etſi enim gloriae valde appetens erat, inter ſpem tamen metumque fluctuans, nouas res nec moliebatur, nec ferebat, ſed pacis inter proceres dominatum quaerentes ineundae ſemper auctor fuit: tantumque a iurgiis et contentione abfuit, vt iniurias amicorum ipſiusque vxoris ſatis patienter diuque ferret. Imprimis vero amicorum conſuetudine, et colloquiis doctorum virorum gaudebat, cuius rei ſpecimina, eruditiſſimi dialogi philoſophici ad eius exemplum conſcripti, exhibent elegantiſſima. Eidem vero animi conditioni adſcribenda quoque eſt magna timiditas, quae, cum Milonem inter ſtrepitus armorum, quibus forum praeuertendae ſeditionis cauſſa Pompeius clauſerat, propter caedem Clodii, defendere ſuſcepiſſet, tanta fuit, vt toto corpore contremiſcens, pauca tantum nec ſatis cohaerentia dicere poſſet, ſicque Milo, licet cauſſa eſſet ſuperior, exilio mulctaretur [c]. Additque his PLVTARCHVS [d], non in armis modo timidum, ſed et ad dicendum trepide acceſſiſſe, vixque tituban-di et tremendi finem feciſſe, plerisque in certaminibus prouecta iam oratione et augeſcente. Gloriae tamen immoderatum deſiderium, ſed animi fortitudine nulla firmatum variis exemplis prodidit, non in republica tantum, ſed in eruditorum quoque circulis, cuius iactantia de ſe et oſtentatio immoderata luculentum dant teſtimonium, qua re eloquentiam quoque ſuam auditoribus haud raro fecit moleſtam [e]. Ex hoc animi charactere de ingenii quoque viribus iudicandum, quod imaginationis magis fertilitate, quam iudicii acrimonia excelluiſſe, & philoſophiae, quam ſecutus eſt, Academicae conditio, et libri philoſophici, quos conſcripſit [f], et neglectum ſaepe in orationibus decorum, facetiaeque ad ſcurrilitatem vsque progreſſae [g], ſatis loquuntur. Ex qua ingenii Ciceroniani facie recte colligimus, aptum magis fuiſſe Ciceronem ad perſuadendum, quam ad iudicandum, nec ſatis ea iudicii vi valuiſſe, quae in nexus rerum atque notionum penetrat, falſumque nouit a vero diſcernere.

§. XVII. Triuiſſe Ciceronem tempus, quo in republica otium ſibi eſſe videbat, philoſophiae ſtudiis, ſupra tetigimus. „Etſi enim, quod „ipſe ſcribit [h], ſtante republica in agendo plus, quam in ſcribendo, ope- *Scripta Ciceronis philoſophica.*

„ram

F 2

b) Circumſtantias exitus tragici Ciceronis vide apud PLVTARCHVM, LIVIVM, APPIANVM, DIONEM, VELLEIVM PATERCVLVM aliosque. Elegantiſſimis hanc mortem verſibus deplorauit CORNELIVS SEVERVS, ad cuius fragmentum THEODORVS GORALLIVS, vel, qui hoc nomine latet, Io. CLERICVS videndus. MARTIALIS elegans epigramma L. III. ep. 66. legitur. Alios nominat FABRICIVS Biblioth. Lat. T. II. p. 98.

c) Dio L. XLVI. PLVT. l. c. p. 51. Orationem vero pro Milone, quam habemus, poſtea conſcripſit elegantiſſimam, qualem ſcilicet meditatus erat.

d) l. c. e) IDEM p. 63.

f) Id luculento Laelii, ſive, dialogi de amicitia exemplo probauit Cl. HEVMANNVS act. phil. Vol. II. p. 453.

g) Reprehendit id PLVTARCHVS l. c. p. 63.

h) De officiis L. II. c. 1, 2.

„ram ponebat, et quae ſcribebat, iis actiones ſuas non philoſophiae „praecepta, mandabat; vbi tamen illae literae conticuerunt forenſes et „ſenatoriae, nihil autem agere non poſſet animus, in philoſophiae ſtudiis „ab initio verſatus, aetatis exiſtimauit honeſtiſſime moleſtias deponi poſſe, „ſi ſe ad philoſophiam retuliſſet. Cui cum multum adoleſcens, diſcendi „cauſſa, temporis tribuiſſet, poſtea quam honoribus inſeruire coepit, ſe„que totum reipublicae tradidit, tantum erat philoſophiae loci, quantum „ſuperfuerat amicorum et reipublicae temporibus. Id autem omne con„ſumebatur legendo, ſcribendi otium non erat. Maximis itaque in ma„lis hoc boni affecutus ſibi viſus, vt ea literis mandaret, quae nec ſatis „erant nota Romanis, et erant cognitione digniſſima, ad ſcribenda ſapien„tiae praecepta ſe accinxit, et philoſophiam Graecam, haud vno ſcripto „explicuit.„ Et naturalem quidem philoſophiae partem reſpicit *Timaei* Platonis verſio, quam *de vniuerſitate* inſcripſit, quamque integram non ſupereſſe merito dolemus. Theologiae naturalis limites tangunt libri tres *de natura Deorum* [i], quorum primo Velleius Epicuri de Diis ſententiam tuetur, Cotta refellit, ſecundo Balbus Stoicorum theologiam explicat, tertio Cotta oppugnat, qua diſputatione tantopere theologiae gentilis imbecillitatem detexit Cicero, vt ad eam non tantum prouocet, errorisque eam conuincere iubeat ſacerdotes gentiles ARNOBIVS [k], ſed et narret, dixiſſe quosdam: *Oportere ſtatui per ſenatum, aboleantur vt haec ſcripta, quibus Chriſtiana religio comprobetur et vetuſtatis ſupprimatur auctoritas.* Addit his ex vero: *intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſſe Deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere.* Sed et libri *de diuinatione* [l], quemque *de fato* [m] habemus, non plane integrum, huc pertinent, itemque *ſomnium Scipionis* a MACROBIO [n] nobis ſeruatum et prolixo commentario illuſtratum, quod totum Platonicis hypotheſibus de anima mundi, ſtatuque animarum poſt mortem nititur. Moralem philoſophiam tractauit Cicero, libris quinque *de finibus* bonorum et malorum, quos hiſtoriam doctrinae de fine ſummove bono recte dixeris. Eleganter enim et copioſe Graecorum philoſophorum de finibus ſententiam et diſceptationes explicat, argumenta enumerat, quibusque quaeuis ſententia prematur difficultatibus, erudite oſtendit [o]. Sed et *Tuſculanae quaeſtiones* huc pertinent, quarum libro primo de contemnenda morte, ſecundo de tolerando dolore, tertio de aegri-

i) Prolixo commentario libros hos illuſtrauit ex S. I. vir doctiſſimus PETRVS LESCALOPIERVS, Pariſ. 1660. fol. quem pandectis veteri theologiae gentilis non inepte vocaueris, licet non vbique rectum viderit, veramque ſyſtematum philoſophicorum aſſecutus ſit ſententiam. Optimam librorum de N. D. editionem debemus Io. DAVISIO Cantabr. 1718. 8. verſionem Gallicam OLIVETO Pariſ. 1721. Alias editiones enumerat FABRIC. Biblioth. Lat. T. I. p. 118. T. II. p. 132.

k) Adu. gent. L. III. c. 2. p. 104. ed. Canteri.

l) In primo Quinctus Cicero pro diuinationibus pugnat, in ſecundo omnia diuinationum genera Marcus euertit. De editionibus vid. FABRIC. l. c. T. I. p. 120. T. II. p. 153. ſeqq.

m) Conf. FABRIC. II. cc.

n) Particula eſt, ex vltimo ſiue ſexto libro Ciceronis de Republica, quod Platonis veſtigiis inſiſtens compoſuerat, laudatum SENECA ep. 108 Gellio, Auguſtino aliisque. De Macrobio dicendum ſuo loco. Conf. Cl. STOLLIVS Hiſt. lit. P. II. c. 3. p. 474. ſeqq.

o) Editiones indicat FABRICIVS l. c. T. I. p.

Digitized by Google

aegritudine lenienda, quarto de reliquis animi perturbationibus, quinto de virtute ad beate viuendum se ipsa contenta disputat [p]. Eundem in numerum referendi *de senectute & de amicitia* dialogi, quos *Catonis et Laelii* nomine inscripsit [q]. Sed et *paradoxorum Stoicorum sex explicatio* [r] huc pertinet: quam tamen eloquentiae magis ostentandae, quam erudiendi lectoris caussa scripsisse, ex eo recte colligitur, quod alio loco hanc Stoicorum *παραδοξολογίαν* riserit [s]. Iuris vero naturalis et ciuilis praecepta, libri *de officiis* ad filium Marcum secundum Stoica principia [t], quibus Peripatetica quaedam admixta sunt, conscripti, itemque libri *de legibus* [u], quos tamen non plane integros habemus, explicant. Nullo vero scripto animi sententiam, easque partes, quas in philosophando secutus est, magis prodidit, quam in *quaestionibus Academicis*; quarum licet duo tantum libri extent, quorum alterum *Luculli* nomine insigniuit [x], totum tamen in iis potiorum inter Graecos sectarum doctrinae aedificium extruit, et Academico more destruit, Carneadis potissimum partes secutus: vnde in philosophiae historia miram praestat vtilitatem. Desiderantur vero ex scriptis Ciceronis philosophicis, *Hortensius*, siue *admonitio ad*

p. 116. seqq. T. II. p. 129. Versionem Gallicam debemus REGNIERIO des MARAIS, Paris. 1721. 12.

p) Vid. FABRIC. l. c. p. 117. sq. T. II. p. 129. sq. DAVISII editio Cantabrig. 1709. 8. prodiit.

q) IDEM l. c. p. 125. Iungi solent libris de officiis.

r) Editiones vide apud FABRICIVM l. c. T. I. p. 126. T. II. p. 144. Scripsere contra haec paradoxa Antiparadoxa VITVS AMERBACHIVS et ANTONIVS MAIORAGIVS conf. IO. GEORG. PASCHIVS Introd. in rem liter. moral. vet. c. III. §. 11. p. 628. Accuratae hanc paradoxorum Stoicorum explicationem a Cicerone datam examinauit Cel. HEVMANNVS act. philos. Vol. III. p. 694.

s) Or. pro Muraena c. 29. Conf. PLVT. l. c. p. 62.

t) Panaetium ante alios secutus est, vt ex Lib. III. c. 2. patet, Peripatetica vero, propter filium apud Cratippum philosophiae studiis inuigilantem, admiscuisse videtur. Magna semper laude hos Ciceronis libros prosecuti sunt viri docti, qui eos non mature tantum edidere, sed et commentariis illustrauerunt. De quibus iterum consulendus FABRICIVS l. c. T. I. p. 121. sqq. T. II. p. 136. merenturque post Fustianas 1465. 1466. raritate mirabiles, editiones Graeuii et Iac. Facciolati praestantia memorabiles commendari. Conf. Hist. biblioth Fabric T. VI. p. 267. Recentiori tamen aetate, quibus Stoicae philosophiae defectus toties detecti sunt, aliter de hoc libro iudicatum. Edidit enim Gallus quidam LEIEVELLVS, discrimen inter veram et falsam philosophiam moralem, vbi falsitas officiorum Ciceronis, et libellorum de amicitia, de senectute et paradoxorum demonstratur. Amst. 1695. quem librum postea, philosophiae suae nouae et hodiernae Paris. 1698. 12. editae T. IV. inseruit. Eandem dicam Ciceroni scripsere clarissimi viri, qui acta eruditorum Germanica concinnant. P. IX. p. 441. Indignatur horum virorum iudiciis B. FABRICIVS l. c. T. II. p. 140. qui tamen ad Stoicae ethicae fundamenta ex quibus legis naturalis conceptus a Cicerone admissus fluit, non satis attendisse videtur. Conf. MORHOF. Polyhist. lit. T. III. L. I. c. 17. T. I. L. IV. c. 11. §. 17. Ciceronis exemplum imitatus tres de officio ministrorum libros S. AMBROSIVS conscripsit, de quibus Tomo III. dicemus. Sed et PVFENDORFIVM titulum elegantis libelli de officio hominis et ciuis hinc mutuo accepisse, notum est. Varias vero in hos libros commentationes refert SAM. RACHELIVS in Comm. libro de officiis praemisso. Ethicam quoque Ciceronianam ANTONII BVSCHERI nobis non visam memorat FABRICIVS T. II. p. 164.

u) Securus et in his libris Stoicos est Cicero, ita tamen vt ad leges Romanas et consuetudines respexerit. Iudicat de iis Cl. STOLLIVS Hist. phil. mor. §. CLXXVI. p. 311. Conf. Hist. lit. P. III. c. 4. §. 18. p. 702. FABRICIVS l. c. T. I. p. 120. T. II. p. 134. seqq.

x) IDEM l. c. p. 115. FR. FABRIC. ad ann. 62. p. 316 ex veteribus QVINTILIAN. Lib. III. c. 6. Nomen vero dedit Cicero dialogo a loco quo colloquia habita fingit, nempe a villa, quam in agro Cumano habebat, quam Platonis exemplo Academiam vocauit. Therinas ibi fuisse, oculorum aciei seruandae aptissimas et saluberrimas, PLINIVS ait L. XXXI. c. 2. Conf. illustr. LVDEWIGIVS de Academia.

philoſophiam [y], quam efficaci ſtimulo animum ſuum ad quaerendam ſapientiam excitauiſſe fatetur AVGVSTINVS [z]. Tum libri ſex *de republica* [a], Librique *oeconomici*, quos pleraque ex Xenophonte expreſſit [b]. Sunt, qui *dialecticam* [c] Ciceronis ſomnient, qualem Ciceronem ſcripſiſſe probari non poteſt, licet dialecticam Stoicam interdum adhibuerit in ſcriptis ſuis [d]. Certe *Topica* quae ſcripſit, dialecticae in arte dicendi vſum demonſtrant. Multum vero de philoſophia pariter atque Latinis literis meruit Cicero, quod philoſophorum Graecorum terminos et vocabula primus fere Latinis expreſſit literis [e]. In ipſis philoſophiae myſteriis nihil noui Graecorum praeceptis addidit Cicero, ſed eorum tantum placita enarrauit, id quod nemo negauerit, qui libros eius philoſophicos vel per tranſennam inſpexit. Iniurii tamen in Ciceronem ſunt, qui plagii ei crimen ideo obiiciunt [f]; faſſus enim plerumque eſt, per quos profecerit [g]. Vnde magis in philoſophiae hiſtoria, quam in ipſa philoſophia bonarum artium ſtudioſis vtilitatem praeſtat, licet et hic ſine examine non ſit admittendus [h].

Philoſophia Ciceronis.

§. XVIII. Ex dictis de Ciceronis philoſophia iudicium a mediocriter attento fieri poſſe, plane confidimus. Qualis enim in eo ſtudio fuerit, quasque rationes ſequendas ſibi praeſcripſerit, ex propriis eius verbis atque confeſſione depinximus. Vt tamen cuncta luce ſua radient, paucis omnia obſeruationibus complectemur, vt ex his ea queant iudicari, quae viri docti de Ciceronis philoſophia [i] fuerunt commentati. Et

I. quidem, ex ſupra dictis repetendum eſt, non fuiſſe inter Romanos, qui nouum philoſophiae ſyſtema condere ſuſceperit. Neſcio enim qua paupertate animi exhauſta quaſi illorum temporum ingenia nihil addi poſſe inuentis Graecorum philoſophorum putabant. Cuius veram cauſſam vix in alia re, quam in auctoritatis praeiudicio quaerendam putamus, qua Romani falſa Graecae eruditionis opinione decepti, cum, ſe ad eorum perfectionem, qui ſectarum auctores fuerant, pertingere poſſe deſperarent, ſatis

y) Paſſim eius mentionem iniicit, de fin. L. I. de div. L. II. Tuſc. Q q. L. III. conf. FR. FABRIC. ad an. 62. p. 316.

z) Dicemus ea de re infra Tomo III. Loca Auguſtini notantur Act. philoſoph. Vol. II. p. 462. ſeqq. conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. II. p. 151.

a) Vid. dicta not. (n. p. 44.) add. FABR. l. c. T. I. p. 127. T. II. p. 145. ſeqq. vtrum alios hac de re ſcriptores antecelluerit, quod BOECLERO placet, Comm. de Script. p. 42. ex eo iudicari poteſt, quod Platonis exemplum ſecutus eſt.

b) Partitionem eorum recenſet SERVIVS ad Georg. L. I. conf. FABRIC. T. II. p. 151.

c) ADAMI BVRSII Dialectica Ciceronis prodiit Zamoſcii 1604. 4.

d) Oſtendit id STVRMIVS in Inſtit. Dialect. conf. FABRIC. T. II. pag. 168. STOLLIVS Hiſt. lit. P. II. c. 2. §. 13. p. 432.

e) Paſſim hac de re more ſuo gloriatur Cicero. Bene vero de noſtra aetate meruit vir doctus, qui ſub PLEXIACI nomine latere voluit, Lexiconque philoſophicum Hag. Com. 1716. edidit, in quo terminos philoſophiae technicos ordine expoſuit verbis Ciceronis, altera vero parte barbaras Scholaſticorum voces et nomina Ciceronianis commutauit: quam quoque partem Gloſſario nouo Latinitatis adiecit B. SIG. IAC. APINVS Norimb. 1728. 8.

f) Vid. HIERONYM. prooem. in Q q. Ebr. T. IV. opp. p. 90. IAC. THOMASIVS de plag. lit. §. 592. p. 171.

g) PLINIVS in praef. Hiſt. nat.

h) Exempla complura Tomo I. attulimus, conf. R. SIMON, cuius verba adducit STOLLIVS Hiſt. lit. P. II. c. 1. §. 55. p. 370.

i) Pertinent huc praeter laudatos IASONIS DE NORES Nobilis Cyprii breuis et diſtincta inſtitutio in Ciceronis philoſophiam de vita et moribus Pat. 1597. 12. BVSCHERI ethica Ciceroniana, TREVNERI et HAFERVNGII diſſ. de theologia Ciceronis aliique. Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. II. p. 148. BAYLE Dict. T. IV. art. Spinoza not. H. HENR. DODWELL. Apologia Script. philoſoph. Cicer. quam Anglicae verſioni librorum de finibus praefixit SAM. PARKERVS Lond. 1702. 8.

Digitized by G

satis suis desideriis fieri crediderunt, si in illorum sententiam pedibus irent. Qua ratione deuicta a Romanis Graecia ingeniorum Romanorum euasit victrix, victoresque insolito prorsus more in deuictorum transiuere mores et placita.

II. Sed et hoc ex superioribus repetendum est, rationem philosophiae Academicae, qualem post Arcesilaum, Carneades, et qui hunc suo modo secutus est, Philo, tradidere, quaue de nulla quidem re certi quid statutum, probabiliter tamen in vtramque partem de argumento quouis disputatum est, non iis tantum mire placuisse, quibus sectarum Graecarum diuortia et insignes contentiones oculos aperiebant, vt quam infirma pleraque essent, quae ab iis afferebantur, peruiderent: sed et calculum eorum meruisse, qui in foro et republica eloquentia sua et orationibus forensibus cauillisque dicundis inclarescere, sicque ad honores eniti contendebant, quosque mire ista philosophia in inueniendis argumentis fuisse foecundos, exempla complura docent. Vtramque rationem apud Ciceronem ad amplectendam Academiae mediae philosophiam plurimum valuisse, supra ipsius testimoniis euicimus [k].

III. Accessit vero et hoc, quod plurimum momenti in philosophiae studio habuit apud Ciceronem, nempe incidisse eum admodum adolescentem in eiusmodi Academicae philosophiae doctorem, Philonem, qui exosam philosophandi rationem, quae Arcesilaum inuidia cumulauit, ita emendauit, vt modestius et humano ingenio conuenienter magis ratiocinari videretur [l]. Qua de re ea repetenda sunt, quae *Tomo primo* diximus.

IV. Patet tamen ex adducta quoque Ciceronis historia, non adeo desipuisse Ciceronem, vt reliquarum sectarum doctrinam prorsus repudiaret, sed totius potius Graecae philosophiae campum fuisse emensum [m]. Luculenter id docent disertissimi Academicarum et Tusculanarum quaestionum, de finibus item et de natura Deorum dialogi, libri item de officiis, in quibus non Academicae tantum doctrinae summam proposuit, sed Platonicae, Stoicae, Peripateticae, Epicureae quoque philosophiae placita mira facundia illustrauit: ita tamen, vt nulli calculum adiiceret, nisi Academica ratione ductus, posse hunc in modum probabiliter de istis rebus disputari. Pleraque vero eo potissimum fine adhibuit, vt in refutandis illis ingenium ostentaret, seque nullam eruditionis partem latuisse ostenderet [n].

V. Etsi vero nullam sectam ex Graecis Cicero probabat praeter Academicam, certum tamen est, eum vni magis fauisse, quam alteri. Et Stoicam quidem sectam in iis, quae ad iuris rationem et reipublicae constitutionem pertinebant, ipsi vehementer placuisse, ipse ad filium scribens [o] non

k) Notabilis imprimis locus in paradoxorum praefatione, et prooemio etiam librorum de officiis, vbi philosophiam eloquentiae caussa didicisse fatetur.

l) Et haec quoque ratio fuit, cur ei Philo magis probaretur, quam Antiochus, quem sine ratione veterem Academiam renouare et Stoicis conciliare credebat.

m) Vid. de orat. c. 30. conf. MACROB. in Somn. Scip. L. I c. 27. L. II. c. 17.

n) Obiectum hoc Ciceroni in declamatione, quae SALLVSTII tribui solet.

o) De officiis L. I. c. 2.

non negat, ita tamen vt *eos, in doctrina de officiis secutus sit non vt interpretes, sed, vt se solere,* ait, *e fontibus, eorum iudicio arbitrioque suo, quantum quoque modo visum erat, hauriens.* Platonem vero magni feciſſe, praecipue in iis, quae ad naturae contemplationem pertinent, et ipſe faſſus eſt [p], et ſuſcepta Timaei interpretatione prodidit. Cumque in morali quoque philoſophia Peripatetica a Socraticis et Platonicis non multum diſſidentia crederet [q], non plane ab eorum praeceptionibus in doctrina de officiis abiit, licet alibi minus huius ſectae, quam aliorum, habuerit rationem. A nulla tamen ſecta magis abhorruit, quam ab Epicurea, quamuis eius doctrinam omnium primam didiciſſet, et haberet amicos cariſſimos, qui huic ſectae adhaerebant. Cuius rei exempla per omnia quidem eius ſcripta philoſophica deprehenduntur, maxime vero ſecundo, quem *de finibus* ſcripſit, libro. Quod ſectae Epicureae odium tantum fuiſſe, vt contra veritatem Epicurum calumniis oneraret, in Epicureae ſectae hiſtoria *tomo primo* manifeſtum fecimus. Quod qua potiſſimum ratione inductus fecerit, ipſe haud obſcure prodit, cauſſatus [r], *recubantem in hortulis molliter et delicatule nos auocare Epicurum a roſtris, a iudiciis, a curia.*

VI. His ex Ciceronis hiſtoria praemiſſis, dubitandum amplius non eſt, fuiſſe Ciceronem ex eorum Academicorum genere, qui poſt Carneadem et Clitomachum, Philonem ſequebantur, viderique volebant aptius humanoque intellectui conuenientius philoſophari, admittendo in aſſerta humanae cognitionis incertitudine probabilitatem vel maiorem vel minorem, quam ſequi queamus. Qua de re ita differit ipſe: [s] *Non ſumus ii, quorum vagetur animus errore nec habeat vnquam, quid ſequatur; quae enim eſſet iſta mens, vel quae vita potius, non ſolum diſputandi, ſed etiam viuendi ratione ſublata? Nos autem, vt caeteri, qui alia certa, incerta alia dicunt, ſic ab his diſſentientes alia probabilia, contra alia improbabilia eſſe dicimus.* Male itaque et praeter rem LACTANTIVM [t] reprehendit HORNIVS [u] ſcribentem: *Cedo Cicero quid didiceris, aut in qua ſecta veritatem deprehenderis? In Academia ſcilicet, quam ſecutus es, quam probaſti? At haec nihil docet, niſi vt ſcias, te nihil ſcire.* Putat enim Academicum ſe dixiſſe, non quod etiam illis vbique ſe addixiſſet, ſed quod prae caeteris eorum libertatem probaret et ea vteretur. Qua in re mire fallitur Hornius. Non enim illo in philoſophiam animo fuit Cicero, vt ſectariam philoſophiam improbaret, quod ille putat, ſed Academicam ſectam ea ratione, quam inſtituit Carneades, ſecuti ſunt Clitomachus et Philo, amplexus eſt, vt et ipſe nihil ſciri, id eſt indubitatis rationibus aſſeri poſſe contenderet, probabilitatem tamen ſequeretur, quam reiecit Academia media ab Arceſilao inſtituta. Hanc probabilitatem ſecutus quaedam ex Platonis atque Stoicorum placitis ſibi non diſplicere, manifeſtum fecit, cuius ea potiſſimum

p) Tuſc. Qq. L. I. c. 21. conf. HORNIVS hiſt. philoſ. L. IV. c. 5. p. 248. et quos nominat.
q) De offic. L. I. c. 3.
r) De orator. L. III. conf. GASSENDVS de vita Epicuri L. III. c. 6. p. m. 97. ſeqq.
s) De officiis L. II. c. 2. conf. Tuſc. Qq. L. II. c. 2. L. IV. c. 4.
t) L. III. c. 14.
u) Hiſtor. philoſ. L. IV. c. 5. p. 249.

Digitized by Google

tiſſimum cauſſa fuiſſe videtur, quod per tempus aliquod Antiochum Aſcalonitam audiuit, quem Academiae ſtudioſis Platonem et Zenonem commendaſſe conſtat. Patetque Ciceronis ſcripta philoſophica attente legenti, eum, cum de veris philoſophiae fundamentis incertus haereret, ad ſyncretiſmum philoſophicum, qualem inſtituit * Antiochus, valde fuiſſe pronum. Certe non Stoica tantum, ſed et Peripatetica ſuis placitis finitima eſſe contendit.

VII. Cauſſam cur hanc potiſſimum philoſophandi viam Cicero ingreſſus ſit, praeter ſcopum ſe foro parandi, recte in ingenii eius charactere quaeſiueris. Quod vt imaginationis magis foecunditate quam iudicii acie valuiſſe, ſupra obſeruatum eſt, ita mirum non eſt, Ciceronem ad inueniendas magis probabiles rationes et diſputandum in vtramque partem, quam ad diiudicandum ſyſtematum nexum natura et procliuem et aptum, Academicae philoſophiae nomen dediſſe. Vbique etiam in ſcriptis eius philoſophicis haec ingenii Ciceroniani indoles ſe prodit. Videas enim viuis quidem coloribus et verborum eximio quodam delectu depingi philoſophorum opiniones, afferri rationes in contrarium cauſſamque, vt ſolent oratores, etiam in Academia, in Tuſculo, aliisque eruditorum congreſſibus, ornari, rationum vero pondera nec ad trutinam examinari, nec ex certis principiis deduci concluſiones, nec ſyſtematis nexum et quaſi vincula exhiberi, ſicque male multa cohaerere, dicique, quae examen non ſuſtinent *y*. Quae licet talia non ſint, vt inter philoſophaſtros Cicero, AVGVSTINO *z* praeeunte, reiici, vel e philoſophorum plane albo deleri mereatur, quod recentiori quoque tempore viris quibusdam doctis *a* placuit: aperta tamen demonſtratione euincunt, longe errare eos, qui in philoſophia multum eum valuiſſe contendunt *b*, longius abeſſe a vero, qui in philoſophia magis praeſtitiſſe, quam in dicendi arte et regenda republica ineptiunt *c*. Rectius, Cl. HEVMANNVS *d*, qui inter ſedulos magis philoſophorum diſcipulos, quam inter philoſophos primi ordinis collocari eum iubet.

§. XIX. Ex adductis hactenus manifeſtum eſſe putamus, fruſtra a nobis poſtulari, vt philoſophiam Ciceronis, morem noſtrum et inſtitutum ſequentes breuiter delineemus, licet ſcriptorum eius philoſophicorum nobis ſat magna ſuperſit copia. Academicum enim philoſophandi genus ſecutus, proprium doctrinae ſyſtema non condidit, ſed vel aliarum ſectarum placita oppugnauit, vel vbi afferendum quoque dogma quoddam erat, ex Graecorum ſectis eam opinionem elegit, quam reliquis probabilius diſputari

Summa philoſophiae Ciceronis.

x) De offic. L. I. c. 2.

y) Indubitatis hoc rationibus et exemplis ex Ciceronis Scriptis petitis demonſtrauit doctiſſimus HEVMANNVS Act. philoſ. Vol. II. p. 441. ſeq.

z) De Civ. Dei L. II. c. 27. id quod tamen eo minus mirandum, quo magis Auguſtinus Academicos odio proſecutus libros ſuos contra Academicos Ciceroni oppoſuit.

a) Pomponatii et Ionſii iudicia vide Act. phil. l. c. vterque Ciceroni fuit infenſior, quod Peripateticus non eſſet. Similiter Campanella, cuius ſententiam Act. phil Vol. I. p. 556 exhibent. Ita et SCALIGER, Scalig. prim. p. m. 49. Alios nominat HORN. l. c. p. 246.

b) Indicauimus eos c. XV. not. q.

c) Auctor gallus Hiſtor. crit. philoſ. T. III. p. 32.

d) Act. phil. l. c. p. 459.

ri posse, comtiusque ornari putabat. Et in naturalibus quidem, si Platonicae physiologiae praecepta ex *Timaeo* Latino sermone expressa, quaeque *in Somnio Scipionis* Platonice scripsit, excipias, plane nihil, quod Academicum non esset, et non euertendis dogmaticorum opinionibus aptum, Cicero attulit. Aliter tamen in moralibus, vbi non Carneadeam tantum disputandi, et oppugnandi sectas Graecorum fere omnes rationem tenuit, sed et Panaetium aliosque Stoicos secutus de officiis quaedam dogmatice praecepit. Quorum dare tamen compendium ' eo minus necesse putamus, quo magis ea a Stoicorum doctrina suo loco fuse a nobis enarrata non abeunt, sed ordinem tantum sequuntur nouum, acroamaticam tractandi rationem non diligenter et accurate satis tenentem, et Peripatetica quaedam sine necessitate interdum miscentem. Theologiae vero Ciceronianae enarrare capita impossibile putamus, eo quod de natura Deorum et de diuinatione disputando a declaranda sua sententia abstinens in eo tantum versatus sit, vt omnium sectarum de Diis placita euerteret. Ex quibus, vt hoc coronidis loco addamus, etiam de atheismo Ciceronis quaestio decidenda est, quem qui ei obiiciunt [f], vel practicam impietatem vrgent, de qua tamen non quaeritur, vel obiectionum contra doctrinam de Deo Academicarum malignitatem et pericula respiciunt. Quae licet negari nequeant, nondum tamen Ciceronem atheorum albo adscribunt: cum istae quidem disputationes nudam obiectionum contra theologiam receptam recensionem exhibeant, qua Cicero non suam de Diis mentem explicuit, sed quid Academici dogmaticis obiiciant, exhibuit. Tacemus, si etiam supponamus, Ciceronem in his quoque ex animo cum Academicis fecisse, esse haec opposita theologiae gentili, et imprimis iactantiae dogmaticorum, qui cum insana et absurda multa de Diis fuissent commenti, istis Academicorum telis obruebantur. Addendum his, Ciceronem certitudinem quidem doctrinae philosophorum de diuinis denegare, non vero probabilitatem, quam tamen vnam in philosophia sequendam esse cum Philone suo contendebat. Non sustulisse enim argumentis, quae pro asserenda DEI existentia philosophi attulerunt, probabilitatem, ex primo *de natura Deorum* libro patet, etsi negari nequeat, non valuisse Ciceronem tanto iudicii robore, vt contra Academicorum obiectiones veritates has in tuto ponere posset, vnde non magnopere viris doctis refragamur, qui non satis certum in tanto dogmate haesisse Ciceronem queruntur [g]. Quae vero ita Academico disputauit more, ea ad ipsius doctrinae speculationem, non ad cultum practicum pertinent. In eo enim more Academicis et Scepticis communi patria instituta moresque secutus est [h].

Cicero an atheus?

Stoica sectae affectae inter Romanos.

§. XX. Stoicam philosophiam non minus illustres sectatores fuisse nactam, ex iis intelligere est, quae supra de Iure consultorum apud Romanos

e) Qui illud desiderat, in Cel. STOLLII hist. phil. mor. gent. §. 177. p. 311. seqq. inuenict, quae sitim extinguent.

f) Nominat eos REIMMANNVS hist. ath. c. XXXVIII. §. 3. p. 873. quem vide.

g) BAYLE Dict. T. IV. art. Spinoza not. M. p. 259. BVDDEVS thes. de atheismo c. I. §. 22.

h) Vid. Lib. III. de natura Deor.

by Google

manos ſtudio erga hanc ſectam diximus. Doctrina enim de officiis, ſpinoſo licet, et ſi verum fatendum, cerebrino magis, quam vero, fundamento ſuperſtructa, in ſe tamen reipublicae moderandae, iurique dicundo erat aptiſſima; quemadmodum et dialecticam Stoicam commodiſſimam iuris interpretibus viſam fuiſſe, ſupra obſeruauimus. Traxit haec ad rempublicam facilis philoſophiae Stoicae applicatio alios quoque viros magnos, qui ad eius clauum ſedebant, in partes, qui impenſo ſtudio hanc ſectam profecuti ſunt. Inter quos Q. Lucilius Balbus CICERONE teſte [i], tantos habuit progreſſus in Stoicis, vt cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur: quae cauſſa fuit, cur in doctiſſimis *de natura Deorum* dialogis Stoicae theologiae partes ei defendendas tribuerit. Hi tamen plerique cum eo tantum fine Stoicam diſciplinam didicerint, vt et verbis et factis Stoicis reipublicae adeſſent, non vero, ut Stoicam ſectam amplificarent, philoſophosque ex porticu ſe praeſtarent, omittendi hic ſunt, et inter illuſtres Romanae reipublicae exſpirantis viros collocandi. Vnum Catonem, quem minorem vocant, deſcribemus, qui et nomine & re Stoicum ſe praeſtitit philoſophum.

§. XXI. CATONIS, qui, vt aproauo, de quo ſupra, diſtingua- *Cato minor.*
tur, minor, et VTICENSIS, a loco vbi illuſtri morte extinctus eſt, vocari ſolet, vitam laudesque ex veteribus enarrauerunt Munatius, qui ex familiaribus eius fuit, et qui huius memoriis vſus eſt, Thraſeas, quae tamen ſcripta hodie deſideramus. Quemadmodum laudes quoque Catonis a Cicerone praedicatas, quique iis a Iulio Caeſare oppoſiti erant Anti-Catones [k], temporis nobis iniuria eripuit. Vita itaque magni viri, qui immortale ſibi nomen philoſophia virtuteque Stoica peperit, cum ex Romanae hiſtoriae ſcriptoribus, imprimis ex ſcriptis Ciceronis, qui magna eum admiratione proſecutus eſt, colligenda, tum audiendus PLVTARCHVS eſt, qui eam more ſuo ſtrictim quidem, ſed eleganter expoſuit [l]. Attendendum vero nobis, non Romanam, ſed philoſophicam hiſtoriam ſcribentibus ad eas praecipue vitae circumſtantias eſt, quae ingenium eius philoſophicum, Stoicaeque philoſophiae indolem, qualem vita et actionibus ſuis expreſſit, concernunt. Quae vbi recte ponderantur, fatendum, in tota Stoicae ſectae hiſtoria non occurrere, qui Stoicam virtutem illuſtribus vitae actionibus tantopere expreſſit, ſic vt non homines tantum Stoicos, ſcholae natos, Zenonem, Chryſippum, Panaetium, ſed et in aula Stoica praecepta ſequentes, Senecam, et Antoninum imperatorem longe ſuperauerit. Id quod CICERO [m] agnouit, qui perfecti eum Stoici laude mactat, et vidit LVCANVS [n], qui eleganter de eo:

Hi mores, haec duri immota Catonis
Secta fuit, ſeruare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi, patriaeque impendere vitam,

i) De nat. Deor. L. I. c. 4. conf. GAVDENT. de phil. Rom. c. XXXIII. p. 172. qui in alienis hic totus vagatur, ne nihil dixiſſe videatur.

k) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 26. 172.
l) In viris parallelis T. V. Opp. p. m. 590.
m) Praefat. paradox. n) L. II. v. 385. ſeqq.

Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Huic epulae, viciſſe famem, magnique penates
Summouiſſe hiemem tecto; pretioſaque veſtis,
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam: venerisque huic maximus uſus
Progenies: urbi pater eſt, urbique maritus:
Iuſtitiae cultor, rigidi ſeruator honeſti,
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas.

Quibus verſiculis Stoicam virtutem tam accuratis depinxit coloribus, vt, qui Stoicum non agnoſcat, in eius ſectae hiſtoria peregrinus merito videatur hoſpes.

Catonis vita. §. XXII. Genere natus eſt Cato illuſtri et in republica pariter atque inter eruditos magni nominis. Proauum enim magna vixiſſe Romae gloria, et auſtera virtute Graecae philoſophiae initiis reſtitiſſe ſupra narrauimus. Auus noſtri M. Cato libro *de iuris diſciplina* eruditionis dedit ſpecimen, pater Marcus orationibus ſcriptis inclaruit [o]. Quem cum praematura morte amiſiſſet, parentibus orbus vna cum fratre Caepione, ſorore germana Porcia, et uterina Seruilia [p], apud Liuium Druſum auunculum ſuum, qui vir, ſumma praeditus facundia, morumque probitate et animi magnitudine, tum in republica principatum obtinebat, educatus eſt. Tale vero temperamentum animique Catoni indoles obtigit, qua ad Stoicam philoſophiam natus quaſi videbatur. Teſte enim PLVTARCHO [q] ſtatim a puero voce, vultu, adeoque inter ludendum etiam, ingenium rigidum atque immobile conſtansque in omni re prae ſe tulit. Nam et vis perficiendi ei, quae inſtituiſſet, maior, quam pro aetate, affuit, at adulatoribus difficilem ſe aſperumque praebens, magis adhuc terrentibus obſiſtebat. Riſus ita difficulter ei mouebatur, vt perraro ad leuem etiam riſum vultum remitteret: haud facile ad iram prolabebatur, iratus placari aegre poterat. Cuius exempla non PLVTARCHVS tantum narrat, ſed VALERIVS MAXIMVS [r] quoque exhibet, qui videndi. Non audiendus itaque eſt CICERO [s], qui hanc morum ſeueritatem Stoicae tantum diſciplinae tribuit, quae nunquam tantopere illam effeciſſet, niſi animi indoles natura auſterior acceſſiſſet. Cum ſe ad diſcendum contuliſſet, tardus fuit ad percipiendum; quae autem percepiſſet, ea firmiter memoria retinebat. Monet etiam PLVTARCHVS [t], Catoni, vt difficilius diſceret, in cauſſa fuiſſe incredulitatem. Eum enim obtemperaſſe quidem omnibus in rebus paedagogo, ſingulorum tamen cauſſas ex eo quaeſiuiſſe: habu-

o) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 26.
p) Vtramque moribus fratri diſſimilem prorſus impudicitia extrema corruptam vixiſſe, notat PLVTARCHVS p. 607. Seruilia enim Iulii Caeſaris amoribus obſequens, Brutum ex eo genuiſſe dicebatur. Altera, quam Lucullus in matrimonio habuit, cum eum vnius prolis patrem feciſſet, ob impudicitiam domo eiecta eſt. Sed nec ipſa Catonis vxor Atilia eius criminis pura fuit. Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Porcie, not. A. p. 791.
q) p. 592. r) L. III. c. 1.
s) Orat. pro Muraena c. 29.
t) loc. cit.

by Google

habuiſſe vero paedagogum Sarpedonem, verbis, quam verberibus promtiorem. Cum vero et praeceptor ei obtigiſſet prudens, et indoles animi erectior atque excitatior, non potuit non mature ad excelſa quaeuis formari Catonis ingenium, quod imperterritam conſtantiam, patriaeque amorem etiam in pueritia ſpirauit, cuius aliquot exempla valde iucunda PLVTARCHVS [w] memorat, qui fratrem quoque Caepionem tenerrime amauiſſe, ſemperque cum eo fuiſſe, vnguento tamen eo vtente, reſpuiſſe, ob vitam accuratam et ſeueram, monet. Flamen Apollinis creatus diuiſa paterna haereditate a fratre migrauit, victusque ratione ad maiorem etiam, priſtina, frugalitatem conuerſa Antipatrum Tyrium [x], Stoica ex ſecta philoſophum, ſocium ſibi aſciuit, morali potiſſimum et ciuili doctrinae intentus. Cum autem ad omne virtutum genus quaſi numine afflatus ferretur, eam tamen honeſti partem, quae in iuſtitia conſpicitur, nulla aequitatis aut gratiae reſpectu inflexa, prae reliquis ſectatus eſt, qua in re Zenonis aemulum eum ſententias Stoicas non diſputandi, vt magna pars, ſed viuendi cauſſa arripuiſſe, et magna ſeueritate expreſſiſſe CICERO [y] in iudicio teſtatus eſt. Inſtrumentum porro, vt pergit PLVTARCHVS, orationis, quo ad populum vti poſſet, exercitatione ſibi parauit, neque tamen apud alios declamauit, vel declamantes audiuit. Orationis vero imaginem conſecutus animi indoli naturaeque ſuae conformem, et Stoica diſciplina dignam, magnam ſibi admirationem eius peperit, quae inuitum eum in forum produxit. Erat enim in oratione nihil noui, nihil ad elegantiam compoſiti, ſed recta omnia et plana, atque aſpera: gratia quoque animos auditorum concilians breuitati aderat, voluptatemque aliquam et riſum ciuilem, admixta ingenii eius indicia, et per orationem ſparſa, mouebant. Vox autem ea erat, quae ſatis ab vniuerſo populo exaudiri poſſet, eius vero intentio visque inexhauſta [z]. Sed et corporis exercitatio talis fuit, quae Stoicum, viuendo magis, quam dicendo philoſophantem decebat. Illud enim exercitationibus validis aſſuefaciebat ad perferendum aeſtum, et niuem nudo capite, iterque pedibus omni tempore anni faciendum absque vehiculo: vitae etiam et ſtudiorum rationem diuerſam ſibi ab ea, quae vulgo tum obtinebat, tenendam ratus, purpura reliquis probata reiecta, nigra veſte ipſe vſus eſt, ſaepe etiam nudis pedibus et ſine tunica poſt prandium in publicum prodiit, non gloriae venandae ſtudio, ſed adſuefaciens ſe, ne cuius ipſum rei, niſi turpis, puderet, reliquas infamias contemneret, ſic vt facile in hoc quoque genuinum Zenonianae auſteritatis imitatorem agnoſcas. In bello ciuili Gellio duci ſe adiunxit vltro pro-

w) p. 594.

x) Non confundendus hic Antipater Stoicus, cum alio eius nominis eidem quoque ſectae addicto, qui Tarſenſis fuit, vt Tom. I. L. III. c. 9. monitum. Sed diuerſus quoque fuit ab alio, qui et ipſe Tyrius fuit, quem Athenis docuiſſe et obiiſſe tradit CICERO de officiis L. II. c. 24. Hic enim in domo Catonis manſit, aetate quoque illo paulo ſuperior, qui poſt Panaetium Romae fuit. Vnde deferendum putamus DIONYS. GODOFREDVM ad l. c. Cicer. et I. G. OLEARIVM ad STANLEII Hiſtor. philoſ. P. VII. p. 655. qui eundem fuiſſe coniiciunt.

y) Orat. pro Murena c. 29. Conf. PLVT. p. 622.

z) PLVT. l. c. p. 595. Exemplum orationis Catonianae habes apud CICERONEM fam. Lib. XV. ep. 5.

propter fratrem, qui in eo tribunus militum militabat, et inter magnam militum luxuriam modeſtiam ſuam, fortitudinem audaciamque prudentiae coniunctam ſumma cum ducis laude expreſſit, honores et praemia, quae ipſi decernebantur, detrectauit. Tribunus militum factus et in Macedoniam miſſus Stoicae virtutis exemplum militibus praeiuit, equitantibus ſeruis pedes inceſſit, inque iis, quae aliis imperaſſet, ipſe elaborauit, habituque, victu et inceſſu militum, quam ducum, ſimilior, moribus vero, animi magnitudine, facundia ducibus omnibus ſuperior [a]. Eo loco, cum inaudiuiſſet de Athenodoro [b], cui Cordylioni cognomentum fuit, virum illum Stoica diſciplina illuſtrem, regum principumque familiaritatem ſubterfugiſſe, ſenemque iam apud Pergamum degere, eum ſibi adſciſcendum ratus, cum ſcribendo aut mittendo profuturum ſe deſperaret, ipſe ad eum in Aſiam nauigauit, ſperans fore, vt ſuis dotibus animoque vinci et in conſuetudinem pertrahi poſſet. Congreſſus cum homine peruicit, et in caſtra eum deduxit, ſecumque tanquam magnam nactus praedam, habuit. Sub idem tempus mortuo iam fratri Caepioni grauiſſimo naufragii periculo ereptus ſuperuenit, et quod in Catone mireris, grauius, quam philoſophum Stoicum decebat, eum caſum tulit, dolorem non lachrymis tantum et cadaueris amplexibus, ſed et ſumtibus ſepulturae et monumenti magnificentia teſtatus [c]. Adeo difficile eſt viris etiam maximis et animi indole atque diſciplina adiutis naturam, quod Stoici poſcebant, vincere. Defunctus tribunatu cum ſtatuiſſet, antequam ad rempublicam accederet, Aſiam peruagari, regionum, morum, inſtitutorum, et quae alia eſſent memoria et obſeruatione digna, contemplandorum cauſſa, peregrinationem ita inſtituit, vt Stoicae diſciplinae etiam cum decori neglectu videretur obſeruantiſſimus, adeo vt pro abiecto et humilis animi homine interdum haberetur [d]. Romam reuerſus aut Athenodoro, aut in foro amicis operam dedit. Quaeſturam autem, cuius petendae tempus appetierat, non ante ambiit, quam leges quaeſtorias legiſſet, ſingula ex peritis eſſet percontatus, et eius magiſtratus ius animo quaſi informaſſet. Quaeſtor vero

a) Ibid.

b) Non confundendum eſſe hunc Athenodorum Cordylionem, cum Athenodoro Solenſi, et cum alio, eiusdem nominis, qui Auguſti praeceptor fuit, ſupra T. I. Lib. III. c. 9. monuimus. Fuit vero Athenodorus Cordylio Tarſenſis, refertque LAERTIVS L. VII. ſ. 34. cum Pergamenae ei bibliothecae cura eſſet commiſſa, eraſiſſe eum ex Stoicorum libris, quae male dicta eſſent a Stoicis, eo vero deprehenſo et periclitante iterum eſſe inſerta atque reſtituta. Quae male de Athenodoro Auguſti tempore viuente intelligit ALDOBRANDINVS ad h. loc. eo enim tempore Pergamenae bibliothecae iam Romam erant translatae, teſte PLVTARCHO l. c. p. 597. et STRABONE L. XIV. p. 674. Recte itaque LIPSIVS Manud. in phil. Stoic. L. I. diſſert. 12. p. m. 71. coniecit, hunc Athenodorum, qui bibliothecae Pergamenae praefuit, eſſe Cordyſonem. Qui tamen in eo fallitur, quod hanc cauſſam fuiſſe putat, cur facilior Catoni fuerit abducenti. PLVTARCHO enim l. c. teſte regum et principum contubernia ſubterfugit, quae facile potuiſſet obtinere, ſi Pergameni muneris faſtidium eum cepiſſet. Cordylionem vero fuiſſe, qui Pergami bibliothecae praefuit, FABRICIO quoque placuit Bibl. Graec. Vol. II. p. 391. Pergamenae vero bibliothecae a Pergami regibus, praeſertim ab Eumene, STRABONE L. XIII. teſte conſtructae et ab Antonio in gratiam Cleopatrae Alexandrinae illatae, vt habet PLVT. in Anton. T. VI. p. m. 151. hiſtoriam vide apud ſcriptores de biblioth. I. LIPS. de bibl. c. 4. IO. LOMAIER. de bibl. c. 5. p. 76. MONTFAVCON palaeogr. Gr. p. 16. 17. aliosque.

c) PLVTARCH. p. 598.

d) Ibid. p. 599.

Digitized by Google

vero conſtitutus multa, quae iuſtitiam reique publicae ſalutem aliter poſcere putabat, mutauit, animum rationemque, eo magiſtratu hactenus male corrupto, dignam primus attulit, maximamque ob virtutem exiſtimationem meruit, quod iuſtitia et temperantia omnes antecellere Romanos crederetur [e]. Eandem vero rationem quoque defunctus quaeſtura tenuit. Primus in ſenatum veniebat, diſcedebat vltimus, ſaepe reliquis tardius venientibus libro togam praetendens legebat [f], non opum ſtudio, non gloriae, non fortuito caſu ad tractandas res delatus, ſed conſilio, quod hoc boni viri officium eſſe putaret, intentiorem ſe reipublicae, quam apem melli eſſe debere cenſebat, ſicque in republica auctoritatem et exiſtimationem conſequebatur maximam. Solutus republica acceptis libris et philoſophis in Lucaniam profectus eſt, vbi praedia habebat otio liberali maxime apta: ob Metellum tamen, quem reipublicae noxium ciuitatique metuendum nouerat, vt peſtilentiſſima conſilia euerteret, breui Romam reuerſus eſt, et tribunatum plebis petiit, vt reſiſtendi ei facultatem haberet. Quo in officio quam praeſtiterit iuſtitiam et fidem, quem candorem, magnanimitatem et bonitatem, in Muraenae potiſſimum ambitus accuſati cauſſa oſtendit, in qua tamen Stoica eius virtus a Cicerone, qui Conſul Muraenae patrocinatus erat, iocis tradueta eſt illiberaliter [g]. Quod tamen Cato, qui iuris defendendi cauſſa ſe terribilem et durum in foro praebebat, adeo humane beneuoleque tulit, vt ſemper eum Cicero impenſe coleret, cui etiam in ſupprimenda Catilinari coniuratione ſtrenuus adfuit [h]. Cumque eo tempore ciuitas tota turbis miſceretur, et potentiorum factionibus reipublicae euertendae conſilia non ſemel caperentur, tanto animo, Marcello, Pompeio, Caeſari aliisque, qui peſſundare libertatem cogitabant, tamque infracto virtutis robore reſtitit, vt, licet non familiae tantum, ſed et ſuam ſalutem obiici maximis videret periculis, a recta tamen via nunquam receſſerit, neque prodere patriam in animum inducere potuerit, qua de re cum in hiſtoria reipublicae Romanae, amiſſa libertate in paucorum dominatum degenerantis, tractari ſoleat [i], eam hic ſilentio praeterimus. Certe vnus dignus Cato viſus eſt SENECAE [k], cuius vultum habitumque affignet *viro forti, cum altius nemo ingredi potuerit, quam qui ſimul contra Caeſarem Pompeiumque ſe ſuſtulit, et aliis Caeſarianas opes aliis, Pompeianas ſouentibus, vtrumque prouocauit, oſtenditque aliquas eſſe reipublicae partes.* Imprimis mirantur horum temporum ſcriptores prudentiam acutiſſime cernentem, et futurorum quam maxime prouidam [l], atque e duobus malis, quod tolerabilius eſſet eligentem, qua ductus, Pompeium ſine collega Conſulem eſſe creandum ſenatui perſuaſit, vt Caeſarianam potentiam, quam reipublicae libertati exitio eſſe videbat, infringeret. Quae cauſſa quoque fuit, cur Pompeii partes

e) Ibid. p. 601.
f) Ibid. p. 605. Conf. CICERO praef. paradox. ſam. L. XV. ep. 5.
g) Vid. Or. pro Murena c. 29.
h) PLVTARCH. p. 606.
i) Videndi Romanae hiſtoriae ſcriptores VELLEIVS, FLORVS, DIO, PLVTARCHVS aliique.
k) Epiſt. 95. conf. ep. 14.
l) Exempla ſunt apud PLVT. p. 620. 626.

partes ſecutus, cum Caeſar exercitum Romam verſus duceret, ei Romam relinquenti, quod cauſſam meliorem haberet, fugae comitem ſe dederit, forteque nactus Siciliam prouinciam exercitui praefecerit, res Pompeii, quantum poſſet, adiuturus. Quem tamen cum Italia exceſſiſſe, et Dyrrhachii caſtra habere comperiſſet, tantae fatorum peruerſitati in cauſſa, quam credebat, meliori et iuſta, contra philoſophiae ſuae praecepta indignatus, magnam dixit eſſe rerum diuinarum inconſtantiam atque obſcuritatem [m]. Sicilia itaque relicta ad Pompeium ſe contulit, ſperans fore, vt pace inter duos reipublicae procos inita extremis cladibus ea eriperetur. Qui tamen cum Catonis propoſitum ſentiret, quo die Caeſarem viciſſent, omni dominatu patriam liberare cogitantis, diffidere illi coepit. Nec tamen a recta via diſceſſit Cato, ſed ad pugnam ad Dyrrhachium, de libertate, virtute, morte et gloria orationem ad milites ex philoſophia depromtam habens languentes ad ſummam alacritatem erexit, in pugna tamen ciues multos et bonos a ſe mutuo caeſos videns, peſtiferam hominum et infelicem ambitionem deplorauit [n]. Poſt pugnam Pharſalicam, quae Pompeium ſpe ſua totum deiecit, cauſſae eius, quantum potuit, adfuit, et in Aegyptum aufugiſſe coniiciens eo cum exercitu ſoluit, et a filio Pompeii necatum patrem audiens, cum in peregrina regione omnes eſſent deſerti, imperium accepit, et in maxima hiemis inclementia agmen pedes ducens ad Iubam cum exercitu profectus eſt, vbi Scipioni in Africa duci imperium conceſſit; ipſe Vticam cuſtodiendam in ſe recepit. Etſi vero, quod conſiliis ſuis Scipio non obtemperaſſet, Cato de euentu belli ſe nihil boni ſperare poſſe videbat, euentu quoque vaticinium comprobante, cum magno apud Thapſum commiſſo praelio res ſociorum plane euerterentur: tantam tamen in publico luctu et metu virtutem animi oſtendit, vt et terrorem ſiſteret, et ſenatu coacto de ſalute communi deliberaret, et conſilia optima atque ſalubria ſuggereret, et perſuaderet omnibus, vt ſe malle parendo huic duci occumbere, quam prodita tam inſigni eius virtute ſupereſſe ſignificarent [o]. Quae vero promiſſa cum extremus ſubito ex animo eieciſſet pauor, a ſuis deſertus eſt. Qui tamen nec a fide ſua quicquam remiſit, et cum de ſalute reipublicae deſperaret, Stoicae philoſophiae praecepta ſecutus, emigrandum ſibi ex hac vita eſſe ſtatuit. Dimiſſis itaque quos ſecum habebat, vt fuga ſibi conſulerent, balneum ingreſſus eſt et coenam; poſt coenam compotatio perelegans atque erudita fuit, vno poſt alterum ex praeſentibus, (aderant vero ſocii et Vticenſium principes) philoſophicas quaeſtiones ordine proponentibus [p], dones ad

m) ibid. n) Ibid. p. 628. o) Ibid. p. 632.633.

p) Solebat Cato, teſte PLVT. l. c. p. 595. interdiu publicis negotiis occupatus et a philoſophia excluſus per noctem ſaltem et inter pocula cum philoſophis confabulari, ita vt ſaepe vsque ad auroram traheret potationem, quod ebrietatis ei opprobrium peperit, tum apud veteres, vt Plutarchus teſtatur, tum apud recentiores, vid. STOLLIVS Hiſt. phil. mor. gent. §. CLXVI. p. 297. Neque vero vel ebrietas Catonis vnquam probari potuit, nec haec compotatio alia fuit, quam ea, quam in vltima coena Cato inſtituit, quae ſcilicet quaeſtionibus et diſputationibus philoſophicis abſoluebatur. Quo ſenſu SENECA de tranq. animi, c vlt. accipiendus eſt ſcribens: „Nec in eadem intentione aequali-

„ter

Digitized by Google

ad Stoicorum paradoxa diſputatio eſſet deuoluta; vbi cum ſententiae: ſolum ſapientem eſſe liberum, Peripateticus more ſuo repugnaret, acriter et aſpera voce infurgens Cato prolixe diſputauit, magna vtens contentione, vt nemo non animaduerteret, ſe eſſet, ſtatuiſſe eum vitam finire, atque ſic praeſenti conditione defungi. Quas ſuſpiciones vt eximeret conuiuis, de praeſentibus rebus quaeſtiones mouit. Soluto conuiuio vbi domum ſe recepit, filium et amicos ſingulos familiarius, quam pro more ſuo allocutus, ſuſpicionem reſuſcitauit. Ingreſſus deinde cubiculum conſedit ac Platonis Phaedonem in manus ſumſit, magnaque eius parte perlecta, gladium requirens, cum abeſſe videret, eum ferri iuſſit. Cunctantibus cunctis plorans filius cum amicis accurrens patrem amplexus et deprecatus eſt, quem tamen toruo intuitus vultu, graui oratione reprehendit, quo omnes flentes ab eo egreſſi ſunt, ſolis Apollonide et Demetrio [g] philoſophis intus manentibus. Quos placidius alloquens, et ad Stoicae, in qua aetatem triuerat, philoſophiae praecepta prouocans, vt ea vel ipſum dedocerent, vel deliberandi ſpatium concederent, iuſſit, ſicque abire paſſus eſt. Tum gladio a paruulo puero allato, librum reſumſit bisque totum perlegit, deinde altiſſime cum dormiuiſſet, ſuos vt ſecuros redderet, medico manum, quam laeſerat, ligandam dedit, et paulum obdormiſcens, cum ſolus eſſet, gladium ſtrinxit, eoque ſe infra pectus feriit: ictu tamen non ſatis valido vulneratus non ſtatim eſt mortuus, ſed in mortis agone ſe deuoluens lecto abacum quendam geometricum euertit: quo ſtrepitu excitati famuli clamorem ſuſtulerunt, filiusque et amici accurrentes ſanguine reſperſum et inteſtina pleraque prolapſa viderunt. Quae ubi reponere adhuc ſpirantis tentaret medicus, Cato pauliſper ad ſe rediens, idque ſentiens, manibus inteſtina diſcerpſit, vulnusque lacerando pateſaciens, mortem obiit [r]. Ita qui Stoicam vitam vixerat, Stoica morte principia ſectae ſuae ſecutus verus huius familiae philoſophus occubuit, magno honore, licet metus Caeſaris ubique Vticenſes premeret, ſepultus. Filius molliter vixit, ſtrenue vero pugnando parentis virtutem imitatus apud Philippos pro libertate cecidit [s]: filia Porcia, Bruti eius, qui Caeſarem necauit, vxor, pudicitia et fortitudine patrem refereris, voluntariae mortis genere ſe ex Stoico philoſopho natam et educatam fuiſſe probauit [t], vnde inter Stoicas feminas numerari ſolet [u].

§. XXIII.

„ter retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocan-
„da. Cum pueris Socrates ludere non erube-
„ſcebat, et Cato vino laxabat animum, curis pu-
„blicis fatigatum.

g) Apollonides Stoicus fuit, Demetrius Peripateticus, Byzantinus, cum alio Byzantino eius nominis hiſtorico non confundendus. Meminit eius LAERT. L. V. ſ. 83. et forte etiam ATHENAEVS L. X. conf. VOSSIVS de hiſt. Graec. L. III. p. 352. IONS. de ſcript. hiſt. philoſ. L. II. c. 18. p. 209.

r) Sequimur hic, vt in plerisque Catonis, PLVTARCHI narrationem l. c. p. 635. conferendus vero FLORVS L. IV. c. 2. SENECA ep. 24. de prouident. c. 2.

s) PLVTARCH. l. c.

t) Porciam hanc, matris veſtigiis relictis paternae virtuti inſiſtentem, cum poſt Bibulum aetate integra M. Bruto nupſiſſet, non viri tantum, ſed et philoſophiae ſtudioſam fuiſſe, magnoque et prudenti animo praeditam PLVT. teſtatur in Bruto T. III. p. 695. qui etiam narrat, qua ratione grauiter ſe vulnerans, ſe inſuperabilem a dolore eſſe marito probauerit, vt ipſam

Adroxapia Catonis ex quo fonte orta?

§. XXIII. Meruit Cato, cuius vitam prolixius enarraret hiſtoria philoſophica, nemo enim Stoicam virtutem exemplo melius ſuo vel viuendo vel moriendo expreſſit, et magnificentiam Stoicam ipſo facto aeque tuitus eſt, quamuis negandum non ſit, animi eius [illegible]olem plurimum vt in tota vita, ita praecipue in morte valuiſſe, vt hanc potiſſimum perſonam effingeret. Cui cum accederet doctrina Stoica, non potuit non animus Catonis ita roborari, vt inuictum omnibus tempeſtatibus ipſique morti pectus opponeret. Et LACTANTIO [x] quidem Cato videtur cauſſam quaeſiſſe moriendi, non tam vt Caeſarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos ſectabatur, ſuumque nomen grandi aliquo facinore clarificaret. Aliter tamen alii, et in his Cl. STOLLIVS [y]. Nos vtrumque recte iungi exiſtimamus, ſi ad totam Catonis vitam reſpiciamus. Ex cuius hiſtoria apertum eſt, ambitionem primariam in animo viri ſanguine nobili iisque temporibus geniti, quo optimates ad res ſummas Romae adſpirabant, propenſionem affectuumque eius quaſi ἀνεξόπολιν fuiſſe, voluptatis habuiſſe partem minimam fereque nullam, acceſſiſſe animo alta ſpiranti auſteram ſeueritatem, ex ſanguinis potiſſimum diſpoſitione enatam. Temperamento hoc cholerico-melancholico, quod vocant, gauiſus Cato, conforme inclinationi animi facileque conſilium habuit mortem glorioſam et ſpontaneam oppetere. Cum enim non ignoraret, nihil magis in votis habere Caeſarem, quam vt viuus Cato in ſuam poteſtatem veniret, ſiue vindictae cauſſa, ſiue gloriae in clementia demonſtrandae; vtrumque ſibi grauiſſimum reputans, cum in ſeruitute eius, quem tyrannum hoſtemque reipublicae agnoſcebat, viuere non ſuſtineret, mortis voluntariae gloriam, tot magnorum virorum exemplis probatam, turpi vitae non praeferre non potuit. Nec obſtant, quae obiicit LACTANTIVS [z]: *Cui quid mali potuerit accidere, ſi viueret, non inuenio. Caius enim Cæſar, vt clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipſo ciuilis belli ardore, quam vt bene mereri de rep. videretur, duobus optimis ciuibus, Cicerone et Catone ſeruatis.* Etſi enim tum coniecturam fuiſſe, PLVTARCHVS [a] quoque fatetur, Caeſarem Catone humaniter fuiſſe vſurum, quamuis, quid acturus cum eo fuiſſet, non liqueat; certum tamen eſt, non aliter ſalutem potuiſſe redimere Catonem, niſi Caeſaris partibus ſe aggregando, eaque conſilia damnando, quibus hactenus perditiſſimo reipublicae hoſti obuiam eundum tanta contentione ſuaſerat; quae animi ſeruitus ipſa morte Catoni, altos ſpiritus pro cauſſa bona et libertate publica ducenti, ſine dubio fuiſſet intolerabilior. Quae quoque mortem meditanti Catoni maxime obuerſata fuiſſe

in conſilii de necando Caeſare ſocietatem aſciſceret. Poſt mortem coniugis cum et ipſa mori auidiſſime cuperet, ab amicis prohibita eſt, qui eam obſeruabant, quos vt falleret, carbones ex igne arreptos deglutiit oreque clauſo ita ſuffocata periit, vt praeter PLVTARCHVM l. c. p. 723. narrat VALERIVS MAXIMVS L. IV. c. 4. Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Porcia p. 791. ſqq.

x) MENAG. hiſt. philoſophant. mul. §. 75. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 416. ſumta tamen philoſophantis voce ſenſu paulisper laxiore.

x) Lib. III. c. 18.

y) Hiſt. philoſ. mor. gent. §. CLXXVII. p. 299.

z) loc. cit. a) In Cat. p. 640.

zed by Google

fuiſſe animo, inde liquet, quod pro ſapientis libertate magna contentione Stoico ſenſu in vltima coena pugnauerit. Eam enim demum libertatem eſſe contendebant Stoici, *quae nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, niſi libenter, et libere.* Quo ſenſu, quem CICERO [b] exprimit, non niſi ſeruitutem expectare debebat Cato ſub Caeſaris imperio. Huic tamen animi Catonis propenſioni acceſſit, multumque eam roborauit, et ad violentas ſibi inferendas manus armauit philoſophia Stoica, quam a teneris imbiberat, quam in virili aetate non deperierat tantum, ſed et exprimere per omnem vitam ſibi conſtituerat. Ea enim eiusmodi illi praecepta inſtillabat, quae non poterant non *αὐτοχειρίαν* ſuadere homini cum deſperatione luctanti. Tradebant Stoici, ſolum ſapientem eſſe liberum; aſt in iſtis rerum circumſtantiis, quibus opprimebatur Cato, non alia libertas ſperanda eligendaue erat, niſi mors. Hanc veram libertatem eſſe, egregie ex Porticus mente docet SENECA [c]: *Qui mori didicit, ſeruire dedidicit: ſupra omnem potentiam eſt, certe extra omnem. Quid ad illum carcer, et cuſtodia, et clauſtra? liberum oſtium habet.* Hanc libertatis faciem nec ipſe EPICTETVS [d] dedignatus eſt et contemſit. Porro et hoc Stoicis praeceptum: *Sapientem viuere quantum debet, non quantum poteſt. Viſurum vbi victurus ſit, cum quibus, quomodo, quid acturus? Si multa occurrant moleſta, et tranquillitatem turbantia, emittere ſe, nec hoc tantum in neceſſitate vltima facere, ſed cum primum illi coeperit ſuſpecta eſſe fortuna. Nihil referre, faciat finem an accipiat* [e]. Huiusmodi praeceptis innutritus Cato, qui potuit aliter, cum tot moleſta et tranquillitatem turbantia occurrerent, quam emittere ſe, fortuna ſibi diu iam ſuſpecta? Alias *αὐτοχειρίας* a Stoicis commendatae cauſſas ſuo loco enarratas, quae omnes Catoni facile applicari poſſunt, breuitatis cauſſa hic omittimus. Sed et ipſum phyſiologiae Stoicae principium ſuadere mortem ſua manu inferendam Catoni potuit. Ea enim animam, aeterni Dei animaeque mundi particulam corpori tanquam carceri incluſam, tum demum liberari, et in animam mundi beatasque, quam illa occupat, ſedes recipi docebat, cum ſarcina depoſita ad ſuperiores auras libera euagari poteſt, vt ex SENECAE *conſolationibus* notum, nobisque alio loco [f] obſeruatum eſt. Hac ſpe magna, vt vocat Seneca, excitatus Cato, cum deſperata omnia in partibus ſuis videret, ad liberiorem ſe ſtatum erexit, ſicque felicitatis ianuam, qua voce EPICTETVS [g] vtitur, gladio ſibi aperuit. Fuiſſe vero in hac ſententia Catonem, facile nobis perſuadet ter ab eo in fatali nocte lectus Phaedo Platonis. Qui etſi *αὐτοχειρίαν* non probabat vel commendabat, animae tamen immortalitatem et beatas ſedes ei poſt mortem promittebat, eo quod ex mundi anima auulſa eſſet anima hominis. Haec Platonico quidem dicta ſenſu, Stoico accepit Cato, quo anima ipſius DEI pars eſt, ei poſt mortem iterum iungenda. Quibus cogitationibus cum non Socratis tantum

b) Paradox. V. c) Epiſt. 26.
d) ARRIAN. Lib. I. diſſ. 24. e) SENECA ep. 20.
f) T. I. L. III, c. 9. g) l. c. L. I. diſſ. 9.

exemplo animum ad mortis contemtum muniuiſſet, ſed et ſuaui futuri inter diuina conſortii ſpe erexiſſet; mirum non eſt, ſecutum fuiſſe conſilium violentas ſibi inferendi manus ſomnum placidiſſimum: omnia enim, quae ſe Catonis obiiciebant animo, pollicebantur laeta, libertatem, malorum finem, hoſtis fugam, diuorum conſortia, ipſamque diuinitatem. Quae omnia ſatis luculenter euincunt, Stoicam philoſophiam Catoni armauiſſe manus, vt in propria ſaeuiret viſcera. Ex dictis vero iudicari quoque poteſt, num inter pantheiſtas, quos vocant, Cato referendus ſit, quorum gregi adnumerat COLLINVS [h], eo quod dicat apud LVCANVM [i]:

Iuppiter eſt, quodcunque vides, quocunque moueris.

Quae, modo Catonis, et non Lucani tantum, ſint, ab hac impietate non procul abeſſe iudicauit Cel. BVDDEVS [k], aliter rationes ineunte Ven. REIMMANNO [l], qui non locum tantum Lucani corruptum putat, ſed commodam quoque admittere explicationem contendit, nempe Deum eſſe vbique praeſentem, nec certo loco vel ſpatio includi. Quae omnia noſtro quidem iudicio fruſtra dicuntur. Quemadmodum enim Lucanus, Stoicae philoſophiae ſatis peritus, Catonem ex ſectae, quam ſecutus eſt, placitis loquentem vbique depinxit, ita et hoc loco nihil aliud innuit, quam animam mundi Deumque ipſum, per omnem materiam totum diffuſum. Quae phyſiologia Stoica, vti a ſano ſenſu longiſſime abeſt, ita quo nomine inter placita pantheiſmi vel atheiſmi queat referri, ex iis iudicari poteſt, quae *Tomo primo* [m] fuſe hac de re attulimus.

Peripateticae philoſophiae cultores apud Romanos.

§. XXIV. Vt vero in viam, a qua pauliſper digreſſi ſumus, reuertamur, poſt Academicae ſectae apud Romanos hiſtoriam, Peripatetica quoque conſideranda eſt. Quae cum poſt Ariſtotelis et Theophraſti mortem libris praeceptorum ſuorum, vt ſupra dictum, caruiſſet, et inde in acroamaticis diſciplinis parum habuiſſet, quod Peripateticum vere eſſet, tandem Romanae diligentiae reſtituta Ariſtotelis ſcripta debuit, Apelliconis Teii bibliotheca per Syllam Romam translata, in qua latentia Tyrannionis ſtudium ex puluere et ſqualore, quo demerſa iacebant, produxiſſe in lucem ſupra enarrauimus. Ab eo accepit ANDRONICVS RHODIVS, philoſophus Peripateticus, quem in ſucceſſione ab Ariſtotele vndecimum Boëthii Sidonii praeceptorem fuiſſe teſtatur AMMONIVS [n], et vixiſſe Luculli, Pompeii et Ciceronis temporibus, ex Tyrannionis aetate, de qua ſupra, manifeſtum eſt. Multum is de Ariſtotelica philoſophia ipſisque ſcriptis Ariſtotelis atque Theophraſti meruit. Non enim libros tantum hos, quos poſt Apelliconis curam ex laceris membranis emendauerat Tyrannio, tranſcripſit, et vbi opus erat reſtituit, ſicque edidit in vulgus [o], ſed etiam ſcripta argumenti affinis, mutato, malo conſilio, auctorum ordine, in vnum coniungens, in proprios tractatus diſtribuit [p], tabulas quoque, ſiue indices

Andronicus Rhodius.

b) De la liberté depenſer p. 207.
i) L. IX. v. 581. ſeq.
k) De atheiſmo et ſuperſt. c. I. §. 22. p. 98.
l) Hiſt. atheiſmi c. XXXVII. §. 2. p. 272. ſeq.
m) L. III. c. 9.
n) In categor. apud FABRIC. et PATRIC. II. citandis.
o) PLVTARCH. in Sylla T. V. p. m. 143.
p) Τὰ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου εἰς πραγματείας

Digitized by Google

dices eorum compoſuit, ſicque vulgatiorem fecit genuinam philoſophiam Ariſtotelis. Quod tamen Andronici ſtudium non tantum iuuiſſe Peripateticam philoſophiam, quantum quis coniiciat, recte creditur. Nam non ſolum mendoſe deſcripta fuiſſe Ariſtotelis opera multumque corrupta STRABO [q] prodidit, nosque *tomo primo* eius teſtimonio probauimus, ex quo colligere eſt, nec Andronicum ſatis emendatis codicibus fuiſſe vſum; et veriſimile eſt, Andronicum ſibi magis tantum theſaurum ſeruauiſſe, quam communicaſſe cum aliis. Cuius coniecturae fundamentum exhibet CICERO [r], qui cum *topica* ſcriberet, peripateticam hanc doctrinam traditurus, (id quod factum poſt mortem Caeſaris) narrat, Trebatium, ICtum celebrem, cum in bibliotheca Ciceronis in topica Ariſtotelis incidiſſet, nouitate argumenti inductum, cum a Cicerone monitus librum legiſſet, obſcuritate libri more Ariſtotelis breui et conciſo orationis genere conſcripti deterritum a ſe eius rei explicationem petiiſſe, quod Ariſtotelem et ipſe, et rhetor, ad quem ablegauerat, ignoraret. Ita enim: *A libris te obſcuritas reiecit, rhetor autem ille, magnus vt opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpondit. Quod quidem minime ſum admiratus, eum philoſophum rhetori non eſſe cognitum, qui ab ipſis philoſophis, praeter admodum paucos, ignoretur.* Eo vero, quo haec ſcripſit, tempore Andronicus Ariſtotelis et Theophraſti libros iam deſcripſerat. Ex quo coniicimus, Andronicum non tam vulgando libros Ariſtotelis, quam compendium et tabellas eorum concinnando, et commentariis explicando, nouoque ordine digerendo de Ariſtotele bene meritum eaque edidiſſe ac vulgaſſe PLVTARCHO [s] dici. Exercuiſſe vero criticam quoque in eos cenſuram Andronicum, inde colligere eſt, quod librum *de interpretatione*, et partem poſtremam libri *de categoriis* Ariſtoteli abiudicauerit [t]. Commentatum fuiſſe virum diligentiſſimum in Ariſtotelem, ex veterum allegationibus conſtat, qui eius *paraphraſin in categorias, et commentationem in phyſica Ariſtotelis* memorant [u]. Liber vero περὶ παθῶν, quem ſub eius nomine edidit de Graeca literatura meritiſſimus HOESCHELIVS [x], noſtri non eſt, ſed Andronici Calliſti itidem Peripatetici [y], vt taceamus *paraphraſin Nicomachorum*, quam ſub Andronici Rhodii nomine edidit DANIEL HEINSIVS [z], itidem ad eum perperam referri [a]. Laudem vero acuti diligentisque Ariſtotelicorum librorum iu-

τrias διῆλεν, τὰς ὀκτὼ ὑποθέσεις εἰς ταυτὸν συναγαγών. PORPHYR. vit. Plot. c. 26. p. 140. ed. Fabric. quibus illuſtrari poſſunt, quae habet BAYLE l. citando not. L.

q) L. XIII. p. 419. cauſſas eodem loco L. III. c. 7. expoſuimus corruptos et exeſos vermibus et ſitu codices, quos Grammatici ex coniectura et ingenio emendabant.

r) Praef. topicor. ad Trebatium. Cum vero libri Ariſtotelis topici ad exotericos pertinuerint, quos habuere Peripatetici Graeci, ab horum frequentius occurrentium ignoratione recte ad ſummam raritatem acroamaticorum concluditur.

s) L. c. t) Boethius, Ammonius, Alex. Aphrodiſ. in Analyt. prior. L. I.

u) Simplicius apud PATRICIVM diſcuſſ. Peripat. L. I. p. 41.

x) Aug. Vind. 1594. 8. Perperam apud BAYLE l. c. et FABRICIVM Bibl. graec. Vol. II. p. 151. annus 1593. ponitur. Latinam verſionem adiecit paraph. Nicomach. D. HEINSIVS.

y) Videndus de eo BAYLE Dict. T. I. art. Andronicus Theſſalonicenſis p. 237.

z) 1617. 8. Lugd. Bat. recuſam Cantabrig. 1679.

a) Aliter quidem praeter Heinſium, Io. MEVRSIVS de Rhodo L. II. c. 5. p. 88. et REINESIVS Ep. ad Hofman. p. 312. ſed perperam, vt demonſtrauit SALMASIVS in Epictet. p. 227. conf. BAYLE loc. cit. not. d. FABRIC. loc. cit.

dicis et repertoris apud antiquos tuliſſe, teſtis eſt BOETHIVS [b], quique ex recentioribus de eo pluribus videndi FR. PATRICIVS [c], Io. ALB. FABRICIVS [d] et PETR. BAYLE [e].

Peripatetici alii.

§. XXV. Non vero philoſophorum tantum Peripateticorum fata inter Romanos haud obſcura fuere, ſed inuenit quoque Ariſtoteles inter optimates, virosque magnos patronos, qui Peripateticam philoſophiam amabant et fouebant. Vt enim taceamus, quod ſupra iam tetigimus, M. Catonem, licet totum Stoicae philoſophiae addictum, ſecum habuiſſe Demetrium Peripateticum, et cum eo paulo ante vitae finem diſputaſſe; Craſſum etiam Ariſtotelicam philoſophiam attigiſſe, Alexandro Antiocheno vſum praeceptore, ſcribit PLVTARCHVS [f], addens, vix dici poſſe, pauperiorne ad Craſſum acceſſerit, an apud ipſum factus fuerit, quippe ſolum amicorum vna peregre proficiſcentem ab eo lecticam accepiſſe, eamque repetitam a reuerſo: id quod in tanta Craſſi auaritia non mirum; tantum tamen tamque celebrem iſto tempore virum ea patientia potuiſſe vti, merito miratur Plutarchus, qui leuitatem animi ideo illi exprobrat, quam ſummam gloriam putat GAVDENTIVS [ff], hic cum legentis taedio extra oleas vagatus. Sic et M. PISO, quem a philoſophia non imparatum fuiſſe CICERO copioſa *de finibus* diſputatione innuit, quemque eum Antiocho in Ptolomaeo diſputantem TVLLIVS [g] audiuit, Staſeam Neapolitanum multos annos apud ſe habuit [h], quem nobilem doctorem Peripateticum fuiſſe CICERO alio loco [i] teſtatur. Ipſe vero Romanae eloquentiae parens, licet totus Academiae adhaereret, non contemſit tamen Peripatetica, ſed et topica explicuit, et Peripatetica quaedam Stoicis,

Cratippus.

de officiis diſputans immiſcuit, filiumque CRATIPPO Peripatetico Athenis inſtituendo tradidit [k], quem *Peripateticorum omnium, quos ipſe audierit, ſuo iudicio facile principem, imo omnium eius aetatis philoſophorum* [l] vocat, eique ſummam auctoritatem fuiſſe dicit [m]. Fuit is Mytileneus, et vt ex Ciceronis et filii eius Marci, Bruti item et Pompeii atque Caeſaris aetate colligi poteſt, circa A. V. C. DCCVIII [n]. Athenis, tanquam in mercatura bonarum artium, vt ait CICERO [o], ſumma auctoritate Peripateticam philoſophiam docuit, poſtquam prius eandem philoſophiae in patria operam praeſtitiſſet. Quanta vero non Romae tantum, ſed Athenis quoque eius exiſtimatio fuerit, ex eo palam eſt, quod ſummorum virorum apud Romanos filii eius inſtitutioni commiſſi ſunt, cum eorum temporum philoſophus non eſſet, qui ipſum

b) De interpret. apud PATRIC. l. c.
c) Loco cit. d) L. c. p. 277.
e) L. c. add. MEVRSIVS l. c.
f) In Craſſo T. V. p. m. 262. non vero confundendus cum Alexandro Aphrodiſeo, Damaſceno, et Aegeo, nobilibus in peripateticorum ſchola nominibus.
ff) De phil. Rom. c. XXIV. p. 147. ſeqq.
g) De fin. L. V. c. 1.
h) Ibid. c. 2. 25. i) De orat. L. I. c. 22.
k) De vniuerſ. c. 1. l) De offic. L. III. c. 2.
l) Ibid. L. I. c. 1.
m) Poſt pugnam Pharſalicam adhuc Mytilenis fuiſſe, ex loco PLVTARCHI adducto patet, illa vero A. V. C. DCCV. commiſſa eſt, et poſt hanc Athenas concedens homines doctos ſibique probatiſſimos adduxit ex patria Cic. fam. L. XVI. ep. 21. Ibique docuit cum eum CICERO filius audiret, de off. L. I. c. 1. quod fuit Caeſare iam interfecto, adeoque poſt A V. C. DCCX. quo nomine IONSIVM Ciceronis filii moram apud Cratippum ad A. V. C. DCCVIII. referentem de Scr. hiſt. phil. L. III. p. 203. caſtigat BAYLE in Cratippus T. II. not. C. p. 223. n) De off. L. III. c. 2.

by Google

ipſum antecelleret. Id quod CICERO aliquoties ad filium Cratippo traditum ſcripſit. Tantam vero filii inſtitutione apud Ciceronem iniuit Cratippus gratiam, vt pro eo apud Caeſarem iam rerum potitum ageret, vt ciuis Romanus adſcriberetur, efficeretque etiam, vt Areopagitae decreto facto a Cratippo poſtularent, vt tanquam ornamentum vrbis Athenis maneret, ibique iuuentutem philoſophiam porro doceret [o]. Qua in re eo faciliores iudices inuenit, quo magis in id connitebatur Cratippus, vt non paedagogorum more, ſed decenti philoſophum ratione iuuentutem erudiret. Cuius teſtimonium luculentum prorſus exhibet Cicero filius dignum, quod totum hic legatur. Scribit [p] is ad Tironem: *Cratippo me ſcito, non vt diſcipulum, ſed vt filium eſſe coniunctiſſimum: nam cum et audio illum libenter, tum etiam eius propriam ſuauitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque ſaepe numero partem: exoro enim, vt mecum quam ſaepiſſime coenet. Hac introducta conſuetudine ſaepe inſcientibus nobis et coenantibus obrepit, ſublataque ſeueritate philoſophiae humaniſſime nobiscum iocatur. Quare da operam, vt hunc talem, tam iucundum, tam excellentem virum videas quam primum.* Non vero Cicero tantum, ſed et alii ex illuſtribus Romanis quanto amore complecterentur Cratippum, teſtati ſunt. Brutus enim cum in Graeciam cum exercitu eſſet profectus, Athenis honorifice a populo exceptus, Theomneſtum Academicum, et Cratippum Peripateticum audiuit, et cum iis de philoſophia diſputauit [q]. Pompeius vero poſt pugnam Pharſalicam, cum Mytilenen acceſſiſſet, eumque ſalutatum egreſſi eſſent ciues, Cratippum inter eos conſpicatus ac ad eum conuerſus reprehendit ac de prouidentia diuina pauca quaedam cum eo diſputauit: Cratippo, ne contradicendo moleſtus aut intempeſtiuus eſſet, ſubterfugiente certamen, et ad meliores ſpes ſuſcipiendas deducente. Quem tamen, vt erat viuendi non minus, quam docendi magiſter callidus, prudenti ſermone iniucundam diſputationem contra Philoſophiae ſuae placita declinaſſe, ex iis, quae PLVTARCHVS [r] addit, recte colligitur [s]. Prouidentiae enim in peripatetica ſchola locum nullum fuiſſe relictum, ſuo loco fecimus manifeſtum. Scripſiſſe librum *de diuinatione ex ſomniis*, hocque diuinationis genus praeter furorem ſolum admiſiſſe, ex CICERONE [t] patet. Quod qua ratione demonſtrauerit, exponit idem eodem loco: *Animos hominum quadam ex parte extrinſecus eſſe tractos et hauſtos. Ex quo intelligatur, eſſe extra diuinum animum humanus vnde ducatur; humani autem animi eam partem, quae ſenſum, quae modum, quae appetitum haberet, non eſſe ab actione corporis ſeiugatam: quae autem pars animi rationis atque intelligentiae ſit particeps, eam tum maxime vigere, cum plurimum abſit a corpore.* Qui

o) PLVTARCH. in Cic. T. VI. p. m. 43.
p) Famil. L. XVI. ep. 21.
q) PLVTARCH. in Brut. T. V. p. 703.
r) IDEM in Pompeio T. II. p. 430.
s) Conf. BAYLE l. c. not. B. qui tamen BISSELIVM Plutarchi narrationem ſequentem, praeter rem reprehendit. Paucis enim rerulit Plutarchus, quae Biſſelius more ſuo verbis ampliora fecerat. Rem ipſam leges apud vtrumque.
t) De divin. L. I. c. 32. 50. L. II. c. 48. 52. TERTVLL. de anima c. 49.

Qui locus et Cratippi Peripateticam philoſophiam mire illuſtrat, et ab Ariſtotele de anima humana diſputatis lucem accendit ſatis claram. Quemadmodum enim actiuum intellectum a paſſiuo, animamque ſenſitiuam a rationali eſſentia differre ex hoc loco patet, ita rationalem animum non extrinſecus tantum ingredi hominem eique adeſſe, ſed etiam ex animo quodam diuino decerptum eſſe clare innuitur. Qui animus diuinus, cum Deus ipſe, primusue motor eſſe nequeat ſupremae ſphaerae alligatus, ſequitur, vltimam intelligentiam intellectus vniuerſalis locum praeſtare, fontemque eſſe, ex quo vno omnes animi hauſti ingrediantur homines, vnumque intellectum conſtituant. Quod mirabile dogma Ariſtotelem obſcuriſſime propoſuiſſe, vidiſſe vero poſt Auerroem Ariſtotelicae philoſophiae doctores acutiſſimos, recteque magiſtro tribuiſſe ſuo loco *tomo primo* monuimus, inſigni hoc Cratippi loco in ea ſententia confirmati. Vidit id quoque Baelius, qui cum his conferendus.

Epicuri inter Romanos ſectatores.

§. XXVI. Sed nec Epicuri philoſophiae ſua apud Romanos gratia et fortuna defuit. Et negari quidem non poteſt, odium, quo haec ſecta inter Graecos, Stoicorum potiſſimum cauillationibus et calumniis preſſa fuit, ad Romanos cum hac ſecta eiusque inimicis commigraſſe. Nunquam legiſſe oportet Ciceronis, quos de philoſophia ſcripſit libros [w], qui haec vel ignorat vel vocat in dubium, adeo vbique in Epicuri philoſophiam, immo in ipſum philoſophum Gargettium debachatur, nec parcit ei vllo modo, vt foedae voluptatis reum contortis vbique ratiunculis, deprauatisque locis atque falſis teſtimoniis vſus euincat. Cuius ſpecimina pluſcula cum *tomi ſuperioris capite duodecimo* ex Cicerone allegauerimus, lectorem breuitatis cauſſa eo remittimus. Vnum, ne ſine teſte abeamus, locum eius afferimus, et quidem talem, vbi Epicureos homines, viros bonos ſibique caros commendauit. Ita enim, pro Patrone ad Memmium [x], quocum tamen ſibi praeter philoſophiam omnia eſſe dicebat: *totam hominis vitam rationemque, quam ſequitur in philoſophia, derideamus, licet, ſi haec eius contentionem volumus reprehendere. Sed mehercule, quando illi, caeterisque quos illa delectant, neſcio an ignoſcendum ſit huic, ſi tantopere laborat: in quo etiam ſi peccat, magis ineptiis, quam improbitate peccat.* Alia his multo amariora praetermittimus. Quod tamen ita emolliuit alibi [y], vt Epicureos viros dicat optimos, fateaturque, nullum genus eſſe minus malitioſum: vt ſcilicet amicos, quos habebat Epicureae philoſophiae addictiſſimos, et honeſtatis virtutisque laude inter Romanos illuſtres, quales Atticus, Velleius, hisque fuere ſimiles, ſibi conſeruaret, neque eos offenderet. Animo enim in Epicurum et ſequaces fuiſſe infenſiſſimo, adeo non celauit, vt non tantum acriter, ſed et contumelioſe interdum in eos diceret, vt vel vno orationis *in Piſonem* loco [z] conſtat, qua Epicurum ex hara productum indigna

w) Imprimis Lib. II. de fin.
x) Famil. Lib. XIII. c. 1.
y) Tuſc. Q q. l. III.
z) c. 9. 16. Addi his poſſet HORAT. L. I. ep. 4. vbi edita legunt: *Epicuri de grege porcum*, niſi pro, porcum *parcum*, legendum, recte videretur MEIBOM. ad LAERT. L. X. §. 130.

Digitized by Google

digna tanto viro voce dixit. Fuiſſe vero alios quoque eodem in Epicurum animo inter Romanos, ex iis, ad quos ſcripſit Cicero, facile colligere eſt. Hoc tamen odio non obſtante viderunt viri quidam ſummi illuſtriſque apud Romanos loco poſiti, tantam non eſſe ſoeditatem Epicuri, quantam iactabant Stoici et Academici, nec indignos eſſe eius hortos, ex quibus philoſophiam addiſcerent. Inter quos fuiſſe L. Torquatum, C. Velleium, C. Trebatium, L. Papirium Paetum, Verrium, L. Sanſeium, T. Albutium, L. Piſonem, M. Panſam, M. Fabium Gallum aliosque, ex Ciceronis et Quintiliani ſcriptis accurate docuit GASSENDVS [a], qui de his viris, quorum opera non niſi *παρεργος* in philoſophia fuit, quique a nobis prolixe enarrari non poſſunt, adeundus eſt. Omnium tamen maxime in probanda Epicuri philoſophia inter proceres Romanos eminuit T. Pomponii Attici diligentia, cuius vitam cum deſcripſerit CORNELIVS NEPOS, hic, vbi philoſophiae tantum hiſtoriam condimus, enarrari eam opus haud eſt. Quae etiam de praeclaro eius ingenio et inſigni virtute dici poſſunt, vbique apud Ciceronem, qui collocutorem eum in libris *de legibus* conſtituit, ei librum *de ſenectute* dicauit, et ad eum *ſedecim*, quae ſuperſunt, *epiſtolarum volumina* ſcripſit, occurrunt, et exiguo labore colligi poſſunt. Nos hoc, quod noſtri tantum inſtituti eſt, notamus, virum optimum et a ciuilibus turbis, quibus respublica tum commouebatur, abhorrentem, propter motus in ciuitate a Sylla excitatos Athenas ſe contuliſſe, idoneum tempus ratum ſtudiis obſequendi ſuis, et ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traieciſſe ſuarum. Addit his CORNELIVS [b] *hic ita vixiſſe, vt vniuerſis Athenienſibus eſſet cariſſimus, et communis infimis, par principibus videretur etc.* huicque omnes honores, quos poſſent, publice haberent, ciuemque facere ſtuderent. Ibi non Phaedrum tantum, ſed et Zenonem Sidonium Epicuri ſententias docentes audiuit, huicque ſe totum ſectae tradidit, vt ex CICERONE [c] apertum eſt. Quod dum ex hac potiſſimum ratione negat IONSIVS [d], quod et Cicero Phaedrum et Zenonem cum Attico audiuit, qui tamen Epicureus habitus haud eſt, et is Epicureis omnem doctrinam adimit, Attico tribuit, non attendit ad eum ſatis locum, quem ipſe affert, vbi CICERO [e] Pomponium ita loquenten inducit: *At ego, quem vos, vt deditum Epicuro inſectare ſoletis, ſum multum equidem cum Phaedro, quem vnice diligo, vt ſcitis, in Epicuri hortis, quos modo praeteribamus, ſed veteris prouerbii admonitu viuorum memini, nec tamen Epicuri licet obliuiſci, ſi cupiam, cuius imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis et annulis habent.* Ex eo enim ſole meridiano clarius eſſe putamus, Atticum, non quidem Epicureum philoſophum habitum fuiſſe, hanc enim pro-

a) De vita et moribus Epicuri L. I. c. 6. p. m. 61. qui multum praeſtat Gaudentio, valde in hoc argumento ieiuno.
b) l. c. c. 3. c) ll. cc.
d) De Scr. hiſt. phil. L. II. c. 18. p. 218.
e) De fin. Lib. V.

professionem nemo ex Romanis proceribus ambiebat, sed tamen Epicuro deditum, eiusque philosophiae addictum, eumque non in hortis tantum Epicuri audiuisse Phaedrum, sed et Epicureos inter familiares suos, id est vni addictos sectae retulisse. Non vero doctrina his obstat, quam Attico tribuit Cicero, Epicuro negat. Ille enim ex Romanorum consuetudine elegantioribus literis probe imbutus fuit, antequam ad philosophiam accederet, quas Epicurus tantum non omnes neglexit. Vixisse vero Atticum secundum Epicuri praecepta, et talem se praestitisse, qualem virum bonum esse voluit Epicurus, amplissimo encomio exponit NEPOS *f*. Praestititque in eo quoque se Epicureum Atticus, quod auocatus a rostris, a iudiciis, a curia sibi et amicis priuatus vixerit, quod licet valde improbaret CICERO *g*, ea tamen, quae tum erat, republica, sapienter fieri, fatebatur. Praeter Pomponium Epicuri imprimis partibus ex illustribus Romanis addictus fuit C. Cassius, de cuius fatis PLVTARCHVS *h*, CICERO *i*, Romanaeque historiae scriptores differunt, quem ab Epicuri fuisse secta, PLVTARCHVS *k* monet, et memorabili confirmat exemplo. „Narrat enim, cum inusitatae et monstrosae magni„tudinis spectrum Bruto apparuisset, seque malum eius genium esse, „apud Philippos iterum videndum, diceret, isque Cassio visum expo„suisset, Epicureis rationibus disputauisse, deceptum sensuum fallacia, „mentisque imaginatione commotum, inanem hanc imaginem sibi effor„mauisse, corpusque natura afflictum animum exagitare, atque minus sui „compotem reddere. Addit et hoc, dixisse Brutum, quod longius, quam „Epicurei solebant ab Academiae veteris et Stoae placitis discedebat: Ne„que probabile esse genios vel esse, vel hominum formam habere, vo„cemue aut vim quandam ad nos pertinentem.„ Epicurus enim eiusmodi imagines hominibus apparere interdum concedere videri volebat: licet, quod rei erat, nihil his talibus Epicurei tribuerant. Horum Epicureae philosophiae defensorum patrocinio gauisi Epicurei philosophi Romae inter viros principes fautores plures inuenerunt. Cuius nobis Patro exemplo est, quem a Cicerone fuisse commendatum Memmio supra diximus, vt domum, quam legatam acceperat, tueretur, quem locum Memmius ab Areopago, praetore Polycharmo, obtinuerat, in quo exaedificaret *l*. Vnde non absimilis vero coniectura est GASSENDI *m*, fuisse eum ex haeredum Epicuri successoribus, quos acceptas a praeceptore facultates gnauiter curauisse, suo loco demonstrauimus. Sed et Philodemus Gadarensis ex horum numero fuit, itemque Syron, quos cum optimos viros, tum doctissimos homines CICERO *n*, appellat, illumque Epicureum Ciceronis aetate nobilissimum fuisse ASCONIVS *o* notat, quem et philosophorum historia *p*, et carmina elegantia quidem et acuta, sed

f) loc. cit. *g*) De orat. L. III.
h) In Bruto T. V. p. 690. seqq.
i) Philipp. II. famil. Lib. XVI. et passim.
k) p. 721. *l*) Fam. Lib. XIII. ep. 1.
m) loc. cit. p. 69.
n) De finib. L. II. conf. STRABO L. XVI. p. 759.
o) Ad Orat. in Pis. c. 28. *p*) Meminit eius LAERT. L. X. s. 3. conf. MENAG. h. l.

ſed laſciua [e] fecere memorabilem. Praecipuo tamen nomine in hac philoſophicae hiſtoriae parte Epicurei ideo notandi ſunt, quod primi, vt ſupra iam dictum, fuerunt, qui philoſophiam ſectae ſuae, Latino ſermone, tradiderunt, cum hactenus nemo id eſſet aggreſſus. Id quod tamen non feliciter ſucceſſiſſe plerisque, elegantiae ſcribendi incuriis, Ciceron's locus ſupra adductus probat, et exempla Amafanii atque Catii Inſubri docent. Nam non illum tantum vnum cenſet Caſſius [f] ex malis verborum interpretibus, ſed et hunc eodem collocat ordine, obiectum ſibi a CICERONE [g]. Hinc riſit eum HORATIVS [h]:

Vnde et quo Catius? non eſt mihi tempus, auenti
Ponere ſigna nouis praeceptis, qualia vincant
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platena.

Sed et QVINTILIANVS [i], vbi eos recenſet, qui philoſophiam Graecam Latinis tradiderunt literis, ita de Catio: *In Epicureis leuis quidem, ſed non iniucundus tamen Catius.* Videturque hic Inſuber inter Pſeudo-Epicureos referendus eſſe, qui magiſtri voluptatem foedarunt, et ad ventrem et culinam retulerunt. Id enim velle Horatium, Epicureae ſectae alias fauentiſſimum, totus ille locus loquitur [k]. Ex quibus colligi poteſt, qua ratione de rerum natura ſummoque bono [l] ſcripſerit. Melius conatus ſucceſſit Lucretio, qui inter primos fuit, qui elegantiſſimo carmine philoſophiam Epicuri fuit complexus.

§. XXVII. T. LVCRETIVS Carus, Romanus ſine dubio fuit, *Lucretius.* an Romae, vbi Lucretiorum nomen inter illuſtres familias receptum erat, incertum [m]. Pauca et de eius vita fatisque annotatum nobis reliquere veteres [n]. Natum fuiſſe Olymp. CLXXI. 2. qui A. V. C. DCLIX. eſt, aſſerit EVSEBIVS [o]. Quos habuerit parentes, quam educationem, veterum memoriae tacent; didiciſſe vero in Graecia et forte in ipſis Epicuri hortis eius philoſophiam, dubium non eſt [p]. Relictis Athenis quem vitae curſum domi tenuerit, ignoratur etiam: nec alia nobis refert EVSEBIVS [q], quam, amatorio poculo in furorem verſum quum aliquot libros

e) Conf. IANSIVS loc. cit. Lib. II. c. 18. p. 209. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 814.

f) Fam. L. XV. ep. 19. conf. Ac. Q q. L. I.

g) Lib. XV. ep. 16. fam.

h) L. II. Satyr. 4. Quem a Catio Inſubro quidem diſtinguunt Commentatores, ſed perperam, quod erudite oſtendit BAYLE Dict. T. II. art. Catius not. C. p. 101. i) Inſtit. L. I. c. 1.

k) Vidit id GAVDENTIVS c. XXXVII. p. 157. et poſt eum BAYLE, l. c. et haec ratio eſt, cur Horatius ipſe de grege Epicuri, ſed parcus, et frugalis Epicuri vitae ſtudioſus Catium rideat, nouis vocibus occupatum, quibus voluptatem culinariam, ſapientiamque ventris explicet, Pythagorae, Socratis et Platonis praeceptis gratiorem.

l) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. II. p. 318.

m) Lucretiorum nomen receptum in Veſpillonum et Oſellarum familiis, quarum meminere Cicero et Iulius Caeſar. Quibus tamen dum noſtrum adſcribunt recentiores vitae eius enarratores, coniecturas leuiſſimas ſine fundamento nobis obtrudunt.

n) Ex recentioribus vitam eius, coniecturis maximam partem ducti, delinearunt DIONYSIVS LAMBINVS, OBERTVS GIFANIVS, et BARO DE COTVRES, praemiſſam editionibus Lucretii ab his viris doctis curatis. Pleraque docte congeſſit P. BAYLE Dict. T. III. art. Lucrece, p. 209. ſeqq.

o) In Chronic. virorum doctorum circa natalem Lucretii lapſus corrigit BAYLE l. c. not. B. qui videndus. GASSENDVS l. c. p. 65. natalem in emortualem perperam commutauit.

p) Audiuiſſe Phaedrum et Zenonem Sidonium ex illorum temporum ſucceſſione Scholae Epicureae, coniiciunt vitae eius ſcriptores laudari: nec id ſine veriſimilitudine: nam nec alibi Epicurea diſcendi occaſionem habebat, et peregrinationes literariae apud Romanos praeſertim Athenas eo tempore inualuerant. q) loc. cit.

per interualla insaniae conscripsisset [e], quos postea Cicero emendauit, propria se manu interfeciſſe anno aetatis XLIV. Quem itaque vita non nobilitauit, immortale ei nomen peperit carmen Epicureum, quod ad C. Memmium, philosophorum atque eruditorum fautorem plane summum, de rerum natura conscripsit, quo totam nobis physiologiam Epicuream eleganti castoque dicendi genere, si archaismos quosdam excipias, descripsit, quod vnum nobis ex tota Epicuri schola monumentum doctrinae huius viri integrum seruauere tempora. Id quod tum ob praeceptorum ordinem, tum ob dicendi puritatem et Latinam elegantiam omnis aetatis doctorum virorum laudem et commendationem meruit [f]. Etsi vero Epicuri assectam in eo se totum probauit, rationibusque multa cura et eruditione conquisitis systema atomisticum ita roborauit, vt praeter atomos et inane non aliud principium admitteret, et prouidentiam Deorum improbaret omnem, vt ex Epicureae physiologiae compendio, quod *superiore tomo* pleraque ex Lucretio descripsimus, patet; visus tamen est acutissimo BAYLIO [g], philosophiam suam principiaque, quae ab Epicuro transsumsit, interdum fuisse oblitus, saltem populariter locutus. Non enim Epicureum sonare putat vir doctissimus hoc LVCRETII [h]:

Vsque adeo res humanas vis abdita quaedam
Obterit et pulchros fascis, saeuasque securis
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.

Neque, quod alibi [i] *fortunam omnia gubernantem* in partes vocet. Etsi vero viro acuto facile damus, de vulgi opinione in priori illo loco loqui poëtam, apparet tamen ex tota eius connexione, non loqui eum secundum vulgi opinionem; id est secundum vulgus placita philosophari, sed esse vim istam abditam, fatum illud, siue concursum atomorum earumque resolutionem ineuitabilem, omnibus hominum consiliis imperantem. Male itaque hoc loco vsum fuisse doctissimum RONDELLVM [k], ad prouidentiam Epicuri ex Lucretio exsculpendam *tomo primo* [l], excussa hac physiologiae Epicureae parte, luculenter, nisi fallimur, demonstrauimus, planumque fecimus, iuxta Epicurum et Lucretium motum atomorum declinantem, siue clinamen, qua voce poëta vtitur, caussarum omnium rationalium et moralium fontem et originem statui. Nec alia fortuna est omnia gubernans, nisi fortuitus accessus et decessus atomorum, quo destruitur, quod alio loco exstruitur, atomis perpetuo in motu agitatis, vt accedant, et recedant, sicque solutae alibi implicentur. Quod vero Lucretius Venerem carminis inuocauit initio, id ex lege poëtarum factum esse, omnium optime dicitur, cum facile potuerit per hanc Venerem subtilissimam illam animae partem, quam nomine carere, et rationis auctorem esse

e) Dubitat de eo FABRICIVS Bibl. Lat. T. I. p. 43. cuius tamen exempla plura extant.
f) Dicendum hac de re, in historia critica L. L. vid. quos nominant FABRICIVS et BAYLE ll. cc.
g) l. c. not. F.
h) L. V. v. 1225. seq.
i) L. V. v. 105.
k) In vita Epicur.
l) L. III. c. 13.

Digitized by Google

esse tradit, intelligere. Quamuis autem ita subuerterit prouidentiam Lucretius, vt Epicureis sententiis conuenienter de diuina natura cecinerit [m]:

Nam priuata dolore omni, priuata periclis
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Vitiis tamen infensum se, et acrem passim censorem praebuit, suo etiam exemplo docens, sancta Epicurum tradere, et si propius accesseris, etiam tristia. Passim enim honestatem, candorem, iustitiam commendat, acriterque in vitia sui temporis inuehitur [n], quem morem seruauisse Epicureos veros, suo etiam loco in eorum historia ostendimus. Qua vero ratione quoque nomine inter atheos referendus sit [o], ex iis, quae superiori periodo de atheismo Epicuri disputauimus, facile potest colligi. Certe ex principiis, quae inseruit carmini suo, physiologicis, Deos statuisse apertum est. Ita enim [p]:

Omnis enim per se diuum natura necesse est
Immortali aeuo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus seiunctaque longe.

Eas vero diuinas naturas non e mundo tantum in intermundia relegauit, sed et homines omni earum timore soluit, cunctis atomorum concursui permissis, quae proximam ad impietatem viam struere, quilibet videt. Vnde recentiori aetate veneno parare antidotum multi viri docti conniси sunt, qui contrarium systema Lucretiano euertendo aptum carmine sunt exorsi [q]. Editiones elegantissimi carminis enarrat FABRICIVS [r], inter quas eminet, quam curauit Lucretio fato similis THOMAS CREECH Britannus [s]. Obiit Lucretius A. V. C. DCCIII. vnde errare colligitur auctor *Vitae Virgilii* vetus, qui eodem die Lucretium periisse narrat, quo natus est Virgilius. Hic vero Ol. CLXXVII. 3. A. V. C. DCLXXXIV, in lucem est editus, quo Lucretius XXVI. modo annum vitae agebat [t].

§. XXVIII. Restat vna secta Pyrrhonia siue sceptica; quae tamen Romae iisdem, quibus caeterae, fortunae fauoribus vti non potuit, sed extorris mansit. Non quod sceptica philosophandi ratio Romanis non placuit, sed quod Academica philosophia, quae sobrie magis et prudenter in hac via incedere videbatur, illam quasi absorpsit, et in sua recondit viscera. Cum enim acerbitas Scepticorum, iuncta negligentiae, sectam hanc tantum non omnem extinxisset, et odio quoque atque inuidia philosophos cumulauisset, qui se contra omnes erigebant; factum est, vt, quod *superioris* *Secta Pyrrhonia.*

m) L. I. v. 59.

n) Conf. BAYLE l. c. not. G. et quos laudat. Exempla vbique in hoc carmine deprehendes.

o) Ita plerisque placet. Vid. REIMMANN. Hist. atheismi c. XXXVII. §. 5. p. 250.

p) L. I. v. 59. 60. 61.

q) Latino Heroico, Aonius Palearius, Scipio Capicius, Polignacus Cardinalis et Thomas Ceua. Anglico Henricus Morus, et Richardus Blackmore, Gallico Carolus Claudius Genestus et Italico Alex. Marchetti, de quibus vid. FABRIC. Bibl. Lat. T. II. p. 55. sqq.

r) loc. cit. T. I. p. 43. seqq.

s) Ox. 1695. 8. cum notis magis philosophicis, quam criticis. Suspendio vitam sibi finiuisse ob perditos amores, discet ex IAC. BERNARDI nou. relat. reip. lit. 1700. p. 331.

t) Notauit id iam VOSSIVS de poët. Lat. p. 15.

tomi libro tertio ostendimus *) his, quibus Graeca philosophia inter Romanos efflorescere coepit, temporibus, Pyrrhonis secta, extincta quasi iaceret: id quod suo testimonio confirmauit CICERO x). Quod odium tantum fuisse videtur, vt cum circa Ciceronis tempora Aenesidemus in Aegypto Pyrrhoniam philosophiam reuocaret ex exilio, librosque Pyrrhonios inscriberet Lucio Tuberoni, viro inter Romanos principi, nullibi tamen legamus, tanto patrocinio vsam philosophiam scepticam sectatores Romae inuenisse.

*) c. 10. x) De finib. L. II.

CAPVT SECVNDVM
DE PHILOSOPHIA ROMANORVM CONDITA MONARCHIA.
DEQVE PHILOSOPHIS GENTILIBVS SVB IMPERATORIBVS ROMANIS VSQVE AD SECVLVM POST C. N. OCTAVVM.

SECTIO I.
DE RATIONE PHILOSOPHIAE GENTILIS SVB IMPERATORIBVS GENERALI.

§. I.

Ratio philosophiae sub Caesaribus.

Quum insignia philosophia Graeca incrementa, florente adhuc republica Romana ceperit, quamque propitios inter summos principesque ciuitatis viros patronos nacta sit, praecedente capite, quasi in prolegomenis philosophiae Romanae, exposuimus, demonstrauimusque, etiam ad paucos, tresque tandem viros summa rerum deuoluta, non tamen defuisse philosophiae patrocinium. Tandem electa omni reipublicae libertate, vbi ad vnum redactus esset principatus, isque solus senatui populoque Romano, vix vmbram pristinae ciuitatis tuenti imperare coepisset, mutata quidem Romae sunt omnia, non tamen philosophiae honos suus pretiumque haberi desiit, sed ea porro culta, immo ad maiora et laetiora incrementa promota est. Cuius potissimam caussam inde deriuandam existimamus, quod, qui primus monarchia Romana frui potuit Augustus Caesar, non elegantioribus tantum literis esset excultus, sed philosophiae quoque praeceptis more Romanorum supra exposito innutritus. Qui cum ingenio maximo, artibusque illis, quibus viri in republica principes eo tempore se ornabant, excelleret, restituta tandem, post graues dimicationes, orbi Romano pace, eius etiam fructus et emolumenta promouere, laudabili fategit instituto, et hoc quoque nomine atque caussa philosophiam, qua

Google

qua nihil apud Romanos viros doctos habebatur praestantius, egregie promouit. Quem secuti ex Caesarum gente viri maximi, cum insigni auctoritate pollerent, eandem dignitatem philosophiae tuiti sunt, et ad dominatum tandem euecti, non ipsi tantum philosophiae studium non abiecerunt, sed etiam quos gubernando imperio adhibebant, ad easdem artes et philosophiam colendas impulerunt. Ex quibus dici non potest, quam laeta philosophiae seges efflоruerit, cum in seculo potissimum Augusteo vix quisquam dignitate atque eruditione eniteret, qui non philosophiam ita degustasset, vt eius in vitae illius historia vestigia apparerent. Qua philosophiae felicitate excitati, qui eius professionem sequebantur, per omnes fere Graeciae sectas in promouendis sectae suae incrementis diligentissimam nauauerunt operam. Quo factum est, vt licet interdum sub dominis essent, vel philosophiae et philosophis inimicis, vel voluptatis magis quam sapientiae curam gerentibus, attamen, diuersa licet fortuna, sectae potiores vsque ad ea tempora, quibus gentilis religio in imperio Romano tantum non omnis euanuit, quod circa Sec. IIX. initia fere factum, sectatores inuenirent plurimos et insigniter florerent; noua etiam et monstrosa secta conderetur, quae reliquos omnes tantum non suppressit, et quasi deuorauit. Quae si paulo curatius expendamus, historiae Romanae, quòusque gentilis religio in orbe Romano dominata est, vno quasi oculi ictu intuentes ambitum, innumeros fere deprehendimus vel philosophos, vel philosophiae cultores, qui quidem professionem philosophorum non secuti sunt, attamen philosophiam didicerunt. Quos vero enumerare omnes nec necessarium esse putamus, nec possibile; cum hi quidem ad philosophiae historiam non pertineant, sed vel eruditionis disciplinarumque aliarum laude, vel muneribus publicis nominis famam consecuti sint. Ex quibus potiores tamen, ne hic quoque abeamus ἀσύμβολοι, strictim carpemus, summatimque delibabimus, sequentibus vero sectionibus historiam singularum Sectarum diligenter perquiremus, et quae fata habuerint, quosue sectatores, enarrabimus. In qua noua eius historiae periodo, cum non nisi Grecae sectae occurrant, praeter vnam eclecticam sectam, quae nefando syncretismo Platonicam philosophandi rationem adulterauit, nouumque philosophiae ex omnibus fere orbis placitis conflatae chaos condidit, systematum enarrandorum labore supersedere eo facilius possumus, quo diligentius ea *tomo primo* sumus prosecuti.

§. II. Fuisse Romae vix virum aliquem eruditionis laude clarum, qui non philosophiam attigisset, virosque summos et ad clauum reipublicae admotos ei honorem habuisse, et intra musea sua recepisse, superiore capite diximus. Eadem ratio sub imperatoribus fuit, cum et viri summi, qui poëticae arti, historiarum, aliarumque disciplinarum studio se toti dederant, et viri in republica et in aula illustres ostenderint, se a sapientiae huius praesidio non esse imparatos. Vtriusque generis exempla quaedam illustria magis et memoria digna paucis exponemus. Et inter doctos quidem, et eru- *Virgilii Philosophia.*

ditione

ditione nomen famamque sibi immortalem conciliantes hoc tempore viros VIRGILIVM merito aliis anteponimus, quem carminis elegantia et artificio, et sermonis nitore parem non habuisse, epicumque carmen apud Latinos ad perfectionem suam perduxisse, in Poëtios historia enarrandum est, nec ad nostri instituti limites pertinet. Incubuisse vero illum in philosophiam, testatur SERVIVS [a], qui cum Quintilio Varo sub Sirone [b] philosopho Epicureo philosophiae operam eum dedisse, notat. Vnde ipse in epigrammate:

Magni petentes docta dicta Seironis.

Et in poëmate, cuius titulus *Ceiris:*

Etsi me vario iactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis praemia vulgi,
Caecropius suaueis exspirans hortulis aura
Florentis viridi sophiae complectitur vmbra [c],

Non negat hoc, qui vitam eius scripsit, DONATVS [d], sed Academicum tamen magis, siue Platonicum fuisse, cum diuina conderet carmina, putat. Ait enim: *Audiuit a Silone* (Sironem alii vocant) *praecepta Epicuri, cuius doctrinae socium habuit Varium. Quamuis diuersorum philosophorum opiniones libris suis inseruisse, de animo maxime, videatur, ipse tamen fuit Academicus. Nam Platonis sententias omnibus aliis praetulit.* Id quod tamen non sine cautione admittendum est. Scilicet non deseruisse Virgilium, cum carmina fecisset sua, hortos Epicuri, aliquoties tam luculenter prodidit, vt qui Epicureae sectae alumnum non agnoscat, merito quid Epicureum sit, ignorare videatur. Ita enim de rerum omnium origine, ad Quintilium Varum, in hortulis Epicuri olim commilitonem [e]:

Namque canebat vti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque animae marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis, vt his exordia primis,
Omnia et ipse tener mundi concreuerit orbis.

Quibus versibus rerum omnium primordia ex seminibus, siue atomis per inane iactatis et coactis et inani constantia, indeque elementorum originem elegantissime canit. Et ne prouidentiam tanto operi immiscuisse, suspicemur, ecce hominem prorsus Epicureum [f]:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis auari.

Quem primarium omnis physiologiae Epicureae finem esse, superiori tomo [ff] ex ipsis Epicuri *ratis sententiis* demonstrauimus. Alia, ne nimii simus, non addimus, sed lectoris attentioni notanda relinquimus. Recte tamen

a) Ad eclog. VI.
b) Meminit huius philosophi etiam CICERO de finib. L. II.
c) Hinc inter Epicureos philosophos Virgilio locum dedere GASSENDVS de vita Epic. L. II. c. 6. p. 72. et FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 815. seqq. et Bibl. Lat. L. I. c. 4. §. 4. p. 50.
d) P. III. 11. edit. H. Stephan.
e) Eclog. VI. v. 31. seq.
f) Georg. L. II. v. 490. ff) L. III. c. 18.

itized by Google

men monuit Donatus, diuerſorum philoſophorum opiniones libris eum ſuis inſeruiſſe, maxime Platonicas, vel, quod magis verum, Stoicas. Illud enim non de Virgilio tantum, ſed omnibus fere poëtis, hiſtoricis, geographis aliisque ſeculorum horum ſcriptoribus Romanis probe tenendum, eos, vbi ſectae alicuius placita tradere non ſuſcepiſſent [g], ſed philoſophiae dogmata obiter tantum tangere carminibus opus habuiſſent ſuis, non illius tantum ſectae, cui addictiores, quam reliquis, erant, doctrinam ſecutos fuiſſe, ſed aliarum quoque ſectarum paſſim inſperſiſſe dogmata, prout carminis habitus atque nitor et materiae ſubſtratae poſceret conditio. Ad quam obſeruationem cum ſaepius nobis in ſequentibus proüocandum ſit, ea probe tenenda ſt, ſine qua vix de horum ſcriptorum philoſophia certi quid poteſt diſcerni.

Qua in re memorabili Virgilius exemplo eſt, qui paſſim per alias ſectas vagatur, earumque placita pangit. Ita, *ecloga quarta* [h] canens.

Vltima Cumaei venit iam carminis aetas
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo
Iam redit et virgo redeunt Saturnia regna,

manifeſte Platonis annum exprimit, vt elegantiori ſub ſchemate Pollioni de nato gratularetur filio, id quod SERVIVS iam vidit atque monuit [i]. Stoicos vero, qui rerum omnium primordia ex anima diuina per omnem materiam diffuſa deriuabant, ita eleganter docentes depingit [k]:

His quidam ſignis, atque haec exempla ſecuti
Eſſe apibus partem diuinae mentis et hauſtus
Aetherios dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, Coelumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet huc reddi deinde ac reſoluta referri
Omnia, nec morti eſſe locum, ſed viua volare
Sideris in numerum atque alto ſuccedere coelo.

Sic et alio loco [l] Anchiſen inducit philoſophantem:

Principio coelum ac terras campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, et magno ſe corpore miſcet:
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monſtra ſub aequore pontus.
Igneus eſt ollis vigor, et coeleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque: dolent gaudentque: nec auras

g) Vt fecit Lucretius, qui Epicurea, Manilius qui Stoica profecutus eſt.
h) v. 5. ſeqq.
i) Conf. GAVDENTIVS c. CLXXIV. p. 242. ſeqq.
k) Georg. L. IV. v. 220. ſeq.
l) L. VI. Aeneid. v. 724. ſeqq.

Reſpiciunt, clauſae tenebris et carcere coeco,
Quin et ſupremo quum lumine vita reliquit.
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt peſtes, penitusque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt, aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quisque ſuos patimur manes; exinde per amplum
Mittimur Elyſium, et pauci laeta arua tenemus,
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aethereum ſenſum atque aurai ſimplicis ignem.
Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Letheum ad fluuium Deus euocat agmine magno.
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant,
Rurſus et incipiant in corpora velle reuerti.

Quem locum, etſi longiuſculum ideo totum hic apponere placuit, quod Stoicam phyſiologiam egregie prorſus exprimit. Licet enim fabulas poetarum de ſtatu animarum poſt mortem immiſceat poëta [l], vt carminis iuuaret habitum atque elegantiae poëticae decus ſeruaret, reliqua tamen omnia adeo aperte Stoicas hypotheſes redolent, vt miremur, poſt MACROBIVM [m], ex ſectae ſuae more cuncta Platoni vindicantem, non GAVDENTIVM [n] tantum hic ceſpitaſſe, ſed et illo in veterum doctrina millies oculatiorem CVDWORTHIVM [o] Pythagoricum dogma hic quaeſiuiſſe. Aperte enim animam diuinam per omnia fuſam omnibus prorſus rebus ineſſe, illamque mentem ignem eſſe ſtatuit; hinc animae coeleſtem originem, motuumque et paſſionum eius quatuor generibus diuiſorum, originem deriuat, et poſt mortem magnam Stoicorum ſpem euadendi ad ſuperiora, corporeis ſordibus deterſis, ponit, magnamque illam periodum, qua ſuccenſis omnibus nouus ex Ioue orbis proditurus eſt, luculenter innuit. Quae cum mire cum dicto loco conueniant, Stoicos hic ſenſus et decreta phyſica dediſſe Virgilium, dubitandum non eſt. Quod licet ſua radiare claritate euidens ſit, non tamen inde recte concluditur, Virgilium deſertis Epicuri hortulis ad porticum tranſiiſſe. Ex priori enim, quem adduximus, loco manifeſtum eſt, poëtam non ſuam ſed aliorum philoſophorum, a ſua, quam ſequebatur, ſecta, diuerſorum placita enarraſſe. Quod dum initio mox ita indicet: *Quod QVIDAM ſignis etc.* miramur, ad id non attendiſſe viros doctiſſimos, qui de Virgilii atheiſmo diſputarunt, hancque ei maculam

l) Ex quo ſequitur, verba non nimis eſſe premenda. Multa enim aliena admiſcebant poëtae philoſophicis Dogmatibus, id quod Tom. I. de poëtarum theologia differentes iam monuimus.

m) Somn. Scip. L. II. c. 12. p. 161.

n) L. c. p. 248. ſeq.

o) Syſt. intell. c. V. ſect. 4. §. 29. p. 1155. quem ideo notauit interpres doctiſſimus.

Iam ob iſtas Stoicas hypotheſes inuſſerunt. Qua de re quae dixerint RICH. SIMONIVS [p], P. BAYLE [q], G. G. LEIBNIZIVS [r] et N. HIERONYMVS GVNDLINGIVS [s], notum eſt. Qui ſi cogitaſſent, nec atheismum ex hoc Virgilii loco aliter, quam de tota ſecta Stoica fieri poteſt, poſſe concludi, nec eam eſſe ipſius Virgilii, ſed quorundam aliorum, ſententiam, parcius in elegantiſſimum hunc vatem opprobrium coniecisſent, cautius etiam CVDWORTHVS [t] inter recte ſentientes Numinis profeſſores eum retuliſſet: In quo vtroque extremo eos nimios fuiſſe, ex adductis eſt manifeſtiſſimum. Alias philoſophorum apud Virgilium hypotheſes e. g. ſtellas maris exhalationibus nutriri, hisque ſimiles, breuitatis cauſſa ſilemus. Philoſophiae moralis eandem fere, quam naturalis et diuinae rationem Virgilius habuit, qui mox Epicurea principia ſecutus eſt, mox fato Stoico heroëm ſuum inuoluit, mox Academico ſiue Platonico more de corpore animae carcere differit, etc. Praeſertim ex Romanorum conſuetudine ſtoica de virtute praecepta ei arriſere [u], vt ex locis patet a Cl. STOLLIO [x] adductis, quae conſuli ipſa velimus. Quae omnia tamen vt non eo fine immiſcuit poëta, vt philoſophiam doceret lectorem, ſed vt carminis decorem ſententiis tueretur philoſophicis, nec philoſophum faciunt, nec doctorem eius omnium optimum, quod nimius Virgilii amor olim magno perſuaſit SCALIGERO. Non omittendum de Virgilio hoc quoque; eum medicinae et mathematicae artis cognitione imbutum, anno LII. vt vltimam manum Aeneidi imponeret, ſtatuiſſe in Graeciam et Aſiam ſecedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare, vt in reliqua vita tantum philoſophiae vacaret. Sed in itinere languorem nactum reuerſum Brunduſium obiiſſe [y].

§. III. Poſt Virgilium inter poëtas Latinos excellit omnium maxime Q. HORATIVS FLACCVS illi aetate ſuppar, quem inter Epicuri aſſeclas a plerisque numerari videas [z]. Ipſum Epicureum voluiſſe videri, ex his eius verſibus patet [a]: *Horatii philoſophia.*

Me pinguem, et nitidum bene curata cute viſes,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Pro quo *parcum* non ſine ingenio legit MEIBOMIVS [b]. Nec multa obſcurius alibi [c]:

Parcus Deorum cultor et infrequens
Inſanientis dum ſapientiae
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos.

p) Bibl. crit.
q) Contin. des penſees ſur les com. p. 119.
r) Theodic. diſc. prelim. p. 13.
s) Gundlingian. P. XLIV. §. 80.
t) L. c. c. IV. §. 19. p. 437. Praeiuit LACT. I. I. c. 5. conf. Cl. ZIMMERMANN. de atheiſmo Plat. Amoenit. lit. T. XIII. p. 128. ſeq.
u) Conf. LVDOV. THOMASIN. methode d' etudier les poëtes chretiennement P. I. L. II. c. 8.
x) Hiſt. philoſ. mor. gentil. §. CXCV. p. 374. ſq.
y) DONATVS L. c. p. 6.
z) GASSEND. l. c. p. 72. FABRIC. l. c. p. 811. REIMMANN. Hiſt. atheiſm. c XXXVII. p. 255. STOLL. Hiſtor. phil. mor. gent. p. 385.
a) Epiſt. I. I. ep. 4. b) Ad LAERT. L. X, ſ. 132.
c) Lib. I. od. 34.

Digitized by Google

Paſſim etiam inſignia apud eum philoſophumena occurrunt, quae Epicuri hortos ſapiunt, qualia praecipue ſermones eius exhibent. Recte huc etiam ſcommata in Stoicos refert Cl. REIMMANNVS [d], qui locutiones quoque eius ſordidas hanc ſectam referre putat; in quo tamen ex vitio ſectatorum quorundam iniuriam ipſi ſectae fieri, ex iis liquet, quae ſuo loco de infamia hortorum Epicuri diſſeruimus, immo ex ipſo Horatio demonſtrari poteſt, qui dum Catium Epicureum multo ſale ſatyrico perfricat [e], eo quod philoſophiam Epicuri ad culinam ventremque, et voluptatis corporeae inſtrumenta traduxiſſet, hoc ipſo meliorem caſtioremque inſediſſe ſectae Epicuri opinionem indicat atque fatetur. Etſi vero ex adductis Horatii verſiculis manifeſtum eſt, fuiſſe eum hortorum Epicuri ſectatorem, duo tamen notanda ſunt, quae de Horatii philoſophia diſtincte ſtatuendum eſſe monent. Primum enim, ipſe fatetur [f] ſe Athenis philoſophiae operam dantem, in Academia didiciſſe philoſophiam:

Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet vt poſſem curuo dignoſcere rectum,
Atque inter ſiluas Academi quaerere verum.

Tum vero in Academia vltimus adhuc docuit Antiochus, qui Platonica, Stoica et Peripatetica inter ſe conciliabat. Quem licet non ſequeretur Horatius, libertatem tamen inde illam, quae nullius ſe magiſtri placitis totam mancipat, didicit, qua in carminibus ſuis, ex ratione §. *praecedente* dicta, vſus eſt, et de qua elegenter [ff]:

Nunc itaque et verſus et caetera ludicra pono,
Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc ſum,
Condo et compono, quae mox depromere poſſim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter;
Nullius addictus iurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes,
Nunc agilis fio, et merſor ciuilibus vndis,
Virtutis verae cuſtos rigidusque ſatelles;
Nunc in Ariſtippi furtim praecepta relabor.

Alterum, quod notari in hac re meretur, hoc eſt, videri Horatium, vel fortunarum ſuarum iactura, aliaue calamitate de diuina, quae rebus ineſt omnibus prouidentia fuiſſe monitum, vel ceſſantibus, quas temperamentum eius proſequebatur, voluptatibus [g], ſerio magis et ſeuere philoſophari coepiſſe. Prius adducti ſupra verſiculi ſuadent, quibus ab inſanienti ſe philoſophia reuocari luculentis diuinae prouidentiae ſpeciminibus fatetur; poſterius diuerſis locis innuere videtur, et imprimis in celebri ad Maecenatem epiſtola [h], qua ſibi non eandem quam prius, aetatem, non mentem eſſe dicit, monerique ſe, vt ſenectutem tandem aliquando ſeriam ducat, ſuisque annis et perſonae decoram. Vnde ad virtutis Stoicae, ſeueriorem-que ſapientiae diſciplinam ſeſe conuerſum, ſeria iam ſcribere ait, licet inuita forte

d) L. c. vid. Lib. I. Sat. 3. Lib. II. Sat. 3. e) L. II. Sat. 4. f) L. II. ep. 2. ff) L. I. ep. 1. g) L. II. ep. 2.

Singula de nobis anni praedantur euntes,
Eripuere iocos, Venerem, conuiuia, ludum.

Digitized by Google

forte Minerua ad priſtinos interdum de voluptate ſenſus relabatur. Haec volunt verſus ſequentes:

Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem:
Solue ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat etc.
Nunc agilis fio, et merſor ciuilibus vndis
Virtutis verae cuſtos rigidusque ſatelles;
Nunc in Ariſtippi furtim praecepta relabor etc.

ſuntque in hac epiſtola Stoica pluſcula, qualia ſunt:

Virtus eſt vitium fugere, et ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.
Rex eris, aiunt
Si recte facies
Ad ſummam, ſapiens vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Ex quibus parca, vt inſtitutum noſtrum poſtulat, manu datis, facile cuiuis ad rem ipſam attendenti de philoſophia Horatii erit iudicium [i], et quousque admittendum ſit, quod DAN. HEINSIVS [k] contendit: non referendum eſſe Horatium ad Epicuri gregem, ſed Eclecticis a Potamone tunc conſtituta ſecta adnumerandum: qua de re infra.

§. IV. Sequitur inter poëtas OVIDIVS, inter cuius carmina haud pauca deprehenduntur, quae in Graecorum philoſophia non parum exercitatum fuiſſe loquuntur. Qui tamen, vt reliqui poëtae, non ipſe egiſſe philoſophum cenſendus eſt; etſi enim philoſophorum paſſim placita ſuis interſeruit carminibus, interpres tamen magis eſt philoſophiae Graecae, quam ipſe philoſophus. Exemplum eius illuſtre eſt theogonia, quam veteres theologos Graecos ſecutus in ipſo metamorphoſeων limine elegantiſſime expoſuit. Quem licet communem populorum aetatis ſuae ſententiam expreſſiſſe CVDWORTHVS [l] tueatur, cum Graecis tamen theogoniis comparanti erit manifeſtiſſimum, illos Ouidium ſecutum eſſe, licet quem preſſius ſecutus ſit, definiri accurate nequeat. Summa eius haec eſt: Initio fuiſſe chaos, diſcordia rerum ſemina continens; ex hoc ortum eſſe et mundum, et formas Deorum. Hanc congeriem litemque diremtam a Deo et natura [m], eiusque cura mundum formatum et ornatum fuiſſe: et tandem hominem natum vel ex diuino ſemine, vel ex aethere cognati coeli ſemina retinente; huncque hominem in effigiem Deorum, quorum curae et prouidentiae mundum Deus diſtribuit, eſſe formatum. Quae

Ouidii philoſophemata.

b) L. I. ep. 1.

i) GVIL. BERGERI et IO. HENN. FORELLII diſſ. de philoſophia Horatii nobis non viſas laudat FABRIC. Bibl. Lat. T. II. p. 321.

k) De Satyra Horat.

l) Syſt intell. c. IV. §. 14. p. 275. Conf. BAYLE T. III. art. Ouide not. G. p. 556.

m) Intrudit hic naturam ſuam genitricem CVDWORTHVS, de qua tamen non cogitaſſe Ouidium apertum eſt. Deum vero hunc et naturam non diuerſa eſſe, omnino veriſimile eſt, nec aliud illa videtur eſſe, quam neceſſaria Dei in materia latentis actio et commotio, qua cuncta ex legibus amicitiae et diſcordiae ordinata tandem ſunt, formamque acceperunt. Qua de re nos ſuo loco.

paulo comtius ornata ſunt, Graecis, rem ipſam tamen, ab his expreſſam continent, et imprimis Empedoclea ſapiunt, ſcholamque Pythagoream, cuius ſyſtema elegantiſſimis verſiculis [n] expreſſit, et imprimis Empedocleam phyſiologiam luculenter expoſuit. Ridet enim eos, qui mortem ſtygis metu timent, cum illae non moriantur, ſed nouas ſemper ſedes quaerant migrentque: tum praecipit, nihil interire, omnia mutari, tranſire ſpiritum hominis in feras; nihil eſſe, quod toto perſtet in orbe, cum ſemper omnia fluminis inſtar labantur et mutentur. In quo tamen Pythagoricam μετεμψύχωσιν cum Stoica μετενσωματώσει confundere videtur. Aſſumit etiam Empedoclis et Heracliti dogma, noſtra ſemper corpora ſine requie verti nec eſſe nos, quod vel heri fuimus, vel cras erimus. Ipſa porro, Empedoclem ſecutus, addit elementa mutari, omnia ex ipſis fieri, in ea redire, ipſa inuicem commutari, monens, naſci vocari

Incipere eſſe aliud, quam quod fuit ante, morique
Deſinere illud idem, cum ſunt huc forſitan illa
Haec tranſlata illuc.

Coelum itaque et tellus formas mutare, nosque, partem eſſe mundi, et quoniam in omnes creaturas ire condique poſſimus, aliorum animas poſſe habere. Non igitur eſſe viuendum carne, ſed alimenta carpenda congrua, et nec piſcibus veſcendum, nec brutis. Hactenus Ouidius, qui licet ſatis luculenter phyſiologiam Pythagorico-Empedocleam exprimat, ideo tamen inter Italicae ſcholae ſectatores referri non poteſt. Non enim ipſe ſuam de hac rerum omnium origine, transmutatione, et facie ſententiam exponit, ſed Numam loquentem inducit, qui cum vulgi rumore et opinione Pythagoreus haberetur, hanc ei perſonam Ouidius induit, et Pythagoreis principiis ſeriem euoluere fati iuſſit. Perperam itaque ex hoc metamorphoſeων epilogo coniecere viri docti et in his ROBERTVS HOOCKIVS [o], Ouidium in metamorphoſi ſua ſub fabulis illis deſcribendas ſibi propoſuiſſe varii generis mutationes, quae telluri contigerunt, et ſyſtema quoddam hiſtoriae naturalis tradere. Nihil enim aliud ſibi propoſitum habuit poëta ingenioſiſſimus, quam mythologos Graecos exprimere, et facundiam carminis atque fertilitatem ingenii, deſcriptionibus luculentis et viuis demonſtrare: licet non negemus, mythologiae veteris partem aliquam, poſt hiſtoricam, fuiſſe etiam philoſophiae naturalis, cui nempe illae fabulae, emendata theologia fabulari rationibus philoſophicis accommodatae ſunt. Qua de re cum *tomi primi libro ſecundo* pluribus actum ſit, eo lectorem remittimus.

Manilii philoſophia.

§. V. Praeter triumuiros hos inter poëtas Latinos, ob philoſophiae in carminibus expreſſae veſtigia notari adhuc debent, Manilius, Lucanus et Perſius, qui Stoicorum decretis propenſi fuerunt. Et M. MANILIVS quidem, quem cum Manlio mathematico PLINIO [p] memorato quidam

n) Lib. XV. v. 150. ſeqq.
o) Vid. Act. erud. 1707. p. 155. vbi breuem operum eius poſthumorum habes recenſionem. Diſplicere ſibi hanc ſententiam faſſus eſt FABRICIVS Bibl. Lat. T. II. p. 364 ſeq.
p) Lib. XXXVI. c. 10.

Digitized by Google

quidam eundem esse putant [q], qui epico carminis genere *astronomicon* ad Augustum scripsit [r], in quo corpora caelestia eleganti et iucundo poëmate descripsit, vel hoc solo nomine in historia philosophiae non prorsus praetereundus. Verum mysteriis quoque philosophiae imbutum fuisse, passim prodit: cumque physiologiam Epicuream, quae mundi compagem sine Deo eiusque prouidentia constare tradit, indignam philosopho censeret, ad Stoicorum castra secessit, Deumque mundi animum esse, omnibus intentum, omnia peruadentem passim inculcat. Illius odii in Epicurum testes hi versus sunt [s]:

Quis credat, tantas operum sine numine moles
Ex minimis coecoque creatum foedere mundum?

Stoicae autem physiologiae palmarium dogma hoc est [t]:

Namque canam tacita naturam mente potentem
Infusumque Deum coelo terrisque fretoque
Ingentem aequali moderantem foedere molem
Totumque alterno consensu viuere mundum,
Et rationis agi motu, quum spiritus vnus
Per cunctas habitet partes atque irriget orbem,
Omnia peruolitans corpusque animale figuret.

Similia passim interserit [u], breuitatis gratia hic omittenda. Visus hanc ob doctrinam Stoicam dignus Manilius ANT. COLLINO [x], quem pantheismi fautoribus aggregaret, quemadmodum inter Spinozae praelusores eum retulit MOSHEMIVS [y]: qui probe notat, hominem Stoicis hypothesibus imbutum cum Zenone adeo ineptire, vt mundum vniuersum Deum esse censeat. Ita enim mire Στωικῶς canit [z]:

Ac mihi tam praesens ratio non vlla videtur,
Qua pateat mundum diuino numine verti,
Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse magistra.
Vt voluit credi, qui primus moenia mundi
Seminibus struxit minime - - -

Quibus frustra opponit Cl. REIMMANNVS [a]: *non sequi exinde, eum mundum pro ente infinito et aeterno habuisse, vsitatum quippe fuisse ethnicis, iis quoque entibus Dei nomen tribuere, quae nouerant esse a Deo producta. Manilium etiam mundum hunc productum a ratione, quae ei inest, dicto loco distinguere.* Primum enim huc non pertinet, cum per mundum non Deum quendam, sed ipsum Deum, numenque quo vertitur mundus, intellexisse ex ipsis eius verbis pateat, nec Stoica aliter physiologia patiatur, quam totum hoc, quo continemur, et vnum esse, et Deum. Alterum nihil caussam Manilii iuuat, qui, licet a mundo rationem, quae mundo ineſt, distin-

q) RICCIOLVS in Almagesto, FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 293. qui vero T. II. p. 409. sententiam mutauit.
r) Prolixe de eo FABRIC. l. c. quem vide.
s) Lib. I. v. 492. 493.
t) L. II. v. 61. u) L. IV. v. 915.
x) Delib. cogit. p. 219. cui praeiuit TOLANDVS Origin. Iudaic. p. 106.
y) Ad CVDWORTH. Syst. intell. c. IV. §. 20. n. 38. p. 438.
z) L. I. v. 483. sqq. nec id negat CVDW. l. c.
a) Hist. ath. c. XXXVII. §. II. p. 259. seqq.

diſtinguat, facit id tamen more ſenſuque Stoico, quatenus pars agens patienti, ſiue materiae craſſiori in vno toto opponitur. Quae hoc quidem efficiunt, non prorſus cum Spinoza facere Manilium, ſed nec pia magis, nec meliora multo eum aſſerere; vt ex iis liquet, quae *tomo primo* de Stoicorum his dogmatibus et atheiſmo iis obiecto diſſeruimus. Eandem in claſſem poëtarum Stoicis faüentium M. ANNAEVM LVCANVM referimus, Senecae fratris filium, qui praeter Palaemonem Grammaticum, et Virginium Flauium rhetorem Cornutum philoſophum praeceptorem habuit, vnde amor eius erga Stoicorum dogmata enatus fuit; Cornutum enim inter Stoicos eminuiſſe, in ſequentibus dicemus. Prodidit hanc paſſim in porticum propenſionem, in Pharſaliae carminibus, quae bellum ciuile Caeſaris et Pompeii enarrant, ſatisque luculenter iuuenilium annorum impetum produnt. Exemplum laudati Stoiciſmi ſupra in Catonis deſcriptione dedimus, ad quod breuitatis cauſſa, prouocamus. Vnum damus eumque illuſtrem Stoicae phyſiologiae locum [b]:

Lucanus.

Sic cum compage ſoluta
Secula tot mundi ſuprema coëgerit hora,
Antiquum repetent chaos omnia, miſtis
Sidera ſideribus concurrent: ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere litora nolet,
Excutietque fretum; fratri contraria Phoebe
Ibit et obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi: totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit foedera mundi.

Alia, et in his fati quoque ſideralis deſcriptionem et aſſertionem Figulo tributam, hic pratermittimus. Philoſophicum magis argumentum profecutus eſt A. PERSIVS FLACCVS, qui etiam ex Cornuti ſchola prodiit, Lucanumque commilitonem et amicum habuit. In ſatyris enim adeo ſtrenue ſequitur Stoicae ethicae praecepta, vt recte appellari queat

Perſius.

Virtutis verae cuſtos rigidusque ſatelles,

Quo nomine Stoicam ſe ethicam proſequentem appellat HORATIVS [c]. Qui cum ſeueriſſimae diſciplinae praeceptorem eſſet nactus, acerbus vitiorum reprehenſor et rigidus virtutis Stoicae doctor, in ipſa iuuentute (vix enim XXVIII. annos vixit) euaſit, et vbique Stoica praecepta diſſeminauit. Cuius illuſtre prorſus exemplum eſt *ſatyra tertia*, qua ſub perſona Stoici philoſophi iuuenes Romanos monet, ne otio et mollitie corrupti, vel patrimoniis et natalibus freti philoſophiae ſtudia negligant, quae ſola vitiis mederi, virtutem et honeſtatem docere, animum bene conſcium et vitae felicitatem largiri queant. Cuius ex multis en carptim paucula:

Diſciteque o miſeri, et cauſſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, et quidnam victuri gignimur, ordo

Quis

b) L. I. v. 74. ſeqq. Quae vero paſſim occurrunt voces Epicureae, v. g. L. VI. v. 445. ſeqq. non ad Lucanum trahendae ſunt, ſed ad carminis σχῆμα, quod eas poſcebat. c) L. I. ep. 1.

Digitized by Google

Quis datus, aut metae quam mollis flexus, et vnde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid aſper
Vtile nummus habet, patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus eſſe
Juſſit, et humana qua parte locatus es in re.

Quibus verſibus Stoicam de officiis doctrinam eleganter comprehendit. *Satyra* vero *quinta* dum Cornutum praeceptorem laudibus extollit, prodit etiam quo loco Stoicam philoſophiam habeat, et ſolum ſapientem eſſe liberum Stoico more eleganter edifſerit; et paſſim porticus principia ſententiis [d] exponit ſuis [e]. Addi his poſſent ex poëtarum Latinorum choris alii, niſi vela contrahere inſtitutum iuberet. Vnus Seneca tragoedus, quem locum in theatro etiam philoſophico ceperit, oſtendit: cuius tragoedias, ſi modo vnius ſunt, non inepte philoſophiam cothurnatam perſonatamque ſtoam dixeris.

§. VI. Quod de poëtis Latinis dictum eſt, idem de hiſtoricis quoque dici poteſt, eos philoſophiae ſtudiis in iuuentute innutritos narrationibus ſuis paſſim praecepta philoſophiae, prout locus, perſona, res atque materia poſcebant, inſperſiſſe: id quod adeo notum et peruulgatum eſſe putamus, vt non eſſe credamus quenquam, qui vel a limine eorum ſcripta inſpexit, qui haec negauerit. Vt tamen et hic ſymbolam addamus noſtram, paucos in exemplum producemus. Et principem quidem locum recte LIVIO dari, nemo forte pertinacius diſputauerit. Hunc in philoſophorum album tranſcribit SENECA [f], qui ita: *Nomina adhuc Liuium. Scripſit enim et dialogos, quos non magis philoſophiae annumerare poſſis, quam hiſtoriae, et ex profeſſo philoſophiam continentes libros.* Nihil tamen horum non ſupereſſe tantum hodie, ſed ne quidem memorari apud veteres ſcriptores alios, merito mireris. Et habet quidem in hiſtoriae Romanae opere haud raro ſententias philoſophicas, ſed quas non ex ſectarum ſcriniis, ſed ingenii practica ratione iudicantis acie congeſſit. Quae vero de ἀθεεσιδαιμονίᾳ Liuii inter TOLANDVM [g], IO. FAYVM, EL. BENOIST aliosque [h] diſputata ſunt, cum huc non pertineant, ea praetermittimus, in hiſtoria atheiſmi ſpeciali quaerenda. Liuio iungimus TACITVM, conſuetudine ad ciuilem philoſophiam hiſtoriam referendi eo tantum non ſuperiorem. Eum Stoicis iungit LIPSIVS [i], nec prorſus male, ſi quaedam loca reſpicias, quibus Stoicos commendat, qui in corrupta Romanorum imperatorum aula ſaepe ſeuerae virtutis commendatione et exemplo eminebant [k]. Alibi tamen nec Epicurum dedi-

Hiſtoricorum Latinorum philoſophia.

Liuius.

Tacitus.

gna-

d) v. 66. ſeqq.

e) Sententias eius morales collegit STOLLIVS Hiſt. phil. mor. gent. §. CCVIII. p. 437. ſeqq.

f) Epiſt. 100. Conf. GAVDENTIVS l. c. c. XII. p. 381. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 199.

g) Cuius Liuius ἀθεεσιδαίμων, ſiue de ſuperſtitionis culpa Liuio falſo impacta, prodiit Hagae Comit. 1709. 8. h) Enumerat huius controuerſiae hiſtoriam S. Reu. MOSHEM. in vita Tolandi §. 28. Vindic. vet. Chriſtian. p 151. ſeqq.

i) Manud. ad phil. Stoic L. I. diſſ. XVII. p. m. 100.

k) E. g. Thraſeas Paetus, Heluidius Priſcus, Rubellius Plautus et his ſimiles.

Digitized by Google

gnatur, et, quod aliquoties monuimus, sententias tantum quasdam philosophiae spargit, et historiam, gemmarum instar, iis interstinguit, philosophari nunquam exorsus est. Hinc per varias sectarum inter se valde dissidentium doctrinas vagantem videas. Prouocat [l] ad insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae esse; quod Epicureum: tuetur fatum, ita tamen vt felicitas hominum constet [m], quod Stoicum: non cum corpore extingui animas, ait, quod Socraticum; et sic in aliis quoque, prout locus et argumentum sententiam poscebat. Quae dum ad philosophiam a Tacito cultam operose reuocat GAVDENTIVS [n], prodit is, ignorasse se, de qua re ipsi fuerit tractandum. Iungimus

Strabo. his STRABONEM Geographiae opere clarissimum, qui ipse hoc argumentum ad philosophos pertinere, et ab iis tractatum esse, fuse demonstrat [o]. Vnde passim non literariam tantum, sed et philosophicam historiam respicit, multaque affert, ad noscendos philosophos eorumque doctrinam perspiciendam vtilissima. Ipse Amasea Cappadociae oriundus, audiuit in grammaticis Tyrannionem, vt supra dictum, et in Rhetoricis Aristodemum, e philosophis frequentauit Xenarchum Seleucienscm Peripateticum [p], et cum Boëtho quoque in Aristotelis dogmatibus se exercuit [q]. Id quod occasionem dedit XYLANDRO [r], inter Peripateticos eum referendi. Probauere vero viri docti, qui in elegantissimum scriptorem commentati sunt [s], Stoicos eum prae Peripateticis probauisse. Stoicos enim et Zenonem nostros vocat, et Stoica passim dogmata sequitur: v. g. sidera nutriri exhalationibus; multa fieri fato, quorum causa dari nequeat, et his similia [t]. Quae sine dubio causa fuit SVIDAE [u], vt eum inter philosophos referret. Quem vero is memorat [x] Stratonem Amasenum philosophum, qui vixit sub Tiberio Caesare, et scripsit Geographiae libros septem, non alium esse a Strabone hoc, dudum contra temerariam FRANC. PATRICII coniecturam, nescio quem Stratonem Geographum constituentis [y], dudum viris doctis obseruatum est [z], videturque vel, Stratonis Lampsaceni et Strabonis nominibus inter se confusis falsus esse more suo Suidas, vel ab exscriptoribus articulus Strabo, paulo supra iisdem fere verbis occurrens, mutato nomine fuisse iterum positus. Quales transpositiones et confusiones apud Suidam dari frequentes, infra aliquoties monendi nanciscemur occasionem.

§. VII. Non vero inter eruditos tantum, quos Romanum fouebat imperium, variis scientiis deditos inuenti sunt multi, qui philosophiam degustarent, licet philosophiae professionem non sequerentur; sed et viri prin-

l) Annal. L. VI.
m) In Agric. n) L. c. LXXXV. p. 287. seqq.
o) L. I. et II. p) L. XIV.
q) L. XVI.
r) In praef. ad Vers. Strab.
s) CASAVB. praef. in not. add. VOSSIVS de Hist. Graec. L. II. c. 6. p. 185. GAVDENT. l. c. LI. p. 212. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. III. p. 3.
t) Hinc Athenodorum Stoicum στωϊκὸν vocat Lib. XVI. p. 779.
u) T. III. v. Strabo p. 379.
x) Ibid. v. Straton p. 382.
y) Discuss. Perip. L. III. T. I. p. 29. seq.
z) Vid. CASAVB. ad Strab. GAVDENT. l. c. FABRIC. l. c. IONSIVS de Scr. H. Phil. L. III. p. 202. MARI. CAGNATVS Var. Obs. L. III. c. 20.

Google

principes, et Caesarum aulae admoti, vel in republica administranda occupati complures fuere, quibus a philosophiae studio ornamentum accessit et praesidium, quique omnem inde mouerunt lapidem, vt philosophiae incrementa promouerent, philosophosque iuuarent atque commendarent. Hos vero enumerare omnes nec institutum locusque patitur, nec tempus. Potiores tamen strictim enumerare, haud abs re erit. Inter eos primum merito locum assignamus MAECENATI, cuius in viros doctos studium et liberalitas in prouerbium abiit, quique tanta diligentia philosophos, poëtas, oratores, Augusto commendauit. Etsi enim, narrante DIONE [a], Maecenas *Augustum obseruare monuerit eos, qui se philosophiae nomine populo venditarent, dicendo: Cauere te iubeo philosophos, neque enim, quia Arium et Athenodorum, bonos ac honestos viros expertus es, omnes alios idem studium prae se ferentes, similes eorum iudicare debes, quum hac specie vsi multi, infinita mala populis priuatisque hominibus afferant;* non inepte tamen coniecit GAVDENTIVS [b], non eam ipsam Maecenatis orationem fuisse ad Augustum, sed finxisse eam Dionem, more historicorum. Quanquam facile concedi potest, eiusmodi praecepta instillasse Augusto Maecenatem, cum homines otiosi philosophiae nomine abusi tum fuerint plurimi, qui gratiam Augusti, philosophiae nomine venabantur: id quod ad philosophorum honestorum ac bonorum commendationem trahi non potest. Sed imprimis verisimile, homines nugiuendulos, quales Chaldaei et mathematici erant, qui innumeris modis homines decipiebant, Augusti in haec studia propensione abusos, philosophiae nomine se ipsi commendauisse, ideoque Augustum a Maecenate fuisse monitum, vt ab iis caueret. Illud certum, non commendasse tantum hero suo Maecenatem philosophos, sed et ipsum philosophiam tenuisse, et Epicuri imprimis sectae fauisse. CANIVM IVLVM virum in primis magnum in hanc quoque eorum classem pertinere, qui bene praeparatum philosophia pectus opposuere fortunae, SENECA [c] dubitare nos non finit, qui refert: *cum Caius Caligula mori eum iussisset, Stoicis eum principiis roboratum se immortalitatis experimentum laeto et tranquillo animo facturum dixisse, et proposuisse illo velocissimo momento, an sensurus sit animus, exire se, promisisseque, si quid explorasset, circumiturum amicos et indicaturum, quis esset animarum status.* Imprimis illustre nomen hoc quidem philosophiae praesidio consecutus est THRASEAS PAETVS, Senator Romanus, Neronis aeuo clarus, quem ob candorem, iustitiam, fortitudinem, virtutisque omnis cultum laudibus summis extollunt veteres [d]. Is ex libro Munatii *de rebus Catonis* incensus est ad virtutis Stoicae amorem, qua re Catonis exemplum imitatus in id maxime incubuit, vt se virum bonum, rectique custodem effingeret. Quo in studio tantopere profecit vt, qui de laudibus eius scripsit Iunius Rusticus, eum virum appellaret sanctissimum [e]. Quam morum integritatem ab omni

Maecenas.

Caius Iulius.

Thraseas Paetus.

a) Lib. LII. b) c. L. p. 210. d) TACITVS Annal. L. XV. c. 20. PLINIVS Lib. VIII, ep. 22. e) Vid. infra not. (h)
c) De tranquill. c. 14. Locus totus legendus.

adulatione longiſſime remotam cum non ferret Neronis animus, totus aulae vitiis corruptus, Stoicae ſectae ſtudium in vitium vertit *f*, eumque interfici iuſſit; id quod Stoica virtute et digno Catonis imitatore animo, apertis venis ſuſtinuit Thraſeas, qui cum philoſophico vixiſſet more, philoſophus etiam mortuus eſt. Mortis enim mandatum a Caeſare cum accepiſſet, cum Demetrio Cynico de animae natura et immortalitate diſſeruit, eumque ſibi exhalaturo animam adeſſe voluit *g*. Huius gener fuit

Heluidius Priſcus.

HELVIDIVS PRISCVS, ſenator Romanus, qui ipſe quoque ex Stoicorum diſciplina robur ſibi et virtutem parauit, exiliumque ſub Nerone paſſus, integritatis laudem Caeſaris gratia habuit potiorem. Cuius, vt et ſoceri eius Thraſeae laudem cum ſcripſiſſet Iunius Ruſticus, a Domitiano interemtus eſt *h*. Id quod Herennio Senecioni quoque euenisſe, Faniae rogatu idem officium exequenti, veteres narrant *i*. Addi his poſſent ICti magni nominis, Q. Mucius, Ceruidius aliique, niſi quae ſupra de Iureconſultorum Romanorum philoſophia dicta ſunt, his lucem ſatis claram accenderent. Nihil vero magis philoſophiae incrementa promouit, quam imperatorum Romanorum gratia, cuius exempla multa in ſequentibus occurrent. Qui cum et ipſi philoſophos beneuole eſſent complexi, et philoſophiae honorem tribuiſſent, dici non poteſt, quantum philoſophiae ſtudium euectum ſit. Cuius rei exemplum ipſe Auguſtus eſt, quem non Athenodorum ſolum et Nicolaum Damaſcenum fouiſſe infra dicemus, ſed et *hortationes ad philoſophiam* ſcripſiſſe ait SVETONIVS *k*. Veſtigia eius preſſiſſe Tiberium, in ſequentibus audiemus. Quae cum dereliquiſſent Claudius, Nero, Domitianus, qui philoſophos omnes Romana vrbe et orbe eiecerunt *l*, ſub Traiano et Hadriano honos philoſophiae rediit, Antoninorum vero cura ſtudiisque immenſum auctus, Athenae reſtitutae, ſalaria philoſophis conſtituta ſunt *m*. Eisdem veſtigiis inſtitit Septimius Seuerus eiuſque vxor, Iulia *n*. Mammaea etiam filium Alexandrum philoſophis erudiendum commiſit, quos tamen male poſtea mulctauit Heliogabalus. Nec ab hoc philoſophiae amore alienus fuit Alexander Seuerus, qui LAMPRIDIO *o* teſte, philoſophorum libros legit, philoſophosque menſae ſuae adhibuit, immo Apollonii Tyanenſis imaginem larario inſeruit. Ita Gordianos quoque philoſophiae amore flagraſſe, et ſeniorem Platonis et Ariſtotelis libris legendis inſudaſſe, iuniorem philoſo-

f) TACITVS L. XVI. vbi cogitaſſe, ait, Neronem ipſam virtutem exſcindere.

g) Catonem ideo et Thraſeam iungit MARTIALIS:

Quod magni Thraſeae conſummatique Catonis
Dogmata ſi ſequeris.

Conf. SCARDEONIVS de claris ciuibus Patauinis p. 48. IONS. de Scr. Hiſt. phil. L. II. p. 230. VOSS. de hiſt. Lat. L. II. p. 135. quem librum Thraſeae nomine meditatus ſit LIPSIVS vid. Ep. Miſcell Cent. II. ep. 22.

h) SVETON. in Domit. c. 10.

i) Prolixe Heluidii familiae cauſſam exponit PLINIVS L. IX. ep. 13. quibus adde XIPHILIN. in Domit. et ex recentioribus IONSIVM l. c. L. III. c. 5. FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. II. p. 410. GAVDENTIVM l. c. c. LXXV. p. 256. ſq.

k) In Aug. c. 85.

l) GELLIVS Lib. XV. c. 11. conf. SVETON. in Domit. c. 10.

m) XIPHILIN. et CAPITOLIN. in Antonin.

n) HERODIAN. L. II PHILOSTRAT. vit. Soph. L. II. p. 601. SPARTIAN. in Seuero c. 18. MENAG. Hiſt. mul. philoſ. §. 16. LE MOYNE var. ſ. praef.

o) In Alex. c. 29. 30.

Digitized by Google

loſophiae myſteriis imbutum fuiſſe CAPITOLINVS [p] auctor eſt, et PORPHYRIVS [q] narrat, eum in expeditione aduerſus Perſas Plotinum philoſophum habuiſſe comitem. Ita ab Auguſti temporibus et imperii Romani incunabulis ad Conſtantinum M. vsque, quo Romanum imperium Conſtantinopolin translatum eſt, habuit ſemper fere philoſophia in aula, ſi paucos imperatores demas, praeſidium. Quod et poſtea in orbe Romano nacta eſt, ſede imperii ad Graecos translata, id quod conſtitutiones Theodoſii et Valentiniani, in Cod. Theodoſiano extantes, ſatis probant. De quibus tamen cum *tomo tertio* dicendum ſit, dictis nil addimus, ſed ad ipſas ſectas, quae ſub imperatoribus floruerunt, conſideraudas progredimur, quibus doctoribus gauiſa, quibus fatis vſa ſit ſecta Pythagorica, Platonica, Eclectica, Peripatetica, Cynica, Stoica, Epicurea, Sceptica, conſideraturi.

SECTIO SECVNDA
DE PHILOSOPHIS PYTHAGOREAM SECTAM RESVSCITANTIBVS.

§. I.

Secta Pythagorica an poſt C. N. reflorauerit?

Intercidiſſe ſectam Pythagoricam, altero, poſtquam condi coepit ſeculo, nec Ariſtotelis ſuperaſſe aetatem, inuidia Italorum eam calumniis et perſecutione premente, qua tandem igne ferroque deleta fuit, *ſuperioris tomi libro tertio* enarrauimus. Vnde nec inter Graecos amplius eius mentio facta, nec Athenis, etſi fautores repererat, ea reſuſcitata eſt. Pythagoreae itaque ſectae inſtitutum reuocauiſſe philoſophos ſub Imperatoribus Romanis quando demonſtrare hac ſectione ſuſcipimus, non id volumus, reſurrexiſſe ex cineribus, quibus per tot ſecula ſepulta fuit, diſciplinam Pythagoricam, et ſucceſſionem ſcholae reſtitutam accepiſſe. Cuius rei contrarium potius euenisſe, SENECA [a] teſtis eſt, qui luculenter: *Quis philoſophiam, aut vllum liberale ſtudium reſpicit, niſi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluuius interuenit dies, quem perdere licet. Itaque tot familiae philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici et veteres et minores, nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt, qui tradat praecepta Pyrrhonis? Pythagorica illa inuidioſae turbae ſchola praeceptorem non inuenit.* Sed de philoſophis Pythagoricam ſectam reſuſcitantibus tractaturi, id modo volumus, fuiſſe in imperio Romano philoſophos, quibus vel Pythagorea quaedam, quae innotuerunt, dogmata placuerunt, vel qui inſtitutum vitae moresque Pythagoreorum reuocare, atque imitari magno conſilio conati ſunt. Fuere etiam complures, qui Pythagorica cum Platonicis iungentes aliisque ſectarum ſyſtematibus aptantes, ſe Pythagoream ſapien-

p) In Gord. c. 18. q) Vit. Plot. c. 3. p. 96. a) Qq. nat. L. VII. c. 32.

Digitized by Google

tiam γνησίως tenere gloriati sunt. Quos tamen Pythagorea corrupisse, et eclecticorum magis nomine innotuisse, in sequentibus dicemus, eorumque philosophiam separata tractatione considerabimus. Ex prioribus circa haec, de quibus differimus, tempora inclaruere Anaxilaus Larissaeus, Quintus Sextius, Sotion Alexandrinus, Moderatus Gaditanus, Euxenus Heracleensis, Apollonius Tyaneus, Secundus Atheniensis, Nicomachus Gerasenus, quorum philosophorum cum magna eo tempore fama fuerit, accurate iam historia enarranda est.

Anaxilaus Larissaeus.

§. II. ANAXILAVS LARISSAEVS sub Augusto vixit, et Pythagoream disciplinam se sequi professus est [b], quam illo potissimum tempore in naturae mysteriis secretioribus cognoscendis constituisse doctos viros, vel vnum Nigidii Figuli exemplum, supra memoratum, docet. Eandem philosophiae rationem tenuit etiam Anaxilaus, qui in id maxime incubuit, vt in naturae secreta penetraret, medicam inde artem augeret [c], et mirandis magiae naturalis effectis in stuporem spectatores coniiceret. Cuius exempla aliquot nobis seruauit PLINIVS [d] narrans, asbestino eum arborem circumdedisse, sicque effecisse, vt surdis ictibus, et qui non exaudirentur, caederetur: equinorum capitum visus repraesentasse monstrifice: lusisse etiam sulphure, candens in calice nouo prunaque subdita circumferentem exardescentis repercussu pallorem dirum velut defunctorum offundente conuiuis. Qualia multa in libro eius, quem παίγνια siue *ludrica* vocauit, et cuius passim meminere veteres [e], fuisse comprehensa, dubium non est. Valde tamen istius artis iactantia sibi nocuit Anaxilaus, ob magiae crimen enim vrbe et Italia cedere ab Augusto iussus est, referente EVSEBIO [f]. Quod cum propter naturalis illius magiae specimina sola a principe prudente et philosophiae non ignaro, nec eiusmodi ludicra prorsus contemnente factum esse verisimile non sit, coniectura inde nascitur, probabilitate non destituta, Anaxilaum, qui se Pythagorica instituta sequi profitebatur, veterum Pythagoricorum morem fuisse secutum, ac magiae artem, qua vix nobilius quicquam habere schola Italica olim credebatur, se assecutum iactantius ostentasse [g]. Audiemus enim in sequentibus, eos, qui Pythagoreorum se imitatores venditarunt, eiusmodi miracula iactasse, et fucum fecisse simplicioribus. Cuius veras causas in sequentibus pandemus [h].

2. Sextius.

§. III. Candidiore calculo notandus est in Pythagoricorum post C. N. inclarescentium historia Q. SEXTIVS, vir magnus et illustris inter

b) EVSEB. in Chron. n. MCMLXXX.
c) LE CLERC Hist. de la medecine P. III. L. I. c. 1. p. 561. seq.
d) L. XIX. c. 1. L. XXVIII. c. 11. L. XXXV. c. 15.
e) IRENAEVS L. I. c. 7. EPIPHAN. haer. 34. T. I. p. 232. conf. VOSSIVS de orig. idol. L. I. c. 6. p. 45. FABRIC. Bibl. gr. Vol. I. p. 706.
f) Loc. cit.
g) Iuuat hanc coniecturam, quod EPIPHANIVS narrat l. c. Marcum, Marcosiorum parentem se magicarum artium peritum iactauisse, ac Anaxilai ludicra cum eorum, quos magos vocant, versutia coniungentem, atque iis praestigiis et artibus illudentem, spectatores omnes ac fautores suos in stuporem admirationemque conuertisse. Iisdem prorsus vestigiis institisse Anaxilaum, dubium non est.
h) Alios Anaxilaos indicat FABRIC. l. c.

Digitized by Google

ter Romanos, qui tamen, auctore SENECA [i] ita natus, vt rempublicam deberet capeſſere, latum clauum diuo Iulio dante, non recepit. Cuius cauſſam cum temperamenti rationem ſubtriſtem atque ſeueram fuiſſe eſt probabile, tum ex reipublicae, quibus premebatur, circumſtantiis ea deriuanda videtur. Cum enim republica tota vnius dominatui ſubiugata libertas, qua carius nihil Romanis fuit, prorſus eſſet euerſa, et triumuiratus eo tempore omnia ſanguine, bello, exitio miſcuiſſet, omnino verisimile eſt, Sextium honores reſpuiſſe, quos breui ſibi tempore eripi poſſe videbat. Id quod SENECA [k] quoque innuit, qui dictis hoc addit: *Intelligebat enim, quod dari poſſet, eripi poſſe;* et exempla quoque aliorum, Ciceronis, Attici et his ſimilium, probant, qui ideo otium et Philoſophiae ſtudium curiae et foro praetulerunt, quod in republica locus eorum virtuti non eſſet. Sextius itaque quem acrem virum SENECA [l] vocat, vt genio ſuo obſecundaret, *Graecis verbis,* vt is ait, *Romanis vero moribus philoſophari,* et peculiarem eximiae et inſolitae ſeueritatis et fortitudinis ſectam condere coepit, quam *nouam et Romani roboris* fuiſſe IDEM [m] porro indicat. Quale vero inſtitutum ea ſecta ſecuta fuerit, veteres non ſatis prodidere, forte quod in ipſo fere ortu interiiſſet, ſicque ad paucos eius peruenisſet notitia: coniecturis tamen a vero non prorſus abludentibus concludi poteſt, Pythagorae inſtituta Sextium Romae reſuſcitare, nouaque diſciplina mores Romanorum corruptos emendare voluiſſe. Cum vero nouam inter Romanos ſectam, quae inter Graecos non fuerit vigueritque, enatam fuiſſe nullam, ſuperiori capite primo demonſtratum ſit, et ex adducto Senecae loco pateat, Graecae alicuius diſciplinae imitatorem fuiſſe Sextium, ex dicendis etiam apertum ſit, inauditae et intolerabilis fere ſeueritatis ſectam eam fuiſſe; non alia inter Graecos ſecta patet, ad quam Sextius mores et inſtitutum attemperare potuit ſuum, quam Pythagorea et Cynica vel Stoica. Et Stoicum quidem in morem fuiſſe philoſophatum Sextium, nec tamen habitum pro Stoico, ipſe prodit SENECA [n], qui ita: *Lectus eſt Liber Q. Sextii patris, magni, ſi quid mihi credis, viri, et, licet negent, Stoici. Quantum in illo, dii boni, vigoris eſt, quantum animi, hoc non in omnibus philoſophis inuenies. Quorundam ſcripta clarum habent tantum nomen, caetera exſanguia ſunt: inſtituunt, diſputant, cauillantur, non faciunt animum, quia non habent. Cum legeris Sextium, dices: viuit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt, dimittit me plenum ingentis fiduciae: in quacunque poſitione mentis ſim, cum lego hunc, fatebor tibi, libet omnes caſus prouocare, libet exclamare: quid ceſſas fortuna? congredere, paratum vides. Illius animum induo, qui quaerit vbi ſe experiatur, vbi virtutem ſuam oſtentat. Libet aliquid habere, quod vincam, cuius patientia exercear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod et oſtentet tibi beatae vitae magnitudinem, et deſperationem eius non faciet, ſcias illam eſſe in excelſo, ſed volenti penetrabilem; hoc quidem virtus tibi ipſi praeſtabit, vt illam admireris, et tamen ſperes.* Ex quo breui

i) Epiſt. 98. PLIN. L. XVIII. c. 28. k) L. c. l) Ep. 59. m) Q. nat. L. VII. c. 32. n) Ep. 64.

Digitized by Google

breui philoſophiae moralis Sextianae compendio recte quidem colligitur Sextium affinia Stoicae philoſophiae praecepiſſe, euidens vero ex eo quoque eſt, non ad Stoicae perfectionis impenetrabile prorſus et deſperandum culmen Sextium virtutem euehendo, ſed humanis viribus exponendo a Stoicis receſſiſſe, et virtutis laudem a ſumma felicitate commendaſſe. Quae Pythagoreis magis, quam Stoicis conueniunt, quamuis praefracte negare nolimus, Sextium, vt vult acutiſſimus FABRICIVS [o], Pythagorea Stoicis miſcuiſſe, haecque illis accommodaſſe. Certe Stoicum nec viſum fuiſſe, nec haberi voluiſſe, hoc vno argumento conficitur, quod nouam ſectam et condere ſuſcepit, et condidiſſe ipſi Senecae viſus eſt. Stoicam vero ſectam ſi amplexus fuiſſet Sextius, non noua ea diſciplina fuiſſet, cum Stoiciſmus iſto tempore magnis nominibus et exemplis inclaruiſſet. Sed nec otium Sextii, quo ſe reipublicae ſubtraxit, Stoica diſciplina fert atque patitur. Stoici enim cum ſapientem ſuum ſolum rempublicam recte et prudenter adminiſtrare crederent, eius illum partes capeſſere, quoad liceret, iubebant: quod eo magis ad munera publica coëgiſſet Sextium, quo magis ſumma tum eſſet virorum fortium, candidorum, patriaeque vere amantium, et adulationi non deditorum, inopia. Nihil tamen horum ſecutus eſt Sextius, ſed honores et munera reſpuit. Qua in re cum Stoicos ſequi non vellet, Pythagoreos ſibi imitandos propoſuit, qui, vbi legibus rempublicam iuuare ſe non poſſe videbant, a curia, tribunali et foro diſcipulos reuocabant, et otium commendabant philoſophicum, vt theoreticis virtutibus, quas conſummatas putabant atque ſummas, toti indulgerent, qua de re multa praecepit IAMBLICHVS [p]. Pauca inſuper illa, quae de Sextii praeceptis moralibus nobis ſeruauerunt veteres, non magis Stoica ſunt, quam Pythagorica, et ex eodem fundamento ad magnificum, quem prae ſe ferunt, habitum exſurgunt, ſapientem Ioui parem eſſe, et hunc eſſe ſapientiae finem, Deo euadere ſimilem. Eo enim poſito, recte dixit [q], quod tanquam Stoicum obiici ſolet, Iouem plus non poſſe, quam bonum virum. Pythagoreorum enim principium cum eſſet, fluxiſſe animam ex Deo, eiusque in ſe fontem habere, vt vel ſolum tetractyos iusiurandum luculenter docet, recte is de viro bono, qui ad originem, vnde emanauit et deſcendit, ſuam rediit, dixit et conuenienter ſuae hypotheſi locutus eſt, Iouem plus non poſſe, quam bonum virum. Pythagoreae vero, non Stoicae diſciplinae et inſtituti eſt, quod de Sextio narrat SENECA [r] his verbis: *Omnes ſenſus perducendi ſunt ad firmitatem, natura patientes ſunt, ſi animus illos deſinat corrumpere, qui quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die, cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es?* Quem morem inter Pythagoreos receptum fuiſſe, *tomo primo* luculentis veterum teſtimoniis docuimus, et aurei carminis praecepto notum eſt. Addi his merito debet, quod iterum SENECA [s] narrat, *Sotionem praeceptorem ſuum ita ſibi Pythagorae amorem*

o) Bibl. graec. Vol. XIII. p. 645.
p) In protrept. c. 14.
q) SENECA ep. 73.
r) De ira L. III. c. 36.
s) Epiſt. 108.

Digitized by Google

rem iniecisse: docuisse, quare ille animalibus abstinuisset, quare postea Sextius. Dissimilem vtrique caussam fuisse, sed vtramque magnificam. Hunc homini satis alimentorum citra sanguinem esse credidisse, et crudelitatis consuetudinem fieri, vbi in voluptatem esset adducta laceratio. Adiecisse: contrahendam materiam esse luxuriae. Collegisse, bonae valetudini contraria esse alimenta varia, et nostris aliena corporibus. At Pythagoram omnium inter omnia cognationem esse dixisse, et aliorum commercium in alias atque alias formas transeuntium. Quae ita porro applicat Sotion, vt Senecae ostendat, aequum esse, *vt si etiam animalia per orbes agi et per vices ire non credat, Sextianis tamen rationibus adductus, Pythagoreum se praestet, ab animalibus comedendis abstinendo.* Quam Sextii consuetudinem, Sotione auctore, se quoque secutum esse, Seneca fatetur, nec desiisset, nisi Tiberio principatum tenente cum alienigenarum gentium sacra mouerentur, et inter argumenta superstitionis poneretur quorundam animalium abstinentia, pater ipsi persuasisset, vt melius coenaret. Addimus his veterum testimonia, quae Sextium Pythagoreos secutum esse tradunt [t], quibus ex recentioribus recte calculum adiecere viri magni nominis et eximiae doctrinae, IVSTVS LIPSIVS [u], IO. SCHEFFERVS [x], et THOMAS GALEVS [y]. Neque vero huic sententiae, quae nouam Sextii sectam inusitatam Pythagorae disciplinam reuocasse statuit, obstat Nigidius Figulus, quem, primum inter Romanos Pythagoream secutum doctrinam, et habitum fuisse Pythagoricum, supra diximus. Licet enim Nigidius astrologiam eiusque imprimis partem *μαντικὴν* excoluisset, et naturae studio se, more Pythagoreo, dedisset, nec ipse tamen sectam nouam instituit, nec disciplinam resuscitauit Pythagoricam. Sextius vero positis Pythagoreorum de moralibus fundamentis, mores sui seculi corruptos emendaturus, nouam et fortissimam quidem virilisque roboris sectam introduxit, et Pythagorea instituta sequendo, a voluptate Romanae virtuti tantopere inimica, ita affectas reuocare studuit, vt abstinentiam quoque ab animalibus, qua vix grauius quid delicato Romanorum palato indici potuit, introduceret. Quae omnia cum pro Pythagoreis militent, desinemus otiose quaerere, cuinam sectae addicendus sit Sextius? quod leuius more suo, quam par erat, in hoc argumento versatus, quaesiuit GAVDENTIVS [z]. Tantopere vero sectae rigor non aliis tantum, sed ipsi quoque eius auctori intolerabilis durusque visus est, vt, tradente PLVTARCHO [a], *vrbanis dignitatibus honoribusque resignatis vt philosophiae vacaret, cum inter philosophandum ab initio graues sentiret molestias, animusque doctrinam aegre amplecteretur, parum abfuerit, quin se de birremi quadam in mare abiiceret.* Nec aliam caussam putamus esse, quam inusitatam sectae seueritatem, quod nullos sectatores habuerit, praeter filium, et quod, licet noua et Ro-

t) EVSEB. Chron. n. MMX.
u) Ad SENEC. ep. 59. p. m. 387. et Manud. ad philos. Stoic. L. I. diss. 6. p. m. 40.
x) De nat. et constit. phil. Ital. c. vlt. p. 179.
y) Praef. ad Sexti Sententias.
z) C. LXVI. p. 240.
a) De sent. virt. profectu T. I. p. m. 186.

by Google

Romani roboris esset, et cum magno impetu coepisset, inter initia tamen sua extincta sit [b]. Et Flauianum quidem philosophum, cuius meminit SENECA [c], rhetor, Sextium habuisse discipulum ait LIPSIVS [d], qui tamen id veterum testimonio non probauit. SVETONIVS [e] tamen narrat: *Lucium Crassitium Tarentinum, cognomine Pasidem et Pansam, postquam in pergula docens inclaruisset, cum edoceret iam multos ac nobiles, in his Iulium Antonium triumuiri filium, vt Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola transiisse ad Quinti Septimii philosophiam.* Ita quidem Codices impressi, Codices vero Pithoeani, Sextii nomen reponunt, et quidem meliori iure. Nullus enim Septimius Romae sectam condidit, sed Sextius. Quod si PLINIO [f] fides, rerum etiam naturalium peritissimus fuit Sextius, tradit enim, cum Athenis studiis operam daret, praeuisa ex astris futuri anni olearum fertilitate coëmisse agros, magnaque sic pecunia congesta restituisse eam dominis. Quam tamen antiquam fabulam esse, de Thalete quoque atque Democrito narratam, suo loco demonstrauimus.

Sexti Pythagorei sententiae.

§. IV. Extant hodie sub Sexti Pythagorei nomine sententiae, quas Ruffinus Latine vertit, et Xysto II. Romanae ecclesiae Pontifici tribuit. Cuius nomen cum idem esset quod Sextii, quem Sextum vocant ORIGENES [g], et EVSEBIVS [h], Q. Sextii patris, qui Pythagorea secutus est, eas esse viri docti non sine verisimilitudine iudicarunt: ex quibus praeter auctorem *de vitis philosophorum* [i], cuius excerpta nobis dedit FABRICIVS [k], imprimis videndus est vir multae in veteris philosophiae historia eruditionis THOMAS GALEVS [l], qui hoc sententiarum moralium enchiridion *opusculis mythologicis, ethicis, physicis* inseruit [m]: quocum faciunt viri acutissimi et veteris eruditionis callentissimi IACOBVS THOMASIVS [n], et Io. ALB. FABRICIVS [o], vt alios taceamus. Intercessit tamen huius seculi anno XXV. Vir πολυμαθέστατος VRBANVS GODOFREDVS SIBERVS, qui cum noua editione hoc enchiridion erudito commentario suo illustratum typis iterum vulgasset [p], Concilioque Romano eo tempore congregato ad restituendam libri famam obtuliffet, non Sexto II. tantum Pontifici R. et martyri operose vindicare aggressus est, sed et magna animi contentione Sextii Romani vel alterius gentilis philosophi non esse, disputauit. Quam viri doctissimi disputationem in praesentia quidem nostram non facimus, cum instituti limites operosam rationum allatarum, et magnam partem subtilium et obscurarum discussionem non admittant: paucis tamen, quid rei sit, et an sancto martyri vindicandae sententiae hae, exponere et dispicere, praesens tractationis argumentum postulat. Vrget nempe GALEVS [q], quem *causfam*

b) SENECA Nat. Qq. L. VIII. c. 32.
c) Praef. Controu. L. III. d) loc. cit.
e) De claris grammat. c. 18.
f) L. XIX. c. 29.
g) In Matth. T. XV. Op. p. 369. ed. Huet.
h) loc. cit. i) c. 110.
k) T. I. Bibl. Lat. p. 732.
l) Praef. Opusc. myth.
m) p. 645. edit. Amstelod.
n) Ad FABRI Lexicon. v. Xystus.
o) loc. cit. p) Lipf. 1725. 4.
q) loc. cit.

ſam Sextii tam male egiſſe, et Sextum ſatis pro ſe in ſententiis loquentem tam oſcitabundum audiiſſe conqueritur SIBERVS [r], vt *ſomniaſſe vigilantem* haut quaquam dubitet: 1. teſtimonium ORIGENIS [s], qui ita Sexti ſententiarum meminit, vt aperte eas Chriſtianis opponat; et quidem ad eam ſententiam prouocando, quae eſu animatorum abſtinere ſuadet. 2. Prouocat ad HIERONYMVM [t], qui fraudem Ruffini verſas a ſe ſententias Sexto ſiue Xyſto Epiſcopo tribuentis vidit ſtatim et [illegible]agitauit: et ad AVGVSTINVM [u], qui ea retractauit, quae ſenſerat de Sextio [x]: tum ad decretum, quod ſub GELASII nomine ambulat, quod ſententias has ex catalogo librorum eccleſiaſticorum expunxit, et hunc librum prouerbiorum ab haereticis conſcriptum et S. Xyſti nomine praenotatum inter apocryphos reiecit. 3. Monet Ruffinum non ſatis habuiſſe, alienum foetum Xyſto ſuppoſuiſſe, ſed huic ipſi Sextio aliena dicta inſeruiſſe, ſuoque more omnia vertendo peruertiſſe et contaminaſſe; Id quod vltro faſſus ſit. 4. Eſſe γνώμας has more Pythagoreorum ſcriptas, quas praeter Senecam imitatus Demophilus, et Pſeudo-Clemens, ex quo Sextii ſententias interpolauerit Ruffinus. Haec argumenta ſunt, quae Galeo excidiſſe ſomnianti Cl. SIBERVS ait. Qui vt ea refellat, et Ruffini integritatem, libellumque Sixto pontifici vindicet, ea potiſſimum vrget [y]: 1. libellum hunc ad nullum Pythagoreorum poſſe referri: Sextium enim, cui tribui ſolet, vixiſſe vel ſub ipſa nati Saluatoris tempora, vel paulo ante ea, et Chriſtiana, quorum tot his inſunt veſtigia, videre non potuiſſe. 2. Referre Origenem eo loco, quo nititur Galeus, Sextum inter Chriſtianos, quorum ſint de eunuchiſmo propter regnum DEI iuxta literam exercendo ſententiae: et altero quoque loco Chriſtianam ab idolothytorum eſu abſtinentiam probare et Sexto, eiusque ſententias maximi apud Chriſtianos habitas inculcare, quod non facturus eſſet, niſi ipſum Chriſtianum fuiſſe cognouiſſet. 3. Sixtum, licet nonnulla retinuerit, ea tamen, quae Chriſtianae ſapientiae aduerſa erant, omnino reieciſſe: e. g. aſſeruiſſe prouidentiam, quam Pythagoras negauerit. 4. Laurentium Martyrem Sexto ſententiam ex enchiridio ipſius hauſtam obieciſſe, eoque tanquam laqueo conſtrinxiſſe, vt ſeſe martyrii atque palmae conſortem aſciſceret. Vrſiſſe enim diaconum hanc ſententiam: *Abiectio diſcipuli eſt detrimentum magiſtri*, eam vero ita in enchiridio legi: *Peccata diſcentium opprobria ſunt doctorum.* 5. Hieronymum facile in eos ſuccendi ſolitum, quos gloriae ſuae aut aemulos aut impeditores noſſet, quum eo nomine ſuſpectum haberet Presbyterum Aquileienſem, obtrectandi occaſionem ſumſiſſe, ſic vt Ruffinum pariter atque Sextum euerteret, Ruſſinum fraudis et malitiae, Sixtum gentilis ſuperſtitionis inſimularet. 6. Sixtum etiam, licet nomina Chriſti et Apoſtolorum, Spiritusque S. reticeat, id eo feciſſe conſilio, vt vocationis ad Chriſtiana ſacra ſub tegumento phi-

 loſophi

r) loc. cit. p. 33.
s) loc. cit. et contra Celſ. L. VIII p. 408. ed. Hoeſch.
t) In Ezech. c. 16, 18. L. VI.
u) Retract. L. II. c. 42.
x) Adu. Pelag. de N. et G. c. 64.
y) In prologo loc. cit. p. 10. ſeqq.

d by Google

loſophi deſiderium excitaret. Patris tamen, σοίας nomine, Chriſti, verbi, ſapientiae et veritatis, Spiritus S. ſub ſapientiae itidem nomine, more veterum eccleſiae doctorum, feciſſe mentionem. Ea vero, quae tanquam aliena a fide orthodoxa obiicit Hieronymus, recte modo intellecta, concidere, nec errorem fouere: poſtulaſſe perfectionem, ſed quam Chriſtus poſtulat: ſapientem Deo aequaſſe, ſed ſenſu et phraſi patribus coaeuis vſitata. 7. Acerbitati Hieronymi et auctoritati viri magni tribuendum eſſe, quod Auguſtinus retractauerit opinionem de Sixto ſententiarum auctore priorem, qui tamen ſententias non retractauerit, idque feciſſe ex odio Pelagii, hiſce ſententiis ad errores ſuos palliandos abuſi. 8. Inter Graecos tamen manſiſſe Sixto honorem, imitatos eum Euagrium Ponticum, et Marcum Eremitam, itemque Nilum et Diadochum, Ioannem Climacem aliosque, imprimis vero Syris placuiſſe, in Syriacam linguam translatum *. 9. Gelaſii vero decretum et friuolum eſſe, cum vnius Stridonenſis praeſulis iudicio nitatur, et ſubleſtae eſſe fidei, Iſidoro in contrarium pro Sixto pronunciante a, ex quo liqueat, decreti huius apud Hiſpanos nullam fuiſſe auctoritatem. 10. Laudaſſe quoque pluſcula Sixti nomina Graecos, pauca Latinos: recentiores vero Braſichellenſem, Baronium, Noriſium et his ſimiles Hieronymi auctoritate et Pelagii odio accenſos in Ruffinum iniquiora attuliſſe de Sixto Pontifice iudicia. Hae quadratae phalanges ſunt, quibus contra receptam ſententiam: Sextii Pythagorei, non vero Sixti pontificis, opus has ſententias eſſe, in aciem procedit: quae omnia elegantiſſima eruditione, multaque rerum antiquarum in eccleſia notitia ornat. Neque tamen tanta haec acies viſa fuit viris eruditiſſimis, et in diiudicandis veterum ſcriptorum operibus verſatiſſimis, vt priſtinam et probatam per tot ſecula ſententiam euertere poſſe iudicarent: inter quos Io. Alb. Fabricivm b et Io. Lavr. Mosheimivm c nominamus. Nec negamus nos quoque, ea quae attulit doctiſſimus Siberus d, erudita magis eſſe, et ingenium acre atque elegantem lectionis copiam teſtantia, quam ſolida et ſupra dubitationem omnem poſita. Cuius vt nos paucas rationes afferamus, 1. ſupponendum putamus, quod ipſe vir doctiſſimus ſtatuit: auctorem non philoſophum tantum fuiſſe, ſed et Pythagoreum: et reperiri inter ſententias has, tales, quae cum Pythagoricis aperte conſpirant. Quod licet a Sixto, Athenis philoſophiam edocto, factum teneat, eumque inter Pythagoricos referat, non aliud tamen eius rei teſtimonium affert, quam quod ex ipſis ſententiis deſumtum. Quo argumento dum circuli vitio labitur vir praeſtantiſſimus, nec aliam Pythagoreiſmi in S. martyre ſuſpicionis cauſſam afferre poteſt, prodit mox in limine, valde infirmo totam hanc, quam defendendam ſuſceperat, cauſſam

*) Dubitauerat Cl. Assemannvs in Bibl. Orientali, vbi Syriacas huius enchiridii verſiones recenſet, an Xyſtus auctor eſſet, et hic prolixe a Cl. Siberol. c. p. 76. ſqq. refutatur.

a) Non vero hic articulus eſt Iſidori, ſed incerti auctoris, qui appendicem XII. Script. libello de Script. eccleſ. adiecit, p. 68. edit. Fabric.

b) Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 645.

c) Diſſ. de turbata per recent. Platonicos eccleſia §. 43. Syntagm. diſſ. hiſt. eccl. p. 202. In prima enim editione in medio reliquerat §. 29. p. 64.

d) p. 10. ſ.

Digitized by Google

ſam fundamento niti. 2. Fruſtra vero oggeri putamus, auctorem ea, quae ſapientiae diuinae contraria videbat, miſſa feciſſe. Suppoſito enim, quem ipſe cauſſae huius patronus agnoſcit, Pythagoreiſmo auctoris, non videmus, qui exculpari ab errore Pythagoreo queant ſequentes ex multis ſententiae: *Vere fidelis eſt, qui non peccat, atque etiam in minimis caute agit: ſapiens vir, et contemtor pecuniae ſimilis eſt Deo: templum ſanctum eſt Deo mens pii, et altare eſt optimum ei, cor mundum et ſine peccato: cogitatio tua pura ſit ab omni labe. Vir caſtus et ſine peccato poteſtatem accepit a Deo eſſe filius Dei. Renuncia rebus corporis dum adhuc potes, et quantum potes. Dum optima quaeque abieceris praedia, tunc purificatus pete quod vis a Deo. Dilige omne, quod eiusdem tecum naturae eſt. Ratio, quae in te eſt, vitae tuae lux eſt. Tunc te putato fidelem, cum paſſionibus animae carueris. Coniugium tibi refutare conceſſum eſt, idcirco vt indeſinenter adhaereas Deo. Quae gratis accepiſti a Deo, gratis praeſta: viuere quidem non eſt in nobis, recte autem viuere in nobis eſt. Relinquens quae poſſides, ſequere verbum Dei. Ex carne nihil oritur bonum. Si quis te vult corpore exuere, ne indigneris. Verbum de Deo non omni homini committas. In multitudine de Deo dicere, ne audeas. Dignus Deo homo, et Deus eſt in hominibus. Videns Deum, facies mentem tuam, qualis eſt Deus. etc.* Non ignoramus, poſſe his quoque ſententiis ſenſum quendam tribui tolerabilem, vidimusque eruditiſſimum cauſſae Ruffini patronum huc aduocaſſe, quae meliorem iis faciem affingere queant. Sed ſi pro conceſſo ſumamus, quod ipſe non negat, eſſe has ſententias Pythagorei hominis, fatebitur quilibet, qui Pythagorae philoſophiam moralem atque metaphyſicam vel per tranſennam inſpexit, haec adeo craſſos Samii philoſophi errores ſapere, et latenti in hominis anima particulae diuinae, oriundoque ex ea enthuſiaſmo frigidam ſuffundere, vt credi non queat, ſanctum aliquem martyrem, et Romanae eccleſiae epiſcopum in his erroribus in ſuo ſyſtemate conſideratis haeſiſſe. Neque 3. quo maxime argumento fidit vir eruditiſſimus, a phraſibus inter Chriſtianos receptis argumentum deſumi poteſt ſatis validum, Chriſtiani auctoris id opus eſſe. Vt enim hoc euitetur telum, notandum putamus, etſi conceditur, Sextium ante ſcripta oracula Chriſtiana has ſententias collegiſſe, nec ea vidiſſe vel legiſſe, potuiſſe tamen in argumento morali paria paſſim dicere, quae fruſtra et ſine ratione ſolis Chriſtianorum praeceptis vindicantur. Ita ſententiam eam, quam manifeſte ad baptiſmi ſponſionem alludere vir doctus putat: *fidelem te eſſe profeſſus, ſpopondiſti pariter non peccare Deo*, quis euincat, non niſi ad baptiſmi vota pertinere, et non ad ſectae, quam ſemel elegit, fidem quam ſpondere ſolebant in ὁμαχοεῖον Pythagorae recepti? Certe ſi Stoicorum ante C. N. ſententias legimus (quibus Pythagorea ſua attemperaſſe Sextium ſupra monuimus) multa deprehendemus Chriſtianis affinia, nec tamen ab iis accepta: vt de Stoicis poſt C. N. nihil dicamus. Deinde recte Ruffino obiecit malam in interpolando fidem Hieronymus, quacunque etiam ratione vel affectu

d by Google

fuerit ductus. Eam enim ipse fatetur homo audax, totiesque ideo veteribus notatus. Qui cum Origenem in deliciis haberet, totusque eius amore caperetur et in eius partibus esset, id facinus, supponendi libros fictos sanctis viris ab aequitate non abhorrere, a magistro edoctus erat, vt acute monet Cl. MOSHEMIVS *e*. Si itaque, quod lubentes concedimus, in Latinis Ruffini sunt multa, Christianis affinia, et ab interpolatoriis manibus profecta; ea etiam in Graecis fuisse, vt sunt initio edita, nondum sequitur. Licet coniiciamus, etiam in Graecis succedente tempore ante Ruffinum accessisse Christiana quaedam interpolata. Cum enim libellus inter Christianos reciperetur passim et legeretur, fieri facile potuit, quod toties in aliis factum est, vt Christianae sententiae passim interserentur. Quam quoque veram causam fuisse verisimile est, cur Origene teste, multis inter Christianos libellus probaretur. His praemissis ad praestantissimi viri argumenta et rationes facile responderi potest. Nam ex dictis 4. patet, qua ratione ad Sextium Pythagoricum enchiridion queat referri, et 5. loca Origenis, nisi plane coecutimus, valde torquentur, quae si absque hypothesis praeiudicio considerantur, luculenter hoc compendium Christianis scriptis opponunt, totusque demonstrationis neruus Origenis alias exscinditur, qui a Sextianis gentilibus sententiis inter Christianos pro veris admissis ad sacra dogmata recipienda argumentatur. Addimus, Origenem nunquam auctorem vel episcopum nominare vel martyrem, quod, cum toties eum in partes vocet, non omisisset, si Sixtum auctorem reputasset. 6. Frustra vero Pythagoram omnem negare prouidentiam asseritur, quem locum ei reliquisse in rebus humanis suo loco contra illud ipsum, quod obiicit V. C. Theophili Antiocheni testimonium, euicimus. Quae porro 7. de sententia Laurentii Sixto tributa refert Ambrosius, nec ea prorsus exhibent, quae in enchiridio dicuntur, et in communi dicto saepiusque passim in hunc sensum occurrente potuere a pluribus dici, vel ea quoque sententia a Ruffino addi, id quod notauit FABRICIVS *f*. 8. Hieronymum vero licet gloriae vel inuidiae potius aestu incensum in Ruffinum debacchatum fuisse valde conqueratur Vir eruditus, perperam tamen ob nimiam, quam suo more et temperamento ductus adhibuit verborum contentionem durasque voces, ipsa res atque causa, quam defendebat, reiicitur. Nec mirandum, Hieronymum in Ruffinum calamum stringentem acerbius inuectum esse, cum hominem istum Origenis partibus deditum non ignoraret in ea opinione esse, quam Alexandriae didicerat in eclecticorum scholis Origenes, tales pias fraudes esse licitas, sicque posse rem magistri tanti viri, qualis Sextus fuit, auctoritate iuuari. 9. Nec Hieronymi argumento sua vis deest, scilicet, nec Christi, nec Apostolorum, nec S. Triados nomina occurrere: id enim ab episcopo Romano expectari vix potest, nec iuuat eum, quod gentilium in gratiam tegumento se inuoluerit

e) Loc. cit. *f*) loc. cit.

uerit iſto; hoc enim ſi feciſſet, abſtinuiſſet etiam ab aliis, quae ex Chriſtianorum libris ſacris et myſteriis aperte interpolata ſunt. Sapientiae vero nomine, filium et Spiritum S. indicare voluiſſe, nobis iſtas ſententias legentibus, frigidum valde viſum fuit, iisque in locis prorſus ineptum. 10. Rei itaque rationibus magis, quam vnius Hieronymi auctoritati tribuenda eſt et Auguſtini retractatio et Gelaſii, vel quisquis auctor eſt, decretum, quibus tanti Hieronymus non fuiſſet, vt opus Romani epiſcopi in eccleſia lectum et probatum damnaſſent, et inter apocrypha, tanquam ab haeretico ſcriptum, id eſt, ab Ruffino, reieciſſent, niſi iisdem, quas adduximus, rationibus fuiſſent perſuaſi. 11. Recentiorum vero Graecorum auctoritas vt exigua eſt, ita eo minus roboris habet, quo magis non Sexti tantum ſententiis, ſed et Epicteti enchiridio eundem honorem habitum fuiſſe conſtat, vt Chriſtianis ſententiis interpolatum, aſcetis legendum commendaretur, cuius *tomo tertio* in Nilo epiſcopo fidem exemplo faciemus. Quem interpolandi ſcripta imprimis Pythagorea, Stoica et Platonica morem in eccleſia magno eius damno ex eo tempore inualuiſſe, quo Alexandrina philoſophia caput extulit, tot exempla nos conuincunt, et quam cautos nos eſſe oporteat, in examinandis eiusmodi antiquitatis foetibus luculenter docent. Quod ſi haec omnia, quae adduximus, ad vindicandas homini Pythagoreo ſententias has et abiudicandas eas Sixto martyri non ſufficiunt, conſenſuros tamen in eo ſperamus aequos rei arbitros, nihil plane de auctore decerni poſſe, niſi hoc: habuiſſe nomen Sexti, et Pythagorea dogmata recepiſſe; *eſſe etiam*, quod auctor *appendicis ad Iſidorum et Ildefonſum de ſcriptoribus eccleſiaſticis* [g] fatetur, *huic opuſculo inſerta multa contra eccleſiaſticam fidem*, quo facilius ſub nomine tanti martyris peruerſorum dogmatum reciperetur aſſertio. Quae an Sixto II. Pontifice Romano et martyre digna ſint, viderint quorum intereſt. Nobis enim in argumento prolixo vltra digredi, et diſputare de ea re nec libet, nec licet.

§. V. Paulo ſerius, quam Sextius Romanus, inclaruit SOTION ALEXANDRINVS, cum aliis eiusdem nominis et patriae, non confundendus [h]. *Sotion.*

Vixit

[g] Loc. cit.

[h] Fuit quoque Sotion Alexandrinus, Senecae praeceptore paulo aetate ſuperior, qui librum de ſucceſſionibus philoſophorum ſcripſit, hodie magna philoſophicae hiſtoriae iactura deſideratum: ad quem ſaepe prouocat Laërtius, vt videre eſt ex indice auctorum a Laërtio allegatorum, quem Werſtenianae editioni ſubiunxit Io. CLERICVS. Eius etiam meminit ATHENAEVS L. IV. c. 17. et EVNAPIVS de vit. Sophiſt. init. Vixit ſub Ptolomaeo Epiphane, vnde aetas eius cognoſci poteſt. Compendium eius libri confecit Heraclides Lembus, quod ipſum quoque intercidit. Conf. VOSSIVS de hiſt. Graec. L. I. c. 20. p. 128. MENAG. ad Laërt. L. I. ſ. 1. IONSIVS de Script. hiſtor. philoſ. L. II. c. 10. p. 166. Praeter hunc alius fuit Sotion Alexandrinus ex Peripatetica diſciplina vir haud ignobilis. Quem librum multae variaeque hiſtoriae refertum compoſuiſſe, eumque inſcripſiſſe *κέρας ἀμαλθείας*, id eſt, cornu copiae, refert GELLIVS L. I. c. 8. Legitur quidem in editis Phocion, ſed hanc vocem corruptam eſſe, dudum viri docti obſeruarunt, vid. IONS. l. c. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 311. Meminit etiam Sotionis Alexandrini Apollonii Peripatetici fratris natu minoris PLVTARCHVS de fratr. am. T. II. p. m. 494. ex fratris gloria participantis, vtrum vero cum illo idem ſit, incertum, affirmatiuam ſequente IONSIO l. c. negatiuam FABRICIO l. c. Eſt etiam inter ſcriptores de rebus Alexandri M. Sotion quidam Alexandrinus. An vero ad Pythagoreum, vel ad Peripateticum referendus ſit, incertum. Prius tamen ob temporum rationes magis probabile. Conf. VOSS. l. c. c. 7. p. 189.

Digitized by Google

Vixit enim ſub Auguſto et Tiberio [i], et hoc imperante Senecam habuit diſcipulum, qui eum ſibi magnum Pythagoreorum inſtitutorum et imprimis abſtinentiae a carnibus amorem ingeneraſſe dicit: quod cum rationibus Pythagoreis fecerit, quas cum Sextianis ſupra memoratis coniunxit, cauſſam non videmus, cur Sotioni inter Pythagoreos locus denegandus, isque Stoicorum albo inferendus ſit [k], licet pertinaciter negare nolimus, Sotionem more Sextii Pythagoream ethicam Stoicae attemperauiſſe. Ita enim Seneca [l]: *Quoniam coepi tibi exponere, quantum maiori impetu ad philoſophiam iuuenis acceſſerim, quam ſenex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagorae Sotion iniecerit. Docebat, quare ille animalibus abſtinuiſſet, quare poſtea Sextius - - At Pythagoras omnium inter omnia cognationem eſſe dicebat, et aliorum commercium in alias atque alias formas tranſeuntium. Nulla, ſi illi credas, anima interit, nec ceſſat quidem, niſi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Viderimus per quas temporum vices, et quando pererratis pluribus domiciliis in hominem reuertatur: interim ſceleris hominibus ac parricidii metum fecit, cum poſſint in parentis animam inſcii incurrere, et ferro morſuve violare, in quo cognatus aliquis ſpiritus hoſpitaretur. Haec cum expoſuiſſet Sotion, et impleſſet argumentis ſuis, non credis, inquit, animas in alia corpora atque alia deſcribi? Et migrationem eſſe, quam dicimus eſſe mortem? Non credis in his pecudibus, ferisue, aut aqua merſis illum quondam hominis animum morari? non credis nihil perire in hoc mundo, ſed mutare regionem? nec tantum coeleſtia per certos circuitus verti, ſed animalia quoque per vices ire et animos per orbem agi? magni iſta credidere viri, itaque iudicium quidem tuum ſuſtine, caeterum omnia tibi integra ſerua. Si vera ſunt iſta, abſtinuiſſe animalibus innocentia eſt, ſi falſa, frugalitas eſt. Quod iſtic credulitatis tuae dammum eſt? alimenta tibi leonum et vulturum eripio.* Haec ad Senecam Sotion, qui diſcipulum etiam ad iſtam ἀποχὴν perduxit. Qui locus integer deſcribendus fuit, vt de Sotionis philoſophia conſtaret, quem non Pythagorae ſolum amatorem, ſed aſſeclam fuiſſe, allatae et probatae diſcipulo hypotheſes Pythagoricae ſatis loquuntur, quae, praeter abſtinentiam et alia vitae inſtituta, dogmata quoque Samii philoſophi Sotioni placuiſſe demonſtrant. Vnde ſententiae de Sotione Stoico ſuae ipſe diffidit LIPSIVS, eumque alio loco [m] inter Pythagoricos refert, Cl. FABRICIVS autem et Stoicis et Pythagoreis adſcribit [n]. Quod ſuo modo recte et prudenter factum eſſe ex iis, quae de Sextio obſeruauimus, patet. Qui enim circa haec tempora Pythagoream ſequebantur philoſophiam, moralem potiſſimum partem excolebant, quam cum conuenire magna ex parte cum Stoicis viderent,

i) EVSEB. in Chron. HIERON. ad h. loc. IONSIVS et VOSSIVS ll. cc.

k) Ita LIPSIS Manud. ad phil. Stoic. L. I. diſſ. XII. p. m. 73.

l) Epiſt. 108.

m) In not. ad ep. 49. p. m. 354.

n) Prius Bibl. Gr. Vol. II. p. 412. poſtetius Vol. I. p. 505.

Digitized by Google

derent, vtramque in hoc quidem argumento ſectam coniunxerunt, vel Stoica potius Pythagoreis accommodarunt. Id quod facili eo magis labore fieri potuit, quo magis Zenonem ex Pythagorae doctrina, totius fere philoſophiae ſuae cum naturalis, tum moralis aedificium conſtruxiſſe, illique demum Platonica, nouatis vocibus, adieciſſe, et Heraclitea ex Italicis quoque ſcholis profecta immiſcuiſſe, in Stoicae Philoſophiae hiſtoria *tomo primo* [o] euidentibus probauimus rationibus. Ex quibus et hoc planum eſt, non fuiſſe ſatis rationum VOSSIO [p], vt Sotionem eclecticis aggregaret. Etſi enim ſyncretiſticam quandam philoſophandi viam ingreſſus eſt Sotion, Pythagorea tamen ſe ſequi profeſſus eſt, quae a Stoicis non multum, ſi doctrinam reſpicias, diſſidere putauit. Memorantur Sotionis *de ira* ſermones a STOBAEO [q] et ANTONIO ac MAXIMO [r], qui an noſtri ſint, licet incertum ſit, credunt id tamen LIPSIVS [s] et IONSIVS [t]. Nec ſententiae allatae Pythagoreis abſimiles ſunt.

§. VI. Ex Pythagoreis porro, ſub haec tempora inclareſcentibus, MODERATVS quoque eminuit. Quem vixiſſe ſub Nerone ex eo colligere eſt, quod ſe cum Lucio ex Etruria diſcipulo Moderati Pythagorici conuiuio Syllae interfuiſſe PLVTARCHVS [u] dicat. Gaditanum fuiſſe PORPHYRIVS [x] innuit, vnde Gades vrbs et inſula in mari Atlantico vltra columnas Herculis cum Gadara Palaeſtinae vrbe, quae alio nomine Antiochia et Seleucia dicta, non confundenda eſt [y]. Is eo potiſſimum nomine de Pythagorea doctrina, quae tota fere hactenus ſepulta iacuerat, meruit, quod eam ex veterum ſchedis diſiectam collegit, variisque ſcriptis, maxime vero vndecim libris *de placitis ſectae ſuae* expoſuit, quo in argumento eruditiſſime fuiſſe verſatum, PORPHYRIVS [z] teſtatur. Meminit etiam *ſcholarum Pythagoricarum*, quinque libris comprehenſarum STEPHANVS [a], quas malumus a priori opere cum IONSIO [b] diſtinguere, quam idem eſſe pronunciare cum FABRICIO [c]. Laudatur vero veteribus impenſe Moderatus, qui inter praecipuos Pythagoricos eum numerant, legeruntque eius ſcripta diligenter Alexandrinae ſcholae philoſophi, Origenes [d], Porphyrius, Iamblichus. Quem Moderatum hunc virum eloquentiſſimum ex parte fuiſſe imitatum recte notauit HIERONYMVS [e], licet Iamblichus nunquam ad Moderatum prouocauerit, vt RITTERSHVSIO annotatum [f]. Quod vero ex LONGINO [g] obſeruat TENNVLIVS [h], Moderatum etiam Platonicis dediſſe operam, eo magis veriſimile, quo magis *Moderatus.*

o) L. III. c. 9.
p) De ſectis c. XXI. §. 8. p. 117.
q) Serm. XCVIII. p. 324.
r) Serm. XCIX. p. 309. edit. Stob. Wecheli.
s) loc. cit. t) loc. c. p. 166.
u) Sympoſ. L. VIII q. 7. T. III. p. m. 286.
x) In vit. Pyth. n. 48.
y) Non enim γαδαρεὺς, ſed γαδαρεὺς dicitur. vid. STEPH. in γάδαρα. RITTERSHVS. ad l. c. Porphyr. p. 74. ed. Kuſteri. z) L. c.
a) L. c. Ita reponendum pro Suida apud FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 495.
b) De Script. hiſt. phil. L. III. c. 5. p. 229.
c) L. c.
d) EVSEB. Hiſtor. eccleſ. L. VI. c. 19. SVID. in Orig.
e) In Ruffinum. f) L. c.
g) De fine.
h) Ad IAMBLICHI Introd. in Anth. Nic. p. 61.

Digitized by Google

gis Pythagorica et Platonica secta in Aegypto confundi in vnum systema ante Moderati tempora coepit. Fuit et alius Moderatus inter adulteros Faustinae, quos stupide M. Antoninus philosophus ad varios euexit honores [i].

Alii Pythagorei.

§. VII. Fuisse alios quoque circa hanc aetatem philosophos, quibus Pythagorae instituta et disciplinam sequi placuit, dubium non est. Non tamen eorum memoria supersit, forte quod obscurius vixerunt. ALEXICRATES tamen atque EVXENVS memorantur. De priori hoc vnum meminit PLVTARCHVS [k], eo tempore illum, quo Platonicum conuiuium institutum fuisse fingit, vixisse, discipulosque habuisse, reliquis mediocriter vescentes, atque etiam mactantes, piscem autem gustare omnino recusantes. Nisi placeat magis, omnes hos, inter se colloquentes conuiuas confictos a Plutarcho fuisse. Euxenus Heraclea, quae in Ponto est, oriundus, *Pythagorae sententias ita nouerat, sicut aues ea, quae discunt ab hominibus*, vt ait PHILOSTRATVS [l]. Quae volunt: hunc Apollonii praeceptorem, verbotenus quidem doctrinam Pythagorae tenuisse, eam vero nec intellexisse, nec vixisse secundum eam. Eum enim minime bonum, nec vita et moribus philosophum fuisse, ventrique ac veneri indulsisse ad Epicuri mores compositum, testatur PHILOSTRATVS. AREVM quoque, Augusti praeceptorem inter Pythagoreos numerat Continuator VOSSII [m], prouocans ad SVETONIVM [n]. Apud eum vero, vt et apud SENECAM [o], sectae, quam secutus est Areus, nomen non exprimitur, sed hoc tantum dicitur, Augustum Arei philosophi filiorumque eius Dionysii et Nicanoris, contubernium iniisse. Quanta apud Augustum gratia floruerit, eo potissimum argumento imperator demonstrauit, quod deuicto Antonio Alexandriae, Arei patriae, in gratiam praeceptoris, ignouerit [p]. Adeo vero valuit philosophia Areus, vt Liuia, quae se ei consolandam ob viri sui mortem praebuerat, multum eam rem sibi profuisse confiteretur. Fuere et alii Arei [q], et in his Stoicus, Didimus cognomine, cum Augusti praeceptore non confundendus.

Apollonius Tyaneus.

§. VIII. Nemo tamen, non inter omnes tantum huius aetatis Pythagoreos, sed inter omnes quoque, quotquot in orbe Romano eminebant, et magna quoque fama inclarescebant, Philosophos, maiori nominis celebritate gauisus est, et post fata quoque honorem magis insolitum atque diuinum accepit, quam APOLLONIVS TYANEVS. Qui cum sibi constituisset, Pythagorae vitam adaequare atque restituere disciplinam, iisdem prorsus artibus ad id culmen enixus est, ad quod Pythagoram euexit superstitiosa credulitas. Quem cum sanctissimo Saluatori vere θαυμασίῳ eiusque Apostolis et discipulis

i) CAPITOLIN. in Antonino c. 29.
k) L. c. T. III. p. 288.
l) Vit. Apollon. c. 8. p. 8.
m) De sectis phil. c. IV. §. 1. p. 155. quem sequitur BALTH. FREIND. in theatro philosoph. §. 92. p. 259.
n) In Augusto c. 85.
o) Consol. ad Helv. c. 4.
p) Vid. PLVT. in Anton. T. VIII. p. m. 164. et in Apophth. T. I. p. m. 454. IVLIAN. ep. ad Alex. et in Caesaribus, LI. DIO Lib. LII. STRABO L. XIV. GAVDENTIVS de phil. Rom. c XLVII. p. 205. IONSIVS de Scr. hist. phil. L. III. c. 1. p. 215.
q) Videndus de iis IONSIVS l. c.

Digitized by Google

lis non aequare tantum, ſed et anteferre auſa ſit impia Alexandrinorum philoſophorum, qui ſe eclecticos mentiebantur, ſchola, vt haberent, quem mirabiliter progredienti Chriſtianae religioni opponerent, et vel fidem Ieſu Chriſti eiusque miraculorum atque doctrinae eleuarent, vel gentilem ſuperſtitionem ei praeferrent, diligentius is iam a nobis et accurate conſiderandus, eiusque vita ita examinanda eſt, vt, quod interſit diſcriminis inter lucem et tenebras, contra impietatem hodie, proh dolor! regnantem fiat manifeſtiſſimum. Cuius eo patentior nobis aperitur campus, et fauentior offertur occaſio, quo diligentius ſe praeſtitit gentilium philoſophorum ſtudium acta et facta huius impoſtoris non prolixe tantum deſcribendi, ſed et ita mendaciis, plauſtris et quadrigis congeſtis, augendi et ornandi, vt fabulam Romanenſem, nugasque Mileſias corraſiſſe merito cenſendi ſint, id quod in ſequentibus euidenter demonſtrabimus. Primus, qui vitam famoſiſſimi philoſophi magique conſcripſit, Damis fuit, homo Babylonius, diſcipulus eius et itinerum comes, qui ſe miraculorum, vaticiniorum, et quae alia ſtupenda fecerat Apollonius, teſtem ocularem dixit, et dictorum eius ſummam plane quidem ſatis, ſed parum diſerte, propoſuit [r]. Hos de vita et miraculis Apollonii commentarios diu neglectos cum cognatus quidam poſſediſſet, Iuliae Domnae Auguſtae, Seueri coniugi notos fecit, cui eo magis erant accepti, quo magis illa non viris tantum doctis omnibus, ſed et philoſophis ſpeciatim vehementer fauebat [s], inque iis memoriis contineri credebantur, quibus gentilis religio, labans iam tum vehementer et ruinam minitans, contra arietes Chriſtianae diſciplinae poſſet ſuſtineri et firmari. Iulia itaque Auguſta hos Damidis libros nacta, quos inconcinne compoſitos negligi nolebat, Flauio Philoſtrato [t], qui in familia eius erat, eiusque gratia fruebatur, tradidit, cumque rhetorices eſſet ſtudioſiſſima, praecepit, vt refingeret diatribas iſtas, curamque elocutionis haberet. Qui vt herae mandatis obtemperaret, et comtiorem, quam acceperat, exornaret fabulam atque amplificaret, de aliis quoque, quae ad Apollonium referrentur, memoriis ſollicitus, in Maximi cuiusdam Aegrenſis librum incidit, qui Apollonii

Scriptores vitae actorumque Apollonii.

r) Ita PHILOSTRATVS vit. Apoll. l. I. c. 3. p. 5. Non confundendus eſt Damis hic Nini oriundus cum Damide Epicureo philoſopho, LVCIANO in Ioue tragoedo memorato. Alios Damides enarrat OLEARIVS ad h. l. not. 1.

s) SPARTIANVS et XIPHILINVS in Seuero, quique feminarum doctarum hiſtoriam tradidere.

t) Fuit is Lemnius, quamuis Athenienſis dicatur Euſebio, quod Athenis aliquamdiu docuit, poſtquam magnam orbis partem peregrinando obiiſſet, oratoriae artis peritia clariſſimus, ab imperatore Ant. Caracalla viginti quatuor annos natus immunitatem a publicis oneribus accepit. Romam deinde translatus in Aula Seueri inter viros ſophiſtas receptus a Iulia Domna Auguſta in honore habitus eſt, et hanc vitam Apollonii ſcribere iuſſus. Cuius poſt varias editiones nouam eamque emendatiſſimam et doctiſſimo commentario illuſtratam nobis dedit, celeberrimus, dum viueret, Lipſienſium theologus et polyhiſtor GOTTFRID OLEARIVS Lipſ. 1709. fol. qui et iunioris Philoſtrati ſcripta ei adiunxit. Plura de Philoſtratis eorumque operibus, charactere et eloquentia in hiſtoria rhetorices diſſerendum, videndi autem SVIDAS in Philoſtrat. T. III. p. 610. G. I. VOSSIVS de Hiſt. Graec. L. II. c. 15. p. 234. IO. MEVRSIVS poec. epiſt. de Philoſtratis, huius epiſtolis praefixa, IONSIVS de Scr. H. P. L. III. c. 13. p. 279. TILLEMONT. Hiſt. des emper. T. III. de Lipſienſi vero Opp. Philoſtrati editione vid. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 53. Gallicam vitae Apollonii verſionem confecit BLASIVS VIGENERIVS Paris 1611. 4. Anglicam, ſed primum tantum librum et ſecundum complexam CAR. BLOVNT. Lond. 1680. 8. qui cum annott. non ſine offenſa legendis eam auxiſſet, et librum publice vidit prohibitum, violentam ſibi manum intulit, vid. Hiſt. des ouvrag. des Savans 1693 p. 135. 136. BAYLE Dict. T. I. art. Apollonius not. L p. 269.

pollonii in Aegis geſta omnia continebat. Sed et ab ipſo Apollonio perſcriptas teſtamenti tabulas ad manus habuit. Fuit etiam Moeragenes quidam, qui libros de Apollonio quatuor ſcripſerat: cuius tamen nullam ſe rationem habuiſſe ait Philoſtratus, quod multa ignorauerit eius viri geſta: reapſe, quod non ſine veriſimilitudine coniicit CVDWORTHVS [w], quod Apollonium pro mago haberet et deſcriberet. Ex his monumentis Apollonii vitam eleganti et Attico ſermonis genere concinnauit Philoſtratus. Cum vero eo potiſſimum fine conſcriptus eſſet hic *de vita Apollonii* commentarius, vt Chriſtianis poſſet opponi, vſus eius praeſidio Hierocles Bithyniae Praefectus [x], cum iuratus Chriſtianorum hoſtis eſſet, comparationem inter Chriſtum et Apollonium inſtituit, oſtenſurus, maiora, vel ſaltem aeque magna miracula patraſſe Apollonium, quam Chriſtum, habereque gentilem religionem, qui Chriſtianorum heroi praeferatur. Quae comparatio cum ad confundendos imbecilles animos eſſet aptiſſima, hominis impudentiam retundendam ratus EVSEBIVS PAMPHILI, ſcripſit *animaduerſiones in Philoſtrati de Apollonio Tyanenſi commentarios*, ob inſtitutam cum illo ab Hierocle Chriſti comparationem adornatas. In quibus quae vel vera, vel falſa, vel arti et fraudi adſcribenda eſſent, quae fidem omnem reſpuerent, quae pro veriſimilibus admittenda eſſent, prolixe diſſeruit: quas animaduerſiones Euſebii Scriptis iungere ſolent editores, et plerisque etiam Philoſtrati commentariorum editionibus adiicere. In iis tamen iudicium et accurationem, quae non vbique apud ſcriptores eccleſiaſticos reperiuntur, merito deſideres [y]. Hanc vero Apollonii vitam, licet tota fabulis ſcateat, fundamenti loco in deſcribenda huius philoſophi hiſtoria ſubſternere eo magis licet, quo apertiora falſitatis et mendaciorum veſtigia commenta vel Damidis vel Philoſtrati prae ſe ferunt, vt facile ad lydium critices lapidem examinata detegi queant. Qua in re viam nobis fecerunt, exemplumque praeiuerunt, viri eruditiſſimi NANVS TILLEMONTIVS [z], HVMFR. PRIDEAVX [a], ROBERTVS IENKINVS [b], quique in miraculorum Apollonii veritatem falſitatemue inquiſiuerunt, infra nominandi.

Natiuitas Apollonii et educatio philoſophica.

§. IX. Natus fuit Apollonius Tyanae Cappadociae vrbe, quae alium quoque Apollonium philoſophum progenuit, cuius meminit SVIDAS [c], a quo, vt ab aliis quoque hoc nomine inter veteres haud incelebribus [d] Pytha-

w) Syſt. Intell. c. IV. §. 14. p. 304.

x) Diſtinguendum eſſe hunc Hieroclem, a philoſopho Platonico, infra inter eclecticos de hoc dicturi, docebimus. Videndi interim de hoc Bithyniae praefecto LACTANT. L. V. c. 2. 3. IONSIVS L. III. c. 18. PEARSON. proleg. ad Hierocl. comment. in aur. carm.

y) Vid. GVIL. CAVE Hiſt. lit. Scr. eccleſ. P. II. p. 99.

z) Hiſt. des empereurs T. II. p. 195. ſeqq. ed. Brux.

a) Lingua is Anglica vitam Apollonii enarrauit.

b) Is Tillemontii vitam Apollonii Anglico idiomate expreſſit, et annotationibus auxit, vid. Act. erud. 1704. p. 56. Addi poteſt Ven. MOSHEMII Diſſ. de exiſtimatione Apollonii.

c) In Apollonius T. I. p. 283.

d) Multos Apollonios veteribus memoratos collegit pec. tr. de Apolloniis Io. MEVRSIVS qui in Bth. Gr. p. 1234. quoque videndus. Addi debent diligentiſſimi in homonymis notandis viri G. I. VOSSIVS de hiſt. Graec. p. 148. 149. 234. IONSIVS de hiſtor. phil. Scr. L. III. c. 9. p. 268. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 526. multi eorum fuere medici.

Pythagoreus philoſophus probe diſcernendus eſt. Pater cognominis, genus ei antiquum fuit, et quod PHILOSTRATVS [e] tradit, ad vrbis conditores pertingens, opes, quae maximae in illa gente eſſent. Si verum, centenarium eum obiiſſe [f], incidunt natales eius, in ea propemodum tempora [g], quibus IESVS CHRISTVS, mundi ſalus, homo natus apparuit: vt ita infernalem humani generis hoſtem eodem tempore, quo filius DEI inter homines natus et verſatus eſt, ſimium hunc ideo excitaſſe, vt eius miraculorum curſum ſiſteret, tantum non quis credat [h]. Matri vtero eum geſtanti ſpectrum apparuit Aegyptii DEI Protei, qui ſe in varias mutaſſe formas dictus eſt, illa vero nihil territa, quemnam paritura eſſet? interrogauit: ille me, inquit, Tu vero quis es? illa dicente, Deus Aegyptius. Ita PHILOSTRATVS [i], qui, vt non ſolum Pythagorae, ſed ipſi quoque filio DEI heroëm ſuum, quem ornare ſuſceperat, adaequaret, diuinam ei originem tribuere non erubuit. Quem haec ex ſectae ſuae, cui adhaeſiſſe videtur, ſtudio talibus viris diuinos natales tribuendi adieciſſe, dubium non eſt, vt adeo neceſſe non ſit, cum TILLEMONTIO [k] ſtatuere. inferni principem praedixiſſe matri Apollonii, foetum eam ſuum geſtare. Haec enim, daemonem impurum commercio Apollonio iunctum fuiſſe ſine neceſſitate ſupponunt. Ipſe Philoſtratus, ſe meliore quam Damis iudicio vſum non eſſe, mox in hoc narrationis ſuae limine prodidit, qui matrem Apollonii non Apollinem geſtaſſe in vtero, vt Pythais olim, ſed Proteum, deum mutabilis et verſutae formae, mentitur. Etſi enim egregie ſe perſonam Apollonii ornaſſe putat, monendo, eum longe plura praeſciuiſſe, quam Proteum, atque ex multis ambiguis et difficilibus rebus eſſe eluctatum, vbi vel maxime ad incitas eſſet redactus, prodit tamen infelicem comminiſcendi ſine vlla veriſimilitudine audaciam, dum ea diuinitatis argumenta fuiſſe dicit, quae Philoſopho Pythagoreo prorſus indigna ſunt. Imo Philoſtratum Pythagoreismi ignarum heroi ſuo contraria finxiſſe, paulo curatius attendentibus erit perſpicuum. Proteus enim, quem in omnes ſe vertere formas tradebat theologia mythologica, materiae in omnes ſe partes vertentis et mutabilis ſymbolum eſt; materia vero, adeoque Proteus etiam, ſi rationes Pythagoricas ſequimur, daemon eſſe non poteſt, qui ex monadum ſiue ſubſtantiarum per ſe ſubſiſtentium numero eſt. Quae ea propter in ipſo vitae Apollonii veſtibulo obſeruare placuit, vt nec ſibi ipſi, nec veritati, nec veriſimilitudini etiam in ſtruendis fabellis Mileſiis Oratori obſeruandae, ſatisfeciſſe, nec concordare Philoſtrati hiſtoriam pateat. Quem ſi porro ſtrenue mentientem audimus, miraculoſa infantis Apollonii natiuitas fuit. In pratum enim naſcendi tempus cum inſtaret, mater in ſomnio ex-

e) L. 1. c. 4. p. 6.
f) SVIDAS l. c.
g) Incidit enim mors eius in annos Neruae. Quod ſi A. C. XCVI. ſatis functus eſt, incidit natiuitas eius in tertium vel quartum annum ante natum Saluatorem, ſi communem aeram ſequamur. conf. TILLEMONT. l. c. p. 195.
h) Ita CVDWORTHVS Syſt. int. c. IV. §. 15. p. 310. ſeqq. in quo tamen multa hic deſiderat eruditiſſimus interpres recte, an ſecus, lector diſpiciet. Nos hoc vnum monemus, admiſſa hac Satanae impoſturis illudendi orbi malitia, nihil diuinae ſapientiae incongruum admitti, quae ita vera miracula I. C. illuſtriora reddidit.
i) L. l. c. 4. p. 6.
k) L. c.

exſpatiare ſibi viſa floresque decerpere, cum illuc veniſſet, famulis flores decerpentibus, ipſa ſtatim ſomno oppreſſa eſt, cygni, quos pratum paſcebat, chorum circa ipſam dormientem formabant, et alis ſublatis clangebant, fauonius etiam ſpirabat *: quibus excitata mox peperit; ſimulac vero peperiſſet, fulmen, quod in terram delapſum videbatur, in aetherem ſubuectum, in ſublimi euanuit, quibus nominis claritatem et commercium cum Diis portendi ait Philoſtratus, qui communem gentilium in eo opinionem, iam in Zoroaſtre nobis ** notatam, ſecutus eſt, magnos viros deorumque commercio deſtinatos, aut ex fulmine prodiiſſe, aut fulminis igne ad Deorum ſedes eſſe euectos. Cum ad aetatem perueniſſet literis idoneam, memoriae vim prodidit atque conſtantiam; eius enim cum Pythagorei ſummam curam haberent, et praeceptorem ea gauiſum excellente iactarent, vt *tomo primo* [a] dictum, in his quoque ad Pythagoreiſmum factus natusque dicendus erat Apollonius. Cumque forma eſſet conſpicuus, qua Pythagoras quoque excelluiſſe dicitur, omnium oculi in eum conuertebantur. Inde cum annum quartum decimum attigiſſet, Tarſum ad Euthydemum, rhetorem inſignem pater eum deduxit: cuius diſciplinam recepit quidem Apollonius, ciuitatis vero indolem ineptam iudicavit, nec ſatis ſtudiis philoſophiae opportunam. Luxum enim et cauillationes Tarſenſium, quem Ciliciae populum K. καπήλευ nota olim iam infamem fuiſſe, conſtat, oderat [b], licet etiam ipſe Apollonius, qui Cappadox fuit, in illam literae famoſae ſocietatem veniret [c]. Traduxit itaque magiſtrum, patre exorato, Aegas, vicinum oppidum, vbi et otium erat philoſophanti idoneum, et ſtudia adoleſcentibus magis conuenientia, et Aeſculapii templum, in quo pater hic artis ſalutaris ipſe hominibus apparere dicebatur. Ibi cum eo philoſophati ſunt Platonici et Chriſippei, et Peripatetici, id quod facile credi poteſt, iam tum philoſophis ex Aegypti conſuetudine, circa ea tempora per totam Aſiam ſe diffundente, in ſyncretiſmum ſectarum conſpirantibus. Addit tamen, quod maxime mireris, PHILOSTRATVS [d]: Epicuri quoque philoſophiam audiuiſſe, neque eam parui feciſſe, Pythagorea vero ineffabili quodam ſtudio complexum fuiſſe. Qua narratione vel prodit rhetor, Apollonium omni iudicio deſtitutum contraria, qualis Epicurea et Pythagorea philoſophia e diametro ſibi aduerſa fuere, inter ſe iunxiſſe; vel ipſe nullo ſe iudicio vſum iunxiſſe gryphes equis, et cum canibus timidas vocaſſe ad pocula damas, manifeſtum facit, adeo inepta ſunt omnia, et male cohaerentia, quae tamen, more horum hominum, quos ſecutus eſt Philoſtratus, minime ſibi obſtare putauit, modo omnis ſectae et eruditionis participem heroëm ſuum fingeret, et in hac quoque parte Pythagorae aequaret. Cuius diſciplinae cum ſe tradere conſtituiſſet Apollonius

*) Prodit hic quoque Philoſtratus, ſe poëtarum magis fabulas, quam hiſtoriae leges fuiſſe ſecutum. Illi enim Zephyrum adſpirare oloribus canentibus fingebant. Ita ſaepe PHILOSTRATVS alter in imaginibus, vid. L. I. c. 9. p. 776. et OLEAR. ad h. l. n. 43.

**) T. I. L. I. c. 3.

a) L. III. c. 10.

b) PHILOSTR. L. V. c. 7. p. 8. conf. STRABO Lib. XIV. p. 674.

c) Καππάδοκες, Κίλικες, Κρῆτες, τρία κάπηλα κάκιστα.

d) loc. cit.

by Google

lonius, Euxenum praeceptorem nactus est, quem sententias quidem et doctrinas Pythagorae memoria tenuisse, vita vero mala ducta instituta Pythagorea non fuisse secutum supra narrauimus. Eius itaque institutione Apollonius puer vsus, Pythagoream discebat sapientiam. Cum vero ad annum aetatis sextum decimum peruenisset, ad Pythagorae vitam et disciplinam impetu quodam ruebat, et praeceptore, quem tamen amabat, suis moribus viuere iusso, seueritatem instituti Pythagorae sibi vita exprimendam statuit. Vt itaque Pythagoricis praeceptis obsequeretur, a ventris purgatione et coërcitione philosophiae studium exorsus est, corpusque ad frugalitatem et temperantiam reuocauit. More itaque Pythagoreo animalium esu, tanquam impuro et mentem hebetante abstinebat, bellariis vero et oleribus vescebatur [e], pura esse dicens, quaecunque ei terra suppeditabat. Vinum, etsi purum potum esse iudicabat, non bibebat tamen, quod bono animi statui aduersaretur, et aethera, qui in animo est, vt volunt Pythagorei [f], perturbaret. Post hanc ventris coërcitionem et purgationem nudipes quoque incessit et discalceati habitu, et veste ex lino indutus, ex animalium vellere confectam respuens, vt in his quoque Pythagorae se assimilaret. Comam etiam, vt Samium comatum imitaretur, aluit, et in templo vitam egit, in quo ipsum Aesculapium ad sacerdotes gaudium de praesentia Apollonii testatum fuisse, strenue nugatur, vel Maximus, vel Philostratus, qui, se Ciliciae et Cappadociae incolae, id est hominis mendacis et nugiuenduli facta narrare, debebant meminisse. In hoc Aesculapii templo morum emendator ephebus apparuit Apollonius, qui aegrotos, valetudinis recuperandae caussa tum accedentes grauiter obiurgauit, ipso Deo eius corripiendi licentiam non probante tantum, sed salutari etiam effectu confirmante. Cuius aliqua exempla ita narrat PHILOSTRATVS [g], vt vel hominis audaciam, vel simplicitatem mirari satis vix valeas. Dum enim omnium in oculis hunc reformatorem philosophum fuisse, exemplis nobis vult persuadere, hominem nobis fanaticum et paedagogicis moribus aliis inepte imperantem descripsit et deridendum propinauit, et hunc tamen iam tunc vaticinandi facultate fuisse praeditum persuadere voluit Postquam mortuum patrem audiuit, Tyana properauit, eumque manibus suis matris in tumulo composuit: haereditatem autem lautissimam cum fratre partitus est, homine intemperante et heluone. Viginti vero annos tantum natus ex legibus Romanorum tutori subiiciebatur. Rursus igitur Aegis aliquamdiu commoratus tanto studio in philosophiam incubuit, vt Aesculapii templum in Lyceum Academiamque conuersum, totum philosophia resonaret [h]. Sed vt fratrem quoque ad meliorem vitam reuocaret, suae portionis dimidiam ei concessit, et hortationibus ad virtutem multis reductum a vitiis in ordinem redegit. Quae vbi in fratre successissent, ad alios mox sese cognatos conuertit, eorumque

e) Ἐσσήτο, habet PHILOSTRATVS c. 8. quod parcam et frugalem vitae sustentandae rationem notat. Quae hic habuit Apollonius singularia, ea omnia a Pythagora transsumta fuisse, collatio eius cum disciplina Italica docet.

f) Conf. LAERT. Lib. VIII. s. 9. 28. et nos T. I. L. III. c. 10. Conf. OLEAR. ad h. l.

g) c. 9. p. 10. h) Ibid. c. 13. p. 14.

que illos, qui indigentiores erant, exigua haereditatis portione ſibi relicta, ex reſiduis ſibi conciliauit, cum pauciſſimis opus haberet. Ipſe enim vxorem non duxerat, neque vnquam venerea commercia obibat, ſed iuuenis libet ac valens voluptatem furentem compeſcebat. Quae licet de homine eiusmodi temperamento, quo Apollonius, vſo facile credi queant, non negat tamen Philoſtratus, furentem dominam, voluptatem, fuiſſe expertum, quam compeſcuiſſe dum dicit, immemor fuit, quod paulo ante dixerat, nunquam, ne in adoleſcentia quidem, ei fuiſſe obnoxium. Certe ob veneris vſum eum calumniatos fuiſſe nonnullos tradit biographus [i], et eius apologiam facit. Accidere haec A. N. C. XXI. Poſthaec vt ſe vere Pythagoreum praeſtaret, echemythiam Pythagoricam ſeruandam ſibi eſſe ratus, per quinquennium ſiluit, et vocem quidem continuit, memoria tamen omnia et oculis retinuit et didicit. Vbi iterum vel mire lectoris patientia abutitur Philoſtratus, vel incredendorum fidem omnem ſuperat, narrans, cum eo, quo ſiluit, tempore, ad illa quae dicebantur, oculis manuumque atque capitis nutibus ſigna redderet, non iucundum tantum et humanum, placidis ſeruatis moribus in conuerſatione fuiſſe, ſed moratum etiam hoc ſilentii tempore partim in Cilicia, partim in Pamphylia, nunquam quidem vel verbum feciſſe, ſi quam tamen in ciuitatem veniſſet ſeditioſam, ſe oſtendendo, et reprehenſionem, quam parabat, manu vultuque prae ſe ferendo a ſeditione incolas continuiſſe, et Aſpendios fame preſſos, cum in praeſidem prouinciae triſtia molirentur, ſolis nutibus ita commouiſſe, vt obortis lacrymis a ſeditione deſiſterent, frumenti caupones copiam eius facerent. Quae, licet copioſe narret Philoſtratus [k], tam miſere tamen cohaerent, vt omnibus ſibi fere lineis contradicant; ſane

- - credat Iudaeus apella,
Non ego.

Sed manibus palpatur, Philoſtratum, vt Apollonium Pythagorae ſimium rite effingeret, in compeſcendis ſeditionibus et cicurandis animis eandem illi facilitatem tribuere voluiſſe, ineptum tamen ad hiſtoriam ſcribendam, illud ſilentii tempus elegiſſe, quo ne congredi quidem cum aliis licebat apud Pythagoreos, quoque hominem amenti ſimilem ſolis nutibus ſeditioſam turbam compeſcere erat impoſſibile. Cum iam ſilentio finem feciſſet, Antiochiam, Epheſum aliasque vrbes magnas et hominum frequentia celebres frequentauit, templa intrauit, et vbi diſputare ſtatuit, loca, in quae populi fieret concurſus, et in quibus promiſcue viueretur, euitauit, non hominibus, ſed viris ſibi opus eſſe, inquiens: templa vero frequentauit non clauſa [l]. Ibi ſole oriente a turba ſemotus nonnulla patrabat, (id eſt, vt recte monet OLEARIVS [m], theurgiae operam dabat,) quae ſolis aperiebat illis, qui quadriennio ſilentium obſeruauiſſent; inde vero ſi Graeca eſſet ciuitas, et cognita ſacra, conuocatis templorum ſacerdotibus de diis philoſophabatur, ſi barbara, ritus explicabat et emendabat. Diſcipu-

Vitae et docendi ratio.

i) c. 13. p. 13. k) c. 15. p. 17. ſqq. l) Mire hic impoſtorem ſapit Apollonius. m) Ad c. 16. n. 13. p. 20.

Digitized by Google

ſcipulos deinde ſuos obibat, et ſi quid vellent, iubebat interrogare. Aiebat enim, oportere eos, qui ſuum philoſophandi modum ſequantur, aurora primum exoriente cum diis verſari: procedente autem die de diis, et proximo deinde tempore de humanis rebus colloquia inſtituere. Inde ſub meridiem ad publicas diſputationes procedebat, deinde vngebatur, et perfricatus aquae frigidae ſe immittebat. Vtebatur vero non prolixa oratione et elegantiam affectante Atticam, nec faſtidioſa in diuidendo ſubtilitate, nec protrahebat orationem, nec diſſimulatione vel apoſtrophe, ſed velut ex tripode noui, inquiebat, atque: ita cenſeo, et, quorſum feremini? aut, ſcire oportet: ſententiasque adhibebat breues et voces proprias, ita nempe, vt legislator, quo modo ſapientem docere oporteat, ipſe profeſſus eſt. Patet ex hac docendi ratione Apollonii, quam ipſis PHILOSTRATI *) verbis retulimus, ad Pythagorae imitationem eam fuiſſe effictam, ſed ita, vt ab imitatore ſeruo pecore poteſt expectari, nempe vt in fraudem omnia conſpirarent. Electa templa, et tempus antelucanum; diſſertationes de Diis et cum ſacerdotibus habitae; theurgiae primarius habitus honos; diei partitio Pythagorea; adhibita arcani diſciplina; vnctio, frictio, et quae alia ſunt Pythagorei moris et conſuetudinis. Adeoque recte in conſortium impoſturae, cuius Pythagoram merito reum agi demonſtrauimus, trahitur. Sed ineptior multo Pythagora, et longe ab eius calliditate remotus, qui ſibi ex tripode dicenti ſoli credendum eſſe poſtulavit, et Pythagorae αὐτὸς ἔφα male intellectum, apud omnes omnino diſcipulos ſuos adhibuit, non nudarum veritatum propoſitione, ſed paedagogico faſtu, qui vel nauſeam, vel miſericordiam excitare aptus eſt. Qua in viuendi et docendi conſuetudine Apollonii, quam tamen in coelos extollit Philoſtratus, dubium eſt, an vel inſtituentis paedantiſmum (veniam verbo exoramus) et ſuperbiam, vel narrantis inſaniam et ſimplicitatem magis admirari nos oporteat?

§. X. Vt vero propiori ſimilitudine Pythagoram exprimeret, ad barbaras quoque gentes iter ſibi philoſophicum ſuſcipiendum ratus eſt Apollonius. Cumque traditio, licet, vt ſuo loco demonſtratum, infirmiſſima et exiguae veriſimilitudinis percrebuiſſet, penetraſſe Pythagoram vsque ad Indos, Brachmanasque et Gymnoſophiſtas adiiſſe, et cum iis fuiſſe congreſſum, magno impetu ad orientale iter ſe accinxit *). Quanquam non diſcendi cauſſa, quod Pythagoram impuliſſe dicunt, ſed vt tantum ſe virum et orbis reformatorem omnibus fere gentibus oſtenderet, ſibique et ſuis gloriam pararet, hoc iter ſe ſuſcepiſſe non negauit, ſcribens ad Tyanenſes ſuos *): *peregrinatum ſe, vt gloriam patriae, et nomen et amicitiam virorum illuſtrium, atque ciuitatum pararet, ad quem ſcopum vires ſuae et ingenii conatus valuerint.* Id quod ad cognoſcendum verum Apollonii characterem omnino notandum eſt: certe ſuis

Iter Apollonii Orientale.

*) c. 16. 17. *) c. 18. p. 22. Lib. IV. c. 7. *) Epiſt. 47. p. 396.

Digitized by Google

ſuis hoc iter ideo ſuaſiſſe, vt inclareſcerent, non negat PHILOSTRATVS q. Diſcipulis igitur, quos ſeptem habebat, conſilium aperuit, qui cum ſequi nollent, iturum ſe dixit, quo ſe ſapientia et daemon duxerint. Quibus verbis Apollonius mire, quid ſibi conſilii fuerit, prodidit nempe, Pythagoram imitari, qui ſe daemonem eſſe apud homines, vel, ab inhabitante potius daemone regi credi voluit, et doctrinae cum ſummam, tum prodigia ad hanc fidem obtinendam adhibuit. Cui cum non inferior cuperet eſſe Apollonius, eiusmodi inhabitante daemone ſe agi et ad θαυμάσια peragenda inſtrui aptumque reddi, eoque etiam duce, ad exteras gentes manu quaſi duci iactauit. Quae vere ita fuiſſe profeſſum, et impoſtorem ob eum finem egiſſe Apollonium, omnino veriſimile eſt; quanquam probabile non eſt, illum ſe pro Deo venditaſſe, id quod poſteriorum demum temporum commentum fuit, ſacerdotibus gentilibus, aliisque hominibus, quorum intererat, IESV θεανθρώπῳ verorum miraculorum patratori, ſimiam opponere, ad hunc dignitatis gradum Apollonium euehentibus. Ita praeparato animo Antiochia diſceſſit, cum duobus famulis, qui in patria fuerant familia, quorum alter velocitate, alter pulchritudine ſcribendi excellebat. Venit itaque Ninum antiquam r, eiusque notitiam plus quam ſacerdotes et incolae habent, amplam ſibi adeſſe demonſtrauit: ibique in Damin incidit Ninium, qui ſe ei diſcipulum et itineris comitem dedit. Eſtque hic Damis, quem praecipuum mirabilium Apollonii factorum teſtem eſſe, ſupra monuimus. Quem hominem fuiſſe Aſſyrium, id eſt leuem, et exigui iudicii, ipſe prodit, dum narrante ex eius memoriis PHILOSTRATO s, non tantum riſibus et iocis a gymnoſophiſtis exceptus, ſed et ſua praeſtigiatricis aniculae habenda eſſe, ipſe iocabundus profeſſus eſt, ſuamque ſimplicitatem et ingenii futilitatem prodidit, qui cum primum incidiſſet in Apollonium, nullo eius virtutum et miraculorum facto ſpacimine, daemonio ſe ad eum ſequendum compulſum fuiſſe, ridenda Socratici daemonii affectatione credi voluit. Totque vaniſſimi hominis, et ad quamuis fraudem pro vero accipiendam nati in hac Apollonii vita exempla occurrunt, vt vel ex ſola teſtis praecipui conditione totius hiſtoriae Apollonii fides corruat. Cuius in ſequentibus euidentiſſima cum danda ſint teſtimonia, cautum lectorem ad ea attendere eo magis iubemus, quo magis hoc euerſo vel corruente fundamento, totum labitur fabulae huius Mileſiae aedificium. Mox in primo ad Apollonium acceſſu cum ſe variarum linguarum cognitione non inutilem illi operam praeſtare poſſe dixiſſet, Apollonio dicenti, ſe omnes linguas noſſe, quas non didicerit, immo ea intelligere, quae homines ſilentio premunt, ſine examine credidit, et mendacia his ſimilia annalibus his ſuis poſtea inſeruit, dignus qui ſibilis excipiatur et cachinnis. Sed vt ad Apollonium

q) loc. cit.

r) Ninum antiquam totam deletam ait STRABO L. XVI. p. 737. conſentiente LVCIANO in contempl. cum itaque eam adiiſſe dicitur, intelligendum eſt de Nino reſtaurata, cuius meminere TACITVS ann. L. XIV. c. 13. AMMIAN. L. XXIII. c. 6. Conf. OLEAR. ad h. l.

s) Lib. III. c. 43. p. 131.

um redeamus, is tam ſagaci comite auctus et ſtipatus, per Meſopotamiam iter fecit, et per gentes latrocinio infeſtas ſine formidine tranſiit et ſapientia eousque profecit, vt brutorum animantium voces intelligeret. Didiciſſe enim hanc artem ab Arabibus, vt et aues audiret futura noſcentes et oracula canentes, egregius teſtatur vir, Damis, non recordatus, iſta intelligentia opus non fuiſſe Apollonio, qui, ſi illi fides eſt, ipſe omnia praenoſcebat. Nec meliori iudicio et memoria vtitur Philoſtratus, qui haec ſibi Damidis auctoritate credi poſtulat, neque tamen memor eſt, quod in ipſo tractationis limine ſcribit [s], aues voces edere edoctas non intelligere quid dicant, neque aliquid eorum, quae dicunt, intendere. Adeo mendacium ſuo ipſo ſe indicio prodere ſolet, vt ſorex! quanquam facile credimus, Apollonium eiusmodi artes iactaſſe, apud veteres non ignotas, et Pythagoricis hypotheſibus reſpondentes, qui ſcilicet communi vnius diuinae animae vinculo omnia necti, migrareque animas etiam in bruta, dicebant. In Babylonis fines ingreſſus cum a cuſtodibus finium ad ſatrapam cum comitibus eſſet adductus, tanta diuinae faciei et orationis magnificae auctoritas fuit, vt cum hoc ſolum dixiſſet, eſſe ſe Tyanenſem iſtum Apollonium, regius miniſter non pro diuino tantum viro eum agnouerit, ſed et pecuniam, vinum atque commeatum liberaliter obtulerit. Quae ita futiliter narrat PHILOSTRATVS [t], vt anicularum naeniis inficetiora ſint, et ſi ex parte vera ſint, Apollonium faſtu puerili omnes ſuperaſſe prodant: vt taceamus, non oſtendere Philoſtratum, qua via per gentes infeſtas latrocinio, et Romanorum imperio non ſubiectas, adeoque commercio propiori cum Aſiaticis Romanorum prouinciis non iunctas Apollonii, nondum publicis miraculis tantopere inclareſcentis, fama penetrauerit? Simili fere modo iudicii paupertatem prodit vel Damis vel Philoſtratus, narrans; Babylona profectum, in leaenam incidiſſe in venatu interfectam, quae octo catulos geſtabat, praedixiſſe ex ferae inſpectione Apollonium Damidi, peregrinationis tempus anni fore vnius, et menſium octo, ſe enim ex catulis menſium, ex leaena anni indicium capere [u]. Quod quamuis inſanientis alicuius Pythagorei vaticinium videri queat, facileque credendum ſit, impoſtorem Apollonium eiusmodi nugis ſuos pauiſſe: turpe tamen eſt, infra paulo [x] rideri et reprehendi a Iarcha Indo eos, qui in numeris eiusmodi myſteria quaerunt, et iis ſeruiunt, cum tamen heroem ſuum iſtam Indorum ſapientiam attigiſſe iactent homines nugiuenduli. Alias inſulſas et ne anicularum quidem fide dignas narratiunculas praeterimus, ne nauſeam creemus lectori, qui huiusmodi cupediarum amans facile ſitim ex ipſis Philoſtrati riuulis extinguet. Tandem Babylona veniſſe narrat PHILOSTRATVS [y], eamque iis coloribus depingit, quibus deſcripſere veteres, Diodorus, Herodotus aliique: murosque altiſſimos pontemque Euphratis et regiam ambitioſa oratione delineat. Verum hic quoque et impune atque ſine fronte

s) Lib. I. c. 7. p. 10.
t) c. 21. p. 26.
u) c. 22. p. 28. Non reſpondiſſe euentum vaticinio infra notabimus.
x) p. 120.
y) L. III. c. 30.
z) L. I. c. 24. p. 33. ſeqq.

Digitized by Google

mentientem deprehendimus Damidem, et eum non minori impudentia sequentem Philostratum. Eo enim, quo ad Indos peregrinabatur, tempore, tantum abest, vt illi muri Babylonii inter stupenda veteris aeui opera numerati, et magnifica illa, quam describit Philostratus, regia adhuc steterint, vt potius sua aetate ad solitudinem rediisse Babylonem, vicinitate Seleuciae exhaustam pridem, scribat PLINIVS [a], cui alii concinunt. Certe Ctesiphonte Parthorum regiam ea aetate fuisse, TACITI [b] aliorumque auctoritate conficitur [c]. Mendacia itaque esse oportet, quaecunque de hac mora Apollonii Babylonia narrant nugatores insulsi: miramurque, doctissimum OLEARIVM [d], qui mendacium hoc vidit, in eo tamen Philostratum coarguendo haesitasse, eo quod Eusebius istud non reprehenderit. Vt enim Caesarienfis episcopus ad ea tantum attendit, quibus miraculorum Christi eleuare fidem Hierocles ausus est: ita mentiendi impudentiam adeo vbique prodit Philostratus, vt mirum non sit, eum ἀνισορησίας vitio fuisse lapsum. Videturque vero admodum simile, hominem rhetorem, qui in hac vita describenda orationis virtutem. herae vt placeret suae, demonstrare cupiebat, ad antiquae historiae formam ideo haec effinxisse, vt splendidior orationis habitus efflorescceret, licet et temporis et historiae veritas laederetur. Ad quam rhetores non attendisse, modo artis praesidium et occasionem fuerint nacti, tot hactenus exemplis didicimus. Etsi vero facta haec Babylone mora Apollonii non exiguam partem gloriae eius, qua Pythagorae se similem reddere conatus est, constituat, nihil tamen quod ad philosophiam Apollonii spectet, nobis narrat historicus, nisi versatum cum magis, atque mutua institutione accepta dataque ab iis recessisse; Damidem enim, quae loquutus ille cum magis fuerit, ignorasse, prohibitum ab Apollonio, ne se illuc euntem comitaretur. Hoc vnum dixisse ait: esse illos sapientes quidem, non autem in omnibus; id quod prorsus fastui Apollonii scholastico conuenit. Reliqua etiam, quae de Apollonio regem Parthorum inuisente narrat, nec aptius cohaerent, nec maiore se commendant fide. Vidit, si Philostratum audimus, hominem rex Parthorum Bardanes, quem Babylone habitasse contra totius antiquitatis testimonium fingit [e]; Apollonius regem soli sacrificantem accessit, et ipse soli sacra fecit, et thus adoleuit, exque igne omen cepit. Philosophus, vt res suas regi enarraret, Graecae linguae veniam popofcit [f], quem supra [g], omnes callere linguas, Damis eiusque exscriptor dixerant. Fassus in hoc colloquio quis esse cupiat Apollonius, ait: amplecti se Pythagorae Samii sapientiam, qui se Deos colere, siue videndos se praebuerint, siue minus, mente complecti, commercia item frequentare cum iis, lanaque ex terra nata vti docuerit: comam se promittere ex Pythagorae disciplina, et ex ea causa ab anima-

a) L. VI. c. 30. PAVSAN. L. VIII. c. 33. HIERON. in Esaiam c. 13. STRABO L. XVI.
b) Annal. L. VI. PLIN. l. c.
c) Conf. BOCHART. Geogr. S. P. I. L. IV. c. 15. p. 266. VITRINGA ad Iesaiae c. XIII. v. 17. p. m. 266. PEARSON. de succeff. episc. Rom. L. I. c. 8. §. 5. TILLEMONT. Hist. des Emper. T. II. p. 200.
d) Ad l. c. Philostrati.
e) Reges Parthorum hieme Ctesiphonte, aestate Ecbatanae commoratos testatur STRABO L. XVI. p. 745. f) c. 32. p. 40. g) vid. not. (

animalibus veſcendis ſe purum continere: et a curis ſe, illum liberare, polliceri: ex quibus liquet, ipſum Apollonium non daemonem aliquem ſe venditaſſe, ſed philoſophum Pythagoreum, et, ſi coniecturae locus, theurgum; homines vero inſanos, inter daemonas poſt eius fata eum demum retuliſſe, et vt huic fini inſeruirent, totam vitae eius fabulam iſtis nugis inſtruxiſſe. Non praetereundum etiam hoc eſt, mentiri PHILOSTRATVM [h], ex India reducem Apollonium, Babylonem ad Bardanem nauigaſſe, eumque, qualem ante cognouerat, poſt viginti ſeptem menſium moram inueniſſe. TACITI enim, digni fide ſcriptoris, teſtimonio conſtat, Bardanem Parthorum regem toto ſuo imperio vix biennium attigiſſe [i]: ipſeque Philoſtratus ſupra narrauit, praedixiſſe Apollonium, itineris ſui moram annum vnum octoque menſes duraturam: quod totum tamen tempus in aula Parthorum regis exegiſſe, ſeptem vero menſibus in itinere Indico conſumtis, ad eum rediiſſe aſſerit [k]. Caeterum omnigenarum virtutum, ac magni et diuitiarum negligentis animi, ingentisque in morum potiſſimum Philoſophia ſapientiae eum luculentiſſima dediſſe veſtigia, multis praedicat PHILOSTRATVS [l]. Tandem dimiſſus a rege, cum pecuniam renuiſſet, commeatum, et itineris ducem accepit et circa aeſtatem camelis cum comitibus vectus iter ingreſſus, et vbique locorum omni cultus et reuerentiae genere exceptus eſt [m].

§. XI. In itinere Indico progreſſus Apollonius, et ad iuga Tauri peruenientis, cum ad montem Caucaſum propius acceſſiſſet, ad eum locum deductus eſt, vbi Prometheus ob generis humani amorem ligatus per fabulam dicitur. Pertinere hanc narratiunculam ad mythologiam vel Graecam, vel Indicam, non ignorauit Philoſtratus, ſed ipſe monuit; et tamen narrat [n], dicere Damidem, vincula ex petris ſuſpenſa ſupereſſe, quorum difficile ſit materiam coniectura aſſequi. Qua inſulſa relatione, quae fabulam in veram hiſtoriam mutat, licet Damidis fidem nolimus in dubium vocare, cum antrum hoc monſtrari etiam DIODORVS [o] et STRABO [p] teſtentur, prodit ea tamen hominis ſtupiditatem omni prorſus iudicii acie carentem, qui incolarum regionis mendaciis fidem facile adhibuit, et vincula hominis, nuſpiam, niſi in veterum mythologorum cerebro apparentis, ſibi monſtrari paſſus eſt. Mirandum itaque non eſt, impoſtori eum Apollonio, ineptiſſima miracula oſtentanti, ſine examine fidem habuiſſe, ſeque reuera praeſtitiſſe Ninium Multa in hoc itinere virtutis praecepta comitibus dediſſe Apollonium, Philoſtratus auctor eſt, qui tamen in iis, quae ex Damide ſuo refert [q], pauciſſima habet, vel mediocri philoſopho, ne dicam, Apollonio illo, quem mundum vult ſuſpexiſſe totum, digna: quare illa, ne nimii ſimus, praetermittimus. Tandem ſuperato itinere difficillimo verſus Taxila vrbem Indiae cum comitibus peruenit, vbi Regia erat Indorum regis, Phraotae, quem Pori regis ſucceſſorem fuiſſe ait

Iter Indicum.

h) L. III. c. 58. p. 139.
i) Conf. TILLEMONT. in Claud. not. 16. in Apollonio p. 800.
k) Senſu hoc PHILOSTRATVS adeoque c. 40. ad moram tantum in aula regis Parthorum trahit. *l*) c. 33. ſeqq.
m) L. II. c. 1. p. 49. *n*) c. 3. p. 51.
o) L. XVII p. 552. *p*) L. XV. p. 688. *q*) L. II. c. 6. ſq.

Digitized by Google

ait PHILOSTRATVS [v], cuius etiam bellum cum Alexandro insolito artificio ibi fuisse depictum more Sophistarum, quaesita artis suis ostentatione, contra regionis hominumque illorum indolem et fidem nugatur. Excepisse regem beneuole hospitem, et ab Apollonio etiam ob philosophiae amorem magni habitum esse, facile credemus PHILOSTRATO [w]; sermones eum istos habuisse, adeo a verosimili dissidet, vt potius sophista artis suae ambitionem vbique ostenderit. Adeo vero Pythagoreis institutis, moribus, doctrinis similia sunt, quae Phraotes edisserit, adeo Indorum philosophiae, qualem suo loco descripsimus, aduersa et dissimilia, vt vel mediocriter attento manifestum fiat, Philostratum sophistam haec omnia more rhetorum confinxisse, vt fabulam ornaret suam, et quem sibi orandum sumserat heroëm, vbique admirandum ostenderet. Longe enim aliter philosophiam excoluisse Indos, et risisse Graecorum sectas, cum eorum per Alexandri comites ipsis notitia esset facta, suo, *tomo primo* [x], loco docuimus. Patebitque ex dicendis, totam hanc Philostrati narrationem huic vni fundamento inhaerere, accessisse Pythagoram ad Indos non philosophiae discendae, sed docendae caussa. Quo vno fere halitu diffiato tota Apollonii historia corruit. Sed vt historiae prosequamur filum, a Phraota commendatus est litteris systaticis Apollonius Iarchae gymnosophistarum principi, vt eum eruditionis suae facerent participem [y]. Iter itaque ille ingressus et socii miranda gentis et regionis viderunt plurima, talia vero, quae vt credantur, alterum Damidem, hominemue nullius vel iudicii vel lectionis requirunt. Tot enim se vidisse portenta narrat Damis, quot inter veterum fabulas dispersa [z], de his locis colligere potuit nugator, quaeque mera somnia esse, recentiorum, qui has terras curiosis perlustrarunt oculis, narrationibus de itineribus suis est longe certissimum. Totus his ineptiis scatet liber tertius vitae Philostrati, ad ciendam nauseam veritatis sitienti lectori comparatus, in quem, licet de fide nugarum ipse desperauerit Philostratus, congessit tamen, quicquid fabulam hanc Milesiam ineptorum hominum admirationi commendare potuit. Cuius vt vno alteroue exemplo faciamus fidem, ecce narrat, in mulierculam ipsos incidisse, a capite vsque ad mammas nigram, a mammis vero ad pedes vsque albam totam, nasciique hanc feminam Veneri sacram, sicut Apin apud Aegyptios, et Apollonium eam, data dextera, agnouisse [a]. Interfuisse se venationi draconum, quos more suo artificioso orationis colore depingit Philostratus,

v) c. 20. p. 20.
w) L. I. c. 5.
x) L. II. c. 41. p. 93.
y) c. 26. seqq.
z) Loca veterum, ex quibus has de rebus Indicis fabulas Philostratus congessit, diligenter notauit OLEARIVS, quem vide. Saepe vero adeo oscitanter incedit Philostratus, vt ne veteres quidem recte inspexerit. Ira cum Apollonium eiusque comites in aras, ab Alexandro exstructas incidisse narrat, ipsas inscriptionem, ait habuisse, patris Ammonis et Herculis fratris, et Mineruae prouidentiae et Iouis Olympii, et Samothracum Cabirorum, et Indici solis et Apollinis fratris. Ast Indicos Deos absurde miscet, cum Graeca sacra in iis peracta esse PLVT. in Alex. memoret, et XII. diis sacras fuisse, DIODORVS p. 563. asserat. Illi vero Dii maiores vel Consentes fuerunt, inter quos nec Herculi nec soli Indico locus fuit.
a) L. III. c. 3. p. 96.

Digitized by Google

tus [e], eorum pupillas oculorum lapides esse ignei fulgoris, vimque eorum maximam esse ad plurima arcana: micare ex squamis ignem magis quam ex facula, et magicis tantum incantationibus posse vinci, oculosque eripi lapideos mirifici coloris et virtutis [a], vt annulus Gygis; hepate draconis vel corde deuorato animalium voces atque conceptus intelligi [b]; Inuenisse se mirabile animal martichoram, caput hominem, magnitudine leonem, caudam bestiae referentem, aquam item auream ex fontibus manantem, homines item, qui sub terra habitant, et pygmaeos, gemmam item pantarbam, radios ignis instar spargentem, et incluso in se spiritu omnes ad se gemmas colligentem apum examinis instar racematim sub ea iacentes: auem apud Indos esse phoenicem, quingentorum annorum interuallo in Aegyptum aduentantem, et in nido flammis consumendam, propempticum carmen canere sibi; inueniri gryphes, aurum effodientes [c]. Haec et similia ex Ctesiae *Indicis* in hos commentarios vel Damis transtulit, vel Philostratus, cuius nescio an impudentiam et audaciam lectori eiusmodi fabulis imponendi, vel iudicii defectum magis mireris, cui ignotum esse non potuit, ARISTOTELI [d] iam ob has nugas Ctesiam visum esse ἐκ ἀξιόπιστον. Recte itaque hanc Philostrati in nugis veterum colligendis diligentiam notauit, et μυθογράφου nomine eum traduxit PHOTIVS [e]. Nec meliora sunt, maioremque veri speciem habent, quae de congressibus atque confabulationibus Apollonii cum sapientibus Indorum narrat sophista: ad castellum eorum vbi peruentum esset, caduceatorem missum, praecepisse more Pythagorico: solus Apollonius vt veniret, ipsos enim ita praecepisse, et agnouisse Apollonium laeto omine illud: αὐτοὶ, Pythagoreum esse [f]. Accessisse Apollonium ad tumulum nube cinctum, vbi sapientes habitarent, visibiles simul et inuisibiles, prout voluerint, vidisse ibi puteum iudicii et ignem veniae, quibus Indi lustrentur, aqua et igne mirabiles ob peccata ab inuitis commissa: gemina quoque illic se dolia conspexisse ex lapide nigro, imbrium quae sint atque ventorum, quorum vnum nubes ad irrigandam regionem emittit, alterum ad siccandam cohibet [ff]. Incidisse in simulacra deorum Graeca, quibus Graeco more Indi sacrificauerint, et tamen igni sacra fecerint. Tales vero offendisse sapientes Indos, quales ab Apollonio, tanto viro tamque sapiente inueniri dignum esset, quos cum *tomo primo* iam descripserimus, notata simul Damidis et Philostrati leuitate, lectorem eo, pace eius, vt breuitati consulamus, ablegamus. Iarcham porro in throno ex aere nigro, aureis simulacris varie ornato sedentem, Apollonium ea docuisse et praedixisse, quae ille, vnde sciret, maximopere admiratus sit. Quam admira-

e) Loca veterum, quae secutus est Philostratus vid. apud BOCHART. Hierozoic. P. II. L. III. c. 13. p. 430.

a) Respicit ad Draconitidem veterum, vid. PLINIVS L. XXXVII. c. 57. add. SOLIN. c. 30. ISID. Orig. L. XVI. 13. b) c. 9. p. 101.

c) c. 45. seqq. p. 152. ad quae loca conferendus OLEARIVS, qui veterum de his portentis loca diligenter congessit.

d) Hist. animal. L. VIII. c. 28. conf. CLEM. GAZ. in Theophr. p. 23.

e) Bibl. Cod. CCXLI. p. 533.

f) c. 12. p. 102.

ff) c. XIV. p. 103. seqq.

Digitized by Google

mirationem cum illa rerum omnium praeſcientia, quam ſupra Apollonio tribuit, non conſpirare, non vidit Philoſtratus. Haec et alia multa his prorſus ſimilia dum recitat ineptus ſcriptor, tantopere lectoris patientia abutitur, vt nulla plane fide dignus ſit. Has enim fabulas recitaſſe, eſt refutaſſe, non apud viros tantum prudentes et eruditos, ſed et apud pueros, et qui nondum aere lauantur. Nec melioris commatis ſunt, quae de colloquiis Apollonii cum Iarcha Philoſtratus vel ex Damide, vel, quod magis nobis arridet, ex ingenii ſui ſomniis et commentis narrat, Cuncta enim eo redeunt, ſi Philoſtrateam narrationem totam vna conſideratione examinamus, Pythagoram in Indiam ad gymnoſophiſtas excurriſſe, totamque philoſophiae ſuae rationem apud Indos didiciſſe: Eſſe etiam eum perfectiſſimum, veriſſimum et ſolum diuinum philoſophandi modum. Huic enim ſcopo obtinendo, tot Indis affingit miracula, vt parem eorum philoſophiam non habere, nec admirandam magis, oſtenderet. Pythagoream vero philoſophiam iſtis fabulis ſolam commendari, euincunt ea omnia, quae amiciſſime cum Pythagoreis conſpirant, et gymnoſophiſtis tamen a Philoſtrato tribuuntur. Vbique enim accuratum mirumque deprehendes παραλληλισμὸν, et perfectam concordiam. Ita Iarchas Pythagorae transmigrationem animarum, eodem, quo ille exemplo, fulcit, narratque Apollonio, quis ipſe, quis hic, qui alii inter Achiuos ad Troiam fuerint? et ridicula haec omnia narratione tradit, Apollonio ſimiliter ſuas migrationes exponente [g], ſtatuit porro, dari praeter elementa quatuor, quintum, nempe aetherem [h]; eſſe mundum animal, progignere enim animantia, eſſe item hermaphroditum, ſibi enim miſtum, patris matrisque vicem in producendis animantibus ſupplere, amoreque ferri ſui ipſius ardentiore, quam quo diuerſa ſe mutuo complectuntur, qui ſibi ipſis iunguntur et coaleſcunt, partibus nempe mundi, mentis, qua reguntur, ope, ſeſe accommodantibus rebus gignendis. Ipſa etiam mala, quae ex nimiis ſolis ſint ardoribus, anima mundi dirigente euenire. Mundum nauis inſtar a variis numinibus regi, primum enim ac perfectiſſimum locum Deo tribuendum huius animalis genitori, ei proximos Deorum eſſe, qui eius partes gubernant. Plurimos in coelo Deos eſſe, multos etiam in mari, multos in fluminibus fontibusque in terra praeterea multos, immo et eſſe ſub terra. Loca vero infera, ſiquidem ſint, quoniam exitialia et horrenda ſint, a reliquo mundo ſecerni [i]. Medicinam magia parari, potiſſimam philoſophiae partem circa arcanarum rerum inueſtigationem, ſacrificia et appellationes, quibus Dii maxime gaudent, itemque circa aſtrologicas diuinationes verſari [k], quaeque alia huius commatis ſunt, quae Iarchae tribuuntur: ea omnia adeo Pythagoreiſmum ſapiunt, vt ouum ouo non eſſe ſimilius iuraueris, et haec omnia ex Italica ſchola his commentariis illata eſſe, quilibet manibus palpat, qui Pythagorica intelligit. Id quod adeo non negauit Damis, vt ſe mente potius motum, dicat,

g) c. 19. 20. h) c. 34. p. 124. ſeqq. i) c. 35. p. 126. k) c. 41. p. 129.

cat, prae admiratione, quod Indus eousque in literis Graecis proficere potuerit [l]. Quasi non sensuri sint lectores cauti et attenti, omnia haec esse ὑποβολιμαῖα et Indis ideo falso tributa, vt Apollonii philosophia etiam inter Gymnosophistas triumphasse crederetur. Eandem viam in describenda disciplina et instituto Indorum tenuit fabulae Apollonianae incrustator, vt illud depingeret Pythagoreis moribus quam simillimum. Narrat enim, abstinuisse sapientes Indiae ab animalium carne vescenda, sed frugibus tantum terrae compescuisse famem, nec bibisse vinum, sed aquam puram; vixisse in vna societate atque communione, mane surgentes in honorem solis carmen cecinisse, eique sacra fecisse, et quae alia sunt, quae a sodalitiis Pythagoreorum transsumta esse vel coecus palpat, quaeque luculenter manifestant, vitae Apollonii consarcinatorem eam veterum opinionem tenuisse, penetrasse philosophiae causia Pythagoram ad Indos, eamque a Brachmanibus didicisse. Abhorrere vero hanc opinionem a vero, immo plane impossibilem esse, etiamsi admittamus, Pythagoram ad magos vsque peruenisse, in Pythagorae historia, nisi fallimur, copiose et accurate demonstrauimus. Quod si haec falsa sunt, falsum etiam esse oportet vel Damin, vel Philostratum, vel vtrumque, qui pro certis nobis haec historiis obtrudunt. Quod si cum genuina philosophiae Indicae facie haec comparamus, qualem in barbaricae philosophiae historia depinximus, apparebit, quam insulsus sit Philostratus, qui in condendo hoc commentario ne minimam quidem verisimilitudinis rationem habuit. Immo sunt in his Philostrati de Indorum philosophia narrationibus nonnulla, ipsi Pythagorae non probata, sed a sequiorum tantum temporum turba, quae se Pythagorico-Platonicam iactabat, quamque in Aegypto miserum omnis religionis in vnam massam confusae chaos commentam fuisse tomo primo diximus, excogitata, qualia doctrina illa de spiritibus et magiae operibus siue theurgia est, qualem ita Indis suis tribuit Philostratus, vt haec se hausisse ex Alexandrinis scholis historiae philosophicae perito non sit obscurum. Nihil itaque de philosophia Apollonii, qualem ab Indis didicisse dicitur, his adiiciendum est, nisi hoc vnum, Apollonium tot mysteria apud Indos didicisse, quot ante eum mortalium nemo, et tamen daemonem fuisse, omni scientia diuinum, quod Philostratus de eo iactat [m]. Ita in hac quoque historiae Apollonii periodo non recordatus est mythologus: mendacem oportere esse memorem. Ita vero onustus quasi sapientia Indica Apollonius, eodem, quo venerat, fastu et arrogantia surgens per Indos Babylonem ad Bardanem rediit: postquam Indi de eo vaticinati fuissent, vt volunt biographi eius, apud complures Dei auctoritatem consecuturum non post mortem solum, sed viuum etiam. Factum hoc iter naui conscensa, quo propitio et leni vento vsum esse, vult PHILOSTRATVS [n], vt in hac quoque

l) c. 38. p. 127. m) L. III. c. vlt. n) c. 59. p. 136.

Digitized by Google

que parte Pythagorae, Aegyptum placido curſu petenti, ſimilis euaderet. Alia, quae is narrat, in via viſa θαυμάσια, nullique vel veterum vel recentiorum dicta in tanto fabularum aceruo omittimus.

Mora Aſiatica.

§. XII. Redux ex orientali itinere in Ioniam Apollonius, Epheſum conceſſit, quam vrbem religionis cauſſa ab omnibus fere orbis incolis inuiſi ſciebat, vt eo magis artibus ſuis inclareſceret. Omnes omnino huius vrbis ciues, etiam opifices, relictis operis, ad eum accurriſſe, alium ſapientiae, alium formae, alium generis viuendi, alium veſtis admiratorem, tradit PHILOSTRATVS [o], qui et hoc addit: Oraculorum etiam, Colophonii ex Didymis et ex Pergameno templo effatis, diuinae ſapientiae participem iudicatum fuiſſe Apollonium. Vbi tamen Philoſtrati leuitatem et inconſtantiam iterum miramur, qui paulo infra [p], ſolum ex oraculis Orpheum reſpondiſſe tum temporis conſulentibus Lesbi, memorat. Nos hic priorem Philoſtrati relationem non totam reiiciendam eſſe arbitramur, cum non Colophonii tantum oraculi, ſed et Didymaei Apollinis apud Mileſios mentionem faciant PORPHYRIVS et IAMBLICHVS [q], Pergameni vero, ſiue templi Aeſculapii, vbi per ſomnum mille oracula reddebat medelamque morbis oſtendebat, in numis Pergamenorum etiam poſt Apollonii aetatem iniiciatur mentio [r]: Apollonium vero impoſtorem cum oraculorum ſacerdotibus rem habuiſſe, et dolis iſtiusmodi, qui exercèbantur circa haec oracula, vſum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus, cuius non contemnendum teſtem habemus LVCIANVM [s], acerrimum impoſturarum harum hoſtem et irriſorem, qui Alexandrum ψευδομάντιν, hominem Pythagoreum, refert, eos qui in Claro ac Didymis Malloque reſponſa ferebant, diuinandi arte celebres haberi non ignorantem, illos ſibi reddidiſſe amicos: habuiſſe vero doctorem natione Tyaneum, ex eorum numero, qui cum Apollonio erant verſati, totamque eius tragoediam nouerant. Hunc porro Apollonii imitatorem nonnullis remedia morborum vitaeque rationes praeſcripſiſſe, cum ſciret complura atque efficacia pharmaca, vt filius Aeſculapii crederetur. Cum enim haec impoſtor Alexander, Apollonio ſimillimus, a ſociis Apollonii didicerit, veriſimillimum eſt, hunc eodem inſtituiſſe modo, praeſertim cum in Aeſculapii templo educatus, remediorum contra morbos deſcriptiones, quae ibi aſſeruabantur, diſcere potuerit. Hiſce artibus in ſuperſtitioni deditiſſima ciuitate inclareſcente Apollonio, mirum non eſt, ciuitates finitimas legatos miſiſſe, hoſpitem illum declarantes [t]. Vt vero, quem ſibi praefixerat, ſcopum attingeret, diſſertationes ad populum more Pythagoreo habuit, et Epheſi quidem, ex crepidine [u] templi, inque nemoribus, quae xyſtis ſunt adſita, in quibus otium et ferociam diſſuaſit, mores emendare conatus eſt, vitam Pythagoricam commendauit, peſtem minatus eſt [x]. Cum-

o) L. IV. c. 1. p) L. IV. c. 14. p. 151.
q) De Myſt. Aegypt. L. III. c. 11.
r) vid. SPANHEM. ep. IV. ad Morell.
s) In Pseudomante T. I. p. m. 547. 554.
t) PHILOSTRAT. l. c.

u) Id eſt eo loco, quo columnae ſtabant, quibus cingebatur templum Dianae.
x) Ea cum inualuiſſet, ita auerruncaſſe Apollonium, vt daemonem malum peſtilentiae auctorem

Cumque parum ad eum attenderent Epheſii, ſimilem rationem in aliis Ioniae ciuitatibus tenuit, praeſertim Smyrnae, quibus literarum ſtudium et concordiam commendauit. Quas diſſertationes, niſi ingenio confinxerit Philoſtratus, nihil quod diuinum prodat virum, vel ſupra mediocres Philoſophos ſapientem, ſpirare, facile iudicabit, qui legerit. Ex Ionia in Graeciam contendit Pergamumque profectus in Aeſculapii templo animum oblectans, conſilia ſuppliebus dedit, et ſanitatem eis reſtituit, id quod ea confirmant, quae paulo ſupra de eius cum ſacerdotibus oraculorum conſpiratione diximus. Poſtea in Ilienſem agrum abiit, atque ad Achaeorum acceſſit ſepulchra, incruenta iis, vt decebat Pythagoreum, ſacrificia obtulit, ad Achillis tumulum pernoctauit, et cum eo ex inferis reduce congreſſus eſt. Tales enim cum manibus congreſſus et ſocietatem finxiſſe Pythagoreos, in Pythagorae hiſtoria docuimus, iisque ſe attemperare fas erat Apollonium, qui conuerſationis cum Diis et daemonibus gloriam auide quaerebat. Tam inſipida vero ſunt, et aliena a Philoſophi grauitate et tanti morum reformatoris ſapientia, quae de colloquio Apollonii cum Achille in literas retulit PHILOSTRATVS [y], vt, quid dignum ſit heroë ſuo ignoraſſe, merito cenſendus eſſet, niſi cogitandum, Philoſtratum ex Alexandrinorum, ſiue Platonicorum recentiorum impoſtorum ſchola prodiiſſe, qui in his cum daemonibus congreſſibus ſummam quaerebant ſapientiae gloriam, vt exemplis et dogmatibus conſtabit ad eorum hiſtoriam, *ſectione huius capitis quarta* delatis. Ipſe ſane Apollonius ne incurreret iactantiae ſpeciem, valde, cum haec narraret, metuebat [z]. Sed et Orphei adytum adiuit, Lesbum appellens, cum illis ſacerdotibus congreſſurus [a]. Qua ratione Pythagorae, omnia oracula obeuntis, ſe ſimiam nouo exemplo praeſtitit. Ex Lesbo Athenas nauigauit, Piraeeum ingreſſus myſteriorum tempore, quo maxima hominum ibi ſolebat eſſe frequentia. Hic eorum, qui philoſophiae operam nauarent, complures obuiam habuit, qui cum eo ſalutato in vrbem redierunt, omnes enim tantum virum videndi deſiderio vehementer flagrabant [b]. Cumque Epidauriorum dies incideret, quae in Aeſculapii gratiam inſtituta ſunt, complures neglectis initiis Apollonio adhaeſerunt, quos tamen ſacris operam dare iuſſit, alio cum ipſis tempore collocuturus. Ipſe vero a ſacrorum antiſtite ad ſacra admiſſus non eſt, qui ſibi fas non eſſe dixit, incantatorem (γόητα) initiare, neque Eleuſinem pateſacere, qui purus non eſſet in daemonum negotio cultuve [c]; qua tamen repulſa animo non deiectus et ſe plura de initiis cognoſcere, quam hierophantam, dixit, et initiatum ſe iri ab alio, quem nominabat, praedixit. Ex quo loco manifeſtum eſt, non tantopere

ctorem lapidandum Epheſiis ſiſteret, ridicule nugatur infra c. 10. p. 147.

y) c. 11. ſeqq. z) c. 15. p. 151. a) c. 14.

b) c. 17. p. 155.

c) c. 18. p. 156. Ἀνδρώπῳ μὴ καθαρῷ τὰ δαιμόνια. Vltimam vocem non ipſos daemonas, ſed res diuinas notare, ingenioſe monet OLEARIVS ad h. l. Reſpicit vero ea vox non ad omnem orthodoxiam, ſed ad ſolum commercium orthodoxum cum daemonibus, quod goëtis deeſſe, ſed in his ſacris celebrari putabant Athenienſes. Καινὰ δαιμόνια Socratis, ad quae prouocat, non noua doctrina fuit, ſed noua de daemonibus eorumque cultu ſententia.

coecutiiſſe tum omnes circa artes Apollonii, vt non praeſtigiatorem eum haberent: Excludebantur enim ab his ſacris, licet et ipſa illa inter praeſtigias mereantur referri, ſolenni praeconis voce barbari, homicidae, magi, praeſtigiatores, impii[e], ſcilicet ne impoſtor impoſtorem proderet: Athenis porro Apollonius diſſertationes varias habuit, et primam quidem de ſacrificiis, quo modo cuiuis Deo conuenienter ſacrificandum ſit, quam in ſcriptum poſtea retulit. Quem libellum foediſſimae ſuperſtitionis ſententiam fuiſſe, facile ex iis coniicere eſt, quae de ſimili argumento tradidit ſchola eclecticorum, ab Apollonii doctrina parum diſtans. In reliquis diſſertationibus Athenienſes ad frugalitatem et ſobrietatem reuocauit, et iuuenem, qui eum de libaminibus ſatis pueriliter diſputantem, et anſas poculo affigendas vehementer commendantem, riſerat, a daemonio, quo obſidebatur, eius rei ignarus, (ſi credere fas eſt,) liberauit, et ita emendationi morum, quam iactabat, foediſſimum ſuperſtitionis anilis fundamentum ſubſtrauit[f]. Parem rationem cum in reliquis, quae in Graecia confecit, itineribus iniuerit, opus non eſt, vt taedioſa prolixitate ea enarremus, ex dictis enim de iis iudicare poteſt quilibet, cui ſanum eſt ſynciput. Vbique enim Pythagorae imitatorem affectabat, templa Graeciae omnia obibat, Dodonaeum et Pytheum, et quod Abis eſt; Amphiarai quoque et Trophonii ſpecus ingreſſus eſt, et ad Iſthmia acceſſit, inque iis citharodiis, et praeconiis et tragicis vicit[f]. Corinthi cum Demetrio Cynico, de quo infra inter Cynicos dicendum, viro omnis philoſophiae robur complexo congreſſus eſt, qui Menippum diſcipulum habuit. In cuius hiſtoria fabulae magicae iterum totius narrationis ornamenta ſunt. Narrat enim, adoleſcentem Menippum caetera philoſophiae plurimum deditum, veneri tamen obnoxium, a ſpectro, quod empuſae nomine inter Hecates ſacra fuit celebre[g], feminae forma ad amores inuitatum, aſſidue illud frequentaſſe, tanquam delicias ſuas, ſpectrum eſſe minime ſuſpicantem: Apollonium vero, cum audiiſſet nuptiarum diem, et conuiuii etiam tempus deſignatum eſſe, acceſſiſſe ad locum; et diffugiente atque euaneſcente omni vaſorum et poculorum aureorum et argenteorum apparatu, pincernis item et coquis ac reliqua familia omni diſparentibus, Apollonio ea arguente, lacrymas ſpectrum ſimulaſſe, et ne torqueret ſeſe, vel quid eſſet fateri cogeret, oraſſe[h]: At illo vrgente neque dimittente, empuſam lamiamue ſe eſſe faſſum eſſe, et Menippum voluptatibus ſaginaſſe, vt eius corpus deuoraret. Quam quidem rem in media Graecia geſtam celeberrimam eſſe de Apollonio teſtatur PHILOSTRA-

e) Conf. MEVRSIVS de ſacris Eleuſin. c. 20.
f) c. 19. p. 156.
f) c. 24. p. 162.
g) Id ab vno, quo inceſſit, pede nomen accepit, et in varias ſe formas mutare potuiſſe dicebatur, vnde prouerbium: *empuſa mutabilior.* vid. ERASMVS Chiliad. p. m. 413. ed. Frob. Alter pes cum aſini calcem referret, etiam Onocele dictum eſt, conf. SVIDAS in Empuſa T. I. p. 729. et KVST. ad h. l. dictum eſt etiam lamia et larua.
h) Qui naſum habet, ex his facile ſubolfaciet, propter cuius imitationem haec attulerit Philoſtratus nequam.

Digitized by Google

STRATVS *, quanquam incerto rumore ferri ipſe prodit: miramur tamen, de eiusmodi facto ſilere ſcriptores reliquos omnes; quod ſi ita fama percrebuit, facile id conſentientibus in fraudem Apollonio et ſociis cum Menippo, fieri quoque potuit, vt eiusmodi impoſturae atque praeſtigiae ederentur. Porro cum Lacedaemonii legatos ad eum miſiſſent, rogantes vt ad ipſos veniret, luxum eorum Sybariticis magis, quam Spartanorum moribus ſimilem, indignatus literas tantum ad eos miſit, Laconica ſcytala breuiores, duabus lineis ſignificans, *virorum quidem eſſe, non peccare, ingenuorum autem, ſi peccauerint, id agnoſcere.* Quibus ita immutatam eſſe Lacedaemona ſplendide mentitur PHILOSTRATVS **, vt publico decreto ab ephoris propoſito omnia voluptatis inſtrumenta ſublata, et priſtinam ſeueritatem reductam afferat. Quod caeteris Philoſtrati mendaciis eſſe annumerandum, vel vnius IOSEPHI, paulo poſt haec, quo haec geſta eſſe oportet, tempora ſcribentis, teſtimonio confici poteſt, qui Lacedaemonios *λιπαρεῖς εἶναι καὶ τὰ σώματα πρὸς κάλλος ἀσκοῦντας* teſtatus eſt, adeoque eandem vitae mollitiem etiam ſub Veſpaſianis Lacedaemone perduraſſe tradit †. Nec aliter apud Eleenſes in Olympicis ſe geſſit, qui ſe ipſi valde probabant. Interrogantibus tamen ſociis, quid de Eleis, quantum quidem ad diſpoſitionem Olympicorum, ſentiret? *ſapientes*, inquit, *an ſint, ignoro, Sophiſtas ſaltem eſſe, puto* ††. Qua reſponſione non ineptum quidem de Eleis tulit iudicium, ſe tamen illum animorum ſcrutatorem, qui omnia ſciret, non eſſe, qualem Damis ineptiens venditauit, prodidit: immo ſe Pythagora deteriorem demonſtrauit, qui ex vultu reliquoque animi et corporis habitu probe diſcernere poterat, ſapiens quis vere eſſet, vel quis ſapientiam externo vultu et ingenioſa affectatione ſimulare noſſet [i], poſtea Lacedaemona ingreſſus eſt, vt morum emendationem porro iuuaret, ibique more ſuo multa de moribus diſſeruit, eiusdem prorſus cum ſuperioribus generis, quanquam hic quoque contra temporum rationes peccare Philoſtrati narrationem, recte vidit TILLEMONTIVS [k]. Tandem Romam, poſt longam ſatis moram, petiturus in ſomnio admonitus, Cretam appulit, Idaeque montis ſacra [l] inuiſit, vt in his quoque ſequeretur Pythagoram.

Iter Apollonii Romanum.

§. XIII. Romam petebat Apollonius, vrbem hanc, imperii ſedem, dignum tragoediâ ſua, vt vocat Lucianus, theatrum fore reputans. In quo tamen itinere haut leues ſe obiecere difficultates, quas non magno tantum animo, ſed diuina etiam virtute, ſi eius biographos ſequimur, ſuperauit Apollonius: in qua tamen narratione iterum eorum fidem et accurationem deſideramus, qui haec nobis ſcripta reliquerunt. Audiemus tamen illorum narrata, aſt examinabimus, et ponderabimus fidem. Nolebat philoſophiae ſtudia permittere Nero, eo quod non ipſius philoſophiae de-

*) c. 25. p. 166.
**) c. 27. p. 167. Conf. TILLEMONT. l. c. p. 203.
†) l. II contra Appion.
††) c. 29. p. 169.
i) Hoc enim vult ſophiſtae nomen ab Apollonio adhibitum.
k) loc. cit.
l) Vid. MEURS. in Creta c. III. p. 72. ſq.

Digitized by Google

creta explicare, ſed curioſius vanis artibus deditos [m], et magiae atque diuinandi audacia efferre ſe philoſophos putabat: quibus ſuſpicio male ſedula curioſitate in vitam et ſalutem principis eos inquirere, maximum aliquoties periculum grauesque perſecutiones attraxit. Factumque eſt iſto imperatoris in philoſophiam odio, vt magni quidam viri in vincula coniicerentur, tanquam Chaldaei, artiumque *περιέργων* cultores, complures vt periculum effugerent, paſſim hac illac dilaberentur. Ita quidem PHILOSTRATVS [n], cuius tamen ſi non falſa prorſus, ex parte tamen ſuſpecta eſt narratio. Silent enim hanc philoſophorum perſecutionem, qui in Neronis inſania deſcribenda accurati et prolixi fuerunt DIO et SVETONIVS [o], quorum hic illud tantum narrat: *Neronem interfecta matre, cum furiis exagitaretur, et materna ſpecie, facto per magos ſacro euocare manes et exorare tentauiſſe.* Quibus concinit PLINIVS [p], tradens: *omnia, quae magi promittunt, Neronem vana falſaque comperiſſe, cum nemo vnquam vlli arti validius fauiſſet.* Alia et plura, quam haec ſunt, ignorant huius aetatis ſcriptores, non tacituri, ſi vniuerſalem in philoſophos perſecutionem, qualis ſub Domitiano facta eſt, Nero excitaſſet. Immo ſuſpectum ſe facit ipſe Philoſtratus, qui non Apollonium tantum, ſed Demetrium quoque Cynicum Romae tum temporis toleratum fuiſſe narrat. Aut itaque tota deferenda eſt Philoſtrati narratio [q], aut ſtatuendum, quod veriſimilitudine non caret, illud philoſophorum genus, quod Chaldaeas artes, et *περίεργον* ſuae profeſſionis, magiam nempe et vaticinandi peritiam iactabat, Neroni ab his impoſtoribus decepto inuiſum vrbe cedere iuſſum eſſe. Quibus cum Pythagorici et Platonici, qui ex Aegypto per omnes Romani imperii prouincias ſe diffuderant, ipſi ſeſe aggregarent, fieri omnino potuit, vt, artium Chaldaearum, (Babylonias vocat Philoſtratus) ſtudioſos ſe perhiberent, et ipſi Romae ne eſſent, decerneretur. Quae tamen mire ſuo more auget Philoſtratus, vt illuſtrior videretur non animus tantum Apollonii, ſed et virtus et ſapientia. Qui cum ſtadiis adhuc vtginti ſupra centum in Philolaum Cittieum incidiſſet, qui Roma diſcedens, quoscunque inueniebat philoſophos, vt ſecum fugerent, admonebat, ab eo periculi accepit notitiam. Suaſit enim Philolaus, vt tempori cederet, nec portarum praefectis comprehendendum ſe exponeret. Quae licet magno contemneret animo Apollonius, ita tamen terruerunt diſcipulos, vt ex quatuor et triginta, quo numero eius conſtabat familia, octo tantum remanerent, reliqui, varios praetextus cauſſati, tergum verterent, et magiſtrum relinquerent [r]. Reliquos ad capiendum animum fortem excitauit Apollonius,

m) Περίεργον αὐτῷ χρῆμα οἱ Φιλοσοφοῦντες ἐφαίνοντο, καὶ μαντικὴν συσκιάζοντες, habet PHILOSTRATVS L. IV. c. 35 p. 175. vbi per *περίεργον* magicas artes, et inanes vanasque ſcientias intelligi ex Act. XIX, 19. patet: ex quo etiam loco intelligitur, has artes valde tum inualuiſſe, quibus imprimis Platonicos, vel eos potius Philoſophos, qui ex Alexandriae Platonicis prodierunt ſcholis, et per omnem diſcurrerunt orbem, ſe dediſſe, ſequentia probabunt.

n) loc. cit. o) In Ner. c. 34. p) L. XXX. c. 2.

q) Philoſtrati hic labare fidem vidit, iam et notauit GAVDENTIVS de philoſ. Rom. c. LXXIII. p. 254.

r) c. 37. p. 178.

Digitized by Google

lonius, eo effectu, vt moriendi etiam pro philosophia animum sumerent, cumque iis recta Romam contendit. Vbi ad portas venit, ob habitum sacrum et circumforaneorum non dissimilem sine examine admissus, cum commissatorem ebrium, Neronis carmina pretio cantantem negligentius audiret, suspectum se reddidit; altero die ad consulem Telesinum ductus est, in cuius tamen annis iterum dubium occurrit, fidem Philostrati subleſtam reddens *e*. Examinatus a Telesino, qui horum hominum generi fauebat, et cultui diuino addictus, cum eiusdem commatis esse se probaret, potestatem accepit, omnia templa intrandi, commendandus sacerdotibus a consule. Ingressus itaque templa ea reformauit, eamque libertatem, cum reprehenderetur, defendit. Addit his PHILOSTRATVS *f*, dum in templis doceret Apollonius, in dies creuisse religionem, magnis et frequentibus factis hominum concursibus, quasi plura a Diis bona hic eos manerent: neque adhuc eius suspecta fuisse colloquia, eo quod publice differeret. Vbi vero Demetrius Cynicus, cuius amicitiam Corinthi sibi conciliauerat, Romam postremum venit, coluitque Apollonium quidem, cum Nerone autem seipsum commisit, eius rei caussam Apollonii philosophiam esse, suspicio orta est, isque visus Demetrium ad haec incitasse. Cum enim is Cynica verborum licentia Neronem offendisset, a Tigellino praetorio praefecto Roma expulsus est, Apollonius vero clanculum obseruatus, si forte et ipse quid animaduersione dignum aut liberum diceret nimis. Qui licet nec insultare videretur, et cum viris grauibus ipsoque Telesino philosopharetur, cum tamen eclipsin solis incidere, magnumque quid euenturum Apollonius praediceret, quod triduo post solis defectionem contigit, calice Neronis a fulmine in mensam decidente ex manibus traiecto, continuo non suspectus tantum factus est Tigellino, sed et illum metuit, tanquam rerum diuinarum callentissimum. Quem cum palam aggredi non auderet, clanculum eum obseruabat; Apollonio omnem cautionem et prouidentiam adhibente, et Menippum quoque, ne Cynica libertate crabrones irritaret, cohibente, et monente, Diis veniam daret, si morionibus oblectare se velint *g*. Ea verba cum ad Tigellinum relata essent, misit, qui ad praetorium Apollonium traherent dicentem, non laesam a se Neronis maiestatem, defensurum se vero apologia, aduersus delatorem, qui multos iam perdiderat. Is cum accusationis libellum Tigellino dedisset, et ille explicuisset, nullum literarum vestigium in eo inuenit, sed deleta signa omnia: inde daemonem eum esse, illi in mentem venit, quo argumento inductus, eum a turba remotum et in secretiorem praetorii partem pertractum, semotis arbitris, quis-

e) c. 40. p. 180. C. Lucius Telesinus A. C. 66. cum C. Suetonio Paulino Consul fuit. Haec autem A. C. 62. euenisse oporter, si vera sunt, quae narrat Philostratus, vid. TILLEMONT. in Apollon. p. 203. cuius fidei vt subueniat doctissimus OLEARIVS, pro ἔτερος τῶν ὑπάτων legi vult ὕπατος. Huic vero coniecturae obstat, quod ex h. l. Philostrati pateat, Telesinum tum fuisse Pontificem Maximum, quod munus vel sibi reseruarunt imperatores, vel primae tantum dignitatis viris, consularibusque tradiderunt.

f) c. 41. p. 182. *g*) Eo quod pro imperatore

quisnam esset, interrogauit, Apollonius parentes, patriam, vitae genus indicauit, vatem se, et diuinandi arti deditum negauit. Cumque eum dimitteret Tigellinus, vade corporis postulato, corpus suum vadem non recipere dixit, quod vinculis constringi non posset. Quae omnia tam diuina visa sunt Tigellino, vt eum, tanquam potentiorem omni magistratu, dimitteret. Hactenus PHILOSTRATVS [w], Damidis, qui se his interfuisse ait, memoriis vsus. Quae si paulo accuratiori lustramus examine, non dubiis tantum subiecta sunt magnis, sed et omni fidei historicae gradu debito destituuntur. Vt enim taceamus, eclipseos illius tempus non incidere in consulatum Telesini, siue cum SCALIGERO [x] et TILLEMONTIO [y] A. C. LIX. siue cum OLEARIO [z] A. C. LXIV. accidisse statuamus; ipsa, quam Philostratus habet, narratio tota fabulam redolet. Nihil de iis habent vitae Neronis et historiarum huius temporis scriptores, qui eo minus tam memorabile et celeberrimum Apollonii per omnes gentes iam innotescentis facinus tacuissent, si reuera euenisset, quo magis in minimis etiam Neronianae dementiae exemplis notandis fuere diligentissimi. Nec sibi satis constat Philostratus, qui paulo supra omnes philosophos vrbe eiecisse, non sine magna saeuitia Neronem, narrat, hic vero impune licuisse atque palam Apollonio in templis quoque philosophari, et cum Telesino eius rei caussa saepius congredi, tradit, quae publica philosophandi libertas homini sine accurato examine concessa, cum illa philosophorum omnium persecutione stare nequit. Nec videtur probabile, Telesinum virum consularem cum eo viro familiarius se gessisse, qui laesae maiestatis imperatoris esset suspectus, Tigellino magna crudelitate in omnes eos saeuiente, quos vel leuissima suspicio suspectos reddiderat. Quod si verum est, euanescentibus accusationis libelli literis visum esse Apollonium eum, qui μάντις esset, vel plane rem cum daemone quodam haberet, cur tolerauit Tigellinus hominem, quem περίεργον hoc agere nouerat? cur inuisam et eiectam philosophorum professionem sequentem ex edicto Caesaris vrbe et Italia non eiecit? Et qua ratione factum est, vt tantopere ira Neronis in philosophos grassante Demetrius Cynicus ausus fuerit caninam in imperatorem dicacitatem exercere? Cur non Tigellinus, qui tanto Apollonium persecutus est odio, hominem γοητίας artibus suspectissimum maxima iuris seueritate vsus ab hero suo remouit? Alias difficultates his non minores, breuitatis caussa non adducimus, cum apud GAVDENTIVM [a] queant legi, hae enim sufficiunt, vt, sibi non constare Philostratum, quilibet palpet. Quem si non ipsum, certe primos fabulae Apollonianae architectos in condendis his narratiunculis ad Saluatoris sanctissimi historiam respexisse, et,

ratore catarrho laborante homines supplicarent, c. 44 p. 185.

w) loc. cit. x) Ad Euseb. p. 195.

y) In Ner. p. 457.

z) Ad h. l. Priorem sententiam suadet TACITVS Ann. L. XIV. c. 21. Quaeque Olearius affert, niruntur sola Philostrati auctoritate, et serie historiae Apollonii, quam in dubium vocandam esse, tot hactenus rationes suaserunt.

a) De Philos. Rom. c. LXXIII. p. 253. seqq.

Digitized by Google

et, vt Apollonium tanto orbis reformatore non minorem effingerent, iſta ex ingenio ita fuiſſe commentos, lectori paulo attentiori, facile ſubnaſci poteſt ſuſpicio. Sacra enim nobis narrat hiſtoria, filium DEI humana ſpecie indutum cum Hieroſolymas proficiſceretur, habuiſſe diſcipulos ſecum, multosque retro ceſſiſſe, vbi imminentia fata aduerſa audiſſent: Ingreſſum vrbem Ieſum templum adiiſſe, reformaſſe abuſus, magnaque hominum frequentia docuiſſe; captum ac ad Praeſidem prouinciae adductum, laeſae maieſtatis imperatoriae reum accuſatum et a Praeſide in Praetorio ſemotis etiam arbitris examinatum, ſuſpicionem daemonis in humana ſpecie latentis excitauiſſe, ideoque eum etiam, maiora humanis de ſe fatentem, iudicem liberum dimittere voluiſſe. Quae ſi cum narratis conferantur, aut coecos nos eſſe, omnique ſenſu deſtitutos oportet, aut fateri, totam hanc narrationem in eum finem corraſam fuiſſe, inuitis hiſtoriae huius temporis teſtibus et annalibus, vt Ieſu Chriſto non minora vel diſſimilia feciſſe Apollonium homines crederent [b]. Quae ſi contradictionibus et confuſioni, in Philoſtrati hiſtoria occurrenti, iungimus, non poteſt non omnis collabi nugaciſſimi ſophiſtae fides atque auctoritas. Is tamen porro audiendus eſt, vt Apollonium totum et in cute noſcamus.

§. XIV. Cum in Graeciam iter ingrederetur Nero, publiceque ediceret, (quod tamen omnes reliqui tacent hiſtoricorum commentarii) ne quis philoſophus Romae eſſet [c], Apollonius ad occidentales orbis partes ſe vertit, quas columnis terminari dicunt, oceani ſpectaturus aeſtum et Gades, eo quod de illorum hominum philoſophia audiuiſſet, quod ad diuinam ſapientiam proxime accederent. Hos cum acceſſiſſet, eius potiſſimum in eo labor verſatus eſt, vt Neronem Hiſpaniae incolis ridendum et contemnendum proponeret, et Baeticae prouinciae Procuratorem ad ſeditionem et conſpirationem contra Neronem incitaret. Fatetur hoc non ſolum Philoſtratus [d], ſed et tanquam eximium tantoque philoſopho dignum laudat, quod aduerſus Neronem, tragicis cantibus in Achaia indulgentem, non prouinciae tantum procuratorem, ſed et eo auctore oratione a Vindice habita puriſſimae philoſophiae fontibus contra tyrannum turgente, et quae his ſunt ſimilia, exercitum excitauerit. Ex quibus facile, ſi ſeriem hiſtoriae impoſtoris, qui Romae repulſam tulit, intuemur, cuius generis philoſophia Apollonii fuerit, quo daemone actus inter homines apparuerit, iudicium ferri poteſt, ſi eam cum Chriſtiana comparamus, quae Paullo ſub eodem Nerone praeeunte, interceſſiones precesque armorum loco contra tyrannos commendauit, fidem pacemque et obſequium poſtulauit [e].

Iter Apollonii Hiſpanicum et Aegyptiacum.

Rebus

b) Pluribus, hoc conſilio ſcopoque Apollonii vitae fabulam conſcriptam fuiſſe, infra ad oculum quaſi demonſtrabimus. Id quod mox c. 45. narratur, reſuſcitaſſe Apollonium puellam conſularem. c) c. 47. p. 168. d) L. V. c. 7. 8. 9. 10. e) Pulchre hic monet TILLEMONTIVS l. c. p. 203. ſolam Chriſtianam religionem homines non officii tantum ſui, ſed et fidei et ſanctitatis iureiurando erga magiſtratus ſeruandi admonere, hanoque iis virtutem conciliare. Quibus perperam obiicit P. BAYLE Dict. T. I. art. Apollonius not. F. p. 268. fuiſſe multos inter Chriſtianos, qui religionis et iuſtitiae obtentu ſeditionem et arma in principes ſuos mouerint. Hoc enim Chriſtianae religioni obiici non poteſt, quae omnem violentiam improbat, et non alia arma quam preces et patientiam contra tyrannos commendat: ſed hominum ambitioni, turbas quae-

Rebus in Heſperiis partibus, ipſius Apollonii cura, exaſperatis, et ad ſeditionem ſpectantibus, Apollonius in Africam profectus eſt, et cum comitibus ad Tyrrhenos inde in Siciliam traiecit, vbi Neronis mortem et occupatum ab aliis imperium eſſe audiuerunt, et vbi iterum diuinae ſcientiae et ſapientiae arcanam fatorum ſeriem detegentis ſpecimina edidiſſe, et ita ab incantatoribus ſe diſtinxiſſe dicitur Philoſtrato, iudicii defectum egregie prodenti *f*. Ex Sicilia in Graeciam, exque ea regione in Aegyptum cum ſociis nauigauit. Quibus in itineribus, quantum gentibus profuerit, quae pericula praedixerit et euaſerit, qua ratione Athenis initiatus tandem cum Demetrio et Muſonio egerit, ipſe narrans taedioſa prolixitate legendus eſt PHILOSTRATVS *g*, cuius nugas enarrare omnes, nec noſtri patiuntur limites, nec lectoris decet patientiam, adeo vbique ineptit, et nec ad veritatis nec ad veriſimilitudinis leges attendit. Aegyptum vero adiiſſe Apollonium eo minus mirandum eſt, quo magis eam horum impoſtorum patriam quaſi fuiſſe, certum eſt, ipſique Alexandrini, leuiſſimi homines, et ſuperſtitioni longe deditiſſimi, qui ex fama Apollonium nouerant, eius videndi deſiderio tenebantur *h*. Verſabatur tum in Aegypto Veſpaſianus, idque agebat, vt quam nuper arripuerat, imperatoriam dignitatem ſibi confirmaret. Cui cum omnium ordinum homines, etiam Philoſophi, Dion et Euphrates obuii facti eſſent, ſolus Apollonius in templo remanſit et philoſophando tempus triuit: Imperator benigne illos allocutus, verſaretur ne in his locis Tyanenſis, interrogauit? et ſe iſto viro opus habere dixit, moxque ad templum acceſſit, Apollonium allocuturus, qui in Iudaeam ad eum vocatus venire recuſauerat, vt de imperio cum illo colloqueretur. Quod ſi PHILOSTRATO *i* fides, imperator eum ſupplex quaſi, tanquam Deum quendam veneratus eſt, et vt ſe imperatorem faceret, rogauit, Apollonio annuente, et qua ratione imperium gerere debeat, monente, acclamante omni populi turba. Quae omnia ſuperba oratione exſequitur Philoſtratus, vt a Sophiſtae ingenio multa acceſſiſſe dubium non ſit: rem tamen ipſam geſtam in hunc fere modum eſſe, non dubitandum videtur. Erat enim Veſpaſianus vir callidus iisque artibus inſtructus, quibus praeparatum oportebat eius pectus, qui regnum inuadere iuſtitiae et aequitatis ſpe vellet. Qui cum Diis potiſſimum monitoribus et ductoribus imperii frena arripuiſſe videri cuperet, vt multitudinem ad recipiendum nouum dominum ſuperſtitione magis, quam armis adigeret, non ſolum vaticinia oraculorum artificioſa ad ſe interpretatione traxit *k*, ſed cum ſciret etiam, ſacerdotum, theurgorum, hisque ſimilium hominum artibus nihil ad flectendos populorum animos eſſe ſalutare magis atque vtile, praeſertim in Aegypto, qua populus

quaerenti, et religionis praetextu cuncta mouenti, adſcribendum eſt. Certe ſub ipſo Nerone quietam et tranquillam vitam, pietate et honeſtate nixam, commendabat Paulus 1 Tim. II, 3.

f) ibid. c. 12. ſeqq. vbi inter alia narrat ex monſtro tricipiti tres Imperatores futuros praedixiſſe, quorum neuter perfecto imperio potiturus ſit, idque in Galba, Vitellio, Othone fuiſſe implerum. Quae ipſo monſtro informia et abſurda magis eſſe, quis non videt?

g) c. 18. ſeqq. p. 202. ſeqq.

h) c. 24. Dictum de hoc Alexandrinorum ſtudio T. I. L. II. c. ult.

i) c. 28. p. 211.

k) vid. omnino TACITVS Hiſt. L. II. c. 82.

lus totus ſuperſtitione regebatur, varias hanc in rem artes adhibuit, vt non hominum vi et conſilio, ſed Deorum vindicum voluntate, imperio Romano praefectus videretur [l]. Hinc ratio petenda, cur Aegyptum omnium fere primum adierit, cur miraculoſas ſanationes finxerit, earumque ſcenam artificioſe inſtruxerit, cur templa primum ingreſſus ſit. Cumque Tyanenſem eiusmodi fama, quod daemonis inſtar in hac terra verſaretur, inclaruiſſe inter populos ſciret, nihil ſibi magis apud plebem, praeſertim Alexandrinam, vſui fore credidit, quam ſi ab Apollonio, volente Deorum conſilio, imperator declararetur. Cuius effectum mirabilem cum ſentiret Veſpaſianus, vir callidus, et ſcenae inſeruiendi aptiſſimus, eum nullo non honoris cultusque genere Apollonium fuiſſe proſecutum, omnino veriſimile eſt, non quod talem eum cenſeret, qualis ferebatur, ſed quod a populo, ab illo rem ſuam probari, credi ipſius plurimum intereſſet. Attemperauiſſe etiam Apollonium conſilia ſua noui imperatoris ingenio et ſcopo, non obſcure prodit PHILOSTRATVS [m], qui narrat, diſceptatione inter imperatorem et philoſophos Apollonium, Dionem et Euphratem inita de conſtituendo imperio, cum Dio et Euphrates reſtituendam rempublicam a tyrannide vindicatam libertati ſuae contenderent, Apollonium graui eos oratione obiurgauiſſe, et vt principatum mordicitus teneret, Veſpaſiano auctorem fuiſſe, offenſis licet philoſophis modo dictis, ex quibus Euphrates ab eo tempore infenſo in Apollonium fuit animo. Quam inimicitiam vt parum curauit Apollonius, de imperatoris, cui tantopere ſua auctoritate inſeruiebat, gratia certus, ita ſalutaribus eum ad feliciter imperandum orbi monitis inſtruxit [n]. Quae tamen monita, ſi modo ita imperatori ſuggeſſit Apollonius, nec in Sophiſtae ingenio nata ſunt, paedagogicum valde ſapiunt faſtum, hominemque produnt, artium imperatoriarum prorſus imperitum. Quae ſine dubio cauſſa fuit, cur firmato poſtea imperio Veſpaſianus Apollonio obſecutus non ſit, huiusque ita ab eo animus diſiunctus fuerit, vt ad eum, etiam vocatus venire amplius nollet. Scilicet libertatem Graeciae ciuitatibus, quam iis donauerat Nero, ſuſtulit Veſpaſianus: qui, cum ad hanc eas libertatem peruenisse inſeruiendo dementiae et voluptatibus Neronis cognouiſſet, nec hanc ſtare ſimul poſſe, cum Romani orbis ſub vno capite imperio, conuenienter ſtatui et circumſtantiis ſuis hanc iis libertatem ademit. Quod cum non aſſequeretur Apollonius, qui fanaticum magis vitae genus ſecutus erat, quam aulicum, improbauit epiſtolis Laconicis, intolerabilem et plane puerilem faſtum erga imperatorem teſtantibus [o]. Manſit itaque Apollonius in Aegypto, in qua miranda multa patrauiſſe porro nu-

l) Digni, qui de miraculis Veſpaſiani legantur, viri eruditiſſimi C. AVG. HERMANNVS pec. diſſ. Poecil. T. II. L. III. p. 427. IAC. SERCES tr. des miracles p. 276. ſeqq. I. L. MOSHEM. ad CVDWORTH. Syſt. int. c. IV. §. 15. n. 12. p. 307. m) c. 32. ſeqq. p. 214. ſeqq.

n) c. 36. ſeqq. p. 220. ſeqq. Eleganter vero, cum Euphrates quoque dicere iuſſus eſſet, inter alia monuit: *Philoſophiam caueat, quae commercia cum Diis iactat, eos enim, qui de Deo multa parum ſana fingunt, nos inani tumore implere.* Id in Apollonium dictum fuiſſe, ipſe monet PHILOSTRATVS l. c. c. 37. p. 222.

o) c. 41. p. 224.

gatur PHILOSTRATVS, cuius tamen fabellas narrare omnes nec e re noſtra, nec ex lectoris eſſe iudicamus. Vnum tamen praetereundum non eſt, cuius hiſtoriam ita exponit Sophiſta: leonem manſuefactum loro, veluti canem non nemo ducebat: qui hominibus blandiebatur, et per multa vagabatur oppida, et templa quoque intrabat, nec carnibus veſcebatur ſacrorum, ſed mellitis placentis et pane gaudebat coctisque carnibus: vinum etiam bibebat. Apollonio autem maxime blandiebatur, et magis illi, quam vlli alii mortalium, aſſidebat. Hunc ope ſua indigere profeſſus Tyanenſis, hominis in eo animam eſſe, Amaſinque in hoc leone obambulare dixit, qui Rex Aegypti fuiſſet. Leo haec audiens miſerabiliter eiulauit, lacrymas etiam mittens, quem demulcens Apollonius iubet in templum Leontopoli collocari: Regem enim in beluam regiam migraſſe, et circumuagari: inde ſacerdotes leonem torque et vittis redimitum tibiis et hymnis in interiorem Aegyptum deduxerunt. Ita PHILOSTRATVS [p], non maiorem fidem meritus, quam cum Iarcham Gangem fluuium fuiſſe narrat. Cuius tamen ineptiis vt ſubſidio veniret eruditiſſimus OLEARIVS [q], cum literaliter intellectum inſaniam Apollonii prodere videret, ad ſenſum figuratum et hieroglyphicum referendum eſſe ſtatuit, eo quod Aegyptis in more poſitum fuerit, Deorum et Heroum naturam, indolem, virtutes ſacris huiusmodi ſymbolis repraeſentare, imitandaque proponere, cum optimus eorum cultus iuxta eos et Pythagoricos, HIEROCLE teſte [r], ſit imitatio. Sic Apin regem ſuum bouis ſymbolo repraeſentaſſe. Simili ergo modo Apollonium Amaſis herois repraeſentandi aptiſſimum ſymbolum hunc leonem iudicaſſe, nempe eum regis moribus ſimillimum eſſe, generoſum animal et φιλάνθρωπον, idque ξυμβολικῶς exprimendo more Indicae et Pythagoreae philoſophiae animum Amaſis immigraſſe, dixiſſe. Nihil habet noui haec μετεμψυχώσεως Pythagoricae explicatio, quam pluribus viris doctis placuiſſe, *tomo primo* [s] fuſe docuimus, veram autem non eſſe, et nec veterum relationibus nec ſyſtemati Pythagoreo conuenientem, luculenter demonſtrauimus. Cum itaque Apollonius Pythagoream philoſophiam ſecutus ſit, eaedem rationes hic quoque pugnant, nec συμβολικῶς eſſe haec intelligenda, docent. Quod ſi ad haec non attendimus, adeo manifeſtus eſt narrationis Philoſtrateae ſenſus, vt nos quidem non aliam ex ea ſententiam queamus elicere, quam, regem Amaſin in hanc regiam beluam migraſſe; hoc enim velle verba Philoſtrati: βασιλέα γὰρ ἐς τὸ βασιλικώτατον τῶν θηρίων μεταβάλλοντα, quilibet Graeci ſermonis mediocriter peritus videt. Nec Apis ſolum regis ſymbolum fuit, ſed ei anima regis ineſſe credita, vel inhabitare potius numen quoddam; vt taceamus Indica, quae Gymnoſophiſtis tribuit Damis, eandem μεταβολὴν et migrationem animae in varia corpora manifeſte ſupponere. Patet etiam ex aliis locis huius vitae Apollonii [t], hunc ſimium Pythagorae ſimpliciter et ad literam huic dogmati inhae-

p) c. 42. p. 325. ſeq.
q) Ad h. l. n. 9.
r) Ad aur. carm. v. 2.
s) L. II. c. 10.
t) L. III. c. 22. L. VI. c. 43.

by Google

inhaesisse. Quod si admittimus, vt non potest non admitti, nisi vim inferre velimus verbis clarissimis, euidentissimum putamus esse, Apollonium fuisse aut impostorem impudentissimum, aut hominem simplicitate et superstitione anili turpissimum. Quem eius characterem tota vitae eius comprobat historia.

§. XV. Ex inferiori Aegypto in superiorem atque Aethiopiam iter ingressus est Apollonius, cum gymnosophistis vt conuersaretur, Menippo Alexandriae Euphratis obseruatore relicto, cum viginti discipulis, qui itineris taedia metuebant, decem ex iis magistrum sequentibus. In quo itinere nec templorum, nec delubrorum, quae in Aegypto sunt, vllum praeterierunt silendo, sed vbique sacras doctrinas vel acceperunt communicatas, vel cum aliis communicarunt [w]: ex quo, qualis illa doctrina fuerit, si cum illis comparetur, quae de Aegyptiorum philosophia suis locis diximus, coniici sine labore potest. In Aethiopiam ex Aegypto transgressus [x] ad gymnosophistas iter direxit, quorum philosophorum qualem tum conditionem fuisse Philostratus tradat, *tomo primo* [y] fuse enarrauimus. Monuisse eos praemisso nuncio Euphratem, cauerent sibi ab Apollonio, indicat historicus, addens, innumera contra ipsos argumenta comparasse: quae illi vera esse rati, cum is aduenisset, cum eo colloqui recusauerint, varios praetextus quaerentes: donec tandem meliora edocti, et de calumniis Euphratis certiores facti, se aduenturos promitterent: id quod altera luce factum [z]. Non enarrabimus colloquia gymnosophistarum cum Apollonio, ne in prolixiorem iusto campum deducatur tractatio: quae enim momentum habent, si modo habent, ex iis, quae de gymnosophistis Aethiopum supra diximus, intelligi possunt, reliqua, quae potiorem partem constituunt, adeo puerilia sunt, vt non nisi Damidis simplicitate vel Philostrati leuitate digna iure videantur. Pleraque enim de vitae suae instituto Indorum gymnosophistarum disciplinae praeferendo agunt, et vt verum fateamur, nobis valde scholam Sophistae, non vero arenas Libyae redolent. Miscet et huic narrationis parti θαυμάσια Philostratus, vt lectori placeret. Narrat enim [a] Thespesionem gymnosophistam, vt se arte Indis non cedere demonstraret, mandasse vlmo, sub qua disputabant, vt distincta voce salutaret Apollonium, idque arborem articulata foeminae voce feciisse. Quod commentum ideo huic Milesiae fabulae infarserunt nugatores, vt in eo quoque Pythagorae similis euaderet Apollonius, quem a Caucaso flumine clara voce salutatum fuisse narrat PORPHYRIVS [b]. In quo tamen mire iterum oscitantiam prodidit fabulae huius architectus. Supponit enim ista narratio, inesse partibus mundi omnibus spiritus daemonasque, et arboribus quoque, quos Dryadas vocasse veteres alibi notauimus: quam Pythagoream hypothesin Apollonio placuisse, paulo ante ex Philostrato narrauimus. Ast hic non Apollonio hoc mira-

Iter Apollonii Aethiopicum.

culum

w) c. 43. p. 228. x) L. VI. c. 1. p. 228. z) c. 10. p. 239.
y) L. I. c. 9. a) c. 7. seqq. b) Vit. Pythag.

Digitized by Google

culum tribuitur, ſed Gymnoſophiſtae Aethiopi, ad quos peruenisſe Pythagoricam philoſophiam, nemo vnquam, ne Damis quidem ipſe mendax, profeſſus eſt. Multo magis talia affert de iis PHILOSTRATVS [c], vt ab eiusmodi impoſturis Pythagoreorum longe abhorruiſſe videantur. Dixiſſe enim Theſpeſionem refert: ſapienti ſatis eſſe quidem, vt a cibo ſit purus, qui animatus, et a deſiderio quod per oculos ſubeat, inuidia item, quae ſit iniuſtorum operum magiſtra, manumque ſimul animumque inuadat: miraculorum vero oſtentatione aut arte magica non opus habere veritatem. Quae omnino Gymnoſophiſtam ſapiunt, licet, quae ornandi ſermonis cauſſa adiecit ſophiſta [d], artem eius ad nauſeam vsque affectatam prodant, omnemque verum perſonarum characterem ſupprimant. Ad ea quae reſpondit Apollonius, (modo illius ſint, et non conficta a Philoſtrato) digna ſunt tali philoſopho, nec aliena ab eius charactere et animi indiciis. „Non ſe de eligenda ſecta vt cum ipſis conſul„taret, veniſſe, ſed vt ſui conſilii cenſoribus iis vtatur. Nempe cum in „Pythagorea philoſophia magnum quid obſeruaſſet, vt ineffabili ſapien„tia ſe ipſum cognouerit, ad aras item quanta puritate acceſſerit, ventre„que vt ſit vſus ab omni animalium eſu puro, quin et corpore puro ab „omni veſtitu, qui ex animalibus eſſet, linguam porro vt primus mor„talium frenauerit, reliquam denique philoſophiam quaſi ex oraculis com„poſitam veriſſimamque praeſtiterit; ad eius placita ſe conuolauiſſe, non „ex duabus vnam eligentem philoſophiam; eam enim omnes, quotquot „habentur, opiniones ſuas quaſi in orbem circa ſe diſponentem, ſuoque „induentem ornatu in eas intueri, et recte delectum facere praecepiſſe. „Pulchrae cum omnes eſſent, in omnes fixiſſe oculos; et aliam earum „voluptatem, aliam poſt labores quietem, aliam gaudium labori admiſcen„dum promiſſiſſe, ſed ventris habenas laxatas, manusque ad diuitias rapi„endas paratas oſtendiſſe, et perturbationes, quas cohibere ſe iactabant. „Vnam, qua Pythagoras victus fuit, ſe parum iucundam et aerumnarum „plenam ſe venditaſſe, ſubtrahere ſe et carnes, et vinum et lanam, cal„ceos dare ex corticibus, et ſomnum ſine apparatu, adeoque ſeueram ſe „eſſe, vt linguae quoque vincula parata habeat. Inde vero praemia exiſtere temperantiam, iuſtitiam, et Deorum amorem, et fatidicam facul„tatem, et lucem, vt Deum poſſit diſcernere et heroëm, et vmbroſa „phantaſmata redarguere, ſi humanam ſpeciem mentiuntur.„ Quae ita porro proſequitur Apollonius, vt hanc ſapientiam non Graecis, ſed barbaris deberi fateatur, eamque apud Indos ſe inueniſſe dicat. Quae omnia licet rhetorico ita amplificentur artificio, vt dubium non ſit, ſuis veſtibus indutum Apollonium in ſcenam produxiſſe Philoſtratum, ita tamen depingitur philoſophiae Pythagoricae, qualis eo tempore fuit, facies, vt quam perſonam effingere voluerit Apollonius, quam ei laruam induere

c) l. c. p. 239. d) Flumen orationis huius ipſe laudat Apollonii nomine PHILOSTRATVS p. 241.

Digitized by Google

duere conatus sit Philostratus, in aprico sit. Reliqua, quae his subiunguntur, misera sunt, licet in ruborem dedisse aethiopem mentiatur sophista, qui pleraque ex suo ingenio finxisse, et verborum elegantia potius, quam ratiocinandi artificio valuisse videtur. A gymnosophistis ad quaerendos Nili fontes se conuerterunt Apollonius et socii, cuius itineris historiam iisdem assaniis cumulat, quibus Indicum cumulauerat Philostratus. Vidisse eos, tradit [e] hirco-boues, androphagos, pygmeos et sciapodas, satyri spectrum petulanter feminis illudens, vino inebriatum, quod aquario immistum erat, mansuefeciisse, idque traditione conuenienter visibile ostendisse [f]: vidisse etiam catarrhactas Nili tres, ad fontes tamen non penetrasse. Quibus quidem omnibus, experientia, si credis, nixis, fidem non denegandam esse cauillatur PHILOSTRATVS [g], experientiam vero et fidem sensumque omnem ea contraria habere, quilibet videt, qui harum regionum indolem ex fide dignis eorum relationibus didicit, qui nostro tempore eas explorarunt. Ex Aethiopia cum rediisset Apollonius, altercationis ferra cum Euphrate reciprocata Titum adiit, de Hierosolymis captis gratulaturus, eiusque modestiam laudauit, quod coronas et victoriae laudem renuisset, et se manus irae diuinae porrexisse dixisset, quod tantopere Tito placuisse, ait PHILOSTRATVS [h], vt patris collega declaratus, Argos Apollonium vocauerit, et de imperii rationibus consilia cum eo agitauerit, ab eo de vitae suae insidiis morteque edoctus. Quod si verum est [i], eadem ambiguitate in vaticiniis fuisse vsum Apollonium, qua oracula ad decipiendos homines vti solebant, dicendum est, nouo impostarae eius argumento. Addit et hoc Apollonii encomiastes, commendasse eum Titum Demetrio Cynico, ad quem epistolam affert et Laconica breuitate et scholastico fastu atque imperio turgentem [k]. Post haec noua in Ciliciam, Ioniam atque Graeciam itinera suscepit, et miracula edidit plurima, quae cuius generis fuerint, ex allatis iudicari potest, nec crambem bis cum taedio coquere opus. Exemplum, qui vult, legat [l] canis rabiosi, qui iuuenem momorderat, et aufugerat, sola Damidis heri nomine facta citatione adducti miraculum, qui puerum ideo morsu laeserat, quod anima Telephi Mysiii in eum commigrasset, taliaque in eum fata decreuissent. Quae non tantam *κατὰ τὸ ῥητὸν* intellexisse metempsychosin Apollonium produnt, sed et, quam futilia fuerint eius miracula, immo et naturalia, manifestant. Rabiosum enim canem aqua, vt morsum, curari ait CELSVS [m].

§. XVI. Sublato Tito, cum imperii habenas capesseret Domitianus, Neronis vestigiis insistens crudelitatis et tyrannidis, quam iustitiae et clemen- *Inquisitio Romana.*

e) L. VI. c. 22. seqq. p. 264. seqq.
f) c. 26. p. 267. Quasi inebriari posset spectrum! Verum hoc ex Pythagoreorum disciplina, qui ὀχήματα spiritibus tribuebant, crassiora malis, subtiliora bonis. Multa de illis, eorumque in nidorem carnis inclinatione IAMBLICHVS de myst. Aegypt.
g) c. 27. p. 267.
h) c. 29. 30. p. 268. seq.
i) Praedixit enim ei, Vlyssis morte obiturum, id est ex mari. Marino vero lepore a Domitiano fratre enecatum fidem vaticinio fecisse, Damis ait c. 32.
k) c. 33. p. 271.
l) c. 43. p. 278.
m) L. V. c. 7.

Digitized by Google

mentiae potiorem rationem habuit. Senſere tyranni ſaeuitiam philoſophi, quos ob laudatam Thraſeae et Heluidii Priſci virtutem, quos ſanctiſſimos viros Iunius Priſcus appellauerat [n], vrbe et orbe Romano proſcripſit, tantoque philoſophos terrore compleuit, vt habitu mutato alii in extremam Galliam aufugerent, alii in Lybiae Scythiaeque deſerta, quidam etiam doctrinam amplecterentur, ſeculi vitiis conſentaneam [o]. Exilium tum paſſum fuiſſe Dionem Pruſaeenſem, et ad Getas profugum, habitu philoſophico poſito, agriculturae operam nauaſſe [p]; item Epictetum Roma exceſſiſſe in ſequentibus, horum philoſophorum vitas enarraturi, dicemus. Contra quam Domitiani tyrannidem eo fuiſſe animo Apollonium narrat PHILOSTRATVS [q], vt nil quidem ſibi timeret ipſi, ſed aliorum miſericordia commotus omnem aduerſus imperatorem, quae in ſenatu eſſet, iuuentutem, omnemque quam in nonnullis obſeruabat, prudentiam conuerteret, et in prouincias profectus, atque apud praetides philoſophatus ad euertendam tyrannidem eos cohortaretur, exemplis ex Graeca et Romana hiſtoria ad audendum facinus adiectis. Quae tanquam inſignis virtutis factique prorſus herolci ſpecimina laudat, Zenonisque atque aliorum philoſophorum exemplis tuetur, et tamen cum ab Euphrate delatus Apollonius, arcanorum rationes redditurus citatus eſſet, quod mox narrabimus, friuolis cauillationibus fateri ſubterfugit, cauſſatus philoſophari ſe de fatorum vi, quodque adeo mutari nequeant, vt ſi imperium alicui decreuerint, quod alter modo teneat, illumque hicce interficiat, ne ab eo exuatur imperio, etiam in vitam interemtus ſit rediturus, quo fatorum ſatisfiat decretis. Immo cauſſari non erubuit, colere ſe imperatorem, non vt ſeruus dominum, ſed vt ciuis principem [r]. Quae, annon, puduiſſe ipſum Apollonium ſeditionis excitatae, ſaltem non fuiſſe auſum hanc patriae libertatis vindictam defendere, euincant, lectoris eſto iudicium. Certe a ſeditione non poſſe abſolui Apollonium PHILOSTRATVS [s] locuples teſtis eſt, narrans, ex ſociis prudentiſſimos quosuis modo iſtum, modo alium remotis arbitris allocutum, Romam miſiſſe, vt in tyrannum quos poſſent, armarent; cum Nerua quoque de ea re publice locutum, eique imperium praedixiſſe. Quae cum cognouiſſet Euphrates, vt diximus, inimicitiae contra Apollonium inſtigatione ad Domitianum ab eo delata ſunt, qui non tantum citauit philoſophum, ſed et ad Aſiae ſcripſit proconſulem, vt comprehenderet Apollonium et Romam adduceret. Omnia haec, vt ſcribit PHILOSTRATVS [t], diuinitus pro more ſuo antea proſpexit Tyanenſis. Qui cum nihil timeret, ipſe non communicato cum amicis conſilio in Italiam iter ingreſſus eſt, quinta die placido curſu Puteolos delatus [u]. Ibi in Demetrium Cynicum incidit, qui ne Romam

n) SVETON. in Domit. c. 10. Conf. GAVDENT. de phil. Rom. c. LXXXII. p. 251. ſeqq. TILLEMONT. in Domit not. g.

o) Ita PHILOSTRAT. L. VII. c. 4. p. 282. Conf. GELLIVS L. XV. c. 11. EVSEB. Chron. n. MMCIV. PLIN. panegyr. c. 47. init. Dictum hac de re ſupra capitis huius ſect. I. §. vlt.

p) PHILOSTRAT. Vit. Soph. L. I. c. 7. p. 488.

q) loc. cit. r) L. VIII. c. 7. §. 16. p. 351.

s) L. VII. c. 3. p. 285. t) c. 10. p. 286. u) c. 10. p. 286.

Digitized by Google

mam accedens, philoſophiae tantum periculum crearet rogauit, cauſſatus, philoſophis ne mutire quidem conceſſum eſſe, ſed crimen contra eos inuentum ſapientia, et contra ipſum Apollonium, quando inter eos excellat ſapientia, hanc callidam magis inuentam eſſe accuſationem. Cupere enim Domitianum eum criminum eſſe complicem, ob quae Nerua eiusque comites exulent: ſuſpectam eſſe et vitam et veſtem, et honores, haec ſe a Teleſino accepiſſe, qui ipſe philoſophiae cauſſa ex vrbe emigrauerit. Nec eſſe vel ius, vel iudicem ſed talem, qui cauſſam non audiat, vel occidat tamen nullius criminis reum. Illa Demetrii oratione victus Damis, magiſtro ipſe quoque iter diſſuaſit, nam pro philoſophia ita moriendum eſſe, dixit, ſicut pro aris et focis, pro moeniis et ſepulchris; philoſophiae vero perdendae cauſſa, nec ſe mori velle, nec eorum quenquem, qui illam et Apollonium ament. In omnia alia ſe vertit Apollonii ſententia, ſe enim omnia, dixit, ſcire, nec ſe ſtolido huc veniſſe conſilio, nihil enim periculi corpori ſuo eſſe metuendum, nec tyranni vi ſe interfici poſſe, etiamſi hoc ipſe velit: contra intelligere ſe, periculum eſſe, ne viros illos perdat, quorum vel ducem vel ſectatorem eum faciat tyrannus. Ideo, neque conſilium Damidis probabat, vt veſtem mutaret, quod tamen illi permiſit, vt plebeiam indueret, nec comam geſtaret *. Interim Romae artibus, quae clanculum prodeſſe poſſunt, omnibus pro Apollonio vſus eſt Aelianus, praefectus praetorio, qui eum iampridem amauerat, et cum eo in Aegypto erat locutus. Cautius tamen agendum ratus, iuſſit eum comprehenſum ad ſe duci, quod eum tanquam incantatorem, eumque excellentem accuſator detuliſſet. Sublato vero delatore cum in ſecretiorem praetorii locum deduxiſſet, amicum ſe eius eſſe, quod ei varia in Aegypto praedixiſſet, dixit, et accuſari veſtitum, et reliquam viuendi conſuetudinem, item quod ſint, qui Apollonium adorent, quodque multa adverſus imperatorem tum ſecreto, tum palam etiam, tanquam diuinitus accepta differuerit, quodque in agrum egreſſus dicatur ad Neruam, Arcadem in eius gratiam puerum ſecuiſſe, qui mactatus ſit exitii imperatori procurandi cauſſa, atque hoc ſacrificio ad imperii ſpem eum erexiſſe. Ad hanc itaque accuſationem apologia depellendam eum paratum eſſe oportere, quam etiam ſe ſuſcepturum promiſit Apollonius y. Aelianus itaque diſſimulato, quod ſuſceperat, Tyanenſis patrocinio, de eo ad imperatorem retulit. Ex praetorio igitur dimiſſus Apollonius et in carcerem deductus eorum, qui vinculis nullis conſtringerentur, cum captiuis multa differuit, quae taedioſa prolixitate exponit PHILOSTRATVS z: Tandem cenſualium ex imperatoris iudicio aliquis miſſus, iuſſit Apollonium circa meridiem in palatium venire, non vt cauſſam dicat, ſed vt eum imperator videat, et cum eo ſolo agat. In palatium adductum vbi imperator conſpexit, viri attonitus ſpecie, dæmonium ad ſe adductum, exclamauit, quod Apollonius arripiens imperatori

x) c. 14. p. 291. ſeqq. y) c. 17. 18. p. 298. ſeqq. z) c. 21. ſeqq. p. 300. ſq.

Digitized by Google

ratori exprobrauit, qui cum se Palladis tutelae commisisset, Deos atque homines dignoscere non posset, et homines inter daemonum spectra collocaret. Domitianus autem conscium eum criminis Neruae esse statuens, de ea re se edoceri cupiit: quod recipiens Apollonius, Neruam tanquam mortalium omnium moderatissimum mitissimumque impense laudauit, ad res autem magnas meticulosum esse monuit, nec amicos eius res nouas moliri testatus est. Quibus auditis ira intumescens imperator, quod eum sycophantiarum reum ageret, et turbatores imperii tanquam quietos et bonos commendaret, sceleratissima haec capita cum Apollonio conspirasse clamabat; et libellum ea detecturum minabatur. At ille, ne his quidem territus, defensionis licentiam ab eo petiit [a]. Quo facto in carcerem reductus et ignominiose habitus est, barba detonsa et coma, atque inter sceleratissimos in vincula coniectus, Apollonio defensionem a tempore, et Deorum spiritu et amore philosophiae, cui se addixerat, sibi promittente, et ridente Caesarem, quod quem incantatorem haberet, vinculis constringi posse putaret [b]. Subornabat etiam Domitianus hominem callidum, fraudibus instructum, vt habitis cum Apollonio colloquiis insidias ei strueret, quas tamen magna prudentia euitauit, Damidemque anxium rerum praesentium, iisque diffisum erexit, praedicens, vitam ipsis ademturum neminem, sed liberatum iri ex arbitrio suo. Cuius vt daret illi exemplum, e compede crus eduxit [c], et bono animo esse iussit. Tum se primum, Damis scripsit, penitius viri indolem perspexisse, diuina quod esset, et humana superior. Quod eo magis mirandum, quo his maiora et diuiniora vidit et in literas Damis retulit, qui, quo erat inficeto ingenio, hic se sibi contradicere non animaduertit. Cum autem liberiorem illi custodiam decreuisset imperator, et diem defensionis praestitueret, dimisit Damidem licet inuitum, et Puteolos pedes ire ad Demetrium, tumque ad insulam Calypsum se conuertere iussit, illic enim se apparere visurum, id quod Damis etiam exsecutus, iterque pedibus, vti iusserat, prosecutus est, vitata ita graui maris tempestate, quam Apollonium praeuidisse dicit [d]. Cum iudicii dies aduenisset, introductus est in dicasterium Apollonius, in quo imperator cum familiaribus et nobilioribus vrbis viris consederat, contendente eo, vt coram plurimis Apollonium deprehenderet, virorum illorum complicem [e]. Ille vero adeo imperatorem alto despiciebat supercilio, vt ne respiceret quidem. Accusator, submissus ab Euphrate, tanquam veneficum detulit, et accusationis libellum obtulit, ex quo de quatuor potissimum capitibus quaestionem instituit imperator, nempe: cur proprio et singulari plane vtatur habitu? cur eum Deum vocent homines? quo instinctu aut qua coniectura Ephesiis pestem praedixerit?

a) c. 32. seq. p. 312. seq.
b) c. 34. p. 313. seqq.
c) Fatetur Damis vel PHILOSTRATVS c. 39. p. 318. magos eiusmodi ostenta efficere posse, sed ob media adhibita eam artem incertam esse et fugiendam. Quasi vero non, qui se altiorem magiae gradum attigisse iactabat Apollonius, eandem censuram mereretur!
d) c. 41. p. 319. seq.
e) L. VIII. c. 1. seqq. p. 322. sqq.

Digitized by Google

rit? cur in agrum profectus et in cuius gratiam puerum sacrificauerit? Ad quae accusationis capita paucis ita respondit Apollonius: vti se vestibus ex terra, ne animalibus molestiam afferat: Dei nomine se honorari a quibusdam, quoniam vir omnis, qui bonus existimatur, Dei cognomine honoretur. Pestiferi morbi malum primum se sensisse, tenuiori victu vsum. Ast quod ad puerum attinet, nec pedem domo extulisse, neque in rure fuisse atque ibi sacrificasse; ista enim probanda esse. Quae omnia an disciplinae, quam sequebatur Apollonius, consentanea dicta fuerint, iudicent, qui philosophiae eius, quam affectabat, picturam ab ipso supra delineatam contemplati sunt. Domitiano tamen fecere satis, qui eum ab intentatis criminibus absoluit, manere tamen iussit, quoad priuatim cum eo fuerit collocutus. Recitat etiam prolixam apologiam Apollonii PHILOSTRATVS[f], quam scripto consignasse ait, cuius summa eo tendit, vt virum Pythagoreum Deorum communione gaudere, fatorum ordinem inspicere, hincque praedicere futura demonstret, et ab intentato sacrificii et periurii crimine Apollonium liberet, congestis maledictis et opprobriis in Euphratem plurimis. Quam tamen non ipsius Apollonii opus esse, sed Philostrati, sophisticam eloquentiam in ea apologia ostentantis, eo magis verisimile est, quo magis Laconica breuitate fuisse vsum Tyanensem ipse nobis narrat. Apollonius manere iussus, vt vel audiretur, et ab exulibus insulae, terrae gemitibus, exercitus formidine, senatus suspicionibus liberarentur; vel si nolit, dimitteretur, postulauit, et se capi non posse professus e dicasterio disparuit[g]. Quae ita quidem pro certo narrat Philostratus, quasi ex tripode foliisque Sibyllae hausta, parum tamen habent verisimilitudinis. Quis enim credat, Domitianum tyrannum crudelissimum suspicionibus et caedibus indicta etiam causa cuncta complentem, et in Neruam ac coniuratos acerrima ira flagrantem, Apollonium, quem consiliorum participem certo certius nouerat, sola facti negatione absoluisse, nec aliter in hanc causam inquisiuisse hominem suspicacissimum? quis philosophum, incantatorem habitum, et disparendi facultate probatum ab imperatoris aula non quaesitum esse putet? quis tam illustris tantoque apparatu instituti dicasterii finem tam puerilem atque ludicrum fuisse sibi persuadeat? et quis sophistae eloquentiam a breuissimi sermonis philosopho adhibitam, vel mediocri colore persuasus admittat? Adeo in hac quoque historiae suae parte verisimilitudinis rationem habuit fere nullam Philostratus[h]: si etiam concedamus, quod eius temporis magis veteres vindicant, potuisse eos ex oculis hominum disparere et euanescere[i]. Miramur potius Domitiani patientiam, qui hominem, qui tot eum modis ludibrio habuerat, quem in caput suum coniurasse non ignorabat, quaerere posthac nunquam ausus est. Verum ex eiusmodi ἀπίσοις καὶ ἀλογοπίσοις constitisse Pythagoreorum historias fere omnes, historiae eorum

f) c. 7. g) c. 5. p. 326.
h) Conf. TILLEMONT. l. c. p. 208.
i) De Simone mago id refert Auctor Recognit. L. II. p. 32.

perito non ignotum esse existimamus. Quicquid vero illud est, quod lectori examinandum relinquimus, discessit ante meridiem e Dicasterio Apollonius, circa ipsam vero meridiem Demetrio et Damidi Puteolis apparuit [k]. Quem cum vidissent, dubii primum haerebant, vtrum is esset? ast is protendens manum, viuere se, et spectrum non esse demonstrauit, et tangentibus se praebuit. Quo illi surgentes viro inhaeserunt, eumque osculati sunt, et narraturum acta istius diei in Demetrii domum deduxerunt.

Iter Apollonii Graecum.

§. XVII. Rebus Apollonii hunc in modum in Italia confectis, in Graeciam nauigare constituit, conscensaque, quae in Siciliam soluere parata erat, naui, in Siciliam prius, deinde in Peloponnesum traiecit [l]. Naui egressus Olympiam abiit, et in Olympii Iouis templo egit, neque vltra Scilluntem inde digressus est. Quem cum viuere et in Graeciam veniisse, constans fama dictaret, primum quidem fabula visa est; ad Graecorum enim aures de eius fatis varia fama peruenerat, aliique viuicomburio interiisse tradebant, alii viuum relictum, sed vncinis ceruici impactis tortum dicebant, alii in barathrum, alii in puteum demersum narrabant; postea vbi de eius aduentu certior fides facta est, insigni frequentia ad eum videndum confluxere Graeci. Qui cum ab iis, qui ex Italia aduenerant, (ipse enim quo pacto saluus euaserit, non aperiebat) quae in Dicasterio facta essent, comperissent, parum abfuit, quin eum adorarent, diuinum esse existimantes virum, ob id quoque quod fastu se non efferret: in quo falsos eos fuisse, ex narrata hactenus historia satis liquet [m]. Cum Damis vero de pecuniis Apollonium consuleret, quoniam viatici parum oppido iis esset relictum, illud curaturus Apollonius in templum sequente die veniens ex Iouis thesauris drachmas mille petiit, et a Sacerdotibus lubens accepit [n]; quae attento lectori argumento esse possunt, vel conspirasse cum sacerdotibus impostorem, eorumque rem ita iuuisse, vt ex praemiis et emolumento, ipse quoque partem acciperet, vel vix esse probabile, sacerdotum auaritiam in partem quaestus Apollonium admisisse. Quod vero omnem verisimilitudinem superat, hoc praecipue est, quod in tanta Domitiani saeuitia, et inter tot, quos vbique locorum alebat, obseruatores tanta linguae proteruia, orisque maledicentia in imperatorem impune debacchari, et seditiosis omnia complere vocibus sine periculo potuerit, qua in re fidem Philostrati recte desiderat doctissimus TILLEMONTIVS [o]. Olympia in Arcadiam transgressus est, Lebadeae celeberrimum Trophonii antrum, quod nondum viderat, aditurus, quod inter celeberrima eius temporis oracula habitum est. Ibi cum in templum veniisset, vt demitteretur, de philosophia consultaturus, a sacerdotibus petiit, repulsam vero tulit, quod incantatorem admittere nollent. Vnde vespera cum sequacibus ad ostium accedens adolescentibus, et quatuor ex obeliscis reuellens, claues qui

k) c. 10. p. 354. seqq. Etiam hoc ad imitationem Pythagorae diuersis locis apparentis.
l) c. 14. p. 358
m) c. 15. p. 359.
n) c. 17. lucripetam fuisse inde colligit TILLEM. l. c. p. 208.
o) l. c. p. 208.

Digitized by Google

qui continebant, quibus aditus panderetur, ſub terram penetrauit cum pallio, quaſi diſputaturus. Quod ita acceptum fuiſſe Deo, ait PHILOSTRATVS *p*, vt ſacerdotibus apparens Trophonius, ſeuere non tantum in eos ob virum illum animaduerterit, verum etiam praeceperit, vt eum in Aulidem proſequerentur, quod illic emerſurus ſit ex antro, modo maxime omnium admirando. Nempe die ſeptimo inde emerſit, quo nemo vnquam eorum, qui fatidicam ſpecum intrauerunt, afferens libellum, in quo ad interrogationes ex Pythagorica philoſophia oraculum reſpondit. Quem libellum Antii in palatio Adriani ſeruatum eſſe, refert PHILOSTRATVS *q*. Quae hiſtoriae Apollonii particula ſi cum circumſtantiis antri Trophonii confertur, eleganter impoſturas Apollonii malamque fidem Damidis et Philoſtrati prodit *r*. Iſtis artibus non potuit non augeri nominis Apollonii celebritas, iis enim Pythagoras quoque caput extuliſſe dicitur, ad cuius famam adſpirabat Apollonius. Inſigni itaque diſcipulo-

 rum

p) c. 18. p. 362. *q*) c. 19. p. 364.

r) Digna eſt haec vitae Apollonii pars, ad quam paulo attentius reſpiciamus: id quod fieri nequit, niſi praemiſſa celeberrimi oraculi deſcriptione, quam PAVSANIAE debemus, qui hoc antrum in Boeoticis p. 313. diligentiſſime deſcripſit, qui nempe ipſe illud conſuluit: Deſcenſurus in Trophonii antrum primum certum dierum numerum in aedicula quadam commorari habebat neceſſe, expiationes ſuſcipiens varias, imprimis abluendus in Hyrcina fluuio, et ſacrificaturus Trophonio et Filiis, Saturno et Ioui regi, Iunoni Heniochae, et Cereri Europae: ex extis haruſpex denuntiat, num ſatis placatus Trophonius? Deſcenſurum tum ſacrificuli noctu ad fluuium deducunt, oleo inungunt, pueri oppidani abluunt. Poſt ad fontes deducitur Lethes, vt omnium obliuiſcatur, et Mnemoſynes, ne memoria defluat, ſed teneat, quae intra penetralia viderit. Tum ſimulacrum Daedali contemplatus cum multa religione votisque nuncupatis in antrum demittitur. Erat id ſupra lucum in monte, crepido in orbem candido ſaxo circumdata. Erecti ſuper ea obeliſci aenei; inter eos media oſtia, intra ambitum ſpecus non natura ſed artis opera ſolertiſſime exciſus, eius ſubterraneae cellulae formula furno ſimiles, in altum ſubſidit hiatus octo fere cubitorum. Nulli vero gradus conſtructi, ſed ad Trophonium deſcenſuri ſcalas admouebant, vbi deſcenſum fuerit, medium inter ſolum et antri teſtudinem cauernula erat latitudine duarum ſpithamarum: altitudine vnius: qui eo penetraſſet, humi procumbens, melle ſubactas offas tenens pedes prius in cauernulam illam immittebat. Mox toto ipſe corpore ſequens, genua in cauernam inſerere nitebatur: ibi ſtatim reliquum corpus veluti attractum genua ſequebatur, quaſi ab amnis vortice abreptum. Qui infra penetrale deſcendebant, futura non vno eodemque modo cognoſcebant, ex viſis alius, alius ex auditu conſequebatur. Per easdem fauces patebat reditus ſed itinere retrogrado, praeeuntibus pedibus. Neminem non reducem euaſiſſe affirmabant, praeter Demetrii ſpeculatorem, qui non initiatus et auri exportandi cauſſa adiuit, cuius cadauer alibi apparuiſſe, et non per ſacrum antri oſtium electum dicunt. Redux conſultor ſtatuebatur a ſacrificulis in ſolio Mnemoſynes, vt quae vidiſſet, et audiuiſſet, enarraret. Poſt in cellam bonae fortunae et boni genii, quo veniens commoratus erat, reducebant, terrore attonitum, et ſuimet fere oblitum, redire tamen ei ſolebat mens: et is tabulae quae vidit inſcripta ſuſpendere. Hactenus, qui ipſum hoc antrum adiit, Pauſanias. Non diſputabimus hic prolixe, an ad meras fraudes et impoſturam cuncta fuerint diſpoſita, et ita ordinata, vt ex ſacerdotum voluntate cuncta euenirent? eleganter hoc oſtendit ANTONIVS van DALE de orac. gentil. diſſ. 2. p. m. 268. ſeqq. Sed hoc in praeſentia tantum obſeruamus, impoſſibile fuiſſe, vt adiret hoc antrum impune, inuitis ſacerdotibus quisquam. Quod exemplo ſpeculatoris a Demetrio miſſi luculenter probatur, et ex ipſa antri conditione facile poteſt colligi, quae talis fuit, vt qui inuitis ſacerdotibus accederet, ab iis in cuniculis illis et meatibus ſubterraneis facile poſſet iugulari. Quod eo magis fieri oportebat, quo magis ſemel impune admiſſo, qui initiatus non erat, tota res potuiſſet deregi. Aut itaque mentiuntur Damis et Philoſtratus, non initiatum et inuitis ſacerdotibus ſubiiſſe antrum Apollonium, aut ſi initiari ſe paſſus eſt, adeoque falſa ſunt, quae illi tradunt, non iſto, quo hi referunt, modo emerſit ex antro, alio loco terraue; aut ſi vera ſunt, quae narrant, ex compoſito et ſimulata tantum tergiuerſatione ſacerdotum haec facta eſſe oportet, vt extraordinario modo antrum ſubiret illaeſus Apollonius. Id quod eo magis fieri potuit, quo magis cum his hominibus rem habuiſſe Apollonium, illosque eum vehementer coluiſſe, quod rebus eorum et auctoritati valde ſubueniret, ſupra demonſtrauimus, et finis Apollonii poſtulabat, vt modo diuino et inſueto a Deo audiretur. Quamcunque partem eligimus, corruit fides vel Apollonii vel Philoſtrati.

rum numero aucta est schola eius, veneruntque ad eum ex Ionia discipuli, quos Apollonios vocabant, illisque permisti, qui in istis locis habitabant, nouum quasi ὁμαρτεῖον Pythagorae referebant, magno ardore in philosophiam incumbentes. In eo tamen a Pythagora discessit Apollonius, quod apertas sapientiae fores sinebat, et omnibus, qui modo quaererent sapientiam, impertiretur suam, de quibuscunque vellent interrogandi copia omnibus facta [t]. In quo attemperauisse se Apollonium ingeniis Graecorum, apud quos arcani disciplina euiluerat, non est quod dubitemus, licet ea, quae ad arcanas theurgiae artes pertinebant, selectos tantum discipulos docuisse videtur. Ab aliis vero etiam consultum Tyanensem, etiam magnis viris, ex eo liquet, quod PHILOSTRATVS [u] narrat, apparente corona solis, iridis in speciem, quae eius radios illustraret, cum ad rerum mutationem tendere ostentum omnibus statim liqueret, Achaiae rectorem Apollonium in Boeotiam inuitantem, scisitatum fuisse ex eo, quid portenderet, metuentem, ne omnia in noctem verterentur: Apollonium vero, bono eum animo esse iussisse, aliquod enim ex ista nocte lumen suboriturum. Quae, vt haec ὡς ἐν παρόδῳ tangamus, iterum impostorem produnt, qui ex φαινομένῳ naturali futurae in imperio mutationis portentum effinxit, magis vero Philostrati artes scenae huic seruiendi detegunt, qui coronam solis nominat, inusitata voce, vt Stephanum libertum, qui Domitianum interemit, praenuntiasse videretur. Maiori attentione dignum est, quod porro refert [x], vbi biennium in Graecia peregerit Apollonius, in Ioniam cum vniuersa sua schola nauigasse: Smyrnae autem et Ephesi vt plurimum philosophiae operatum fuisse, ita tamen, vt alias quoque vrbes inuiseret. Ephesi autem factum esse, vt, dum inter arbores, quae in xysto essent, meridiano disputaret tempore, primo quidem quasi pauore perculsus vocem submitteret, deinde minore, quam qua esse solebat in dicendo, vi orationem continuaret, vt solent, qui inter dicendum aliud quid cogitant, postea vero, vt conticeret, acriterque in terram despiciens, et tribus quatuorue passibus progressus, *caede tyrannum, caede,* clamaret: stupente autem tota Ephesiorum ciuitate, bono eos esse animo iuberet, quoniam hodie occisus esset tyrannus, et quidem eo modo tempore, quo verba protulerit: ea etiam, quae iam Romae fierent, exponeret, quasi coram intueretur. Addit PHILOSTRATVS [y], aduentantes postea nuntios testimonium perhibuisse, quod et cum caede tyranni, et cum die, quae illam attulit, et cum meridie, et cum interfectoribus ita res se habuerit, vt Dii viro huic manifestauerint. Varia hac de re eruditorum sunt iudicia. Quidam [z] enim narrationi Philostrati adhibentes fidem, eo quod DIONEM quoque eodem prorsus modo referre viderent, cacodaemonis ope Apollonio caedem Domitiani innotuisse, coniiciunt: alii [a] incerti haerent,

t) c. 21. p. 364.
u) c. 23. p. 365.
x) c. 24. 25. 26.
y) c. 27. p. 367. De morte Domitiani vid. SVET. c. 23. DIO L. LXVII.
z) BARONIVS ad Annum XCVIII. n. 21.
a) TILLEMONT. in Domit. art. 21. p. 122. seqq.

Digitized by Google

haerènt, quid ſtatuant. Nobis fides Philoſtrati, quam toties Graecam prorſus eſſe deprehendimus, ſuſpecta eſt. Dionem enim non moramur, quem ob oculos habuiſſe Philoſtratum, et iisdem fere verbis exſcripſiſſe, egregie obſeruauit OLEARIVS [a]. Vixque nobis perſuademus, tam memorabilem rem indictam manſiſſe reliquis ſcriptoribus, qui Domitiani res enarrarunt, ſi ita geſta fuiſſet, vt Damidis memoriis vſus exponit Philoſtratus. Qui Apollonianae hiſtoriae conditores, cum toties iam in fraude deprehenſi a nobis ſint, digni non ſunt, quorum cauſſa ipſius infernalis ſpiritus commercium hic ad Apollonii tragoediam aduocetur. Sed vt ad Apollonii hiſtoriam reuertamur, poſt dies triginta ſcripſit ad eum Nerua, Romanum ſe iamiam imperium Deorum arbitrio tenere atque Apollonii, illud autem facilius ſe tuiturum, ſi ad ſe veniat Apollonius a conſiliis illi futurus. Cui reſcripſit hunc in modum: *Nos quidem, o imperator, vna viuemus inuicem longiſſimo tempore, quo neque in alios nosmet, neque in nos alii imperium tenebunt.* Quod hoc ſibi voluiſſe videtur Philoſtrato: et ſe ipſum paulo poſt ex humana vita eſſe transferendum, et Neruae quoque breuem futurum eſſe principatum [b]. Epiſtolam vero per Damin ad eum miſit, qua, quomodo respublica gerenda eſſet, ipſum admonuit [c]. Hanc vero ideo Damidi transferendam dedit, ne ipſe morienti adeſſet, cum latenter ex vita diſcedere diu in animo habuiſſet. Damidis itaque commentariis hic deficientibus de eius obitu, et in iſtam narrationem delinentibus, mirum non eſt, de vltimis Apollonii fatis apud veteres omnia eſſe incertiſſima. Alii enim octogeſimum, alii nonageſimum, alii centeſimum aetatis annum ſupergreſſum fuiſſe, incerto prorſus rumore perhibent: ad extremam tamen ſenectutem peruenisse, non eſt, quod dubitemus. Nec certior promitti poteſt de mortis loco, genere, modoque narratio. Quidam enim Epheſi deceſſiſſe tradunt, alii in Lindo mortuum aiunt, Palladis templum ingreſſum atque in eo conſpectui hominum ſubductum. Alii in Creta rebus humanis ereptum hoc modo narrant [d]: Commoratum in Creta, in maiore, quam antea, auctoritate, ingreſſumque Dictynnae templum nocte intempeſta eſſe. Canes diuitiarum, quae ibi aſſeruantur, cuſtodes, ne latratu quidem aduentantem excepiſſe, ſed blanditos magis fuiſſe. Templi itaque antiſtites deprehenſum eum, tanquam magum, ligaſſe, offam eum placandis canibus obieciſſe dicentes. Ipſum vero ſe media nocte vinculis exſoluiſſe, iisque vocatis, qui in vincula eum coniecerant, ne clanculum ageret, ad templi portas accurrentem eas apertas habuiſſe. Vbi intraſſet vero, fores ſua ſponte coiuiſſe, prout antea fuerant clauſae, vocemque interea concinentium virginum ex templo reſonaſſe: *veni e terra, veni in coelum, veni*, quaſi dicant, ex terra ad loca ſuperiora aſcende. Quam narratiunculam excogitaſſe illos, qui Apollonii hiſtoriam, vitae fatisque Saluatoris aptare, eiusque in coelos aſcenſum hac ratione impoſtori tribuere fategerunt, res ipſa

a) Ad h. l. b) c. 27. p. 368. c) c. 28. d) c. 30. p. 369. ſeq.

ipsa loquitur. Nobis ipsum mortem latenter, quod Philostratus etiam monuit, habuisse, eo minus mirandum videtur, quo magis impostvrae per tot annos summa nominis celebritate actae, et post fata diuinis honoribus excipiendae intererat, vt, quo mortis genere modoque viuis ereptus esset, ignoraretur. Illud momentum habere visum eruditissimo TILLEMONTIO [e], quod PHILOSTRATVS [f] scribit, in sepulchrum viri aut cenotaphium nusquam se incidisse, quamuis terrae, qua late patet, maximam partem obiuerit. Cum enim LVCIANVS [g] totam Apollonii historiam tragoediam vocet, dispalescere inde, tragico mortis genere necatum sepulchro caruisse. Quod, tanquam incertum, suo loco relinquimus: probabile tamen videbitur illis qui pro vero mago, diaboli commercio miranda ista patrante, eum habent, vitam eum finiisse tragica et horrenda morte, quae Magis euenire dicitur. Post mortem apparuisse iuueni, eum oranti, vt de immortalitate animae se edoceret, in fine quoque fabulae nugatur PHILOSTRATVS [h].

Miracula Apollonii.

§. XVIII. Inclaruisse Apollonium miraculis, si biographorum eius fide standum est, ex enarrata hactenus eius vita constat. Horum enim hominum consilia si sequimur, par erat θαυμάσια multa adscribi illi viro, quem non tantum λόγῳ diuino inter homines obambulanti opponere, sed aequiparari etiam Pythagorae cogitabant. Eiusmodi enim iam olim crepuisse miracula, illisque etiam, licet omnem fidem superarent, habuisse fidem, et ab aliis coecum postulasse assensum Pythagoreos, in historia horum hominum demonstrauimus, eosque fatentes fraudes et simplicitatem suam in apricum produximus [i]. Talis itaque, qui nouo lumine Pythagoream sapientiam collustrarit, cum videri voluerit Apollonius, necessarium fuit, vt non minora edidisse miracula Pythagora ipso crederetur. Quae cum affectasset Apollonius, si non ille ipse, certe, qui vitam eius callidissimo consilio enarrarunt, egregiam scenam se nactos crediderunt, in qua Iesu Nazareno eiusque legatis homo iisdem fere θαυμασίοις illustris opponeretur. Et hinc larga illa miraculorum seges, quae in hac vitae Apollonii historia Tyanensi tribuitur, quorum partem passim iam tetigimus, Philostrati vel Damidis fide narrando, et praeterita eum et futura tanquam praesentia inspexisse et praedixisse, nouisse, in quae corpora prius animae migrantes fuerint ingressae, quidque in iis peregerint: potuisse educere membra corpusque suum vinculis, prout placuerit; auerruncasse malos spiritus, pestilentes morbos et alia mala hominibus inducentes, confectisque talis manibus et amuletis [k], magica arte constructis damna pluri-

e) l. c. p. 205.
f) c. 31. p. 371.
g) In Alex. T. I. p. m. 354
h) l. c. p. 370.
i) T. I. L. II. c. 10.
k) Exempla huius rei habemus apud PHILOSTRATVM I. IV. c. 20. I. VIII. c. 7. f. 9. p. 334. Meminit harum imaginum magicarum TZETZES Chil. II. hist. 60. his versibus, quos OLEARIVS quoque subiecit Philostrato:

Apollonius, Neronis qui fuit temporibus,
Ille Tyanaeus sapientissimus, qui praescibat omnia,
Antiochiae quidem fecit, imo et Byzantii
Ne ingrederentur culices, aliaque huiusmodi
Atque ciconias, cum sculpsisset olim marmoreas.

Idem

Digitized by Google

plurima a totis regionibus et ciuitatibus depulisse: visum eum fuisse, paucarum horarum tempore Romae et Puteolis, longius inter se distantibus, et priori loco ex imperatoris dicasterio disparuisse. Vidisse Ephesi caedem Domitiani, quaeque eam Romae secuta sunt, tanquam praesentia, et eodem momento non tantum denuntiasse, sed fidem quoque eius rei gestae fecisse. Potuisse porro manes ex inferis sedibus prouocare, et precibus ab Indis acceptis Achillem ex sepulchro produxisse, eique varia praecepisse. Excitauisse puellam viri proconsularis e mortuis et sponso reddidisse: imperasse mari ventoque et fluctibus, vt placido Neptuno semper vteretur: aperuisse fores templorum, et clausisse, silentio canibus custodibus inducto, et morte naturali non eductum corpore ad coelos commigrasse: apparuisse etiam eum post mortem, inuocatum et de animarum immortalitate fudisse oracula. Sexcenta alia huius furfuris sunt, quae a Damide et Philostrato narrantur, apud ipsos hos homines videnda et legenda ab iis, qui eiusmodi narratiunculis delectantur. Nobis enim, qui summam tantum historiae Apollonii enarramus, in his copiosis et prolixis esse non licet. Fecit haec miraculorum, quae de Apollonio narrabantur, quaeque in vnum fascem collegit Philostratus, multitudo, vt non tantum Pythagora ipso non minor videretur Apollonius, sed etiam, cum maxima incrementa caperet Christiana religio, et ad omnes orbis habitabilis angulos penetrasset fama miraculorum IESV CHRISTI et apostolorum, quae negare non sine excusso omni pudore audebant impii, vt hunc potissimum philosophum, Iesu Nazareno, quem eiusdem generis hominem fuisse vel credebant, vel mentiebantur, miraculis suis opponerent, eumque daemonem inter homines apparentem fuisse, Deumque aliquem contenderent, multum se obtinuisse contra religionem Christianam rati, si suam superstitionem non minus illustria miraculosorum virorum exempla produxisse demonstrarent *l*. Quo potissimum fine Philostratum hanc conscripsisse historiam, et fabulas fabulis auxisse, impostorisque et praestigiis Apollonii mendacia addidisse, aliquoties docuimus, et luculentis speciminibus ex ipsa eius narratione confirmauimus. Vnde merito miramur, praestantissimum OLEARIVM *m*, quem Pythagorico-Pla-

Idem CEDRENVS in comp. hist. sub Claudio refert: „Effecisse suis magicis artibus, ne serpentes et scorpii percurrerent, neue culices adessent, ne equi ferocirent. Lycum quoque „amnem compescuisse, ne suis exundationibus „Byzantio noceret„. Didicisse vero hanc artem ab Indorum philosophis iactauit, traditque ANASTASIVS, in hunc vsque diem stare eius haec opera, et efficaciam prodere. Quam auerruncandi virtutem peritiae eius naturalium virium, et rerum, quae in eis sunt tum repugnantiae, tum cognationis scientiae, et congruentis materiae assumtioni tribuit Auctor Qq. ad orthodoxos, quae IVSTINO tribuuntur q. 24. p. 405. Plerique veterum magicis virtutibus adscribunt, vid. CEDREN. l. c. HIERONYM. ad Paulin. p. 103. Conf. Viri clarissimi L. L. MOSHEMIVS de Apollonii imaginibus Telesticis, P. Fr. ARPE de Talismanibus p. 25.

l) Aut enim credebat, qui hos homines inspirauit, malus genius, miraculorum I. C. fidem eandem fore, quae Apollonii, adeoque nihil veritatis probaturum, quod vtraque ficta esse, homines increduli decreturi sint, aut iisdem mediis suffultum iri sperabat superstitionem, quibus nitebatur Christiana religio.

m) In praef. p. 36. in qua tamen veritatis non magnopere curam habuisse Philostratum, vir beatus largitur.

Platonicorum morem, mendaciis rem ſuam, praecipue ſacram iuuandi non ignoraſſe, aliunde [n] ſcimus, nimio erga auctorem, quem illuſtrandum ſibi ſumſerat, amore ductum, vero non ſimile habuiſſe, *incaute adeo eum mentiri voluiſſe, eo maxime ſcopo illi ob oculos poſito, religioni Chriſtianae iſta hiſtoria aegre vt faceret, vt a quouis e triuio mendacia eius in rebus fere quotidianis deprehendi poſſent.* Vt enim demus eruditiſſimo viro, non omnia reprehendenda eſſe, quae in eo reprehendunt magni viri Scaliger, Lloydius, Sauilius aliique, licet valde torquendus ſit textus Philoſtrati, vt a magnis in chronologia et hiſtoria erroribus liberetur; tam aperta tamen occurrere mendacia, immo contradictiones, luculenter, niſi nos omnia fallunt, oſtendimus, vt vel fraudis et impoſturae atque falſitatis, vel ſupinae negligentiae et inſcitiae omnino accuſandus ſit Philoſtratus. Quod poſtremum cum dicere vetet viri eruditio, alterum dicatur, neceſſe eſt, ſtudio mentitum fuiſſe Philoſtratum, et θαυμασίας Apollonii fabulis auxiſſe. Quod eo minus in eo miramur, quo magis non ſophiſta tantum fuit, quos ad veriſimilitudinem, multo minus ad veritatem, non attendiſſe, modo orationis vim et elegantiam explicare narrationibus ſuis poſſent, nemo eſt, qui ignoret, et tot nobis fabulae, quae hiſtoriam philoſophicam contaminarunt, in horum ſcholis cuſae, euincunt, ſed et inter eos recte reputatur, qui circa illa, queis vixit Philoſtratus, tempora tandem Alexandriae in nouam coierunt ſocietatem, quosque eclecticorum nomine in ſequentibus contemplabimur, demonſtrabimusque, non licitum tantum ſed pium quoque et laudabile duxiſſe, in rebus ſacris fraudibus vti et mendaciis, modo religio tum valde collapſa et ruinam minitans ſuſtentaretur [o]. Certe hoc fine fabulam hanc Mileſiam Apollonii ſcriptam eſſe, apertiſſima fronte prodidere, qui ex hac ſchola egreſſi ſunt homines audaces et impudentiſſimi, et in his omnium maxime HIEROCLES, auctor λόγου φιλαλήθους, qui vt Chriſtianam religionem euerteret, dicamque Ieſu Chriſto et apoſtolis ſcriberet, hiſtoria Apollonii potiſſimum vſus eſt, id quod, deficiente hodie peſtilente ſcripto, ex EVSEBII refutatione et AVGVSTINI [p] teſtimonio conſtat. Poſt eum, ſcopum hunc hominum veſanorum, qui ſe Pythagorico-Platonicos ſomniabant, et Deorum commercia iactabant, prodidit EVNAPIVS [q], profeſſus, *Apollonium Tyanenſem, non iam philoſophum, ſed mediae inter Deos ac mortales naturae participem iudicandum eſſe, quippe qui, Pythagoreae diſciplinae ſectator, illius diuinitatis famam dignitatemque mire adauxerit, de quo enucleate ſcribens Philoſtratus Lemnius libros, quibus titulum: vita Apollonii praefixit, debuerit inſcripſiſſe verius: acceſſum Dei ad homines.* Ita enim ſolitos fuiſſe huius generis ſectaeque homines Chriſtianae ſe religioni opponere, poſtea ad eorum contemplationem tractatione noſtra delata demonſtrabimus. Nullo

n) Ex differt. de Philoſophia eclectica ad calc. STANLEII Hiſt. phil.

o) Conſulat, qui de his dubitat, IAMBLICHVM in vit. Pyth. c. XXVIII. n. 138. et in protrepr. ad Symb. 4.

p) Epiſt. 5. et 49.

q) Vit. Sophiſt. p. m. 6. edit. Commelin.

Digitized by Google

lo vero argumento melius hunc infernalis hoſtis eiusque inſtrumentorum ſcopum, luculentiusque euincemus, quam facta comparatione inter vitam Chriſti et Apollonii, quam ad illius imitationem fuiſſe conſarcinatam aliquoties ὡς ἐν παρόδῳ tetigimus, et attente conſideranti erit longe manifeſtiſſimum. Quo labore vt ſuperſedere queat lector, en pauca e multis, hunc παραλληλισμὸν nefariorum hominum probantia: Geſtaſſe Deum quendam, nempe Proteum in vtero, ipſe Deus hic Apollonii matri ſomnianti apparens prodidit, filium enim DEI in vtero geſtare ſanctiſſimae Virgini manifeſtauerat angelus, et Ioſepho in ſomnio patefecerat. Decidiſſe fulgura coelique lumina naſcente Apollonio fingunt, claritatem enim coeleſtem illuminaſſe nato Ieſu paſtores, legerant. Cecinere olores puero nato, nam Nazareni quoque natiuitati accinuere chori coeleſtes. Traductus eſt in templum ad doctores adoleſcens Apollonius, in templo enim inter doctores conſediſſe puerum Ieſum, traditum eſt. Morbis liberauit homines Tyanaeus, quibus medelam attuliſſe Saluatorem, ſacri teſtantur hiſtorici. Emendauit hominum mores, corripuit peccatores, confirmauit recte ſentientes Ieſus magiſter optimus, eadem vero moribus reformandis ſuſcepiſſe Apollonius dicitur. Solus ſaepenumero precibus vacauit et meditationi Chriſtus; nec in his ei cedens Apollonius aliter inſtituiſſe fertur. Verſatus eſt in templo et ſynagogis docens ſaepe numero propheta maximus; nec alius docendi locus, quam templa, erat Apollonio aſſignandus. Praedixit plurima et cogitationum pariter atque futurorum omnium ſe conſcium probauit ſalus mundi; aſt Apollonius et ipſe praeterita et futura videbat et noſcebat tanquam praeſentia. Variarum linguarum donum Apoſtolis diſtribuerat magiſter; ea vero facultate et Apollonium polluiſſe Damis mentitur. Excitauit ex mortuis puellam Ieſus; et Apollonius quoque. Malignos ſpiritus expulit et compeſcuit Mariae filius; ſed Tyanenſis quoque: orauere vero Ieſum, ne ſe torqueret, cacodaemonis angeli, ita vero Apollonium quoque rogauit empuſa, Menippum perſecuta. Propitiis in mari vectus vſus eſt ventis Apollonius, tempeſtatibus enim maris imperaſſe Chriſtum legerant nugatores. Qui oraculis confirmatam Apollonii diuinitatem mentiuntur, quod diuinarum literarum teſtimoniis Ieſum eſſe Chriſtum Dei filium, doctores Chriſtiani demonſtrarent. Cum inferis et manibus fuiſſe Apollonium, par erat confingi, eo quod ad inferos deſcendiſſe Ieſus praedicaretur. Quem cum ſponte Hieroſolymam acceſſiſſe, multis diſcipulorum retro cedentibus ſacri retulerint hiſtorici, Apollonius quoque Romam, relictus a diſcipulis plerisque, ad carcerem et vincula properaſſe dictus eſt. Disparuiſſe Ieſum, e manu lapidantium, ſacra refert hiſtoria, ſed diſparuit quoque Apollonius, quem non minus poſt liberationem ſuis apparuiſſe, quam Ieſum poſt reſurrectionem diſcipulis, finxere. Examinatus a praetore Ieſus cauſſam etiam ſecreto in praetorio dixit, nec minus eodem quoque modo Apollonius; cuius innocentiam agnouit praefectus praetorio,

vt Chriſti Pilatus, nec tamen metu Caeſaris vterque dimiſſus eſt. Ieſu illuſere milites veſtitu, nec alia manſere fata Apollonium, veſtimenti genere irriſum. Excitata propter Chriſtiani nominis gloriam perſecutio in eius diſcipulos, et in ſectatores Apollonii omnesque philoſophos pariter, ob nomen Tyanaei. Is pro Deo a ſuis habitus, et mediator inter Deum et homines, ne minor eſſet Chriſto, quem Deum mediatorem ſui profitebantur. Tandem non eſſe inter mortuos, ſed aſcendiſſe ad coelum Chriſtum, vnanimi teſtati ſunt ore Apoſtoli, et eandem fere traditionem ſecuti ſunt Apollonii cultores. Plura non addimus, facile ex enarrata hactenus Apollonii hiſtoria colligenda et paſſim quoque adducta a viris doctis [r], qui hunc hominum vecordium et maleferiatorum ſcopum pernouerunt; pauca haec enim ea luce radiant, vt niſi prorſus coecutiamus, nos plane conuincant, Apollonium ab hiſtoriae eius architectis ſiſti Ieſu Chriſti, filii DEI, aemulum, eoque nec natura, nec dignitate, nec miraculis minorem. Et in hunc cenſum omnes referendi ſunt, quotquot pro numine Apollonium habuere, vt infra dicemus.

Iudicia de Apollonio.

§. XIX. Etſi vero maxima Apollonii et viuo eo et poſt eius fata fuit celebritas, isque pro daemone quodam inter homines verſante habebatur, non defuere tamen, etiam cum viueret, plurimi, qui longe alium eum fuiſſe, et inter magos referendum eſſe putauerunt, atque praeſtigiatoribus annumerarunt. Cuius non alio teſte, niſi ipſo Philoſtrato opus eſt, qui non Euphratem ſolum, narrat, γοητίας nomine traduxiſſe Apollonium, ſed et illum ab Eleuſiniorum et Trophoniorum ſacrorum antiſtitibus repulſam paſſum, quod incantator maguſue eſſet, tradit, et apud Domitianum eo nomine inuiſum et accuſatum fuiſſe refert, et hanc potiſſimum maculam vt ab eo abſtergat, in toto hiſtoriae ſuae volumine vires omnes adhibet [s], et initio mox atque limine talem eum iudicatum fuiſſe prodit, qui ὑγιῶς ſobrie ſaneque philoſophatus fuerit. Talem enim fuiſſe, qui magicis artibus philoſophiam profeſſus fuerit, apud ORIGENEM [t] ait Moeragenes in commentariis de vita eius. Nec pro alio venditant veteres apud LVCIANVM [u] et APVLEIVM [x], qui eum inter celebriores magos numerat. Nec hanc exemiſſe ſuſpicionem Philoſtrati commentarios, hominibus ex XIPHILINI [y], HIERONYMI, AVGVSTINI, aliorumque iudiciis de Apollonio, hic non cumulandis, videre eſt. Fuit et tertia veterum de hoc homine opinio, quae gloria philoſophi et viri boni Apollonio relicta, melius de eo tanquam philoſopho ſeuerius philoſophante ſentiendum ſtatuit. Damidi vero, Moerageni, et horum compilatori Philo-

r) NAVDE apologie pour les grands perſonages ſubçonner de Magie p. m. 238. HVET. demonſtr. Evang. Prop. IX. c. 147. §. 4. p. m. 642. ROB. IENKING. not. ad TILLEMONT. vit. Apoll. GVIL. NICHOLS coll. cum Deiſt. P. III. p. 203. aliique a TILLEM. laudati, quibus plures facile addi poſſunt. Nemo non enim hoc vidit.

s) L. I. c. 2. p. 40. L. VI. c. 12. L. VII. c. 39.

t) Contra Celſ. L. VI. p. m. 311. ed. Hoeſch.

u) In Pſeudomant. T. I. p. m. 529.

x) In Apolog. p. m. 248. ed. Scriu.

y) In Caracalla.

Digitized by Google

Philoſtrato fidem denegat, et hos fraudis, mendaciorum et τερατολογίας incuſandos eſſe putat. Quam potiſſimum ſententiam ſecutus eſt EVSEBIVS [a], qui *ſe humanae ſapientiae egregie callentem fuiſſe Tyanenſem, exiſtimare* fatetur, *quae vero philoſophiae excedant vires, a Damide, Philoſtrato vel alio quopiam afficta putat grauare virum, et ceu laruam aliquam Pythagoricum ei vitae inſtitutum aptare, vt aſino exuvias leonis.* Pulchre enim vidit Euſebius, Pythagoreum inſtitutum eiusmodi nugis omnium optime quadrare, cui iam Platonis aetate τερατολογίαν obiecere Socratici [a]. Inter recentiores non minora de Apollonio fuere ſententiarum diuortia. Quidam enim cum Euſebio malam fidem Damidis atque Philoſtrati accuſant, qui non μυθολογίαν tantum, ſed et mera et putida nobis obtruſere mendacia, quaeque ex Cteſia, Agatarchide, aliisque fabularum conſarcinatoribus acceperunt, tanquam ſuis oculis viſa nequiſſimo auſu nobis tradiderunt, qua ratione Philoſtrati fidem in dubium vocarunt NAVDAEVS [b], OLEARIVS [c], BVDDEVS [d]. Alii, quibus reiici prorſus fidem Philoſtrati non placet, eo quod ante eum Apollonius magi nomen et celebritatem obtinuerit, in Apollonium reiiciunt cauſſam, ſed diuerſo modo. Quidam enim, hominem et in naturali ſcientia probe verſatum, et artis potiſſimum ſalutaris praeceptis imbutum viriumque naturae ſecretiorum notitia inſtructum multa naturali virtute miranda praeſtitiſſe, multa vero fraude, impoſtura milleque fallaciis, effeciſſe, vt aliquid homine maius videretur, autumant: alii diaboli potiſſimum artibus et ſecreto cum daemonibus commercio ea effeciſſe contendunt. Quorum prius ANONYMVS, qui hiſtoriam Apollonii falſitatis conuicit, et ex parte quoque HERMANNVS WITSIVS [e], poſterius CVDWORTHVS [f] et magna eruditorum pars [g] tuetur, qui hunc ideo hominem excitaſſe Satanam Chriſti Ieſu quaſi ſimiam putant, vt curſum euangelii ſiſteret, et miraculorum fidem eleuaret, gentilis vero religionis fulcra corroboraret [h]. Quae ſententiarum diuerſitas licet ex quauis parte ſuis roboretur rationibus, quamcunque tamen eligas, cadit inde aſſerta Apollonii diuinitas, quantoque inter ſe interuallo diſtent religionis Chriſtianae veritas, et impoſtura atque praeſtigiae Apollonii, ſole meridiano, non ſine inſigni ſanctiſſimae fidei noſtrae gloria, diſpaleſcit clarius. Nihil enim horum de miraculis Ieſu Chriſti dici poteſt, quae Apollonio obiiciuntur

a) Adu. Hieroclem. c. 4. §. p. 432. ed. Olear.
a) XENOPHON. Opp. T. II. p. 1001.
b) loc. cit. p. 229.
c) Praef. loc. cit. p. 36.
d) Diſſ. de verit. rel. Chriſt. philoſophorum obtrectationibus confirmata, Synt. diſſ. theol. p. 494 ſq. 79.
e) Meler. Leidenſ. diſſ. VII. § 7. p. 380. ſeqq.
f) Syſt. intell. c. IV. §. 14. p. 305
g) Ita BARONIVS, SVDORIVS, GODEAV, TILLAMONT, FLEVRY, I. F. PICVS, GROTIVS, CASAVBONVS, P. MOLINAEVS, S. MARESIVS, H. MORVS, HVETIVS, LLOYDIVS, quorum loca nominat OLEAR. l. c. Conf. BAYLE l. c. T. I. Dict. p. 267. IONSIVS de S. H. P. L. III. p. 203.
h) Diſplicet hoc, tanquam ad ipſa I. C. miracula ſuſpecta reddenda. Deique ſapientiam calumniandam idoneum NAVDAEO l. c. et MOSHEMIO ad l. c. CVDW. Nobis, nihil nos, ad hoc extremum vt confugiamus, cogere, videtur. Omnia enim quae miracula adducuntur, aut impoſturae fuere Apollonii, aut mendacia Damidis et Philoſtrati.

cum habeant teſtes viros optimos, omnique fide digniſſimos, quaeque Ieſus Chriſtus patrauit θαυμάσια ab omni impoſtura aliena, nec praeſtigiae queant eſſe, et magiae incantamenta, nec naturalium virium effecta ab humana ſapientia producta. Tantum vero abeſt, vt, quod intendit hominum peſſimorum peruerſitas, ex hac Apollonii fabula, detrimentum capiat Chriſtiana religio, vt potius eam fortius et validius roborare dicenda ſit. Quod ſi enim miracula Chriſti cum θαυμασίοις Apollonii comparantur, primo, niſi quis malitioſe claudat oculos, intuitu patebit, haec illis nec fine atque ſcopo, neque ratione, circumſtantiis et modo, neque numero et fide teſtium, neque vtilitate, neque efficacia in animis hominum, neque dignitate et grauitate vllo modo poſſe comparari. Quin propria vineta caedunt acerrimi religionis Chriſtianae hoſtes, qui dum miraculis Chriſti Apollonium opponunt, eo ipſo vera eſſe Saluatoris miracula notabili confeſſione concedunt. Quod ſi teſtes futiles et inanes, vitam Apollonii faſtu et ſimplicitate turgentem, miracula, quae ei tribuuntur, infra viri tanti dignitatem conſtituta, et ſaepe puerilia atque ridicula, affectatum eruditionis nitorem, fabulasque dudum a veteribus explosas, cum teſtibus et miraculis Ieſu Chriſti comparamus, euidentiſſimis inde rationibus demonſtrari poteſt, quid diſtent aera lupinis, et tenebrae luci. Quo in argumento laudabilis ſe exercuit diligentia HENRICI MORI [f], HERM. WITSII [g], BVDDEI [h], HOUTTEVILLAEI [m] aliorumque, qui pro veritate religionis Chriſtianae depugnarunt.

Sententia Auctoris.

§. XX. Sed vt noſtram quoque, vt fert inſtituti noſtri ratio, ſententiam de Apollonii hiſtoria exponamus, lectorisque propinemus iudicio, coniungendas, ſuo modo et ratione, enarratas hactenus virorum doctorum opiniones eſſe putamus. Certum enim et nemini ignoratum putamus, ex quo diuina filii Dei virtus Satanicum regnum tum coeleſti doctrina, tum paſſione meritoria, tum miraculis potentiſſimis, deſtruxerat, eandemque miraculorum virtutem cum diſcipulis communicauerat, quibus Chriſtianae philoſophiae veritas atque ſanctitas, vt ſol exoriens, per omnem mundum radios ſparſit, valde nutare coepiſſe gentilem ſuperſtitionem, quaeque ea nitebantur ſacerdotum collegia, ventris et arcae emolumenta ſibi detrahi ſentientium. Qui ne detrimentum acciperent, ad quasuis fraudes et impoſturas delabebantur, quibus a pueritia erant innutriti, et vel oraculorum ſuorum mirabilibus, vel hominum ab ipſis conductorum et inſtructorum praeſtigiis nebulam plebi et ſuperſtitioſae turbae obiiciebant. Excitabat etiam fama nomenque Ieſu Chriſti eiusque teſtium, per totum terrarum orbem celeberrimum et diuinum homines aſſutos et verſipelles, vt magiam ab orientalibus populis diu iactatam, profitentes, per orbem Romanum diſcurrerent, et fictis prodigiis atque innumeris impoſturis ſe ſupra humanas vires ſapere dicerent. Qui licet toties non plebem tantum, ſed et ipſos imperatores decipe-

f) In myſterio pietatis L. IV. c. 2. §. 4.
g) loc. cit.
h) loc. cit.
m) Relig. chretienne prouvée par les faits p. 449. ſeqq.

Digitized by Google

ciperent, ficut vrbe et Italia haut ſemel eiicerentur, magna tamen apud ſimpliciores plerosque, praeſertim inter Graecos et Aſiaticos populos, ſuperſtitioni addictiores fruebantur exiſtimatione, et maxima inde hauriebant emolumenta. Qualem ea aetate diſciplinam Magorum vigniſſe [m], ſacrae et profanae hiſtoriae [n] ignariſſimum eſſe oportet, qui negauerit. Ex hoc vero hominum grege fuiſſe Apollonium, dubium nobis haut eſt. Qui enim, quaecunque ab eo patrata ſunt, ad naturales cauſſas et philoſophiae arcanae effectus referunt, non cogitant, talia ab eo narrari, quae omnes naturae vires ſuperant. Quale illud eſt: diſparuiſſe coram Domitiano, et eodem meridie apparuiſſe Puteolis; item, eo, quo Domitianus interemtus eſt, momento eius caedem Epheſiis indicaſſe. Qui vero θαυμάσια haec a Philoſtrato eiusque furfuris hominibus conficta et Apollonio afficta putant omnia, non reſpiciunt ad teſtimonia veterum Philoſtrato tempore vel coaeuorum vel ſuperiorum, qui Apollonium magica arte infamem fuiſſe teſtantur, ex quibus LVCIANVM [o], qui ſub Traiano vixit, et APVLEIVM [p], qui ſub Antonino Pio floruit, ſupra iam adduximus: quibus omnino addendus illuſtris locus ORIGENIS [q], qui Moeragenis vitam Apollonii ipſe inſpexit, qui ita: *De magia hoc tantum dicimus; quicunque vult cognoſcere, vtrum et philoſophi capi ab ea poſſint, an non legat ſcripta Moeraginis, qui memoriae prodidit Apollonii Tyanenſis magi et philoſophi res memorabiles: vbi, non Chriſtianus, ſed philoſophus, ait, captos ab Apollonii magia non ignobiles philoſophos, quum tanquam ad praeſtigiatorem accеſſiſſent, et in his, opinor, etiam de famoſo illo Euphrate narrat, et quodam Epicureo.* Clare haec probant ante Philoſtratum Apollonium magicis artibus inclaruiſſe, et hos fruſtra eſſe euincunt, qui totam Apollonii hiſtoriam ad fabulas reuocant. Dubitandum itaque non eſſe videtur, fuiſſe Apollonium ex eo hominum genere, qui magicis artibus et praeſtigiis famam ſibi quaerebant, plebem vero emungebant pecunia [s], multaque ex illis, quae narrat Philoſtratus, patrauiſſe, mirabilia illis viſa, qui ad fraudes et impoſturam hominis non attenderunt. Nihil in hac de Apollonio ſententia eſt, quod non homini apprime conueniat. Erat enim is, et temperamento ad fanaticum vitae genus proniſſimus, et educatione inter ſacerdotes a pueritia enutritus, et artibus illis praeſens, quibus in Aeſculapii templo homines ſplendide decipiebantur: didicerat ſine dubio hac occaſione multa ad medendi peritiam pertinentia [t], quibus in Aſiaticis regionibus, medicorum peritorum penuria laborantibus, ſupra fidem plebis efficere multa valebat. Elegerat is Pythagoricum vitae genus

nus

n) Faciunt huius rei nobis fidem Acta Apoſt. VII. 9. XIII. 6. XIX. 13. Exemplo eſſe poſſunt Simon Magus, et Bar Ieſu.

o) Conferendus PLINIVS Lib. XXX. qui magiae hiſtoriam continet. Peculiari de hoc hominum genere Celſum ſuum opere egiſſe teſtatur LVCIANVS l. c.

p) loc. cit.

q) loc. cit.

r) loc. cit.

s) Valde hoc ſuadet dona a ſacerdotibus pecunia Apollonio, quam certe non accepiſſet, niſi in ſocietatem fraudis et emolumenti inde enati veniſſent.

t) Medicinae enim ſtudium ad Pythagoreiſmum pertinere V. I. I. II. c. 10. ſuſe demonſtratum eſt. Erat vero illa quoque magica

nus, et Pythagorei nominis celebritate venerandum et religionis cultu atque ſuperſtitione in admiratione poſitum, et diu miraculorum fama celebre: obierat omnia fere templa, adyta, oracula, antra, et cum ſacerdotibus, quorum res egregie promouebat, amiciſſime plerumque conſpirabat. Comites habuerat non ſimplices tantum ſed et, quod LVCIANI *) teſtimonio conſtat, ad perficiendam tragoediam inſtructos et callidiſſime rem ſuam iuuantes. Abierat ad orientis gentes, magiae profeſſione celeberrimas, et redux earum artibus ſe inſtructum erat gloriatus. Poſueratque in eo omnem ſuam induſtriam, vt religionem receptam ſtatuminaret et confirmaret. An ab huius generis homine impoſturas fraudesque maximas quis non exſpectauerit? an alienum eum a theurgiae arte, quam tot impoſtores tum iactabant, fuiſſe quis crediderit? an non multa patraſſe mirabilia hominem, illo, quod ei iunctum erat, conſortio, adiutum, quis ſibi perſuaſerit? Quod vt eo facilius credamus, legere iuuat LVCIANI Pſeudomanten, ſiue Alexandri impoſtoris, qui vera fuit Apollonii effigies, hiſtoriam, quo lecto deſinemus mirari, qui tantis impoſturis et nequitiae artibus ludere potuerint homines in fraudes conſpirantes. Nam et is Pythagoreus fuit, et artem medendi edoctus, et ſacra religione deuinctus, et in ſchola Apollonii edoctus, et diuina commercia ſimulans, et fictis miraculis clarus. Quibus artibus eo magis inclareſcere potuit Apollonius, quo magis philoſophiae nomen a reliquis circulatoribus et praeſtigiatoribus eum diſtinguebat. Quod tamen licet vero eſſe omnino ſimile, nemo inficias iuerit, non eo tamen procedendum eſſe putamus, vt infernalis genii ope miracula edidiſſe Apollonium ſtatuamus: quanta enim virtus atque vis ſit humani ingenii in fraudes ob gloriam et pecuniam corradendam exardeſcentis, omnis nos aeui priſci et recentioris hiſtoriae edocent. Fatemur tamen eſſe in hac hiſtoria Apollonii talia, quae nec naturali artis nec ingenioſo fraudis opere eueniſſe dici poſſunt. Quae quo minus inferni viribus effeciſſe fingamus Apollonium, Damidis et Philoſtrati facit leuitas et mentiendi impudentia, tot nobis ſupra ſpeciminibus detecta. Ab eorum itaque vel ſimplicitate vel mentiendi prurigine eiusmodi miracula deriuamus, quae omnem humanam artem et ingenium ſuperant. Quis enim non mentitos eos, credat, Apollonium diſparuiſſe, et eodem meridie alibi viſum eſſe, qui nobis homines ſciapodas, mulierem ex dimidio corporis albam et nigram, menſas item et cyathos ſaltantes, dolia ſerenitatem et pluuias emittentia, et huius furfuris nugas alias, dudum in Cteſia et Agatarchide exploſas, tanquam res a ſe viſas commendant? Qui cum mentiendi audacia per ſe praeſtarent, in hanc impudentiam frontis eo facilius conſpirarunt, quo magis ita pia, quod credebant, fraude contra religionis Chriſtianae inſultus auitam ſuperſtitionem ſe defendere poſſe credebant. Id quod imprimis de Philoſtrato iudicandum,

*) Loc. cit.

Digitized by Google

dum, qui vt dominae placeret, et fectae rationes fequeretur, et eloquentiae argumentum caperet illuftrius, Apollonii impoftura, et praeftigiis clari miracula ita auxit mendaciis, vt dubites, impudentia hominis, an mentiendi peritia magis fit miranda. Noftер hic eft, qui pari fere modo de Apollonio et Philoftrato fentit Cel. MOSHEMIVS, qui, ne nimii fimus, cum his conferri meretur [v]. Nos priusquam Apollonii hiftoriam dimittamus totam, duas his obfervationes iungimus. Prima Philoftrati fpectat perfonam, quem ad tantam mentiendi audaciam confurrexiffe ex ea potiffimum cauffa putamus, tum quod Pythagoream fectam fi non fequeretur ipfe profeffione, (Sophifta enim fuit, non Philofophus) probaret tamen, eiusque τερατολογίαις a Pythagora iam introductis, et a fequioris aetatis Platonicis confirmatis pollicem premeret, tum quod Iuliae Domnae, a qua Damidis commentarios emendandos et ornandos acceperat, gratiam aucupari cuperet. Eam enim foeminam inter facerdotes et abominabilem fuperftitionem educatam Syrorumque ex gente natam, fraudes fuperftitioni iunxiffe, adeoque eiusmodi τερατολογίαις non credendis tantum, fed et fingendis fuiffe aptiffimam, SPARTIANI [x] de ea imago prodit: cui vt fe commendaret Philoftratus, eo facilius mendacia iunxit eloquentiae, quo magis pia fraude id licere credebat. Altera obfervatio hoc nos monet, ingenia etiam maxima et fertiliffima, ac ad fraudes et impofturam nata non excogitare poffe eiusmodi mirabilia, nec philofophiae cuiusuis colore poffe pingi, quae vllo modo cum miraculis Iefu Chriſti et Apoſtolorum, doctrinaque illis comprobata queant comparari. Quod fi locus pateretur et inftitutum, dignum effet, ex comparatione vel unius ex orationibus Iefu cum Apollonii concionibus inftituta demonftrari, et ex tenebris lucis praeftantiam oftendi, quem tamen laborem nunquam poenitendum pio et attento lectori vehementer commendamus.

§. XXI. Scripfiffe Apollonium Tyanenfem plurima, in hoc vno morem fectae Pythagoreae non fervantem, quem fcilicet in aeuo fuo parum fibi profuturum fciebat, veteres teftantur, et in his maxime Philoftratus. Is Moeragene auctore [y] memorat, libros *de aftrologica diuinatione* quatuor, quibus fcientiam praedicendi futura ex aftrorum conftellationibus, quam ab Indorum Gymnofophiftis fe didiciffe gloriabatur, comprehendit. In eiusmodi enim ftudiis cum olim diligentiffime verfatus effet fcholae Italicae labor, in iis quoque non inferiorem fe veteribus Pythagoraе difcipulis probare voluit Apollonius. Porro et τελετῶν meminit PHILOSTRATVS [z], fiue *de facrificiis, et quo pacto quis Deorum cuiuis, vt gra-* *Scripta Apollonii.*

v) Ad l. c. CVDWORTHI.

x) In Caracalla, conf. DE SERVIES femmes des Cefars P. III. p. 303. Aft huic mulieri Damidis memoriae venditae funt: vnde fufpicio eft, eum quoque, qui, quam cariffime poffet, hos commentarios Imperatoris coniugi vendere vellet, illos ita auxiffe et inftruxiffe, vt potuerint fuperftitioſiffimae feminae placere.

y) L. III. c. 41.

z) Ibid. et L. IV. c. 19. Particulam ex iis habet EVSEB. de praep. L. IV. c. 13. p. 150. Theurgicum hoc opus fuiffe, et euocationes Deorum tradidiffe, ex l. c. recte colligitur. Qua arte vfus eft Apollonius ad tumulum Achillis.

Digitized by Google

gratum ei fit, atque conueniat, ſacrificare poſſit. Scripſiſſe hunc librum τῇ ἑαυτοῦ φωνῇ ait IDEM [a], qua tamen lingua cum Cappadocum ea eſſe potuerit, et Athenienſium, qua vtebatur, priorem indicari OLEARIVS [b], poſteriorem innui contendit FABRICIVS [c], cuius etiam ſententia inde robur accipit, quod PHILOSTRATVS [d] refert, *linguam eius fuiſſe Atticam, neque ſermonem eius a gentilibus fuiſſe vitiatum.* Inueniſſe ſe, hoc de ſacrificiis opus in plerisque templis et in ciuitatibus plurimis, multis item virorum ſapientum domibus, PHILOSTRATVS [e] ait, ſiue reuera huic libro auctoritatem conciliauerit fama Apollonii, ſiue ſacris Chriſtianorum oraculis aequalis auctoritatis et famae librum oppoſuerit Philoſtrati malitia. Cuius de eo libro verba, cum quadam ei interpretatione opus fuiſſe monerent, occaſionem dederunt ſuſpicandi viris doctis, hieroglyphicis eum conſcriptum fuiſſe literis, vnde inuenti ſunt, qui literas hieroglyphicas ab Apollonio vſurpatas exhiberent [f], quas indignas eſſe commemoratione, idonea fide deſtitutas recte iudicauit OLEARIVS [g]. Locus enim Philoſtrati, ſi recte inſpicias, nihil aliud vult, niſi eadem periodorum conciſa et Laconica breuitate, qua vſus eſt Apollonius, conſcriptum fuiſſe [h]. *Tabulas* quoque *teſtamenti* ab ipſo Apollonio perſcriptas, ex quibus perſpici poſſit, vt diuino actus ſpiritu philoſophatus fuerit, memorant SVIDAS [i] et PHILOSTRATVS [k], qui hoc vnum ex ſcriptis eius Ionica dialecto fuiſſe compoſitum monet. Ex quo coniicimus, apud Epheſios forte degentem Tyanenſem illas tabulas conſcripſiſſe. SVIDAS [l] etiam χρησμοὺς ſiue *oracula* eius narrat, quae *aereis columnis eas, quae extremis temporibus venturae ſint, res omnes inſcriptas ſeruaſſe, ne temporis iniuria perirent,* refert CODINVS [m]. Librum quoque Apollonii ex antro Trophonii, dogmata Pythagorea ab ipſo Trophonio comprobata comprehendentem, et Hadriani Imperatoris bibliothecae in palatio, quod Antii habebat, illatum ſupra PHILOSTRATI fide laudauimus [n]. Nihil ex his ſcriptis omnibus, quae recenſuimus, ſupereſt; legimus tamen apologiam ab Apollonio ſcriptam, vt coram Domitiano recitaret, licet valde nobis ea ſuſpecta ſit, et ſi non res ipſas, ſaltem ſtilum et ſcribendi rationem a Philoſtrato accepiſſe

a) L. IV, c. 19.
b) Ad h. l. not. 9. p. 130.
c) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 61.
d) L. I. c. 7. et c. 17. e) L. III. c. 41.
f) BLASIVS VIGENERIVS in Steganographicis et ex eo ARTHVRVS THOMAS in Comm. ad Gallicam Verſionem vitae Apollonii, p. 703. g) Ad h. l. p. 130. not. 9.
h) ἡ γλῶττα τῶν ἀνδρῶν enim, quam in illo libro obſeruari ait, fuit ὥσπερ ἀπὸ ὀκτήτου διαιτωμένοις, vt ſcribit L. I. c. 17. Nempe praecipienti et legislatori ſimilis erat.
i) in Apollon. l. c. k) L. I. c. 3.
l) l. c. m) Origin. CP. p. 30.
n) L. VIII c. 19. Conſulendam hic commendat FABRICIVS l. c. FRANCISCI BLANCHINI Bibl. Ottobon. praefecti epiſtolam de Lapide Antiate, in qua agitur de villa Hadriani Auguſti in Antiati colonia ſita, oraculo fortunarum, ac templis in eo celebratis, libro Apollonii ibi dicato, et eiusdem affeclis eo confluentibus, nec non de ſignis celeberrimis ibi effoſſis, Apolline praeſertim Vaticano, et gladiatore Burgheſiano Romae 1698. Ait etiam SVIDAS, ſcripſiſſe Apollonium vitam Pythagorae, et de Pythagora ſcripſiſſe ait PORPHYRIVS: ex quo Pythagorae res enarraſſe eum, viſum IONSIO de S. H. P. L. III. c. 5. p. 230. conf. FABRIC. l. c. TILLEMONT. p. 216. Sed cum alii veterum taceant, videtur ſane SVIDAS ſcriptor inaccuratus, doctrinas Pythagorae cum eius vita confudiſſe.

Digitized by Google

piſſe videatur, adeo vbique Sophiſtae artem redolet. Nam et *hymnus in memoriam*, cuius a PHILOSTRATO [u] fit mentio, intercidit. Supereſt tamen *epiſtolarum* ab Apollonio ſcriptarum ſylloge, ab incerto auctore profecta. Eam enim, quam ſe inſtituiſſe ait PHILOSTRATVS [x], aliam, et ab iſta diuerſam fuiſſe, ex eo ſatis patet, quod deſiderentur in ea haud paucae, quas tamen vel ipſas adducit Philoſtratus, vel earum ſaltem mentionem iniicit earumque argumentum repraeſentat. Illas nouo lumine colluſtratas debemus diligentiae et eruditioni praeſtantiſſimi OLEARII, qui eſſe eas veras et genuinas nullus dubitat, cum characterem, placita, mores, indolem Apollonii luculenter ſpirent. Quod diſplicuit quidem eruditiſſimo Vigornienſium epiſcopo GVILIELMO LLOYDIO [y], qui putat, Philoſtratum, Sophiſta qui eſſet, neque ignoraret, quo ſtilo ad reges exarandae epiſtolae eſſent, ipſum eſſe auctorem epiſtolarum, quae ſub Apollonii nomine feruntur. Certe id ipſum, quod tam bene iis cum hiſtoria Apollonii a Philoſtrato ſcripta conueniat, magis ſuſpectas eas nobis reddere, et Philoſtratum ipſum, veritum, vt ſatis eſſet auctoritatis eis epiſtolis poſtquam ad eas prouocaſſet, ſubiungere, certiora ſe ex Damidis ephemeridis hauſiſſe. Recte vero his opponit Cl. OLEARIVS [z], vltimum tantum ad prolixiorem rerum Apollonii enarrationem, quas Laconica breuitate, tangunt modo, non explicant epiſtolae, reſpicere: eſſe etiam in ipſis epiſtolis profundiorem philoſophiam, quam quae in Philoſtratum competere videatur: neque vero ſimile eſſe, audacter adeo ad bibliothecam Hadriani Imperatoris apud Antiates, quae pluribus haut dubie patebat, prouocaturum fuiſſe, ſi ipſe harum epiſtolarum extitiſſet faber, facile ab eruditis hominibus reuincendus. Addimus his, non characterem tantum Apollonii, paedagogica ambitione facile ab aliis philoſophis ſe diſtinguentis, ex iis elucere, quem praepoſtere paſſim Philoſtratus expreſſit, vt aliquoties notauimus; ſed et philoſophiam talem eſſe, quae Apollonio conueniat, eiusque mentem luculenter exprimat. Vnde genuinas eſſe, minime dubitamus, et ad Apollonium recte referri putamus. Sunt enim breuiſſimae et notante ipſo PHILOSTRATO [a] Laconica dictione conciſae, et quaſi ex ſcytala profectae omnes, tales nempe, quales ſcribi par erat ab homine faſtu et ſuperbia alios omnes contemnente, et ex ſtulta Pythagorae imitatione auctoritatem plus quam regiam in ipſos etiam Imperatores et Principes ridiculo et puerili plane auſu affectante [b], adeo vt quaſi ex tripode praecepiſſe ipſe fateatur PHILOSTRATVS. Qui cum legislatoris inſtar haec adhibuiſſe Apollonium moneat, prodit ſe legislatoriam maieſtatem a ſcholaſtica non diſtinxiſſe.

u) L. I. c. 3. conf. OLEAR. ad PHIL. p. 180.
x) L. VII. c. 35.
y) In ep. de vita Pythag. ad Bentleium.
z) l. c. in addendis p. 956.
a) L. I. c. 17.
b) Hoc *ἐ ἐχὲ τῇ ἀνδρὸς* peculiaris, not. (h)

Fama et existimatio Apollonii.

§. XXII. Non apud omnes eadem fuisse existimatione Apollonium cum viuum, tum mortuum, ex dictis notum est. Nec mirandum, fanatici hominis et impostoris nomen atque suspicionem sibi eum contraxisse, cuius vita tam integra non fuit scelerisque pura, vt quidem iactarunt eius laudatores. Eluxit enim, praeter insanam prorsus superstitionem, quae omnes omnium regionum et gentium religiones nefando consilio in vnum systema conflabat, ex eo quoque intolerabilis fastus et puerilis quidem, ast grauis eo magis atque inaudita arrogantia, quae viris quoque principibus debitam reuerentiam non exhibuit, et non Domitianum tantum intueri dedignata est tyrannum, sed et Vespasiano Titoque bonis aequisque principibus, vt paedagogi solent pueris, ridicula quasi sub ferula praecepta dedit, immo, si Philostratum audias, leges tulit, et Principum Imperatorem se habendum esse contendit, immo Deum se coli non passus est tantum [f], sed misera quoque cauillatione defendit. Cuius summae superbiae et puerilis fastus in epistolis [g] tam luculentum specimen dedit, vt vel ex hoc vno loco, quam indignus Philosophi nomine et titulo Apollonius fuerit, pateat. Non contemtisse pecuniam, eo quidem specimine satis probauit, quod sacros templorum thesauros inuolauerit, quamquam eum felicem reputat, a quo pecuniam acceperit [h]. Adulationis eum egregie conuicit EVSEBIVS [i], et mendacem ob hoc vitium fuisse obseruauit, qui, in quem tam grauiter ante fuisset inuectus, nunc eidem turpissime adularetur, Domitiano, simulans ac si non contra ipsum vllo modo, sed pro ipso potius faciant, quos in Ionia ipse de fatis atque necessitate mouerat sermones. Non afferamus, quae Euphrates de eo sinistra retulit, quem inimicitias graues cum Apollonio gessisse, vbique clamat Philostratus, licet tam malae notae Philosophum non fuisse, quam ille depingit, infra sit demonstrandum. Vnus nobis LVCIANVS [k] sufficit, qui Apollonium scholae nequissimorum impostorum principem nobis sistere, non erubuit, et eorum ducem fuisse indicauit, *qui magiam et diuinas incantationes profitentur, tum illectamenta ad conciliandam in amoribus gratiam, malorum immissiones in hostes, rationem eruendi reperiendique thesauros, haereditatum successiones.* Talis licet fuerit multis, qui nasum habebant, visus Apollonius, apud maiorem tamen hominum partem insanum in modum excreuit eius auctoritas et existimatio, adeo vt viuus adhuc a multis pro numine quodam, vti in antecedentibus dictum, haberetur, et coleretur. Multo vero magis factum illud est, postquam incerto et obscuro mortis genere [l] viuis fuit sublatus, et quod ipse de se disseminauerat Indorum Sophorum vaticinium, morte non occubiturum, fidem inuenit. Tyanenses enim, ciuis sui gloria intumescentes ei templum dedicarunt, et imago eius suspensa, et non locus ille tantum sacer habitus, sed tota inde Tyanensium vrbs eo priuilegio gauisa, et ab

f) L. IV. c. 10. L. VII. c. 10.
g) Ep. 43. p. 395.
h) Ep. 42.
i) c. 43.
k) l. c.

Digitized by Goog

et ab imperatoribus αὐτονομίας iuribus aucta [a], vnde etiam legatis imperatoribus obnoxia non fuit. Ex quo patet, imperatores Tyanam ob Apollonium eodem iure gaudere voluiſſe, quo vrbes νεωκόροι, quae in honorem imperatorum templa haberent inſtructa, et ſacra ſolennia obirent, gaudebant. Quae Apollonii exiſtimatio non tantum ita creuit, vt imperatores quoque eum pro numine haberent, ſed et Tyanenſibus ſaluti eſſet. Qua de re memorabile eſt, quod narrat VOPISCVS [b] hunc in modum: *Fertur, Aurelianum de Tyanae ciuitatis euerſione vera dixiſſe, vera cogitaſſe: verum Apollonium Tyanaeum celeberrimae famae auctoritatisque ſapientem, veterem Philoſophum, amicum verum, Deorum ipſorum etiam pro numine frequentandum, recipienti ſe in tentorium ea forma, qua videtur, ſubito adſtitiſſe; atque haec latine, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixiſſe: Aureliane, ſi vis vincere, nihil eſt, quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, ſi vis imperare, a cruore innocentium abſtine. Aureliane, clementer te age, ſi vis vincere. Norat vultum Philoſophi venerabilis Aurelianus, atque in multis viderat templis eius imaginem. Denique ſtatim attonitus, et imaginem, et ſtatuas, et templum eidem promiſit, atque in meliorem rediit mentem.* Addit his porro, vnde de exiſtimatione Apollonii eo tempore iudicari poteſt: *Haec ego a grauibus viris comperi, et in Vlpiae bibliothecae libris relegi, et pro maieſtate Apollonii magis credidi. Quid enim illo viro ſanctius? venerabilius? antiquius? diuiniusque inter homines fuit? ille mortuis reddidit vitam, ille multa vltra homines et fecit et dixit, quae qui velit noſſe, Graecos legat libros, qui de eius vita ſcripti ſunt. Ipſe autem [c] ſi vita ſuppetat, atque ipſius viri fauori vſquequaque placuerit, breuiter ſaltem tanti viri facta in literas mittam, non, quod illius viri geſta munere mei ſermonis indigeant, ſed vt ea, quae miranda ſunt, omnium voce praedicentur.* Ex quo memorabili loco liquet, non templis tantum, ſtatuis, imaginibus, aliisque cultus diuini honoribus Apollonii memoriam fuiſſe honoratam, ſed habitum quoque fuiſſe talem, qui peculiari ſuo fauore homines iuuaret, et tutelarem quaſi ſe praeberet daemonem. Quod in Chriſtianorum potiſſimum factum eſſe opprobrium dictante inuidia, veriſimile eſt valde. Cum vero tanta gratia vſa ſit apud imperatores Apollonii memoria, mirum non eſt, populum tantam auctoritatem fuiſſe ſecutum. Nam et Hadrianus imperator tantopere eum venerabatur, vt non ſine magnis ſumtibus praeter librum eius de Pythagorica diſciplina, omnes eius, quotquot nanciſci poterat (omnes enim ad eum non peruenerunt) epiſtolas colligeret, et Antii bibliothecae inſereret [d]. Maiora molitus eſt Antoninus Caracalla, qui templum ei tanquam daemoni inter homines dicauit, teſte DIONE [e]. Sed et Alexander Seuerus in lararío ſuo, in quo animas ſanctiores ſeruabat,

a) PHILOSTRATVS L. I. c. 5. L. VIII. c. 29. p. 369.

b) In Aureliano c. 24.

c) Non tamen hoc executus eſt Vopiſcus, et vti nec Sidonii Apollinaris interpretatio vitae Apollonii ex Philoſtrato aetatem tulit: ita et Soterichus Oaſites, de quo SVIDAS, intercidit.

d) PHILOSTRAT. L. VIII. c. 20. p. 364.

e) L. LXXVII. p. 878.

Digitized by Google

bat, Apollonium, Chriſtum, Abraham et Orpheum et huiuscemodi Deos habebat, ad quorum effigies rem diuinam faciebat, vt auctor eſt LAMPRIDVS *f*. Quam de Apollonio opinionem plebs ſecuta inter diuinos eum viros frequens retulit, ac Apollonii nomen ad abigenda ſpectra et edenda mirabilia adhibuit *g*. Quod ſi LACTANTIO *h* fidendum eſſet, ſub Herculis Alexicaci ſimulacro, quod apud Epheſios conſtitutum fuit, venerata fuiſſet Apollonium liberatorem ſuum et auerruncatorem peſtis ea ciuitas: ſed eum perperam intellexiſſe PHILOSTRATVM, appoſite monuit OLEARIVS *i*. Addi his poteſt iudicium ſcholae eclecticae de Apollonio, ex Eunapio ſupra relatum, quod eum dei inter homines peregrinantis honore tituloue mactauit. Alia, ne nimii ſimus, praeterimus, videnda apud Cel. MOSHEMIVM *k*.

Doctrina Apollonii.

§. XXIII. Enarrata vitae Apollonii hiſtoria paucis etiam de philoſophicis eius doctrinis dicendum eſt: ipſum enim a mago ſe ita diſtinxiſſe, vt ſe philoſophiae cognitione ea ſcire diceret, quae magi et praeſtigiatores fruſtra affectarent, ſupra docuimus. Elegiſſe vero Apollonium Pythagoream philoſophiam, toties ipſum non confitentem tantum, ſed et gloriantem audiuimus, hoc vt vltra demonſtrare plane ſuperfluum ſit. Nam non tota tantum vita eius κακοζηλίαν Pythagoricam prodit, ſed et ipſa miracula et τὸ τερατῶδες quod affectauit, quodque characteris inſtar in hac ſecta notauere veteres. Pleraque etiam, quae edidiſſe dicitur miracula, nituntur placitis Pythagoricis de migratione animarum, de poteſtate ſapientis in elementa, de natura et colligatione fatorum ineuitabili, de ordine, conditione et natura daemonum, et quae his ſunt ſimilia *l*. Ex Pythagorico itaque ſyſtemate, quae ei dogmata placuerint, facili coniectura intelligi poteſt, nec opus eſt prolixo de Apollonii philoſophia Commentario. Quoniam tamen ſi non ſolus, certe celeberrimus et famoſiſſimus eorum eſt, qui poſt C. N. Pythagoricam philoſophiam reuocarunt, paucas ex eius epiſtolis aſſertiones, adhibito iudicio et examine, huc transferemus, vt qua ratione Pythagorice philoſophatus ſit impoſtor maximus, quaeue fuerit huius philoſophiae tum temporis facies, pateſcat.

I. Philoſopho cum philoſophis amicitia eſt, cum Sophiſtis vero et Grammatiſtis et his ſimilibus non item *m*. Ita ad Euphratem, quem hoc nomine pungit, quod quaeſtus cauſſa philoſophiae inuigilaret. Improbaſſe

f) In Alex. Seu. c. 29.

g) EVSEB. l. c. *h*) L. V. c. 3.

i) Ad PHIL. L. VIII. c. 7. f. 9. n. 13.

k) Diſſ. de varia exiſtimatione Apollonii: quae extat in eius obſeru. hiſt. crit.

l) Maxime hoc demonſtrauit in apologia PHILOSTRAT. L. VIII. c. 4. f. 4. ſqq. 332. ſeqq. modo Apollonii ſit. Nam non ſolum ibi ſe comam alere more Pythagoreo ait, ſed et ſcire ſe, in quas anima ſua migrauerit; eſſe hominibus cum Diis cognationem, ex qua Dii et ipſi euadant, qui boni ſint, vt Deus bonus eſt. Cibis vilibus ſeruari ſenſus integros, vt tanquam in ſpeculo futura videant, vt praeſentia, Deum incruentis honorandum eſſe ſacrificiis, reuocari per iyugas poſſe animas defunctorum, fata eſſe immutabilia et generoſo animo excipienda etc. Talia multa in hac apologia offendet lector attentus.

m) Ep. I. p. 385.

Digitized by Google

baſſe vero non ſophiſticam tantum profeſſionem, ſed et ſcribendi genus notat PHILOSTRATVS [t], qui cum ita ipſe, qui ſophiſta erat, inter homines κακοδαίμονας referretur ab Apollonio, mirum eſt, quod tam impenſo labore eius coluerit memoriam.

II. Natura, inſtitutione, poſſeſſione, vſu virtus acquiritur [u]: cuius quidem gratia omnia amplectenda [x]. Aut igitur a ſophiſtica abſtinendum, aut gratis illa cum omnibus communicanda: curandi affectus, neque inuidendum aliis, qui vere philoſophantur.

III. Veritatis cauſſa philoſophandum [y].

IV. Philoſophus (qualis Apollonius fuit) omne balneum deuitat, extra domum nunquam prodit, pedesque ſuos tuetur impollutos. Nunquam aliquod membrum corporis mouere conſpicitur, ſemper ſcilicet anima eius in motu eſt: nutrit in capite comam: veſtem geſtat lineam, et quicquid eſt hominibus in ſacris puriſſimum: diuinatione vtitur: et corporis aegritudines tollit, et affectus ſedat: comedit ſolus, pauca loquitur, et de paucis: ab omnibus carnibus abſtinet, et omnibus animalibus, ſcilicet eo, quod homo ſit [z]. Deſcribere ita Apollonium philoſophum Pythagoreum, ex collatione eorum, quae ſuo loco de ſcholae Italicae inſtitutis et diſciplina dicta ſunt, facile intelligitur: miſcet tamen more Stoicorum παραδόξα quaedam: e. g. non mouere membra, nempe motu rationali et ſpirituali; comedere ſolum, quia reliqui vorant; pauca loqui, nempe tacere poſſe.

V. Paucis opus eſt philoſopho, vnde par eſt, vt ne de pluribus, quam neceſſariis, ſibi proſpiciat, deque iis conquirendis ſollicitus ſit, tum alio modo quocunque, tum eo, qui cum aliqua turpitudine ſit coniunctus. Id tamen cum factum ſemel, proximum eſt conſilium, magno ſtudio partem elargiri facultatum patriae et amicis [a].

VI. Philoſophus idem eſt ac liber [b]. Sapit hoc quoque παραδοξολογίαν Stoicam, quam ob Euphratem in his Stoico more verſantem, ſectatus fuiſſe videtur.

VII. Turpiſſimum eſt, diuitiarum ſtudio nos peregre agere videri, maxime cum ſint homines, qui vt memoriam poſt ſe relinquant, easdem contemnunt, licet nullo virtutis amore ducti [c]. Nec philoſophus, mercedem pro philoſophia accipiet, etiamſi indigeat [d]. Paſſim in hunc ſenſum differit, et Euphratem mercede docentem pungit, ipſe, vt ſupra vidimus, a pecuniae amore non alienus.

VIII. Pulcrum eſt omnem terram patriam cenſere, omnes homines fratres et amicos, cum Dei genus ſint, eiusdemque naturae; cum item affectuum omni modo atque omnibus eadem ſit communitas, quocunque loco et quacunque conditione quis degat, ſiue barbarus, ſiue Graecus ſit, aut alius homo [e].

IX. Nulla

t) L. III. c. 19.
u) Ep. II.
x) Epiſt. XXVIII. p. 392.
y) Ep. IX. p. 389.
z) Ep. VIII. p. 387.
a) Ep. XXXV. p. 374.
b) Ep. IV. p. 386.
c) Ep. XLII. p. 395.
d) Ep. XLIV. p. 395.

IX. Nulla ſapientia vinci poteſt cognationis affectus, omnisque res id, quod cognatum eſt, ſibi ad ſe trahit.

X. Rerum omnium philoſophia eſt praeſtantiſſima.

XI. A viro Pythagoreo accipies iſta et tanta: artem condendi leges, geometriam, aſtronomiam, arithmeticam, harmonicam, muſicam, medicinam, vniuerſam diuinam diuinationem (id eſt theurgiam, goëtiae oppoſitam [w]). Et quae pulchriora adhuc, animi magnitudinem, grauitatem, conſtantiam, bonam famam, cognitionem Deorum non opinionem, ſcientiam daemonum certam, non credulum aſſenſum, amicitiam vtrorumque, ſuis vt ſit contentus, aſſiduitatem, frugalitatem, facilitatem rerum neceſſariarum, integritatem, agilitatem, reſpirationem facilem, colorem conuenientem, ſanitatem, tranquillitatem, immortalitatem [x].

XII. Magus Deorum miniſter eſt; aut indole qui ſit diuina. Qui vero non magus, ille atheus [y].

XIII. Verum dixit Heraclitus phyſicus, hominem natura irrationalem eſſe. Merito itaque omni illi facies prae pudore tegenda, qui ſtulta opinione intumeſcit [z]. Recte hanc ſententiam tribui Heraclito ex veterum teſtimoniis et ſyſtemate eius phyſico *tomo primo* [a] illuſtrato patet. Rationalis enim ſecundum Heraclitum anima extrinſecus homini aduenit. Eſſe vero Pythagorea et Heraclitea proxima inter ſe cognatione iuncta, eodem loco diximus. Hincque ratio explicanda, qui pudore et ſtultitia hominem opinione intumeſcentem hic oneret Apollonius, ipſe inſana de ſe opinione nimium elatus, vt vel ex his epiſtolis luculentum eſt [b]. Accepiſſe ſe enim hanc ſapientiam a Deo, et cognatione diuini ſpiritus in eum deſcendentis putabat, vnde ſe diuinum praedicare, fratribusque grauem dicam ſcribere non erubuit, quod non ipſi quoque de fratre tam magnifice ſentirent.

XIV. Vis animi a prudentia non ſeparanda, ſed vtraque coniungenda; ſemper enim alterum alterius indiget, vt viſus lumine, et lumen viſu [c].

XV. Anima ſemper in motu eſt [d]. Etiam hoc a Pythagora accepit, cui animus eſt numerus ſe ipſum mouens.

XVI. Nulla res interit, niſi in ſpeciem, quemadmodum nec gignitur quicquam, niſi ſpecie.

XVII. Vbi aliquid ex ſtatu eſſentiae in naturae ſtatum tranſit, id generatio videtur: mors contra, vbi ex ſtatu naturae ad ſtatum eſſentiae redit.

XVIII. Interea vere nihil quidquam generatur, aut corrumpitur, ſed tantum conſpicuum fit modo, modo conſpectui ſubducitur rurſum, illud quidem propter materiae craſſitiem, hoc vero propter eſſentiae tenuitatem.

XIX. Eſſentia ſemper eadem, motu tantum et quiete differt. Illud enim

w) Conf. PHILOSTRAT. L. V. c. 12.
x) Epiſt. LII. p. 398.
y) Epiſt. XVII. p. 390. z) Ep. XVIII.
a) L. II. c. 12. Conf. CLEM. ALEX. Strom. L. V. p. 602. SEXT. EMPIRIC. adu. math. L. VII. ſ. 126.
b) Ep. XLIV. p. 395. c) Ep. XX. p. 391.
d) Epiſt. VIII. p. 387.

Digitized by Google

enim proprium neceſſario mutationis, quae extrinſecus non aduenit, ſed qua totum in partes mutatur: partes autem in totum reuertuntur, dum omne, quicquid eorum eſt, coniungitur.

XX. Plenum quod eſt, id viſibile fit propter craſſitiei renitentiam, inuiſibile autem fit, ſi vacuum quaſi fiat raritate ſua: materia, quae vi quadam detinetur, ex continente eam vaſe aeterno, quod nec ortum habet, nec interitum, diffluente.

XXI. Rerum viſibilium modus nullus ſingulorum eſt indiuiduorum, ſed vnius omnis modus eſt rei ſingularis.

XXII. Rem illam primae eſſentiae nomine recte quis vocauerit. Quae ſane ſola efficit et patitur, et fit omnia in omnibus, Deus aeternus: nominum tantum et repraeſentationum varietate nomen amittens, iniuſte licet.

XXIII. Homine itaque moriente, Deus fit ex homine, modo mutato, non ipſa natura et eſſentia. Mors itaque non dolenda, ſed colenda et reuerenda eſt. Deo itaque relinquendus is, qui iſtuc peruenit. Luculentum hoc phyſiologiae Apollonianae compendium eſt, quod ipſis eius verbis ex epiſtola conſolatoria ad Valerium c) expreſſimus, quodque, cum ſubtilitate Philoſtrati ingenium ſuperet, argumento eſt, non ab hoc illi ſuppoſitum, ſed ab ipſo profectum eſſe Apollonio. Apertum vero ex delineatione ſyſtematis Pythagorei et Heracliti, quam ſuo loco exhibuimus, ſequi hic Apollonium Pythagorae quidem placita, ſed eo modo, vt ex Hippaſi ſchola in ſuam ſectam tranſtulit Heraclitus, cuius philoſophiam valde probatam fuiſſe Apollonio, modo vidimus. Quod vt planum faciamus, ſupponit quidem Apollonius, ἰδέαν rerum eſſe aeternam et immutabilem, qua ratione ideas Plato, numeros definiuit, rerumque eſſe eſſentias dixit Pythagoras, ſed in materia ita latere putat, vt hanc vnam conſtituere eſſentiam vel ſubſtantiam ſtatuat, quae nec principii, nec finis vnquam particeps ſit, et vna omnia efficiat pariter atque patiatur, quaeque cum particulis minimis vehementiſſime inter ſe commotis ſemper et agitatis conſtet, condenſata atque coarctata rerum omnium ſpecies producat ſenſibiles et viſibiles, rareſacta autem et quaſi euacuata, reſolutaque iſta compagine prioris coagmentationis naturam amittat, et fiat inde inuiſibilis, ſpeciebus iſtis euaneſcentibus, licet iſtae materiae vniuerſalis ſiue eſſentiae particulae immutabiles maneant. Status itaque eſſentiae eſt, fons quali et ſubiectum naturarum, ſiue eſſentia illa vniuerſalis, immutabilis, aeterna, diuina, ex qua omnia formantur; ſtatus naturae vero viſibilis ſpecierum formarumque apparatus, vbi ita materia compingitur, vt certa forma fiat viſibilis; quae vbi ita coniungitur, generari res, vbi reſoluitur, mori dicitur. Ex quibus patet, non ſecutum fuiſſe Apollonium genuinum ſyſtema Pythagoreum, quod aeternas eſſentias ideaſue ac numeros per ſe exiſtentes ſupponit, et materiae opponit, vt quidem vult doctiſſi-

c) Epiſt. LVIII. p. 401.

ctiſſimus OLEARIVS *f*, et nos eodem fere modo olim *g*) Apollonii phyſiologiam explicuimus; ſed acceſſiſſe Semi-Pythagoreis, quique ex eorum ſchola prodiit, Heraclito, qui vnam tantum rerum omnium eſſentiam, ignem nempe diuinum in generatione rerum varie coarctatum et ita quaſi compactum, vt viſibilis fieret, ſtatuerunt. Cuius non luculentior dari ratio poteſt, quam quae ab ipſo Apollonio affertur, *πάθος ἐδὲν τῶν φαινομένων περὶ ἕκαστον ἐδὲν εἶναι, ἀλλὰ μᾶλλον περὶ ἓν ἑκαστά, affectiones atque paſſiones* (recentiores barbare modificationes vocant,) *non conſtituere rēs ſiue eſſentias ſingulares, ſed rem vnamquamque ex vno modum hunc accipere, quem prae ſe fert.* Vnde hanc vniuerſalem materiam non tantum eſſentiae primae nomine notat, ſed et ei proprietates atque affectiones omnes tribuit, quae eſſentiis tribuebantur in Pythagorae ſchola, eamque non patibilem tantum cauſſam, ſed efficientem quoque eſſe, innuit. Ex quibus ſequitur, vnam tantum eſſe rerum eſſentiam (naturam enim, *τῶν φαινομένων* eſſe putabat,) eamque ſe ipſam formare, modos formasque ipſi imprimere, in res omnes alteratione, non vero mutatione ſua, transfigurari, coëuntem fieri viſibilem, extenuatam et reſolutam inuiſibilem reddi. Hanc itaque vnam tantum ſubſtantiam dari in mundo, hanc Deum eſſe ipſum, in hanc omnia redire, hanc aeternam et immutabilem eſſe. Deum itaque eſſe omnia, variis modis indutum, licet, iniuſte tamen, nomen amittat. Vniuerſae itaque naturae vnam eſſe vnius eſſentiae cognationem, pendere ex ſe omnia, reuocari omnia eandem ad eſſentiam, et ſic reuera hominem et viuum et mortuum Deum eſſe. Vidit iam acutiſſimus OLEARIVS *g*, haec Spinoziſmo valde fauere, qui vnam tantum ſubſtantiam, variis modis affectam, nobis geometrico ordine primus exhibuit, anteceſſores tamen habuit multos. Et vt verum fateamur, non videmus, qua ratione ab hac impietate liber queat pronuntiari Apollonius, qui res omnino omnes ad vnam refert eſſentiam, et non emanatione (quod theoſophici volunt, in hanc claſſem minus accurate ab Oleario relati) ſed modificatione tantum extrinſeca, differre inter ſe res viſibiles, principium item agens et patiens vnum idemque eſſe, ſtatuit. Qua in re multo audacior et impudentior eſt Apollonius philoſophis reliquis omnibus, qui in hoc haeſerunt luto. Illi enim dicis gratia, et vt puluerem hominibus incautis obiicerent, Deum ab iſta materia vniuerſali verbo nomineque diſtinxerunt; hic vero indignatur et improbat, aliter res omnes vocari, quam Deum, cum reuera omnia Deus vnus ſint. Quae cum atheiſmum apertum exhibeant, nouo nos docent ſpecimine, impudentiſſimam impietatem, abiectiſſimae tamen ſuperſtitionis poſſe eſſe fundamentum et materiam. Ita enim dum omnia non mutantur tantum in Deum, ſed ipſe Deus ſunt, coli etiam, virtutesque rerum naturalium, cognita

f) Ad h. l. qui tamen Spinozae vnam poſtea ſubſtantiam in his agnoſcit.

g) In Germanico Hiſt phil. op. T. III. p. 332. ſeqq. licet iam tum monuerimus, Heraclitea melius Apollonii *φιλοσοφούμενα* conuenire quam Platonica.

g) loc. cit. not. 11. p. 402.

D by Google

cognita semel ratione vniuersalis cognationis elici possunt. Non tacebimus tamen, quae huic potissimum explicationi systematis Apollonii obiici possunt: Affert nempe EVSEBIVS [a] fragmentum operis Apollonii de sacrificiis, vbi ita de colendo summo numine praecipit: *Equidem sic existimo, iustis eum verisque religionis officiis numen colere, sibique per sese propitium illud ac secundum prae caeteris hominibus habere posse, si Deo quidem illi, quem principem diximus, quique et vnus est, et longo a reliquis interuallo seiunctus, secundum quem vtique caeteros cognosci necesse est, nihil unquam sacrificarit, ignem non accenderit, nec eorum quae sensibus usurpantur, quicquam plane consecrarit; vtpote qui rei nullius indigeat, non modo nostrae, sed nec eorum etiam, a quibus plurimum naturae dignitate superamur: cumque adeo nihil sit eorum, quae a terra vel aëre quoquo modo procreentur, animalque nullum ab eodem nutritum, quod, si tanti naturam numinis attendamus, non labis genus aliquod videatur, sed tantum excellentem illam ac praestantem orationem ei semper obtulerit, quae nequaquam in ore profertur, atque ab eo, qui rerum omnium est optimus, eo quod similiter in nobis est optimum, interprete, bona postularit. Illud autem mens est, quae nullius operam instrumenti desiderat.* Hactenus Apollonius, cuius verba systemati emanatiuo magis, quam Spinoziftico, fauere non negamus, cum eodem prorsus modo diuinum systema ordinet, quo IAMBLICHVS et eclectici, sed et Deum primum summumque ab omnibus reliquis daemonibus, multoque magis a rebus corporalibus longo interuallo separet. Etsi vero vna responsione defungi licet, dubitando de fide et γνησιότητι huius fragmenti, non tamen eo deuenire opus putamus esse, cum supra exhibita cum his queant inter se conciliari, modo ad genuinam rationem systematis Semi-Pythagoraei attendatur. Statuit enim illud, in centro vniuersitatis latere istam essentiam vniuersalem primamque, nempe ignem illum mundanum, quo nomine Hippasus et Heraclitus eam appellarunt, exque centro ad peripheriam se extendendo, res quidem omnes in ea modificari, ipsam tamen in extrema tandem sphaerae mundi parte, lucidius puriusque residere; vnde quo propiores sint ignis huius essentiaeue primae modificationes, quas vocant, atque πάθεις, eo diuiniores censendas esse, licet longo adhuc interuallo a primo ignis fonte purissimo remotae. Haec ratio fuit, cur daemonibus locum fecerit hoc systema, licet eandem naturam siue essentiam per vniuersum esse et modificari statuerent. A quo dogmate parum abierunt Stoici Pythagoreis et Heracliticis principiis vsi, vno hoc discrimine, quod agens et patiens, in signo magis rationis, quam re ipsa, distinguerent. Apollonius itaque, qui in epistola ad Valerium nudam systematis impii faciem detexit, in opere de sacrificiis, illud ad superstitionem cui adhaerebat, applicans, et scalam illam daemonum, vsque ad impenetrabilem Deitatis abyssum, quam schola Alexandrina iam tum erat commenta, adhibens, illum inaccessibi-

a) Praep. L. IV. c. 13. p. 150.

Digitized by Google

lem Deum, eſſentiam quidem illam primam eſſe ſtatuit, ſed in centro quaſi ſuo latentem, quae cum ipſa ſe eſſentiae ſuae modificatione rebus omnibus largiatur, his certe placari et ſacrificiis honorari non poteſt, quae tam pura et ſimplicia natura ſua eſſe nequeunt, quam ipſiſſima eſt: cui, quae apud ipſum ſunt, modificationes proximae, ſpeciem eſſentiarum ſingularum prae ſe ferentes, daemones ſunt, colendi et placandi ſacrificiis, quae propius naturam eorum accedunt. In epiſtola itaque adducta metaphyſice locutus eſt Apollonius, in fragmento theologice, quae poſteriora non obſtant, quo minus inter impietatis patronos et Spinozae anteſignanos numerandus ſit Apollonius, licet, neſcio qua felicitate, hactenus apud omnes, qui atheiſmi hiſtoriam ſcripſere, hanc notam effugerit, solo acutiſſimo Oleario hanc Apollonii maculam perſpiciente. Ex dictis, ſequentibus etiam lux affulgebit, patebitque non ſine ratione graui vtramque ſyſtematis huius interpretationem nos in concordiam redegiſſe. Ita enim porro ad Valerium praecipit:

XXIV. Et ordo quidam rebus ineſt, eique Deus praeſidet, ſapiens itaque bona ſibi ipſe non eliget, quae ſibi evenient autem, ea ſibi vtilia exiſtimabit. Sana haec videri, qualia et Stoici et Pythagorei praeceperunt, negari nequit: ſed ad illud, quod in antecedentibus diſerte tradidit, ſyſtema applicata, peſſimum fundunt ſenſum. Nihil enim aliud eſſe poteſt ille ordo, quam σῦρα τῶν παθῶν, ſiue ordo, conſecutio et concatenatio iſtarum vnius vniuerſalis eſſentiae modificationum, quae in ipſo eſſentiae intimo incipiunt centro, et neceſſaria ratione, vt circuli aquae a lapillo motae ſe dilatant, et inuicem conſequuntur. Quibus cum illa vniuerſalis eſſentia vera cauſſa agensque ſit, eaeque ab illa proficiſcantur, praeeſſe illis non incommode dicitur, ſed bene eueniunt vniuerſali illi ſubſtantiae, quaecunque ita ex ſuo centro modificationes exſurgunt. Qua ratione Spinoza quoque ordinem, conſilium et prouidentiam agnouit.

XXV. Ordo hic fatorumque vis mutari prorſus nequit adeo, vt ſi imperium alicui decreuerint, quod alter modo teneat, illumque hicce interficiat, ne exuatur imperio, interemtus ſit rediturus, quo fatorum ſatisfiat decretis [i]. Sequitur haec fatorum conditio ex ſyſtemate ſemel admiſſo, vbi non externa quidem neceſſitate, cum nihil, praeter hoc vnum ſit, interna tamen naturae ſuae omni libertate ſpoliatae indole, modificationes ſe mutuo conſequuntur, exque iis effectus exoriuntur. Qua ratione Stoici quoque doctrinam de fato ex iisdem, quibus Apollonius, hauſere fontibus. Quod itaque de illis dictum, etiam de Apollonio dicendum et fatalis philoſophia exſecranda eſt.

XXVI. Immutabilem hanc fatorum ſeriem qui cognoſcit et inſpicit, ille de futuris diuinandi peritus eſt. Vatidicam facultatem vere ſapientium hoc fundamento niti contendit Apollonius, mentemque puram, et veſtem

i) Ita fuſius haec explicantur in apologia L. VIII. c. 7. f. 16. p. 358.

Digitized by Google

ſtem puram victumque tenuem requiri contendebat, qua de re copioſe differit in Apologia ad Domitianum [k].

XXVII. Quod eſt, non perit, vt quod per hoc ipſum ſit, quod ſine fine ſit extiturum: vel certe ſtatuendum erit, ex nihilo etiam aliquid fieri poſſe. Quomodo autem fiat, cum nunquam aliquid in nihilum abeat [l]?

XXVIII. Quamdiu hic viuimus, punimur [m]. Pythagoreum et Platonicum hoc eſſe, corpus carcerem eſſe animae, ſupponens, quilibet videt. Non abludit tamen a ſenſu Spinoziſtico, quem ſupra expreſſit Apollonius. Nam licet diuinae eſſentiae modificationem accipiat homo, contracta tamen et condenſata quaſi eſſentia prima, deitatis naturam nomenque amittit, ſibique quaſi eripitur; et ita multis mutationibus ſit obnoxius, ex quibus calamitates haud exiguae oriuntur. Quousque itaque homo hoc τρόπῳ modoque affectus in hac vita eſt, eousque carceri eſt incluſus, ſolutus corpore, vt habet alibi [n], niſi veſtiatur denuo, extemplo ſit aliis hominibus melior.

XXIX. Si ars medica diuiniſſima, cum corpore etiam animae cura habenda eſt; alias animal ſanum non erit, quod parte quidem ſui meliore aegrotet [o].

XXX. Dii victimis non indigent: is ergo faciens gratiam eorum inierit, qui animum recte inſtitutum poſſideat, et hominibus, id qui mereantur, quantum poſſit benefaciat; haec Diis cara ſunt, illas vero athei quoque obtulerint [p].

XXXI. Abſtinendum ab omnibus ſacrificiis cruentis, propter cognationem [q].

XXXII. Naturale eſt, vt quaeuis res conſummata denique tranſeat, hocque ipſum rebus omnibus ſenectam inducit, poſt quam non ſubſiſtere poſſunt amplius [r].

XXXIII. Diuitiae moleſtiam vitae inducunt, et angores pariunt, cur itaque homines euadunt diuites [s]?

XXXIV. Decet pauperem eſſe, vt virum fortem, diteſcere vero, vt humanae ſortis memorem [t].

XXXV. Loquacitas multa habet praecipitia, at tutum eſt, tacere [u].

XXXVI. Paucis contentus eſt ſapiens, non eo animo, vt vilibus ac exiguis vtatur ſemper, ſed animum aduerſus ea obfirmet [x].

XXXVII. Iracundiae flos eſt inſania, et niſi curetur ſaneturque, in morbum degenerat naturalem [y].

k) loc. cit. l) Epiſt. LVIII. p. 403.
m) Ep. XIII. p. 390.
n) Ep LVIII. p. 403. Ex his vero μετεμψύχωσις Apollonii explicanda, quae magis ad μετενσωμάτωσιν Stoicorum ſaluis his principiis redit. Magis tamen Pythagorice de illa locutus eſt, ad principia ſua non ſatis attentus, vel ſecum non vbique concors. Sequitur vero ex hac quoque theſi, metempſychoſin poenam eſſe homini.
o) Ep. XXIII. p. 391.
p) Ep. XXVI.
q) Prolixe hac de re in Apologia l. c.
r) Ep. LVII. p. 399.
s) Ep. VI. p. 386. t) Ep. XXII. p. 391.
u) Ep. LXXXII. p. 409. STOBAEVS Serm. CXXXIII. p. 393.
x) Ibid. Serm. XXXIX. p. 136.
y) Serm. XCVIII. p. 324.

Digitized by Google

XXXVIII. Non esse, nihil est, esse vero est aerumna. Lucem obscura sententia capit ex Θ. XXVIII. [y]

XXXIX. Pulchrum est, antequam ferenda sint mala, quanta res sit tranquilla patientia, discere [z].

XL. Quae aegre nobis faciunt, iis solatium ex aliorum malis quaerendum est [a].

XLI. Plerique mortalium propriorum criminum aduocatos, ab aliis commissorum accusatores se gerunt [b].

XLII. Breuis est vita homini, cui ex voto omnia succedunt, longa ei, qui fortuna vtitur parum fauente [c]. Potiores hae sunt philosophiae Apollonii sententiae, quarum vltimae fere omnes exotericae sunt. Plures quidem multo et ampliores dare possemus, si sermones, quos habuisse eum Philostratus refert, vellemus consulere, sed cum verisimile omnino sit, Philostratum eos vel finxisse totos, vel refinxisse tamen, vt ipse fatetur, ex parte, adeoque more sophistarum, argutam et sententiis tanquam stellulis indistinctam orationem affectantium, multa ex suis addidisse, ea omittimus. Pauca enim, quae adduximus, sufficiunt, vt nec magnum, nec pium fuisse philosophum Apollonium euincant, rationemque edoceant, quo potissimum modo superstitionem impietati iunxerit. Quae si imposturae, cuius iure conuictum deprehendimus, iungantur, ex diuino philosopho merito Philosophastrum facimus perditissimum.

Secundus Atheniensis.

§. XXIV. Iam ad reliquos, qui inter Pythagoreae doctrinae sectatores circa haec tempora inclaruerunt, philosophos properandum est, inter quos eminet SECVNDVS sophista et philosophus ATHENIENSIS, qui quod fabri lignarii filius esset, dictus est Epiurus, id est clauus ligneus [d]. Addit his SVIDAS [e], vocatum fuisse Plinium; verum aut ipsum Suidam, cuius supina oscitantia tot speciminibus nobis iam deprehensa est, aut glossatorem aliquem ineptum hunc Secundum cum Plinio Secundo confudisse, recte viris doctis obseruatum est. Inter Pythagoreos recentiores recte eum numerari, sententiae eius docent. Addunt alii, VINCENTIO BELLOVACENSI auctore [f], seruasse Secundum Pythagoreum silentium, non per quinquennium tantum, sed per totam vitam, quam Pythagoricis institutis conformem duxerit, ab eo inde tempore, quo mater eius pudicitiam ipsius tentauerat, repulsamque passa pudore et tristitia obierat. Alii ita narrant [g]: cum matre nesciente filium esse, commiscuisse, et illo facto

y) Ep. XC. p. 410.
z) STOBAEVS Serm. CCXXIV. p. 742.
a) Ibid. Serm. CCLXXVIII. p. 898.
b) Serm. CXVII. p. 371.
c) Serm. CXX. Modo hae sententiae non sint alterius Apollonii.
d) PHILOSTRAT. Vit. Sophist. L. I. c. 26. p. 544. seqq. SVIDAS in Secundus T. III. p. 295. In prioris loco pro ἐπίθετος legendum esse ἐπίουρος dudum viderc viri docti, quos ad haec loca nominant OLEARIVS et KVSTERVS atque FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. I. p. 502. Vol. XIII. p. 564.
e) l. c. KVSTER. OLEAR. FABRIC. II. cc. qui alios nominant hunc errorem secutos.
f) Spec. Histor. L. XI. c. 70. eandem fabulam ex vetustis membranis Aduers. L. XV. c. 17. inseruit C. BARTHIVS.
g) RAVIS. TEXTOR in Offic. p. 1320. Diogeniano auctore,

Digitized by Googl

cto cognito intuliſſe eam ſibi ſceleris horrore mortem, ipſum quoque cum inceſtus poenitentia tum dolore maternae mortis aeternum tacuiſſe, vt vlciſceretur vocem, qua in concubitu matri innotuiſſet [h]. Immo et hoc additur, Secundum fruſtra ab Hadriano imperatore, etiam mortis iniecto per ſpiculatorem metu ſollicitatum ad loquendum, tandem ad quaeſita eius ſcripto reſpondiſſe. Recte vero hanc fabulam reiecere viri docti, et ineptientis Graeculi ingenio deberi iudicarunt [i]. Nihil enim de ea habet PHILOSTRATVS [k], aetate illi propinquus: tacet etiam Suidas. Habuit Herodem Atticum, Sophiſtam celeberrimum, diſcipulum, ex quo mala lectione apud SVIDAM exſculptus eſt Herodotus [l]. Aemulatione tamen inter vtrumque, cum Herodes quoque iam alios inſtitueret, oborta, refriguit pauliſper amicitia, non tamen extincta eſt, mortuo enim et funebrem orationem habuit, et illacrymatus eſt, quamuis matura ſenecta vitam finiret [m]. Luxuriantem in inuentione, extitiſſe in elocutione caſtigatiſſimum ait PHILOSTRATVS [n], ex quo argutum et *βραχύλογον* fuiſſe liquet. Maxime vero eius fama nomenque inclaruit *ſententiis* ſiue reſponſionibus ad quaeſtiones ab Hadriano imperatore propoſitas, quas nominis confuſione quidam ad Plinium Secundum retulerunt [o]. Eas *ſpeculo hiſtoriali* inſeruit VINCENTIVS BELLOVACENSIS [p], ex quo alii multi repetitis vicibus ediderunt: Graece primus cum Demophili et Democratis ſententiis vulgauit LVCAS HOLSTENIVS [q], et poſt eum THOMAS GALEVS [r], diuerſorum vero codicum lectiones cum Gudiano contulit et integras exhibuit *ὁ πάνυ* FABRICIVS [s]. Et Secundi quidem nomen vbique prae ſe ferunt, titulo *altercationis Hadriani imperatoris et Secundi*, fatemur tamen, ſuſpectas has nobis eſſe ſententias, quod interpolationem paſſae ſint [t]. A Sophiſta tamen eſſe, argutum dicendi genus, quale multi tum temporis affectabant, et *τὸ αἰνιγματῶδες* ſectante, lectio earum prodit: quemadmodum Hadrianum cum philoſophis et ſophiſtis diſceptaſſe, veteres teſtantur [u]. Pythagoreum vero ſyſtema ſecutum fuiſſe earum auctorem, ex ſequentibus manifeſtum eſt aſſertionibus:

I. Mundus eſt incomprehenſibilis complexio, ſtructura mente contemplanda, altitudo oculis inacceſſa, ex ſe natum ſpectaculum, multiformis figuratio, aeternus tenor, almus aether, multipartitus ſpiritus, ſeptiuagus circuitus, ſol, lumen, dies, luna, ſtella, tenebrae, nox, terra, ignis, aqua, aër. Comprehendit enim haec definitio totum mundi, vel vniuerſi

h) Mſc. apud FABRIC. l. c. Vol. I. p. 502.
i) HOLSTEN. praef. ad Sentent.
k) loc. cit.
l) MEVRS. Lect. Attic. L. VIII. c. 19. KVSTER. loc. cit.
m) PHILOSTRAT. l. c. OLEAR. ad h. l.
n) ibid. o) Nominauit eos FABRIC. l. c.
p) loc. cit.
q) Rom. 1638. Lugd. Bat. 1639. 12.
r) Opuſc. mythol.
s) Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 565.
t) Saltem id de iis valet, quae Latine tantum leguntur.
u) Ita vero diſputauit, vt victoriam ei cederent docti viri, niſi de vita periclitari vellent, vid. DIO L. LXIX. AVR. VICTOR, XIPHILINVS, ALBIN. FLACCVS ep. 102. SPARTIANVS c. 16. Eiuſdem fere generis ferri altercationem Hadriani et Epicteti infra dicemus.

uerſi potius Pythagorei ambitum, qui et aethere diuino, et materia in multas partes figurata conſtat, et ex ſe natus id eſt interna Dei, aetherisue diuina virtute figuratus eſt, et circulos, elementa, tempus, verbo omnia, quae ſunt, licet non videantur, comprehendit.

II. Deus eſt bonum natiuum, multiformis imago, altitudo inuiſibilis, varie effigiata forma, quaeſtio intellectu difficilis, mens immortalis, ſpiritus omnia peruadens, peruigil oculus, propria omnium eſſentia, multinominis poteſtas, manus omnipotens, lumen, mens, poteſtas. Nihil in his, non Pythagoreum, Deum animam mundi omnia peruadentem et in omnes formas ſe transfundentem ſtatuens, ex qua omnia eſſentiam accipiunt. Haec vniuerſi ſiue mundi pars eſt, rerumque omnium, ſiue numerorum idearumque eſſentia, de qua et Pythagoras et Plato difficulter differendum eſſe faſſi ſunt.

III. Homo mens eſt induta carne, vas ſpirituale, ſenſile domicilium, breue habitaculum, anima ad labores nata, fortunae ludibrium, temporis cura, inſtrumentum offeum, vitae explorator, lucis deſertor, terrae creditum. Lapſum animae corpori poenae loco incluſae luculenter ſupponit et innuit.

IV. Terra eſt coeli baſis, ſpeculatio ſine fundo, radicatio aërea, gymnaſium vitae, lunae peruigilium, ſpectaculum viſu incomprehenſibile, imbrium nutrix, frugum mater, inferorum operculum, cuſtodia aeterna, ſpatium multarum ditionum, generatio et receptaculum omnium rerum.

V. Mors eſt ſomnus aeternus, reſolutio corporis, afflictorum deſiderium, receſſus ſpiritus, fuga et abdicatio vitae, diuitum timor, pauperum ſolamen, reſolutio membrorum, pater ſomni, verus terminus fixus, diſſolutio omnium.

Eiusdem fere commatis ſunt ſententiae et reſponſiones morales, quae affectatum Pythagoreiſmum ſapiunt, quas tamen, cum vbique occurrant legique poſſint, huc non transcribimus.

Nicomachus. §. XXV. NICOMACHVS, Geraſa [x] Coeleſyriae vel Arabiae oriundus, et ipſe Pythagoream doctrinam amplexus [y] eſt. Quo tempore vixe-

x) Duas nobis Geraſas memorant veteres, vnam Coeleſyriae, cuius meminit PTOLOMAEVS L. V. c. 15. et SVIDAS T. I. Geraſa p. 476. alteram Arabiae, cuius mentionem faciunt PTOLOMAEVS L. V. c. 17. add. VALESIVS ad Ammian. L. XIV. c. 8. Et ex Coeleſyria quidem Nicomachum oriundum volunt ABRAH. BERCKELIVS ad Steph. p. 296. et SAM. TENNVL. ad Iamblich. Intr. in Nicom. ex Arabia vero FABRICIVS Bibl. Gr. Vol IV. p. 2. not. a. Quorum tamen opiniones poſſunt conciliari, ſi cum HADR. RELANDO Palaeſt. L. III. p. 806. vnam tantum vrbem eſſe ſtatuamus, quae ab aliis in cava Syria collocatur, ab aliis in Arabia, iungiturque cum Philadelphia et inter Decapolitanas recenſetur, conf. I. G. GRAEVIVS Lect. Heſiod. c. 16.

y) Teſtantur id Porphyrius apud EVSEB. Hiſt. Eccl. L. VI. c. 19. PAPP. ALEX. Collect. Math. L. III. p. 19. MARINVS in vita Procli c. 28. IAMBLICHVS l. c. p. 3. PHOTIVS Cod. CLXXXVII. p. 237. Ex quibus Iamblichus ait: „Omnia cum tradidiſſe ad mentem Pytha„goreae, plurimumque feciſſe in mathematicis, „et in illis vſum eſſe expertiſſimis magiſtris, prae„terea mirabilem ordinem, theoriam et doctri„nam cum mirabili ſcientificorum principiorum „demonſtratione exacte tradidiſſe, rationemque „de illis nouiſſe reddere, docere theoremata ſin„cera et genuina, non infecta aliorum opinioni„bus, eſſe etiam varium et foecundum, ordina„tum et diſtinctum in numerorum ſpeciebus. In „cognitione quoque plurimum eſſe vniuerſalem „et acrem ad inueniendum etc.

Digitized by Google

vixerit, accurate definiri non poteſt, hoc tamen certum eſt, vixiſſe poſt Thraſyllum Platonicum, et ante Apuleium, adeoque inter Auguſti et Antoninorum tempora floruiſſe. Ipſe enim paſſim ad Thraſyllum prouocat [z], quem vixiſſe ſub Tiberio ſectione ſequenti dicemus: Apuleius autem, qui ſub Antoninis fuit, CASSIODORO [a] teſte, arithmeticam Nicomachi Latina veſte donauit. Addit his doctiſſimus FABRICIVS [b], videri Theone Smyrnaeo, qui Plutarcho fuit *σύγχρονος*, iuniorem, apud quem nulla fit Nicomachi mentio, ex quo poſt Neronis tempora vixiſſe coniici poteſt. Inclaruit vero admodum introductione in arithmeticam et enchiridio harmonico [c], quae duo ſcripta temporis iniuriae erepta, elegantem atque eruditam arithmeticae atque muſicae artis explicationem ſecundum Pythagorea principia nobis conſeruarunt. In priorem commentationem introductionem ſcripſit IAMBLICHVS, quam edidit SAMVEL TENNVLIVS [d]. Quo fato, optandum eſſet, vt licuiſſet vti theologumenis eius arithmeticis, ſiue libris duobus ſpeculationum de numeris ad varias res theologicas, phyſicas et morales applicatis, ex illis enim multam philoſophiam Pythagoream lucem fuiſſe foeneratam, ex libri compendio, quod PHOTIVS [e] affert, diſci poteſt. Quae enim hodie ſuperſunt theologumena arithmetica, incertum auctorem habent, et a Nicomachi labore differunt, qui aliquoties in iis laudatur, licet dubium non ſit, multa ex Nicomachi libris in ſua arua deriuauiſſe auctorem anonymum [f]. Non confundendus vero eſt cum aliis huius nominis veteribus memoratis [g]. Ex Nicomachi enim ſenioris ſchedis Apollonii Tyanenſis vitam ſcripſiſſe Taſcium Victorianum ex Philoſtrato delineatam, refert SIDONIVS APOLLINARIS [h], ex quo loco noſtrum Philoſtrato aetate inferiorem coniecit TENNVLIVS [i], qui tamen ipſe erroris ſe redarguit, referens [k], Apuleium Nicomachi introductionem Latinam feciſſe, qui Nicomachi interpres, Philoſtrato aetate prior fuit.

SECTIO

z) In Manuali harm. L. I. p. 24. 72.
a) De Arithmet. b) loc. cit.
c) Hiſtoriam literariam vtriusque libri erudite more ſuo enarrat FABRIC. l. c. conf. TENNVL. l. c. p. 65. G. I. VOSSIVS de ſcient. math. p. 37. 94.
d) Addito IOACH. CAMERARII ſuoque commentario Arnhemii 1668. 4. Aſclepii vero et Philoponi Commentationes adhuc in Mſc. deliteſcunt.
e) Cod. CLXXXVII. p. 237. conf. FABRIC. l. c. p. 9.
f) Nobile hoc theologiae Pythagoreae monumentum editum ſemel tantum Graece Paris. 1643. 4. et a MEVRSIO in Denario Pythagorico commentario illuſtratum: nouae vero eius editionis ſpem fecit FABRICIVS l. c. p 10. De auctore diſputatur. Nicomachi non eſſe, licet multa ex eo hauſta habeat liber, ex allato argumento manifeſtum. Qui ad Theonem referunt, coniecturae fidem non faciunt. THOMAS vero GALEVS ad IAMBLICH. de myſt. Aegypt. p. 201. non inepte ſuſpicatur, Iamblichum eorum auctorem eſſe. Certe cum inter decem, quos promiſerat, libros Pythagoricos, dare voluiſſe phyſicum, quoque ethicum et theologicum ex Comm. in Introd. in Nicomach. p. 167. 176. patet. Solenne quoque Iamblicho alios ante ſe exſcribere, vt in his theologumenis factum. Addimus his, paſſim in hac Introductione ea afferre Iamblichum, quae in theologumenis leguntur, ex parte quoque TENNVLIO notata, Ex inſcriptione Codicis Medicei hanc coniecturam firmat FABRICIVS l. c. p. 11.
g) Videndi SVIDAS in Nicomach. T. II. p. 624. MEVRSIVS ad Nicom. manuale harm. INNSIVS de S. H. P. L. III. c. 13. TENNVL. ad Iamblich. p. 65. FABRIC. Bibl. Gr. l. c.
h) L. VIII. ep. 3. conf. SIRMOND. h. l.
i) l. c. p. 64. k) p. 66.

SECTIO TERTIA.

DE PHILOSOPHIS PLATONICIS.

§. I.

Platonica ſecta emergens.

Pythagoreae, quam hactenus conſiderauimus, ſectae merito iungimus Platonicam, quae in vnum quaſi corpus coaluere. Et ſupra quidem, *ſectione prima*, docuimus, Academicam philoſophandi viam illam, quae Arceſila, et Carneade auctoribus a Platonis placitis prorſus defecit, et incertitudinem humanae cognitionis atque *ἀκαταληψίαν* vrgendo, modeſtiam philoſophandi, vltra exiguos probabilitatis gradus non progredientem vehementer commendauit, prae veteri Academia, genuinis Platonis doctrinis inhaerente Romanis placuiſſe, et a ſummis viris fuiſſe excultam, eo quod non tantum in tam ingenti ſectarum diuortio omnium maxime rationalem hanc philoſophandi rationem eſſe crederent, ſed forenſi eam quoque eloquentiae, quae viam ad honores et magiſtratus pandebat, egregie inſeruire putarent. Euiluit tamen Academicorum nomen atque ſecta ſub imperatoribus, partim quod odio et inuidia a reliquarum ſectarum philoſophis cumularetur, partim quod Sceptica philoſophia, quae depreſſa hactenus, caput tandem erigere, et ex puluere emergere coeperat, eam quaſi abſorberet, tolleretque e medio, quique Academice philoſophabantur, ſub Scepticorum nomine comprehenderentur, partim quod fori Romani facie ſub Caeſarum imperio tota mutata, eloquentia ad ſophiſtas migraſſet, quibus reliquarum ſectarum placita prae Academicae, inſeruiebant. Mirandum itaque non eſt, in tanto, quem imperatorum Romanorum tempora produxerunt, philoſophorum prouentu vnum fere Fauorinum, de quo in ſequentibus diſſeremus, inuentum eſſe, qui pro Academico philoſophandi modo verba fecerit, licet Platonicum ſe ſimulauerit. Qui tamen, ne prorſus inuidiae odioque philoſophorum ſe exponeret, ab Arceſilai non tantum, verum etiam a Carneadis rigore diſceſſit, et quod GALENVS [a] teſtatur, non tantum dari certas quasdam veritates, conceſſit, ſed et Pyrrhoniis, vt ait PHILOSTRATVS [b], in foro verſandi facultatem non denegauit. Effloreſcere e contrario coepit Platonis, per tot ſecula iam inter philoſophos venerabilis exiſtimatio, cuius eloquentia et differendi ratio cum ſophiſtas valde iuuaret, doctrina vero magnam rerum diuinarum humanarumque notitiam ſponderet, factum inde eſt, vt quae ab Academia quinta duce Antiocho ex ſepulchro quaſi reuocata eſt Academia vetus, et genuina philoſophandi ſecundum Platonis placita methodus, valde inſoleſceret et a magnae eruditionis viris reciperetur. Qui cum apud Auguſtos

a) De optima diſciplina T. I. p. 6. b) Vit. Sophiſt. p. 491.

Digitized by Google

ſtos Romae principes fauore multo gauderent, multum inde profecit ſecta Platonica. Acceſſit recepta circa haec tempora opinio, Platonicam philoſophiam eſſe filiam Pythagoricae, quae tanquam diuinior hoc tempore commendabatur, vt in antecedentibus dictum, et cum Platonica coniungebatur. Ex quo factum eſt, vt magna et illuſtri fama ſub imperatoribus haec ſecta florere inciperet, et nec numero philoſophantium, nec eruditione ſectatorum, nec fatis ſecundis et duratione cederet vlli. Id quod tum quidem maxime factum eſt, poſtquam Alexandrinorum philoſophorum, qui Platonicam ſe ſequi philoſophiam iactabant, aſt in omnium fere ſectarum et religionum concordiam, vel ſyncretiſmum potius coniurauerant, methodus in peculiarem atque ſingulari nomine a reliquis diſtinctam ſectam degenerarat, quae eclecticorum nomine, quamuis Pythagorico-Platonica eſſet, ſe efferebat. Nam hi quoque homines, qui vaccarum Aegyptiacarum inſtar reliquas ſectas tantum non omnes deuorarunt, Pythagoram Platonemque ſe ſequi ante alios dicebant, licet eorum ſyſtemata nefandi ſyncretiſmi conſilio miſere corriperent, id quod exeunte ſeculo poſt C. N. ſecundo vel ineunte tertio factum. Ordini itaque conſulentes, vsque ad eclecticae ſectae origines Platonicos conſiderabimus, ſequentem ſectionem eclecticorum hiſtoriae tribuentes. Eminuerunt vero inter Platonicos duorum fere ſeculorum ſpatio Thraſyllus, Theon Smyrnaeus, Alcinous, Fauorinus, Taurus Berytius, Apuleius Madaurenſis, Atticus, Numenius Apameenſis ac Maximus Tyrius.

§. II. Fuit THRASYLLVS Mendeſius, vixitque ſub imperatoribus Auguſto et Tiberio. Multarum artium ſcientiam profeſſus poſtremo ſe dediſſe Platonicae philoſophiae ac deinde matheſi dicitur Scholiaſtae IVVENALIS [c]. Qui vnde habeat, quod Thraſyllus fuerit Platonicus, fatetur GAVDENTIVS [d] ſe neſcire. Putat enim, veriſimile non eſſe, eum fuiſſe Platonicum, quandoquidem Platonici vix vacauerint Aſtrologiae, quam viſus ſit Plato in *Timaeo* damnare. Cum igitur absque controuerſia Chaldaicae diſciplinae fuerit doctor Thraſyllus, et quidem inſignis, veriſimile non eſſe, fuiſſe Platonicum. Sed opponimus dubitationibus Gaudentii PORPHYRIVM [e], qui inter praecipuos Platonicos a Plotino lectos Thraſyllum numerat. Falſumque eſt oppido, huius temporis Platonicos aſtrologiae pretium non ſtatuiſſe: quatenus nempe inter artes mathematicas, in quas magno ſtudio incumbebat Thraſyllus, referebatur, quo nomine a Chaldaeorum arte nullo fundamento, nullaque philoſophia nixa diſtinguebatur [f]. Emendatam enim et auctam fuiſſe circa haec tempora Platonicam diſciplinam Pythagorica, in antecedentibus monuimus, vnde, quae Pythagoreis in deliciis fuit, aſtrologia *Thraſyllus.*

c) Ad Satyr. VI. v. 576.

d) De phil. Rom. in addendis c. XIV. p. 383.

e) In vita Plotini c. 10. n. 9. p. 130. Bibl. Graec. FABRIC. Vol. IV. add. NICOMACH. enchir. harmon. p. 24. aliaque loca veterum laudata FABRICIO l. c. p. 2. not. c.

f) Conf. viri docti ad SVET. Tiber. c. 14.

Digitized by Google

Platonicis quoque non placere non potuit, cuius nobis fidem exemplo ſuo faciunt Theones; ſed et haud obſcure ex hoc hominum genere Thraſyllum fuiſſe, PORPHYRIVS [g] innuit, ſtudiumque circa Platonis libros id ſatis prodit. Commendauit haec aſtrologiae peritia Thraſyllum Tiberio, qui et antequam imperium eſſet adeptus, eum comitem aſciuit [h], eumque imperator tanquam mathematicum et ſapientiae profeſſorem contubernio admouit [i], et ad innocentium praeſidium eius monitis paruit [k], et huius artis, teſte TACITO [l], praecepta ab eo accepit. Patetque ex iis, quae de eo narrant veteres, Thraſyllum vel ipſi arti ſuae nimium ſiſum eſſe, vel ſtudio aſtrologicae ſcientiae praetextu ad deludendum crudelem imperatorem vſum fuiſſe [m]. Id quod tamen in exitium pene adduxiſſet Thraſyllum; affirmantem naue praeuiſa, gaudium afferri, cum quidem illum durius, et contra praedicta cadentibus rebus, vt falſum et ſecretorum temere conſcium praecipitare in mare deſtinaſſet Tiberius, teſte SVETONIO [n], niſi tum maxime certum fuiſſet expertus, quem, explorata ita eius peritia, ab eo tempore coepit magnifacere et familiaritate dignari. Neque tamen inſidias mortemque euitare potuit, imperatoris crudelitate interemtus [o]. Nobile vero nomen non ſcriptis tantum mathematicis, ad muſicam et aſtronomiam pertinentibus [p] ſibi comparauit, ſed et diſtributione dialogorum Platonis in tetralogias, quam etiam operam ſcriptis praeſtitit Democriti [q]: coniecit etiam IONSIVS [r], Platonis vitam alicubi enarraſſe. Fuere alii quoque Thraſylli [s], et in his Cynicus philoſophus, SENECAE et PLVTARCHO memoratus, qui cum Platonico confundi non debent.

Theon Smyrnaeus.

§. III. Thraſyllo in Platonicorum ſchola non inferior fuit THEON, vt ab aliis huius nominis [t] diſtinguatur, a patria SMYRNAEVS dictus, eoque etiam nomine ab Alexandrino Theone, de quo infra dicemus, diſtinguendus. Aetatem eius definire liquido, impoſſibile. Iuniorem eſſe Thraſyllo, inde euincitur, quod eum laudat; Ptolomaei autem, qui tum maxime inter mathematicos inclaruit, cum mentionem nullam fecerit, coniicitur inde, Theonem Ptolomaeo aetate fuiſſe ſuperiorem. Cum

g) loc. cit.
h) SVET. in Aug. c. 28.
i) IDEM in SVET. c. 14.
k) IDEM l. c. c. 62. vbi Thraſyllum conſulto differre quaedam crudelitatis ſpecimina, ſpe longioris vitae compuliſſe ait.
l) Annal. L. VI. c. 20.
m) SVETON. in Caio Calig. c. 19.
n) In Tib. c. 14. Conf. TACITVS l. c.
o) Dio ſiue XIPHILIN. L. LVII. p. 555. ſqq.
p) Conf. VOSSIVS de ſcient. mathem. c. XX. §. 9. p. 87. FABRICIVS l. c. Imprimis diuiſio muſici canonis ex mente Thraſylli notabilis, de qua vid. NICOMACH. l. c. THEON SMYRNAEVS muſ. c. 35. ſeqq. p. 137. ſeqq.
q) LAERT. L. III. ſ. 56. L. IX. ſ. 38. dictum hac de re Tom. I. L. II. c. 6. ſ. 1.
r) De Script. hiſt. phil. L. III. c. 3. p. 824.
s) Enumerant eos MEVRSIVS ad Nicom. p. 166. VOSSIVS de hiſt. Graec. L. IV. c. 16. IONSIVS et FABRICIVS ll. cc.
t) Octo nominat SVIDAS, in Theon. T. II. p. 182. inter quos tres fuere philoſophi Stoici. Addit ſex alios FABRIC. Bibl. Graec. Vol. IV. p. 452. Inter quos notus poëta maledicentiſſimus, qui prouerbio locum fecit: *Theonino dente arrodere*, vid. ERASMVS Chiliad. p. m. 407 Theonis etiam nomen apud Graecos pro incerto quouis ponitur, vt apud Latinos Caii vel Sempronii. Conf. I. ANDR. SCHMID. diſſ. de Hipparcho, Theonibus et Hypatia Sect. II. p. 14.

Digitized by Google

Cum vero Thrasyllus Tiberii temporibus vixerit, Ptolomaeus sub Antonino Pio, recte inde concluditur, floruisse Theonem inter A. C. XX. et CXL. Prouocat etiam PTOLOMAEVS [w] ad Theonis cuiusdam obseruationes astronomicas, et PLVTARCHVS [x] quoque Theonem mathematicum memorat, ex quo coniiciunt viri docti [y], infra Traiani et Hadriani tempora, quibus Plutarchus inclaruit, viuere Theonem non potuisse. Ex quibus liquet errare IOS. BLANCANVM [z], qui in Sec. XI. et XII. eum collocat, quod occasionem dedit VOSSIO [a], de duobus Theonibus Smyrnaeis praeter necessitatem cogitandi. Platonicum fuisse non PROCLVS [b] tantum affirmat, sed et libri ab eo scripti probant. Scripsit enim de quatuor mathematicis disciplinis compendium in Platonis libros, siue, vt MSta habent, de iis, quae in mathematicis ad Platonis lectionem vtilia sunt: in quibus de geometria, arithmetica, musica, et denique astronomia egit, ac subiunxit tractatum de harmonia mundi [c]. Priorem eorum partem debemus magni nominis mathematico ISMAELI BVLIALDO, nempe ea, quae arithmeticam et musicam illustrant [d]. Non vero Platonicam tantum, sed Pythagoricam quoque disciplinam istis libris illustrasse, et ipse fatetur [e], et iis notum est, quae de ratione huius sectae in antecedentibus monuimus.

§. IV. ALCINOVS quo tempore vixerit incertum est, solet tamen a plerisque viris doctis [f] ad initia secundi post reparatam salutem seculi referri. Sed et reliqua de eius vita obscura sunt. Et Platonicum quidem fuisse, ex introductione in Platonem non inepte colligitur, nisi velis alterius sectae hominem eiusmodi doctrinarum Platonicarum compendium conscripsisse, quemadmodum Ciceronem fecisse scimus. Fuere enim alii quoque Alcinoi, interque eos Stoicus etiam PHILOSTRATO [g] memoratus. Certe a Platonicae philosophiae cognitione hominem non imparatum fuisse [h], elegans introductio in Platonis doctrinam ostendit, quae cum ALBINI introductione [i] simili confundenda non est. Eius versionem debemus MARSILIO FICINO [k], quam emendauit IAC. CARPENTARIVS, et commentario illustrauit [l]. Graeco Lati- *Alcinous.*

w) Mathemat. Syntax. L. IX. c. 9. L. X. c. 1.
x) De facie in orbe lunae et al. apud Delphos.
y) BVLLIALD. praef. ad Theon. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 100. seq. VOSSIVS de scient. mathemat. c. XXXIII. §. 13. p. 162. SCHMID. l. c. p. 15.
z) In Chronolog. math. p. 57.
a) l. c. c. LXII. §. 14. p. 359.
b) In Timaeum L. I.
c) Vid. p. 73. 150.
d) Graec. et Lat. Paris 1644. 4.
e) p. 183.
f) Conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 40.
g) In vit. sophist. L. I. c. 24. §. 1. p. 518.
h) Ducem itaque eum in delineatione philos. Plat. Tomo I. L. III. c. 6. §. 1. secuti sumus post ipsum Platonem simul audientes et comparantes cum Alcinoo.
i) Inseruit hanc ALBINI Introductionem in Platonem B. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 42. seqq. ex qua manifestum est, diuersam esse ab Alcinoi. Eius mentionem iam fecit TERTVLLIANVS de anima c. 28. 29. Conf. IAC. PAMELIVS ad hunc loc. vt alios ex veteribus taceamus.
k) Edidit cum aliis Platonicis Venet. 1497. fol. apud Aldum; vid. Cl SCHELHORNII nostri Amoenit. lit. T. I. p. 98.
l) Paris 1573. 4.

Digitized by Google

nam editionem Maximo Tyrio adiecit DANIEL HEINSIVS [m], ipſam, etiam introductionem hiſtoriae philoſophicae inſeruit TH. STANLEIVS [n], Alcinoum vero a Didymo, vel Didymum ab Alcinoo ſua habuiſſe, locus ſuadet EVSEBII [o].

Fauorinus. §. V. Plura conſtant de Fauorino, quem Phauorinum etiam quidam ſcribunt, licet minus accurate [p]. Gallus fuit Arelatenſis, teſte, qui vitam eius nobis deſcripſit, PHILOSTRATO [q], qui vtriusque ſexus participem natum fuiſſe tradit, et ex viro atque muliere compoſitum, idque ipſa ſpecie prodidiſſe, facie enim imberbem, etiam ſenem extitiſſe, vocem etiam aeutam et tenuem habuiſſe. Non vero ipſe tantum Fauorinus apud eundem ſe eunuchum vocat, ſed et alii ex hoc hominum genere fuiſſe produnt, et ipſa vocis, et faciei imberbis ratio eunuchum demonſtrat: quare non eunuchum tantum Academicum vocat LVCIANVS [r], ſed et Demonactis in eum dicteria refert: *Poſtquam Fauorinus audiſſet a nomemine, ſuas diſſertationes a Demonacte haberi ludibrio, maxime vero membrorum in iis fractas delicias, minus generoſam et muliebrem mollitiem, ac philoſophiae minime congruentem, acceſſiſſe ad Demonactem et interrogaſſe: quisnam eſſet, a quo ſubſannaretur? dixiſſe hunc, hominem aures habentem difficiles deceptu; inſtante vero Fauorino, et interrogante, quibusnam viaticis inſtructus ad philoſophiam acceſſerit? reſpondiſſe: teſticulis. Aliquando etiam riſiſſe Fauorinum, ex barba Demonactem philoſophum iudicantem, qui ipſe ſine barba philoſophabatur.* Cum vero eunuchi neque viri neque mulieres ſed monſtra quaedam naturae dici ſoleant [s], ratio inde patet, cur hermaphroditi ſpeciem exhibuiſſe Fauorinus Philoſtrato dicatur. Vixit vero Fauorinus ſub Traiano et Hadriano [t], cumque eruditionis atque philoſophiae gloria excelleret, delectus fuit ab imperatore Hadriano, quocum de eloquentia et doctrina, vt cum aliis quoque agere ſolebat, certaret [u]. Quod cum iis, qui ſuperare illum contenderent, eumque antecellerent, exitioſum ſoleret eſſe, quos ſcilicet e medio tollebat imperator, quod in omnibus primas ferre cuperet, ſolus Fauorinus damnum paſſus haud eſt, qua in re prudentia ſua vſus eſt, ſibique parauit praeſidium. Nam cum ſuperare omnes ſtuderet imperator, nec cederet vlli, non moroſe ei refragatus eſt, vel curioſe reprehendit, ſed ceſſit vltro victoriam, cumque, narrante SPARTIANO

m) Lugd. Batau. 1608. 1617. 8. prodiit etiam ſeorſim, Oxon. 1667. 8.

n) p. 326. Latinam h. l. exhibuit OLEARIVS.

o) Praep. L. XI. c. 23. vbi locus in Alcinoo extans Didymi nomine laudatur. Ex quo coniicit VOSSIVS de ſectis c. XVI. §. 5. p. 80. Didymum ex Alcinoo eum deſcripſiſſe. LAMBECIVS de biblioth. Vind. L. VII. p. 18. et FABRICIVS l. c. Alcinoum ex Didymo.

p) Graecis enim, qui F. latinorum non habent, Φαβορῖνος dicitur. Aſt nomen Romanum eſt a fauore, vt Cenſorinus, a Cenſore, conf. IONS. de ſcript. hiſt. philoſ. L. III. c. 7. p. 244.

q) Vit. ſophiſt. L. I. c. 8. §. 1. p. 489. ſeq. LVCIAN. in Eunucho T. IV. p. m. 164. vbi maximi nominis apud Graecos eunuchum Academicum, natione Gallum vocat. SVIDAS in Φαβορῖνος T. III. p. 572 ſeqq.

r) In Demonacte T. II. p. m. 569.

s) Vid. LVCIAN. in Eunuch. l. c. OLEAR. ad l. c. Philoſtrati.

t) SVIDAS l. c. Conf. VOSSIVS de hiſtor. Graec. L. II. c. 10. p. 212. IONSIVS de S. H. P. L. III. c. 7. p. 244.

u) Laudat hanc imperatoris gratiam PHILOSTRATVS l. c.

Digitized by Google

TIANO [x], *professores omnium artium semper, vt doctior, rideret, contemneret, obtereret, cum his professoribus et philosophis libris vel carminibus inuicem editis saepe certans* [y], *Fauorinus, cum verbum eius quoddam ab Hadriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano de verbo, quod idonei auctores vsurpassent, risum iucundissimum mouit. Ait enim: non recte suadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus habere, qui habet triginta legiones.* His modis euenit, id quod ipse, se mirari dixit, vt cum imperatore contenderit saluus, et inter grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, astrologos, quos fauore prosequebatur Hadrianus, vnus emineret [z]. Vt vero eloquentiae flumen a Dione habuit Prusaeensi, cui a linguae facundia Chrysostomi nomen enatum est [a]; ita a praestantissimo scholae Stoicae circa idem tempus doctore Epicteto philosophiae praecepta hausit [b], licet parum ei obtemperasse et scribendo et viuendo postea ostenderit [c]. Sed cum Demetrio quoque Cynico fuit, quem plurimi, teste PHILOSTRATO [d], fecit, et imprimis familiari amicitiae vinculo PLVTARCHO [e] iunctus fuit, quem in scriben-

x) In Hadriano c. 15.

y) Ingenio vt erat Hadrianus eleganti iisque instructo dotibus, quibus multos antecelleret, ita artium fere omnium et scientiarum cultu auxit, et ad mirabilem euexit elegantiam. Ait enim SPARTIANVS l. c. „Fuisse memoriae ingen„tis, facultatis immensae, ipsumque orationes di„ctasse, et ad omnia respondisse. Hinc non omnis „tantum generis viros doctos in aula fouit, gram„maticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, „astrologos, sed philosophos quoque habuit ca„rissimos, et in his maxime Epictetum, Heliodo„rum, et Fauorinum familiares. Gratia etiam et „beneficiis plerumque cumulauit professores ar„tium omnes, eosque honorauit et diuites fecit, „licet eos quaestionibus semper agitauerit: Et „cum ipse auctor esset, vt multi ab eo tristes re„cederent, dicebat se grauiter ferre, si quem tri„stem videret. Doctores, qui professioni suae in„habiles videbantur, ditatos honorarosque a pro„fessione dimisit. Famae vero celebris tam cu„pidus fuit, vt libros vitae suae scriptos a se li„beris suis literaris dederit, iubens vt eos suis „nominibus publicarent. Amauit praeterea ge„nus dicendi vetustum, controuersias declamauit, „Ciceroni Catonem. Virgilio Ennium, Sallustio „Caecilium praetulit, eademque iactatione de „Homero ac Platone iudicauit.„ Quaestionibus vero eruditos valde vexauit, cuius generis sunt, quas de Secundo attulimus, et de Epicteto afferemus in sequentibus. Eademque consuetudine non in aula tantum vsus est, sed etiam inter viros doctos, qui in museo alebantur. Quaestiones vero Hadriani ad Philologiam tantum artemque grammaticam spectauisse, nec ad alia extendisse se eruditionem eius contendit HERMAN. CONRINGIVS, Antiq. Academ. Suppl. XIII. p. 236. Aliud vero euincit familiaritas eius cum magni nominis philosophis, Epicteto, Fauorino, Heliodoro, Secundo. Verisimile vero est, maxime in conuiuiis ita eruditos vexasse imperatorem. Hunc enim symposiorum inter doctos morem fuisse ex ATHENAEO, PLVTARCHO aliisque veterum constat. Conf. SALMAS. ad l. c. SPARTIANI, ANDR. CHR. ESCHENBACH. de symposiis vet. dissert. p. 308. seqq. In tot de viris doctis meritis hoc vnum reprehendendum in Hadriano, quod non tantum professores omnium artium tanquam doctior semper risit, contemsit, obtriuit, sed vitae quoque insidiatus est eorum, qui se extulissent, qua ratione non tantum insidias molitus est in Fauorinum, sed et Dionysium Milesium. Qua de re ne nimii simus, videndi ex veteribus SPARTIANVS loc. cit. c. 15. 16. DIO L. LXIX. siue XIPHILIN. in Hadr. CONST. PORPHYROGEN. Coll. de virt. p. 713. et qui ex eo excerpta dedit SVIDAS in Hadr. T. I. p. 57. ex recentioribus TILLEMONT. in Adr. DE SERVIES vit. Vx. Imper. Rom. T. III. p. 59. GAVDENTIVS de Phil. Rom. c. XCIII. p. 322. seqq.

z) SPARTIANVS et DIO ll. cc.

a) PHILOSTRAT. l. c. p. 490.

b) GELLIVS L. XVII. c. 19.

c) Scripsisse enim contra Epictetum tradit GALENVS T. I. Opp. p. 6. Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Voll. II. p. 60.

d) Vit. Apollon. L. IV. c. 25. p. 164.

e) Patet id ex PLVTARCHI libello de primo frigido, quem Fauorino inscripsit. Inter deperdita quoque Plutarchi fuit epistola ad Fauorinum de amicitia, teste LAMPRIA. Sed et, auctore GALENO T. I. p. 6. Fauorinus librum inscripsit

bendis libris et philoſophiae ſtudio videtur eſſe imitatus. Herodi vero ſophiſtae maxime familiaris fuit, qui magiſtri ac patris loco eum habuit; quare moriens Herodem haeredem conſtituit, et librorum, et domus, quam Romae habebat, vt et ſerui Indi oppido nigri, qui Herodi et Fauorino in deliciis erat [f]. Non eodem tamen fortunae fauore Athenis vſus eſt. Athenienſibus enim, teſte PHILOSTRATO [g], deteſtabilis viſus eſt, inde concurrentes, qui magiſtratus munere fungebantur Athenis, aeneam eius ſtatuam diruerunt, tanquam infeſtiſſimi imperatoris hoſtis. Quod vbi ille cognouit, moleſte id minime tulit, neque irritatus ob iniuriam, quam paſſus fuerat, *bene*, aiebat, *actum cum Socrate fuiſſet ab Athenienſibus, aerea ſtatua priuato potius, quam cicutam bibere coacto.* Romae autem tanta eius gratia fuit atque auctoritas, vt eo docente, omnia literarum ſtudiis eſſent plena [h], magnique viri eorumque filii adhaererent: quod non potuit non in aemulationis tandem materiam excreſcere, inter eiusdem profeſſionis homines. Lis enim ei interceſſit cum Polemone [i], in Ionia enata, Epheſiis ei fauentibus, Smyrna Polemonem admirante, viris conſularibus, filiisque eorum, modo hunc modo illum laudibus efferendo aemulationem inter eos fouentibus, qua in lite conuitia intemperanter effuſa eſſe, non negat, qui haec narrat PHILOSTRATVS [k]. Memorabile vero, quod IDEM [l] quoque refert, etſi eunuchus eſſet, incaluiſſe tamen adeo Veneris igne, vt adulteri dicam vir ei conſularis ſcriberet, ipſeque tria in vita ſua admiranda diceret: *quod Gallus Graece loquatur, quod eunuchus adulterii cauſſam dixerit, quod cum imperatore contenderit ſaluus.* Ex dictis patet, profeſſione non philoſophum tantum fuiſſe, ſed et ſophiſtam [m], ſiue rhetorem, qui adeo excelluit in eloquentiae ſtudio, vt ne apud illos quidem, qui Graecanicae linguae ignari erant, absque voluptate fuerit auſcultatio eius. Eos enim et pronuntiationis ſono deliniuit, et vultus geſtu, et linguae modulatione. Deliniuit item tono orationis, quem cantum oratores dicebant [n]. Valde in philoſophia adamauit Platonem, de quo ſingulari ſcripto egiſſe SVIDAE [o] dicitur, vt et *de Socratis vita* [p]. Dolen-

ſcripſit Plutarcho, de hypotheſi Academica. Ait etiam SVIDAS l. c. plurima ſcribentem Fauorinum ſcriptorum multitudine cum Plutarcho contendiſſe. Conf. IONSIVS de Scr. Hiſt. phil. L. III. c. 7. p. 244. ſeqq.

f) PHILOSTRATVS l. c. et in Herode L. II. c. 1. §. 14. p. 564. Non praetereundus hic eſt Herodes Atticus, licet eloquentiae magis laude, quam philoſophiae fama inclaruerit, quam nominis celebritatem ſtupendis operibus ex parentis theſauris excitatis auxit, de quo praeter Philoſtratum, videndus GELLIVS L. I. c. 2. nam is in Pythagorica philoſophia Secundum, in Platonica Taurum Berytium, in Academica Fauorinum praeceptores habuit, et inter omnes ſectas Platonicae maxime addictus fuit. Parem non habuiſſe eloquentiae praeſtantia, ait, qui vitam eius exponit PHILOSTRAT. Vit. Sophiſt. L. II. c. 1. p. 545. ſeqq.

g) loc. cit. p. 490. *h*) Ibid. p. 491.

i) Polemonis magni nominis et celebritatis Sophiſtae vitam PHILOSTRATVS quoque L. I. c. 25. p. 530. enarrauit, hominisque mores agreſtes et ſcholaſticos, quibus ipſum Antoninum Pium imperatorem offendit, memorabili narratione delineauit. Mirum itaque non eſt, debacchatum fuiſſe in Fauorinum, qui ne imperatori quidem ceſſerat. *k*) loc. cit.

l) Ib. p. 489. Petit eum hoc nomine LVCIANVS in Eunucho T. IV. p. m. 167. ſed recte, ſecus ac viſum VOSSIO de Hiſt. Graec. L. II. c. 10. p. 212.

m) SVIDAS in Φαβωρῖνος T. III. p. 572. 573.

n) PHILOSTRAT. l. c. §. 4. p. 491.

o) l. c. Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 60.

p) De Socrate et arte eius amandi, contra quem librum ſcripſiſſe GALENVM, ex eius tr. de libris propriis T. IV. p. 368. patet.

Digitized by Google

Dolendum vero eſt, et haec eius ſcripta et alia [r] intercidiſſe, imprimis vero eius *ſyluam collectaneorum omnigenorum hiſtoricorum* [s], ad quam ſaepe prouocant Laërtius, Gellius, aliique veterum, et ex qua Sopatrum *excerpta varia* deſcripſiſſe PHOTIVS [t] ait, temporis nobis ereptam iniuria: multa enim ad philoſophiae hiſtoriam, quibus aegre hodie caremus, comprehendiſſe, ex locis iſtis, quibus laudatur, colligitur [ff]. Quamuis vero Platonem magni faceret, non tamen primae, ſed ſecundae tertiaeque adhaeſit Academiae, eamque, cum eo quidem tempore cum Pyrrhoniis faceret, rationibus ſcepticis auxit. Hinc enati libri, quorum meminere GELLIVS [u] et PHILOSTRATVS [x]: *de comprehenſiua imaginatione; de Academica propoſitione; ſolem non poſſe comprehendi; tropi item Pyrrhonii* [y]. Vbi tamen repetendum, quod ſectionis huius initio diximus, moderatius, quam Pyrrhonii ſolebant, Fauorinum Academiae ἀκαταλήψιαν propugnaſſe, propius Platonem accedentem ſtatuendo, eſſe quaedam, quae certo ſciri queant, pleraque tamen incerta eſſe atque dubia [w]. Non errabimus itaque, ſi eum inter Pyrrhoniae quoque ſectae alumnos referimus, cuius cauſſam ſcriptis multis iuuit, quae enarrantem videſis praeſtantiſſimum FABRICIVM [z]. Diſcipulos habuit multos, et in his Alexandrum, cognomento Peloplatonem, celebrem oratorem, Seleucia Ciliciae oriundum, cuius vitam ſcripſit PHILOSTRATVS [a], qui et ipſe Platonicae philoſophiae adhaeſit [b], licet non eadem, qua in eloquentia vſus eſt, felicitate, quod Peloplatonis ei nomen conciliaſſe videatur [c]: Fuere vero et Fauorini alii, cum noſtro non commiſcendi [d].

§. VI. Serius paulo, nempe ſub Antonino Pio inter Platonicos emi- *Taurus.*
nuit CALVISIVS TAVRVS, Berytius [e], quem tamen alii Tyrium vocant [f]. Duos enim Tauros eo tempore fuiſſe, Berytium et Tyrium, quod vult KVSTERVS [g], veriſimile haut eſt. Platonicam iſta aetate ſectam eruditione ornaſſe ſua, veteres referunt [h], et vel vno hoc argumento euinci poteſt, quod Atticus, Herodis Sophiſtae parens, vir illuſtris et immenſis theſauris potens, filium hunc ſuum Tauri diſciplinae et inſtitutioni

q) Pleraque poſt extemporaneam Suidae diligentiam accuratius enarrat FABRICIVS l. c.

r) Laudat hanc συντοδοτὴν ἱστορίαν LAERT. L. III. ſ. 24. L. VIII. ſ. 47. conf. STEPHANVS in Τετράπολις.

s) Cod. CLXI. vbi vſum hoc libro fuiſſe Sopatrum ad librum tertium eclogarum ſuarum ait.

ff) In reliquis etiam Fauorini ſcriptis hiſtoriae philoſophicae lucem fuiſſe accenſam, ex titulis et inſcriptionibus patet.

t) L. XI. c. 5.

u) l. c. conf. FABRIC. l. c.

x) Hunc inter philoſophicas eius diſſertationes omnium praeſtantiſſimum foetum fuiſſe, PHILOSTRATVS l. c. §. 4. p. 491. ait. Tropi Pyrrhonii quid ſint ex Tom. I. Libr. II. cap. penultimo notum.

w) GALEN. l. c. et de optimo doctrinae genere.

x) l. c. y) Vit. Sophiſt. L. II. c. 5. p. 570.

z) Ideo in Platonicorum eum album transſcripſit FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 52.

a) Vid. PHILOSTRAT. l. c. conf. SVIDAS in Alexander Aegeus T. I. p. 105.

b) Ariſtotelici Fauorini meminit PLVTARCHVS Qq. conuiu. L. VI. c. 10. oratoris GELLIVS L. XV. c. 8. conf. FABRIC. l. c. p. 301.

c) SVIDAS in Tauro T. III. p. 435. EVSEB. in Chron. ad A. C. CXLVIII. GELLIVS L. XVIII. c. 10. SYNCELLVS p. 351. MARIAN. SCOTVS ad Ann. X. Ant. Pii.

d) PHILOSTRAT. Vit. Sophiſt. L. II. p. 564.

e) Ad l. c. SVIDAS.

f) Ipſe Platonem noſtrum vocat, apud GELLIVM L. VI. c. 13.

Digitized by Google

tioni commendauerit *f*. Fuit etiam ex diſcipulis eius AVLVS GELLIVS vir doctus variaeque doctrinae, qui de hoc praeceptoris ſui modo philoſophandi aliquot nobis conſeruauit ſpecimina *g*, ex quibus diſci poteſt, per omnes quidem ſectas exploratorem diſcurriſſe, potiſſimum tamen Platonicam doctrinam probauiſſe, de reliquis modeſte ſententiam dicentem. Laudandum vero in eo quam maxime, quod a ſyncretiſmo philoſophico, qui eo tempore tanquam peſtis, omnem fere philoſophorum nationem, praecipue tamen Platonicos, corripuerat, abſtinuerit, et qui inter Platonis, Ariſtotelis et Stoicorum dogmata, quae iam Antiochus in vnum confuderat, Alexandrina vero Platonicorum ſchola nouis commentis in concordiam redigere, infelici quidem conatu, contenderat, eſſet diſſenſus atque diſcordia, demonſtrauerit, ſcriptis de *differentia dogmatum Platonicorum ab Ariſtotelicis*, *et de diſſenſu Platonicorum a Stoicis* libris *h*, quos periiſſe magnopere dolemus. Dubium enim non eſt, genuinae ſecundum has ſectas philoſophandi rationi, quam infauſti illi conciliatores magno hiſtoriae philoſophicae malo adulterarunt, egregiam Taurum lucem accendiſſe. Scripſit et alia, ad Platonem potiſſimum illuſtrandum pertinentia *i*, de quibus videndi, qui hiſtoriam literariam veterum illuſtrarunt *k*. Vixit docuitque Athenis, idque non tantum inter ſubſellia diſcipulorum, ſed et inter accumbentium lectulos. Narrat enim GELLIVS *l*, qui et ipſe iſtis coenis interfuit: *Accepiſſe eos Philoſophum Taurum Athenis coena plerumque ad id diei, vbi iam veſperauerat, id enim fuiſſe tempus iſtic coenandi frequens, eius coenae fundum et fundamentum omne fuiſſe in olla vna lentis Aegyptiae, et cucurbitae inibi minutim conciſae. Occaſionem vero captaſſe a tempore et quaerentium circumſtantiis colloquiorum philoſophicorum: Cum enim, qui eo eſſent iunctiores, domum ſuam vocaſſet, ne omnino, vt dicitur, immunes et aſymboli venirent, coniectaſſe ad coenulam, non cupedias ciborum, ſed argutias quaeſtionum. Vnumquemque igitur eorum commentum paratumque iuiſſe, quod quaereret, fuiſſe autem et initium loquendi, et eundi finem. Quaeſita autem fuiſſe nec grauia, nec ferenda, ſed enthymemata quaedam lepida, et minuta, et florentem vino animum laceſſentia, quae poſtea Taurus graui eruditione illuſtrauerit*, cuius duo exempla affert, de eximia viri eruditione teſtantia. Nec dubium eſt, multa afferri a Gellio in *noctibus Atticis*, in eiusmodi ſympoſiacis olim quaeſtionibus in Tauri coenis propoſita, licet eius plerumque nomen reticeat *m*.

§. VII.

f) PHILOSTRATVS l. c.

g) L. I. c. 26. Tauri philoſophemata refert, de quaeſtione, an ſapiens iraſcatur, L. II. c. 2. de officiis et reuerentia filiorum in patres, L. VI. c. 13. quando mori dicatur homo, L. XII. c. 5. de modo et ratione tolerandi dolores ſecundum principia Stoica, L. XVII. c 8 de cauſſa congelationis olei, c. 20. de ratione vertendi apte ſciteque: Ex quibus varia et elegantiſſima eluceſcit Tauri eruditio, cui inſigne acceſſit ornamentum, quod placidiſſime et ſuauiter prorſus diſſereret. Plura de egregiis viri optimi moribus paſſim in Gellio obſeruari poſſunt.

h) SVIDAS l. c. GELLIVS L. XII. c. 5.

i) Comm. in Gorgiam Platonis meminit IDEM, L. VI. c. 14. *k*) SVIDAS l. c. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. II. p. 67. ſq. IONSIVS L. III. c. 9. p. 255.

l) L. VI. c. 13 L. XVII. c. 8.

m) Seriae tamen diſputationis, et quidem elegantiſſimae exemplum habes L. XII. c. 5.

Digitized by Google

§. VII. Eadem aetas tulit quoque LVCIVM [w] APVLEIVM, *Apuleius.* ex Platonicorum ſchola Philoſophum clariſſimum. Fuit is oriundus Madaurae, ciuitate Africae in Numidiae Gaetuliaeque confinio [n], quae poſt Syphacis et Maſiniſſae dominatum colonia Romana fuit [o]. Vitae is ſuae hiſtoriam in *Apologia*, maiorem partem tetigit. Honeſto ibi loco natus eſt [p]. Patrem enim habuit Theſeum loco principe duumuiralem [q], et honoribus aliis cunctis perfunctum: matrem vero Saluiam, ab inclyto illo Plutarcho Chaeronenſi ac mox Sexto philoſopho, nepote eius genus ducentem [r]. Quando natus fuerit, ipſe nuſquam prodidit, vnde coniecturis tempus eius definiendum eſt. Et ANASTASIVS SINAITA [s] quidem audiendus non eſt, qui Apollonio Tyaneo iungit, quod non, niſi magiae profeſſione, ex ſententia veterum quorundam, admitti poteſt: nec PETAVIVS [ff] accuratus eſt, qui Traiani et Hadriani temporibus vixiſſe putat, quemadmodum nimis eum aetate deprimunt, qui ſub Theodoſio floruiſſe aſſerunt [t]. Vixiſſe enim ſe ſub Antoninis, haud obſcure prodidit, memorans Lollianum Auitum, qui A. C. CXLIV. proconſul fuit, Claudium item Maximum, Lollium Vrbicum et Scipionem Orfitum, qui ſummis honoribus ſub Antonino Pio, et Antonino Philoſopho atque Vero perfuncti ſunt [u]. Nec IONSIVS [v] admitti poteſt, qui quod diuum vocauerit Antoninum, Commodi temporibus adſcribit, nihil enim horum apud Apuleium legitur. Formae concinnam ſpeciem, licet mediocrem eam ipſe dicat [w], ingenii dotes auxere eximiae, et indefeſſa imprimis induſtria, qua *ab ineunte aeuo vnis ſtudiis literarum ex ſummis viribus ſe deditum, omnibus aliis ſpretis voluptatibus, ad hoc aeui, ſuper omnes fere homines impenſo labore, diuque noctuque cum deſpectu et diſpendio bonae valetudinis ſe eruditionem et eloquentiam quaeſiuiſſe* ipſe fatetur [x]. Parentum itaque cura ſtudiis addictus eſt, et rudimenta quidem literarum Carthagine didicit, ibique Platonicam quoque ſectam inchoauit [y], poſtea

w) Lucii nomen tanquam ſpurium reiiciunt ELMENHORSTIVS ad Ap. SALMASIVS, aliique, nec male. Lucii enim nomen ex fabulae tantum argumento, quod Lucium transformatum ex Graecis refert, hauſiſſe veriſimile.

n) Ita ipſe in Apolog. p. m. 203. edit. Petr. Scriu. vbi ſe quoque Semi-Numidam et Semi-Getulum vocat.

o) Ibid. p. 4. „Syphace victo ad Maſiniſſam eam „conceſſiſſe munere populi Romani, ait, ac de„inceps veteranorum militum nouo conditu „ſplendidiſſimam coloniam fuiſſe.

p) Vitam Apuleii, vel vt vetera marmora ſcribunt, Appuleii, vid. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 514. ex eius ſcriptis collegere ex recentioribus Petrus Coluius, Petrus Scriuerius, Guil. Elmenhorſtius, et editionibus ſuis praefixerunt. Eandem rationem ſecuti ſunt H. DE COTOURES, et Io. WOWERIVS, quam inde vitam repetiit FLEVRIVS in editione Apuleii in vſum Delphini. Egit etiam de eo BAYLE dict. T. I. art. Apulée p. 272. vt alios taceamus.

q) Apol. l. c. Quod Romae conſules ex Senatu lecti, id in coloniis Duumuiri iuri dicundo, ex Decurionibus aſciti, vid. H. NORIS Cenotaph. Piſan. diſſ. 2. MARC. WELSERVS Rer Aug. L. II. Opp. p. 208. quod magiſtratus genus hodie quoque in quibusdam S. R. Imperii ciuitatibus liberis, e. g. Norimbergae, Auguſtae Vindelicorum, Vlmae, obtinet.

r) Metamorph. L. I. p. 5. L. II. p. 18.

s) Q q. in Script. XXIII.

ff) Rat. temp. L. V. c. 9. p. m. 308. extremis tamen Hadriani temporibus natus eſſe potuit. Plutarchus enim, qui ſub Traiano et Hadriano floruit, ex maioribus eius fuit.

t) Conf. PITHOEVS Adu. L. II. c. 10. FABRICIVS l. c.

u) Vid. vitae eius enarratores not. (p) laudati.

v) De Scr. Hiſt phil. L. III. c. 11. p. 267.

w) Apolog p. 189.

x) loc. cit. p. 190.

y) FLOR. c. 18. p. 366.

Digitized by Google

Athenas translatus, et omni literarum genere imbutus, eam confirmauit. Aitque alio loco *, *non crateras tantum literatoris, grammatici et rhetoris se potasse, sed et alias Athenis bibisse, poëticae commentam, geometricae limpidam, Musicae dulcem, Dialecticae austerulam, et uniuersas philosophiae, inexplebilem scilicet, nectaream: canere enim Empedoclem carmina, Platonem dialogos, Socratem hymnos, Epicharmum modos, Xenophontem historias, Xenocratem satyras, Apuleium haec omnia, nouemque Musas pari studio colere, maiore scilicet voluntate, quam facultate.* Romam postea translatus, magno etiam cum labore, vtpote nullo magistro praeeunte, Latinum sermonem addidicit, et *in vrbe Latia*, vt ipse scripsit *, *aduena studiorum Quiritium indigenam sermonem aerumnabili labore aggressus excoluit*, vbi etiam tam peritus iuris Romani euasit, vt aduocati munus obierit et in foro causas dixerit. A parente censu graui HS vicies sibi et fratri relicto, longam peregrinationem iniit **, et cognoscendi potissimum leges ceremoniarum, fas sacrorum, ius religionum cupidus, sacerdotum arcanis se adscribi collegiis passus est, et patrimonii maiorem partem, crebris liberalitatibus huic scopo impendit *. Vnde *iam dudum perspicua euidentique magni numinis dignatione felici ministerio nuncupatum destinatumque, nec secus, quam cultores caeteros, cibis profanis ac nefariis iam nunc temperare, quo rectius ad arcana puriss.mae religionis secreta peruaderet*, dixit *. Quibus licet admodum facultatibus exhauriretur, sumtuum tamen eum non poenituit, liberali Deum prouidentia iam stipendiis forensibus bellule fotum. *Deum enim magnorum maximum per quietem ipsi praecepisse*, ait *, *quae nunc incontanter glorioſa in foro redderet patrocinia.* Maxime tamen inopiam, ad quam eum peregrinationes et liberalitas redegerant, leuauit nuptiis Pudentillae, ex Oea, Africae etiam ciuitate, quae sestertium quadragies possidebat. Quae cum hystericis vexata malis nubendi consilium a medicis accepisset, Apuleii potissimum formositate * capta ei nupsit. Quam ob rem tunc apud Cl. Maximum Africae Proconsulem magicarum artium insimulatus fuit, quod et Pudentillam viduam prouectioris aetatis foeminam cantaminibus in amorem sui pellexisset, et Pontianum priuignum suum e medio sustulisset: et vagae peregrinationis atque tot mysteriorum doctrinae causam non aliam, quam magiam habuisset *. Quae omnia doctissima multaque veteri doctrina referta apologia * refutauit, effecitque vt absolueretur. Inde tamen factum esse, ait AVGVSTINVS *, *vt ad aliquam iudiciariam reipublicae potestatem*

*) c. 20. p. 370.

*) Metamorph. L. I. c. 5. Falsum itaque est, quod TILLEMONTIVS habet Hist. imp. T. II. p. 722. Carthagine Latii sermonem didicisse.

**) Apol. p. 203.

a) Ibid. Passim huc respicit in metamorph. L. III. p. 42. L. XI. p. 177.

b) l. c. L. XI. p. 183. c) l. c. Apolog. p. 203.

d) Formae suae meminit Metam. L. II. p. 18. Apol. init. Imago eius occurrit in thes. GRONOVII et apud ANDR. MORELL. Spec. rei num. ant. T. II. L. II. p 45.

e) Prolixe de his capitibus agit in Apologia.

f) Quam tamen in tantillo temporis spatio habuisse talem, qualem scripsit, dubites. Commentari sunt in eam ISAAC. CASAVBONVS 1594. 4. Io. MEVRSIVS L. B. 1607. 8. SCIPIO CENTILIS Hanou. 1607. 8. tum PERCAEVS, conf. FABRICIVS Biol. Lat. T. I. p. 517. seqq.

g) Ep. 5.

Digitized by Google

ſtatem peruenire non potuerit, licet nobili familia eſſet natus, et ſacerdos in prouincia Attica fuerit, et tunc munera ediderit, et venatores veſtiuerit. De quo tamen vt dubitemus, ipſe facit Apuleius, qui ſe *patris locum in republica exinde, vt participare curiam coeperit, nequaquam degenerem, pari honore et exiſtimatione tueri*, dicit [b]. Niſi hoc velit, ſe quamdiu cauſſas in foro egerit, parentis honorem exiſtimatione tueri, quod tamen vim nobis videtur inferre verbis Apuleii clariſſimis: praeſertim cum non tantum aliarum ciuitatum honores ſtatuarum et alios ſibi decretos, ſed et poſitam auctoritate publica ſtatuam ipſe memoret. Etſi vero facile credi poteſt, ab intentato magiae crimine innocentem fuiſſe Apuleium, ipſum tamen non haberi tantum pro theurgo voluiſſe, ſed et eiusmodi interdum artes adhibuiſſe veriſimile eſt, quae huic ſuſpicioni gignendae erant aptiſſimae [i]. Vt enim taceamus, metamorphoſin Lucii eo potiſſimum colore ſcriptam eſſe, vt perditas circulatorum et praeſtigiatorum artes a ſacerdotum, quorum adſcriptus erat collegio, ſapientia diſtingueret, veramque his, vt in apologia [k] quoque contendit, magiam vindicaret, quorum tamen artificia magis nec meliora nec ſanctiora fuiſſe, conſtat, LACTANTII nouimus teſtimonio [l], *multa et mira Apuleii ſolere memorari*; AVGVSTINVS [m] quoque teſtatur, *homines ex gentilibus improbos, Dominum nihil amplius, quam quod alii homines facere potuerunt, feciſſe vel geſſiſſe, mentientes, Apollonium ſuum nobis, Apuleium aliosque artis magicae homines in medium proferre, quorum maiora contendant extitiſſe miracula.* Ex quibus recte colligitur, Apuleium, ſi non ipſe magus fuit, ad exagitandos tamen inimicos, et faciendam ſacerdotio auctoritatem iis artibus vſum fuiſſe, quibus numinibus ſuis miraculorum fidem conciliare ſolebat ſacerdotum gentilium aſtutia; qui cum magiae nomen, ex eo tempore, quo in Romano imperio infame fuit, deprecarentur, mirum non eſt, illud ſcripta apologia ſtudioſe Apuleium declinaſſe. Quem goëtiae quidem crimen fuiſſe vehementer deteſtatum, theurgiae tamen nauaſſe operam, vel vna eius *metamorphoſis*, et eius imprimis epilogus luculenter ſuadent. Vnde ſi ſalua velimus ſanctorum virorum teſtimonia, patet, de Apuleio idem ſuo modo dici poſſe, quod de Apollonio diximus [n], quem tamen eruditione multifaria et doctrina multis parafangis ſuperauit. Vixiſſe in iuuentute minus caſte, colligi euidenti ratione poſſet ex illis, quae de Fotidis amo-

b) Apolog. p. 204. conf. BAYLE l. c. not. L.
i) Florid. p. 362.
k) p. 204. 205.
l) L. V. c. 3.
m) Ep. 4. conf. ep. 49. HIERONYMVS in Pſ. LXXXI. BAYLE l. c.
n) Suadet hoc locus memorabilis in Apologia p. 205. vbi ita: „Verum haec ferme communi „quodam errore imperitorum philoſophis obie„ctantur, vt partim - - qui prouidentiam mundi „curioſius veſtigant, et impenſius Deos celebrant, „eos vero vulgo magos nominent, quaſi facere „etiam ſciant, quae ſciant fieri: vt olim fuere „Epimenides et Pythagoras et Oſthanes.„ Et infra p. 216. genuinum horum hominum fundamentum exponit, quo tota theurgia nititur p. 216. ſcribens: „Inter Deos atque homines natura et „loco medias quasdam diuorum naturas interſi„tas, easque diuinationes et magorum miracula „gubernare, poſſe etiam animum humanum ſeu „caninum auocamento ſiue odorum delinimento „operari, et ad obliuionem praeſentium exter„nari, et pauliſper remota corporis memoria, „redigi ac redire ad naturam ſuam; quae eſt im„mortalis ac diuina, atque ita veluti ſopore quo„dam futura rerum praeſagire.„ Sed et reliqua legenda ſunt, licet magi nomen omni modo declinet.

Digitized by Google

tibus ipſe narrat [o], niſi Graeca fabulae huius narratio, quae apud LVCIANVM [p] occurrit, eadem exhiberet, oſtenderetque, eum more ſuo ἀρχέτυπον ſecutum fuiſſe, idque nouo inuentionis genere adauxiſſe: id quo l tamen in argumento adeo lubrico et impudico a ſacerdote, *in animae caſtimoniae*, vt ipſe iactat [q], *iugum qui ſubiit*, fuiſſe factum, merito improbamus. Caſte tamen in matrimonio ſe geſſit, et diu atque noctu etiam cum bonae valetudinis diſpendio, eloquentiae et literarum ſtudio impalluit [r]. Imprimis vero eruditionem eius et accuratam in Platonica philoſophia doctrinam libri tres de *dogmate Platonis* [s] probant, introductionis loco ad lectionem Platonis cum Alcinoo et Albino adhibendi. Nominis tamen celebritatem, praeter iſtos libros, et apologiam, multa doctrina refertam, maxime ſibi comparauit, *fabularum Milefiarum libris vndecim, ſiue metamorphoſi Lucii in aſinum*, quam tanta eruditionis veteris varietate, tantoque lepore et iucunditate condiuit, vt inde ob dulcedinis et elegantiae praeſtantiam aurei aſini nomen nacta ſit [t]. Materiam tamen ex Lucii Patrenſis *libris metamorphoſεων* accepit [u], vel a LVCIANO etiam transſumſit, qui Patrenſem eleganti quoque narratione expreſſerat. Scribendi tamen genere vſus eſt peregrino et inſolito, vnde *exotici et forenſis ſermonis, tanquam locutor rudis veniam* mox in limine deprecatur: in quo tamen multa ſunt, etſi inſolita et aures Romanas offendentia, erudita tamen et veterem diſciplinam ſpirantia [x]. Sed et reliqua Apuleii ſcripta ab hiſtoriae philoſophicae ſtudioſo non negligenda ſunt. Dedit enim *interpretationem libri de mundo*, ARISTOTELI perperam tributi, vt ex collatione Graeci textus cum hoc Apuleii labore euidenter demonſtrari poteſt [y]: licet fatendum ſit, eum non vbiuis ſenſum accurate fuiſſe aſſecutum [z], *apologiam item Socratis* ex Platonicae philoſophiae adytis hauſtam: *Florida* vero etſi eloquentiam magis ſpectant, quam philoſophiam, multa tamen continent veteris philoſophiae hiſtoriae apprime inſeruientia [a]. Reliqua eius ſcripta, quae hiſtoriam, philoſophiam, eloquentiam et poeſin illuſtrarunt, deſideramus [b]. Non confundendus autem eſt cum Apuleiis aliis [c], praeſertim cum Apuleio Celſo, medico celebri [d].

§. VIII.

o) Metamorph. L. II. p) In aſino.
q) Metamorph. L. XI. p. 183.
r) Apolog. p. 204.
s) Tertius tamen de philoſophia rationali multa habet ex Dialectica Stoica.
t) Conf. FABRIC. l. c. p. 516.
u) PHOTIVS Cod. CXXIX. p. 165.
x) Conf. iudicia doctorum collecta a TH. POPEBLOVNIO cenſ. cel. auct. p. 170. TOB. MAGIRO Eponymol. crit. p. 59. CREN. de ſingular. ſcript. c. 18. p. 28. De editionibus vid. FABRICIVM et BAYLE ll. cc. Satyram eſſe in magos cenſet BARTHIVS Adu. L. LI. c. 11. et BAYLE l. c. FABRIC. l. c. T. III. p. 35.
y) Videnda editio BONAV. VULCANII L. B. 1591. 8. quae Graeca Latinis Apuleii habet adiuncta.
z) FABRICIVS l.c. p. 518. Bootius apud POPEBLOVNIVM. l. c. p. 172.
a) Fragmenta eſſe videntur orationum paſſim habitarum.
b) Interpretatus eſt Phaedonem Platonis, et Nicomachum de numeris. Scripſit etiam Qq. naturales.
c) Enumerant eos LONSIVS de S. H. Phil. L. III. c. 11. FABRICIVS Bibl. Lat. T. III. p. 34.
d) Vixit ſub Tiberio fuitque Scribonii Largi praeceptor, conf. FABRIC. l. c. T. I. p. 525. 818. Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 77. Occurrit ſub Apuleii nomine liber, de herbis, earumque nominibus et virtutibus, verum nec philoſophum nec medicum agnoſcere, ſed iuniorem quendam Apuleium ſtilus prodit.

Digitized by Google

§. VIII. Marco Aurelio Antonino philoſopho imperante [e], celebre inter Platonicos nomen fuit Attico, cuius tanta inter ſectae ſuae homines fuit exiſtimatio, vt a Plotino cum reliquis, quos potiores ex Platonicis eſſe iudicabat, delectus ſit, quem diſcipulis accuratiori Platonicae philoſophiae ſtudio inuigilantibus, explicaret [f]. Notandus vero et hic Atticus eſt, ob diligentiam, quam in demonſtranda differentia inter Platonis et Ariſtotelis philoſophiam exhibuit, vt patet ex fragmentis, quae nobis ſeruauit EVSEBIVS [g], vbi contra Ariſtotelem de vltimo fine hominis, de prouidentia, de ortu, de quinta corporum ſubſtantia, de rebus coeleſtibus, de immortalitate animae diſputauit, et quam ab eo diffentiat Plato, planum fecit. Quod eo magis momentum habet, quo magis ab eo tempore parum abfuit, quo nouo foedere coire coacti ſunt Plato et Ariſtoteles ab eclecticis. Nec alios ferire videtur homines, quam maleſanos huius generis ſyncretiſtas, ſcribens: *Quisquis hanc Ariſtotelis imbiberit doctrinam probauerit*que, *quo tandem amabo, vel ad mentem Platonis accedet, vel in eadem vt alii acquieſcent, conſtanter efficiet? Nunquam profecto, nunquam, qui ex ſchola iſta prodierit, haec plane Herculea diuinaque dogmata ſuſcipiet.* Cumque noſſet iam tum ex Alexandrinis ſcholis prodiiſſe Platonicos, qui mundi aeternitatem Platoni tribuerent, vt eum cum Ariſtotele in concordiam redigerent, praeclara ait ſententia: Παραιτούμεθα δὲ νῦν μὴ ἐμποδῶν ὑμῖν τοὺς ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἑσίας εἶναι, οἷς ἀρέσκει καὶ κατὰ Πλάτωνα τὸν κόσμον ἀγέννητον εἶναι, hic vero admodum exoratos velim, *vt ne moleſtiam nobis vllam faceſſant, qui eiusdem ac nos familiae cum ſint, mundum tamen ex Platonis quoque ſententia generatum eſſe negant.* Quos ipſis poſtea Platonis verbis ex Timaeo petitis refutat, quae vt manifeſtum faciunt, iam ante exortum eclecticorum nomen iſtum ſyncretiſmum ex Plotini poſtea ſchola in omnem orbem diſſeminatum, inualuiſſe, ita iis, quae *ſequenti ſectione* de his hominibus dicemus, lucem affundunt, probantque viros graues et acutos, qualis Atticus fuit, non defuiſſe, qui ab iſta concordia abhorrerent, ſinceramque conſeruarent Platonis philoſophiam. Fuere alii quoque Attici, a Platonico hoc probe diſtinguendi; Atticum enim Romanum, cuius vitam deſcripſit CORNELIVS NEPOS, vt taceamus, Attici Pergameni rhetoris meminit STRABO [h]. Atticus etiam epiſcopus Conſtantinopolitanus, controuerſiis cum Chryſoſtomo habitis illuſtris [i], Licinius Atticus, medicus GALENO [k] memoratus, Atticus quidam epiſcopus [l], apud veteres recenſentur. Attici etiam philoſophi PLVTARCHVS [m] meminit; aſt Herodem Sophiſtam habuiſſe patrem Atticum, ſupra diximus. Quo loco Plutarchi fretus

Atticus.

e) SYNCELLVS p. 353. EVSEB. Chron. ſub Aurel. ad A. CLXXIX. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 54.

f) PORPHYR. in vita Plot. c. 14.

g) Praep. L. XV. c. 4. ſeqq. p. 794. ſqq.

h) L. XIII. p. 625.

i) Conf. CAVE Hiſt. Lit. ſcr. eccl. p. 44. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VII. p. 43. Vol. IX. p. 391. Vol. XI. p. 398.

k) T. II. p. 238.

l) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 567. 581.

m) De Monarch. T. I. p. m. 78.

Digitized by Google

tus IONSIVS [n] nobis Atticum Herodis parentem non exſculpit tantum philoſophum, ſed cum Attico quoque noſtro eundem facit. Qua in re accurationem in viro docto merito deſideramus. Ex allegatione enim Plutarchi liquet, hunc Atticum philoſophum ſupra aetatem Plutarchi vixiſſe; Plutarchus autem ſub Traiano floruit. Aſt Atticus Herodis pater Nerua imperante viguit, et ab eo theſaurum ingentem, quem domi ſuae inuenerat, accepit, nec philoſophus fuit, vt ex vita eius a PHILOSTRATO [o] exarata patet, qui philoſophiae ſtudium non omiſiſſet indicare, ſi qua in illud Atticus incubuiſſet. Praeterea Euſebius, Syncellusque Aurelio Antonino imperante floruiſſe Atticum dicunt, Atticus itaque, qui Neruae coacuus fuit, eſſe non poteſt. Quod vt eludat Ionſius, verba Euſebii de Herode Attico filio interpretanda monet. Aſt Herodem omiſſo proprio nomine Atticum philoſophum vocari, nusquam legimus, nec philoſophiae cauſſa inter philoſophos nomen tuliſſe, traditur, licet eam didicerit, ſed eloquentia omnibus magna cum gloria praeſtitit. Accedit, Atticum hunc Plutarchi alicuius filium dici ab ipſo Ionſio, auum Herodis ſophiſtae. Aſt Atticus Herodis parens, non Plutarchum, ſed Hipparchum genitorem habuit, teſte PHILOSTRATO [p]. Ex quibus omnibus clarum eſt, Atticum hunc Platonicum ab Attico Herodis patre eſſe diſtinguendum.

Numenius.

§. IX. Platonicis illuſtrioribus, quos explicuit diſcipulis ſuis Plotinus, annumeratur etiam NVMENIVS Syrus, Apamea oriundus [q], ex quo colligere eſt, circa eadem quoque Antonini tempora eum floruiſſe. Nam quod ante Seuerum vixerit, ex Plotini aetate, qui ſub eo imperatore fuit, innoteſcit, quem plagii in Numenium commiſſi incuſatum fuiſſe, infra trademus, quemadmodum ante Origenem floruiſſe eodem argumento concluditur, quod ab eo Numenii ſcripta lecta ſunt [r], cumque Cronium et Numenium PORPHYRIVS, tanquam familiares iungat et *συγχρόνους* [s], illis vero Caius Seuerus et Atticus adiiciantur [t], coniectura non prorſus a vero abludente Numenius in tempora Antoninorum, cum reliquis his Platonicis refertur [u]. Illuſtrem inter Platonicos fuiſſe EVSEBIVS [x] tradit, cui non obſtant, quod ille et ORIGENES [y] eum inter Pythagoreos numerent, ſupra enim iam monuimus, vtramque ſectam pro vna fere habitam, vel in vnam potius fuiſſe confuſam. Tanta vero eruditione in hac familia inclaruit, vt ſectae ſuae principem vocare, et ſcribere de eo non dubitet ORIGENES [z], plerisque de rebus melius, quam Platonem diſſeruiſſe. Nec alia forte ratio fuit, cur Plotinus exſcri-

n) De S. H. Phil. L. III. c. 7.
o) PHILOSTRAT. L. II. c. 1. p. 547.
p) loc. cit.
q) PORPHYR. in vita Plotini c. 17.
r) PORPHYR. contra Chriſt. L. III. apud SVIDAM in Orig. T. II. p. 761. et EVSEB. Hiſtor. crit. L. VI. c. 19.
s) De antro p. m. 123. ed. Rom.
t) In vita Plot. c. 14. et adu. Chr. L. III.
u) Ita et IONSIVS l. c. p. 264.
x) Praep. L. XI. c. 9. p. 525.
y) loc. cit. et L. XIX. ORIG. contra Celſ. L. IV. p. 204.
z) loc. cit.

Digitized by Google

ſcripſiſſe Numenium dictus ſit, quam quod principem Platonicorum eruditione doctrinaque Platonica aequare videretur [a]. Certe tanti eum fecit Amelius, vt omnia eius ſcripta memoria ediſceret [b]. Scripſit autem multa, quibus tum de philoſophia ipſa, tum de eius hiſtoria meruit. Imprimis laudantur paſſim apud veteres libri eius de differentia Academicorum a Platone, ex quibus fragmenta ampla ſatis nobis ſeruauit EVSEBIVS [c] digna, quae in Academicae philoſophiae hiſtoria diligenter conſulantur. Scripſit etiam de iis, quae effari nefas (ἀπορρήτων) apud Platonem, ex quibus etiam adduxit quaedam EVSEBIVS [d]. Alia nominat, qui multum Numenio tribuit, ORIGENES [e], qui inter alia narrat, multa eum ſuis commentariis inſerere, depromta e Moſis et prophetarum libris, tractataque per veriſimilem tropologiam, quemadmodum in epope, ſic inſcripto, itemque in libris de numeris, et de loco. In tertio autem de bono narrare etiam de Ieſu quandam hiſtoriam, non addito nomine etc. dignatum etiam diſcendi cauſſa ſcripturas noſtras perquirere, habentem eas non pro ſtultis, ſed pro figuratis. Quae oraculorum ſacrorum lectio effecit, vt cum Moſen multa habere cum Platone affinia putaret, Platonem vocaret Moſen Atticiſſantem [f]. Quod ſi THEODORITO credendum, priſcos philoſophos non ab Aegyptiis tantum, ſed ab Hebraeis quoque veri Dei notitiam adeptos eſſe ſtatuit Numenius. Alios Numenios laudant IONSIVS [g] et FABRICIVS [i]. Inter quos fuit vnus rhetor, alter grammaticus, tertius medicus.

§. X. Poſt Numenium MAXIMVS, gente TYRIVS praecipue inter Platonicos celebres numerandus eſt. Etſi enim eloquentiae dedit operam, et inter ſophiſtas ſui temporis differendi facultate nomen ſibi celebre comparauit, non tamen arti tantum oratoriae ſe addixit, ſed philoſophiam quoque eloquentiae iunxit, Platonem prae caeteris, non ſine decenti tamen libertate ſecutus [k]. Vixiſſe ſub Commodo SVIDAS [l] tradit, EVSEBIVS [m] autem et SYNCELLVS ſub Antonino Pio ponunt, quod facile conciliari poteſt, ſi ſtatuamus, Maximum ſub Antonino florentem Commodi etiam tempora attigiſſe. Romae fuiſſe iterato, ex diſſertationibus eius intelligitur, maiorem tamen temporis partem in Graecia exegiſſe veriſimile eſt. Et Romae quidem inter praeceptores Marci imperatoris locum fuiſſe nactum, magni quidam nominis viri docti conten- *Maximus Tyrius.*

a) PORPHYR. in vita Plot. c. 17.
b) Ibid. c. 2.
c) Praep. L. XIV. c. 5. ad quae ſuo loco prouocauimus.
d) L. XIII. c. 5.
e) l. c. et L. V. p. 276. libri de immort. animae meminit THEODORIT. Serm. V. libri de anima. Conf. IONS. de S. H. Phil. L. III. c. 10. p. 864. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 63.
f) CLEM. ALEX. Strom. L. I. p. 342. EVSEB. praep. L. II. THEODORIT. Therap. L. II. HESYCH. MIL. in Numenius.
g) Serm. I. h) l. c. p. 265.
i) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 486. Vol. II. p. 455. Vol. XIII. p. 351.
k) Ipſe diſſ. XI. ait, ſe decenti libertate vſum ſequi Platonem.
l) In Maximo T. II. p. 494.
m) In Chronic.

Digitized by Google

tendunt [m], eo quod Maximo quodam praeceptore ſe vſum eſſe imperator refert [n], et tempora concordant, et gratia dictorum, quam Marcus ei tribuit, prodere videtur, quod tamen rectius negant alii [o], cum Stoicae potius familiae philoſophus fuiſſe videatur. Mellitiſſimam eloquentiam poſſediſſe, diſſertationes eius varii argumenti probant, quas plerasque ad Platonicae doctrinae normam exegit, quamuis interdum σκεπτικῶς ſatis differat [p]. Multis inter veteres Maximi nomen fuiſſe, etiam philoſophis, conſtat [q], attentio itaque adhibenda, ne hunc Tyrium cum aliis eiusdem nominis confundamus [r].

Platonici alii.

§. XI. Et hi quidem potiòres Platonicorum ſub imperatoribus viuentium ſunt, qui eruditionis praeſtantia prae reliquis nomen famamque ſunt adepti. Iungi his poſſent ex ſecta magno ſectatorum numero gauiſa plures, quorum tamen vel nomen obſcurum manſit, vel praeter nomen et ſectam nihil apud veteres, quos hodie legimus, deprehenditur, quales fuere Cronius, Aſpaſius, aliique lecti a Plotino et Origene: vnde eos praetermittimus, in catalogis Platonicorum facile inueniendos. Quidam eorum ad Chriſtianos pertinent, ſuo etiam loco enarrandi. Maxime vero ſectionis huius finem facit, enata circa Seculi poſt C. N. ſecundi exeuntis tempora ſecta eclectica, quam reuera Platonicam fuiſſe, ſupra monuimus. Quae tamen cum ſe totam illi potiſſimum faciei attem perauerit, quam in Aegypto aſſumſit Platonicorum familia, et ſingularem habitum atque conſtitutionem acceperit, quae magnum inter philoſophos, et in ipſa etiam Chriſtiana eccleſia momentum habuit, peculiare quoque eclecticorum nomen affectauerit, ſingulari tractatione nobis eius fata exponenda, ſicque Platonicae ſectae hiſtoria ad ſeculum vſque octauum, quo, inter gentiles quidem, deleta fuit, deducenda eſt. Antequam vero eclecticam ſectam enarramus, duo adhuc viri graues et illuſtres, qui circa haec tempora inclaruerunt, adducendi ſunt, qui plerumque Platonicorum familiae annumerantur, licet eclectica potius libertate quadam fuerint vſi, nempe Plutarchus Chaeronenſis et Galenus.

Plutarchus.

§. XII. Referendum eſſe PLVTARCHVM inter ſui temporis philoſophos, nemo dubitabit, qui vel ſemel eruditiſſimi viri libros inſpexit, quibus non hiſtoriam tantum atque elegantiores literas, ſed philoſophiam

m) SCALIGER ad Euſeb. IONSIVS de S. H. Ph. L. III. c. 9. p. 256. IAC. CAPPELLVS Hiſt. eccleſ. cent. 2. TILLEMONTII, BARTRII, HEINSII loca affert FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 33.

n) De ſe ipſo L. I. §. 15.

o) GATAKERVS et MER. CASAVS. ad h. l. DACIER ad h. l. KVSTER. ad l. c. SVIDAE, FABRICIVS l. c.

p) Conf. Cl. STOLLIVS Hiſt. Phil. mor. gent. §. CCLIV. p. 572. Laudandus imprimis quod philoſophiam virtute et praxi demonſtrandam commendet. De editionibus, inter quas eminent DAN. HEINSII Lugd. Bat. 1614. 8. et IO. DAVISII Cantabrig. 1703. 8. videndus FABRIC. l. c. de Dauiſii CLERICVS Biblioth. ſelect. T. XI. p. 287. in qua optandum, vt Heinſii annotationes apparerent integrae.

q) Plerosque nominant IONSIVS de S. H. P. L. III. c. 9. p. 256. et FABRICIVS l. c. quibus multi ex Chriſtianis addi poſſent, ſi id ageremus, qui tamen ex ſcriptoribus hiſtoriae liter. eccleſ. facile poſſunt colligi.

r) Ita Tyrium cum Maximo Epheſio, Iuliani apoſtatae praeceptore confundit FR. MORELLVS in Iuuenatibus ad Libanium T. II. p. 175.

Digitized by Google

phiam quoque diligenter illuſtrauit [f]. Natus Chaeroneae in Boeotia [g], Boeoticum ingenium non accepit, ſed a *συμπατριωτῶν* moribus et indole totus diuerſus, optimis naturae muneribus ornatus eſt, ingeniique elegantiam induſtria ſtudiisque auctam, mire probauit. Et iudicandi quidem facultate, qua polluiſſe multis videtur [x], vltra mediocritatem non fuiſſe gauiſum, ea, quae vel ipſe tractauit, argumenta modusque ratiocinandi, quem adhibuit, vel quae ex veterum ſyſtematibus decerpta illuſtrauit, ſatis produnt. Nam in illis infirmis ſaepenumero rationibus et exiguo argumenti pondere vſus eſt, in his haud raro ſectarum mentem peruertit, et alienam iis ſententiam affricuit, cuius exempla [x] luculenta eſſe poſſunt, quae de Epicurea philoſophia, et de Platonis mente circa animam mundi diſſeruit, quae nec Epicuri nec Platonis ſententiis quadrant; Epicuro nempe voluptatis infamis et otioſae patrocinium, Platoni praeter Deum et materiam animam quoque malignam inter principia phyſiologica admiſſam perperam tribuit [y]. Magis autem in moralibus, quam in phyſicis valuit, et lectionis haud raro copia iudicii vim minuit et quaſi ſuffocauit, in hiſtorico tamen argumento illud magis probauit quam in philoſophico. Vnde ſi cum VOSSIO [z] inter philologos et hiſtoricos ſummos referendus eſt, de quo diſceptare nolumus, philoſophis tamen illum ſummis cum eo adſcribere, veritati omnino eſt contrarium, cum intra mediocritatis limites eius philoſophia conſiſtat. Ingenii autem fertilitate vique quadam imaginationis, in varias argumentorum, quae exponit, partes, et in omnem quaſi eruditionis campum excurrentis verſatili, memoria item excellenti vſus eſt, quae cum magna induſtria et immenſo ſtudio iuuaretur, vaſtiſſimam ei in optimis diſciplinis parauit lectionis copiam. Natus eſt familia nobili et eruditionis quoque fama celebri, quam paſſim prodit. Auus Lamprias fuit, quem inter potandum inueniendi ac diſputandi facultate ſibi ipſi praeſtitiſſe, ait [a]. Sed et frater eius nominis illi fuit, ob voracitatem Boeoticam ſcommate impetitus a Xenocle [b]; et filius, cui catalogum ſcriptorum parentis debemus, praeter quem etiam Autobulum et Plutarchum ſuſcepit, ad quos libellum de procreatione animae ſcripſit. Nepotem habuit Sextum [c], de quo infra dicendum, inter praeceptores Marci imperatoris. Apuleium etiam maternae originis fundamenta Plutarcho prodita referre [d] ſupra monuimus. Quo vero tem-

f) Vitam Plutarchi qui ex veteribus nobis exhibeat, deſideratur, quae enim SVIDAS in Plutarchus T. III. p. 133 habet, pauca admodum ſunt. Pleraque, quae de eo conſtant, ex ſcriptis eius hauriri debent, ex quibus Plutarchi vitam collegit, eiusque Operibus Paris. 1624. fol. editis praefixit IOANNES RVALDVS. Sed et DECII CELERIS vita Plutarchi edita eſt Patauii 1617. 8. Alios, praeſertim hiſtoriae literariae veteris ſcriptores, qui eum non omiſerunt, cum nota eorum loca ſint, praetermittimus.

g) De curioſ. T. II. p. m. 237. et alibi.

x) Ita plerique de Plutarcho iudicarunt, quorum elogia videnda apud HANCKIVM de Rom. rerum ſcript. P. I. c. 12. p. 81. G I. VOSSIVM de Hiſt. Graec. c. X. p. 208. T. MAGIRVM Eponymol. crit. p. 86. TH. POPELOVNT. Cenſ. Cel. auct. p. 143. BOECLER. bibliograph. crit. pol. p. 652. aliosque multos.

x) Adu. Coloten, an ſuau. viui poſſit ſec. Epicurum? an laetenter viuendum.

y) Dictum de priori T. I. L. II. c. 12. de poſteriori c. 7. ſ. 1. z) loc. cit.

a) Q q. Sympoſ. L. I. q. 5.

b) Ibid. L. II. q. 2.

c) CAPITOLINVS in Marco c. 3.

d) Metamorph. L. I. p. 5. Conf. qui de familia Plu-

pore floruerit, etsi accurate definiri non potest, certum tamen est, sub Nerone iam vixisse, quod non PHOTIVS [c] tantum testatur, sed ipse PLVTARCHVS [d] quoque affirmat, audiuisse se Ammonium disputantem, quo tempore Nero apud Delphos esset peregrinatus. Vixisse autem vsque ad Hadriani tempora passim prodidit, meminit enim caedis Neronis [e], item Vespasiani [f] et Titi [g], et Domitiani [h], Traiano vero apophthegmata inscripsit [i], et senex sub Hadriano Procurator Graeciae, SYNCELLO teste [k], constitutus est. Praeceptorem habuit Ammonium, philosophum doctum [l], sed syncretismi iam tum peste afflatum, quem cum Ammonio Sacca eclecticae scholae parente, toto seculo iuniore, passim a viris doctis confundi videas [m]. Iuuentutem optimis literarum studiis excultam mature reipublicae applicuit, legatus enim decreto publico ad proconsulem constitutus est [n]. Sed et Chaeronensium aliquando archontis siue praetoris officio defunctus est [o]. Apud Traianum, magnum doctorum virorum patronum, valde gratiosus, et, vt SVIDAS [p] habet, consulari dignitate ab eo auctus fuit, edixitque imperator, ne quisquam Illyriae magistratuum absque consensu eius quicquam ageret. Affert etiam SARISBERIENSIS [q] epistolam eius ad Traianum, cum imperium capesseret, in qua imperatori gratulaturus praecepta gerendi imperii ei commendat, ad capitula quoque aliqua politicae constitutionis prouocat [r], hausta, vt ait, e libello Plutarchi qui inscribitur: *Institutio Traiani:* ex quibus colligere liceret [s], Traianum, antequam imperii habenas capesseret, praeceptorem habuisse Plutarchum. Verum et ipsa epistolae ratio paedagogum spirans, et a moribus Plutarchi tota aliena, et lingua in qua scripta est Latina foetum satis produnt suppositititium. Senex enim Latinam demum linguam didicit Plutarchus, Graece ad imperatorem scripturus, si hoc consilium suscepisset [t]. Nec forte alius commatis sunt ista capitula, si ab apophthegmatibus, Traiano a Plutarcho inscriptis [u] differunt. Sub Hadriano Procuratoris Graeciae honore mactatus est [x]. Non vero reipublicae tandum gerendae, muneribusque publicis vacauit Plutarchus, sed cum Romae quoque et in Italia versaretur, philosophiam docuit [y], maximae vero scribendis libris operam impendit, de quibus catalogum confecit filius LAMPRIAS, hodie adhuc superstitem,

Plutarchi late differit RVALDVS l. c. IONSIVS de S. H Phil. L. III. c. 6. p. 238. seqq. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 389. seqq.

c) Cod. CXLV. p. 642.

d) De d Delphis inscripto T. I. p. m. 555.

e) De garrul. T. II. p. 506.

f) In Amat. T. III p. 349.

g) De tuenda valetud. T. I. p. 853.

h) In Valer. Poplicola T. IV. p. 190.

i) T. I. p. 322. *m*) p. 349.

n) Luca vbi praeceptoris huius meminit, habes collecta a RVALDO l. c. c. 7.

o) HADR. IVNIVS ad Eunap. VOSSIVS de sectis c. XXI. §. 6. HENDREICH. Pandect. Brandeb.

p) Praecept. gerend. reip. T. II. p. 457.

q) Sympos. L. VI. q. 8 T. III. p. 239.

r) In Plutarch. Chaer. T. III. p. 133.

s) In Policrat. L. V. c. 1. p. m. 250.

t) Ibid. c. 2 p. 252

u) Ita DEMPSTERVS in elencho script. apud POPE-BLOVNT. l. c. p. 143.

x) Conf. FABRICIVS Bibl. Graec. l. c. p. 365.

y) Quae tamen eius non esse videtur Rualdo, Xylandro et Vossio.

z) SYNCELLVS loc. cit.

a) In Demosthenis vita T. III. p. 21.

by Google

ſtitem [b], ex quo patet plura, quam habemus, Plutarchi ſcripta temporis iniuria intercidiſſe [c]: dolendumque eſt, hunc ſcriptorum Plutarchi indicem in fine deficere; vt quae genuina ſint Plutarchi, quae ſpuria, poſſent diſcerni, quod deficiente libelli fine fieri non poteſt. Gratulandum vero noſtrae aetati eſt, in tanta veterum ſcriptorum iactura libros Plutarchi plurimos fuiſſe ſeruatos, in quibus non hiſtoriae tantum Graecae et Romanae, ſed philoſophiae quoque veteri, maxime vero morali egregiam paſſim lucem accendit [d], hiſtoriam quoque philoſophicam egregie illuſtrat, licet non nemini [e] incertum ſit, an libellus *de placitis philoſophorum* Plutarchum auctorem agnoſcat. Certe inexhauſtae in veterum libris lectionis copiam, et inſignem prorſus eruditionem in iis contineri, nemo erit, qui vel ſemel eos inſpexit, qui negauerit. Et hinc inſolita prorſus huius viri elogia apud veteres et recentiores paſſim occurrentia. Inter quos GASSENDVS [f], aequus doctorum ſcriptorum iudex ac cenſor, ſi omnibus veteribus ſcriptis fuerit carendum, Plutarchi nos aegerrime carituros dixit; THEODORVS GAZA [g] vero, ſi omnes in mare abiiciendi ſint, Plutarchi ſe poſtremo loco ſeruaturum eſſe profeſſus eſt. Sed et Ioannis Metropolitae Euchaitenſium, ſub Conſtantini Monomachi et Comnenorum imperio clari verſiculos affert FABRICIVS [h], quibus teſtatur, ſi quos auerni nexibus liberare non credentium Chriſto conſtitutum eſſet, precibus ſe Platonem et Plutarchum petiturum, quos ſententia et moribus ad leges eius proxime acceſſiſſe conſtet. Quod licet nimium ſit, merito tamen pretium maximum ſtatuendum eſt libris optimis, qui, ſi iudicium accedat, et diligens cum veterum ſcriptis collatio, magnum veteris eruditionis theſaurum comparare apta ſunt: iuuentutem quoque et delectant et docent, quare laudanda virorum doctorum induſtria et conſilium, qui quosdam Plutarchi libellos iuuentutis commodo ſeparatim ediderunt; licet dictionem duriuſculam, et quosdam in eo naeuos notent eruditi [i]. In philoſophia, licet ſummi limatiſſimique iudicii fuiſſe paſſim viris doctis videatur [k], recte tamen LIPSIVS [l] iudicauit,

b) Edidit hunc catalogum primus DAV. HOESCHELIVS ex MSc. Bibliothecae Auguſtanae Aug. Vind. 1597. inde additus editioni Plutarchi Francof. 1620. Paris. 1624. vnde miramur VOSSIO non fuiſſe viſum, de Hiſt. Graec. L. II. c. 10. p. 210. Graece et Latine recudi fecit praeſtantiſſimus FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 333.

c) Signo (*) ea notauit FABRICIVS.

d) Hinc in vitas comparatas, et ſcripta moralia diuiduntur. Ex Graecis editionibus optima eſt H. STEPHANI, ex Graeco-Latinis Pariſienſis, 1624 fol. quae interpretationes habet variorum auctorum. Nos GVIL. XYLANDRI viri docti, ciuisque noſtri verſionem ſecuti ſumus, quae Francof. tomis ſex, 8. 1606. prodiit, eo quod in pleroruinque manibus ſit. Gallicam AMIOTI ſecutus eſt plerumque Baelius.

e) VOSSIO l. c. p. 210. et de ſatisfact. l. c. 1. rationes eius ſunt, quod eius libelli nunquam eo loco, vbi deber, Plutarchus mentionem faciat, quod alibi ei contraria afferat, quod alia docendi methodo vtatur, conf. IONSIVS L. III. c. 6. p. 234. Quibus tamen coniecturis conſenſum veterum, libellum hunc Plutarcho tribuentium, merito opponimus. Hiſtoriae philoſophicae Galeno tributae libellum eundem eſſe, ſed neutrum integrum in ſequentibus dicemus, conf. IONS. p. 268.

f) In vit. Epicuri L. III. c. 7. p. 98. Conf. NAVDE apologie des accuſez de magie p. 194. aliique laudati FABRICIO l. c. p. 331.

g) Apud FABRIC. loc. cit.

h) Ibid.

i) VOSSIVS, FABRICIVS ll. cc.

k) DEMPSTER. l. c. MVRET. Orat. Vol. II. or. 15. IAC. PONTAN. Progymn. Vol. II. pr. 54.

l) Polit. L. I. c. 9.

meliorem omnino, quam acutiorem doctorem fuiſſe, cuius ex parte cauſſam detexit magnus SCALIGER [m], *libros eius philoſophicos, vt Ciceronis magni non facicndos, nihil enim in iis eſſe, quod demonſtret et doceat, ac cogat; ſcripſiſſe enim aulicis tantum, non doctis.* Illud certum eſt, et ex lectione ſcriptorum Plutarchi manifeſtum cuiuis, plus eum egiſſe philoſophorum interpretem, quam ipſum philoſophum. Sumto enim ſemel tractandi argumento, ex ſecta hac illaue principia prima aſſumit, et prout licet, et ipſe nexum peruidebat, illud proſequitur, vbi aqua haerere coepit, Scepticum agit, et incertum ſuſpenſumque dimittit lectorem, quem opinionum vanitate delectat magis, quam iuuat, nec iudicium firmat, ſed doctrinarum tantum auget hiſtoriam, per ſectas tanquam explorator diffuſus. Negari tamen nequit maxime tauiſſe Platoni, et Academiae veteri, docteque ex eius principiis, licet non ſemper accurate, Platonisque menti conuenienter fuiſſe philoſophatum [n]. In quibusdam vero, praecipue in doctrina de virtute, Ariſtotelem quoque ducem ſecutus eſt, et in doctrina de anima Aegyptios, vel Pythagoreos potius; Parmenidis vero phyſiologiam in libello *de primo frigido* expreſſit. Saepe tamen Academice et Sceptice quoque philoſophatur, Stoicis vero et Epicureis infenſiorem ſe praebuit, et vtramque ſectam conſcriptis libellis refutauit. Caeterum an vel aequi et verum ex parte amantis animi, vel neſcio cuius negligentiae et contemtus ſignum ſit, quod Chriſtianorum in tot ſcriptis nullam vnquam facit mentionem, incertum [o]. Per Elpiſticos enim non intelligi Chriſtianos, quod vir quidam doctiſſimus contendit [p], ſed Stoicos notatos videri, *tomo primo* [q] demonſtrauimus. Etſi vero prudenter paſſim pieque de Diis locutus eſt Plutarchus, meruit tamen inter numinis hoſtes referri, PETRO MOLINAEO [r] eum in atheiſmum propenſiorem iudicante, quippe libro in eam rem edito probare conantem, atheiſmum eſſe ſuperſtitione tolerabiliorem. Qua tamen in re iniurium eſſe Molinaeum in Plutarchum eo magis conſtat [s], quo magis non hodie tantum eandem ſententiam viri tuiti ſunt eruditi inter impios non numerandi, ſed et, recte obſeruante optimo FABRICIO [t], Plutarchus non dixit, quamuis ſuperſtitionem eſſe deteriorem atheiſmo, cuius contrarium diſertis verbis docet [u], ſed dari tantum genera ſuperſtitionis quaedam tam flagitioſa, vt in Deum aeque iniuria ſint, quam atheiſmus, et grauius bellum etiam indicat honeſtati, virtuti et ſocietati humanae, non, quam atheiſmus omnis cum ſuis conſecutionibus et malitia omni, ſed quam atheiſmus nonnullorum hominum, in ſola ſpeculatione falſiſſima acquieſcen-

m) Scaligerana p. 49.

n) Vid. Qq. Platonicae, tr. de Iſide, de animae procreatione, de fato.

o) Non autus dicere bona, auerſatus dicere mala. Ita TILLEMONT. Hiſt. des empereurs T. II. p. 477. Nobis contemtus magis Chriſtianorum, qui illiterati habebantur, cauſſa fuiſſe videtur.

p) Cl. CHR. AVG. HEVMANNVS act. Philoſ. Vol. II. p. 911.

q) L. II. c. 9. et Miſc. Berolin. T. V. obſ. vlt.

r) De cognitione Dei p. 81.

s) Agnouere hoc FABRICIVS l. c. p. 351. et Syll. Scripr. de V. R. C. p. 338. et BVDDEVS theſ. de atheiſmo p. 223.

t) l. c. u) An poſſit ſuauiter viui ſec. Epicurum.

Digitized by Google

ſcentium, et naturae bonitate errorem hunc in vitam ciuilem influere non patientium. Quo ſenſu veteres quoque ita pronuntiaſſe [x] magno feruore contendit, qui pro Plutarchi opinione tanquam pro aris et focis, etiam cum atheiſmi ſuſpicione pugnauit vir acutiſſimus PETRVS BAYLE [y]. Quando obierit Plutarchus, aeque incertum; certe Hadriani temporibus valde ſenem fuiſſe, cum Apollinis ſacerdotio fungeretur, ipſe ſignificat [z]. Hinc coniectura enata viris doctis, natum circa decimum Claudii annum, qui Chriſti L. fuit, denatum eſſe quarto vel quinto Hadriani circa A. C. CXX. Memorabile eſt, quod de eius morte refert ARTEMIDORVS [a]. Morti vicinum ſomniaſſe, in coelum ſe aſcendere duce Mercurio; quod ſequente luce ita quis interpretatus ſit: fore eum beatum [b], hocque ſignificaſſe aſcenſum in coelum, nempe excellentiſſimam beatitatem. Idque etiam ita euenisſe, pauloque poſt Plutarchum deceſſiſſe. Id quod Artemidori fide credat, qui volet: Duodecim Plutarchos cum enumerent viri docti [c], noſter ab aliis accurate diſtinguendus, et inprimis cum Plutarcho Neſtorii, de quo infra dicendum, confundendus non eſt.

§. XIII. Alter qui circa idem fere tempus non artis tantum ſalutaris cognitione, ſed philoſophica quoque eruditione [d] illuſtre ſibi nomen conciliauit, eſt GALENVS, maximae famae et medicus et philoſophus, quem diuiniſſimum vocatum et a quibusdam diuino honoratum cultu refert EVSEBIVS [e]. Is potiora vitae ſuae momenta in ſcriptis ſuis ipſe tetigit, ex quibus ea magna diligentia collegit [f], et ſecundum temporis ordinem diſpoſuit PHILIPPVS LABBEVS [g], quibus alii quoque addi poſſunt, qui in enarranda vitae principis medicorum hiſtoria induſtriam exercuerunt ſuam [h], vel qui ſalutaris artis hiſtoriam aggreſſi ſunt. *Galenus.*

x) EPIPHANIVS T. II. p. 13. ARNOBIVS L. V. p. 161.

y) Notiſſimis locis Qq. prouinc. et de cometis. Conf. FABRIC. Syllab. l. c. BVDDEVS l. c. c. X. §. 2

z) Num ſeni gerenda respublica T. II. p. 442.

a) Oneirocrit. L. IV. c. 47. p. 245.

b) Id eſt, moriturum, beatos pro defunctis iam tum dictos eſſe ex HORATIO, L. I. c. 9. AMMIANO L. XXV. c. 3. HESYCHIO in μακάριος, aliisque conſtat.

c) l. c. p. 370. octo habet IONSIVS L. III. c. 6. p. 240.

d) Vocatus γνήσιος ἰατρὸς καὶ μόνος φιλόσοφος, imperatoris Marci iudicio.

e) Hiſt. eccleſ. L. V. c. vlt. θεότατος vocat Alex. Trallianus.

f) Egit etiam de Galeno SVIDAS T. I. p. 465.

g) Cum videret PHILIPPVS LABBEVS ex S. I. vir doctiſſimus, vitas Galeni paſſim enarratas ſcatere erroribus, ex eius potiſſimum ſcriptis, ea quae ad vitam illius illuſtrandam facere poterant, collegit, exque his locis *elogium Galeni chronologicum* contexuit, idque tanquam ſpecimen bibliothecae ſuae vniuerſalis ſtrenae loco miſſum ad Iac. Mentelium cum Eius epiſtola edidit Paris 1660. Eodem vero anno alium quoque libellum vulgauit hoc titulo: Vita Claudii Galeni Pergameni medicorum principis ex propriis operibus collecta: in quo loca ipſe, ex quibus elogium contexuerat, adduxit. Vtriusque libelli cum ſumma eſſet raritas, inſignitet de hiſtoria huius viri meruit, vir tot meritis in rem literariam immortalis I. A. FABRICIVS, quod non tantum elogium illud bibliothecae Graecae Vol. III. p. 509. ſeqq. totum inſeruit, ſed ex altero quoque libello loca Galeni omnia annotauit, ſicque vtrumque magno legentium commodo confudit in vnum, et exhibuit. Quae βιογραφία cum accurata ſit, eam hic ſequimur, lectoremque loca noſſe cupidum ad hunc libr. ablegamus.

h) Vitam Galeni enarratam a ſe, eius operibus a ſe verſis praefixit CONRADVS GESNERVS, Baſil. 1562. fol. in praef. et de Galeno, eiusque libris et interpretibus docte egit. Conf. MERCKLINI Linden. renov. p. 184. Poſt hunc Io. MARTINVS EVSTACHIVS Medi-

Digitized by Google

sunt [i]. Nos ea potissimum spectabimus, quae ad institutum nostrum propius pertinent [k]. Natus est Claudius Galenus, Pergami in Asia, et Attalicorum regum nomine et literarum studiis clara vrbe [l]; patre Nicone, viro eruditissimo et sedatissimis moribus praedito, A. C. circiter CXXXI. Hadriani imperatoris XIV. vel XV. labente. Matrem habuit adeo iracundam, vt quandoque ira abrepta ancillas morderet [m]. Pater cum non mathematicarum tantum disciplinarum notitia excelleret, sed et optimis quoque literis esset excultissimus [n], filium ipse mature instituit, et praestantissimis quoque praeceptoribus instituendum dedit, vnde in prima pueritia artes liberales atque elegantiores, quaeque humanitatem iuuare aptae sunt, edoctus est. Anno aetatis XV. ineunte, Antonino Pio tunc imperante ad philosophiam traductus, sub Caio Platonico [o], et quodam Philopatoris Stoici discipulo, ei operam dare coepit; tum anno vitae XVII. ad salutarem artem a patre in somnio admonito translatus, Satyrum Quinti [p] discipulum [q], Stratonicum [r], et Aescrionem [s] empiricum aliosque habuit in patria sua praeceptores, medicamque artem cum philosophiae coniunxit studio. Cum morte eriperetur pater filio moestissimo, Smyrnam hic se contulit, anno aetatis XXI. vt Pelopem ex Quinti discipulis medicum celeberrimum [t], atque Albinum Philosophum Platonicum [u] audire, sicque philosophiae et medicinae studia maioribus excolere posset profectibus. Smyrna Corinthum se contulit ad Numesianum [x], non minoris famae medicum, qui et ipse ex Quinti fuit discipulis. Varias deinde per prouincias peregrinatus [y], alios quoque medicos audiuit, simul medicaminum in iis naturam viresque explorauit, tandem Alexandriam et mercaturae laude et literarum studiis inclytam, Aegyptique inferioris metropolin [z] descendit, qua vrbe

Medicus Neapolitanus de vita Galeni Neapoli 1577. 4. commentarium edidit, eruditum quidem satisque accuratum, sed digressionibus multis onustum. Eandem Galeno operam praestitit RENATVS CHARTERIVS, qui splendidae, quam curauit, editioni operum Galeni et Hippocratis, eius vitam praefixit. Qui tamen ita in hoc argumento versati sunt, vt aliam vitam alios scriptores eum postulare iudicauerit MENTELIVS l. c.

i) Inter hos primum in enarranda Galeni historia et doctrina locum tenet DANIEL. CLERICVS V. C. in historia medicinae P. III. Libro tertio fere integro p. 660.

k) Reliqua medicis relinquenda sunt.

l) Imprimis illustris Pergamus, ob celeberrimum templum Aesculapii, morborum curationibus miraculosis famosum, de quo vid. CLERIC. l. c. L. I. ch. 20. p. 63. mirum itaque non est, Galenum tantis exemplis famaque patriae incensum arti salutari se dedisse.

m) De dignosc. animi morbis. Digna itaque, quae albo malarum eruditorum mulierum adscribatur.

n) SVIDAS l. c. qui in architectura et geometria eum excelluisse dicit.

o) Verisimile admodum, esse hunc Caium, qui in schola Plotini lectus est, quemque cum Cronio, Aspasio, Numenio vixisse supra coniecimus. Addi itaque hic Galeni praeceptor potest Platonicorum catalogo apud FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 55.

p) Videndi de hoc medico, quem licet a suis opinionibus dissentientem valde laudat Galenus, CLERIC. l. c. p. 661. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 321.

q) FABRIC. Bibl. Gr. l. c. versatus est Satyrus praecipue in anatomicis. CLERIC. loc. c. p. 658.

r) Ciuis Galeni, discipulus Sabini FABRIC. p. 489. CLERICVS l. c.

s) Vocatur etiam Aescheron, ib. p. 40.

t) Conf. PLIN. L. XXXII. c. 5. CLERICVS l. c. FABRICIVS l. c. p. 360. Fuit discipulus Numesiani.

u) Dictum de eo supra in Alcinoo.

x) Fuit Corinthius, rei anatomicae valde peritus, vid. citati.

y) Ciliciam, Palaestinam, Coelesyriam, insulasque Cretam, Cyprum, Lemnum, peragrauit, opobalsami et terrae Lemniae naturam explorauit.

z) Dictum de hoc non mercaturae tantum sed eruditionis quoque emporio supra Tomo I.

Digitized by Google

vrbe praeter reliquas diſciplinas imprimis medicae artis ſtudium laetiſſime floruit. Vnde anno aetatis XXVIII. digreſſus, in patriam rediit [a], cumque vulnerum curationem praecipue excoluiſſet, magiſtris vſus, qui in ſecandis corporibus excellebant, pontificum annuorum iuſſu gladiatorum curationi praefectus eſt, quam per quinque aut ſex circiter annos magna felicitate abſoluit, ſicque non medicinae tantum, ſed et chirurgiae myſteriis probe ſe initiatum demonſtrauit. Illo tempore exacto cum ſeditionem patriae effugeret [b], ſe Romam conuertit aetatis anno XXVIII. A. C. CLVIII. imperantibus M. Aurelio Antonino et Lucio Vero fratribus, quorum gratia tum magnam eruditorum frequentiam Romam adduxerat: ibi cum anno ſequenti iugulum ei humero motum eſſet, per dies quadraginta

L. II. c. ult. quibus, cum in ſequentibus ſcholae Alexandrinae ſaepius facienda ſit mentio, addendum, redacta ſub Romanorum imperatorum poteſtatem Aegypto, Alexandriae ſtudia literarum non refriguiſſe, ſed maiori potius feruore fuiſſe exculta. Docebantur enim ibi praeter grammaticam et rhetoricam, philoſophia quoque, artesque mathematicae et medicina. Multum vero ad incrementa ſtudiorum Alexandriae contulit imperatorum Hadriani et Antonini Pii liberalitas, qui profeſſoribus ſalaria conſtituerunt, quod cum calcar iis ad excolendas magis artes et diſciplinas adderet, magna eruditionis incrementa produxit. Exque eo potiſſimum tempore, medici celeberrimi nominis Alexandriam migrauerunt, tantaque induſtria excoluerunt artem ſalutarem, vt iatrosophiſtarum Alexandrinorum ſchola, ſiue, vt ex noſtri temporis moribus loquamur, facultatis medicae Alexandrinae nomen et fama per omnem orbem Romanum celebraretur; cuius initia Galeni quidem tempore facta eſſe, loca eius a LABBEO l. c. adducta dubitare non ſinunt, altius tamen exſurgentem medicorum ſuorum gloriam vidit Alexandria Sec. IV. Non tacendum tamen, Galenum, qui Iuliano profeſſore ibi vſus eſt, non de iis ſentire tanquam optimis et pro Sophiſtis habere Comm. I. in VI. Epid. T. II. Et hoc loco amicum habuit intimum Heraclianum, medicum inſignem. Valentiniano tamen imperante adeo creuit ſchola medica Alexandriae, vt AMMIANVS MARCELLINVS, qui hanc ſcholam L. XXII. c. 16. deſcripſit, dicat: „Medicinae ſtudia Alexandriae augeri in dies, vt licet opus „ipſum redoleat, pro omni tamen experimento „ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.„ Plura de ſtudio medico Alexandriae culto dabit HERM. CONRINGIVS de Hermetica medicina C. IX. p. m. 84. Quibus vnum addimus teſtimonium Geographi veteris a DIONYSIO GODOFREDO editi, qui C. XVIII. p. 23. ait: „Ciuitatem Alexandriae totius pene orbis terrae „ſolam vera philoſophia (eclecticam intelligere „religionibus inſignem ex antecedentibus intel„ligitur) abundare, et varia in ea philoſopho„rum genera inueniri: hinc et Aeſculapium „ei medicinae peritiam concedere voluiſſe, di„gnatumque id ei praeſtare, vt per totum or„bem medicos ſpargeret, quo fiat, vt ciuitas „propemodum iſta omnibus hominibus initium „ſaluris ſit„. De philoſophiae vero ſtudiis Alexandriae vſque ad Saracenorum tempora cultis, praecipue de eclecticorum ſiue Platonicorum recentiorum ſcholis cum ſequenti ſectione, et in hiſtoria etiam philoſophiae inter Chriſtianos dicendum ſit, hic nihil addimus, videndi tamen EVNAPIVS in vita Magni p. 178 et IVLIANVS ep. ad Zen. Sed reſurrexiſſe philoſophiae et medicae artis ſtudia Alexandriae quoque ſub Saracenis, qui initio Sec. VIII. exitium tantum non attulerant, infra dicemus, vbi de philoſophia Saracenorum diſſerendum. Narratque BENIAMIN TVDELENSIS in Itinerar. p. m. 121. „Extra vrbem Alexandriam „Ariſtotelicam ſe ſcholam offendiſſe, pulchra „et magna ſtructura, marmoreis columnis inter „ſcholas collocatis; viginti enim ſcholas viſi, „quia eo ex toto mundo confluerent, quo Ari„ſtotelis philoſophiam addiſcerent„. Id, quod de Saracenorum temporibus intelligendum, quibus vna haec ſecta obtinuit: quam tamen mature Alexandriae doctam eſſe Anatolii exemplo ſuo loco demonſtrabimus: nec a vero prorſus abludit, fundamenta eius ipſum Alexandrum M. iecciſſe.

a) In Alexandriam aemulatione literarum accenſam fuiſſe Pergamum, optimasque ibi diſciplinas artesque fuiſſe doctas; tomo primo iam notauimus, et bibliothecae Pergamenae fecimus mentionem. Imprimis medicae artis incrementa promouit fanum Aeſculapii celeberrimum, de quo in antecedentibus, conf. TACIT. Annal. L III. c. 63. BAYLE dict. T. III. art. Pergame not. D. Meminit etiam Cycli Pergameni SVIDAS in Muſaeus Epheſius T II. p. 578. vbi veriſimili coniectura putat KVSTERVS, fuiſſe Pergami Muſeum, vt Alexandriae, in quo viri docti alebantur, inter quos forte Galenus quoque fuit.

b) In librum Hippocratis de fracturis.

ginta decubuit, ſanitati poſtea reſtitutus; et cum medicinam faceret, et experientiae doctrinaeque ſuae panderet theſauros, inuidiam medicorum Romanorum expertus eſt. Quae tamen non obſtitit, quo minus, felici ſucceſſu ſanatis multis, in virorum optimatium notitiam atque amicitiam veniret, inter eruditos vero eius temporis inclareſceret. Inter quos fuit Eudemus, Philoſophus Peripateticus magnae famae et exiſtimationis, quem a febre quartana eodem, quo morbum prius is intenderat, medicamine liberauit. Sed et inter aulae proceres Sergio Paulo praetori Barbaro, Seuero, tunc conſuli et poſtea imperatori Boëthoque viro conſulari innotuit, et ſectione publica cadaueris inſtituta, demonſtratisque reſpirationis atque vocis organis, magnam peritiae in re medica famam conſecutus eſt: praeſertim cum Boëthi quoque vxorem feliciter ſanaſſet. Quae in curandis aegrotorum morbis felicitas, et in praedicendis eorum euentibus ſagacitas cum omnium ore Romae ferretur, vehementer auxit inuidiam medicorum, qui aegre vt ei facerent, omiſerunt omnino nihil, et conuiciis proſciderunt, quem arte ſuperare nequiuerant: hinc grammatici, et medici dialectici in eum coniecta nomina (λογίατρος ipſe habet) [c] immo et παραδοξολόγυ et παραδοξοποῖυ, mirandarum curationum promiſſoris et effectoris, quod maiora ſolitis iactare et oſtentare auderet. Ita enim ad conuicia magis inimicorum haec poſtrema nomina cum Cel. CLERICO [d] trahenda eſſe putamus, quam ad laudes optimatium atque plebis, vt vult LABBEVS [e]. Inuidiae itaque ceſſurus, ſimul peſtis, quae graſſari coeperat, euitandae [f] cauſſa vrbem reliquit, et in Campaniam ſe ſubduxit, et Brunduſio, Pergamum vela fecit anno aetatis XXXVIII. A. C. CXLVIII. Verum nec patria frui diu illi licuit, nec otio optato: namque ſub exitum eius anni aut ſequentis principium ab imperatoribus Marco Aurelio et Lucio Vero, e Parthica expeditione paulo ante reuerſo, qui tum Aquileiae morabantur, vt ſe bello Germanico pararent, in Italiam reuocatus eſt. Romae itaque iterum ſe reddidit, et inde Aquileiam ad imperatores properauit. Acrius vero ſaeuiente maximasque ſtrages edente morbo peſtilentiſſimo imperatores cum paucis Romam euaſerunt, Lucius in via ictu ſanguinis extinctus eſt [g], Galenus cum Marco incolumis Romam venit; paulo poſt imperatore petente, vt ſecum moliente bellum in Germaniam proficiſceretur, quod fieri a ſe non poſſe Galenus cauſſatus eſt, eo quod ab Aeſculapio, mortifero apoſtemate ſanatus, monitus eſſet ſomno, ne Roma excederet. Abeunte itaque et in Quados, Marcomannos ac Sarmatas bellum proſequente imperatore, ipſe Romae haeſit, et tum artis ſalutaris exercitio, tum libris ſcribendis totum ſe dedit, inter quos libri *de praecognitionibus* ſunt, et praeſtantiſſima *de vſu partium corporis* diſſertatio [h], quaeque aduerſus Stoicos et Peripateticos de voce et reſpira-

c) De praecognitione.
d) l. c. p. 663. e) l. c. §. 4.
f) CAPITOLINVS, in Vero c. 8. EVTROP. L. VIII.
g) Videndi ſcriptores vitae Antonini philoſophi et Veri.
h) Ex merito paſſim laudatur hic libellus, vid. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 550. et

Digitized by Google

ſpiratione diſputauit. Quoniam tamen medicis gloriae eius vehementer inuidentibus diffidebat, ſaepe in ſuburbano imperatoris tempus terebat, eo haud raro vocatus, vt Commodi ſanitati proſpiceret, quem cum febri liberaſſet, Sextumque alterum imperatoris filium curaſſet morbo, admodum creuit nominis eius gloria. Ex eo tempore ſemper manſiſſe videtur Romae, et quod SVIDAS teſtatur, etiam ſub Pertinace vixit [i], cuius et ipſe in ſcriptis ſuis meminit [k]. Vtrum vero ſub Didio Iuliano, Clodio Albino, Peſcennio Nigro, atque Seuero eiusque filio Antonino Baſſiano vixerit, de eo varia eſt virorum eruditorum ſententia, quemadmodum incertum eſt, vtrum Pergamum redierit nec ne, et quo aetatis anno fuerit extinctus? De quibus cum poſt EVSTACHIVM, LABBEVS atque CLERICVS [l] fuſe egerint, lectorem criticae huius diſquiſitionis pernoſcendae auidum ad hos viros doctos remittimus, cum noſtri inſtituti ratio non patiatur, his, quae ad medicinae hiſtoriam pertinent, prolixe immorari. Illud laudatorum virorum diligentia extra dubium poſitum eſſe exiſtimamus, vixiſſe Galenum adhuc ſub Seuero; nam narrat ipſe [m], theriacam, quam praeſtantiſſimi vſus et efficaciae M. Aurelio imperatori parauerit, poſt Commodi tempora ſe imperatori Seuero conſtruxiſſe, imbecilliorum virium, eo quod cinnamomum omne, quod Antoninus habuerat, fuiſſet conſumtum, quodque ipſe ſibi parauerat, iſta tempeſtate, qua templum pacis conflagrauit [n], periiſſet. Quae cum ad Lucium Verum, quem ſub Seuero intelligi viri quidam docti putant, trahi nequeant, certiſſimum inde eſt, vixiſſe adhuc ſub Seuero, et inter medicos imperatoris locum illuſtrem obtinuiſſe. Quidam et in his COELIVS RHODIGINVS [o] CXL ei annos tribuunt, quam inſulſitatem refutatione opus non habere, recte LABBEVS [p] pronuntiat, qui vulgare inde enatum prouerbium putat, quo Galenica ſanitas pro ea, quae vltra, quam ſolemne, inoffenſa eſt, dicitur. Nec in alium cenſum, quam inter Graeculorum fabulas referendum, quod GLYCAS [q] habet: Galenum in Magdalenam incidiſſe, et audiuiſſe ex ea, Chriſtum quendam a natiuitate coecum curaſſe; et reſpondiſſe: neceſſe fuiſſe, vt Chriſtus terrae metalla bene cognita habuerit, alioquin viſum cocco reſtituere non potuiſſe. Quae ex ipſius Galeni aetate recte refutat Glycas. Alii LXXX, alii LXXXVII, alii LXX ei annos tribuunt [r], quos ſequitur SVIDAS [s],

et imprimis Syll. Script. de V. R. C. C. II. p. 144. ſeqq.

i) loc. cit.

k) De libris propriis c. 13.

l) ll. cc.

m) De antidotis c. 13.

n) Multa ſcriptorum ſuorum tum amiſiſſe ait. De libr. propr. l. c.

o) Antiq. lect. L. XXX. c. 12. p. m. 1157. qui ſine morbo ſola virium defectione obiiſſe ait, conf. CLERIC. l. c.

p) loc. cit.

q) Annal. P. III. p. 231. Pertinet in eundem cenſum fabula de eius in Iudaeam profectione, vt miracula Chriſti videret, conf. LABBEVS l. c. et FABRICIVS p. 526.

r) Vid. quos nominat LABBEVS l. c.

s) loc. cit.

Digitized by Google

et calculo suo probat LABBEVS [t], paulo vero diutius vixit, si quod Tzetzes vult, Caracallam viuendo attigit. Scripsit libros plurimos non medici tantum argumenti, sed et philosophici, rhetorici et grammatici; qui tamen periere fere omnes, medicorum parte magna ad nostra tempora seruata [u]. Pauca quae ad philosophiam spectantia nobis restant, sunt: *de optima doctrina contra Fauorinum*, vbi Sceptici refutantur; *quod optimus medicus sit quoque Philosophus; de cognitione et medela affectuum*, *de placitis Hippocratis et Platonis; de vsu partium corporis humani; commentarius in Platonis Timaeum* etc. Licet vero maxime sobrie philosophatus sit in illo *de vsu partium* libro, inuenti tamen sunt, qui atheismi notam ei inurerent; alii enim Mosis cauillatorem esse caussati sunt; aliis Epicureus visus est, aliis naturalista, aliis immortalitatem animae negasse dicitur, quorum loca dedit Cl. REIMMANNVS [v]. Qui omnes vna illa demonstratione sapientiae diuinae, ex vsu partium corporis humani refutari possunt; qui vero Epicureismum ei obiiciunt, ignorant nullam sectam Galeni demonstrationi magis aduersari, quam hanc. Ferenda quoque ea sunt in homine gentili, et a sectarum praeiudiciis nondum libero, quae sanctiori philosophiae repugnant. Tribui quoque solet Galeno *historia philosophica* siue placitorum philosophicorum apud Graecos enarratio; verum vnum idemque scriptum esse, cum eo, quod de *placitis Philosophorum* scripsit Plutarchus, sed neutrum integrum, ex collatione patet, recteque obseruatum IONSIO [w], vnum ex altero posse suppleri. De rationali etiam philosophia figurae quartae inuentione meruit. Sectae vero nulli ex integro addictus per omnes exploratoris instar discurrit, et quodcunque placebat, elegit. Et in dialecticis quidem plerumque secutus est Aristotelem, cuius libros *de categoriis*, *de interpretatione*, *analytica priora et posteriora* commentariis illustrauit: et, quod laudem meretur, doctrinae de demonstratione clariorem lucem accendit. Sed et Stoicam dialecticam excussit, et in *Chrysippi libros logicos* scripsit, etiam *de theoria logica secundum Platonem* commentatus est. Vitae porro felicitatem secundum Epicurum, et voluptatem quoque Epicuream scriptis exposuit; pro Epicteto quoque contra Fauorinum scripsit. Multis etiam scriptis Platonicam philosophiam illustrauit, quae tamen periere, de quibus ipse in scripto *de libris propriis* videndus [x]. Non inepte itaque suo modo intereclecticos Philosophos Galenum retulit GAVDENTIVS [z].

SECTIO

t) loc. cit. p. 523.

u) Ex CHARTERII editione, ex quae supersunt enumerat MERCKLINVS Lind. renou. p. 384. et FABRICIVS l. c. p. 528. seqq. suntque numero CLXX. conf. Act. phil. Vol. II. p. 78.

v) Hist. atheismi C. XXXV. §. 8. p. 238. seq.

x) De Scr. Hist. phil L. III. p. 268.

y) Conf. de his omnibus FABRIC. l. c.

z) De phil. Rom. C. XXXVI. p. 124. seq. qui tamen multa miscet huc non pertinentia.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

DE SECTA ECLECTICA.

§. I.

Platonica, quam hucusque enarrauimus, secta eclecticam genuit, monstrosi nominis generisque philosophiam, si nomen natiua significatione adhibeatur. Secta enim cum dicatur, quae vnius potissimum philosophi rationem philosophandi, quodque sibi construxit, systema doctrinarum sequitur; eclectica vero methodus ea sit, quae ex omnium sectarum placitis ea sibi eligit, quae veritati propiora sunt, et propriis meditationibus iungi apta; exque iis proprium doctrinae excitat aedificium; clarum inde est, sectariam philosophiam adeo repugnare eclecticae, vt in vnum redigi corpus nequeant. Nec si proprie appellationem accipiamus, eclectica philosophia noua est, sed antiquissima, maximisque viris sectarumque conditoribus omnibus vsitatissima. Pythagoram enim ex Aegyptiorum, et, si quosdam audias, orientalium placitis, Phaenicumque philosophia, Graeciaeque veteris theologia systema suum conflasse: Platonem ex Italica, Socratica et Heraclitica philosophiae nouum eius genus condidisse: Zenonem Pythagoreorum, Heracliteorum, Platonicorum, Dialecticorum, Cynicorum placita nouo, quod in porticu condidit, systemati intulisse, sicque alios quoque nouarum sectarum auctores instituisse rem suam, tomo primo, vbi Graecarum sectarum historiam enarrauimus, ita demonstratum est, vt dubium supereresse queat fere nullum. Etsi enim videri voluerunt nouo systemate, omnes ante se philosophos reliquisse, et alia longe atque meliora prioribus dedisse, quod imprimis de Aristotele et Epicuro suo loco notauimus, intelligendum id tamen est, non quod nihil ab aliis acceperint, sed quod ipsa systematis noui constructio, et expositis propriae meditationis principiis excitatum doctrinae aedificium noua sint, et veteribus indicta; sumtis tamen ex veteribus, quaecunque in rem suam verti posse credebant, quae causa est, cur PLATO [a] et ARISTOTELES [b] eclecticam philosophandi viam laudauerint et commendauerint. Immo multa ex veteribus in sua vtrumque arua, non laudatis auctoribus, sed reprehensis quoque, transtulisse, exemplis et testimoniis in eorum historia confirmauimus. Neque tamen mirum, viros eclectica ratione philosophantes sectarum auctores factos esse. Idem enim et ipsis et discipulis eorum accidit, quod et nostris temporibus, quibus eclectica philosophia postliminio reuocata et reducta est, accidisse nouimus, vbi sectarum inter eclecti-

Secta eclecti. ca vnde dicta?

a) In Charmide Tom. II. p. 161. Prot. Tom. I. p. 347.

b) Ethic. L. I. c. 4. conf. vita eius ab AMMONIO scripta.

Digitized by Google

cos philoſophos nomina ignota ſunt nemini, ipſaque eclectica philoſophia nobis Gaſſendiſtas, Carteſianos, Newtonianos, Leibnizianos, etc. peperit. Ambitionem enim, quae caput ſectae euadere cupit, hancque ſibi ſumma cum iucunditate gloriam vindicat, quod ſola et prima facem ad veritatem praetulerit humano generi, in ipſis ſectarum conditoribus ſaepe regnantem multum ad condendam ſectam contuliſſe, Platonis et Epicuri ex veteribus, Carteſii ex recentioribus exemplo conſtat. Factum tamen ſaepe eſt, vt magnis viris a ſectae ſtudio abhorrentibus adeo in vnius viri placita coniurauerint diſcipuli, auctoritatis et venerationis praeiudicio ducti, ſuisque in inquirenda veritate viribus diffiſi, vt qui ſectam condere nunquam cogitauit, ſectae caput atque conditor factus ſit. Ex quibus manifeſtum eſt, hic, vbi de ſecta eclectica agitur, communem propriamque ſectae ſignificationem eſſe deſerendam, eoque nomine intelligendam certam philoſophorum familiam, quae non tam ipſa placita quam ratiocinandi modum methodumque philoſophi alicuius ſecuta eſt, hancque ſucceſſione multorum philoſophorum propagauit, varia vero diuerſarum ſectarum dogmata in vnum ire coëgit doctrinae aedificium. Quam genuinam fuiſſe ſectae eclecticae faciem, ex ſequenti tractatione luculenter diſpaleſcet. Negandum tamen non eſt, ſectae potius nomine, quam eclecticae philoſophiae titulo dignos eſſe hos homines, qui cum ex Platonico-Pythagoricis Alexandrinorum ſcholis prodierint, Platonicum philoſophandi genus nomenque valde adamarunt, vt in ſequentibus dicemus. Immo, ſi fatendum, quod res eſt, nec eclecticum illis nomen debetur, qui non in eligendis veris, ſed in conciliandis et in vnam quaſi maſſam chaosque magnam partem informe conflandis diuerſiſſimarum opinionum generibus fuere diligentiſſimi, ſic vt conciliatorum potius vel ſyncretiſtarum nomen mereantur. In hoc tamen vno eclecticum quid in iis deprehenditur, quod nullus inter eos ita in magiſtri verba iurauerit, vt non propria ingenii commenta nugasque nouo affricaret ſyſtemati, ſicque ineptum philoſophiae genus nouis inuentis adaugeret, et ſi Diis placet, ornaret cumularetque. De quibus omnibus in ſequentibus dicendi campus ſe nobis pandit ampliſſimus.

Origo ſectae eclecticae.

§. II. Sed vt propius origines famoſae ſectae, cuius vsque ad noſtra tempora hiſtoria valde obſcura et ignota fuit [c], cognoſcamus, ad ea, quae tomo primo de philoſophia inter Aegyptios, vbi nata et educata eſt, diximus, potiſſimum attendendum eſt, ex huius enim regionis indole

c) Pauca fereque nulla ſunt, quae de hac ſecta veteres habent, cuius potior ratio haec eſſe videtur, quod Potamonis, qui ſectam condidit, inſtitutum cum ipſo auctore obierit quaſi et exſpirauerit, Ammonii vero Plotinique ſchola Platonicorum nomine plerosque decepe-rit. Vnde recentiori demum tempore lux eius hiſtoriae allata eſt, viris doctiſſimis GODOFREDO OLEARIO, de ſecta eclectica, duabus diſſertationibus, quas STANLEII Hiſtor. philoſ. p. 1205. ſeqq. affixit, et IO. LAVRENTII MOSHEMIO de turbata per recentiores Platonicos eccleſia diſputantibus, quae et CVDWORTHI ſyſtemati et Vol. differt. Hiſtorico - eccleſiaſticarum, p. 85. ſqq. inſerta eſt.

Digitized by Google

dole moribusque potiſſimum eius origo eſt deriuanda. Tomo vero primo fuſe iisque, quae rem conficere apta ſunt, teſtimoniis rationibusque demonſtrauimus, theologiam non tantum Aegyptiacam veterem mutationes varias fuiſſe paſſam, et, cum ſacris potiſſimum diſciplinis conſtaret, in ſyncretiſmum diuerſarum religionum degeneraſſe, praeſertim vbi peregrinae gentes, inque his Perſae terram hanc inuaſiſſent, ſed pronos quoque fuiſſe Aegyptios, gentem ſuperſtitioni cultibusque Deorum longe deditiſſimam, ad recipienda quaeuis religionum per omnem terrarum orbem diffuſarum dogmata, nec pauca in adyta et templa ſua transtuliſſe. Porro monuimus, ex quo ſub Alexandro M. eiusque ſucceſſoribus ſumma rerum in Aegypto ad Graecos rediit, attemperauiſſe ſe ſacerdotes Aegyptios non moribus tantum, ſed placitis quoque victorum, et non tantum patriam doctrinam ad Graecae eruditionis praeſertim theologiae, quae mythologiis comprehendebatur, normam inflexiſſe, ſed philoſophiae quoque Graecanicae, cuius ſub Alexandro eiusque ſucceſſoribus per totum fere orbem maxima fama et exiſtimatio fuit, magnum ſtatuiſſe pretium, ne Graecis viderentur doctrina inferiores: maxime tamen Pythagoricae et Platonicae philoſophiae doctrinam admiſiſſe, eo quod omnium ſectarum lucidiſſime et ampliſſime de Diis differeret, et occaſionem offerret, elegantiſſima methodo, ſuperſtitionem vulgi, patriasque traditiones cum philoſophia conciliandi, ex quo non potuiſſe non euenire, docuimus, vt ſyncretiſmus religionum et philoſophiae in hac ſecta inualeſceret. Quae res eo magis incrementa ſumſit, quo magis in Aegypto, maxime Alexandriae, tot diuerſarum religionum hominibus ſcatente, omnis generis placita recepta erant, et in vnum quaſi chaos poterant coire, vnde mirum non eſſe diximus, quod ad ipſos Iudaeos iſta accommodatio religionum ad doctrinam Pythagoreo-Platonicam tranſierit, vt hoc infra in hiſtoria philoſophiae Iudaicae faciemus manifeſtiſſimum. Sed et hoc ad origines philoſophiae eclecticae cognoſcendas repetendum eſt ex ſuperioribus, philoſophos Alexandrinos, qui ſub Ptolemaeo Phyſcone, extrema hominis amentia expulſi et per omnes delabi terras ad euitandam tyrannidem coacti ſunt, inque Aſia ſcholas inſtituerunt, enatum circa iſta tempora, vel paulo ſupra, nouum philoſophiae Orientalis genus, quod ex Zoroaſtris diſciplina ceu ex fonte manaſſe, infra, vbi de eo quoque edifferendum erit, dicemus, quodque in delineandis genealogiis Deorum eorumque ex ſummis diuinisque fontibus emanationibus occupatum de rerum etiam ſublunarium et materiae omnis conditione diſputauit, didiciſſe, et quamuis illi philoſophaſtri Platonem mire contemnerent, Platonico-Pythagoricos eo magis tamen has nugas admiſiſſe, quo magis ſyncretiſmo religionum ſuo fauerent, et cum Pythagorico-Platonicis conciliari poſſent, venerabile quoque Zoroaſtris nomen praeſe ferrent, a quo philoſophiam ſuam Pythagoram, vt ab Hermetis Aegyptii poſteris, accepiſſe, communi tum traditione credebatur. Id quod cum

Digitized by Google

cum efficeret, vt Zoroaſtrianae et Hermeticae philoſophiae titulo ornari poſſet philoſophia, quae in Aegypto florebat, Pythagorico-Platonica, magnum inde nominis famaeque atque dignitatis ei ex hac re, incrementum accederet. Contulit etiam aliquid ad hanc Alexandrinorum conciliatricem philoſophiam Graecarum ſectarum conditio. Dogmatici enim cum ſe inuicem mutuis aggrederentur praeliis, et quam infirmae eſſent aſſertiones pleraeque, et quam precaria tota dogmatica philoſophia, prodebant [d], et Scepticorum atque Academicorum gladiis cateruatim quaſi cadebant. Quod quam valide aperuerit ingeniis ſupra vulgus ſapientibus oculos, et ſcepticiſmum genuerit, ſuo etiam loco demonſtrauimus. Cum vero et ſcepticiſmus videretur inſanus, et ab humani intellectus natura remotior, et inuidia odioque eſſet plenus, non potuere non ad certam quandam eligendi ex variis ſectis doctrinas libertatem ingenia excitari, et ad hanc ſpem erigi, fore, vt hac demum ratione veritatem inter omnes hactenus ſectas diſperſam colligerent; cuius rei exempla ex ſupra adductis Plutarchus atque Galenus eſſe poſſunt. Multum hoc conſilium confirmauiſſe philoſophos Alexandrinos, qui omnium ſectarum et religionum conciliationi ſtudebant, per ſe intelligi poteſt, nec Oedipo opus habet: vnde eo audentiores progreſſi, de conſiliis ſuis maturandis dies noctesque cogitabant. Quam tamen rem ad perfectionem perduxit Chriſtiana religio, eo tempore etiam inter Aegyptios, et inprimis Alexandriae ſparſa, apud quos philoſophia Pythagorico-Platonica valde inualuerat. Cum enim ſanctiſſima veritas miraculorum ſplendore atque doctrinae ſanctitate mire inter populos, etiam Alexandriae [e] creſceret, et exorientis ſolis inſtar, reliqua lumina extingueret, labaſcere valde coepit, vt gentilis omnis, ita Aegyptiorum quoque ſuperſtitio: cuius cum non exiguum fulcrum eſſet theologia philoſophorum, qui in Pythagorico-Platonicis docebant ſcholis: illi ſua intereſſe rati, vt rebus ſuis ſuccurrerent, quouis modo anniſi ſunt. Idque factum tum arma contra Chriſtianam religionem ſibi parando, tum ea, quae non poterant vel refellere vel etiam contemnere, exque animis hominum eiicere, imitando, easque doctrinas ita in παν̓δοχεῖον philoſophiae ſuae, omnibus religionibus aptum, ſiniſtra conciliatione recipiendo, vt tamen ſalua maneret philoſophiae ſuae auctoritas integrique eius cardines. Quod incautius adiuuerunt Chriſtiani quidam doctores, in horum hominum ſcholis iſtam philoſophiam edocti, qualis Pantaenus, et Clemens Alexandrinus, et ante hos Hermae paſtoris architectus fuere, qui neſcio quam ſalubrem et eclecticam apud eos philoſophiam ſe inueniſſe rati, retia inimici infernalis non caute ſatis dignouerunt. Quod tamen in apertam ſectam non erupit, ante ſeculi poſt C. N. ſecundi finem, tertiique initia, vbi philoſophorum diſcor-

d) Factum id Alexandriae quoque eſſe, memorabili Hieroclis loco infra in Ammonio Sacca probabimus.

e) Videnda, quae ad EVTYCHIVM de eccleſiae Alexandrinae originibus eruditiſſime commentatus eſt illuſtris IOAN. SELDENVS.

by Google

ſcordiae, conciliatricem philoſophiam in ſectae formam redigendi occaſionem dedere Potamoni homini Platonico: cuius res cum non eo, quo cupiebat, modo ſucceſſiſſent, eo quod Platonicae magis, quam reliquarum religionum notitiam Potamo habuiſſe videtur, nouo conſilio audaciorique fronte hanc ſyncretiſticam ſtatuminare ſectam aggreſſus Ammonius Saccas, ex Chriſtianorum caſtris transfuga, tale tandem philoſophiae ſyſtema condidit, quod his finibus obtinendis erat aptiſſimum; quod qua ratione egerit, quidue conſilii ſuſceperit, in ſequentibus data opera diligenterque enarrabimus. Ex dictis enim patebit, hos homines, ſuppoſitae quaſi baſi philoſophiae Pythagoricae inaedificaſſe monſtroſum aedificium, quod nobis doctrinas Aegyptiacas, Orientales, et Chriſtianas, Pythagoricis et Platonicis attemperatas exhibet: vt ex dicendis luculenter, vt ſperamus, conſtabit.

§. III. POTAMO itaque non quidem rationis iſtius philoſophandi, quae *ἀιρέφαλος καὶ ἀνόνυμος* ante eius tempora in ſcholis Pythagorico-Platonicis obtinuit, ſectae tamen peculiaris, ab iſto conciliandi, omnesque alias in vnam conflandi ſtudio, eclecticae vocatae auctor eſt *f*. De cuius hominis circumſtantiis mirum eſt apud veteres ſilentium, vnus enim LAERTIVS *g*, et poſt eum SVIDAS *h* atque PORPHYRIVS *i* eius meminit: ex quo, niſi fallimur, certo conſtare poteſt, mox in ipſo ortu ſuffocatum Potamonis partum condendique ſectam laborem fuiſſe, alio nempe, vt infra dicetur, felicius meliusque eius partes tuente. Quare pollicem premere non poſſumus viris doctiſſimis, et in veteris philoſophiae hiſtoria exercitatiſſimis, qui a Potamone inſtitutam hanc ſectam per duo integra ſecula poſt C. N. continuaſſe, variisque hominibus eruditiſſimis floruiſſe, donec ab Ammonio reformaretur, putant. Vt enim ab eclectico vel etiam ſyncretiſtico ratiocinandi et philoſophandi modo ad peculiarem hoc nomine conſtitutam ſectam nulla eſt conſequentia, cum, ſi ea eſſet, longe ante Potamonem eius origo eſſet quaerenda, vt §. primo oſtendimus: ita nullo modo probabile eſt, ſectam tam illuſtrem, vt celeberrima nomina, v. g. Plinium, Galenum, Plutarchum eiusque praeceptorem Ammonium, et ex Chriſtianis primae dignitatis et notae viros, e. g. Clementem Alexandrinum comprehenderet, omnibus ſcriptoribus eo nomine manſiſſe indictam. Quod ſolum argumentum, vt deficientibus monumentorum teſtimoniis coniecturis veriſimilibus res definienda eſt, ita ſufficit, vt Potamonem non eo iam, quo volunt viri docti, tempore ex Pythagorico-Platonica ſiue ſyncretiſtica Alexandrina nouum ſectae nomen et inſtitutum cudiſſe, ſtatuamus. De hoc vero Potamone ita LAERTIVS, *ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου καὶ ἐκλεκτική τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸ Ποτάμωνος τοῦ Αλεξαν-*

Potamo.

f) Conferendus omnino SVIDAS in *αἵρεσις*, T. I. p. 656.
g) L. I. ſ. 21.
h) l. c. et in Potamo T. III. p. 161.
i) c. 9. p. 108. Bibl. Graec. FABRIC. Vol. IV. quam editionem in allegando ſemper ſequimur.

Digitized by Google

ξανδρέως, ἐκλεξαμένε τὰ ἀρέσαντα ἐξ ἑκάςης τῶν αἱρέσεων, quibus poſtea eius placita quaedam ſubiungit, quae in ſequenti paragrapho dabimus. Exſcripſit hunc locum Suidas, qui et in altero de eo dicit, vixiſſe πρὸ καὶ μετ' Αὐγέςε. Tertius Porphyrius, hoc habet: διὸ καὶ ἐπεπλήρωτο αὐτῷ ἡ οἰκία, παίδων καὶ παρθένων· ἐν τέτοις καὶ ἦν ὁ Ποτάμων, ὃς, τῆς παιδέυσεως φροντ ζων πολλάκις ἐν καὶ μεταποιεῖντος ἠκροάσατο. Fecit obſcuritas textus tum Suidae tum Porphyrii, iuncta ſilentio veterum de Potamone, vnde lux alias quaedam affulgere poſſet, vt in ſententias valde inter ſe diuerſas de Potamonis aetate digrederentur viri docti. Et ſi Suidae textui fidendum, Auguſto imperante vixiſſe Potamonem adeoque illum (quod et acutiſſimus FABRICIVS monuit,) a Potamone Plotini aetate viuente diſtinguendum eſſe, nulla prorſus eſſet controuerſia. Sed Suidae textum vehementer ſuſpectum fecit ipſa temporis ratio: Auguſtus enim cum L. fere annis imperauerit, impoſſibile videtur, Potamonem et ante Auguſtum et poſt eum floruiſſe. Vidit difficultatem, nodum tamen ne tangere quidem, multo minus ſoluere auſus eſt VOSSIVS [k]. Et doctiſſimo quoque MENAGIO [l] ſuſpectum fuiſſe tempus Potamonis ex eo colligitur, quod ſibi videri ait Potamonem illum Alexandrinum Dionis paucorumque ſimilium exemplo motum eam philoſophandi viam inſtituiſſe, quae ſapientiae candidatos neceſſitate alieno arbitrio ſeruiendi ſolutos in libertatem aſſereret. Cum enim Dio Chryſoſtomus cum Apollonio et Euphrate Domitiani et Veſpaſianorum temporibus floruerit, non poteſt illius exemplo commotus eſſe Potamo, ſi ſub Auguſto vel etiam ante eum floruerit. Propius nodum hunc conſiderans B. OLEARIVS [m], cum ſoluere non poſſet, vt haberet, quod de ſecta eclecticae certum diceret, ſecuit, coniiciens, liberaliter nimis indicatam a Suida Potamonis aetatem emendationem critici paſſam eſſe, qui cum apud Suidam legeret: πρὸ Αὐγέςε, margini ſuae alleuerit μετ' αὐτὸν, quae voces poſtea in textum admiſſae, vt ſaepe factum obſeruamus, et cum reliquis coniunctae fuerunt. Et hac ratione forte melius ſe tueri poſſe, quod Laërtius ait, haud ita pridem philoſophiam illam introductam eſſe. Antea enim obſeruauerat vir accurato pollens iudicio, illud Laërtii: philoſophiam Potamonis πρὸ ὀλίγε inuectam, non tam antiquam facere Potamonis diſciplinam, quam Suidas refert. Paulo prolixius poſt Olearium in hanc Potamonis aetatem inquiſiuit vir multae in veterum hiſtoria lectionis et iudicii CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS [n], qui cum Laërtii aetatem definire vellet, ad hanc ſectae eclecticae epocham potiſſimum reſpexit, cumque non ſufficere ipſi viderentur momenta, quibus IONSIVS, FABRICIVS et DODWELLVS euicerunt, ſerius, quam ſub Antoninis, quae communis eſt opinio, vixiſſe Laërtium, origines ſectae eclecticae κριτήριον ſtatuit, ex quo de certa Laërtii aetate queat iudicari, cum is

k) De ſectis c. XXI. §. 25.
l) Ad l. c. Laërt.
m) Diſſ. de philoſ. eclect. §. 2. l. c.
n) Act. philoſ. Vol. I. p. 327.

Digitized by Googl

is πρὸ ὀλίγου, paulo ante ſua tempora hanc philoſophandi viam a Potamone inſtitutam fuiſſe fateatur. Potamonem vero, vt non Auguſti aetate, ſed ſerius multo vixiſſe, demonſtraret, eumque Laërtii temporibus fuiſſe vicinum aſſereret, Potamonem Porphyrio memoratum, quem ab eclecticae ſectae conditore diſtinguendum monuerant Fabricius et Olearius, eundem eſſe, qui Suidae ante et poſt Auguſtum vixiſſe dicitur, ſtatuit, Porphyrii vero locum falſa Ficini interpretatione corruptum, non ita intelligendum eſſe putat, vt Potamonem fuiſſe diſcipulum Plotini dicat, ſed, referendas eſſe voces, ἐν τούτοις, quas ad pueros, quorum educationi Plotinus praeerat, retulerat Ficinus, ad viros illuſtres nobiliſſimosque, quos morti cum vicini eſſent, filios ſuos commendaſſe tutelae Plotini a Porphyrio narretur. Senſum itaque loci Porphyriani integrum hunc eſſe; inter viros generis nobilitate conſpicuos, feminasque, qui moribundi liberos cum omnibus facultatibus Plotino tanquam ſacro cuidam cuſtodi tradiderint, ſic vt domus eius puerorum virginumque plena eſſet, fuiſſe etiam Potamonem, cuius olim inſtitutione gauiſus fuerit Plotinus, eumque audierit, cum ex multis ſectis vnam faceret. Quia enim verba Porphyrii, πολλάκις ἐν ταῖς μεταποιοῦντος, vel plane nullum vel obſcuriſſimum ſenſum fundunt, corruptum hunc locum putat doctiſſimus Heumannus, legendumque πολλὰ εἰς ἓν μεταποιοῦντος, leuiſſima mutatione. Quibus poſitis concludit, Potamonem fuiſſe ſeniorem Plotino eius diſcipulo, qui cum Alexandro Seuero, Maximino et Gordiano imperantibus vixerit, et antequam ad Ammonium accederet, alias philoſophorum Alexandriae ſcholas ingreſſus ſit, quod ante A. C. CCXXXII. factum eſſe debuit, certum inde eſſe, docuiſſe Potamonem Alexandriae ſub Alexandro Seuero, licet incertum ſit, quot ante eum annis iam docuerit. Suidae vero locus cum manifeſte corruptus ſit, emendandum eum vel ita, vt librarii audacia ex verbis: ſub Alexandro, factum ſit, ſub Auguſto; vel vt vox, Alexandro, exciderit, ſcribente Suida πρὸ Ἀλεξάνδρου Αὐγούστου, vt ab Alexandro M. diſtingueretur. Non ab ingenio tantum et eruditione, ſed a veriſimilitudine quoque in tanta argumenti obſcuritate commendare ſe ſententiam doctiſſimi Heumanni, nemo rerum peritus facile negauerit; Quam nec ſibi diſplicere paſſus eſt, qui hodie Goettingenſium Academiam magna criticae potiſſimum et philologicae eruditionis laude ornat, Io. Matthias Gesnervs *), eo quod et ipſe Suidam, et Potamonis aetatem ab eo indicatam deferendam putat. Qui cum datam a doctiſſimo Heumanno explicationem loci Porphyriani coactam putaret, ſi naturalis conſtructionis ratio haberetur, nec φροντίζειν τῆς παιδεύσεως ſenſum eum eſſe ſtatueret, attendiſſe cum cura Plotinum, qua ratione doceret diſcipulos Potamo, vt vult Heumannus, vocem etiam ἠμφοάσατο, et actiue et paſſiue vſurpari, et intelligi poſſe moneret, ſenſum hunc quidem verborum Porphyrii eſſe putat: inter filios curae Plotini com-

*) Act. philol. Vol. I. p. 851. ſqq.

Digitized by Google

commissos fuisse etiam Potamonem, adeoque aetatem Potamonis iuniorem Alexandri Seueri imperio statuendam esse. Verba autem Porphyrii obscura sanumque non fundentia sensum ita emendanda esse: Οὗ τῆς παιδεύσεως φροντίζων, πολλάκις μὲν καὶ μεταποιοῦντος ἠρεάσατο, hoc sensu: in quo Potamone instituendo cum occupatus esset Plotinus, saepe etiam commutantem vices, discipulum Potamonem audiebat. Ita nempe patientiam Plotini laudari ingeniumque Potamonis, quem differentem interdum exercitii, excitandique eius animi caussa auscultauerit Plotinus. Suidae autem locum ita omnium optime emendari posse, vt ex ΑΥΡ. id est Aureliano ab exscriptoribus factum sit ΑΥΓ leuissima facilique mutatione, cum litera P et Γ. sibi valde sint similes. Augustum enim non posse intelligi, cum tantam longaeuitatem non tetigerit LVCIANVS inter μακρεβίους. Displicuit Gesneriana loci Porphyrii explicatio Heumanno, qui modeste quidem, accurate tamen eam examinauit *p*. Monet is, non pati constructionis rationem, vt ad pueros Plotini fidei commissos referatur Potamo; esse enim eam propositionem tantum incidentem, maiorem vero et principalem illam esse; homines multos nobilissimos liberos suos Plotino curandos post mortem suam tradidisse. Propositioni itaque incidenti, si connectendus esset locus Porphyrii, dicendum fuisse, ἐν οἷς ἦν καὶ Ποτάμων κ. τ. λ. ast non ita scripsisse Porphyrium, sed pronomine vti ὅτος, quod ad proximam thesin principalem, non ad incidentem Graecos, immo et alias gentes solere referre, et ita subiectum principale, quod vocant, demonstrare, aliquot locis ex sacris N. T. oraculis corroborat, particula, δὲ, autem addita nouam inchoari periodum monet. Vrget porro, si Potamo discipulus fuisset Plotini, Porphyrium eum non fuisse omissurum in catalogo discipulorum Plotini, qui inclaruerunt. Addit porro, παιδεύσιν innuere institutionem actiuam, docendique modum, παιδείαν vero, passiuam, inter δ autem et τῆς παιδεύσεως apud Porphyrium comma ponendum illudque ad ἠρεάσατο referendum esse, vt ita actiua et frequentior significatio vocis mediae seruetur. His a viro docto positis, sensus loci obscurissimi hic est: Plotinum, cum modi instituendi docendique, (quem tenebant professores Alexandrini) explorandi caussa esset valde sollicitus, saepeque commutaret praeceptores, (id est mox ad hunc mox ad alium accederet) etiam interfuisse acroasibus Potamonis, viri celeberrimi et nobilissimi. Intercessit vero et tertius controuersiae arbiter vir πολυμαθέστατος, nimisque maturo fato bonis literis ereptus IACOBVS HASAEVS, qui magno eruditionis apparatu paulo ante mortem Heumannianam de aetate Potamonis sententiam examinauit, cuius dissertationem post fratris mortem a Cel. THEODORO HASAEO Heumanno transmissam hic quoque nobis legendam exhibuit *q*. Non negat is, ita comparata esse, quae hactenus de hoc argumento disputata erant, vt saepe sibi, vtram in partem inclinaret, dubiam mentem traheret. Locis tamen

p) l. c. p. 859. *q*) Act. philos. T. III. p. 711. seqq.

Digitized by Google

men ipſis, quibus vniuerſa vtriusque partis fulcitur ſententia, meditata cura perpenſis, poſtquam compertum ſit, in vnoquoque eorum vel interpretando vel cum altero conciliando, aliquid fortaſſe humani paſſos eſſe viros doctos, ad examen controuerſiae et ſeſe accinxiſſe. Ponit vero ad excutiendam de Potamonis aetate diſceptationem prima acie Suidam, propterea, quod certum tempus, quo ille floruerit, definiuerit. Illius vero verba haec eſſe: γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτοῦ. Eius iudicio quidem hoc loco ſtandum eſſe monet, qui licet recentiorum multo temporum ſcriptor ſit, et tot ſeculis ab Auguſti aetate remotus, eo tamen nomine, quod ea, quae ſcripſit, verbum verbo ex antiquioribus monumentis, noſtra aetate deperditis transſcripſerit, optimam fidem non quidem ſuo, ſed alieno teſtimonio promereatur; eum vero de Potamone eclectico agere, de quo alio loco Laërtium exſcripſerit. Eius verbis autem, cum omnem omnino fidem ſuperet, floruiſſe Potamonem ſupra LVII, quibus imperio praefuit Auguſtus, annos, non afferendam eſſe criticam violentamque medicinam, vt fecere viri docti ſupra nobis memorati, ſed in ipſa verborum Suidae conſtructione explicationem latere. Nempe praepoſitionem μετὰ cum accuſatiuo peruulgatum in morem Graecae linguae non ſignificare tantum *poſt*, ſed et *cum*, etſi perſonae rebusque iungatur, vel eiusdem ſociam operam, vel aetatem, qua ipſe vixit, non tantum, quae eius vicem excepit, indicare, cuius complura exempla alio in argumento collegit FABRICIVS [r], ipſeque vir doctiſſimus, ex ſacris potiſſimum paginis, exemplis roborat. Senſum itaque ſani apud Suidam loci eſſe, vixiſſe Potamonem, non ante Auguſtum tantum, ſed eius etiam temporibus. Deinde quod ad Laërtii locum attinet, quo πρὸ ὀλίγου emerſiſſe eclecticam ſectam narrat, quoue concluditur paruum aliquod temporis ſpatium anteceſſiſſe aeuum Diogenis Laërtii, ex quo Potamon Alexandrinus orbem literarium eclecticae philoſophiae ſtudio, dum in viuis erat, illuſtrauerit, non tantam eſſe inter Suidam et Laërtium pugnam contendit praeſtantiſſimus Haſaeus, quo minus ex aequo & bono non queant componi quam amiciſſime. Obſeruat nempe: Laërtium id non agere, vt de induſtria certam aetatem Potamonis deſignet, aut primordia ſectae eclecticae excutiat, ſed id ſibi negotii datum credidiſſe, vt varias philoſophorum familias ſummatim et velut in tabella vna cum ſuis principibus, lectori in ipſo operis exordio perluſtrandas exhibeat. Proinde antiquiſſimas ſectas cum auctoribus ſuis cum enarraſſet, quae ſuam aetatem multis annorum centenariis antecederent, monere eum tandem paucis, eſſe ſectam quandam, nec adeo pridem, ac quidem illae, quas nominauerat, conditam ab Alexandrino Potamone. Loqui itaque Laërtium, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, nimirum comparatiue et relatiue, hoc eſt in aliarum antiquiſſimarum ſectarum oppoſitione. Quo modo ſeculi ſecundi ſcriptor aliquis merito dicere potuerit, ſectam ſub Auguſto enatam, haud ita pridem exortam fuiſſe; cum mos hic omnium fere popu-

 lorum

r) Bibl. Graec. Vol. I. p. 233.

ized by Google

lorum ſit, de rebus iis, tanquam quae nuper contigiſſent, ſi ad veteres referantur, loqui, etiamſi quaedam interea ſecula effluxerint. Eſſe etiam nihil frequentius, quam vt ſcriptores, quotiescunque ſectam commemorant, qua, vt cenſetur, ſeu vna ſeu plures antiquiori iure gaudent, eandem nouitatis nomine inſigniant, vtut ante plurimorum annorum centurias iam pridem ſuos nacta ſit natales. Cuius exemplum affert Chriſtianae religionis ſectam, Auguſteo ſeculo in hunc mundum prodeuntem, quae tamen Diocletiani temporibus in edicto imperatoris noua religio et nouella ſecta appellatur. Tandem ad locum Porphyrii intricatiſſimum conuerſus, rem omnem monet eo redire, vtrum verba: ἐν τούτοις referenda ſint ad filios Plotino traditos, an ad parentes Plotino tradentes? Primae ſententiae accedit vir doctiſſimus, eo quod naturali conſtructioni nihil videatur accommodatius, quam hoc relatiuum referre ad proximum ſubiectum, non vero ad remotum; Vbique enim, ſi res recte aeſtimetur, filios hoc eſſe ſubiectum principale, ad quos ſequentia referantnr. Deinde conſtructionem hanc, ait, ſcopo atque nexui loci Porphyriani eſſe peridoneam, cum ex fine orationis et ſubiecto, de quo eſt primaria ratiocinatio, aperte perſpiciatur, vbicunque locorum in veterum ſcriptis duplex occurrit, ſequente relatiuo, propoſitio, vtrum cum ea, quae proxime antecedit, an vero cum altera, quae remotior, ſit coniungenda propoſitione. Scopum autem Porphyrii non fuiſſe alium, quam vt recenſeret, quo animo et inſtitutione vſus fuerit Plotinus erga fidei ſuae commiſſos vtriusque ſexus orphanos: de iis principalem eſſe ſermonem, incidentem tantum de parentibus. Sequi etiam, ſi ἐν τούτοις ad parentes referendum ſit, Potamonem tradidiſſe liberos ſuos Plotino. Non poſſe vero cum eius moribus componi, adduci potuiſſe hunc eclecticae philoſophiae principem, vt ſuos liberos Plotino, homini, ſi quisquam, ſectariae doctrinae Platonicae ſummo defenſori propagatorique, educandos ſponte conceſſerit, idque vltimo vitae ſuae tempore, quo de ſtudiis liberorum et educatione plus ſolito homines ſollicitos eſſe conſtat. Tandem hoc adiicit, a Porphyrio non referri inter Plotini, quos nactus eſt, praeceptores, Potamonem. Qualis vero ille Potamo, quem Porphyrius narrat, fuerit, licet, vt ſciamus, parum interſit, putat tamen, cum nullus vnquam Potamo inter diſcipulos Plotini numeretur, Polemo vero capite vndecimo recenſeatur, mutandam eſſe lectionem: *Potamon*, in, *Polemo*, quem, cum eius inſtitutionis curam gereret Plotinus, quod peſſimis ſaepe moribus mutatis vteretur, (πολλάκις ἤθη μεταποιοῦντος legit) praeceptis omnibus imbuerit.

Potamonis aetas definita.

§. IV. Summa haec eſt eruditae et modeſtae diſceptationis, de Potamonis aetate, quam inter ſe reciprocarunt viri eruditionis et iudicii laude florentiſſimi. Nihil enim repoſuit eruditiſſimus Heumannus, ſed lectoris arbitrio controuerſiae iudicium permiſit. Haſaei partibus nuper ſe iunxit Ven. MOSHEMIVS', eo quod eclectica philoſophandi ratio longe

s) Loc. cit.

Digitized by Google

longe prius, quam Sec. III. initio inualuerit, et recepta iam atque adulta fuerit Sec. II. vt ex CLEMENTE ALEXANDRINO *) aliisque patet. Poteramus et nos lectoris arbitrio totam controuerſiam relinquere, cum quae diſputata ſunt, facile queant inter ſe conferri, ipſa vero quaeſtio anceps ſit, locisque vel incertis vel corruptis et emendationem poſtulantibus nitatur: quo fine etiam praeter morem prolixe partium rationes adduximus, praeſertim cum pleraque Germanico tantum ſermone fuerint propoſita. Quoniam tamen inſtituti noſtri ratio poſtulat, vt quid nos iudicemus veriſimilius, lectoris exponamus examini, quaque ratione in hiſtoria philoſophiae critica de ambiguo argumento decernendum putemus, ediſſeramus, dabit nobis veniam lector, vt ſententiam quoque noſtram eadem, qua laudatiſſimi viri vſi ſunt, modeſtia, enarremus, non vt arbitri nobis partes ſumamus, quod a noſtro pudore alienum eſt, ſed vt ampliorem de eo argumento cogitandi occaſionem exhibeamus lectori. Quam vt paucis delineemus, I. praenotandum putamus, loca certiora et euidentiora, incertis et obſcuris praeferenda eſſe: fatemur itaque, neque Suidae, neque Porphyrii locum nobis talem videri, quo ſine formidine erroris niti queamus. Prodiderunt id viri noſtro encomio maiores, qui medicinam iſtis locis afferendam eſſe, omnes concedunt. Quae cum ab iis ex ſolius ingenii coniecturis absque codicum MSc. auxilio allata ſit, prout hypotheſin iuuare apta videbatur, patet cuilibet, licet plurimum tantorum virorum auctoritati et eruditioni tribuenti, nihil in iis inueniri, quo tuto niti queamus, ſed pro coniecturis tantum omnia eſſe habenda. Vnde parum abeſt, quin pro deplorata habeamus inueſtigationem aetatis Potamonis. II. Omiſſo enim loco Porphyrii, de cuius ambiguitate et obſcuritate ſententiae ipſa facie contrariae, quas ex eo exſculpſere viri doctiſſimi, ſatis teſtantur, res omnis ad Suidam et Laërtium redit: quorum narratione ſemel poſita de Porphyriano demum loco diſpiciendum eſſe videtur. III. Suidae vero etſi primum locum recte tribuere videtur ὁ πάνυ Haſaeus, eo quod tempus accuratius definit, fatemur tamen, nobis quidem minime ſatisfacere ea, quae pro confirmanda eius auctoritate attulit vir doctiſſimus. Nam quamuis alios veteres exſcripſiſſe Suidam, ſatis conſtet, nemini tamen vel leuiter his literis tincto ignotum eſſe putamus, Suidam, hominem iudicio plane nullo, nec vlla etiam diligentiae accuratione praeditum multa corraſiſſe, et conſcripſiſſe ἀσύσατα maleque cohaerentia, et inprimis in definiendis temporibus miſere fuiſſe hallucinatum ſaepiſſime. Cuius fidem vt faciamus, eo minus opus eſt, quo magis toties iam ſupinam miſeri ſcriptoris negligentiam luculentiſſimis exemplis demonſtrauimus, et hac ipſa etiam ſectione memorabile exemplum occurret, qua ratione integris ſeculis a veris temporum notationibus aberrauerit Suidas, virosque etiam magnos in parem errorem auctoritate ſua adduxerit. Deinde nec hoc ignorare poſſunt hiſtoriae literariae veteris gnari,

*) Strom. L. I. Alia PP. loca afferemus T. III. vbi de philoſophia veterum Chriſtianorum agendum.

gnari, Suidae Lexicon, quod vocat, male habitum fuiſſe a librariis et recentioribus compilatoribus, qui naeuos naeuis auxerunt ſaepe pudendis, et vel primo intuitu detegendis, multa imprimis ex margine in textum irrepſiſſe. Quibus omnibus, cum nota ſint admodum et a doctiſſimo Kuſtero *) annotata, prolixe non inhaeremus. Aſt tam inaccurato et negligenti ſcriptori in tanta teſtium reliquorum penuria fidem adhibere nos iubet Haſaeus, huncque incertiſſimae controuerſiae arbitrum conſtituit, qui et tempore ab Auguſti ſeculo fuit remotiſſimus, et veteres exſcripſit negligenter et ſupine, et in chronologia toties lapſus eſt turpiter, et perſonas infinitis modis inter ſe confudit, et, vbi monumenta vetera integriora ſecutus eſt, et excerpſit, indignis modis a librariis eſt corruptus? Hoc ſi quis teſte ſolo ſtare voluerit, per nos erit integrum, nobis Suidae fides, vbi ſola eſt, exigui ponderis, et in hac quidem controuerſia et contradictione, fere nulla eſt. Etſi enim non negamus, veteres eum exſcripſiſſe, nemo tamen nos certos reddere poteſt, eum illorum memorias non corrupiſſe, vel integras ab illo relatas ab aliis, quod toties factum eſt, non fuiſſe adulteratas. IV. Sed ponamus, integrum eſſe Suidae textum, nondum exemit nobis ſcrupulum de incredibili aetate Potamonis, Haſaeana reſponſio, *μετὰ* cum accuſandi caſu ſocietatem temporis notare. Non negamus hoc, quod in triuio pueris notum eſſe debet, ſed id addimus, quod a praeſtantiſſimis philologis obſeruatum eſt, *μετὰ* quidem, non ſemper declarare conſequens tempus, ſed quandoque interiectum et vigens; aſt eo ſenſu, vt non vltimam temporis partem, quam notat, ſemper plane exactam et praeteritam eſſe ſignificet, ſed aliquid deeſſe indicet *x*. Quo ſenſu, vt luculento exemplo illuſtremus, dixit Seruator *y*, *μετὰ τρεῖς ἡμέρας ſe ſurrecturum*, id eſt die tertio nondum plane exacto, et alibi *z* *μετὰ τὸ δειπνῆσαι*, dediſſe in vltima coena *calicem*, id eſt, coena nondum plane exacta porrexiſſe poculum ſalutare. Quae ſine dubio cauſſa fuit Fr. Vigerio *a*, vt *μετὰ* cum accuſatiuo oratorie tantum *poſt* ſignificare diceret. Quibus poſitis nondum euaneſcit difficultas verborum Suidae. Ponamus enim, dicere illum, vixiſſe Potamonem et ante Auguſtum et cum eo, id eſt eius temporibus, innuit tamen vis vocula *μετὰ*, diu ſub eo, licet non integris imperii Auguſti annis floruiſſe, et ad finem vsque vergente eius vita. Quod priorem non tollit difficultatem, ſed roborat. Vnde merito cum viris doctis codices Suidae adulterantes manus paſſos eſſe, credimus, licet non audeamus medicinam ex ſola coniectura afferre; ſufficit nobis, Suidae teſtimonium ad definiendam Potamonis aetatem prorſus eſſe ineptum. V. Cuncta itaque ad ſolum Laërtium redeunt, cuius narratio eo nobis magis conſideranda venit, quo magis ſolus ille nobis de hac ſecta, et Potamonis placitis reliquit aliqualem notitiam. Eum vero, haud ita pridem ſectam hanc exortam eſſe ſcribere, ſupra audiui-

x) In doctiſſima praef. ad ſuam Suidae editionem.
x) Vid Glassius philol. S. L. VII. c. 6. p. 1050.
y) Matth. XXVII. 63.
z) Luc. XXII. 20.
a) De idiotiſmis Graec. c. IX. f. 5. §. 9. p. 513.

diximus. Id quod relatiue quidem ad antiquiſſimas ſectas dictum eſſe vult Cl. Haſaeus, nobis autem ad ſua tempora, niſi manifeſtam vim facere velimus verbis Laërtii, reſpicere videtur. Qui non tam ipſas ſectas, quam modum philoſophandi innuens, eclecticam iſtam rationem haud ita pridem obtinuiſſe dicit; cum ſuo tempore ſectae iam ex dictis plures conticuiſſent. Vnde non videmus, qui potuerit de ſecta ea, quae, vigentibus reliquis, iam ſub Auguſto, tribus fere integris ſeculis ante Laërtium exorta eſt, dicere, haud ita pridem eam eſſe inuectam. Maxime vero, verba Laërtiana intelligenda eſſe in relatione ad ſua, quibus ille viuebat, tempora, probat ſilentium veterum de iſta ſecta, ante Laërtii aetatem. Si enim Auguſteo iam ſaeculo exorta eſt ſecta eclectica, idque nuper factum eſſe Laërtius dicere potuerit, cur ſiluere veteres rem maximi momenti? qui tamen ſectas longe obſcuriores, e. g. Sextianam memorarunt; cur Galenus, vel quisquis eſt auctor libri *hiſtoriae philoſophicae*, huius ſectae placita reticuit? Cur qui obſcuriſſimae ſectae Elpiſticorum meminit, Plutarchus, eclecticae libertatis magnus ſane fautor, eius mentionem non fecit? Cur Galeno, Alexandriae degenti et in philoſophiam incumbenti, cui a patre electio iſta philoſophica commendata erat, indicta manſit, qui toties de ea dicendi habuerat occaſionem? Cur in tanta ſectariorum philoſophorum concertatione nemo eam adortus eſt? Imprimis vero VI. Laërtiana verba ad ſua potiſſimum tempora relationem habere, et Potamonicae ſectae aetatem Sec. II. inferiorem eſſe, probare videtur ſilentium Sexti Empirici. Is cum omnium dogmaticorum ſententias et doctrinam conuellere aggreſſus eſſet, nullam eorum intactam praetermiſit. An eum nouiſſimam et a ſuo tempore non ita longe remotam ſectam, quae magnos viros aſſeclas habebat, indictam et non oppugnatam dimiſiſſe probabile eſt, ſi eo iam, quo viuebat, tempore extitiſſet? Eadem vero ratio etiam VII. de eccleſiae doctoribus valet, qui Alexandriae eclecticam philoſophandi viam ſecuti, modum quidem hunc ratiocinandi laudant, ſectam reticent. Quae omnia vt luculenter ſatis produnt, Potamonicae ſectae initia non procul fuiſſe a Laërtii temporibus remota, ita poſt Sec. II. finem demum quaerenda eſſe ſuadent. His vero porro VIII. temporibus cum ex Porphyrii relatione certum ſit, fuiſſe tum Potamonem quendam in eclectica philoſophia enutritum (ita enim ſtatuere oportet, qui Plotini diſcipulum faciunt, vt ex ſequentibus palam erit) quid impedit, quo minus in vexatiſſimo loco ille intelligendus ſit, qui eclecticae philoſophiae initia Alexandriae fecit? Quod ſi enim largiamur, poſſe intelligi iſtum locum ita, vt inter Plotini diſcipulos fuiſſe videatur, concedent tamen viri docti, nec alteram interpretationem abhorrere a Graeci ſermonis indole ac conſuetudine. Cui cum reliquae rationes hactenus adductae faueant, cur in obſcuriſſimo loco, non eum, qui reliquis apte magis cohaeret, eligamus ſenſum? Nec id textus et ſcopi eius συναφείας adeo

aduerſum eſt, quam perſuadere nobis vult Haſaeus. Nam cum gloriam et fidem Plotini augere iſta narratione ſuſcepiſſet Porphyrius, non habuit argumentum maius, quam inter ceteros nobiliſſimos Alexandriae viros Potamonem etiam liberos ſuos ideo illi commendaſſe, quod doctrinam moresque eius, cum lectionibus ſuis intereſſet, cognouiſſet. Ficulneum vero eſt, quod obiicitur, non conſpirare cum moribus Potamonis eclectici, quod filios ſuos moribundus homini ſectario commiſerit curandos et inſtituendos. Non potuit enim ignorare vir eruditiſſimus et in veterum lectione exercitatiſſimus, Potamonicam ſectam, quoad fundamenta potiora, fuiſſe Platonicam, Ammonii autem ſcholam, licet Platonica eſſet, eodem modo et colore, quo Potamonis fuit, fuiſſe eclecticam: id enim in OLEARII diſſertatione, ad quam prouocat, dudum legerat. Quare argumentum inuertimus et ita potius concludimus, longe eſſe veriſimillimum, commendaſſe Potamonem moribundum filios ſuos curae et inſtitutioni Plotini, quod hic, eam philoſophandi viam, quam ipſe exorſus erat ſine magno ſucceſſu, nempe reliquas ſectas cum Platone conciliando felicius proſequeretur, ſicque ſpes eſſet, filios etiam ſuos paterna veſtigia ſub hoc duce eſſe preſſuros. Sed et reliquae hoc ſuadent circumſtantiae; ſtudium eclecticae philoſophiae circa Sec. III. initium Alexandriae efflorescens, vt ex Ammonii Saccae exemplo eſt manifeſtiſſimum, conſtituta eo nomine ab illo ſchola Alexandriae, induſtria Plotini doctores philoſophiae plures Alexandriae audiendi, Platonique conciliandi reliquos et quae his ſunt ſimilia. Nec, quod obiicit V. C. opus erat, vt Potamonem inter praeceptores Plotini enumeraret Porphyrius, cum audierit quidem eius lectiones, ſed ſyſtema tamen eius ſequi noluerit, ſed Ammonio acceſſerit latius ſyncretiſmum extendenti, et ad ſacra magis, quam Potamo, dogmata accommodanti: praeſertim cum hoc loco ex eius lectionibus eum didiciſſe quaedam innuat. Potamonem vero in Polemonem mutare, et refingere in textu Porphyriano quicquid libuerit, ſi dicendum, quod res eſt, deſperatae cauſſae ſignum eſt. Vnde malumus IX. totum locum Porphyrii tanquam ambiguum omittere, quam incertis ſolisque ingenii coniecturis nixis emendationibus noſtram opinionem lectori obtrudere, praeſertim cum parum interſit, reſpiciatne is locus Potamonem eclecticum, nec ne? Nam hoc, vt tandem rem peroremus, veriſimillimum eſſe putamus, ſectam eclecticam ſub Auguſto nondum fuiſſe enatam, quam non omiſiſſent tot illuſtres ſcriptores memorare, ſi eo tempore iam floruiſſet; nec ante Sec. II. finem potuiſſe originem cepiſſe; ſed nec iuniorem eſſe, cum eo tempore eclectica etiam philoſophia Alexandriae in Ammonii ſchola ſectae habitum formamque acceperit, certum autem ſit, Potamonem ante hunc iſtam philoſophandi viam primum tentaſſe. Id quod etiam vno ictu cogitata praeſtantiſſimi Geſneri proſternit, fuiſſe Potamonem eclecticum ex diſcipulis Plotini: hunc enim eclecticam philoſophiam non inueniſſe, ſed inuentam propagaſſe, ex dicendis conſtabit.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus omnibus copioſe diſputatis error etiam inſignis PETRI ALLIXII [b] detegitur, qui vt philoſophiam eclecticam ad maiorem aetatem extolleret, Philonemque eius ſectarium faceret, Potamonem ad Alexandri M. tempora retulit, et hunc eſſe Auguſtum Suidae memoratum putat. Qui ſi vnius loci Laërtiani fuiſſet recordatus, vanam opinionem dimiſiſſet, certe inter ipſius ſectae natiuitatem et tot ſeculorum antecedentium conceptionem diſtinguere coepiſſet. Hoc enim facile largimur, mature poſt Alexandri M. obitum Graecos Alexandriae Pythagorico-Platonicam philoſophiam profeſſos, ſeductosque ſyncretiſtica Aegyptiorum conſuetudine, coepiſſe eiusmodi conciliationi religionum et doctrinarum cum opinionibus Pythagorico-Platonicis ſtudere, Philonemque inter eos fuiſſe, qui hanc philoſophandi methodum ſequerentur. Verum hoc ſtudium et libertas quaedam fuit philoſophorum, quae tandem a Potamone, cumque ei res minus feliciter ſuccederet, ab Ammonio in ſectae habitum traducta eſt. Certe a modo philoſophandi eclectico ad ſectae inſtitutionem non poſſe nos concludere, exempla eclectice philoſophantium ante Potamonem, etiamſi Auguſti aetate ſtatuatur non inferior, luculenter probant, de quibus videnda, quae eleganter ediſſerit PETRVS DANIEL HVETIVS [c]. Ceterum ſi adducta quoque ſenero in his rebus iudici nondum ſatisfaciunt, omittendus plane eſt in tenebris ſuis Potamon, cui clariorem accendi poſſe lucem deſperamus, hocque tamen pro certo adſumendum, Sec. III. ineunte ſcholam eclecticam Ammonio auctore fuiſſe enatam.

§. V. Qua in re vero Potamo eclecticam iſtam philoſophandi viam modumque quaeſierit, quaque ratione nouum ſyſtema conſarcinauerit, deficientibus veterum memoriis dici non poteſt. De placitis eius haec tantum ex *inſtitutionibus* eius *eclecticis* recitat LAERTIVS [d], quaeque ad rationalem potiſſimum partem pertinentia, haec ſunt: *Potamonis φιλοσοφούμενα.*

I. Duplex eſſe veritatis examen, vnum a quo iudicium fiat, alterum per quod.

II. Prius eſſe *τὸ ἡγεμονικὸν* ſiue facultatem mentis principalem, id eſt rationem mentemque. Nempe id voluit Potamo, Scepticis, vt videtur, ſe oppoſiturus: quicquid clara et diſtincta ratione ſe concepiſſe eiusque percepiſſe naturam intellectui videatur, id et verum eſſe.

III. Alterum, per quod iudicatur, eſſe certiſſimum viſum, id eſt, recte explicante doctiſſimo OLEARIO: per quod non video, quid intelligi poſſit aliud, niſi clara impreſſio per mentem facta. Vnde ſolertiſſimam, vel accuratiſſimam imaginem (recentiores ideam clariſſimam et diſtinctam dixere,)hoc veritatis eſſe criterium dixit.

b) In iudicio Eccl. Iud. edu. Vnitarios c. XXIII p. 357.

c) De la foibleſſe de l'eſprit humain L. II. §. 10. p. 217. ſeqq.

d) loc. cit.

In naturali philoſophia ſtatuebat Potamo:

IV. Principia rerum vniuerſarum eſſe duo, patiens alterum, quod eſt materia, alterum agens ſiue cauſſa efficiens.

V. Affectiones autem corporum naturalium duas eſſe, qualitates et locum; in omnibus enim rebus quaeſitum ex quo ſint, et a quo confectae, tum quomodo ea ſe habeant, et in quo loco ſint.

Ex moralibus Potamonis doctrinis hanc fuiſſe Potamonis ait Laërtius:

VI. Finem, ad quem omnia referantur, vitam eſſe omni virtute perfectam, non tamen absque bonis corporis, bonisque externis; quae quidem virtuti conueniant.

Hactenus de Potamonis philoſophia Laërtius, qui cum potiſſimum ad receptas Graecorum ſectas reſpiceret, pauca nobis ex multis dedit, ex quibus de toto philoſophiae Potamonicae habitu iudicare eſt difficillimum. Illud tamen vel ex paucis his, quae adduxit, diſcimus, conciliaſſe in rationali et morali parte Potamonem Platonicos cum Stoicis et Ariſtotelicis, ita tamen, vt hac ratione peculiarem ſibi ſententiam eligeret. Quatuor enim vbi cauſſas recenſet rerum naturalium, qualitates et locum ad formalem potiſſimum partem refert; adeoque nec ideas Platonis, rerum eſſentias extra materiam continentes, admittit, nec has materiae immerſas, vt Ariſtoteles ſtatuit, formasque ſubſtantiales effingit, ſed qualitatum inter ſe nexum, et *διαμονὴν*, vt dixit Strato, ad hanc rerum naturalium formam retulit. Quod an ab Stratone, an ex Democriti philoſophia, vel aliunde acceperit, dici non poteſt, ſed in eo quoque conciliatricem philoſophiam prodidit, quod locum inter cauſſas naturales retulit, quem cum negaſſent alii, alii ad effectiones corporis retuliſſent, ipſe Epicuri hac in re placita ſecutus locum, ſine quo res naturales conſtare non poſſent, ſiue vacuum potius, in quo res naturales eſſent, vt ait Laërtius, admiſit in cauſarum naturalium ordine. Idem de moralibus coniiciendum, in quibus Stoicos et Peripateticos Potamonem coniunxiſſe inde intelligitur, quod finem quidem in vita ſecundum virtutem perfecta cum Stoicis poſuerit, naturalia tamen et externa fortunae bona non excluſerit, vt placebat Peripateticis. Cum vero nihil de placitis Potamonis metaphyſicis et theologicis habeat Laërtius, incertum quoque, an in iis quoque conciliationem molitus ſit, et an, quod coniicimus, more Alexandrinorum ad religionum ceterarum cum ſuis placitis concordiam reſpexerit. Certe Ammonium circa eadem fere tempora id feciſſe, ex ſequentibus conſtabit, moremque fuiſſe in ſchola Pythagorico-Platonica ex dictis notum eſt. Pertinuiſſe autem Potamonem ad hanc ſcholam, inde non absque veriſimilitudine concluditur, quod *commentarium in Platonis Timaeum* ſcripſit, qui ſi extaret, forte de metaphyſica et phyſica eius doctrina plura poſſent dici, quae iam ignoramus.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI. Certiora et notiora eclecticae ſectae fundamenta iecit AMMONIVS, Alexandrinus, a vitae genere quod ſectatus eſt, Saccas cognominatus *e*: Potamonianam enim ſcholam cum ipſo auctore interiiſſe, veriſimile eſt; credi enim non poteſt, nulli auctori dictam fuiſſe iſtam ſectam, ſi per aliquod tempus floruiſſet *f*. Qui enim Diogenem Laërtium fuiſſe addictum illi ſectae putant, magnopere errant, et ex ipſa eius narratione poſſunt refelli *g*. Cauſſam vero cur extincta ſit cum auctore ſuo, cum non deſignauerint veteres, nihil etiam certi de ea re dici poteſt, et ad coniecturas cuncta redeunt. Et CASAVBONVS *h* quidem inde eueniſſe coniicit, quoniam libellis Potamonis genius defuerit, ſed hoc absque auctore dicitur et teſtimonio, et ne coniici quidem, deficientibus Potamonis monumentis, certo poteſt. Nobis, ſi coniecturis agendum, ipſa eodem fere tempore Alexandriae enaſcens ſchola Ammonii in cauſſa videtur fuiſſe. Qui, vt in ſequentibus prolixius explicabimus, cum non ſectarum tantum Graecarum concordiam tentaſſet, ſed religiones quoque fere omnes more iam recepto in Platonicorum Aegyptiacorum ſcholis, Platoni conciliaſſet, Chriſtianam etiam partim expilaſſet, partim validius refutandam ſibi ſumſiſſet, ſicque in ſacro quoque et theologico argumento tanta eruditione placeret, vt primae claſſis diſcipulos reliquis, qui Alexandriae docebant, profeſſoribus eriperet, et gentiles, atque Chriſtianos ad ſubſellia ſua raperet: radiis eruditionis ſuae facile reliquorum ſtellas exſtinxit, cumque Potamo ad ſacra dogmata eclecticam philoſophiam extendiſſe non videatur, illi et diſcipulos et famam ſurripuit, eo quod ſe felicius laetiorique profectu ſub Ammonio philoſophari poſſe arbitrarentur. Certe id eueniſſe Plotino, prius ad Potamonis lectiones delabenti, eum vero poſtea relinquenti et ad Ammonii ſcholam tranſeunti PORPHYRIVS *i* haud obſcure innuit. Aſt vixiſſe circa Sec. II. exeuntis, tertiique ineuntis tempora Ammonium hunc, ex THEODORITI *k* teſtimonio conſtat, qui ſub Commodo eum ponit. Quo tempore ſi vixerunt et Ammonius et Potamo, et vtriusque auditor fuit Plotinus circa A. C. CCXXX. ad philoſophiae ſtudia delatus, ſequitur inde, a Sec. III. initiis deriuandam eſſe ſcholae eclecticae originem. Fuit autem Ammonius Alexandriae natus *l*, de cuius vrbis incolis eorumque indole pronoque in ſuperſtitionem et ſyncretiſmum animo, aliquoties mentionem fecimus. Huius enim generis locique eſſe oportebat eum, qui eiusmodi ſectae, qualem deſcribemus, parens futurus erat. Is parentibus Chriſtianis natus, et, quod dubio carere videtur, in catechetica, quae Alexandriae flore-

Ammonius.

e) SVIDAS in Plotinus T. III. p. 133. VALES. ad Amm. Marc. L. XXII. c. 16. KVSTER. ad Suid. voce Ammonius, T. I. p. 143. BAYLE dict. T. I. art. Ammonius not A. p. 183. Quid Saccarii illi fuerint, videndi Commentatores ad Cod. Theodoſ. XIV. 22. de Saccariis portus Romae, quosque laudat FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 159.

f) Auctor vitae Laërtii, verſioni Anglicae praemiſſae.

g) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 600. *h*) Praef. ad Dion. Chryſoſt.

i) In vita Plotini c. 3.

k) Therapeut. L. VI. p. 773.

l) AMMIANVS MARCELL. L. XXII. c. 16. SVIDAS in Ammonius T. I. p. 143.

florebat, Chriſtianorum ſchola educatus, cum annis maturior magno impetu ad philoſophiam ferretur [m], quae tum temporis in gentilium cathedris Alexandriae magna iuuenum frequentia docebatur, non potuit non animum ad eclecticam philoſophandi rationem intendere, cum qui iſta aetate hanc ſcholam moderabantur doctores, Athenagoras, Pantaenus, Clemens Alexandrinus, eodem fere modo et inclinatione ſacris doctrinis philoſophiam iungerent [n]. Malo tamen ductus daemone, forte quod liberius et elegantius ſe philoſophaturum eſſe crederet, cum philoſophiae, quod aggreſſurus erat, ſtudio, etiam gentilem ſuperſtitionem amplexus eſt, et πρὸς τὴν κατὰ νόμους πολιτείαν μεταβάλετο, vt habet PORPHYRIVS [o], quod ad relionem gentilem, legibus imperatorum et imperii conſtitutam et firmatam eum defeciſſe indicat, vt ignotum eſſe in huius temporis ſcriptorum libris exercitato non poteſt. Valde tamen hic in diuerſa abeunt ſcriptores veteres et recentiores. Inter illos enim huic Porphyrii narrationi contradixit EVSEBIVS [p], negans, haec ita ſeſe habere, et Ammonium vſque ad vitae ſpiritum immotum in religione Chriſtiana perſtitiſſe, ferri etiam adhuc legique eius commentarios inter Chriſtianos. Secutus eſt Euſebium HIERONYMVS [q], et ex recentioribus tantum non omnes, inque his imprimis, VALESIVS [r], IONSIVS [s], CAVEVS [t], BAYLIVS [u], BASNAGIVS [x], SELDENVS [y], aliique. Subolfecit tamen aliquid veritatis his aſſertis contrariae FRANCISCVS BALTVS [z], qui cum Hieroclis locum de Ammonio, infra producendum, adduxiſſet, non intellexit tantum, ita Hieroclem de Ammonio loqui, vt vel neſciuiſſe, quod Chriſtianus fuerit, vel credidiſſe cum Porphyrio videatur, quod ad Gentiliſmum defecerit; ſed et in eam inclinauit ſententiam, Ammonium eclecticum diuerſum eſſe ab Ammonio, de quo loquuntur Euſebius et Hieronymus. Et his tamen non obſtantibus maluit communi errori adhaerere, quam incertae narrationi, virorum eccleſiaſticorum auctoritate roboratae, nuntium mittere; vnde in abſurdam hanc eſt ingreſſus ſententiam, Ammonii conciliationem in eo fuiſſe verſatam, vt gentilis philoſophiae placita ad Scripturae S. normam emendaret. Quod quam falſum et ineptum ſit, ex dicendis conſtabit clariſſi-

m) Hierocles loco infra citando.

n) Dicetur ea de re ex inſtituto infra T. III. vbi de philoſophia veterum Chriſtianorum dicendum. Conf. MOSHEM. de turbata per recent. Platonicos eccleſia §. 8. p. 102. vbi tamen malumus a Pantaeno, quam a Clemente talia accepiſſe Ammonium. Etſi enim hic eandem ἕλξιν ſequebatur, vt ex Stromat. L. I. p. 188. patet, vixit tamen Clemens non ante Ammonium ſed cum eo, circa finem Sec. II. recte hoc monente OLEARIO de philoſ. eclect. C. IV. p. 1217. et loco Pantaeni ad Indos profecti ſcholae catecheticae praefuit A. C. CXCIII. vnde magis condiſcipulum, quam praeceptorem Ammonii fuiſſe recte colligitur. Certum tamen, Athenagoram, huic ſcholae praefectum, vt SIDETES teſtatur, fuiſſe eclecticum.

o) Apud EVSEB. Hiſt. eccleſ. L. VI. c. 19. quem exſcripſere NICEPHORVS L. V. c. 13. et SVIDAS l. c. p) loc. cit. p. 221.

q) De S. E. c. 55. p. 132. Bibl. eccleſ. Fabr.

r) Ad l. c. Ammiani.

s) De Script Hiſt. phil. L. III. c. 1. p. 282.

t) Hiſt. lit. Script. eccleſ. p. 68.

u) l. c. add. OLEAR. l. c. C. III. p. 1210. et viri docti ad l. c. Hieronymi.

x) Hiſt. eccleſ. L. II. c. 4. §. 10. p. 167.

y) In origin. Alexandr. p. 147.

z) Defenſe de SS. Peres accuſez de Platoniſme L. I. c. 3. p. 21.

Digitized by Google

riſſime, et ſeduxit etiam CASIMIRVM OVDINVM [a], „vt non abs„que conſilio diuino his temporibus factum eſſe cenſeret, vt homo Chri„ſtianus externam philoſophiam coram auditoribus gentilibus profeſſus „fuerit, ad magnam Chriſti gloriam et Euangelii profectum, quod eius„modi ſcholae eſſent compluribus quoddam velut ad capeſſendam fidem „tyrocinium: dum quae apud ſapientiores gentiles philoſophos ſublimio„ra erant, eadem longe facilius ſublimiusque ipſo Chriſtianae inſtitutio„nis exordio diſcerentur.„ Id quod ſecus ſe habere, et, accidiſſe Ammonii philoſophiam magno eccleſiae detrimento, infra accurate demonſtrabimus. Aliter et vero propius coniecit χριτικώτατος FABRICIVS [b], qui Ammonium a ſaccis deportandis, quibus victum ſibi antea parauerat, ad philoſophiae ſtudia digreſſum, vt ſcribit THEODORITVS [c], ab aliis Ammoniis, praeſertim autem ab Ammonio Chriſtiano Seculi III. ſcriptore, qui Moſen et Chriſtum conciliauit, et monateſſaron ſiue Euangeliſtarum harmoniam ſcripſit, diſtinxit, aſſenſumque meruit doctiſſimi MOSHEMII [d]. Nec dubitamus nos his etiam partibus accedere, Porphyriumque magis, quam Euſebium ſequi, qui Chriſtianum ſcriptorem cum gentili, et philoſophum cum theologo confudiſſe videtur. Ita enim, quae de Ammonio Sacca narrantur, comparatae ſunt circumſtantiae, vt vix queant cum homine conciliari, qui in eccleſiae communione et Chriſtianae doctrinae confeſſione ſpiritum coelo reddidit. Nam ſi ad teſtium conditionem reſpiciamus, quibus de Ammonii rebus nobis conſtat, propior longe ſit ei Porphyrius, quam Euſebius, et a Plotino, quem de praeceptore ſuo narrantem audiuit, eius rei certiſſimus factus eſſe potuit, cum Longino etiam, aliisque Ammonii et Plotini diſcipulis familiariter vixit, et tanti praeceptoris, cuius ſectae ſe addixerat, res ab ipſis diſcere potuit. Nec obiici poteſt, Porphyrium Chriſtiani nominis gloriae inuidum, hunc hominem ſuae ſuperſtitioni vindicaſſe, et, more ſuo, ſplendido mendacio de eius ad gentilem religionem tranſitione fuiſſe locutum: id enim probandum prius, et eo minus ex verisimilibus eſt, quo minus Chriſtiani quid genuinum purumque habet ſchola et doctrina Ammonii, ex quo ſpecies huic coniecturae poſſet conciliari. E contrario cum tot fuerint inter veteres Ammonii, vt facillime potuerint commiſceri, vt ipſi IONSIO [e] accidit, in diſcernendis inter ſe homonymis diligenti alias et accurato, qui eum cum Ammonio Hermeae confudit, qua in re ei facem praetuliſſe videtur PATRICIVS [f], qui noſtrum inter Peripateticos numerat; facile etiam id accidere potuit Euſebio, vt Chriſtianum ſcriptorem eundem cum gentili eſſe putaret. Accedit his, quod ex Longini teſtimonio clarum eſt [g], Ammonium nihil ſcripſiſſe. Aſt ad

a) De Script. eccleſ. T. I. p. 250.
b) Biblioth. Graec. Vol. IV. p. 159. 172.
c) loc. cit. d) loc. cit.
e) loc. cit.
f) Diſcuſſ. Perip. T. I. p. 135. hunc enim Peripateticum a Platonico diſtinguit Longinus apud PORPHYR. vit. Plotini c. 20. conf. TILLEMONT. mem. P. II. p. 391. BAYLE l. c. PATRIC. loc. cit.
g) loc. cit.

ad libros eius ſacros prouocant Euſebius et Hieronymus; quis non palpat, vtrumque diuerſum eſſe? Nec exceptioni locus eſt, loqui Longinum de ſcriptis philoſophicis, Euſebium de theologicis, quae diſcipulis, hominibus gentilibus, reticuerit Ammonius. Contrarium enim ipſi, qui huic opinioni adhaerent, ſtatuunt, tradentes, Ammonium hunc diſcipulis ſuis Plotino, Herennio, Origeni religionis Chriſtianae arcana, ſub ſilentii fide communicaſſe, aut eos edocuiſſe, quod, quicquid praeclarum in Graecorum philoſophis continetur, multo prius traditum ſit a prophetis, et longe pulchrius in Chriſtianorum libris contineatur. Quod ſi ita accidit, annon libri etiam theologici huius viri, et imprimis harmonia Moſis ac Chriſti eius diſcipulis innoteſcere potuiſſent, ſi is ille Ammonius Saccas fuiſſet? Addit his celeberrimus MOSHEMIVS [h]: incredibile prorſus eſſe, ſectam, qua nulla vnquam inimicior Chriſtianis extitit, ab homine Chriſtiano conditam eſſe, et philoſophiam, quae tota comparata eſt ad res Deorum fulciendas et religionis Chriſtianae progreſſionem remorandam, inuentum eſſe hominis, ſanctiſſimam hanc religionem ad vitae vsque finem profitentis. Non minus incredibile eſſe, omnes Platonicos iuniores, quorum vniuerſa in eo verſabatur induſtria, vt honori et gloriae Seruatoris noſtri nocerent, diſciplinae ſuae initia ad hominem referre voluiſſe, quem aliqui ſaltem eorum non ignorare poterant, Chriſto pertinaciter adhaeſiſſe. Sed et alia ſunt, quae recte communi receptaeque ſententiae obiiciuntur. Qua auctoritate iis adhuc temporibus floruerit *πολιτεία κατὰ νόμους*, ſiue gentilis atque dominans legibusque publicis ſtabilita religio, praeſertim in Aegypto, maxime omnium Alexandriae, nemo ignorabit, qui vel AMMIANVM MARCELLINVM [i], vel GOTHOFREDI Geographum veterem [k], de Alexandria differentes legerit, inque his ſacrae eruditionis hiſtoriaeque partibus non plane hoſpes eſt. An veriſimile, in vrbe ſuperſtitioni tota dedita homini, religionem exoſam et patrio cultui tot nominibus aduerſam ſequenti, adhaeſiſſe iuuenes gentiles magni nominis et eximiae eruditionis, et relictis gentilium profeſſorum acroaſibus ad Chriſtianum quendam priuatum hominem tanto cum ardore deflexiſſe? an Plotinum, Herennium, Originem ſine heterodoxias apud ſacerdotes Chriſtianis tanta vehementia inimicos ſuſpicione tam familiariter cum homine Chriſtiano ſe geſſiſſe probabile, nec perſecutionem nec ſuſpicionem eſſe paſſos? an homo Chriſtianae religionis radiis illuſtratus haberi potuit a perditiſſimae idololatriae et ſuperſtitionis cultoribus doctor coeleſti luce colluſtratus, quo encomio eum mactat Hierocles. Nemo haec ſibi perſuadebit, niſi qui prorſus Sec. II. et III. rerum eſt ignarus. Aſt nec Chriſtianum hominem, ſi horum temporum mores conſideramus, probabile eſt, relicta ſchola ſuae fidei, gentilem cathedram conſcendiſſe, multo minus *ἀμυήτοις* ſanctiſſimae doctrinae myſteria, quae arcana methodo ex parte cuſtodiebantur, propalaſſe: et non multo magis exemplo Athenago-

h) loc. c. i) loc. cit. k) p. 23.

Digitized by Google

nagorae, Pantaeni, Clementis, aliorumque Chriſtianorum, philoſophiae amore ductorum intra parietes ſcholae Chriſtianae fuiſſe philoſophatum. Tandem et hoc conſtat, arcanam habuiſſe Ammonium doctrinam ſuam, et ita quoque cuſtodiendam diſcipulis tradidiſſe: eos autem officii immemores tandem nouam philoſophiam vulgaſſe. Ex quibus neceſſario ſequitur, Ammonii philoſophiam arcanam talem fuiſſe, qualem Plotinus, Origenes, Longinus aliique poſtea publicarunt: eam vero hominis Chriſtiani fuiſſe, vel ab eo potuiſſe proficiſci, is demum aſſeret, qui eclecticam philoſophiam ne a limine quidem cognouit, doctrinasque Chriſtianae religioni oppoſitas et ad eam euertendam excogitatas plane non animaduertit. Quod nunquam feciſſet Chriſtianus, Platonis licet, omnisque Aegyptiacae philoſophiae amantiſſimus. Quae omnia luce, niſi fallimur, meridiana clarius demonſtrant, impoſſibile eſſe, vt hic Ammonius Saccas in religionis Chriſtianae confeſſione manſiſſe ad vitae vsque finem dicatur, adeoque diſtinguendum eſſe ab Ammonio, cuius canones euangelici in eccleſia lecti ſunt. Non tacendum tamen, quod ſpeciem conciliandi Porphyrium cum Euſebio aliquam habet. Narrat enim EVTYCHIVS [l] patriarcha Alexandrinus, qui diptychis eccleſiae ſuae vſus eſſe videtur, *Heraclam patriarcham Alexandrinum, viginti epiſcopos conſtituiſſe: ex his vnum fuiſſe religionis deſertorem, Ammonium dictum, de quo ſimulac ad Heraclam delata ſit fama, congregaſſe eum ſynodum epiſcoporum, et in vrbem Ammonii perrexiſſe, vbi re ſatis cognita et perſpecta eum ad veritatem reduxerit.* Eſſe hunc Ammonium celeberrimum illum ſectae Platonicae philoſophum, Plotini ac Origenis praeceptorem, ac canonum euangelicorum auctorem praeter POCOCKIVM [m] non dubitat illuſtris SELDENVS [n], qui putat, facile fieri potuiſſe, vt deficeret a fide Ammonius, reuocatus tamen a patriarcha poſtea in fide Chriſtiana tenaciſſimus vsque ad exitum maneret. Facit huic coniecturae fidem coloremque conciliat temporis harmonia, Heraclius enim ſiue Heraclas eo tempore ſedem Alexandrinae eccleſiae occupauit, quo Alexander Seuerus imperauit [o], ſub quo Plotinum ad Ammonium peruenisſe in ſequentibus dicemus. Recte tamen vbi Eutychii narrationem conſideramus, parum praeſidii pro communi et recepta opinione deprehendimus. Vt enim de exigua, quam habet Eutychius, fide taceamus, incertum adhuc eſt, vtrum is Ammonium intellexerit nec ne; Arabicum enim nomen, quod habet Eutychius pro *Eumene*, alias ab eo adhiberi, et a ſe tantum per *Ammonium* translatum eſſe fatetur Seldenus. Deinde epiſcopum hunc Ammonium fuiſſe, tradit ſcriptor Arabs, aſt Ammonium Saccam ad hanc dignitatem eccleſiae peruenisſe vnquam, nemo ex tota antiquitate vſpiam ſcriptum memoratumue reliquit. Ammonium quoque aliquem epiſcopum defeciſſe, et reuocatum

l) T. I. p. 332. m) In indice Chronologico ſplendido raroque operi adiecto. n) loc. cit. o) Vid. POCOCK. loc. c.

tum esse, nondum probat, quod is fuerit Ammonius Saccas. Nec credibile est, taciturum hoc fuisse Eusebium, rediisse ex apostasia ad fidem ecclesiae Ammonium, si id verum fuisset; cum non meliori argumento Porphyrii obiectionem potuisset eludere. Ast nihil is de defectione, sed immotum perstitisse in fide ait. Sed nec tota Eutychii narratio rebus Ammonii Saccae quadrat. Is enim Alexandriae vixit atque docuit, Ammonius Eutychii in alia vrbe; qui monitus ab episcoporum synodo mox resipuit, Ammonius Saccas diu Alexandriae instituto suo inhaesit, discipulos educauit, arcanam disciplinam constituit: quae omnia tam exiguo temporis spatio, intra quod rediit Ammonius Eutychii ad ecclesiam, euenire non potuerunt. Merito itaque hanc quoque fabulam cum reliquis, quibus scatet Eutychius, reiicimus, vel si fidem dare placet, Ammonium episcopum ab Ammonio Sacca distinguimus, qua in re nostri sunt viri summi, Gvil. Cavevs [p], Nanvs Tillemontivs [q] et Io. Alb. Fabricivs [r]. Ex dictis enim, vt in summam ea contrahamus, verisimillimum esse putamus, Ammonium Saccam in communione ecclesiae non mansisse, sed ad publicam superstitionem, vel ad religionem potius quandam mixtam, quam ipse commentus est, defeciisse. Neque tamen nihil ad hanc rem contulit Christiana, in qua educatus erat Ammonius, religio. Cum enim a praestantissimis doctoribus, qui scholae Alexandrinae praeerant, esset eruditus, et philosophandi formam, quae inter Christianos tum obtinuerat, didicisset, obiectiones quoque doctorum contra superstitionem cognouisset, multum inde praesidii ad nouum, quod meditabatur, doctrinae et philosophiae genus constituendum accepit, idque illi, qua ratione ipse magister scholae euaderet, Christianorum cathedrae non inferioris, commonstrauit. Cum enim, vt solent apostatae, magnum patriae religionis odium foueret, et forte quoque furiis conscientiae exstimularetur, talem ex pristina disciplina efformare doctrinam sectamque coepit, quae aciem eius armis obuerteret, et apta esset ad retundenda, quibus auitam religionem Christiani petebant, tela. Quod tamen feliciter satis fieri non poterat, si pueriles nugas veteris superstitionis popularisque religionis pertinaciter tueretur, vel si debellatorum hactenus a Christianis doctoribus philosophorum instar, vni sectae adhaerendo, iugulum non Christianis tantum, sed et aliarum sectarum philosophis obuerteret. Vnde cum Potamonianam nouitatem, pristinam syncretismi scabiem in sectae elegantiam transformasse cerneret, iisdem viis institit, exque sectis praecipuis ea sibi elegit, quae scopo suo inseruire poterant, eaque Platoni subiecit, quod hunc philosophum maximi fieri a Christianis nouerat; et his illa addidit, quae, cum refutare non posset, ex Christiana doctrina imitanda et mutuum accipienda, vel adulteranda etiam sibi constituit. Quod eo facilius in mentem ei venire potuit, quo magis in Aegypto non ignota erat traditio, Platonem a barbaris,

p) loc. cit. p. 68. q) loc. cit T. III. P. II. p. 598. r) loc. cit. p. 180.

by Google

baris, ipſisque etiam Hebraeis, Pythagoram item ab orientalibus, ſub quibus illi comprehendebantur, multa diuinioris doctrinae capita accepiſſe. Qua de re cum infra pluribus dicendum ſit, hic alia non addimus. Legendus autem, qui erudite et copioſe in hoc argumento verſatus eſt, eruditiſſimus MOSHEMIVS [r].

§. VII. Sed vt ex longo ſatis diuerticulo, ad quod Ammonii nos a fide defectio deduxit, in viam redeamus, maxime memorabile eſt, qua potiſſimum occaſione ad eclecticae alicuius ſectae conſtituendae conſilium delatus ſit. Etſi enim veriſimile eſt, hominem ab eclecticis Chriſtianorum philoſophis hanc per omnes ſectas colligendi conciliandique doctrinas varias methodum didiciſſe, vel in gentilium quoque ſcholis eam viam preſſam vidiſſe, id quod de Aegyptiacis ſcholis, praeſertim Alexandriae ſupra monuimus: maxime tamen philoſophorum contentiones et rixae ad condendam eiusmodi pacificam ſectam eum excitarunt, et ſyncretiſmi ſtabiliendi auctores fuerunt. „Hierocle enim auctore [s] cum „hactenus magnae inter Platonicos et Ariſtotelicos, ceterosque philoſo„phos contentiones extitiſſent, quorum inſania eo vsque fuerat prouecta, „vt ſcripta quoque praeceptorum ſuorum deprauarent, quo magis viros „hos inter ſe pugnantes ſiſterent, aeſtu quodam raptus ad philoſophiam „Ammonius, vir θεοδίδακτος [t], reiectis, quae philoſophiae contemtui „erant et opprobrio, opinionum diſſenſionibus, perpurgatisque et reſe„ctis, quae vtrimque excreuerant, nugis, in praecipuis quibusque et maxi„me neceſſariis dogmatibus concordem eſſe Platonis et Ariſtotelis philo„ſophiam demonſtrauit, ſicque philoſophiam a contentionibus liberam „ſuis diſcipulis tradidit.“ Fuiſſe inter haec maxime neceſſaria dogmata, ea quae de Deo et familia diuina, de mundo eiusque generatione, de anima, de mali origine, de mundi conuerſionibus et ſimilibus agunt, dubium non eſt: circa huiusmodi enim dogmata verſatam fuiſſe Ammonii et ſectatorum philoſophiam, ex ſequentibus diſcemus [u]. De his vero cum potiſſimum quaeſtionibus inter Chriſtianos doctores et gentiles philoſophos diſceptaretur, vera inde ratio coniici poteſt, quae Ammonium impulit, vt concordiam inter gentiles ſectas conderet. Scilicet in grauiſſimis his quaeſtionibus potiſſimum argumentum atque telum ſumſiſſe et in gentiles philoſophos torſiſſe Chriſtianos doctores a diſſenſionibus circa eas inter illos regnantibus, nemini ignotum eſt, qui apologias P. P. Sec. II. et III. legit, et vel fugitiuo oculo HERMIAE *irriſionem philoſophorum gentilium* inſpexit. Cui malo vt mederetur homo aſtutiſſimus, eiusmodi ſyſtema excogitauit, quo non tantum abſurdiſſimae ſectarum de

Occaſio condendae philoſophiae eclecticae.

r) loc. cit. §. 8. p. 102.

t) De fato apud PHOTIVM Cod. CCXIV. p. 283. Cod. CLI. p. 730.

u) Solenne his hominibus, eiusmodi epitheta addere iis, quos excelluiſſe in ſua ſchola credebant. Ita Longinus criticus, Amelius nobilis, Theodorus θαυμάσιος, Iamblichus diuinus, Porphyrius philoſophus dictus eſt. Conf. HOLSTEN. de vit. Porphyr. c. 6. p. 26. ed. Rom.

x) Prodit PORPHYRIVS l. c. doctrinam de daemonibus pertinuiſſe ad hanc arcanam doctrinam.

Digitized by Google

diuinis et naturalibus rebus ſententiae conciliarentur, ſed abſurdae quoque et inconcinnae, quas Chriſtiani obiiciebant, ſententiae tollerentur; et, cum purius ſe ſanctiusque Deum colere ſtatuerent orthodoxae ciuitatis aſſeclae, philoſophos quoque non deteriora habere oſtenderet, vnam infinitam numinis abyſſum, et ex ea multas naturas diuinas fatentes, et mundi non naturalem tantum, ſed aeternam quoque generationem, et quae his ſimilia ſunt, comminiſcentes. Quae omnia in ſequentibus latius explicabimus, hic vero eo fine attulimus, vt et ſyncretiſticam philoſophandi rationem placuiſſe Ammonio oſtenderemus, et haec non ob ſolos philoſophos, ſed ob Chriſtianos etiam, ab eo inſtituta fuiſſe demonſtraremus. Conſtituta hunc in modum philoſophia conciliatrice, quam ἀκύρως eclecticam vocaueris, ad diſcipulos in ea erudiendos ſe accinxit Ammonius. Gloriae ſtudium incitaſſe hominem, vt deſertis Chriſtianorum ſacris ipſe caput et magiſter ſectae eſſet, nec aliis ſubeſſet et obtemperaret, facile credimus eruditiſſimo MOSHEMIO y: hanc enim praecipuam cauſſam fuiſſe plerisque ſectarum conditoribus, fidem facit hiſtoria philoſophica. Nec defuit Ammonio ſucceſſus feliciſſimus. Multos enim nactum fuiſſe diſcipulos et auditores, maxime tamen Olympium Alexandrinum, Antonium, Herennium, Origenem, Plotinum gentiles, immo ex Chriſtianis quoque aliquos, interque eos Origenem Adamantium, veteres teſtantur z. Id quod mirum eſſe non debet: nam cum diſſenſionibus philoſophorum et oppugnationibus Chriſtianorum valde euiluiſſent ſectae, Pythagorico-Platonicae vero ob doctrinam de Diis magna eſſet exiſtimatio; neceſſario creſcere debebat auctoritas ſectae nouae, quae Platonem potiſſimum ducem ſequendo, non Chriſtianorum tantum ſectae gloriam eripere videbatur, et laudatiſſimae veritati aequalia tradere credebatur, ſed ſublata quoque in tam arduis argumenti generibus diſſenſione excellentiſſimam et diuinam ſapientiam promittebat. Certe tantam fuiſſe Ammonii exiſtimationem, vt Θεοδίδακτος et peculiari coeleſti lumine colluſtratus diceretur ſuis, Hieroclis conſtat teſtimonio. Cui tamen auctoritati pondus aliunde quoque acceſſiſſe coniicimus. Supra nempe obſeruatum nobis eſt, Alexandriae philoſophiae orientalis capita praecipua, quae de Deo eiusque familia, deque ſecretiori cultu diuino, quem theurgiam vocabant, inſolita tradebant et a vulgi opinionibus remotiora locum inueniſſe, tandemque in illam religionum fere omnium ſentinam confluxiſſe. Factum id praecipue Ammonio auctore, vero eſt ſimillimum. Cum enim is ad haec potiſſimum doctrinarum capita maxime attenderet, et in theologia, eiusque operibus miraculoſis Chriſtianis inferior eſſet nollet, non potuit non ad has philoſophiae Orientalis partes delabi, dudum inter Aegyptios innoteſcentes, quae maxime diuinum facere videbantur ſyſtema eius recens inuentum. Cuius non alia confirmatio peti debet, quam ab ipſis Ammonii diſcipulis, quos ex his lacunis hau-

y) loc. cit. z) HIEROCLES l. c. PORPHYR. l. c.

Digitized by Google

hauſiſſe et in ſua arua deriuaſſe doctrinas has diuinas et theurgicas in ſequentibus planum faciemus. Recte vero Ammonio tribui, ipſe prodit PORPHYRIVS [a] narrans, Plotino in Ammonii ſchola profectus, quos in eius doctrina fecit, excitaſſe deſiderium addiſcendi philoſophiam Orientalem Perſarum et Indorum. Quae cum diuiniſſima haberetur, haeſit ſine dubio inde Θεοδιδάκτου nomen Ammonio. Nec aliunde forte deriuanda eſt arcani, quam conſtituit in ſchola ſua Ammonius, diſciplina. Nam et hoc refert PORPHYRIVS [b]: *Conſtituiſſe cum Plotino reliquos Ammonii diſcipulos, ne Ammonii dogmata ederent, quae audita ab eo purgata mente ſeruauerant.* Quod vt recte ad diuinas illas doctrinas, vndecumque ab Ammonio corraſas, refertur, ita abſurde ſatis et inconuenienter a LABBEO [c] et HOLSTENIO [d], arcani diſciplina in quibusdam doctrinis apud Chriſtianos obſeruata ſeductis, ad myſteria Chriſtianae religionis trahitur, quae reuelaſſe diſcipulis ſuis Ammonium ea lege, ne vulgarentur, putant. Tale enim nihil verba dicunt Porphyrii, quique Ammonii diſciplinam doctrinasque, quales poſtea in vulgus editas eſſe, ipſe ait Porphyrius, conſiderat, facile videt, quam leuia haec ſint et ſine vllo fundamento dicantur. Certe qualia ἀπόῤῥητα fuerint Plotini, Porphyrii et Iamblichi ſcripta ſatis loquuntur, a Chriſtianis dogmatibus toto coelo aberrantia [e]. Non ſeruaſſe enim ſilentium, in quod coniurauerant, Origenem et Herennium, ſed in vulgus arcana edidiſſe, Plotino promiſſum ſeruante, teſtis iterum eſt PORPHYRIVS [f]. Quanta vero iudicii acrimonia et eruditione fuerit inclytus Ammonius, vel ex eo intelligere eſt, quod Plotino, poſt auditos et reiectos omnes, qui Alexandriae docebant, profeſſores, ſolus placuerit Ammonius, eiusque ſchola tanta ceperit incrementa, quanta nulla fere alia [g]. Nec denegandam ei ingenii laudem putamus, ſine quo ſyſtema tam informe ſpeciem eruditionis, centoque miſer formam eclecticae philoſophiae accipere non potuit. Qui vero iudicium cum Plotino ei tribuunt acre, non cogitant hominem fuiſſe fanaticum, qui homines plerumque quo magis valent ingenii et imaginationis viribus, eo magis premuntur iudicii penuria. Nihil vero ſcripſiſſe teſtis eſt Longinus [h], qui eum inter Platonicos refert, qui ſatis ſibi factum exiſtimarunt, ſi praeſentes familiaresque conſilii ſui doctrinaeque participes feciſſent. Quod, vt ſupra iam dictum, argumentum eſt, diſtinguendum eſſe Ammonium Saccam a Chriſtiano Ammonio; cuius libri Euſebii tempore extabant, de quibus ſcriptorum eccleſiaſticorum catalogi videndi ſunt [i]. Quo vero tempore fatis conceſſerit Ammonius, dici non poteſt; non tamen veriſimilitudini aduerſatur coniectura IONSII [k], deceſſiſſe eum anno XXXIX. Plotini,

a) loc. cit. c. 3.
b) Ibid.
c) De Script. eccleſ. T. I. p. 58.
d) Loc. cit. p. 28.
e) Edidiſſe ex iis doctrinam de daemonibus Plotinum, ipſe refert Porphyrius.
f) loc. c.
g) Ibid.
h) loc. cit. c. 20.
i) CAVE l. c. p. 68. FABRICIVS l. c. p. 172. et ad HIERONYM. l. c. OVDINVS l. c. BAYLE l. c. not. G. p. 18.
k) De S. H. Phil. L. III. c. 3. p. 282.

vbi eum audire defiit. Fuit is A. C. CCXLIII. Ammonio forte LXXX. maiore.

Longinus. §. VIII. Ex diſcipulis Ammonii prae ceteris eruditionis et philoſophiae laude celebrati ſunt Longinus, Herennius, Origenes et Plotinus. DIONYSIVS LONGINVS, interdum Caſſius quoque dicitur [l], nepos forte Caſſii cuiusdam [m]. Quidam Syrum Emeſae oriundum faciunt, ſed incerta coniectura, nam hoc tantum conſtat, Cornelium Frontonem Plutarchi nepotem, rhetorem Emeſenum eum ex ſorore ſua Frontonide natum haeredem reliquiſſe [n]. Ex quibus coniici poteſt, ab eo educatum vel inſtitutum, eloquentiae praecepta hauſiſſe. Id certe teſtatur: varia ſe loca cum parentibus adiiſſe multasque paſſim regiones a teneris annis peragrauiſſe [o]; cum itaque pleraque Muſarum domicilia adiret, Athenis, Alexandriae, Romae praeſtantiſſimos in grammatica, rhetoricaque arte et in philoſophia quoque viros audiendi occaſionem nactus eſt, cumque iis, vt ipſe quoque teſtatur [p], in eundem ſaepe locum concurrit. Inter eos fuere Platonici non doctrinae tantum, ſed et ſcriptorum laude celebres Euclides et Democritus, et Proclinus, qui in Troade habitauit: et qui nihil ſcriptis deſignarunt, ſed praeſentes tantum familiaresque conſilii ſui doctrinaeque participes fecerunt, Ammonius atque Origenes. Quos diſciplinae cauſſa adiiſſe, ipſe non obſcure fatetur ſcribens [q]: *οἷς ἡμεῖς τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου προσεφοιτήσαμεν ἀνδράσιν, ἐκ ὀλίγου τῶν καθ' ἑαυτοὺς εἰς σύνεσιν διενέγκασιν, quibus nos plurimum temporis diſcendi cauſſa adhaeſimus, eruditionis et iudicii excellentia haud parum ſui temporis philoſophos ſuperantibus.* Cum tamen immenſo eruditionis vniuerſae amore ferretur, aliarum quoque familiarum philoſophos audiuit, et ex Stoicis quidem Themiſtoclem [r] atque Phoebionem, et Annium atque Medium, ex Peripateticis Heliodorum Alexandrinum [s]. Sed et Hermini atque Lyſimachi, et, qui Athenis egerunt, Athenaei atque Muſonii Stoicorum; et inter Peripateticos Ammonii atque Ptolomaei meminit, quorum tum maximam fuiſſe eruditionis famam, ait [t]. Id quod ex conſilio Ammonii Saccae feciſſe, dubium nullum eſt, quem nullam ſectam, ſi Epicuream exceperis, reiecciſſe, ſed cum ſua omnes philoſophia conciliaſſe, ſupra diximus. Adhaeſit enim Longinus non Peripateticae, nec Stoicae doctrinae ſed Platonicae, qualem nempe Ammonius nuper reformauerat. Tanti etiam fecit Platonem, vt, teſte EVSEBIO [u], quotannis memoriam eius conuiuio celebraret, et Platonianum feſtum ſacrum haberet. Et legit quidem recepta apud Euſebium lectio *Πλωτίνεια* [x], ſed emendandam eſſe, legendumque *Πλατώνεια*, recte monuit *κριτικώτατος* FABRICIVS [y]. Ploti-

l) SVIDAS in Longinus T. II. p. 464.
m) Caſſii Longini fit mentio apud PLVTARCH. Sympoſ. L. IX. Procem.
n) SVIDAS in Φρόντων T. III. p. 634.
o) In Proocmio libri de fine, quod affert PORPHYR. de vita Plotini c. 20. f. 1. p. 127.
p) Ib. f. 2. q) f. 4.
r) Conf. SYNCELLVS p. 380.
s) Ibid. f. 4. t) Ibid. f. 6.
u) Praepar. L. X. c. 3.
x) Ita enim HOLSTEN. in vita Porphyr. c. 2. p. 17.
y) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 436. De ipſa conſue-

Digitized by Google

Plotini enim memoriam Longinus condiſcipulus eo minus celebraſſe dicendus eſt, quo magis tanta eius auctoritas Longino non fuit, vt non ſaepe Plotino contradiceret, et contra eum ſcriberet, aemulatione laudis philoſophiae in eum accenſus, quod cum iſta veneratione non conuenit. Paucis quoque poſt Plotinum annis viuendo ſuperfuit Longinus, quibus inſtituiſſe demum Plotiniana conuiuia, veriſimile non eſt. Et, quod rem conficit, teſte PORPHYRIO [z], ne quidem fieri potuit, nec vnquam a Plotini diſcipulis factum eſt, cum Plotinus ideo menſem diemque, quo natus eſſet, declarauerit nemini, quod putaret, non decere, natalem eius conuiuiis ſacrificiisque celebrari. Sed et ſcripta Longini teſtimonium ſunt, delectae ſibi philoſophiae Platonicae, ſiue Ammonianae potius; ſcripſiſſe enim de iuſtitia apud Platonem contra Gentilianum Amelium, et de ideis contra Porphyrium diſputaſſe, ipſe in prooemio libri de fine [a] refert. Accidit tamen ex inſigni, quod in grammatica, rhetorica et critica arte habuit, iudicio, vt in his magis, quam in philoſophia valeret, vnde eum philologi magis quam philoſophi nomen mereri dixit Plotinus [b]. Illo enim encomio dignum iudicauit virum elegantioribus literis ad miraculum fere inſtructum, quisquis ex veteribus et recentioribus de his eruditionis partibus iudicium facere intellexit [c]: cuius ſpecimen eſt, quod Longini nomen, vt olim Ariſtarchi, pro critico quouis ſoleat adhiberi excellentiſſimo, et ſui generis primo [d]. Sed et literaturae antiquae atque hiſtoriae fuit peritiſſimus, quod ei φιλαρχαίου nomen apud PORPHYRIVM peperit [e], et memorabile eſt, quod EVNAPIVS [f] refert: *fuiſſe* Longinum *eo tempore βιβλιοθήκην τινὰ ἔμψυχον, viuam quandam ac ſpirantem bibliothecam et muſeum ambulans, cui de veteribus iudicandi poteſtas commiſſa fuerit, eumque ceteris omnibus ſuae aetatis adeo antecelluiſſe, vt ſi quis vetuſtum auctorem aliqua in parte reprehendiſſet, non prius rata firmaque haberetur ſententia, quam Longini illam firmaſſet iudicium.* Multos habuit diſcipulos, ex quibus eruditionis, praeſertim antiquae, et philoſophiae laude ſuper ceteros eminuit Malchus, cuius gentilitium nomen in Graecum Porphyrii mutauit Longinus [g]. Sed et Zenobia Orientis regina Longino praeceptore ad diſcendas Graecas literas vſa eſt. Quibus vtinam ſe profeſſionis ſuae limitibus continuiſſet, nec ad aulae conſilia infauſto ſidere ſe applicuiſſet Longinus. Zenobia enim, quae poſt Odoenathum regem Palmyrenorum maritum ſuum A. C. CCLXVII. occiſum, regni habenas ſola capeſſere auſa fines regni, adiecta Aegypto

ſuetudine philoſophorum natales conuiuiis et ſacrificiis celebrandi, imprimis Platonis et Epicuri diximus Tom. I. Platonicorum imprimis eum morem fuiſſe, prouerbium: *coena Platonica*, et PLVTARCH. Sympoſ. L. VII. c. 9. probat. Conf. ESCHENBACH. de Sympoſ. vet. §. 20. diſſ. Acad. p. 316. cui haec Longini Platoniana addi debent.

z) loc. cit. c. 15. p. 95.

a) PORPHYR. l. c. c. 20.

b) l. c. PROCLVS in Timaeum L. I. p. 27. HOLSTEN. l. c. c. 6. p. 42.

c) Collegit haec iudicia et praefixit nouae editioni περὶ ὕψους Io. HVDSONVS Oxon. 1710.

d) Apud HIERON. ep. 95. Conf. FABR. l. c.

e) l. c. c. 14. p. 116. quod in nomen proprium abſurde mutauit FICINVS.

f) In vitis Sophiſt. p. m. 14. *g*) Citati.

Aegypto aliisque prouinciis, auxerat, ab Aureliano imperatore, victa bello A. C. CCLXXIII. et capta est. Quae cum inter eos, quorum consiliis vsa esset, Longinum etiam nominasset, statim eum imperator interfici iussit [h]. Sed in morte philosophum se praestitisse, testatur, qui haec narrat, ZOSIMVS [i]. Non enim ipse modo supplicium fortiter subiit, sed et alios, qui iniquius illud ferebant, solatio erexit. Dolendum vero, intercidisse tam egregii viri scripta omnia, praeter vnum de sublimi libellum, prorsus excellentissimum, neque tamen integrum, de cuius editionibus, et historia, cum ad nos non pertineat, videndus est FABRICIVS [k].

Herennius et Origenes.

§. IX. Longino iungendi sunt HERENNIVS et ORIGENES, qui ex intimae admissionis discipulis Plotini fuere. Et de Herennio quidem nihil constat, nisi fuisse eum inter auditores Ammonii, nouamque disciplinam non didicisse tantum accurate, sed et sancte custodiendam minimeque vulgandam promisisse, primum autem soluto promissi pacto eam edidisse, et Origeni atque Plotino, vt paria facerent, auctorem fuisse. Quae enim passim de Herenniis apud veteres occurrunt [l], ad hunc Ammonii discipulum non pertinere, temporum rationes euincunt. Origenis maiorem et immortalem famam fuisse, nemini ignotum est, et percepisse quoque Origenem Adamantium Ammonii disciplinam, veteribus traditum est. Verum non potest hic Origenes, qui cum Herennio et Plotino arcanis Ammonii lectionibus interfuit, idem haberi cum Alexandrinae ecclesiae doctore Christiano, cuius historia circa haec tempora maxime memorabilem annalium Christianae reipublicae partem occupat [m]. Is enim Christianus fuit, inter veterum Christianorum philosophos suo loco et tempore accurate enarrandus: hic gentilis sine dubio erat, certe ab illo ob hanc caussam distinguendus est, quod nihil scripsit, praeter quendam de daemonibus libellum, et sub Galieno librum ὅτι μόνος ποιητὴς ὁ βασιλεύς, vt tradit PORPHYRIVS [n]. Origenem autem Adamantium innumera fere scripsisse, quorum pars ad nostram aetatem peruenit, nemini ignotum est. Inter quae eius scripta cum argumenti quo-

h) VOPISCVS in Aureliano c. 30. qui his addit: „Aurelianum ideo Longinum occidisse, „quod superbior, quam ad imperatorem miserat „Zenobia epistola, ipsius diceretur dictata con„silio, quamuis Syro esset sermone contexta.„

i) L. I. c. 56.

k) loc. cit. p. 437.

l) Passim apud veteres occurrunt Herennii, sed vel aetate nostro superiores, vel inferiores. Herennium Senecionem Stoicum, vitam Prisci Heluidii exarantem a Domitiano fuisse interfectum, supra notauimus. Et ad ea fere tempora Herennius Philo referendus est, cui Sanchuniathonis fragmenta Phoenicia debentur, de quo vid. VOSSIVS Hist. Graec. L. II. c. 10. p. 211. IONSIVS de S. H. P. L. III. c. 2. p. 242. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 120. Sed Herennius quoque Seuerus ab Hermippo commendatus sub Adriano vixit, vid. SVIDAS in Hermippus Berytius T. I. p. 560.

m) Dicendum de eo T. III inter philosophos veterum Christianorum ex instituto.

n) l. c. c. 2. Sensus tituli obscurus, quid enim ποιητὴς βασιλεύς, an poëta, quod Galienus quosdam versiculos fecit, quod frigidum esse recte iudicat FABRICIVS ad h. l. Effectorem vertit FICINVS, exiguo sensu. Nobis, si coniecturae locus, vox βασιλεύς, non ad imperatorem, sed ad Deum regem vniuersi referenda videtur, qui solus conditor rerum omnium Platonicis dicitur. Voces enim has Platonicas esse nemo ignorat.

Digitized by Google

quoque philoſophici quaedam fuerint, palam eſt, Porphyrium loqui de alio Origene, quam Chriſtiano. Qui cum teſte EVSEBIO [e] A. C. CCLIII. ſeptuagenarius obierit, paulo ante imperatorum Galli et Voluſiani mortem, librum ſane ſub Galieno ſcribere non potuit. Plotinus etiam non vidit Alexandriam ante annum vndecimum Alexandri Mammaeae, et paulo poſt Ammonio praeceptori ſe tradidit, cum iam Origenes noſter Alexandriam relinquere coactus eſſet, quo nunquam poſtea reuerſus eſt [f]. Ex quo ſequitur, non fuiſſe eum Alexandriae, cum Ammonio ſe traderet Plotinus, nec eius condiſcipulum tum temporis eſſe potuiſſe. Mire itaque falluntur viri docti, qui hunc Origenem cum Chriſtiano eundem putant [g], et, qui multo magis labitur, CASIMIRVS OVDINVS [h], qui oſcitanter Porphyrii locum inſpexit, et veniſſe Origenem Adamantium A. C. CCXLVIII. Romam putat, et cum Plotino congreſſum. Male enim huc rapit teſtimonium EVSEBII [i], qui ad Fabianum Romanum epiſcopum Origenem, fidei confeſſionem ſcripſiſſe refert: quam eum attuliſſe Romam, hacque occaſione cum Plotino contuliſſe coniicit. Pleraque enim nimiam oſcitantiam produnt, cum non tantum de itinere hoc nihil habeat Euſebius, ſed et Porphyrius dicat, Alexandriae, non vero Romae cum Plotino Origenem diſciplinae Ammonii adhaeſiſſe, Plotinum autem, cum ſilentium promiſſum Origenes non ſeruaſſet, Romae tandem Ammonianam philoſophiam euulgaſſe. Eius etiam aetatis fuit Origenes gentilis, vt a Porphyrio non videri tantum potuerit, ſed et ei propius innoteſcere [k]: cum Chriſtianum Origenem valde iuuenis tantum cognouerit, antequam ſe philoſophiae ſtudio apud Plotinum dediſſet.

Plotinus.

§. X. Omnes tamen eruditionis laude et iudicii acumine ſupergreſſus eſt PLOTINVS, ſcholae Ammonianae ſtator quaſi, ſectaeque eclecticae alter parens, qui et ſcriptorum et diſcipulorum multitudine recentem ſectam, quam Platonicam reformatam recte dixeris, maxime illuſtrauit, dignus cuius vitam paulo plenius enarremus. Id quod faciliori fieri poteſt negotio, cum temporis iniuriam euaſerit vita Plotini a Porphyrio, diſcipulo et familiari eius, ſcripta, quam a MARSILIO FICINO cum verſione Latina Plotini operibus praefixam recudi fecit et notulis interſperſis ac chronologia Plotiniana auxit optimus FABRICIVS [l]: Porphyrium paucis ſecuti ſunt EVNAPIVS [m], et SVIDAS [n], et ex recentioribus P. BAYLE [o], quem tamen criticum, quo pollebat, acumen non adhibuiſſe merito miramur. Quare de hac quoque hiſtoriae philoſophicae particula egregie meruit praeſtantiſſimus HEVMANNVS [p], qui

e) Hiſtor. eccleſ. L. VII. c. 1.
f) Vita Plot. c. 14.
g) Monuit hoc illuſtris PEARSONIVS Vindic. Ignat. P. II. c. 1. p. 10.
h) HOLSTEN. vit. Porphyr. c. 6. p. 39.
i) De S. E. T. I. p. 238.
k) Hiſt. eccleſ. L. VI. c. 28. 29.
l) Bibliotb. Graec. Vol. IV. p. 88. ſeqq.
m) Vit. Sophiſt. p. 1.
n) In Porphyr. L. III. p. 133.
o) Dict. T. III. art. Plotin. p. 787. ſeqq.
p) Act. Philoſ. Vol. I. p. 139. ſeqq.

qui critica manu vitam Plotini delineauit, fabulas excuſſit, quidque veriſimile, quid minus, doctiſſime annotauit. Ad vnum enim Porphyrium omnia fere redire, eiusque fide ſtare atque cadere, manifeſtum eſt. Qui ſi eam animi integritatem et ſinceritatem ad hunc de vita praeceptoris ſui commentarium ſcribendum attuliſſet, quae in ſcriptore tali requiritur, omne certe punctum tuliſſet. Eius enim vitae circumſtantias omnium optime noſſe potuit, qui hominem non tantum nouit, ſed familiariter quoque cum eo per ſexennium vixit, intimaque gauiſus admiſſione, res Plotini omnes rationesque eius totas perſpexit, ſcriptaque eius recognouit et emendauit. Aſt, quam vere et ſincere ſcribendi facultatem habuit, eum non adhibuiſſe, adeoque mendacii et fraudis poſtulari poſſe, attenta vitae huius a Porphyrio conſcriptae lectio nos mox conuincit, et in aprico ponit aſtutiam hominis, praeceptorem ſuum non ex veritate, ſed ſectae ſuae emolumento deſcribentis. Qua in re huius ſchola mores ſecutus eſt Porphyrius, quam fraudibus quoque et mendaciis, vanaque iactantia res ſuas iuuare licitum exiſtimaſſe, ſupra in Apollonio monuimus. Eo minus vero fides ſine examine adhibenda eſt Porphyrio, quo magis in vitae, quam nobis dedit, Pythagorae hiſtoria, fraudes eius et mendacia deteximus, planumque fecimus, eo potiſſimum ſcopo atque fine conſcripſiſſe ſubdolum hominum genus vitas, philoſophorum ſectae ſuae, vt eos diuinos fuiſſe homines, maiora, quam a nudo homine expectari queant, edentes opera, et ita vixiſſe, docuiſſeque oſtenderent, vt non tantum nouae ſectae inde auctoritas accederet maxima, ſed et Chriſtianae religioni, eiusque diuino magiſtro ac doctoribus ſanctis opponerentur homines, eadem ſapientiae et miraculorum gloria inſignes. Sane hic ſcopus vbique in hac vitae Plotini hiſtoria regnat, vt in ſequentibus monebimus, dudumque viris doctis obſeruatum eſt, hocque ſemel de ſequentibus quoque vitarum philoſophorum eclecticorum enarrationibus probe tenendum eſt. Sine hac enim cautione inſignes audaciſſimorum hominum fabulas nunquam detegemus. Qui cum inſano praeterea ſectae praeiudicio, coecoque praeceptorum amore flagrauerint, facile intelligitur, quam fidem in annalibus philoſophicae hiſtoriae mereantur.

Plotini vita. §. XI. Plotinus ſingulari Platonici ſyſtematis errore occupatus neque vnde genus duceret, neque quibus ortus eſſet parentibus, neque etiam qua patria oriundus, narrare niſi inuitus, ſuſtinuit [b]: nempe pudebat eum, animam ſuam erroris ſui lapſusque conſciam in corpore tanquam in carcere detineri ac migrare. Patriam itaque eius non indicauit Porphyrius, quam tamen Lycopolin Aegyptii vrbem fuiſſe EVNAPIVS [c] prodit, quem ſine dubio ſecutus eſt SVIDAS [d]: ſiue ea Thebaidis ſiue Sebenniticae prouinciae ciuitas fuerit, duas enim in Aegypto vrbes huius nomi-

b) PORPHYR. c. 1. c) Vit. Sophiſt. p. 10. d) loc. citat.

Digitized by Google

nominis fuiſſe conſtat [e]. Aegyptii vero dum deſcribimus hiſtoriam, lectorem monitum volumus eorum recordari, quae de huius gentis ingenio fanatico moribusque ad ſuperſtitionem procliuibus aliquoties monuimus. Ex hac enim gentis eius indole character atque indoles animi Plotini omnium optime cognoſcitur. Natiuitatis tempus, ex computatione PORPHYRII [f], incidit in decimum tertium imperatoris Alexandri Seueri, qui fuit A. C. CCV. quo tempore ſurrexiſſe Alexandriae ſcholam eclecticam, ex ſupra dictis notum eſt. Diem vero et menſem cur ſtudioſe celauerit Plotinus, ſupra quoque indicauimus. Indignum enim putabat eius diei memoriam recolere, quo anima de loco atque dignitate ſua deiecta in corporis carcerem detruſa et migrare in inferiori regione ſubiecta errori et paſſionibus iuſſa eſt. Nec plura de parentibus et familia et educatione etiam conſtant. Hoc vnum referebat ipſe [g], ſe dum octauum ageret aetatis annum, ac iam ad γραμματοδιδάσκαλον accederet, adhuc tamen ſolitum ad nutricem diuertere, ſugendique lactis auiditate nutricis nudare papillas; cum vero quandoque ſibi obiiceretur, quod puer eſſet moleſtus, pudore cohibitum deſtitiſſe. Qua vero ratione adoleſcentiae annos exegerit, an vel bonis literis animum imbuendum exhibuerit [h], vel deſidia tempus perdiderit, dici, deficientibus veterum memoriis, non poteſt. Id de ſe narrat, cum vigeſimum octauum aetatis annum iam compleuiſſet, philoſophiae amore vehementer ſe accenſum eſſe. Id quod animi ignauiae voluptatique in iuuentute litantis ſignum eſſe putat doctiſſimus Heumannus, ambitione ſub virilis aetatis florem demum philoſophiae amorem inſpirante [i]. Qua in re nolumus Plotino eſſe graues, eo quod non conſtet, an non vel encyclicis prius literis ſe dederit, vel alii deſtinatus vitae generi ſtudia prius omiſerit literarum, et maturis demum animi viribus ſeueriori diſciplinae ſe tradiderit. Serius enim et nonniſi in virili aetate praeſtantiſſimos philoſophos ſapientiae ſtudia attigiſſe, multis exemplis nos docet hiſtoria philoſophica [k], et ipſe Porphyrius [l], optimis licet literis eruditus in iuuentute, exemplo eſt, qui trigeſimo demum aetatis anno ad philoſophiam acceſſit. Maturus itaque annis et iudicii viribus cum philoſophiae ſtudium elegiſſet Plotinus, commendatus eſt ſapientiae profeſſoribus, quotquot Alexandriae ex variis ſectis famam eruditionis erant conſecuti, et philoſophiae laude excellebant. Non defuiſſe Plotino, inſano in philoſophiam amore accenſo, ſtudium et attentionem, dubitari non poteſt, notumque ex iis, quae ſupra in Ammonio diſputauimus, hominem curioſum de modo tradendi ſapientiae praecepta, per ſcholas philoſophorum diſcurriſſe, eorumque lectiones audiuiſſe, eaque occaſione etiam ad Potamonis cathedram acceſſiſſe. Fatetur

e) Prius placet FABRICIO ad Porph. l. c. p. 92.

f) l. c. c. 2.

g) loc. cit. c. 3.

h) Parum praeſidii Plotini ab elegantioribus literis in iuuentute acceſſiſſe, ſtilus obſcurus, qui Porphyrii emendatione opus habebat, prodit. Illud tamen vitium ingenio magis quam diligentiae Plotini adſcribendum eſſe videtur.

i) Act phil. Vol. I. p. 152.

k) Conf. OLEAR. de philoſ. eclect. c. 3. p. 1211.

l) loc. cit. c. 4.

tamen Plotinus [m], se ex eorum scholis tristem discessisse, atque animo moesto; caussam tamen moeroris, quam amico indicauit, non adiecit, quae varia esse potuit. Fuisse enim tum temporis complures, qui in criticam magis artem et philologiam, quam in philosophiam incumberent, hancque cum illa miscerent, Longini exemplo discimus; quod valde Plotino displicuit. Forte contentiones philosophorum, quas occasionem dedisse Ammonio condendae sectae eclecticae, et Potamoni quoque simile consilium suggessisse, supra diximus, Plotino fuere exosae, quod eo magis verisimile est, quo magis conciliatricem Ammonii philosophiam sibi vehementer placuisse fatetur. Vero tamen proximam coniicimus caussam, quod homini Aegyptio, ex gentis indole ad superstitionem et fanaticismum etiam temperamento procliuiori displicuerint doctrinae philosophorum de aliis magis rebus, quam de diuinis, disputantium, eamque, quam magni apud suos fieri videbat, sapientiam spondentium magis, quam tradentium. Quaecunque vero ea demum fuerit, cum illam amico detexisset, qui mentis eius consilium atque affectum omnium optime nouerat, ad Ammonium, cuius nullum adhuc fecerat periculum, adductus est. Huius cum ingressus scholam esset, eumque audiuisset, adeo placuere lectiones ei Ammonii, vt ad amicum diceret: hunc fuisse, quem quaesiuerit. Quae haud obscure innuunt, philosophiam Ammonii et syncretisticam et fanaticam ob animi ad istas affectiones mentis inclinantis indolem, vehementer Plotino placuisse. Ex eo die magna industria annos vndecim Ammonium auscultauit, ad illud nempe tempus, quo verisimili coniectura et vitae et lectionum philosophicarum finem fecisse, supra diximus, quem circa haec tempora octogenario non inferiorem fuisse oportet [n]. Praeceptore, vt probabile, destitutus, cum in Ammonii schola orientalem philosophiam laudari commendarique, et coniungi cum Pythagorae ac Platonis praeceptis audiuisset, quos nempe ipsos Orientis quoque philosophos adiisse, traditio eius temporis, licet fallax et incerta, dicebat; cumque in hac philosophia illud doctrinae genus, quod quam maxime sectabatur, et apud Ammonium didicerat, quodque de Deo, diuinisque emanationibus, de daemonibus et his similibus praecipiebat, longe excellentius, quam inter Graecos, tradi crederet, constituit Persidem atque Indiam adire, eamque sapientiam addiscere, quam magi et gymnosophistae magna admiratione tanquam oracula fundere dicebantur. Cuius consilii maturandi occasionem accepisse coniicimus ab Apollonii Tyanei exemplo, cuius facta theurgica a Magis, Persis et Indis accepta et edocta eo tempore magna, vt supra vidimus, fama celebrabantur. Talem enim sapientiam diuinam Plotinum non affectasse tantum, sed et iactasse, tota vitae eius loquitur historia. Commode vero accidit haec meditanti Plotino, vt Gordianus imperator expeditionem in Persas moliretur, Parthis bellum illaturus. Huius igitur exercitui se adiunxit Plotinus A. C. CCXLIII. aeta-

m) loc. citat. c. 3.

n) Natus scilicet sub Commodo, vt supra dictum.

Digitized by Google

aetatis anno trigesimo nono. Rebus tamen Gordiani infeliciter cedentibus, ipsoque imperatore in Mesopotamia interfecto *, fugatoque exercitu ipse quoque fuga dilapsus est Plotinus, vixque saluus sospesque Antiochiam euasit. Deinde imperante Philippo Romam venit, annos iam natus quadraginta. Ibi licet magnum pandendae, quam insigni studio improboque labore sibi parauerat, sapientiae theatrum inuenisset, quoniam tamen arcanae Ammonii disciplinae adhaerens condiscipulis Herennio et Origeni fidem fecerat, nihil philosophiae purgatae suoque nitori ab Ammonio restitutae se vulgaturum, inhaesit quoque instituto, fidemque inuiolatam praestitit; et cum iis quidem, qui illum conuenerant, humane conuersatus est, Ammonii autem mysteria secreta integraque conseruauit. Quod consilium eo diligentius premi a Plotino par erat, quo magis non tantum eius rei fidem condiscipulis, et, vt dubio caret, praeceptori quoque fecerat, sed et ipsa sapientiae, quam didicerat, auctoritas id postulabat, quae tantum crescebat, quantum abscondita a vulgi auribus infanda mysteria ostentabat: quantumque illa arcana disciplina ab inuidia telisque philosophorum, quibus Alexandria et Roma quoque abundabat, praestabatur immunis. Non tamen diu nimis durauit istud silentium. Herennio enim, vt supra dictum, pacti fidem primum soluente, et Origene sequente, liberum se a promissis reputans Plotinus ad docendam tandem eam philosophiam, quam in lectionibus Ammonii audiuerat, se composuit, a scribendo tamen, licet id feciſſet Origenes, diutius se continuit, et colloquiis tantum eas interseruit doctrinas, quas ab Ammonio acceperat. Et hac quidem ratione decennium integrum philosophando consumsit, ad colloquia quidem et disputationes quosdam admittens, nihil tamen ipse scribens. Sed quoniam discipulis, quos scholae consuetudine et familiaritate dignos iudicauerat, non permitteret tantum, sed inuitaret etiam illos, vt pro arbitrio, quae vellent, ipsum interrogare possent; accidit, vt magno ardore in haec noua dogmata exardescentes discipuli, multisque quaestionibus praeceptorem fatigantes ludum illum confusione nugisque replerent. Quae sine dubio causa quoque fuit, vt ad libros scribendos se accingeret, quibus meliori ordine philosophiae decreta se explicare posse sperabat. Arcanam itaque philosophiam Ammonii in literas retulit Plotinus, et primo quidem Galieni imperatoris anno se ad scribendas conuertit, qualescunque inciderint, quaestiones, mox singularium argumentorum genera scriptis complexus est, sic vt decimo Galieni anno iam vnum vigintique libros exaratos deprehenderet Porphyrius. Sed non facilis erat eorundem editio, neque cuiuis illi patebant, vel conscius erat quilibet, sed illi duntaxat accipiebant, qui essent maturo quodam iudicio comprobati *. Ordinis vero et elegantiae non curiosum valde fuisse Plotinum inde colligere est, quod non ipse libris certos titulos praefixerit, sed discipuli, quorum alius aliter libros inscripserat:

*) Vid. Capitolinus in Gordiano tertio c. 28. *) loc. cit. c. 4.

rat: prout nempe quaeſtiones diſcuſſae occaſionem dediſſe videbantur. Scripſit vero libros philoſophicos quinquaginta quatuor, quorum plerique metaphyſici argumenti ſunt, et fanaticam Ammonii philoſophiam mire produnt, pauci ad dialecticam, multi ad ethicam pertinent, quorum titulos cum enarrauerit Porphyrius [q], eos huc tranſcribere ſuperſedemus. Eos variam Plotini aetatem variumque animi vigorem oſtendiſſe obſer„uat PORPHYRIVS [r], prout nempe vel in prima philoſophicae aetate, vel „florentibus iudicii philoſophici viribus, vel exhauſto iam corporis animi„que vigore eſſent conſcripti [s]. Primos namque vnum et viginti, ſi cum „proxime ſequentibus conferantur, leuius habere robur videri, nec ſuffici„entem habitum conſtantemque vim animi; qui vero medio tempore „compoſiti ſint, virtutis florem prae ſe ferre, ad ſummum vsque vigen„tem; talesque eſſe quatuor et viginti, exceptis quibusdam paucis, perfe„ctiſſimos. Vltimos denique nouem remiſſiorem iam referre facultatem „idque poſtremos quatuor magis, quam antecedentes quinque declarare." Magnam ſcriptorum horum curam gerebat, cui totos permiſerat, Porphyrius. Cum enim, relegere, quod ſcripſerat, non ſuſtineret, immo ne ſemel quidem legere et percurrere, propterea quod viſus ei non ſatis ſufficeret ad legendum, cumque ſcribens, nec belle literas pingeret, nec exacte ſyllabas diſtingueret, referretque, ne vllam orthographiae curam adhiberet, quaecunque etiam ſemel animo conceperat, tanquam ex exemplari ob oculos poſito, vna ſcriptione delinearet, vt quaſi traducere videretur, nonnunquam etiam cum ſuis inter meditandum verba faceret, et quae ad vitae humanae commercia pertinebant, componeret, ſeruata interim in animo totius meditationis atque cogitationum ſemel conceptarum ſerie, tandem, cum nec colloquiis cum amicis finitis ſcripta repeteret, ſed deinde ſequentia ita contexeret, quaſi ne minimum quidem temporis inſtitutum prius intermiſiſſet [t], facile cogitari poteſt, defuiſſe ſcriptis Plotini accurationem et elegantiam, eaque non in ſcribendi tantum modo, ſed in ipſa quoque ordinis ſerie, et cogitationum inter ſeſe concinnitate valde defeciſſe. Quod hodie quoque, licet criticas Porphyrii manus experti ſint, in libris Plotini deprehenditur, in quibus magna obſcuritas ordinisque defectus, et grauis ſaepe regnat confuſio. Vt itaque huic ſcriptorum ſuorum ſcabiei mederetur Plotinus, Porphyrium hominem doctum et elegantioribus literis arteque critica probe ſubactum conſtituit, qui ſcripta ipſius emendaret [u]: quo munere cum diligentiſſime Porphyrius ſe defunctum fateatur, dubium non eſt, ad omnes hos naeuos eum atten-

q) c. 4. p. 99.
r) Ibid. p. 103.
s) Ita nempe intelligenda ſunt verba Porphyrii, qui non ad aetatem vitae, ſed ad annos philoſophiae iudiciique eius ſtudio ſubacto retulit: ad quod non attendit Ficinus, qui de florentis aetatis vigore interpretatus eſt, quod occaſionem dedit Cl. HEVMANNO l. c. p. 154. grauem dicam ſcribendi Porphyrio, quod primo aetatis vigore eos libros exaratos dixerit, quos ad ſaxageſimum vsque aetatis annum vix poterat abſoluere. Non enim vitae ſed ſtudii philoſophici annos computabat Porphyrius, quam bene recteque, locus hic non eſt diſpiciendi.
t) c. 14. Quae negligentia an laudi cedat Plotino, lector iudicet.
u) c. 24. p. 134.

Digitized by Google

attendiſſe, et non orthographiae et idiotiſmi ſcribendi habuiſſe rationem, ſed et ad ἀναγνόλωθα et male cohaerentia reſpexiſſe, melioremque et concinniorem ordinem inducere ſategiſſe, quibus fieri non potuit, vt non de ſuis, quicquid ipſi videretur neceſſarium, adiiceret, praeſertim cum relegendi emendata et correcta labore fungi ob viſus defectum non potuerit Plotinus. Idem porro Porphyrius, vt veriſimile, tetralogiarum Platonis auctores imitatus [x], in ſex eos enneadas diſtribuit, quem ſimilem laborem ſuſcepit etiam Euſtochius Alexandrinus, qui et ipſe eius diſcipulus fuit, librorumque partitione paulo a Porphyrio receſſit, vt hodie quoque ex loco quodam deprehenditur [y]. In hos Plotini libros commentarios ſcripſit Proclus, et Dexippus eos aduerſus Peripateticos defendit, de quibus laboribus docte, more ſuo commentatus eſt FABRICIVS [z]. MARSILIO FICINO vero non verſionem tantum ſcriptorum Plotini, ſed et argumenta praefixa, quae commentariorum vices explent, debemus, quae et ſola primum [a], et ſemel poſtea cum Graeco textu tantum prodiit [b]. Magnam enim obſcuritatem, et difficultates vix ſuperabiles in argumento metaphyſico, quod plerumque proſequitur Plotinus, regnantes, deterruiſſe plerosque lectores ab his voluminibus, dubium non eſt.

§. XII. Fecit haec et ſtudiorum aſſiduitas, et in docendo fidelitas, et noui ſyſtematis obſcuritas atque ſingularitas in admirationem eorum, quae non ſatis intelliguntur, plerosque rapiens, vt auditores nanciſceretur plurimos, ſectatores vero, qui eius philoſophandi viam ingrederentur, (ζηλωτὰς διὰ φιλοσοφίαν συνόντας ait Porphyrius) haberet pauciores [c]: quod in tanta docentis obſcuritate et confuſione, et ſyſtematis, quod totum fere metaphyſicum eſt, difficultate mirandum non eſt; plurimorum enim annorum conſuetudine et conuerſatione cum Plotino opus erat, vt rite intelligeretur. Dedere tamen manus ſectae Plotinianae Gentilianus Amelius, Paulinus Scythopolites, Euſtochius Alexandrinus, medicus vterque, Zothicus criticus homo et poëticus. Sed et familiarem habuit diſcipulum Zethum genere Arabem, qui et vxorem duxerat filiam Theodoſii, quondam familiaris Ammonii, et medicinae erat peritiſſimus. Fuiſſe hunc, ait PORPHYRIVS [d], Plotino dilectiſſimum, eoque vſum hunc fuiſſe familiariter, adeo vt in agros eius ſecederet, a ciuilibus vero muneribus, quibus ornatus erat, eum reuocare contenderet. Sed et alii magni viri adhaerebant Plotino et eum venerabantur, Caſtricius Firmus, vir bonarum artium ſtudioſiſſimus, et Plotini atque Amelii ſeruili etiam obſequio cultor, Marcellus Orontius, Sabinillus ac Rogatianus, Senatores Romani, quos in philoſophiam diligentiſſime incubuiſſe Porphyrius teſta-

Schola Plotini, eruditio, ingenium.

x) Secutum ſe exempla Apollodori Athenienſis, Epicharmi comoedias, et Andronici, Ariſtotelis et Theophraſti libros diſtribuentium, ipſe ait l. c.
y) Enn. IV. L. IV. p 413.
z) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 154.
a) 1540. 1559.
b) Baſil. 1580. quae enim anni 1615. notam praeſe fert editio, ſola tituli pagina mutata, prior eſt: cum obſcuriſſimi ſcriptoris opera lectorem ſatis tardum inueniſſent. Conf. FABRIC. l. c.
c) Id quod ad Act. phil. T. II. p. 157. notandum.
d) c. 7. p. 105.

Digitized by Google

teſtatur [e]. Rogatianum vero ita fanatica ſua philoſophia occupauit Plotinus, vt et bonorum ſuorum curam neglexerit, et ſeruos omnes expulerit reſpueritque dignitates, nec vllam haberet praetor conſtitutus publici muneris rationem, nec lares proprios habitaret, ſed cum amicis quibusdam et coenaret et dormiret; qua vitae extrema factum eſſe incuria ait Porphyrius [f], vt a podagrae doloribus liberaretur. Quod ad cognoſcendum characterem philoſophiae fanaticae Plotini omnino notari meretur. Sed et Serapion Alexandrinus et Porphyrius inter diſcipulos Plotini familiares fuerunt. Audiebant etiam eum mulieres nonnullae, inter quas erant Gemina, in cuius aedibus habitabat, item huius filia, etiam Gemina nomine, Amphiclea quoque Ariſtonis filia, et filii Iamblichi (cum Iamblicho Porphyrii diſcipulo, de quo in ſequentibus dicemus, non confundendi [g],) vxor. Hos et ſcriptis, quod diximus, et viua voce docebat Plotinus, et ad quaeſtiones diſcipulorum reſpondebat, et tanto ardore philoſophiae ſuae opus proſequebatur, vt neque ſolus neque inter diſcipulos, neque cum aliis a conuerſione et intentione ad mentem ſuam aliquid intermitteret, niſi forſan cum dormiret, quamuis et ſomnum ab eo excuſſerit [h] tum cibi parcitas, ſaepe enim pane etiam abſtinebat, et aſſidua quaedam eius erat conuerſio ad mentem. Ex quo Plotini charactere, quem depinxit his verbis Porphyrius, hominis ingenium miro ardore inflammatum et neſcio qua ambitione ductum ſeſe iudicii habenis ſubtraxiſſe, et obiectorum magnitudine captum et abreptum ſibi ſaepe ipſi non fuiſſe praeſentem, recte concluditur, et Plotinus inter eos non immerito doctores refertur, qui non, quid dicant ſcribantque, perpendunt, ſed cogitationum fertiliſſimarum fluctibus abrepti, amplectuntur, quicquid aeſtuanti imaginationi occurrit ſingulare et ab aliis diuerſum, licet iudicio fulciatur nullo: quibus proprietatibus gaudere ingenia fanatica, norunt, quibus ſacrae atque philoſophicae hiſtoriae acta ignota haud ſunt [i]. Accidit tamen haud raro, vt eiusmodi ingeniorum fanaticiſmus, eo quod ſingularia, excelſa, diuina hominibus iudicii accuratione non praeditis promittere videtur, magnam conſequatur nominis famaeque gloriam. Certe id Plotino euenit, cuius licet obſcuriſſima eſſet philoſophia, isque a vita ciuili homines ſtulta perſuaſione, metaphyſicas nugas ſuas maiorem praeſtituras felicitatem, auocaret, tantum tamen creuit auctoritas, vt non ſolum interviuos ſumma eſſet eius exiſtimatio, ſed et viri nobiliſſimi, mulieres item generis ſplendore illuſtres, morti vicinae filios ſuos tam mares, quam feminas Plotini curae et educationi crederent, facultates quoque eorum adminiſtrandas ei traderent. Magna in his fide verſatum fuiſſe

e) c. 7. p. 106. f) loc. cit.

g) Iamblichum hunc cum Syro confudit Menagius Hiſt. mul. philoſ. §. 48. Iamblichi enim huius filii vxor Plotinum audiuit cum Porphyrio, huius demum diſcipulus fuit Iamblichus ille, aetate valde inferior. Legendum etiam Amphiclea, vel Amphiclia, pro Amphichia ibid.

h) c. 8. p. 108. Mirum itaque non eſt, ieiuniis et vigiliis ad ecſtaſes praeparatum fuiſſe corpus Plotini.

i) Conf. Act. phil. l. c. p. 159 Mosh. l. c. p. 112.

Digitized by Google

iſſe Plotinum Porphyrius teſtatur [k] facileque credi poteſt, hominem metaphyſicis magis theſauris, quam ciuilis vitae diuitiis intentum, coelibem item et ſine familia, atque a ſectatoribus magnifice curatum, a pupillorum facultatibus abſtinuiſſe. Plena vero eius domus puerorum virginumque fuit, quorum procuratores, rationes adminiſtrationis reddentes diligenter audiebat, diligentemque adhibebat parſimoniae curam, affirmans, quam diu nondum philoſopharentur, ſua illos bona poſſidere, et prouentus accipere ſine detrimento debere [l]. Quibus cum ita inuigilauerit Plotinus, vt tamen nunquam aliquid ab intentione mentis ad ſe conuerſae remitteret, mirum eſt, et tempus et patientiam ei ſuperfuiſſe, aliorum quoque deſideriis velificandi. Narrat enim porro PORPHYRIVS [m]: tanta fuiſſe Plotinum humanitate erga quosuis, vt omnibus, qui ei quoquo modo adhaererent, pro arbitrio eſſet expoſitus: factumque inde eſſe, vt, cum Romae annos ſex atque viginti integros habitaſſet, plurimorum arbiter mutuas controuerſias diremerit, et nullum tamen ciuium habuerit inimicum, amicos vero poſſideret plurimos, et a ſummis etiam viris coleretur. Quin et ipſe imperator Galienus, eiusque vxor Salonina Plotinum honorabant maximeque colebant: dignumque eſt memoratu, ad cognoſcendam Plotini animi indolem, quod porro tradit PORPHYRIVS [n]: beneuolentia eorum fretum orauiſſe, vt dirutam quandam olim in Campania ciuitatem philoſophis aptam inſtaurarent, regionemque circumiacentem cultae ciuitati donarent, permitterentque vrbis futurae ciuibus, Platonis legibus gubernari, ipſamque etiam ciuitatem Platonopolin appellari: pollicitum, ſe illuc habitatum cum omnibus amicis ſuis profecturum. Quod lepidum conſilium ambitione et ſtulta Platonis imitatione ſuſceptum, quo minus exſequeretur pronus ad preces Plotini imperator, obſtitere amici Galieni, quos vel indignatione vel inuidia, vel alia quacunque de cauſſa acriter obſtitiſſe ait PORPHYRIVS [o]: qui ſcilicet inſanientem philoſophi pruriginem, et ſtulta ingenii metaphyſici politicis rebus inepte ſe miſcentis conſilia, male tandem deſitura viderunt et impediuerunt. Et his quidem rationibus vixit Plotinus, ſanitate non prorſus firma vſus, cui tamen, licet medicae artis peritiam poſſideret, ſingulari prorſus corporis odio medicinam afferre noluit. Saepe enim cum colico vexaretur morbo, ſemper clyſteres renuit, nec theriaca antidota accepit vnquam, cum nec ex animalium, etiam manſuetorum corporibus capere ſe eſcam diceret: abſtinebat etiam a balneis ſolisque frictionibus vſus eſt [p]. Quae omnia praeiudiciis Pythagorico-Platonicis nitebantur, abſtinendum eſſe ab iis, quorum eiusdem generis et naturae cum hominibus ſit cognatio, detruſam in corpus animam poenas peccati erroriſque ſui terrenis et corporeis

k) c. 9. p. 108.
l) Aliter enim a philoſophantibus poſcebat communio Pythagorea, quam haec ſchola ſummis extollebat laudibus.
m) loc. cit. p. 109.
n) c. 12. p. 113. ſqq.
o) p. 114.
p) c. 2. p. 93.

poreis affixam luere, grauemque ſeruire ſeruitutem, et liberandam a corporis contagio ad principia, vnde effluxit, ſua reuocandam eſſe, etc. Ex quibus odium illud in hanc, quam circumferebat, corporis molem exortum eſt, quod non tantum natiuitatis tempus celabat, ſed et ne ſe pingi quidem patiebatur, et amicos cogebat, imprimis Amelium praeceptoris imaginem vehementer exoptantem, vt Carterium pictorem optimum in ſcholas Plotini, quibus intereſſe licebat cuiuis, introduceret, longaque attentione Plotini imaginem animo ſibi imprimere altius, et lineamenta concitatius concipere iuberet: ex qua memoriae imagine cum ſimilitudinem referret pictor, eamque Amelius emendaret, tandem is inſcio Plotino eius imagine quam ſimillima potitus eſt [q]. Quod Plotini ſingularis indolis exemplum tanquam modeſtiae rarae, et vanitatis profligatae ſpecimen inter Chriſtianos, ſi paucos viros claros excipias, vix occurrens, vehementer quidem laudat P. Bayle [r], ſed, vt dicta probant, praeter meritum. Tantum enim abeſt, vt modeſtiae in eo laudem quaeſiuerit Plotinus, vt fanatica potius ambitione quadam irritatus, cum ſe corporea mole grauatum a diuinis originibus coeleſtique dignitate deturbatum crederet, bilem hanc ob rem omnem in corpus euomeret, et abiecte nimis atque indigne de eo ſtatueret, eius etiam imaginem deteſtaretur, quod diuinae tamen imaginis lineamenta et artificii coeleſtis perfectionem referre nouimus [s]. Contraxit vero haec valetudinis ſuae negligens cura Plotino mortem miſerabilem. Paulatim enim in anginam incidit, cuius adeo morbi peſtis inualuit, vt raucedine nimia clarus ille atque canorus vocis rotundae vigor omnis abiret, caligaret viſus, manusque et pedes vlcerarentur, et in putredinem tandem abirent, quam eius miſeriam praeter Porphyrivm [t] tetigit Firmicvs Maternvs [u]. Derelictus itaque ab amicis, praeter vnum Euſtochium, (nam Porphyrius tunc in Sicilia verſabatur) ex vrbe deceſſit, et in Campaniam deductus eſt in agrum Zethi, veteris diſcipuli fatis iam functi, a cuius haeredibus ei neceſſaria ſuppeditabantur, atque etiam ex praediis Minturnis Caſtricii afferebantur. Mortem vero cum ſentiret appropinquantem, ad Euſtochium dixit: *Equidem iam annitor, quod in nobis diuinum eſt, ad diuinum ipſum, quod viget in vniuerſo, adiungere*, hisque dictis ſpiritum reddidit. Quibus verbis totam fere philoſophiam ſuam expreſſit, hoc potiſſimum fundamento nixam: cuncta ex diuino fonte animae mundanae emanaſſe, animam ipſam, vel τὸ Θεῖον potius, mentemque diuinae naturae atque eſſentiae particulam iungendam iterum eſſe fonti, ex quo effluxerat. Etſi enim migrationibus prius purgandas animas nec Plotinus quidem

q) c. I. p. 92.

r) Idem enim de Busbequio, M. Velſero, Io. Vinc. Pinello, Iacobo Greſero, Gabriele Palaeoto, Thoma Gruckero, Valerio Herbergero, Antonio Varillaſio, Caſparo Scioppio, Vincentio Placcio, I. Mabillonio ipſoque P. Baelio narratur, quorum tamen plerorumque habemus imagines inuitis illis extortas, vt Plotino.

s) loc. cit. not. A.

t) c. 2. p. 94.

u) L. I. p. 6. Math. qui vino corpore tabeſcentem, et miſere putreſcentem deſcribit.

Digitized by Google

quidem negabat [v], ſuam tamen mentem ita philoſophiae ſtudio purgatam credebat, vt corpori adhuc adhaerens, ad Dei ipſius intuitionem aſcenderit: vnde iſta quidem purgatione, quam per μετεμψύχωσιν fieri et per multas periodos transire cum Ammonio ſtatuebat, ſe opus habere minime putauit. Quae an laude digna ſint, et Chriſtianum quoque hominem non indecentia, quod non RHODIGINVM [x] tantum, ſed et illo longe doctiorem in veterum doctrinis P. BAYLIVM [y] ſcripſiſſe miramur, iudicent rei periti. Ita vero Plotinus rebus humanis LXVI. aetatis anno, Claudii imperatoris ſecundo, A. C. CCLXX. ereptus eſt. Facile ex enarrata fuſe Plotinianae vitae hiſtoria de eius temperamento corporis, animique indole, et intellectus atque voluntatis virtutibus pariter atque vitiis iudicari poteſt. Accurate enim ſi ſingula ponderentur, et potiſſimum ea, quae paſſim iam ἐν παρέδῳ notauimus, intelligitur ſane, fuiſſe eum temperamento, quod quidem in ipſo Porphyrio notabat Plotinus [z], melancholico, corpusque eius atra bile refertum, valde animam grauaſſe, et non ſanguinem tantum corruptis repleuiſſe et ſtagnantibus humoribus, qui tandem in morbum degenerarunt miſerabilem, ſed et animi facultates valde corrupiſſe. Inde enim eximius magnusque iudicandi facultatis defectus deriuandus eſt, quem non in vita tantum toties, ſed in ipſo quoque, quod elegit, ſyſtemate prodidit. Cui cum accederet animi ex eadem temperamenti natura ad ſuperſtitionem vehementer inclinantis conditio, quae gentis, ex qua ortus erat Plotinus, indole, et educationis conſuetudine immenſum augebatur, non potuit non animus Plotini totus corrumpi, vbi Ammonii acceſſiſſet inſtitutio, qua ad enthuſiaſmum ab eo manu quaſi ductus, huicque ſcopo reliquas diſciplinas totamque philoſophiam adhibere iuſſus eſt. Quae animi ad enthuſiaſmum inclinatio imaginationis ardentioris magnaque vehementia exaeſtuantis intemperie ita aucta eſt, vt ſi verum eſt, quod PORPHYRIVS narrat, vsque ad ecſtaſin raperetur. Mirum itaque non eſt, hominem non metaphyſicis tantum ſpeculationibus male ſaepe cohaerentibus totum fuiſſe occupatum, ſed et theurgicis virtutibus gloriatum, miſeramque Ammonii philoſophiam amplexum; obſcuritate quoque totum laborare, et vix poſſe intelligi, quem ſe ipſum non vbique intellexiſſe, valde eſt probabile: licet illi intenſiſſimum acumen et multiplicem intellectum adſcribat Porphyrius, eiusdem prorſus commatis philoſophus. Cuius ſi teſtimonio ſtandum eſt, poſt Pythagoram et Apollonium tertius in hac philoſophorum θαυμασίων ſchola locus debetur Plotino: cuncta enim eius laudibus prorſus inuidendis perſonant. „Porphyrium [a] enim ſi audis, „erat in congreſſibus ad dicendum ſtrenuus, ad inuentionem ſolers, ad „opportuna percipienda promtiſſimus, licet in dictionibus nonnullis aber-

 „raret.

v) Vid. Enn. VI. L. VII. c. 6. p. 699. quae tantum more Aegyptio ludere, non vero Platonice aſſerere nugatur Ficinus, vt Platonicorum ſuorum dementiae ſuccurreret.

x) Antiq. lect. L. XXI. c. 10.

y) l. c. Vterque ad ſenſum dicti enthuſiaſticum non attendit.

z) c. 11 p. 112.

a) c. 13. 14. 15. add. FIRMICVS l. c.

„raret. Praeterea inter loquendum mens emicabat, lumen intimum ad „vultum vsque diffundens: amabilis enim cum eſſet aſpectu, pulchrior „tamen inter diſputandum videbatur, benigna manſuetudine et placida ad „excipiendas quaeſtiones lenitate cum robuſto ad eas diſſoluendas vigore „certante. Et quamuis breuis eſſet, ſenſibus tamen vbique pluribus, „quam verbis abundans, multa diuino afflatus numine effundebat, animo- „que ad rem ipſam ardenter affecto. Eruditio erat vniuerſalis ſparſaque „latenter in libris eius Stoicorum, Peripateticorumque dogmata. Late- „bat eum nihil illorum, quod ad geometriam, arithmeticam, mechani- „cam, opticam, muſicam pertineret, licet ad haec nunquam data opera „exercendo ſe praeparaſſet. Etſi vero in eius ſchola legebantur Platoni- „corum praeſtantiſſimorum commentarii, Seueri, Cronii, Numenii, Caii, „Attici; item Peripateticorum Aſpaſii, Alexandri, Adraſti, ſui tamen „iuris erat et ab his in theoria prorſus diuerſus, quippe qui in „ſoluendis quaeſtionibus ad Ammonii ſyſtema conformabat reſponſum. „Operam etiam dedit aſtronomicis regulis [b], quamuis more non ad- „modum mathematico, aſtrologorum autem iudiciis incubuit diligentius, „eorumque praedictiones ſaepe refutauit. Gnoſticos, orientalem Zoro- „aſtris philoſophiam iactantes repulit, Platonem ab contemtu eorum vin- „dicauit". Quae licet magna ſatis, longe tamen his praecelluit vis Plotini „theurgica, qua vir vere fuit, ſi Porphyrio fides, θαυμάσιος. „Cum „enim ſemper animo inuigilaret, vt ſcilicet purus, et erga diuinam illam „naturam amore accenſus ex amara huius vitae vnda emergeret, hacque „ratione hoc beato lumine cum ſaepe ſe ipſum attolleret tota mente ad De- „um primum mente ſuperiorem, perque gradus Platonicos omnes aſcen- „deret ad diuina, ipſi protinus apparuit Deus ille nec formam, nec ideam „aliquam habens, ſed ſuper intellectum vniuerſumque intelligibile in ſe „ipſo conſiſtens. Qua Dei ſummi apparitione ad philoſophiae ſuae finem „appropinquauit, qui erat Deo vbique praeſenti coniungi, quam etiam „felicitatem quater conſecutus eſt [c]. Sed diuino etiam colluſtratus lumi- „ne in docendo et ſcribendo auxiliis Deorum ſingularibus adiutus eſt, vt „intus et extra ea pulcherrima aſpiceret, quae alii philoſophi attingere ne- „queunt." Talis cum eſſet Plotinus, qui tanta familiaritate ſupremo Deo vteretur, mirum non eſt, inferioribus Diis fuiſſe familiariſſimum. Daemo- nes enim non euocauit modo alios, ſed et genium ſuum non inferioris or- dinis, ſed ſuperioris claſſis ex Diis aetheriis [d], quae ei occaſio fuit de fami- liari daemone librum conſcribendi hodie extantem [e]: immo tanta inter eos auctoritate fuit, vt excelſa mente Deos ad ſe, non vero ſe ad Deos ac- cedere debere profeſſus ſit. Horum vero ope & miniſterio factum eſt, vt cum obtrectatorem ex condiſcipulis apud Ammonium, Olympium Ale- xandrinum nactus eſſet, quocum de principatu in illa philoſophia certabat, quam

b) Hoc vnum diſplicet Firmico l. c. locum integrum habes etiam apud FABRIC. l. c. p. 153.
c) c. 23. p. 137. ſeq.
d) c. 10. pag. 111.
e) Ennead. III. L. IV.

Digitized by Google

quam tanto magiſtro didicerant, isque veneficiis Plotinum inuaderet magicisque incantationibus efficere tentaret, vt ſideraretur: retudit ictus directos Plotinus in aduerſarium arte hac ei ſuperior, vt totum eius corpus tanquam marſupium contraheretur [f]. Talia multa de Plotino praedicat Porphyrius, vt euinceret vera eſſe, quae magnifico carmine de praeceptore hoc ſuo cecinit oraculum [g], quod eum ſupra humanae naturae conſortium euexit, Deorumque adſcripſit contubernio. His vero omnibus quanta fides adhibenda ſit, opus non eſſe, vt prolixe oſtendatur, arbitramur, poſtquam non ſuſe tantum de horum hominum totiusque ſectae conſilio ſe ſuosque philoſophos diuinis miraculis filii Dei et legatorum eius opponendi diſſeruimus; ſed in Pythagorae quoque et Apollonii Tyanenſis exemplis demonſtrauimus, fictis et mendacio exſtructis miraculis res ſuas confirmare, in hac ſecta non licitum tantum fuiſſe, ſed et laudabile, et commendatum. Quo artificio cum Porphyrius quoque in Pythagorae vita vſus ſit, luculenter inde apparet, eum in hac quoque praeceptoris ſui *βιογραφίᾳ*, a rationibus et conſuetudine ſectae ſuae non diſceſſiſſe; hinc mendacis laudis vbique in hoc encomio apparent veſtigia, quae facile detegi poſſunt, ſi ad eam, quam delineauimus, Plotini animi imaginem reſpiciamus. Quam enim ei tribuit iudicandi ſolertiam, ſyſtematis euertit conditio, quod ita comparatum eſt, vt vel mediocri attentione iudicandique facultate, quam miſerum ſit maleque cohaereat, queat deprehendi. Qua de re vt conuincamur, vnius tantum ex eius libris lectione opus eſt, vt pateat, acumine quidem et ſubtilitate metaphyſica non deſtitutum fuiſſe Plotinum, ſed ſaepe prorſus delirantis in modum; tantaque obſcuritate et dictionis poeticis figuris vbique repletae ſalebris eſſe impeditum, vt ſatis pateat, inſanientem prae eruditione Plotinum, ſe ipſum non ſatis intellexiſſe. Ipſe certe EVNAPIVS [h] de Plotino fatetur, quod *τῷ τε τῆς ψυχῆς ἀφανίῳ καὶ τῷ λοξῷ καὶ αἰνιγματώδει τῶν λόγων βαρὺς ἐδόκει καὶ δυσήκοος propter diuinum argumentum obliquamque et aenigmaticam dictionis obſcuritatem grauis et difficilis intellectu viſus ſit.* Quod licet ex eo tantum deriuat MACROBIVS [i], quod parciſſimus verborum fuerit, fatetur tamen Porphyrius ex ignorantia aptae dictionis proueniſſe, veraque cauſſa inde deriuanda eſt, quod obſcuris vagisque mentis notionibus et ideis nihili vteretur, et nimia ſubtilitate cogitationum tandem in auras euaneſceret. Quod licet ſatis potuiſſet verum philoſophiae Plotinianae characterem prodere, et efficere contemtum, contrarium tamen effectum habuit, vt quae homines non intelligerent, ea laudarent. Quod Chriſtianos [k] quoque feciſſe merito miramur. Nihil vero magis pſeudo-philoſophum fuiſſe Plotinum prodit,

f) Ibid.

g) c. 21. p. 133. Conſarcinatum illud carmen fuiſſe a diſcipulis Plotini et Apollini ſuppoſitum, non eſt quod dubitemus, adeo ſapit eius ſcholam, et ipſe Apollo ſe Plotino facit inferiorem.

h) p. 17. Ita ipſe quoque Porphyrius et Longinus.

i) In ſomn. Scip. L. II. c. 12.

k) AVGVSTINVS contra Acad. L. III. c. 13. recentiorum elogia vide apud THOM. POPEBLOVNT. Cenſ. celebr. auct. p. 203. ſeq. et FABRIC. Bibl. Graec. Vol. IV. p. 148. ſeqq.

quam qui ab ipſo Porphyrio l) tanquam ſumma ei felicitas attribuitur enthuſiaſmus, qui et totum eum ſaepiſſime occupauit, et totius philoſophiae eius finis atque ſcopus fuit, eoque tandem progreſſus eſt, vt laxatis imaginationis efferueſcentis habenis ad ecſtaſes raperetur. Quam animi conditionem vel morbum potius corruptae et ab inſania prope diſtantis mentis argumentum eſſe, non ignorant, qui vnquam de humani intellectus, et imaginationis viribus morbisque fuere ſolliciti. Non imparatum fuiſſe a lectionis in ſcriptis philoſophorum verſatae copia facile credi poteſt, cum hanc poſtulauerit ſyncretiſticae philoſophiae conditio, longiſſime tamen in his eum ſuperauit diſcipulus Porphyrius. Mirum vero quod de eius eruditione mathematica is iactat, in qua tamen ſe nunquam exercuiſſe dicit, quaſi habitu Θεοδιδάκτῳ fine vlla exercitatione ea acquiratur: nec ſaniora ſunt, nullius eum philoſophi iuris factum eſſe, et tamen in decidendis quaeſtionibus vni adhaeſiſſe Ammonio. Ex his enim intelligimus, neſanda conciliationis praepoſterae et ad fanatica placita attemperandae conſilia ſecutum fuiſſe Plotinum. Quibus tantopere obtemperauit, vt plerisque Graecorum, non diffitente PORPHYRIO m), plagii, expilatique Numenii ſuſpectus eſſet, Ameliusque peculiari libello *de differentia doctrinae Plotini ad Numenii diſciplinam* ab hac turpitudine nomen eius vindicare opus haberet. Tota enim eclectica ſecta ab hoc plagii crimine immunem et innocentem calamum non praeſtitit, vt ex dicendis conſtabit. Hoc vnum laudandum in Plotino, quod aſtrologicas vanitates contemſerit, quod tamen artis magis ignoratione, quam philoſophiae iudicio factum fuiſſe videtur, cum ſyſtema Ammonii eas non repudiet. Nihil tamen magis morbos, quibus laborauit Plotini animus, prodit, quam iactabunda admirandorum narratio. Quam ſi totam reiicimus, nihil ea in re agimus, quod non attentum veteris hiſtoriae lectorem decet, et prudentiae fideique hiſtoricae regulae poſtulant: cum ſupra iam, vbi de Apollonii miraculis actum, euidenter probauerimus, huius ſcholae homines fraudibus, praeſtigiis, mendaciis eiusmodi θαυμαστὰ iactaſſe, vt ſibi ſuisque praeceptoribus diuinioris auctoritatis et ἱερᾶς γενεᾶς (quod nomen affectabant) fidem facerent, et haberent, quod miraculis Chriſtianorum opponerent n): nec eos puduiſſe, impudentiſſimis eiusmodi mendaciis nutanti ſuperſtitioni ſuccurrere. Sed dabimus Porphyrio, licet ob Pythagoreas, quas conſcripſit, fabulas, valde ſuſpecto, fidem, quid quaeſo miracula narrata loquuntur aliud, quam hominem et delirum, et impoſtorem? Et ecſtaſin quidem haud ſemel paſſum eſſe, facile credimus, et vidiſſe ſe Deum ſummum nulla imagine conſpicuum, vt quidem ſibi perſuadebat. Naturale enim hoc eſt homini-

l) Τὰ πολλὰ διδασκάλων καὶ ἐκταδὸν ἱστόρει, c. 14. p. 115.

m) c. 17. p. 119. Dictum hac de re ſupra ſect. 3. in Numenio.

n) Fidem eius rei nobis facient hiſtoriae vitarum ab Eunapio, Marino, Damaſcio confectae, quas in ſequentibus examinabimus. Vbique enim hi homines ſibi ſimiles deprehenduntur, id eſt, ſui amantiſſimi, iactatores, impoſtores impudentiſſimi, plaustra mendaciorum congerentes.

Digitized by Google

minibus atra bile ad furorem et deliria laborantibus, corpusque inedia et vigiliis extenuantibus, et saepius factum, vt deiecta, ab imaginationis regimine iudicandi vi, ad insolita vagaretur ingenii delirantis furor, cuius exempla plurima nobis sacra et philosophica narrat historia. Incantatorem vero magicis eum superasse artibus et prouocasse spiritum tutelarem, cum Aegyptiaco sacerdote de hac arte certantem, quid aliud probat, quam vel veneficum, magumque, vel impostorem et praestigiatorem fuisse Plotinum maximum, quales sacerdotes fuisse gentiles toties annotauimus? Qui si Luciani vixisset temporibus, dignus fuisset, qui Apollonio et Alexandro iungeretur. Ast hic tandem communis quasi Asiae, Africae et Europae praeceptor fuit, qui nouum et pestilentissimum philosophiae genus, quod totum superstitionem, enthusiasmum, praestigias et innumeras decipiendi homines artes complectebatur, per discipulos vbique disseminauit [o]. Hic fons fuit Castalius, ex quo arua sua irrigarunt non Asiae tantum celeberrimae ciuitates, sed et Athenae, Alexandria, Roma. Hoc oraculum fuit, quod imprudenter a Christianis consultum magnam errorum multitudinem per agrum Domini disseminauit, et vehementer rempublicam turbauit Christianam [p], qua de re dicemus plura in sequentibus [q].

§. XIII. Magnam scilicet segetem, laetissimis prouentibus efflorescentem non promiserunt tantum, sed tulerunt etiam semina a Plotino iacta, cuius philosophia per totum fere orbem Romanum propagata est. Cum enim discipulos haberet ipso praeceptore doctiores, ambitione vero nimium elatos, qui se labascenti superstitioni auitae nouos quasi Atlantes missos esse credebant, ad sustinendum, quod ruinam minabatur, onus, quique Ammonii et Plotini artibus inclarescere se posse non inepte coniiciebant, disseminatum ab iis systema philosophiae Ammonii per omnes fere terras locum inuenit hominesque, qui id porro propagarent. Nam non Romae tantum, vbi docuerat Plotinus, sed imprimis Alexandriae, vbi nata erat haec philosophia, et in nobilioribus Asiae minoris vrbibus, tandemque Athenis etiam non asseclas tantum inuenit, sed publicos quoque doctores, et professorum eius systematis successionem. Quae licet ab Ammonio Alexandriae fundamenta accepisset, vnde Alexandrinam quoque, sensu eminentiori, philosophiam recte vocaueris, reliquis tamen Ammonii discipulis, nescio quo fato, mature obliuione tenebrisque sepultis, vnus emicuit Plotinus, qui totum aedificium ab Ammonio exstructum, non fulciret tantum, sed totum exornaret et ad fastigium deduceret. Recte itaque dixit SOCRATES [r], Hypatiam Alexandrinam in

Successio scholae Plotinianae.

o) Conf. elegantissimus MOSHEMIVS l. c. p. 112. seq.

p) IDEM l. c. §. 12. p. 115. seqq.

q) Vnus cum inter veteres Plotinus philosophus occurrat, de homonymis dispicere non possumus.

r) Τὴν πατέρα τὴν Πλατωνικὴν ἀπὸ Πλωτίνου κατάγουσιν διαφυβὴν διαδέξασθαι, Hist. eccl. L. VII. c. 15. p. 352.

Digitized by Google

in ſchola Plotini Platonica ſucceſſiſſe. Id quod reprehendit quidem doctiſſimus VALESIVS [a], negans ſcholae Alexandrinae ſucceſſionem a Plotino deducendam eſſe, quod is quidem Alexandriae ab Ammonio inſtitutus eſſet in philoſophia, nunquam tamen Alexandriae docuerit, ſcholamque tenuerit, ſed in vrbe Roma vſque ad obitum docere perſeueraverit, vnde mallet pro Plotino Ammonium ſubſtituere. Praeter rem tamen haec dicuntur, ipſo viro doctiſſimo fatente ſcholam Alexandrinam ſibi Plotinum vindicaſſe. Vbi enim de ſectae huius Alexandrinae ſucceſſione agitur, non de ſolo loco, ſed de ſyſtemate ſermo, quod in iſto loco enatum, et magnam quoque partem ibi propagatum eſt, quod licet Plotinus Romae docuerit, manet tamen ſcholae eius nomen Alexandrinae, quod non tantum Alexandriae eam philoſophiam Plotinus didicit, ſed ipſi quoque eius diſcipuli Plotinianae ſcholae ſucceſſionem rectam Alexandriae ſeruarunt. Quae licet Athenas quoque Antiochiam aliasque in vrbes propagines demitteret, nomen tamen Alexandrinae ſcholae et philoſophiae ſeruauit, vt Academica philoſophia atque ſecta dicta eſt, quae ex Academia progreſſa latiſſime per Graeciam et Romanum orbem ſe diffudit. Succeſſionem vero Plotinianae ſcholae, quam Alexandrinam quoque dicemus, praeter Amelium, diuturnum Plotini et familiarem diſcipulum, propagauit Porphyrius, qui praeter Theodorum Aſinenſem, Iamblichum Chalcidenſem ex Coeleſyria magni in hac ſchola nominis philoſophum diſcipulum habuit, qui Conſtantini M. temporibus floruit. Qui vel ea propter peculiari attentione in huius ſcholae hiſtoria dignus eſt, quia ad conſtituendam huius generis ſectam dandumque ei iuſtum habitum et perfectionem omnium plurimum contulit. Ex eius diſciplina progreſſi ſunt multi viri eruditi, huius philoſophiae laude inclyti, et imprimis Sopater Syrus, Aedeſius et Euſtathius Cappadox eiusque vxor Soſipatra et Antoninus filius, quibus Theodorius et Euphraſius Graeci adduntur. Aedeſius ſcholam Alexandrinam inſtitutione ſua porro propagauit, et non Soſipatram tantum et Antoninum Euſtathii, ſed et Euſebium Myndium, Maximum Epheſium, Priſcum et Chryſanthium Sardianum diſcipulos habuit, qui ſectam hanc eruditione ſua plurimum nobilitarunt. Ipſe Iulianus imperator hanc philoſophiam ab Aedeſio, Chryſanthio, Priſco et Maximo edoctus eſt, de ea ſcripſit valdeque eius incrementa promouit. Chryſanthio adhaeſit, et philoſophiae ab eo myſteria didicit Eunapius Sardianus, cuius fere diligentiae acceptum referimus, quicquid nobis de eius ſucceſſione innotuit. Sed et Hierocles circa haec tempora in hac ſchola Alexandriae doctor fuit; ex qua vrbe ad Graecos Athenas praeter Chryſanthium traduxit Plutarchus Neſtorii, cui Syrianus diſcipulus ſucceſſit. Syrianum audiuit Hermias Alexandrinus eiusque vxor Aedeſia, itemque Domninus Syrus, et praecipue Proclus, magnum in hoc coelo ſidus. Qui cum diſcipulos educaſſet plurimos, per omnes fere terras hanc philoſophiam diſſeminauit, inter quos eius auditores maxime illu-

a) Ad l. c. Socratis.

Digitized by Google

illuſtres fuerunt Heliodorus et Ammonius, Hermiae filii, Hierius Plutarchi, Aſclepiodotus, Zenodotus, Seuerianus, Vlpianus, Gazaeus, et Marinus, qui in cathedra praeceptori ſucceſſit. Multos hos in philoſophiae huius ſocietatem adduxiſſe, facile ex his coniici poteſt, cum Chriſtiani quoque horum hominum ſcholas frequentauerint, vnde inter veteris eccleſiae viros philoſophos huius quoque ſectae veſtigia, nimis eheu! frequentia ſuo loco occurrent. Ex gentilibus Ammonii auditoribus fuere Simplicius, vir eruditus et magnae inter eos exiſtimationis et Aſclepius Trallianus. Marinus diſcipulo gauiſus eſt Iſidoro Gazaeo, isque Damaſcium Damaſcenum huic philoſophiae innutriuit, in quo defecit celeberrimae ſcholae ſucceſſio. Horum itaque, quantum nobis relictum de iis ex veterum memoriis, condemus hiſtoriam, non neglectis tamen iis, qui ex eadem ſchola nominis atque eruditionis celebritatem conſecuti ſunt, qualis fuit Theon Alexandrinus, magnae famae mathematicus, et imprimis philoſophiae Alexandrinae et mathematum laude inclyta eius filia Hypatia *t*. Addemus etiam quos Chriſtianis quidam annumerant, rectius gentiles viſos, licet ex vtrisque mixti videantur, qualis fuit Macrobius, et, ſi quosdam audias, Chalcidius quoque, quem tamen Chriſtianis magis addendum eſſe ſuo loco faciemus veriſimile. Quin et tota fere Peripatetica ſecta a Sec. III. initio huc referenda eſt. Cum enim inter Platonicos et Ariſtotelicos concordiam tentaſſet Ammonius, eiusque diſcipuli eam confirmaſſent, factum eſt, vt non minorem in explicando Ariſtotelis ſyſtemate operam ponerent eclectici, inter quos Dexippus, Themiſtius Euphrades, Olympiodorus et Simplicius eminuerunt. Quorum tamen cum maxime circa Peripateticam philoſophiam eminuit induſtria, in huius ſectae hiſtoria faciemus mentionem.

§. XIV. Amelius natione Tuſcus fuit, vt teſtatur, qui diu cum eo vixit PORPHYRIVS *u*; quare audiendus non eſt SVIDAS *x*, qui Syrum Apamea oriundum facit, ſine dubio, quod locum natiuitatis cum eo, vbi diu vixit, ciuemque aliquem filium adoptauit, confunderet, qualis negligentia Suidae paſſim in eius lexico deprehenditur. Proprium Amelii nomen, Gentilianus fuit, maluit vero nominari *Amerius*, ab integritate ducta appellatione, quam *Amelius*, a negligentia *y*. Praeceptorem in philoſophia habuit ante Plotinum Lyſimachum, quem Stoicae familiae addictum fuiſſe, ex LONGINI fragmento de fine liquet *z*. *Amelius.*

Ab

t) Succeſſionis huius fidem faciemus in ſequentibus. Videndi etiam praeter Eunapium, Marinum, Damaſcium, huius ſcholae philoſophos, ex recentioribus IONSIVS de Scr. Hiſt. Philoſ. L. III. c. 16. p. 293. OLEARIVS de philoſ. eclect. c. 3. p. 1209. FABRICIVS prolegom. ad Marini vitam Procli p. 10.

u) In vita Plotini c. 7. p. 104.

x) SVIDAS T. I. Amelius p. 137. conf. HOLSTEN. vit. Porphyr. c. 6. p. 44. KVSTER. ad l. c. Suidae, MEVRS. Bibl. Graec. alii.

y) PORPHYR. l. c. Amerium vocat EVNAPIVS vit. Sophiſt. p. 17.

z) l. c. ſ. 6. p. 129. conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 405. Aſt Vol. I. p. 559. Lyſimachis ibi enarratis addendus. conf. IONS. de S. H. Phil. L. II. c. 18. p. 209. L. III. c. 15. p. 288.

Ab hoc ad Plotinum transiit, Philippi imperatoris anno tertio, qui fuit A. C. CCXLVI. cum iam prius ex Numenii scriptis magnum in Platonem amorem concepisset. Omnia enim fere scripta Numenii descripsit, plurimaque eorum memoriae mandauit [a]. Ab eo tempore Plotini semper lateri adhaesit indiuiduus comes, per viginti atque quatuor annos, et fortasse non reliquisset praeceptorem, nisi eum in saluberrimam Campaniam Roma discedere coëgisset morbus desperatus, vt supra narrauimus. Tum enim in Syriam Apameam discessit [b], sine dubio, quod ita viribus defecerat Plotinus, vt docendo non amplius sufficeret. Tantopere vero a socordia er negligentia, quae nomen tamen ei fecit, abhorruit, vt laboris tolerantia omnes condiscipulos suos superaret [c]; cuius dedit specimen cum ex lectionibus et disputationibus scholia multa atque commentariolos colligeret; ex quibus centum ferme libros composuit [d]. Quam diligentiam cum longum tempus continuaret, et praecipue quaestionibns Plotino propositis de grauissimo quouis philosophiae argumento differendi occasionem ei offerret [e], dici non potest, quantum in eclectica philosophia scholae Ammonii profecerit. Tanta certe Plotinus in eum erat fiducia, vt si quaestiones a discipulis propositas prolixiori dissertatione excuti cuperet, Amelium ad eas dubitationes, scriptis etiam, respondere iuberet [f]: eumque potissimum deligeret, qui famam praeceptoris a plagii obiecto vindicaret crimine, quo fine librum eius scripsisse *de differentia doctrinae Plotini a Numenii disciplina* [g], supra diximus. Verum in aliis quoque materiae philosophicae generibus vtilem Plotini philosophiae praestitit operam. Cum enim haeretici veteres Gnosticorum ex semine prognati, orientalisque philosophiae alumni, vt auctoritatem nugis suis conciliarent, reiectis Pythagora et Platone, quos diuinitatis abyssum, ex qua emanasse diuina omnia miris somniis crepabant, non intellexisse contendebant, libros multos suppositicios circumgestarent, et reuelationes quasdam Zoroastris, Zostriani, Nicothei, Allogenis, Mesi, aliorumque ostentarent; grauiter id ferens Plotinus, qui scholae Ammonii tantorum heroum sapientiae possessionem vindicabat, discipulis Porphyrio Amelioque negotium dedit, vt eos fraudis conuincerent. Amelius itaque libros quadraginta composuit contra librum Zostriani apocryphum [h], sed et libros Plotini ex ipso eius ἀρχετύπῳ et manu Plotini scriptis voluminibus descripsit quam emendatissime [i]; et de eius philosophia ad Longinum differuit peculiari epistola, in qua tamen nimiam prolixitatem et ambages, breuitati Plotini oppositas sibi non placuisse Longinus ait [k]. Tantus cum in schola Plotini esset, omnium, qui philosophum hunc colebant, amorem meruit, et in his potissimum Castricii Firmi senatoris Romani, cuius supra in Plotino mentionem fecimus,

a) Ibid. c. 3. p. 98.
b) c. 2. p. 95.
c) c. 3. p. 98.
d) Ibidem.
e) c. 5. p. 101.
f) c. 8. p. 128.
g) c. 17. p. 119. inscripsit eum Porphyrio.
h) c. 16. p. 118.
i) c. 20. p. 126.
k) c. 21. p. 133.

Digitized by Google

cimus, quem Amelio οἷα οἰκέτης ἀγαθὸν ἐν πᾶσιν ὑπηρετούμενον, *ſeruii inſtar officia praeſtitiſſe*, ait PORPHYRIVS [l]. Sed cum ipſo quoque Porphyrio amicitiam coluit, quamdiu ſimul eſſent apud Plotinum, arctiſſimam. Octodecim enim annos iam in familia Plotini erat Amelius, cum Porphyrius ad Plotinum ſe contuliſſet [m]. Vnde et Amerium, ſiue Amelium inter συμφοιτητὰς Porphyrii numerat EVNAPIVS [n]. SVIDAS [o] vero, Porphyrium facit Amelii diſcipulum, quod ſine examine nudaque aſſertione admiſit IONSIVS [p], contrarium recte tuente doctiſſimo HOLSTENIO [q], qui et hic Suidae negligentiam carpit, quo nomine quoque eam notauit diligentiſſimus KVSTERVS [r]. Etſi vero ſatis nota eſt ſupina Suidae, vel, quos adhibuit, amanuenſium eius oſcitantia, vt parum laborandum ſit de hoc loco ab errore abſoluendo, propter Amelii tamen hiſtoriam ſine obſeruatione dimittendum non eſt, certa ratione Amelium quoque dici poſſe Porphyrii praeceptorem. Cum enim Plotinus meditationum metaphyſicarum profunditate et dictionis negligentia valde eſſet obſcurus, et ab iis, qui recens eius diſciplinae ſe tradiderant, non intelligeretur, hincque multis vexaretur quaeſtionibus et obiectionibus, iuſſit ille veteranos philoſophiae ſuae callentiſſimos ad has quaeſtiones et obiectiones reſpondere, et philoſophiae ſuae praecepta enucleatius atque luculentius traderé. Id quod etiam accidit, cum Porphyrius ad eius ſcholam acceſſiſſet. Cum enim is minus recte Plotinum eſſet aſſecutus, eum contra ſcribendo prouocare auſus eſt, tentans oſtendere, τὰ νοήματα, quae extra mentem non eſſe Plotinus ſtatuebat [s], extra intellectum exiſtere. Ille vero cum Amelio eius ſcripta legenda dediſſet, isque iam perlegiſſet, ſubridens Amelium iuſſit, Porphyrio has dubitationes, in quas ob ignorantiam ſententiae Plotini inciderat, eximere: quod et fecit Amelius haud exiguo contra Porphyrium conſcripto libro, cui iterum contradixit Porphyrius, reſpondit Amelius, donec ille veriorem opinionem, et genuinam Plotini mentem conſpicatus ſententiam mutauit [t]. Factum id eſſe haud vna vice, familiaris, quae inter Amelium et Porphyrium culta eſt, amicitia ſuadet. Cum itaque in communi apud praeceptorem contubernio magiſtri praecepta Porphyrio, nouo commilitoni declararet Amelius, veteranus miles, non ſine veritate is Amelii quoque dici poteſt diſcipulus. Nimius tamen eſt HOLSTENIVS [u], qui, vt Suidae eo fortius contradiceret, *non putare ſe*, ſcribit, *Porphyrium expleto iam XXXVIII. aetatis anno in diſciplinam Amelio ſe tradidiſſe, quem iam Romae doctrinae et ſapientiae laude ſuperabat, adeo quidem, vt Amelius ſua ſcripta cum venia ab eo legi peteret atque emendari.* Prius enim falſum eſſe, ipſius Porphyrii confeſſio manifeſtat modo adducta; poſterius de eo tantum

l) c. 7. p. 104.
m) c. 4. p. 99.
n) loc. cit. o) loc. cit.
p) L. III. c. 16. p. 293.
q) l. c. p. 43.
r) Ad l. c. Suidae.
s) Ennead. L. V. l. 5.
t) c. 18. p. 122. u) loc. cit.

intelligendum eſt tempore, quo in ſchola Plotini plurimum Porphyrius profecit, adiutus elegantia dictionis, quam ex Longini diſciplina acquiſiuerat, quaue carebat Amelius nimis in ſcribendo prolixus. Certe non ad philoſophiae cognitionem, ſed ad ſcribendi perfectionem eſſe trahendum, ex ipſo PORPHYRIO [a] diſcitur, qui ad Longini prouocat teſtimonium laudantis in Porphyrio, quod deuitatis Amelianis ambagibus in ſcribendo, Plotini formam propius expreſſiſſet. Quod clarius adhuc explicat EVNAPIVS [b], monens: *Condiſcipulos Porphyrii, quos ex optimis fuiſſe ipſe fatetur, Origenem, Amelium, et Aquilinum, quorum extent volumina, ſermonis nulla gratia florere, eo quod nullae adſint dicendi veneres, quamuis dogmata pulchre intexta orationi habeant, et ipſe Porphyrius eos ob ſtili acumen et grauitatem laudet, omnemque iis gratiam referat: Ipſum vero Porphyrium tanquam Mercurialem quandam catenam, ad mortales demiſſam omnigenae eruditionis beneficio cuncta aperte, dilucide, clare explicuiſſe.* Ex quibus ſimul clarum eſt, pueriliter hallucinatum eſſe interpretem THEODORITI [c], qui nobis ex Amelio Porphyrii diſcipulum exſculpſit. Immo et Suidas a negligentia non poteſt abſolui, qui Ammonio coaetaneum facit Amelium, quem decimo quarto demum ſcholae ſuae anno Plotinus nactus eſt diſcipulum, quo diu iam in viuis eſſe deſierat Ammonius, vt ex illis intelligi poteſt, quae ſupra de eius aetate diſſeruimus [d]. Quando vero, et vbi obierit, incertum. Superuixiſſe Plotino aliquot annis dubio caret, Apameam enim abiit, vbi etiam deceſſiſſe videtur. Nam ibi commentarios ſuos Iuſtino Heſychio cuidam filio adoptiuo dono dedit, et vt coniici poteſt, haeredem reliquit [e]. Fuit ingenio non ſecus ac praeceptor et condiſcipuli fanatico et ſuperſtitioni valde dedito, qualem ex diſciplina Plotini prodire par erat, fuiſſe enim ſacrorum obſeruantiſſimum, ſinguliſque *νεομηνίαις*, (quas ſacras habuiſſe hanc ſcholam Procli quoque exemplo infra diſcemus,) ſacrificaſſe, narrat PORPHYRIVS [f].

Porphyrii patria.

§. XV. Non Amelium tantum, ſed Plotinum quoque eruditione ſuperauit, fanaticae vero philoſophiae ſtudio ſecutus eſt PORPHYRIVS, inter primos et praecipuos ſcholae Plotinianae, et ſectae Alexandrinae doctores iure numerandus. De cuius vita praeter ea, quae paſſim hiſtoriae Plotini interſeruit, more ſuo ſcripſit EVNAPIVS [g], quem ex parte ſecutus eſt SVIDAS [h], in enumerandis tamen libris, quam exponenda vita, copioſior. Reliqua quae apud veteres occurrunt, magna diligentia et copioſa eruditione collegit, et prolixam vitae Porphyrii ſcriptorumque eius enarrationem nobis exhibuit LVCAS HOLSTENIVS [i], quam recuſam dedit, cum rarius compareret, Io. ALB. FABRICIVS.

a) c. 21. p. 133.
b) loc. c.
c) Therap. L. II.
d) loc. cit. p. 17. ſeqq.
e) Conf. HOLSTEN. l. c. p. 44.
f) c. 3. p. 98.
g) c. 10. p. 11.
h) In Porphyrius, T. III. p. 158.
i) Adiecta diſſertatione de vita et ſcriptis Por-

Digitized by Google

CIVS [e]. Addi ei possunt, qui historiam veterem ciuilem pariter et literariam atque ecclesiasticam enarrarunt [f]. Non enim inter gentiles tantum homines eruditionis fama valde inclaruit, sed pestilentissimis quoque scriptis ciuitatem Christianam adortus est, et omnia clamoribus et concertationibus repleuit. Patriam sibi Tyrum esse, et ipse fatetur [g], et refert EVNAPIVS [h], quos secutus est SVIDAS [i]. Quibus tamen locis clarissimis non obstantibus magno sententiarum dissidio de patria Porphyrii disceptarunt viri docti. Quibus disputandi occasionem dedit HIERONYMVS [k], qui suffragante CHRYSOSTOMO [l], eum dixit Bataneoten. Certe hunc Hieronymi locum quasi scopulum esse, ad quem multi naufragium fecerunt, non inepte dixit IOACHIMVS KVHNIVS [m]. Primus annalium ecclesiasticorum conditor CAESAR BARONIVS [n] fuit, qui verbis Hieronymi stans, coniecit Porphyrium Bataneoten dici ab oppido tractuque terrae, quae Batanea dicta est, inque sacris paginis Basan dicitur, parsque fuit Trachonitidis, in Palaestina sitae, de qua docte disseruit Cl. RELANDVS [o]. Puduisse vero putat scriptor purpuratus, Porphyrium originis gentisque Iudaicae, quam vt tegeret, a vicina Tyro Tyrium se dixisse. Nec contemnendum mox, et prima fronte reiiciendum videtur Hieronymi testimonium, qui non tantum in Palaestina vixit, sed cum Iudaeorum quoque viris literatis conuersatus est, adeoque circumstantias hominis non ignoti, et vt literariis studiis, ita canina, qua efferbuit non in Christianos tantum, sed et in Hebraeos scriptores, viros sanctos et diuino spiritu afflatos, ira dudum per omnia volitantis ora noscere potuit. Addit verisimilitudinem, quod SOCRATES [p] habet: *Porphyrium, cum apud Caesaream Palaestinae a quibusdam Christianis verberatus fuisset, iram comprimere non valentem prae nimio furore Christianam religionem deseruisse, et odio eorum, a quibus caesus fuerat, impulsum, libros maledicentissimos aduersus nomen Christianum composuisse; cuius eum coarguat Eusebius Pamphyli, qui libros eius validissime confutauerit.* Quod Augustinum quoque videri affirmasse, in sequentibus dicemus. Prona enim inde coniectura est, Porphyrium, Iudaeum natione, ad sacra Christiana transgressum, cum offensae recordatione ab iis defeciisset, ne obiicerentur ei natales, Tyrium a vicinia se finxisse. Etsi vero haec non sine aliqua verisimilitudine dicuntur, recte tamen maioris roboris eis rationes opponuntur [q]. Vix enim credi potest,

Porphyrii, eius vitae Pythagorae Romae 1630. 8. quam editionem sequimur.

e) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 207.

f) Scriptores historiae literariae profanae et ecclesiasticae, Caueus, Dupinius, Fabricius, Ionsius. Item Act. phil. Vol. I. p. 138. BASNAGE Annal. T. II. ad A. C. 278. TILLEMONT. Hist. Imper. T. IV. p. 107. Promisit etiam Io. FRIDERIC. THOMAE diss. de vita et philosophandi ratione Porphyrii Miscell. Lipс. T. I. p. 306.

g) In vita Plotini c. 8. p. 107.

h) In vitis sophist. p. 12.

i) loc. cit.

k) Praef. epist. ad Galat.

l) Homil. VI. in 1 ad Corinth. p. 58.

m) Q. q. Philolog. Pent. I. c. 5. p. 11.

n) Ad A. C. 305.

o) Palaestin. L. I. c. 33. p. 200. L. III. p. 616.

p) Hist. eccles. L. III. c. 23.

q) HOLSTEN. de vit. Porphyr. c. 6.

Digitized by Google

Porphyrium hominem inter ſuos, praecipue in frequentiſſimis vrbibus Alexandria, Romaque clarum, vbi tot Tyriae gentis homines verſabantur, tam impudenter patriam alienam fuiſſe mentitum, cum non ſine rubore ab iis potuiſſet mendacii, vanaeque oſtentationis conuinci. Sed fuere quoque Syri Longinus et Iamblichus ille praeceptor, hic diſcipulus Porphyrii, quibus facile fuiſſet, fraudem detegere, ſi patriam fuiſſet mentitus Porphyrius. At hi pro Tyrio habuerunt Malchum, nec vnquam de patria eius alia cogitarunt, exque eorum relatione Eunapius habuit, quod non priſcarum tantum hac vrbe Phoenicum oriundus fuerit, ſed et maiores habuerit claros, nec ignobiles. Ipſe Longinus ad eum ex Phoenicia in Sicilia degentem ſcripſit, et Tyri incolam fuiſſe dixit, quam epiſtolam nobis ipſe ſeruauit PORPHYRIVS [r]. Vixit etiam Apameae in Syria Amelius eius condiſcipulus, neque tamen is Iudaeum Bataneoten eſſe cogitauit vnquam. Addi his poteſt: Neque Socratem, neque quem is ſequitur, Euſebium, nec Suidam, graues ceteroquin Porphyrii inimicos, quicquam habere, quod hos eius natales Iudaicos referat, ſed gentilem iſtis ſcriptoribus eum haberi: non obiicere inter tot viros eccleſiaſticos, qui contra illum ſcripſere, quemquam ei apoſtaſiam a Iudaiſmo ad gentiliſmum, ea quoque, quae de eius ex Chriſtianis caſtris ad gentiles defectione memorantur, fide omni deſtitui: viderique deceptos, qui talia de eo coniecerunt, quod ſacra oracula legerit, et contra ea virus maledicentiae atque calumniarum euomuerit; quod tamen ab aliis quoque Platonicis fuiſſe factum, qui gentiles cum eſſent, ſacras paginas euoluerint, Longini et Amelii exemplo conſtet. Placuit tamen his non obſtantibus Batanea Porphyrii patria STEPH. LE MOYNE [s], IAC. HASAEO [ff], et I. A. FABRICIO [t], qui ad ſequendas Hieronymi partes eo adducti ſunt, quod alia huius nominis ratio, quae ſatisfacere queat, non facile poſſit afferri. Aliter tamen viſum aliis et imprimis HOLSTENIO [u], qui licet fateatur, ſe non facile perſpicere, quam medicinam afferat loco Hieronymi, in varias tamen partes ſe verſans, nodum, quem ſoluere non potuit, ſecuit, legitque vel *βιοθάνατος* ſceleratus, eo quod furore et atra bile percitam animam habuerit, vel cum IACOBO SIRMONDO [x] *Βαλανεώτης*, hoc eſt SVIDA [y] interprete *περίεργος καὶ πολυπράγμων*; vel a Beten, vel Batnae, vico Palaeſtinae, quem tamen nomen tum iam perdidiſſe, ipſe notat. Putat etiam dici poſſe, Batanaeotam per conuicium appellari atque opprobrium, vt Sodomitarum ac Capernaitarum nomen in ſacris, Melii, pro impio, Cretenſium, pro mendacibus, Aegyptiorum, pro impoſtoribus, non patriae, ſed vitii deſignandi cauſſa adhibetur. Aliis pro Bataneotes legitur *Βοτανιώτης*, vel *Βοτανώδης*, eo quod Porphyrius more Pythagorae ſolis herbis veſcendum ſtatuerit, quod placuit

r) l. c. c. 19. p 184.
s) Ad varia ſacra T. II. p. 607.
ff) De Academia Beryt. c. XI. §. 3.
t) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 181. not. a.
u) l. c. p. 227. ed. Fabric.
x) Vid. eius Epiſt. ad Holſten. T. IV. Opp. p. 655. quam opinionem ſibi diſplicere, idem fatetur l. c.
y) In Balaeot. T. I.

Digitized by Google

cuit TANAQ. FABRO [a], VRB. CHEVRAEO [b], RICH. SIMONIO [c], et IO. CLERICO [d]. Quae coniecturae, cum vocem apud Hieronymum ſollicitandam poſtulent, merito et minus probabiles videntur, et frigidae atque longius petitae ſunt. Hinc aliis Bataneotes Hieronymo dictus videtur, quod inſtar taurorum Baſan, ταυρῶν Βατανεωτικῶν petuloo impetu inuaſerit religionem Chriſtianam, vt olim inimici Dauid, quod quam longe ſit a veriſimilitudine remotum, licet placuerit STEPH. LE MOYNE [e] et IOACH. KVHNIO [f], quilibet videt. Nec, quod putamus, maiori probabilitate ſe commendat N. HIER. GVNDLINGII [g] explicatio, qui Bataneotae nomen confictum putat ab Hieronymo ex Battus, cuius nominis poëta battologiae nomen fecit, et νεότης, adeoque ita vocari *nouum nugiuendulum.* Recte hoc diſplicuit doctiſſimo HEVMANNO [h], qui vt ſuam quoque ſententiam exponeret, monuit, ex loco Chryſoſtomi [i] apparere, quod tanquam nomen verum et ab ipſo operis antichriſtiani ſcriptore vſurpatum in ipſo titulo, haud ſecus, ac Celſus nomen ſuum praeſcripſerit, operi ſuo eiusdem argumenti. Inde concludit, a Porphyrio ſuum illud opus editum fuiſſe ψευδονύμως, hincque verba Hieronymi ita emendanda eſſe. *Quod nequaquam intelligens Bataneotes, id eſt*, (editi libri habent, *et*) *ſceleratus ille Porphyrius, in primo operis ſui aduerſus nos libro etc.* Coniicit etiam, ideo hoc nomen aſcititium praefixiſſe operi ſuo aduerſus Chriſtianos Porphyrium, vt Chriſtiani crederent, auctorem illius operis, quem verſatiſſimum eſſe in ſacri codicis lectione apparebat, eſſe natione Iudaeum, in regione Bataneа natum. Ingenio et elegantia ſe commendare hanc coniecturam, non negamus, ſed non magis, quam reliquae, nobis ſatisfacit, licet in eo melior, quod ipſam vocem non laceſſat, et neſcio quod nomen inde effingat. Vnde enim probabitur, Bataneotae nomen ipſum adhibuiſſe Porphyrium ψευδόνυμον? Locus enim Chryſoſtomi nihil hac de re, quod cogat, habet, ſed tantum Batanaeoten vocat Porphyrium innuendo, eum, qui ita Chriſtianis vocetur, praeter Celſum Chriſtianis ſacris contradixiſſe, quod etiam dici potuiſſet, ſi haec vox conuicii loco fuiſſet poſita. Locus vero Hieronymi cum MSc. Codd. non ſuffragantibus ſollicitetur, plane nihil probat, ſed potius nouam eamque elegantem coniecturam facit ſuſpectam; et licet fieri forte potuerit, vt ſe in iſto libro Batanaeoten ipſe appellauerit Porphyrius, de quo nihil certi definiri poteſt, falſum tamen eſt, voluiſſe videri Iudaeum, in aciem contra Chriſtianos procedentem. Qui enim ille videri voluit ex Iudaeorum gente eſſe, qui atrociſſimas iniurias non tantum contra Chriſtum et Apoſtolos, ſed etiam contra ſcriptores Hebraeos θεοπνεύστους euomuit? quod quam infami

a) Lib. I. epiſt. 64.
b) Opuſc. p. 415.
c) Nouv. biblioth. choiſie T. I. c. 1.
d) Bibl. antiq. et nou. T. I. p. 166.
e) loc. cit.
e) loc. cit.
f) Gundlingian. T. VIII. p. 444. ſeqq.
g) Poecil. T. III. art. 6. p. 46. ſeqq.
h) Verba eius haec ſunt: „Poſſunt de antiquitate librorum ſacrorum teſtari, qui nobis „contradixerunt Celſus nimirum et poſt illum „Bataneotes„ l. c.

Digitized by Google

fami fecerit impudentia, et EVSEBIVS [i] teſtatur, ex maledictis atque conuiciis manifeſtum eſt, quae contra Danielem prophetam eructaſſe tradit Hieronymus [k]. Si itaque Hieronymi et Chryſoſtomi auctoritas deferenda haud eſt, nobis ſimpliciſſima in obſcuro argumento via videtur, quam ingreſſus eſt IONSIVS [l], ſecutusque FABRICIVS [m], vt reuera Bataneoten fuiſſe Porphyrium ſtatuamus, ſed a nobiliori loco, vbi educatus eſt, Tyrium cognominatum, et hoc quoque nomine notum. Teſte enim STEPHANO [n], Βατανέαι συνοικία Συρίας, ἡ καὶ Βατανέα ἐνικῶς, *Bataneae, locus habitatus Syriae, quae et Batanea, in numero ſingulari.* Patet ex his Bataneam ad Syriam quoque tractam fuiſſe, et veriſimilitudine ſe commendat coniectura FABRICII [o], in ea conſediſſe etiam coloniam Tyrorum: vicinam enim Tyro fuiſſe totam regionem Batanaeam, ex eius apud veteres deſcriptione demonſtrat RELANDVS [p]. Obſcuriori itaque cum loco natus eſſet Porphyrius, et forte ex colonia Tyriorum, maluit ab illuſtriori ſe loco appellari Tyrium, quod forte coloniae iure poterat. Nec enim iactantiae, nec mendacii inſimulatos fuiſſe eos, qui obſcurius patriae nomen cum illuſtriori vicino commutarunt, exemplum probat Diogenis Stoici, quem propter vicinitatem, Selencienſem Babylonium fuiſſe vocatum LAERTIVS [q] teſtatur. Quin nec hodie hic mos exoleuit, vt homines ignobilioribus oppidis nati, viciniae magis clarae adſcribantur. Cum vero Porphyrius Tyri quoque diu iuuenis habitauerit, (παλαιὰν συνήθειαν enim ei in memoriam reuocat Longinus illum ex Sicilia Tyrum euocans [r],) ratio inde manifeſta patet, cur ſe absque iactantiae futilis vitio Tyrium dixerit, proque Tyrio ipſe habitus fuerit. Quod vero Bataneoten, non Tyrium eum vocant Hieronymus et Chryſoſtomus, per modum conuicii factum eſſe coniicimus. Scilicet exagitauerat ſine dubio ſanctiſſimum diuinumque Chriſtianorum magiſtrum Galilaei nomine Porphyrius, quod opprobrii loco ei obiectum fuiſſe, ex ſacra hiſtoria conſtat, et receptum quoque Chriſti fuiſſe conuicium in ſchola Platonicorum horum, illud Iuliani: viciſti Galilaee, probat. Quam hominis impudentiam non ſine aceto et ſale perfricuerunt Hieronymus et Chryſoſtomus, cum Bataneoten vocantes, patriamque veram in memoriam reuocantes, quae vel ipſi Galilaeae olim iuncta et pars eius fuit vel viciniſſima tamen adiecit, ignominiam ita Saluatori illatam fortiſſime in canem hunc latrantem retundentes. Certe ſimpliciora haec ſunt, magisque veriſimilia, quam quae coacte et frigide ſatis ſine teſte et calculo afferuntur: praeſertim cum ex hac eius patria non ſequatur fuiſſe Iudaeum, tota tum illa regione repleta gentilibus, praeſertim cum Syriae adiectam fuiſſe teſtetur Stephanus.

§. XVI. Quae-

i) Praepar. L. X. c. 9.
k) Vid. Procem. in Daniel. Conf. HOLSTENIVS vit. Porphyr. c. II. p. 273.
l) De ſcript. hiſt. phil. L. III. c. 15. p. 286.
m) loc. cit. n) In ethnicis. o) loc. cit.
p) loc. cit. p. 200. ſeq.
q) L. VIII.
r) Vit. Plotini c. 18. p. 124.

Digitized by Google

§. XVI. Quaecunque vero fuerit demum Porphyrii patria, illud certum eſt, vel ipſam Tyrum vel locum ei valde vicinum fuiſſe; id enim Malchi nomen, quod in patria geſſit, quodque et patrem tuliſſe [s] refert, oſtendit, Phoeniciae fuiſſe originis [t]. Quod nomen cum regem indicaret, barbaram vocem, Graecis, rotundo loqui ore adſuetis, incommodam, in Graecam Porphyrii mutauit eius praeceptor Longinus [u], quod purpuratum, vel Purpurionem potius non ignotum Latinis auribus nomen [x] ſignificat. Tempus vero annumque, quo is natus eſt, ipſe prodidit, narrans [y], acceſſiſſe ſe ad Plotinum LIX aetatis annum agentem XXX annos natum, decimo Galieni imperatoris anno. Retro itaque ſi numeremus, incidunt natales Porphyrii in annum duodecimum Alexandri Seueri, qui fuit A. C. CCXXXIII. Aut calamus itaque, aut typothetarum opera errarunt, quando in HOLSTENII vita Porphyrii [z] decimus Alexandri annus ponitur. Mature a parente ad literarum ſtudia traductus eſt, et, ſi veteres audimus, fere puer Origenem audiuit Adamantium, et ab eo eruditionis ſemina accepit, ac principia quoque philoſophiae eius, cui poſtea diligentiſſime et pertinaciter adhaeſit, didicit. Adducit enim EVSEBIVS [a] ipſius Porphyrii verba, quibus ad Origenem prouocat, *quocum viro ſibi valde adoleſcenti fuiſſe familiaritatem* dicit. Clarius VINCENTIVS LIRINENSIS [b]: *Ait namque impius ille Porphyrius, excitum ſe fama ipſius* (Origenis) *Alexandriam fere puerum perrexiſſe, ibique eum vidiſſe iam ſenem, ſed plane talem tantumque virum, qui arcem totius ſcientiae condidiſſet.* Addit his locum PROCLI [c] eruditiſſimus HOLSTENIVS [d], ex quo colligi poſſe putat, Platonicae, vel Ammonianae potius philoſophiae praecepta Porphyrium primum ab Origene hauſiſſe. Adducto enim loco quodam Platonis, narrat Proclus, *de eo dubitaſſe Longinum et Origenem: adeo vt etiam Porphyrius affirmauerit, Origenem triduum integrum in eo haeſiſſe, et clamantem ac rubore ſuffuſum multum ſudaſſe, quod magnum dubitandi argumentum eſſe ipſe diceret.* Quare ſe mirari ait Holſtenius, quod Eunapius Porphyrii condiſcipulum vocet Origenem, idque ipſius Porphyrii verbis, cum conſtet, Origenem LXIX annos natum anno Chriſti CCLVI, qui fuit Galli et Voluſiani XXII vel XXIII, diem ſuum obiiſſe. Humani tamen aliquid in his paſſus eſt, et Lirinenſis et Holſtenius. Ille enim falſus eſt, quando nobis Porphyrium adducit, fatentem ſe Alexandriae Origenem iam ſenem audiuiſſe; hoc enim rationibus chronologicis vitae Origenis prorſus aduerſatur. Qui eo, quo natus eſt Porphyrius, anno CCXXXII, certe

Porphyrii vita uiuo Plotino.

s) l. c. c. 17. p. 120.
t) EVNAP. loc. cit.
u) PORPHYR. l. c. Conf. HOLSTEN. Vit. Porphyr. c. 2. p. 215
x) Vid. LIVIVS L. XXVII. 2. vbi L. Furius Purpurio nominatur. Graecum vero Porphyrogennetarum nomen inter imperatores CP. nemini ignotum eſt.
y) c. 4. p. 99.
z) Ita in editione Romana p. 15. quam ſecuta eſt Fabriciana p. 217.
a) Hiſt. eccleſ. L. III. c. 19.
b) Commonit. c. 23. p. m. 77. edit. Baluz.
c) In Timaeum L. I. p. 20.
d) l. c. c. 6. p. 236. edit. Fabric.

Digitized by Google

certe sequenti Alexandria pulsus in Palaestinam concessit, teste EVSEBIO [e], nec vnquam Alexandriam rediit, ex quo sequitur, Porphyrium eum Alexandriae audire non potuisse. Recte itaque Lirinensis in hac narratione fidem desiderat IOANNES PEARSONIVS [f]. Quia tamen non Vincentius tantum, sed et Eusebius ad Porphyrii verba prouocant, quibus testatum faciunt, eum Origenem disciplinae causa conuenisse, hinc suspicamur, Porphyrium non Alexandriae, quod fieri non potuisse ex dictis liquet, sed Caesareae in Palaestina Origenem docentem audiuisse. Eo enim loco Origenem philosophiam sacrasque literas adolescentibus non christianis tantum, sed et gentilibus tradidisse, GREGORIVS THAVMATVRGVS [g] et EVSEBIVS [h] testantur: vnde valde verisimile est, Porphyrium loci vicinia et doctoris fama inuitatum, valde adolescentem ad Origenem accurrisse: nec aliud putamus velle verba Eusebii; quae cum legisset Lirinensis, cum ad rationes Origenianae historiae chronologicas non attenderet, factum id esse Alexandriae sibi aliisque frustra persuasit. Qui quidem aliquo modo posset excusari, si verum esset, quod EPIPHANIVS [i] innuere videtur, et tanquam certum supponit CASIMIRVS OVDINVS [k], Decianam persecutionem pertulisse Origenem Alexandriae. Eo enim tempore XVIII annos natus erat Porphyrius. Sed indubitato EVSEBII [l] testimonio constat, non Alexandriae, sed Tyri fuisse Origenem, cum ista tempestas ingrueret, adeoque hoc quoque Lirinensem magis refellit, quam confirmat. Quae vero de eo dicta sunt, ad Holstenium quoque pertinent, huic narrationi fisum, qui errorem errore auxit, et Origenem Porphyrii condiscipulum cum Origene Christiano confudit, quos diuersos esse, illumque hoc multis annis iuniorem, ipsi tempora vtriusque ostenderant. Nam non alius iste Origenes est, quam quem supra docuimus, Plotinum habuisse apud Ammonium condiscipulum: licet illustris HVETIVS [m] statuat, etiam ab isto Origene, Porphyrio antiquiore, distinguendum esse hunc Origenem Porphyrii συμφοιτητὴν Eunapio memoratum, quod tamen secus nobis videtur, cum facile possit dici hic Origenes condiscipulus Porphyrii, eo quod illum ad Plotinum in scholam eius interdum digressum esse constat [n]. Locus vero Procli, vtrum de Christiano, an gentili Origene intelligendus sit, dubii haeremus, licet prius magis arrideat, eo quod gentilis Origenis institutione Porphyrium fuisse gauisum non legamus, et condiscipulum tantum eum Porphyrii vocat Eunapius. Ex Origenis Adamantii schola ad Longinum discessit [o] Porphyrius, magna eruditionis fama plurimorumque disci-

e) l. c. L. VI. c. 20. 23.
f) Vindic. Ignat. P. II. c. 1. p. 9. 10.
g) In Panegyrico in Origenem.
h) loc. c. c. 23.
i) Haeres. LXIV. T. I. p. 524.
k) De Script. eccles. T. I. p. 1238.
l) loc. cit. L. VI. c. 39.
m) Origenian. L. I. c. 1. p. 5.
n) c. 14. vitae Plot. p. 116. Ita etiam Amelius iungitur Origeni, tanquam condiscipulus Porphyrii, licet illi multo vetustior.
o) Contrarium magis placet HOLSTENIO l. c. p. 238. a Longino demum ad Origenem peruenisse Porphyrium. Sed falli eum ex Eusebii et Lirinensis narratione patet, qui *fere pueros* conuenisse Origenem dicunt.

Digitized by Google

diſcipulorum laude philoſophiam, eloquentiam, ceterasque literas, quae ab humanitate nomen acceperunt, tum temporis Athenis docentem. Qui cum eſſet vir literatiſſimus, et totius fere antiquitatis promus condus, dicendi autem facultate paucos haberet aequales, facile inde colligi poteſt, quantum eruditionis augmentum Porphyrio, magno ardore ad haec ſtudia inflammato, acceſſerit. Ex hac enim Longini diſciplina potiſſimum repetendum eſt, quod non ſcribendi et dicendi tantum facultate Plotinum longe ſuperauerit Porphyrius, ab ipſo praeceptore Longino laudatus [p], quod, vitatis Amelianis ambagibus, neruoſam Plotini breuitatem ſine obſcuritate norit exprimere: ſed quod etiam in omni fere eruditionis antiquae genere ſe praeſtiterit verſatiſſimum. Non vero tanto ſub magiſtro in elegantioribus tantum literis haeſit, ſed, quod teſtatur EUNAPIUS [q], in ſupremo eruditionis genere ab eo erudiebatur, et omnem philoſophiam edoctus eſt: cuius inſtitutionis philoſophicae veſtigia in illa epiſtola, quam ipſe PORPHYRIUS [r] affert, haud obſcura extant. Multum vero contuliſſe inſtitutionem Longini ad Porphyrianam eruditionem, ex eo patet, quod non tantum infinitam in veterum ſcriptis lectionis copiam inde ſibi parauit Porphyrius, ſed is illi quoque ſub hoc duce philoſophiae generi vacauit, quod ex omnium fere philoſophorum et religionum fontibus tanquam in *παυδοχεῖον* quoddam confluxiſſe ſupra diximus, et Longinum etiam ab Ammonio didiciſſe demonſtrauimus. In hac vero Longini ſchola cum verſaretur, prima vice Romam venit, XX annos natus, quo tempore Plotinus iam inclaruerat; quia vero is eo tempore otioſas ducebat aeſtates [s], quamquam confabulantium conſuetudinem minime deuitaret, ideo is in Aſiam vel in Aegyptum remigrauit. De hoc enim tempore, vsque ad annum XXX, quo Plotini diſciplinae ſe tradidit, pauca de eo conſtant. Aut itaque in Longini ſchola haeſit, aut ſi Origenem, gentilem illum, Plotini condiſcipulum audiuit [t], hoc eo tempore factum eſt. Circa hanc enim aetatem A. C. CCLV, Origenem ſoluta arcana Ammonii diſciplina et ſecretis philoſophiae vulgatis libros ſcripſiſſe, ſupra planum fecimus. Vbi autem Plotinus, commilitonum exemplo excitatus, cum illi fidem ſilentii fregiſſent, ſcholas philoſophicas habere coepit, laudesque eius paſſim increbuere, libris etiam philoſophicis magnam ſibi gloriam Romae comparauit, tandem Porphyrium quoque permouit, vt profundioris, quam apud Longinum, philologum magis, quam philoſophum, didicerat, philoſophiae pernoſcendae cauſſa ad eum conuolaret. Venit itaque triginta annos natus cum Antonio Rhodio Romam, ibique a Plotino et Amelio XVIII annos iam apud Plotinum commoranti bene-

p) Vit. Plotini c. 21. p. 133.

q) loc. cit. p. 13. En verba Graeca: *Παρ' ἐκείνῳ δὴ τὴν ἀκραν ἐπαιδεύετο παιδειαν, γραμματικῆς τε εἰς ἄκρον ἀπαίσης ὥσπερ ἐκεῖνος ἀφικόμενος καὶ ῥητορικῆς; πλὴν ὅσον οὐκ ἐπ' ἐκείνην ἔτεινε, φιλοσοφίας τε πᾶν εἶδος ἐκματτόμενος.*

r) c. 19. p. 123.

s) c. 5. p. 101.

t) Nihil tamen de eo vel ipſe vel Eunapius notant.

vole acceptus eſt [a]: multumque apud vtrumque, praeceptorem pariter, et veterem eius diſcipulum fauorem meruit. Cum enim incredibili ardore in philoſophiam ferretur, tantopere placuit Plotino diſcendi feruor, vt non tantum liberum Porphyrio faceret, quaeſtionibus et diſputationibus, quaecunque vellet ex ſe percontari, et ad eas copioſe et profunde reſponderet [b], ſed et Amelio id negotii dedit, vt de iis, quae initio obſcuriora Porphyrio videbantur, eum edoceret, qua ratione cum Amelio ſcriptis etiam velitationibus philoſophicis de ideis diſputaſſe, nec ceſſauiſſe, donec obſcuram et reconditam Plotini de eo argumento mentem perſpexiſſet §. praecedente narrauimus. Iſtam diligentiam ſtudiumque in addiſcenda Plotini philoſophia cum per ſex annos, quibus indiuulſus comes Plotino adhaeſit, ei probaſſet, et non tantum eius myſteria accurate didiciſſet, ſed magnum etiam pro praeceptore eiusque philoſophia ardorem oſtendiſſet, cariſſimus Plotini factus eſt diſcipulus, tantaque praeceptoris in eum fuit fiducia, vt non tantum pro inſigni eum ſcholae ornamento haberet, commendaretque hoc nomine reliquis [c], ſed et illo vteretur, ad refutandos eos, qui dogmata ſua fuiſſent adorti, adque praeferendam aliis in locis obſcurioribus facem. Quin immo tanti eruditionem Porphyrii faciebat Plotinus, vt ei libros ſuos emendandos et in ordinem redigendos commendaret, de quo in ſuperioribus dictum iam eſt [d]. Non obſtitit tamen tanta, qua apud Plotinum fruebatur Porphyrius, familiaritas, quo minus cultam cum Longino amicitiam conſeruaret, quam integram manſiſſe et illibatam, licet deſerta ſua philoſophia ad Plotinum eum defeciſſe, non ſine aculeo reprehenderit Longinus [e], ex literarum, quod cum eo fouebat, commercio intelligi poteſt, cuius nobis ipſe fragmenta quaedam exhibuit [f]. Mirum ita in modum aucta eſt Porphyrii eruditio, creuitque philoſophiae cognitio, ita tamen, vt mature effectum prodiderit philoſophia enthuſiaſmo pleniſſima. Tanto enim melancholiae furore oppreſſus eſt Porphyrius, vt anno aetatis XXXVI, quo ſolet eſſe vigor animi corporisque maximus, de ſe interficiendo cogitaret: cuius verum primumque quidem fontem fuiſſe animum atra bile furentem, Plotinus non inepte iudicauit, et ipſe faſſus eſt [g]: multum tamen contuliſſe ad hoc inſanae mentis conſilium eam ipſam, quam a Plotino didicerat philoſophiam, eo minus dubitandum eſt, quo magis ea in accuſanda materiae malignitate, tanquam mali fomite, et animi miſeria deploranda, quamdiu corporis carceri incluſa eſſet, verſabatur, hucque tendebat maxime, vt ſolutis corporis vinculis animus ſerenior ad fontem diuinum, ex quo effluxit, aſcenderet, et liberatus peſtilenti, qua premitur, ſarcina, ad felicitatem ſuam emergeret. Quae cum animo fracto, graui et deſperabundo, qualis melancholicorum eſſe ſolet,

a) c. 4. p. 99. x) c. 13. p. 115.
b) Exempla habemus l. c. p. 115. 117. quae non ſine iactantia enumerat, Porphyrius, magnus ſui oſtentator.
c) c. 7. p. 107. c. 24. p. 139.
d) c. 20. ſ. 12. p. 131.
e) c. 19. p. 123.
f) c. 11. p. 118.

Digitized by Google

ſolet, quotidie inculcarentur, et obſcuris Plotinianae philoſophiae myſteriis iudicandi facultas, quae ſaniora ſuadere debebat, ſuffocaretur, non potuit non ſtultum illud *αὐτοχειρίας* conſilium inde ſequi, et Porphyrius, qui ſe, *μυστικῶς πολλὰ μετ' ἐνθουσιασμοῦ ἐπινενοημένος εἰρεῖσθαι, ſecreto multa myſterio ex diuino afflatu interdum diſſeruiſſe*, ideoque pro furente habitum fuiſſe iactat [e], eo adigi, vt ſoluta corporis compage ad diuinum illud, ex quo decerptus erat, aſcendere conaretur; id quod libere faſſus eſt EVNAPIVS [f], narrans: *vbi in magni illius Plotini conſuetudinem ſe inſinuauerit, valere iuſſis omnibus ceteris, ad amicitiam fidemque illius ſe totum applicuiſſe, vbi et animum ſcientia explere, et verba fonte illo manantia, ac de mentis illius ſacrario depromta haurire, citra ſatietatem tamen licuerit: poſtea abundantis magnitudine doctrinae victum atque ſatiſcentem, concepiſſe corporeae molis humanitatisque odium quoddam.* Ita ſcilicet decebat diſcipulum inſanientis philoſophiae decreta ſequentem. Quae licet ipſe probaret Plotinus, quem ſimile corporis humanitatisque fouiſſe odium in antecedentibus diximus, deteſtatus tamen eſt violentae mortis conſilium, et Porphyrium ex inſania reuocauit, ac ad meliorem mentem reduxit. Quod qua ratione factum ſit, ita quidem enarrat EVNAPIVS: *Concepto corporeae molis humanitatisque odio quodam tranſmiſit in Siciliam, traiecto freto ad charybdin, qua Vlyſſes enauigaſſe perhibetur, quod neque Romam amplius adſpicere, neque hominum voces audire ſuſtinebat, ſicque et gaudia ſua et triſtitiam ibi ſimul deponebat. Inde Lilybaeum contendit, quod vnum eſt e tribus Siciliae promontoriis Africam verſus porrectum; ibi iacuit gemitibus et ſuſpiriis ſpiritum trahens, cibumque non admittens, et hominum conſortium declinans. Sed non caecutiit, deceptusque eſt animo magnus Plotinus, qui e veſtigio eum conſecutus, et aufugientem iuuenem inquirens, decumbenti ſuperuenit, et verborum facundia euolaturum iamiam corpore animum reuocauit a morte, et corpus etiam corroborauit, vt animam contineret. Ita ille reuocatus quaſi in vitam reſurrexit, aſt Plotinus, ſermones inter ſe habitos in literas retulit.* Haec Eunapius: quae licet ad ipſa Plotini ſcripta videantur prouocare, falſitatis tamen facile poſſunt conuinci. Aliter enim rem nobis narrat ipſe PORPHYRIVS [g]: *Mirabiliter perſenſiſſe Plotinum conſilium illud ſeſe interficiendi, ſibique domi deambulanti protinus adſtitiſſe, et dixiſſe; ſtudium nunc iſtud o Porphyri, tuum, non ſanae mentis eſt, ſed animi atra bile furentis, itaque Roma abire ſe iuſſiſſe. Huic ergo ſe parentem in Siciliam eſſe profectum, praecipue cum audiret, Probum quendam elegantem virum, circa Lilybaeum tunc habitare. Quo quidem factum ſit, vt hac perturbatione animi liberaretur, ſed interea impediretur cum Plotino vſque ad eius obitum vitam ducere.* Patet ex hac ipſius Porphyrii relatione, ipſo Plotini conſilio factum eſſe, vt Ro-

e) c. 15. p. 117. f) loc. cit. p. 14. g) c. 11. p. 113.

mam cum Sicilia commutauerit [h], nec in montibus Lilybaei desperabundum iacuisse, sed apud Probum vitam duxisse, Plotinum vero, qui Roma nunquam secessit, nisi morti vicinus, vbi in Campaniam deportatus est, ipsum non fuisse in Siciliam prosecutum. Ex quo sequitur, non potuisse vel Porphyrium, vt HADRIANVS IVNIVS intellexit [i], vel Plotinum, vt explicat FABRICIVS [k], habitorum inter vtrumque colloquiorum summam in literas redigere: sed verisimillimum, Eunapium respexisse ad aliquem librum, quem ad Porphyrium in Siciliam misit Plotinus, vt nutantem erigeret, qualem fuisse librum de prouidentia [l], in quo disputat, animis licere in hoc quoque mundo esse felicibus, et calamitatibus non esse succumbendum, sed decertandum aduersus illas strenue, vt praemia virtuti proposita sequantur, acute coniecit FABRICIVS [m]. Quae eo potissimum fine paulo attentius discutienda nobis sumsimus, quod memorabile exemplum nobis exhibent, quam fidem in exponendis philosophorum sectae suae vitis Eunapius adhibuerit. Qui enim apertis haec intuetur oculis, facile deprehendit Eunapium eo potissimum scopo hanc philosophorum Platonicorum historiam enarrandam suscepisse, vt eleganti, quam affectat, orationis genere philosophiae a se adamatae patrocinium laudemque acquireret, et vt hoc obtineret, circumstantias ex lubitu ita exposuisse et mutasse, vt eo mirabilior exsurgeret horum hominum historia, parum vero ad veritatis legem, vel ad verisimilitudinis etiam conditionem respexisse, sectae suae consuetudine tutum, licere de tantis viris impune mentiri, modo eorum ex illo crescat auctoritas, et τὸ θεῖον καὶ θαυμαστὸν, quod vnice in his vitis sectatur, eluceseat. Qui animus hominis cum in sequentibus quoque βιογραφίαις vbique se prodat, lectorem cautum iubemus haec recordari, vt quae fides homini danda sit, noscat. Ad eum enim in plerisque, quae sequentur, prouocandum; eiusque fides vbique nobis examinanda est.

Porphyrii fata post Plotini mortem.

§. XVII. Hactenus viuo quidem Plotino in philosophiam incubuit Porphyrius; illo vero fatis in Campania concedente, vt supra narratum, cum Porphyrius abesset, turbauit hoc nonnihil eius circulos; vt itaque animum resumeret, et quam a Plotino didicerat philosophiam ad Christiani nominis inuidiam, scopo atque fine illius philosophiae primario traduceret, praeter alios libros, pestilentissima quoque scripta contra Christianos exarauit. In Sicilia hos sceleratissimos ingenii maledicentissimi foetus produxisse testantur EVSEBIVS et HIERONYMVS [n], a quibus tamen discessit BARONIVS [o], qui loco quodam LACTANTII [p] inductus, quo *se in Bithynia literas oratorias docente fuisse philosophiae antistitem*, scribit, *vitiosum, qui veritati iacenti insultaret,*

b) Mutato aëre, victusque ratione, conuersatione etiam Probi sanatum iri sperabat Plotinus.
i) Cui versionem Eunapii non satis accuratam debemus.
k) Ad l. c. Bibl. Graec.
l) Enn. III. l. 2.
m) loc. cit.
n) ll. supra citat.
o) Ad A. C. 325.
p) L. V. c. 2.

Digitized by Google

ret, tresque libros euomeret, contra religionem nomenque Chriſtianum: profeſſum ante omnia, philoſophi officium eſſe, erroribus hominum ſubuenire, atque illos ad veram viam reuocare, id eſt, ad cultus Deorum, quorum numine ac maieſtate mundus gubernaretur, nec pati, homines imperitos quorundam fraudibus illici, ne ſimplicitas eorum praedae ac pabulo ſit hominibus aſtutis; concludit, non alium intelligi quam Porphyrium, in quem omnia haec quadrent. Sed nec librorum numerus concordat, quindecim enim contra Chriſtianos ſcripſit Porphyrius, non tres, nec locus, cum diſerte Euſebius et Hieronymus teſtentur, in Sicilia contra Chriſtianos ſcripſiſſe furentem hunc philoſophum, nec vita omni luxu et ſuperbia contaminata, quam Lactantius illi ſapientiae antiſtiti adſcribit, conuenire videtur Porphyrio, ἀποχὴν non ſcriptis tantum commendanti, ſed et ſeruare in Plotini ſchola edocto, adeo, vt gulae et libidinis vitium nemo illi ex iis obiecerit, qui rabidum tamen canem vocare non dubitauerunt: alias rationes, quae rem prorſus conficiunt, affert HOLSTENIVS [q], breuitatis cauſſa heic loci praetereundas, cum res ad ſacram potius, quam philoſophicam hiſtoriam pertineat, vbi etiam de conatibus ſummorum virorum, ad eius obiectiones reſpondendi plura dici ſolent, quae infra ſtrictim tangemus. Praeter hoc, quod aduerſus Chriſtiana ſacra ſuſcepit, bellum ſacerrimum, illuſtrandis quoque aliis philoſophiae Plotinianae capitibus ſtudium operamque impendit, et conciliatrices Platonicae atque Ariſtotelicae philoſophiae manus admouit: affirmat enim Ammonius, notiſſimam iſagogen de quinque vocibus ad Chryſaorium in Sicilia ab eo ſcriptam fuiſſe [r], vt alia taceamus. Sane Longinus emendatos ab eo libros Plotini ex Sicilia petiit, eumque ad ſe Tyrum euocauit, cauſſatus aërem imbecillitati corporis, de qua querebatur, ibi fore ſalubriorem [s]. Ex quibus recte colligit HOLSTENIVS [t], multi eum temporis moram in Sicilia feciſſe; nec aliam putamus cauſſam fuiſſe, cur Porphyrium *Siculum illum, cuius celeberrima fama eſt*, vocauerit AVGVSTINVS [u], quam quod pro indigena quaſi, ob diuturniorem in Sicilia moram, fuerit habitus. Ex Sicilia tamen Carthaginem excurriſſe, ex eo colligitur, quod ibi perdicem a ſe ita cicuratam narrat, vt vocem humanam intelligeret, eidemque reſpondere conaretur [x]. Tranſiiſſe etiam ex Sicilia ad Longinum Athenas, HOLSTENIVS [y] ex eo iudicat, quod Plotini natales apud Longinum epulis celebratos referat, et ſermones de auctorum furtis inter conuiuas habitos commemoret: Plotini vero natales poſt eius demum mortem celebrari

q) l. c. C. III. p. 220. ed. Fabr. Miramur itaque, doctiſſimum PEARSONIVM in prolegom. ad Hieroclem, et Cl. V. G. SIBERVM Miſc. Lipſ. T. I. p. 332. Bironii ſententiae acceſſiſſe.

r) Non praetereundus locus Ammonii in prolegomenis, quem affert HOLSTENIVS p. 48. vbi dicitur, ideo Porphyrium in Siciliam fuiſſe profectum ad Chryſaorium diſcipulum ſuum, quod ab eo rogatus fuiſſet, vt incendium Aetnae coram cognoſceret. Sed haec tacet ipſe Porphyrius.

s) Vita Plot. c. 19. p. 123.

t) l. c. p. 222. ſeqq.

u) Retract. L. II. c. 31.

x) De abſtin. L. III.

y) loc. cit. p. 219.

brari potuerint. Sed hoc temporis rationibus et ſeriei hiſtoriae Porphyrii prorſus repugnat, quae diu vixiſſe in Sicilia, multosque ibi libros exaraſſe Porphyrium tradit: Longinus autem paucis, poſt Plotini fata annis, Aureliani iuſſu A. C. CCLXXIII. interfectus eſt, quo adhuc tempore in Sicilia commorabatur Porphyrius. Nec is extremis vitae annis Athenas iterum diuertit, ſed in Syria vixit, tandemque ad Zenobiam ſeceſſit, vt ex eius vita ſupra enarrata [a] videre eſt. Deceptus autem eſt vir doctus falſa lectione apud Euſebium, apud quem non Πλωτίνεια ſed Πλατώνεια legendum eſſe, ex eo ſupra euicimus, quod natales Plotini conuiuiis et ſacrificiis non potuerint celebrari, eo quod magna cura eos tacuerit ipſe Plotinus. Ex quo argumentum Holſtenii a conuiuiis Plotinianis ductum per ſe corruit, et intelligitur, factam eſſe iſtam diſputationem Porphyrii Athenis apud Longinum, antequam is ad Plotinum peruenisſet. Ex Sicilia Romam reuerſus interruptum, teſte EVNAPIO [b], ſtudiorum curſum dicendique facultatem proſecutus fuit, ſaepe in publicum prodiens, vt doctrinae ſpecimen daret, ex quo magnam apud ſenatum et populum Romanum gloriam non ad Porphyrium tantum, ſed Plotinum quoque, ex cuius diſciplina ille prodierat, rediiſſe, idem narrat. Quod eo minus mirandum, quo magis enthuſiaſtico philoſophiae generi a praeceptore condito inſiſtebat, et diuinum habitum, quem ſibi viuo adhuc Plotino, vt ſupra dictum, parauerat, prae ſe ferens, pro diuino quodam non philoſopho tantum, ſed ſacerdote etiam generisque ſanctioris homine habebatur. Qua animi diſpoſitione ne inferior videretur magiſtro, in ſenectute, annum agens LXVIII, ſummum intelligibile, Deumque omnibus Diis ſuperiorem ſine imagine vidit, ecſtaſinque paſſus eſt, vt ipſe ſcribit [b]. Quod mali genii illuſioni quidem tribuit AVGVSTINVS [c], nos autem vel inanem eſſe iactantiam Porphyrii, magiſtri gloriam imitantis aemulantisque, vel naturalem effectum imaginationis nimio feruore incenſae et agitatae in homine atra bile laborante putamus, quod temperamentum eiusmodi raptibus delirantisque imaginandi facultatis exceſſibus eſſe aptiſſimum, nemo ignorat, qui humani animi naturam moresque intelligit. Poſtquam hunc ſummum philoſophiae ſuae gradum attigerat, ſcripſit vitam Plotini praeceptoris, quam ſuae etiam hiſtoriae compendium recte dixeris, et exiguum vitae tempus Romae ſuperuixiſſe videtur, morte in finem forte imperii Diocletiani incidente, qui A. C. CCCIV. accidit, Conſtantio ſuccedente [d]: diutius enim vixiſſe qui contendit, Baronium errare, infra probabimus. In coniugio vixiſſe, EVNAPIVS [e] ex libro eius *ad Marcellam coniugem* probat, quo *eam quinae ſobolis matrem in matrimonium duxiſſe* praedicat, *non ſuſcipiendae ex ea prolis gratia, ſed vti eos erudiret, quos ex amico ſuo vxorem partu edidiſſe norat.* Coniugii enim opus his homini-

a) vid. ſupra §. 8.
b) Vit. Plot. c. 23. p. 137.
c) De C. D. L. X. c. 10.
d) l. c.
d) Sollicitat has rationes Cl. SIBERVS l. c. p. 332. cui infra reſpondebimus.
e) loc. cit. p. 18.

Digitized by Google

minibus ob graue in materiam corpusque odium, valde erat inuiſum, vt ſupra de Plotino quoque obſeruauimus, et plura eius rei exempla adhuc in hiſtoria huius ſectae occurrent [f]. Marcellam vero hanc a philoſophiae ſtudiis non fuiſſe alienam, eorumque admiratione totam occupatam, ipſe Porphyrius teſtatus eſt [g]. Diſcipulos habuit plurimos eruditione et philoſophiae Plotinianae notitia magnam ei famam et applauſum conciliantibus. Inter eos caput extulit Iamblichus, cuius hiſtoriam ſequenti §. enarrabimus, qui praeceptorem quoque gnauiter exſcripſit, vt poſtea dicemus. Iamblicho eruditionis nominisque gloria ex diſcipulis eius proximus fuit Theodorus Aſinenſis, teſte Damaſcio [h], cuius crebro meminit PROCLVS *in Timaeum* [i], qui eum non tantum γενναῖον, virum nobiliſſimum, egregium, et magnum, ſed et θαυμαστόν appellat, id eſt admirandum, cuius nominis ratio a mirabilibus iſtis artibus, quas haec ſchola iactabat, cum deriuanda ſit, inde coniicimus, eum non minus, quam Porphyrium praeceptorem, et Iamblichum condiſcipulum, operibus theurgicis inclaruiſſe. Chryſaorium vero, Nemertium et Gedalium, quibus libros inſcripſit, vel diſcipulos et alumnos diſciplinae Porphyrianae [k], vel admiratores cultoresque fuiſſe, ex ipſis dedicationibus intelligitur. Laudatque Ammonius, fuiſſe eum κοινωνικὸν καὶ ἥμερον πρὸς τοὺς παιδείας ἐπιθυμοῦντας, *fideliter atque humaniſſime eruditionis theſauros cum ſtudioſis diſciplinae verae communicaſſe* [l]. Temperamento melancholico-ſanguineo vſum fuiſſe, et ſupra ex Plotini iudicio diximus, et tota hominis eruditi quidem, eloquentis et copia lectionis inſtructi, ſed furentis et ad enthuſiaſmum inclinantis conditio demonſtrat. Hinc videas iudicii magnum in materiis grauiſſimis defectum, et deamatam philoſophiam talem, quam, ad enthuſiaſmum ineptum omnique prorſus fundamento carentem ducere fatetur, quisquis iudicandi facultate ſatis inſtructus eſt; ingenii vero non florentis tantum, ſed imaginum quoque et cogitationum fertilitate luxuriantis exceſſus, vt huic ipſi temperamento corporis, animique, quae cum illo coniuncta eſt, indoli debentur, ita potiſſimum in allegorica illa philoſophandi methodo, qua excelluit Porphyrius, quaque fabulis veterum ſenſus induxit philoſophicos antea non auditos, ſe prodidere, et eloquentiam quoque admirabilem et imaginibus pariter atque coloribus plenam, ſed fanaticam et iudicio non roboratam produxere, immo viam parauere ad ecſtaſin. Nec alio ex fonte memoriae ſtupendae fidelitas, quam copioſiſſima lectione demonſtrauit, deriuanda eſt. Iudicent itaque reiperiti, et, quid philoſophia virtutis roborisque poſtulet, gnari, an non Porphyrio quoque aptandum ſit Plotini de Longino iudicium, philologum eum magis eſſe, quam philoſophum,

f) Conf. Damaſcius apud PHOTIVM Cod. CCXLII. p. 566. 574.
g) Apud CYRILL. contra Iulian. L. VI. p. 209.
h) l. c. p. 565.
i) Loca vide apud HOLSTEN. c. 5. p. 248.
k) Chryſaorium diſcipulum Porphyrii fuiſſe, ex loco Ammonii not. (τ) obſeruauimus.
l) loc. citat.

phum, et cuius a parte ſtandum ſit, acutiſſimi HEVMANNI [m] philoſophiae gradum excellentem Porphyrio denegantis, vel HOLSTENII [n], in laudes eius ob ſummam philoſophiae cognitionem, cum veterum multis, quorum iudicia adducit, excurrentis? Qui ſi recordatus fuiſſet, quod ipſe monuit, corrupiſſe philoſophiam Alexandrinam homines doctiſſimos, et eruditionem Porphyrii late ſe diffundentem a philoſophia diſcreuiſſet, deſiiſſet laudare hominem, praeiudiciis turpiſſimis auctoritatis, obſequii, praecipitantiae, antiquitatis, ſectae, ſpiritus contradictorii, quin fraudis et impoſturae ſatis prodentem, longiſſime ſe a veri philoſophi indole abfuiſſe. Teſtem aduocamus eam ipſam, quam ſequitur, philoſophiae conditionem, infra accurate delineandam, et enthuſiaſmum vbiuis in ſcriptis eius, praecipue in *ſententiis ad intelligibilia ducentibus* regnantem, ſuperſtitionem vbique proditam, credulitatem, ineptiſſima de Plotino, et multo magis de Pythagora, tanquam certiſſimas veritates, narrantem. Cui haec nondum ſufficiunt, eum, cogitet, rogamus, hominis impoſturas et audaciam, mille fabulas vel aliunde ſine iudicio conquiſitas, vel a ſe ſuique generis hominibus otioſis excogitatas pro certiſſimis veritatibus vendendi, mythologiam et doctrinam veterum omnem, miris et nudis ingenii luxuriantis interpretamentis in partes ſectae ſuae rapiendi [o], et huic inani interpretationi lectionis copiam et verborum elegantiam deſtinandi, et imprimis theurgicarum impoſturarum commendationem, quas libris quoque, imprimis commentario in Iuliani Chaldaei philoſophi hiſtoriam tradidit [p], et vt EVSEBII [q] teſtimonio conſtat, ipſe probe intellexit, id quod exemplo quoque confirmaſſe tradit EVNAPIVS [r], et non tantum ſcriptis in hanc artem fuiſſe commentatum, ſed et e balneo eieciſſe daemonem quendam, ab indigenis Cauſanthem cognominatum: licet D. AVGVSTINI [s] teſtimonio conſtet, Porphyrium, *inter vitium ſacrilegae curioſitatis et philoſophiae profeſſionem ſententiis alternantibus fluctuaſſe; et nunc hanc artem tanquam fallacem, et in ipſa actione periculoſam, et legibus prohibitam cauendam monere; nunc autem velut eius laudatoribus cedentem, vtilem dicere eſſe mundanae parti animae, non quidem intellectuali, qua rerum intelli-*

m) Act. philoſ. Vol. I. p. 159.

n) l. c. c. 1. p. 213. c. 6. p. 233.

o) Exemplo eſſe poſſunt PORPHYRII Quaeſtiones Homericae, de antro nympharum, fragmentum de ſtyge, apud STOBAEVM eclog. phyſ. p. 129. et ad calcem vitae Pythagorae ab HOLSTENIO editae p. 49. ed. Rom.

p) Librorum theurgicorum a Porphyrio exaratorum indicem dedit SVIDAS T. III. p. 185. inter quos commentarius in Iuliani hiſtoriam eminebat. Scripſit is Iulianus de daemonibus libros quatuor, quibus docuit modos propulſandi mala ab hominibus, ſecundum omnes partes quae coelo ſubiacent, teſte SVIDA T. II. p. 123. Filium habuit, eiusdem nominis artisque, qui et ipſe Teleſtica ſcripſit, id eſt, de modis conſecrationis magicae. Vterque Iulianus, qui ante et ſub M. Antonino floruere, artibus magicis celebres fuere. Pater enim lapidem vi verborum manu diuiſiſſe dicitur, apud SOZOMEN. L. I. c. 18. p. 433. De filio autem narraſſe quosdam SVIDAS loc. cit. ait: Romanis ſiti aliquando laborantibus, effeciſſe, vt atrae nubes ſubito coactae ingentem imbrem cum crebris tonitribus et fulguribus effunderent, conf. SCALIGER ad Euſeb. n. MMLXXXIX.

q) Praep. L. IV. c. 6. p. 142. vbi eum τὸν δαιμόνων φίλον αὐτὸν ἑκεῖνον etc. vocat.

r) loc. cit. p. 18.

s) De C. D. L. X. c. 9.

by Go

telligibilium percipiatur veritas, nullas habentium ſimilitudines Corporum, ſed ſpirituali, qua rerum corporalium capiantur imagines; hanc enim per quaſdam conſecrationes theurgicas, quas teletas vocant, idoneam fieri atque aptam ſuſceptioni ſpirituum et angelorum, ad videndum Deos. Ex his vero theurgicis teletis, fateri eum, intellectuali animae nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum ſuum, et perſpicienda ea, quae vere ſunt: Quae paſſim Hipponenſis praeſul repetit [t]. Quamuis enim ex his pateat, non adeo magnum pretium his theurgicis operibus ſtatuiſſe Porphyrium, non haec tamen veritatis ſunt teſtimonia, ſed ſuperbiae, ſupra has artes ſe emerſiſſe gloriantis ſpecimina, clareque produnt, Porphyrium malae curioſitatis praeſtigias a Chaldaeis, vt putat Auguſtinus, et quod ſupra vidimus, in Ammonii et Plotini ſchola didiciſſe.

§. XVIII. Nulla vero in re magis ſe Ammonianae et Plotinianae ſcholae, in Chriſtianae reipublicae euerſionem coniurantis diſcipulum pariter et magiſtrum praeſtitit, quam in ſacerrimo, quod contra eam ſuſcepit bello. Et fabulam quidem eſſe, quod ſupra ex SOCRATE [u] recitauimus, quodque AVGVSTINVS [x] quoque, et qui Socratem ſecutus eſt, NICEPHORVS [y], confirmare videntur, Porphyrium Chriſtianum fuiſſe initio, ſed quod apud Caeſaream Palaeſtinae a quibusdam Chriſtianis verberatus fuiſſet, prae ira nimia religionem Chriſtianam deſeruiſſe, et in eam libros maledicentiſſimos ſcripſiſſe, facile credet, qui hiſtoriam Porphyrii paulo exactius conſideraverit. Ea enim nos docuit, ſine teſte et veriſimilitudine eum vel Iudaicae vel Chriſtianae propaginis hominem dici, quem Tyriis parentibus ortum dixit EVNAPIVS [z], quemque diu poſt moram ſuam in Syria, poſtquam Plotinum quoque deſeruiſſet, in Sicilia contra Chriſtianos ſcripſiſſe, ſupra ipſius Euſebii, ad quem prouocat Socrates, teſtimonio euicimus. Nec Auguſtini etiam verba obſtare, obſeruat IAC. THOMASIVS [a]; quando enim is ita ad Porphyrium ſcribit: *Quam* (ſapientiam) *ſi vere ac fideliter amaſſes, Chriſtum Dei virtutem et Dei ſapientiam cognouiſſes, nec ab eius ſaluberrima humilitate tumore inflatus vanae ſcientiae reſiluiſſes;* vltima hac voce non id vult, defeciſſe Porphyrium a religione Chriſtiana, quam eſſet amplexus, ſed tantum, abhorruiſſe ab ea amplectenda, eamque cognoſcere noluiſſe, id quod luculentis locis aliis ex AVGVSTINO [b] petitis confirmat. Aliter tamen viſum, et apoſtaſia Porphyrii pro vera admiſſa, a viris quibusdam doctis, quorum aliquos idem THOMASIVS [c] nominat. Nemo tamen maiori diligentia hanc de apoſtaſia Porphyrii ſententiam pro-

Porphyrius hoſtis Chriſtianorum.

t) c. 10. 24. 26. 28.

u) L. III. c. 23. ex Sadducaeorum genere fuiſſe ineptit PETR. GALATINVS de arc. cath. verit. c. 14. notatus ideo RENESSIO Var. lect. L. II. c. 13. l. c. c. 28. Conf. VOSSIVS de Hiſtor. Graec.

x) L. II. c. 16. p. 244.

y) L. X. c. 36. z) loc. cit.

a) In obſ. de Porphyrio apoſtata, quam Poeciles T. III. p. 53. exhibuit HEVMANNVS.

b) c. 24. 27. 29. 32. Conf. CAVE Hiſt. liter. ſcript. eccleſ. p. 98. c) l. c. p. 57.

Digitized by Google

pugnauit, quam qui ſacras et eccleſiaſticas nuper adhuc literas in Academia Lipſienſi magna cum laude tuebatur ſumme Reu. VRB. GODOFREDVS SIBERVS. Is de hoc ipſo argumento rogatus a V. C. IO. FRIDERICO THOMA, qui nouam operis Porphyriani περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων editionem moliebatur, duabus epiſtolis erudite et prolixe de hoc argumento diſſeruit [a]. Is in prima epiſtola triumuirorum Sozomeni (Socrates nominandus erat) Theophanis et Nicephori auctoritatem tanti videri poſſe putat, vt reapſe Porphyrius Chriſtianiſmum olim amplexus videri queat. Potuiſſe tamen, coniicit vir doctiſſimus, eſſe catechumenum, in quorum ordine diu verſabantur etiam hi, qui vero ſacrorum noſtrorum ſtudio tenebantur. Potuiſſe etiam ſola oraculorum diuinorum lectione delectari, fortaſſe igitur acceſſiſſe, vt amplexurum Chriſtianiſmum, ſi rationes placerent, diſceſſiſſe vt hoſtem, cum animus ſapientum demonſtrationibus adſuetus iniuriis etiam eorum irritaretur, quorum vita a coeleſti regula diſſidebat. Sicque ἀποσασίας vocabulum largiori ſignificatione eſſe ſumendum; nolle tamen ea operoſius diſcuti, ne ſcriptorum eccleſiaſticorum auctoritas corruat, ſi ea euertamus, quae tamdiu credita atque ab his ſtabilita ſunt, ad quos, tanquam ad antiquitatum promos condos abire conſueuimus: nihil enim officere rei Chriſtianae, quod Chriſtianus apoſtatam agat, cum et perfectiores coeleſtesque genios ipſum deſeruiſſe Numen agnoſcamus. Quibus cum Cl. Thomas potiſſimum opponeret, veriſimile eſſe, Chriſtianos nimio affectuum oeſtro percitos et inuidia ſuccenſos apoſtaſiae crimen Porphyrio obieciſſe, in altera epiſtola prolixius argumentum diſcutit Vir eruditiſſimus, et ita quidem ſententiam de vera Porphyrii apoſtaſia ſuam roborat, vt neget, affectibus aliquid in hac cauſſa dediſſe ſcriptores, ad quos prouocat, ſed ſumma potius in accuſandis gentilibus tranquillitate fuiſſe vſos [e]: nec cauſſam habuiſſe, vt ex furore apoſtaſiam Porphyrio obiicerent: nec citationes Porphyrii apud Patres, inuidiam ſpirare, ſed laudes potius aliquando exhalare, quod locis quibusdam, ab Holſtenio iam adductis, probat. Sic ad reliquas quoque aduerſarii rationes reſpondet, quae cum caput et cardinem rei non tangant, praeterimus, tandem vero collatis ac iunctis inter ſe phalangibus partes ſuas ita roborat, vt pro ſarta tectaque auctoritate ſcriptorum eccleſiaſticorum omnem lapidem mouendum exiſtimet; ideoque expendere iubet LACTANTII [f] de Porphyrio teſtimonium, ſupra nobis adductum, quod etſi apoſtatae nomen non contineat, ad alium tamen niſi ad hunc translatum fuiſſe negat, adeoque reiectis Holſtenii rationibus, Baronii partes ſequitur, eo quod probari nequeat, anno Diocletiani XIX, Chriſti CCCIII, Porphyrium aetatis annum LXIX ſuperaſſe, vel ſi illud poſtulatum admittatur, nonagenarium vel centenarium non eſſe factum, qui ſingulari cognomento ſenex appelletur. Socratem vero quae

a) Miſcell. Lipſiens. T. I. p. 317. ſeqq.
e) Quod quam verum ſit reſpectu ad Porphyrium habito, infra dicemus.
f) loc. cit.

Digitized by Google

quae ſcripſit, ex libris Euſebii aduerſus Porphyrium hauſiſſe, nec ſine omni fidei euerſione mendacii vtrumque poſſe coargui. Non vero aliam cauſſam habere nomen Porphyrii a Conſtantino M. in ignominiam tracti, de quo infra diſpiciemus, quam apoſtaſiam. Nec poſſe Socratis verba aliam ſignificationem admittere, quia Iulianum apoſtatam ei mox iungit, idque facere etiam Libanium apud NICEPHORVM [e]: huius autem, veteres ſequentis, auctoritatem ſpemi non poſſe, nec Theophanis, qui Chronologiam ſuam e praeſtantiſſimis ſcriptoribus collegerit: Theophanem ſequi ELIAM CRETENSIM [f]. Inter Latinos Porphyrium et Iulianum iungere HIERONYMVM [g], et RVFINVM [h] vocare perfidum, diu in Palaeſtina et Caeſarea moratum, vt veritatem ſcire poſſet. Sed et idem Auguſtini locum probare, ex quo appareat, eum a ſapientia adamata reſiluiſſe, nuperis editoribus Auguſtini Benedictinis non diſſidentibus. Cum Auguſtino facere caſſiodorum. Et ſi hic numerus teſtium nimis adhuc exiguus videatur, cogitandum, apoſtatarum nomen nondum ſatis ſolenne fuiſſe, et Chriſtianos cenſuram ex prudenti ratione aliquando occultauiſſe. Hactenus vir ſumme reuerendus, magis docte et ingenioſe, quam veriſimiliter, vt nos quidem iudicamus, et cenſuit etiam acutiſſimus HEVMANNVS [i]. Cuius ſententiae rationes vt paucis ediſſeramus, I. quae de neophytiſmo ſtatuque catechumeni Porphyrii dicuntur, huc prorſus non pertinent. Non enim de eo quaeritur, ſed an Chriſtianae prius religioni fuerit addictus? id quod Socrates diſerte tradit: vnde recte vir doctiſſimus, huic coniecturae non inhaeſit. II. Dum vero antiquitatis hac in re conſenſum prae ſe fert vir praeſtantiſſimus, probe diſtinguenda eſſe illa teſtimonia, quae afferuntur, cauti monemus. Quaedam enim id tantum volunt, Porphyrium et Iulianum apoſtatam eiusdem commatis eſſe. Aſt quis inde concludat, Porphyrium, vt Iulianum, fidei Chriſtianae profeſſionem deſeruiſſe, cum ſcriptorum, qui adducuntur, ſcopus alius non ſit, quam vtrumque oſtendere infernali in ciuitatem Chriſti rabie et furore incenſum fuiſſe. Alia, et in his potiſſimum Auguſtini, loca id tantum euincunt, non ignotam fuiſſe Porphyrio veritatem, quam lectis ſacris oraculis cognoſcere poterat, ſed tumore vanae ſcientiae inflatum humilem ipſi diuinam Chriſti doctrinam et contemnendam viſam eſſe, adeoque eam, quo minus amplecteretur, reiciſſe. Quae veriſſima quidem ſunt, et vel ex ſola furentis aduerſarii oppugnatione ſcripturae ſacrae patent, aſt, cognouiſſe prius Chriſtum, quod ipſe Auguſtinus negat, non dicunt, nec apoſtaſiam vllam ſenſu recepto, qualem Socrates de Porphyrio narrat, innuunt. Tertia teſtium claſſis ea eſt, quae diſerte hanc apoſtaſiam Porphyrio tribuit, qua Socratem, Theophanem et Nicephorum collocat vir doctus. Nam Lactantii locum huc praeter rem adferri, vel vno hoc argumento confici poſſe putamus,

e) L. X. p. 86.
f) Comm. in Orat. IV. Gregor. Naz. n. 69.
g) In Hoſ. c. 16.
h) L. II. Inuect. in Hieronym. T. II. Opp. Hieron. p. 131.
i) loc. cit. p. 60.

quod nuſpiam legatur Porphyrius in Bithyniam deſcendiſſe, ſed EVNAPIVS [m] diſerte teſtetur, mortuum eum fuiſſe Romae; quodque non in Bithynia, ſed in Sicilia, non duos, ſed quindecim libros contra Chriſtianos conſarcinauerit. Vt taceamus, teſtari EVNAPIVM [n], annos Porphyrii in Galienum Flauium Claudium, Tacitum, Aurelianum, et Probum imperatores incidiſſe; et SVIDAM [o] quoque confirmare, vixiſſe Porphyrium vsque ad Diocletiani tempora. Sub cuius imperii exitu ſi obiit Porphyrius, quod A. C. CCCIV factum eſſe debuit, ſeptuagenario maiorem deceſſiſſe eum oportet, vnde ad ſenectutem peruenisse recte Eunapio dicitur. Et dum negat vir praeſtantiſſimus, anno Diocletiani XIX, Chriſti CCCIII, Porphyrium aetatis annum LXIX ſuperaſſe, non meminit, ipſum in Plotini vita [p] afferere, ſe LXVIII anno aetatis ecſtaſin paſſum eſſe. Natum itaque A. C. CCXXXIII Porphyrium, iſto exceſſu mentis diuino raptum fuiſſe oportet A. C. CCCI et cum vitam Plotini poſt hoc demum tempus ſcripſerit, certe A. C. CCCIII, qui Diocletiani XIX fuit, ſeptuagenario maior fuit. Quod ſi ad Conſtantini M. tempora, quod vult Baronius, centenarius perduraſſet, non omiſſurus erat Eunapius, nec dicturus Suidas, vixiſſe eum vsque ad Diocletianum. Quae noſtro quidem iudicio ſufficiunt clariſſime, vt euincant, Lactantium per iſtum philoſophum, Chriſtiani nominis detractorem, quem Hierocli iungit, Porphyrium non intellexiſſe. Sed ſi hoc etiam demus, nihil tamen habet Lactantius de apoſtaſia, vnde ei etiam loco non inhaeremus. Quod vero ad iſtos triumuiros attinet, qui diſerto teſtimonio apoſtaſiam Porphyrii afferunt, illi pro vno tantum teſte habendi ſunt, ſolusque Euſebius in cenſum venit; ex eo enim ſe exſcripſiſſe non negat Socrates, Socratem more ſuo ſecuti ſunt Theophanes et Nicephorus. Aſt deficiente Euſebii contra Porphyrium libro, quis nobis faciet fidem, Socratem recte verba Euſebii intellexiſſe. Euſebium enim adſcititiis et alienis aſſutis panniculis deprauatum fuiſſe, in hac ipſa Porphyrii hiſtoria ſupra Vincentii Lirinenſis exemplo vidimus. Sed ſi Socrates fideliter Euſebium expreſſit, quis hunc vano rumore non fuiſſe deceptum, fidem dabit? quis vnius ſtabit teſtimonio, ex tot viris grauiſſimis, quorum vltra triginta in eum inſurrexerunt, ne vno quidem apoſtaſiae culpam Porphyrio obiiciente? Et quis quaeſo tam caram ſibi antiquae hiſtoriae ſacrae ſcriptorum auctoritatem habeat, vt eos vanis vulgi rumoribus nunquam deceptos, cuncta nobis ex vero ſemper retuliſſe ſibi perſuadeat? Certe veritatis curam omni auctoritate priorem habendam eſſe, ipſe, qui hic diſputauit, vir eruditiſſimus, vltro concedet, qui vnius Rufini, hominis ſuſpecti, nomine Hieronymi auctoritatem in deſignando ſententiarum Sexti auctore reiecit. Excuſſis itaque rationibus omnibus nulli dubitamus, cum literatiſſimis aeui noſtri viris [q] hanc fabulam reiicere. Quae tamen non ex fallendi ſtudio vel inuidia calu-

m) loc. cit. n) p. 21. p) c. 23. p. 157.
o) In Porphyr. T. III. p. 758. q) Vid. THOMASIVS et HEVMANNVS ll. cc.

calumniandique Porphyrium cupiditate fuiſſe profecta, ſed rumori alicui vulgi originem debuiſſe videtur. Quam licet certo detegere indice impoſſibile, putamus tamen, nos occaſionem hariolari poſſe fabulae. Supra nempe ex ipſis Porphyrii verbis demonſtrauimus, conueniſſe familiariter Porphyrium Origenem Caeſareae, non vero Alexandriae, vt perperam tradit Lirinenſis, docentem, eumque audiuiſſe. In cuius ſchola cum indecentius forte agens verbera meruiſſet, facile fieri potuit, vt ignominiam ſe vlturum minatus ſit, indeque fabula originem ceperit. Quae tamen cum teſtimoniis deſtituantur veterum, vltra coniecturae fidem non aſſurgere, ſponte fatemur. Illud vero, vt e tam longo diuerticulo in viam redeamus, certum eſt, non ignota fuiſſe Porphyrio Chriſtianae doctrinae capita, nec perfunctorie eum ſacra oracula euoluiſſe. Quibus luminibus, ſi voluiſſet vti, cum facile potuiſſet ad veritatem coeleſtem amplectendam colluſtrari, vanae ſcientiae, vt ait Auguſtinus, opinione, quam in Plotini ſchola concepit, et cui clara et humilia Chriſti dogmata prae ſuperbis et obſcuris praeceptoris ſordebant, in diuinam veritatem inſurrexit, ſicque, quod Ammonii ſchola fouebat arcanum odium in publicam lucem produxit, et maledicta atque conuicia in ſanctos viros, non Chriſtianos tantum, ſed et Hebraeos euomuit. Quae calumniae licet aetatem, quam minime merebantur, non tulerint, eo quod imperatoris Theodoſii iuſſu libri iſti e medio ſublati ſint, ex fragmentis tamen, et relationibus ſcriptorum eccleſiaſticorum r ſatis patet, quam canina rabie non lunam allatrauerit, ſed ipſum ſolem, et contra meridianam lucem oggannierit. Quae hominis inſania atque furor, cum eruditionis ſpecie et philoſophiae fama ſuſtentaretur, e re ciuitatis Chriſtianae eſſe rati ſunt viri inſigni DEI zelo flagrantes, vt impudentiam inſanientis philoſophi reprimerent, quod vltra triginta ſuſcepiſſe traditur s, inter quos tamen Methodius, Apollinaris et Euſebius palmam meruerunt t. Hos ita armauit hominis impudentia, vt magno ardore inflammati, ne a conuiciis quidem in Porphyrium iaciendis abſtinerent. Videas enim Porphyrium paſſim tanquam diaboli familiarem, et amicum, impietatis propugnatorem, et omnis pietatis euerſorem, ab Euſebio; ab Hieronymo autem tanquam ſtultum, impium, blaſphemum, veſanum, impudentem, ſycophantam, calumniatorem eccleſiae, rabidum aduerſus Chriſtum canem paſſim traduci; quorum ſimilia paſſim apud reliquos quoque occurrunt. Tantumque inualuit apud Chriſtianos odium in Porphyrium, vt non tantum Theodoſiano edicto libri peſtilentes extinguerentur, ſed Conſtantinus M. quoque Arianos publico edicto Porphyrianos tanquam Chriſtiani nominis profeſſos et iuratos hoſtes appellari iuberet. Exhibet edictum

r) Conf. quae collegerunt notaruntque HOLSTENIVS c. 3. et 11. p. 123. TILLEMONT. Hiſt. imp. T. IV. p. 118. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 197. et bibliothecarum eccleſiaſticarum conditores.

s) PSEVDO-DEXTER Chron. ad A. C. CCCX. Conf. citati.

t) Conf. FABRICIVS Syllab. Script. de V. R. C. c. III. p. 163.

edictum SOCRATES [a], quod cum argumentum, de quo hactenus diſſeruimus, mire illuſtret, ex parte hic apponimus. Ita vero imperator: „Cum malos et impios homines imitatus ſit Arius, eandem cum illis poe„nam infamiae meretur ſubire. Quemadmodum ergo Porphyrius verae „pietatis inimicus compoſitis aduerſus Chriſtianam religionem nefariis „voluminibus dignam mercedem retulit, vt et ipſe infamis ſit apud poſte„ros, multisque appetitus opprobriis, et impii eius libri penitus fuerint „aboliti; ita nunc placuit Arium ſectatoresque eius Porphyrianos appel„lari, vt, cuius imitati ſunt mores, eius etiam vocabulo nominentur". Fecit haec Porphyrianorum appellatio, Arianis tributa, vt in varias de eius cauſſa et ſignificatione opiniones delaberentur viri docti. Fuit non nemo [x], cui ſuſpectum erat totum edictum, cum tamen cauſſam indicauerit nullam, cur fides eius et γνησιότης in dubium vocanda ſit, et cum forte nulla, quae quidem cogat, afferri poſſit, ad eam ſuſpicionem non attendimus. Aliter RAD. CVDWORTHVS [y], qui ideo Arium et ſectatores Porphyrianos dictos putat, quod non ſecus, ac Porphyrius, homines ad multorum numinum cultum adducere viderentur. Recte vero opponit eruditiſſimus Interpres: eam rationem ad plures, non vero ad ſolum Porphyrium pertinuiſſe, nec tamen ab iis nominatos eſſe Arianos, nam et Ammonium, et Plotinum, et innumeros alios in hoc luto haeſiſſe, nec tamen infamiae notam ab eorum nomine, ſed a Porphyrii fuiſſe accerſitam. Alii, et in his imprimis SANDIVS [z], hypotheſi ſuae inſeruiturus, ideo Porphyrianos dictos fuiſſe Arianos coniiciunt, quod Arius et Ariani, non ſolum cum Porphyrianis, ſed et omnibus aliis Platonicis et Platone ipſo eandem de vno Deo et verbo et ſpiritu Sancto defenderint doctrinam. Verum ſupponit haec coniectura, quod probandum prius erat, et falſum eſſe ſuo loco docebimus, Arium cum Platone eandem tibiam inflaſſe; et demonſtrari non poteſt, Conſtantinum pro infami doctrina habuiſſe Platonicam, quam ipſe Arianae praetulit [a], et ſi haec coniectura locum haberet, Platonicorum magis, vel Ammonianorum vel etiam Plotinianorum nomen Ariani meruiſſent. Magis ab ingenio ſe commendat HERMANNI AB ELSWICH [b] opinio, qui ideo Arianos Porphyrianorum nomine infames fuiſſe coniicit, quod Arius philoſophia Porphyrii ad confirmandos errores ſuos abuſus ſit. Arianos enim vſos eſſe libro Porphyrii de quinque vocibus ad incruſtandam doctrinam ſuam erroneam. Sed inuitis veterum teſtimoniis haec dicuntur, et, ſi ipſum edictum conſideretur, frigida ſunt, parumque verbis eius facientia ſatis. Nos cum viris aliis eruditionis et iudicii laude ſummis [c] nodum hic in ſcirpo quaeri putamus, et ipſam veriſſimam cauſſam prodidiſſe imperatorem

x) Lib. I. c. 9. p. 32.
y) Syſt. Intell. c. IV. §. 36. p. 701.
z) Nucl. Hiſt. eccleſ. L. II. p. 171.
a) Appoſite hoc ex Oratione eius ad coetum SS. obſeruat MOSHEM. ad l. c. Cudworthi.
b) Ad LAVNOIVM de fort. Ariſt. in Acad. Pariſ. p. 158.
c) PETR. DE MARCA de conc. ſacerd. et imp. L. II. c. 10. §. 10. p. 137. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. IV. p. 309. 310. CLERIC. Bibl. anc. et mod. T. X. p. 448. MOSHEM. l. c.

Digitized by Google

torem cenſemus, nempe quod Arius et ſectatores mores Porphyrii ſint imitati, et Chriſtianam religionem ſubruere tentauerint. Porphyrio itaque cum moribus ſint ſimiles, eius quoque nominis infamia dignos eſſe. Haec vt perſpicua ſunt, ita clare hoc nominis ideo Arianos accepiſſe innuunt, quod non minus in diuinam de filio Dei doctrinam iniurii fuerint, quam Porphyrius, et vterque peſtilens homo fundamenta Chriſtianae religionis ſubuertere tentauerit. Sane aliud ex ipſo edicto exſculpi non poteſt, nec alia ratio dari, quae conceptis eius verbis ſatis faciat. Oportet vero eo tempore Porphyrii nomen infame fuiſſe, et execrabile, et pro peſſimo quouis pietatis et religionis hoſte vſurpatum, vt Epicuri nomen de voluptatis hara porcum infami ſignificatione indicat. Quare vix nobis perſuademus, Porphyrium de ſanctiſſimo Seruatore mitius locutum [d], licet nihil tale ei doctores Chriſtiani obiiciant, et Platonici ſoliti fuerint, de Chriſto Saluatore honeſte iudicare [e]. Cum enim et Porphyrii et antagoniſtarum eius ſcripta perierint, nihil de ea re definiri poteſt, et infamia nominis Porphyriani, Arianis ob ἑτεροδοξίαν in doctrina de Dei filio contrarium ſuadere videtur.

§. XIX. Etſi vero, quae merito culpes, in Porphyrio inueniuntur plurima, virtus tamen in hoſte laudanda et teſtimonium eruditionis per omnes fere diſciplinas ingentis et elegantiſſimae denegandum ei non eſt. Nam, quod ſupra iam tetigimus, Longini manuductione ad optimorum auctorum lectionem perductus, dici non poteſt, quantam veteris doctrinae atque hiſtoriae cognitionem ſibi comparauerit, quos auctores legerit, excerpſerit, fragmenta ſeruauerit. Quibus ſi per iudicii mediocritatem et ſuperſtitionis atque deteſtandae fallacisque philoſophiae, quam ſequebatur, vanitatem recte vti licuiſſet, non haberemus forte in tota antiquitate, quem praeponeremus Porphyrio. Aſt hoc defectu in plerisque eius ſcriptis regnante, magna attentione, iudicio et circumſpectione opus eſt, ne fallamur: cuius exemplum eſſe poſſunt, quae de Pythagorae ſcripſit hiſtoria ſuo loco a nobis examinata. Sed et dictionis nitor et perſpicuitas et variae doctrinae elegantia valde lectorem capiunt, modo attentum et veteris literaturae non ignarum nanciſcantur. Cumque in omni fere doctrinae genere libros ſcripſerit, et grammaticam, criticam, rhetoricam, dialecticam, mathematicam, hiſtoriam, philoſophiam, et theologiam illuſtrauerit, non inuidendae ei laudes ſunt, quas non EVNAPIVS [f] tantum ei tribuit, ſectae ſuae laudis buccinator, ſed et EVSEBIVS [g] antagoniſta, qui τῶν μάλιστα διαπρεπόντων

Porphyrii ingenium, eruditio, ratio philoſophandi.

d) Tradit tamen id AVGVSTINVS, de C. D. L. XIX. c. 23. nempe pium fuiſſe, et in coelum, ſicut pii conceſſiſſe: ſed mox calumniam adnectit: eum fataliter dediſſe hominibus, errori implicari.

e) Conf. Ven. MOSHEM. de turbata per Platonicos recentiores eccleſia §. 24. p. 148. Chriſtum ſcilicet ex theurgorum genere fuiſſe putabant.

f) loc. cit.

g) De praep. L. III. c. 1. p. 82. L. IX. c. 1 p. 403. add. CYRILLVS contra Iul. L. I. AVGVSTIN. de C. D. L. VII. c. 25. L. X. c. 10. 32. L. XIX. c. 22.

Digitized by Google

διαφανῶν καὶ πᾶσι γνωρίμων, πλέος τε ἐ μικρὸν φιλοσοφίας παρ' Ἕλλησιν ἀπενηνεγμένων, *ex maxime illuſtribus et clariſſimis Graecorum philoſophis, qui non exigua philoſophiae laude floruerunt*, fuiſſe teſtatur. Id quod clarius poſſet certiuſque iudicari, ſi integri ad nos peruenissent libri eius, quos magno numero ſcripſit, quorum catalogum dederunt conſummatae eruditionis viri LVCAS HOLSTENIVS [h], et IO. ALB. FABRICIVS [i]. Sed pleraque eius ſcripta nobis temporis eripuit iniuria: hodie enim, ſi fragmenta quaedam deperditorum ſcriptorum excipias, legimus fere nullum, praeter vitam Pythagorae tomo primo enarratam, libellum de antro nympharum apud Homerum, et quaeſtiones Homericas, ſententias ad intelligibilia ducentes, de ſtyge fragmentum [k]: epiſtolam ad Anebonem ſacerdotem Aegyptium [l], librum item de praedicabilibus ſiue quinque vocibus, qui introductionis loco organo Ariſtotelis praefigi ſolet, et ab Ammonio Hermeae commentario illuſtratus eſt [m], et tractationem de abſtinentia ab eſu animalium Pythagorica, vitamque Plotini. Inter deperditos vero maxime iacturam hiſtoriae eius philoſophorum deploramus, cuius partem fuiſſe vitam Pythagorae non inepte coniecere viri docti. Ex hac enim vita patet, quot nobis vetuſtiſſimorum ſcriptorum fragmenta veteris philoſophiae hiſtoriam illuſtrantia perierint: quamuis EVNAPIVS [n] dicat, eius hiſtoriam philoſophicam in Platonem eiusque tempora deſiiſſe. THEODORETVS [o] autem, non vitas tantum philoſophorum, ſed opiniones quoque eorum expoſuiſſe ait. Quod anſam praebuit viris doctis ſuſpicandi, vitae Pythagorae quaedam in fine, quae dogmata tangebant, deeſſe; quemadmodum in MSc. quoque Codd. Porphyrii nomen non praefigitur, quod ſuppreſſum fuiſſe ex ea cauſſa, vt indignationi iraeque imperatorum in ſcripta Porphyrii igne et ſuppreſſione graſſantium eriperetur, recte coniicitur [p]. Etſi vero tot nobis veterum memorias ereptas merito dolemus, fatemur tamen, parum ſinceri de iſta hiſtoria philoſophica poſſe nos ſuſpicari: cuius quidem, praeter vitam Pythagorae, nullo nobis exemplo opus eſt [q]; attamen vt nouo ſpecimine conſtet, qua fide haec ſchola in veterum philoſophorum rebus enarrandis verſata ſit, monemus, tertii libri, quod de Socrate tractauit, fragmentum adduci a CYRILLO [r], ex quo patet, valde iniurium fuiſſe in optimum philoſophorum omnium virum taliaque de eo narrare, quae falſa eſſe et ab eius aduerſariis conficta ſuo loco probauimus. Quare recte eum iam ſuo tempore reprehendit SOCRATES [s], hiſtoriae

b) l. c c. 7. ſeqq.
i) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 180. ſeqq.
k) Haec ſubiunxit Porphyrii vitae Pythagorae HOLSTENIVS Rom. 1639. quae repetita ſunt addito libro de abſtinentia Cantabrig. 1655. 8.
l) Eam praefixit IAMBLICHO de myſteriis Aegyptiorum THOMAS GALE.
m) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. IV. p. 163. qui addit explanationem in categorias Ariſtotelis, et Comm. in harmonica Ptolomaei, de quibus tamen ipſe videndus.
n) p. 4.
o) Therapeut. ſerm. II. Conf. EVNAP. p. 17.
p) HVLSTEN. et FABRIC. ll. cc.
q) Vid. T. I. L. II. c. 10. dicta.
r) Contra Iulian. L. VI. init.
s) L. III. c. 23. quae exſcripſit NICEPHORVS. L. X. c. 36. et Hiſt. tripart. L. VII. c. 8.

Digitized by Google

riae eccleſiaſticae ſcriptor, quod in libris, quos ſcripſit de hiſtoria philoſophica, Socratis philoſophorum omnium excellentiſſimi vitam ridicule traduxerit, eaque de illo ſcriptis traduxerit, quae nec Melitus vnquam, nec Anytus, Socratis accuſatores contra illum dicere auſi fuerint. Ad quod reſponderi quidem et Porphyrium facile excuſari poſſe HOLSTENIVS [t] ſtatuit, eo quod hiſtoriam ſuam ex aliorum auctorum locis „centonis inſtar concinnauerit, qui vt tempore fuerint propinquiores, „ita fidem maiorem meriti ſint. Qua in re diligentiam eius mirandam „et laudandam eſſe, quod ne illa quidem diſſimulare voluerit, quae ſe„quiora de clariſſimis hominibus ſeu vera fide ſeu inuidia quorundam „atque obtrectandi ſtudio prodita fuerint. Ea enim quae maleuole contra „Socratem philoſophum ſcripſerit, nequaquam de ſuo confinxiſſe Porphy„rium, nec propria fide aſſeruiſſe, ſed Ariſtoxeni grauiſſimi ac celeberri„mi ſcriptoris auctoritate.„ Sed vt demus, nihil hic peccaſſe Porphyrium mala fide, cuius tamen vel ex vna Pythagorae hiſtoria conuinci poteſt, vtque concedamus, non feciſſe male, quod et ſequiores narrationes attulerit, debebat tamen earum falſitatem oſtendere, verosque nobis hiſtoriae fontes eruere; quod cum pro eruditione critica, qua pollebat, poſſet, idque non fecerit, recte conquerimur cum Socrate hiſtorico, inuidia eum more ſectae ſuae Socratem preſſiſſe, ne gloriae Pythagorae obſtaret eius hiſtoria. Nec meliori fide in reliquis etiam ſcriptis, quae ad philoſophicam hiſtoriam pertinent, fuiſſe verſatum, ex his non inique colligitur. Id quod luculentius forte poſſet oſtendi, ſi ſupereſſet adhuc liber eius, *quod vna ſit Platonis et Ariſtotelis ſecta.* Ex eo enim, quam miſero ſyncretiſmo vtriusque ſectae placita confuderit, potuiſſet demonſtrari. Eandem rationem tenuiſſe in libro *de Homeri philoſophia*, credibile, in quo ſuae philoſophiae placita more toti Graeciae recepto quaeſiuit, vt ex iis colligi poteſt, quae *de antro nympharum apud Homerum* diſſeruit, quae putidiſſimarum allegoriarum equuleo Homerum in eas partes torquent, quae placuere Porphyrio. Fuit et alius Malchus, Sophiſta et rerum Byzantinarum ſcriptor, quem cum philoſopho confudit CONR. RITTERSHVSIVS [u]; quod in Porphyrii nomine BARONIO [x] quoque euenit, qui narrat: *Eum cum ipſum imperatorem contumeliis proſcidiſſet, dignam laboribus mercedem accepiſſe, libris non tantum incendio condemnatis, ſed eo etiam exilio multato; miſſo tamen poſt triennium inſigni ad imperatorem volumine ab exilio fuiſſe liberatum.* Ex quo concludit etiam, ad Conſtantinum M. vſque vitam prorogaſſe. Dudum vero obſeruatum eſt viris doctis [y], confudiſſe illuſtrem annalium ſcriptorem Porphyrium philoſophum cum Publio Optatiano Porphyrio poeta, Chriſtiano quidem ſed homine nugaciſſimo, de quo loqui Hieronymum, cuius loco ſeductus eſt Baronius, panegyricus ille ad Conſtantinum,

t) l. c. c. 8. p. 256.
u) In notis ad eius vitam Pyth. p. 4. Alius enim Malchus Philadelphienſis, alius Tyrius, id quod ipſe p. 27. tandem agnouit, vitam hanc ad Porphyrium pertinere.
x) loc. citat.
y) HOLSTEN. c. 4. p. 224. ſeqq.

qui adhuc fupereſt [a], euincit. Quo errore animaduerſo ſimul vitae longaeuitas, Porphyrio tributa, concidit.

Iamblichus. §. XX. Porphyrii diſcipulus fuit IAMBLICHVS, in Plotini ſchola praeceptori gloria non cedens, magnumque inter Platonicos recentiores nomen nactus, vnde merito miramur, vitam eius a nemine hactenus accurate fuiſſe deſcriptam [b]. Nam non ſolum magna Alexandrinae philoſophiae et theologiae notitia inclaruit, ſed et inter theurgos huius ſectae maximam venerationem famamque meruit; cum enim Conſtantini M. temporibus (vt ex praeceptoris Porphyrii aetate colligi poteſt, et SVIDAS [c] tradit) floreret, quo gentilis ſuperſtitio vltimam minabatur ruinam, labantes partes fulcire artibus Ammonianae et Plotinianae ſcholae ſolennibus haud infeliciter contendit. Illuſtrem genere ortum et ampliſſima atque locuplete familia natum EVNAPIVS tradit, ſuſpicaturque FABRICIVS [d] fuiſſe eum ex poſteris Iamblichi, cuius nomen ex Babylonicis de Sinonidis et Rhodanis amoribus haud ignotum eſt. Patriam habuit Chalcidem Coeleſyriae vrbem, cum aliis huius nominis [e] non confundendam. Praeceptorem habuit initio Anatolium, quem poſt Porphyrium ſumma philoſophiae laude floruiſſe ait EVNAPIVS [f]. Hunc Anatolium eum putat eſſe HENR. VALESIVS [g], qui A. C. CCLXX Alexandriae floruit, et Peripateticam ſcholam in hac Muſarum ſede excitauit, de quo, quia Chriſtianorum ſacris addictus fuit, ad Laodicenſem epiſco-

a) Editus a PAVLO WELSERO, Aug. Vind. 1595. fol. et inter MARCI WELSERI Opera, conf. CAVE l. c. p. 9. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 618.

b) Pleraque, quae de Iamblicho conſtant, EVNAPIO debemus, qui inter vitas Sophiſtarum p. 21. ſeqq. ſatis quidem prolixe de eo egit, ita tamen, vt accuratam criticamque eius viri hiſtoriam merito deſideremus. Qui enim eius operum edendorum vitaeque iis praefigendae ſpem fecere HOLSTENIVS et GALEVS promiſſis non ſteterunt, vid. ILLIVS vita Porph. c. 6. p. 242. et huius praef. ad librum de myſter. Aegypt. qui Eunapii tantum vitam Iamblichi libro praefixit. FABRICIVS, quae habet, ad hiſtoriam literariam ſcriptorum eius tantum pertinent, Biblioth. Graec. Vol. IV. p. 282. ſeqq. Nec plura dant vel ARCERIVS vel TENNVLIVS, ſcriptorum Iamblichi editores.

c) T. II. in Iamblich. p. 90.

d) l. c. qui de hoc ſcriptore critico egit L. V. c. 6. Vol. VI. p. 822. Floruit hic ſub Traiano et Antonino, et, vt habet ſcholion vetus apud DAV. HOESCHELIVM in annot. ad Photium p. 937. in Syria natus, Babylone vero educatus, literisque melioribus tinctus ſcriba regis factus eſt. Poſtea ſub Traiano captus, et libertati reſtitutus, Graecam quoque linguam didicit et inter rhetores, clarum nomen adeptus eſt. Ab hoc genus forte Iamblichus deriuauit, conf. de eo SVIDAS T. II. p. 90. qui ex his poteſt ſuppleri.

d) Aliquot huius nominis vrbes fuiſſe veteres geographi notant. Vna fuit Thraciae, multorum virorum clariſſimorum patria, inter quos fuit etiam Xenophilus Pythagoreus, cuius meminit IAMBLICH. vit. Pyth. n. 251. Lycophron Iſaeus, rhetor, Eubulides, Philo aliique, de quibus videndus IONSIVS de Script. Hiſt. Phil. L. II. c. 9. p. 160. Fuit etiam Chalcis Euboeae ciuitas, cuius incolas, vt a Chalcidenis Syriae diſtinguat, Chalcidenſes vocat STEPHANVS in Chalcis, conf. SVIDAS in Chalcis T. III. p. 651. quam tamen diſtinctionem non ſemper ſeruarunt veteres, vnde Iamblichus χαλκιδεὺς in inſcriptionibus librorum ſuorum vocatur, et apud IVLIANVM Orat. IV. p. 146. atque EVSTATHIVM Iliad. β. v. 537. f. 211. conf. IONSIVS L. III. c. 11. p. 292. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. IV. p. 282. Ab huius Chalcidis Euboeae moribus chalcidiſſare dicebantur rapaciores et nimis ad rem attenti, eo quod auaritia Chalcidicenſium veteris comoediae conuiciis notata eſſet, vid. ERASM. Chil. II. Cent. II. p. m. 671. Sed in ipſa quoque Syria duae fuere Chalcides, vt docte notatum HADR. RELANDO Palaeſtin. L. I. c. 48. p. 315. vna inter Beroam et Andronam, altera in caua Syria, ſub monte Libano, quae Iamblichi patria fuit, de qua vid. IOSEPHVS Antiq. L. XIV. c. 13. PLIN. L. V. c. 25.

e) p. 21.

f) Annot. ad EVSEB. p. 158.

Digitized by Google

epiſcopatum tandem euectus, inter veterum Chriſtianorum philoſophos pluribus eſt dicendum, FABRICIVS autem, qui Anatolii fragmentum de ſympathiis et antipathiis vulgauit, ab hoc epiſcopo diuerſum iudicat [f]. Nobis vero Iamblichi praeceptor et aetate paulo iunior, et diſciplinae genere, quod haud obſcure cum Porphyrii ſecta Eunapius iungit, ab illo diuerſus, nec inter Chriſtiani nominis aſſeclas fuiſſe, adeoque ab Anatolio Alexandrino diſtinguendus videtur, quas etiam partes ſequuntur CAVEVS [g] et FABRICIVS [h]. Sed diſtinguendum illum etiam eſſe ab Anatolio, Iamblichi familiari, cuius ſaepe mentionem facit Libanius, ex huius Iamblichi aetate, Iuliani imperatoris tempora aequante [i], recte demonſtratur: Ab hoc Anatolio ad Porphyrium delatus et ab eo in Alexandrina philoſophia inſtitutus eſt. Quo magiſtro vſus, cum ingenio vteretur ſatis felici, ad ſummum philoſophiae gradum adſcendit, ſic vt, monente iterum EVNAPIO [k], praeceptore Porphyrio nulla in re eſſet inferior, praeterquam in concinna orationis ſtructura, dicendique facultate. *Neque enim*, vt is addit, *pari venere et gratia ab eo dicta inſtructa fuerant, neque candorem habebant et perſpicuitatem, neque puritate ſermonis exornare ſcripta laborabat, quanquam non obſcuritate inuoluta ſit, aut vitium habeat oratio; ſed lectorem non detinet, nec obrepit illecebris quibusdam, et ad lectionem inuitat, quin potius auertere et obtundere aures videtur.* Vnde non probandum LVDOVICI VIVIS [l] de Iamblicho iudicium, qui *ingenio moribusque Porphyrio meliorem fuiſſe* putat. Nam nec eruditionis per omnes diſciplinas verſatae lateque graſſantis elegantia Porphyrium vicit, nec moribus fuit melior, ſed eandem peſtilentiſſimam doctrinam in ciuitatis Ieſu Chriſti fraudem et detrimentum, dolis, mendaciis, praeſtigiis et fanatica philoſophia propagauit, et ſuperſtitionem, ſi non iſta, qua Porphyrius, rabie, eadem tamen imponendi et mentiendi audacia et impudentia fulciuit [m],

inde-

f) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 295.
g) Hiſt. Lit. Script. eccleſ. p. 87.
h) Bibl. Graec. Vol. II. p. 275. [Occurrit apud STOBAEVM Serm. I.I. p. 187. fragmentum Epiſtolae Iamblichi ad Anatolium, in quo de iuſtitia agitur, conf. Cl. HASAEVS de Acad. Beryt. C. VIII. §. 6. C. X. §. 5. ſeq.
i) Dicetur de eo paulo infra.]
k) loc. cit.
l) Ad AVGVSTIN. de C. D. L. VIII. c. 12.
m) Porphyrii et Iamblichi ſcripta inter ſe comparantibus, manifeſtum eſt, longe infra praeceptorem eſſe Iamblichum non dictionis tantum elegantia et ſermonis gratia, vt fatetur Eunapius, ſed et ordinis, perſpicuitatis, et eruditionis, lectionis imprimis infinitae. Quam licet Iamblichus ſaepe quoque ſpiret, erat tamen vitulo aliorum et praecipue Porphyrii, vt vel ex ſola vitae Pythagorae ab vtroque ſcriptae collatione patet. Cautius etiam parciusque mentitur Porphyrius, quam Iamblichus, impudentiſſimae frontis homo. Moribus vero melior fuiſſe, reſpectu tantum odii in Chriſtianos et librorum peſtilentiſſimorum, Iamblichus dici poteſt. Qui ſi vel Porphyrii temporibus vixiſſet, vbi gentilis ſuperſtitio adhuc dominabatur, forte meliorem ſe atque candidiorem non praeſtitiſſet, vel ſi Iuliani aeuo floruiſſet, eius patrocinio ad perſequendam Chriſtianam religionem fuiſſet vſus. Sed Conſtantini M. temporibus cum eſſet, vbi ſacra Chriſtiana ab imperatore recepta ſunt, modeſte magis parceque philoſophis cum Chriſtianis erat agendum. Quod adeo non negat EVNAPIVS p. 37. vt potius moneat, „philoſophos huius ſectae rem ſuam „occultam tum habuiſſe, ob temporum iniqui„tatem, quod tum Conſtantinus imperium re„geret, qui fana toto orbe celebratiſſima euer„tebat, et Chriſtianorum aedificia exſtruebat. „Hincque fuiſſe, quod doctiſſimus quisque di„ſcipulorum ad myſteriis congruum ſilentium, „et dignam antiſtite taciturnitatem inclinare coe„perit, iisque angustiis ſe concluſerit etc.„ Quae vt horum hominum conſilia produnt, ita malitiae magis et calliditatis, temporibus inſeruientis, quam probitatis ſpecimen faciunt.

indeque celebritatem in hac Ammonii et Plotini schola nactus est maximam, tantamque, vt nec Christiani ab eo laudando desisterent [n], et imprimis huius scholae homines in coelum laudibus eum extollerent. EVNAPIO enim famigeratissimus philosophus, θαυμάσιος siue admirandus, et doctor diuinissimus, Proclo, diuinus, audit, vt alia horum hominum elogia taceamus [o]. Fecit haec summa philosophiae Iamblichi celebritas, vt discipulos nanciscerentur plurimos, qui, vt refert EVNAPIVS [p], vndecunque affluebant, ad hauriendum ab eo animi cultum. Inter eos fuere [q] Sopater Syrus [r], Aedesius et Eustathius Cappadox, de

n) AVGVST. de C. D. L. VIII. c. 12. BESSARIO adu. calumniat. Plat. L. II. c. 9. conf. DOPE-BLOVNT. cens. cel. auct. p. 228. seqq.

o) Vid. quae collegit SAM. TENNVLIVS ad IAMBLICHI Introd. in Nicomach. p. 60.

p) loc. cit.

q) Addi hi discipuli debent catalogo Platonicorum apud FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. II. p. 52. seqq.

r) Sopatrum, Apameae ex Syria oriundum laudat EVNAPIVS l. c. ob eloquentiam in dicendo et scribendo summam, et SOZOMENVS τῶν ἐπιστημότατον τόν τε παρ' Ἕλλησιν ἐπὶ παιδεύσει γεγενημένον, „philosophum eruditionis „caussa apud Graecos ea aetate nobilissimum habitum„ vocat. Qui qualia fata habuerit in aula Constantini, his verbis exponit EVNAPIVS in Aedesio p. 39. „Constantinopolis, verusto „nomine Byzantium, antiquitus suppeditabat „Athenien sibus annonam, fidemque omnem superabat frumenti inde aduecti vis: at nostro „seculo neque onerariae naues, quas Aegyptus „mittit, totaque Asia cum Syria et Phoenice, „neque frumentariae copiae ex aliis prouinciis „vectigalibus comportatae, explere valent aut „satiare circumfluentem et copiosam populi mul„titudinem, quam Constantinus e debellatis vr„bibus Byzantium transtulit, ac circum se ha„bere voluit, ad captandos in theatro a temu„lentis et crapulam reiectantibus, plausus, am„biens scilicet a titubante populo laudari, nomi„narique ab his, qui difficulter nomen sonant, „nisi ex vsu. Accidit forte vt cum Byzantii po„situ male conueniret nauium appellentium ac„cessus, ni secundus, purusque auster afflaret; „quod cum ob montium naturam vsu venirer, „tuncque frequentius malum illud occurreret, „plebs stimulante fame incensa ad theatrum con„uenit; ingens raritas laudum ebrii populi stu„porem imperatori incusserat. Interea inuidi „opportunum cumprimis tempus se inuenisse „rati, Sopater, inquiunt, tantis per te honori„bus cumulatus beneficio summae peritiae, quae „te quoque laudatorem habet, et per quam „imperatorio in solio residet, ventos vinxit. „Quo audito credulus Constantinus securi vi„rum percuti mandat, malcuoli dicto citius ex„equi iussa festinant. Istius mali auctor fuit „Ablabius, praetorio praefectus, qui a Sopatro „claritate superabatur„ Ita quidem Eunapius, qui tamen paulo ante celare non potuit, Sopatrum, „reliquis Iamblichi discipulis se absconden„tibus, cum et ceteris eloquentior, et natura „sublimium honorum appetens esset, animoque „magnus atque ferox, aspernatum reliqua in „turba aetatem degere, magna celeritate ad au„lam imperatoris accurrisse, quasi Constantini „propositum atque impetum domiturum et ra„tione superaturum. Addit porro: eo existima„tionis peruenisse, vt imperator delinitus ca„ptusque ab homine assessorem eum ad dextram „publice habuerit: proceres aulicos inuidia dis„ruptos, quod regia philosophiam iam serio ad„disceret, concilia coetusque agitasse, vt Sopa„trum insidiis euerterent, et ista quidem arte „Ablabium fuisse vsum.„ In qua Eunapii narratione fidem quidem et verisimilitudinem desideramus, cum satis prodiderit, extollendae, quam commendabat, philosophiae Plotinianae caussa hanc se scenam exornasse, et nullis testimoniis constet, Constantinum Sopatrum ad philosophiam istam magicam et theurgicam docendam in aulam suam vocasse; immo rumor vulgi fuerit Sopatrum, quod caede genere proximorum Constantinum expiari posse negasset, reiectum esse, et imperatorem ad Christianorum sacra transiisse, vt refert SOZOMENVS H. E. L. I. c. 5. p. 407. non putamus tamen, totam reiiciendam esse, et de veritate mortis Sopatri dubitandum, quod placet GAVDENTIO de philos. Rom. c. CLXXI. p. 231. Nam SVIDAS quoque in Sopater T. III. p. 354. narrat: „Constantinum eum interfecisse, vt fidem faceret, se „non amplius religioni gentili addictum esse.„ Id quod Suidas, vel quisquis auctor est, quem is exscripsit, improbat. Quod si in obscura re aliquid coniiciendum, videtur Sopater apud Constantinum ante eius ad Christianam religionem conuersionem gratiosus fuisse, et pro magno theurgo et hierophanta habitus. Nam Ioannes Lydus apud VALESIVM ad loc. cit. Sozom. p. 101. refert: „Constantinum Sopatro „in condenda vrbe Constantinopolitana vsum „esse τελεστῇ et praetextato hierophanta:„ nec aliunde putamus ortam fabulam de negata a Sopatro expiatione scelerum, quam vt accedente ad sacra Christianorum imperatore eum inuidia, (quam satis prodit Eunapius) onerarent philo-

Digitized by Google

de quibus in ſequentibus dicendum; e Graecia Theodorus et Euphraſius, virtute excellentes viri, aliique multi, non multo in dicendi facultate inferiores. Adduntur his alii ex Alexandrina ſecta viri celeberrimi, quos vero non audiuiſſe Iamblichum, facile temporum rationes euincunt. Nam hanc philoſophandi rationem ex Iamblicho non percepiſſe, et in patriam Athenas retuliſſe Neſtorii filium, Plutarchum, vt vult HOLSTENIVS [t], et qui hunc exſcripſit TENNVLIVS [t], aetas eius, Iamblicho multo inferior, prodit, vt ex iis, quae infra de hoc philoſopho dicentur, conſtabit; nec alio ſenſu potuit ex Iamblicho Alexandrinae philoſophiae myſteria addiſcere, quam vel ex ſcriptis, vel ex quodam diſcipulorum Iamblichi [u]. Nec meliori iure Iulianus apoſtata [x] et Proclus [y] inter Iamblichi numerantur diſcipulos. Hic enim Conſtantino M. imperante vixit, et quidem, primis imperii eius annis, quibus nondum natus fuit Iulianus, quem poſt Iamblichi demum obitum aſpexiſſe lucem eſt veriſimile. Proclus ſerius Athenis docuit, ſeculo quinto ineunte demum natus. Vterque autem cum ex Iamblichi potiſſimum ſcriptis profecerit [z], et hanc philoſophandi viam didicerit, erroris inde fons liquet. Valde in his diſcipulis ſuis erudiendis diligentiam et dexteritatem animi proba-

philoſophi et ſacerdotes. Facta vero ad caſtra Chriſti tranſitione Conſtantini, Sopatrum hominem ambitioſum, quod non negat Eunapius, vt priſtinam exiſtimationem tueretur apud imperatorem, artibus forte ſuis tentauiſſe, Conſtantinum autem et populi metu et aulicorum inſtigatione, cum malae artes Sopatri in vulgus eſſent notae, eum ſuſtuliſſe e medio, vt ſe horum hominum inimicum oſtenderet, eorumque artes ſe improbare publico ſpecimine demonſtraret. Certe Ablabium hominem ex infima ſorte ad tantam dignitatem euectum inuidia preſſiſſe, Sopatrum narrat etiam ZOSIMVS Hiſtor. L. II. Scripſit hic Sopater librum, teſte SVIDA loc. cit. de prouidentia, et de iis, qui immerito ſunt felices vel infelices, ex cuius argumento coniicimus, occaſionem Sopatrum ſumſiſſe a nutante in aula fortuna ſua, et inuidia Ablabii, praeter meritum ad tantam dignitatem euecti. Vocat hunc Sopatrum SOZOMENVS loc. cit. *προεστῶτα τῆς τοῦ Πλωτίνου διαδοχῆς*, quod tantum de doctrina Plotini, quam is propagauit, intelligit VALESIVS ad hunc loc. ſed ad ipſam ſcholam, licet certo loco non affixam referendum eſſe, ſucceſſio ſcholae Plotinianae ſupra enarrata ſatis confirmat. Fit etiam Sopatri mentio in IVLIANI Ep. XL. tanquam adhuc viui, quod cum rationibus chronologicis aduerſum ſit, argumentum inde ſumſit praeſtantiſſimus DODWELLVS de aetate Pythag. p. 187. *γνησιότητα* harum epiſtolarum in dubium vocandi. *ὁ πάνυ* FABRICIVS autem Bibl. Graec. Vol. I. p. 413. non neceſſe putat Sopatrum Syrum Iamblichi diſcipulum eundem exiſtimare cum Sopatro, quem Ablabii ſycophantia interemit Conſtantinus. Quod tamen nec Eunapii, nec Sozomeni narrationi ſatis quadrat; vterque enim de Sopatro Iamblichi diſcipulo manifeſte loquitur, vt ex collatione patet. Nec obſtat quod FABRICIVS loc. cit. monet, dici hunc Sopatrum non Iamblichi, ſed Plotini diſcipulum: non enim vel *γνώριμος* vel *ἑταῖρος* Plotini dicitur, ſed antiſtes ſcholae Plotinianae: ait tales et Plutarchus, et Proclus, et Iſidorus, et alii huius ſectae philoſophi fuerunt, licet Plotinum ipſum non audiuerint. Vnde non videmus, qua ratione ab errore chronologico locus ille in epiſtolis Iuliani queat liberari, niſi dicamus, Sopatrum hunc iuniorem fuiſſe, illo diſcipulo Iamblichi ſenioris, quod amplexus eſt poſtea FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 283. IX. p. 423.

s) De vit. Porphyr. p. 236.

t) Ad IAMBLICH. in Nicomach. p. 61. conf. OLEAR. de philoſ. eclect. C. III. p. 1214.

u) conf. MARIN. in vita Procli p. 74. SVIDAS in Plutarch. Neſt. T. III. p. 133. et in Nicolaus T. II. p. 624. IONS. de S. H. Ph. L. III. c. 6. p. 241. c. 18. p 301. 302. quaeque infra de hoc philoſopho dicemus.

x) Vid. TENNVLIVS ad loc. cit. Iamblichi p. 61.

y) ZONARAS Annal. T. III. p. 28. et ex eo PEVCERVS de diuin. et TENNVL. l. c.

z) Vid. IVLIAN. Orat. IV. p. 146. MARIN. l. c. c. 32. conf. FABRIC. ad h. l. p. 81. et Bibl. Graec. Vol. IV. p. 294.

probauit Iamblichus. Teſte enim EVNAPIO [a], „erga cunctos ex ae-„quo erat comis ac benignus, et vix quicquam in ſui gratiam agebat ex-„tra diſcipulos et ſodales, numinis religione tactus, plerumque vero „cum ſuis conuerſabatur, conuictum facilem ſequens, et frugalem priſci „ſeculi menſam apponens [b]; in ſympoſio praeſentes exhilarabat, et ceu „nectare delibutos replebat, qui vero indefeſſo eius audiendi ſtudio arde-„bant, neque ſatietatem huiusce voluptatis capere poterant, aſſidui illi „erant conuiuae.„ Non vero eruditionis tantum celebritas hanc diſci-pulorum admirationem ei conciliauit, ſed praecipue ſanctitatis fama, et theurgicae virtutis inſolita, quae de eo narrabantur, opera. Narrabant enim diſcipuli [c], rumorem emanaſſe per eius miniſtros, Iamblichum in-ter fundendum preces videri ab humo plusquam cubitos decem ſublimem rapi atque attolli, corpus et veſtimentum in aureolum colorem mutari, mox finitis precibus in priſtinam redire ſpeciem corpus, ac tum demum ad terram deſcendere, et in congreſſum colloquiumque venire [d]. Sed et alia virtutis humana maioris exempla afferebant, et qua ratione futura praeuiderit, tanquam praeſentia, exponunt: imprimis vero imperium in daemonas exercuiſſe tradunt, eiusque exemplum narrant [e], lauantem in thermis Syriae, quae Gadara erant, nata de balneis diſceptatione, vt diſcipulis doctrinae ſuae fidem faceret, iuſſiſſe eos ex popularibus indige-nis ſciſcitari, quibus iam olim nominibus donati fuiſſent duo e calidis fon-tibus elegantiores: et poſtquam reſciuiſſet, vni amori, alteri anteroti ſiue amori oppoſito, nomen eſſe, ipſum confeſtim, contacta manu aqua, paucis admurmuratis verbulis de fontis imis exciuiſſe puerulum candidum, commoda ſtatura, capillitio in fuluum aurum tincto, dorſi cute nitida. Tum tranſeuntem ad alterum fontem, et eadem, quae prius peragentem, alterum amorem euocaſſe, prioris per omnia ſimilem, extra comas nigricantes magis et rutilas per collum ſparſas: ambos pu-ſiones circumfuſos arctis complexibus Iamblicho veluti naturali patri in-haeſiſſe, eos vero illum in proprias ſuas ſedes e veſtigio reſtituiſſe, ob-ſtupefacto comitum et familiarium coetu, qui ab eo tempore ſcrutari quicquam deſierint, et argumentis ac ſignis, quae viderant, tanquam vali-

a) l. c. p. 25. Vtimur verſione HADRIANI IVNII, quam tamen cum Graeco textu conferre e re fore lectoris monemus.

b) Morem hunc Platonicorum, vt omni fere, ita hoc quoque, tempore fuiſſe, vt non tantum conuiuia inter ſe celebrarent, ſed et philoſo-phiae ſtudioſos iuuenes in menſa ſua alerent, Plotini, Longini, Porphyrii hocque Iamblichi exemplo conſtat, ad quem morem hic alludit Eunapius, veteremque conuictum Pythagoreum obſeruatum a Iamblicho et reductum eſſe in-nuens.

c) EVNAPIVS loc. cit. Vbi tamen memora-bile, quod diſcipulis talia narrantibus reſpondit Iamblichus: *ὁ μὲν ἀπατήσας ὑμᾶς οὐκ ἦν ἄχαρις τοῦτο δὲ οὐκ ὅτου ἦν;* „Qui ita vos decepit, „non fuit inuenuſtus, ſed haec ita ſe non habent.„ Forte de aliis quoque, ſi non dixit, cogitauit ta-men Iamblichus, quae de ipſo narrabantur.

d) Ibid. Haec et ſimilia nugarum et menda-ciorum exempla plurima narrauit ſchola Plato-nica. De Brachmanibus talia refert PHILO-STRAT. vit. Apoll. L. II. c. 5. Sed idem ta-men miraculum de Loiola referre Maffeium no-tat FABRICIVS, ad Marinum p. 83. qui me-morabile exemplum affert ex BODINI Colloq. heptaplom. II. mulieris annis amplius 30. cum atrato daemone ephialte concumbentis, quae tamen tantam religionis et pietatis prae ſe ſpe-ciem ferebat, vt dum ſacra fierent, ſublimis ve-beretur e terra.

e) EVNAP. loc. cit.

Digitized by Google

validis habenis pertracti in omnibus credulos se praebuerint. Plura eiusmodi de illo in vulgus sparsa fuisse fidei absona monstrique similia, ait EVNAPIVS [f], nec se tamen historiae veraci et solida fide nixae, fabulas inanes et commentitias inferere velle: immo, et haec ipsa scribere non sine religione quadam, metuentem, ne rumores sint et fictae auditiones, nisi quod viros sequatur, qui fidem non adhibentes aliis rei visae sensu permoti sint. Quibus an fidem suam satis in tuto posuerit Eunapius, iudicium erit penes lectorem. Nos hoc vnum addimus, non insolens quidem in hac schola fuisse, praestigiis vti, artibusque magicis homines decipere: valde tamen, si non ipsius Eunapii, saltem virorum istorum, ad quos prouocat, fidem suspectam esse, cum supra iam probauerimus, Iamblichum ipsum non licitum tantum, sed et pium et laude dignum statuisse, quicquid monstrorum de diuinis narratur, fidem ei adhibere, et mendaciis quoque atque fraude vti, modo superstitionem, cui addicti erant hi homines, promoueret, et contra emergentem in dies magis Christianam veritatem collocaret in tuto. Qui si ex arte fuissent mentiti, et verisimilitudinis leges non migrassent, maiori labore in fraude deprehenderentur: ast insigni mentiendi licentia enormes fabulas cudentes omni se mox fide indignos ostendunt. Etsi vero, vel mediocriter attento non possunt non eiusmodi fabulae esse suspectissimae, ea tamen coecutientis philosophorum vulgus miseranda fuit conditio, vt Iamblichum in coelum non tantum extollerent, sed et διδάσκαλον θειότατον, *praeceptorem diuinissimum* vocare non erubescerent, et respectu ad miracula et stupenda, quae de eo narrabantur, opera habito, θαυμάσιον, singulari appellationis genere nominarent, nempe vt recte obseruauit IONSIVS ob θαυματεργίαν et miras praestigias. Insolita enim apud vetustissimos Graecos appellatio, post nati demum Christi tempora, quae miraculis eius inclaruere, in vsum veniisse videtur, θαυμασίε enim titulum atque laudem ante Galenum, Athenaeum, et, ex Christianis Tatianum non occurrere, erudite idem obseruauit, et exemplis docuit Ionsius: vnde coniicimus, vocem a Christianis forte exortam, qui viros sanctos θαυμασίους esse, recte dicebant, ob miraculorum claritatem, gentiles scriptores suis vindicasse, et non illos tantum admiratione dignos pronunciasse, qui mirabili virtute et eruditione excellerent, vt CICERO [g] Herodotum Halicarnassaeum dixit mirabilem, et ATHENAEVS [h] θαυμασιώτατον, sed imprimis illos isto mactasse titulo, qui mirabilia praestitissent, siue vera essent, siue ficta, qua ratione Apollonium fere primum ex philosophis inclaruisse supra narrauimus. Fecit haec miraculorum claritas, vt iuuenes philosophiae studiosi aliarum sectarum philosophos relinquerent, Iamblicho adhaesuri, qui scilicet mirabiles istas artes et ipsi pernosse cupiebant, id quod Alypio accidisse, philosopho corpore exiguo, pauloque quam cubitale aut Pygmaei maiore, ingenio autem maximo et in dialecticis

f) De S. H. Ph. L. II. c. 12. p. 174. g) Orat. in Brut. h) Deipnosoph. L. III. c. 5.

cis exercitatiſſimo, quem ipſe Iamblichus magni fecit, quod eius in periculis malisque conſtantiam et animi firmitatem, praeterea orationis acrimoniam et penetrationem probaret, narrat EVNAPIVS [i]. Fuit vero Iamblichus ingenio ſatis quidem felici atque fertili et ex praeceptoris Porphyrii doctrina, eruditione quoque philoſophica et mathematica probe exacto, ſed iudicii vi non firmato, quae ratio eſt, cur ad enthuſiaſmum et fanaticam philoſophiam declinauerit. Elegantiae etiam dictionis incurium fuiſſe, ſupra Eunapio fatente percepimus, et plagii eum praecipue in praeceptorem commiſſi reum eſſe diximus. Multoties enim, in vita Pythagorae exſcripſit Porphyrium, nec tamen, vel verbulo eius mentionem fecit, vel, per quem profecerit, faſſus eſt. Idem crimen in praeceptorem commiſit, teſte SIMPLICIO [k], in commentario in categorias Porphyrii, quem ſaepe iisdem fere verbis expreſſit. Sed et attentionem atque induſtriam in ſcribendo merito in Iamblicho deſideres. Quae negligentia fecit, vt haud raro idem bis ſcriberet, et odioſe repeteret, cuius exempla pluſcula in vita Pythagorae obſeruantur [l], quae non ſatis excuſat KVSTERVS [m], exiſtimans, *vitae huic Pythagoricae non eſſe vltimam manum a Iamblicho impoſitam, ſed varia tantum collectanea ad hoc argumentum pertinentia, confuſe, vt fit, in ſchedas ab eo iecta, vnde alii poſtea vitam hanc conſarcinauerint, idque tam exigua cura ac diligentia, vt ſaepe eadem, ſuperiorum obliti, bis terue iterarent, et quaedam in alienum locum nullo iudicio infercirent.* Non enim tantum nullo vir doctus argumento hanc ſuam coniecturam firmat, ſed et illa ipſi operis huius oeconomiae contraria eſt, quae auctorem data opera, ſecundum methodum Platonicis adhibitam hanc biographiam conſcripſiſſe teſtatur. Nec dici poteſt, Iamblichum vitae huius collectanea tantum congeſſiſſe, cum ex decem, quos de philoſophia Pythagorica ſcripſit, libris, hic primus fuerit, quem abſoluit. Nulli itaque dubitamus Iamblicho hanc negligentiam tribuere, quem non eſſe accuratum ſcriptorem, et reliqua eius ſcripta oſtendunt, et non negat Eunapius, auertere ea potius et obtundere aures lectoris, quam allicere. Eruditionem tamen et lectionem, mathematicarum etiam diſciplinarum peritiam ei non denegandam eſſe, ex ſcriptis eius ſatis apparet, modo lectorem is nancifcatur in eo argumento ſatis exercitatum atque attentum, et philoſophiae Alexandrinae non ignarum, ſine cuius notitia pleraque Iamblichi ſcripta griphi ſunt atque aenigmata; quae vero rite intellecta miram nobis huius philoſophiae cognitionem parant, quam aliunde fruſtra petimus. Dolemus itaque vehementer ex decem, quos conſcripſit, libris Pythagoricis, dimidiam partem intercidiſſe. Superſunt tamen non ſine magno philoſophicae hiſtoriae emolumento, *vita Pythagorae* ab eo ſcripta, cuius editionem, poſt

i) p. 29. ſeqq. Vnde ſua hauſit PETR. BAYLE Dict. T. I. art. Alypius, p. 162.
k) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 189.
l) Vid. n. 68. 188. 225. collato n. 86. 87. 137. item n. 69. 229. n. 133. 177. n. 196. 224. n. 101. 102. 230. 231. n. 139. 140. 148.
m) Praef. ad IAMBLICHI vitam Pythagorae.

Digitized by Google

poſt ARCERII ſatis infelicem [n], ob corruptos maleque emendatos, quos habuit codices, et promiſſas HOLSTENII [o] atque GALEI [p], LVDOLPHO KVSTERO [q] debemus, de qua cum Tomo primo [r] neceſſaria dixerimus, hic prolixi eſſe nolumus. Alter, qui huc pertinet liber, *ſermones protrepticos* ſiue *exhortationes ad philoſophiam* continet, ab eodem Arcerio non magis feliciter editas et Latine verſas, quas meliori habitu nobis dare cum conſtituiſſet FABRICIVS [s], intercedente V. C. TIBERII HEMSTERHVSII opera, lampadem ei tradidit. Dignae eae ſunt noua editione, cum philoſophiae Pythagorico-Platonicae magna inde lux queat affulgere. Idem vero, quod in vita Pythagorae notauimus, vitium in his quoque exhortationibus regnat, vt in iis repetatur iisdem verbis, quod priore libro dixerat; quae ſatis probant, ipſum Iamblichum huius negligentiae eſſe auctorem. Tertii libri, *de mathematica communi diſciplina* fragmenta tantum quaedam edidit NIC. SCVTELLIVS [t], optamus itaque, vt a viro quodam docto, et mathematicarum pariter atque Pythagoricarum doctrinarum gnaro ex bibliothecis regiis Galliae, Italiae, Britanniae et Germaniae, vbi integer latet, eruatur, et docto commentario illuſtratus edatur, quod poſt Holſtenium et Galeum [u], qui omnium librorum Iamblichi editionem meditati ſunt, Tennulius quoque, Kuſterus et Hemſterhuſius nos ſperare iuſſerunt [x]. Quartus ex Pythagoricis Iamblichi ſcriptis eſt *introductio ſiue commentarius in inſtitutiones arithmeticas Nicomachi Geraſeni*, de quo ſupra [y] dictum, adieciſſe IOACH. CAMERARII ſuumque commentarium SAMVELEM TENNVLIVM [z]. Quartum hodie legimus, *de myſteriis Aegyptiorum* Chaldaeorum, Aſſyriorum, ſiue reſponſionem ad Porphyrii epiſtolam ad Anebonem prophetam Aegyptium, quem nobis ſeruatum eſſe, merito nobis gratulamur, cum non aliunde melius Ammonianae ſcholae, et, ſi recte attendatur, Orientalis quoque et Aegyptiacae, qualis circa nati Saluatoris tempora inualuit, philoſophiae placita de Deo, diis, daemonibus, horumque cultu et commercio, deque tota theurgia et coniunctione animi cum Deo, addiſci queant, vnde recte MORHOFIO [a] compendium theurgiae gentilis dicitur, in quo vero micare lucidiſſimae veritatis ſcintillas et ſtricturas quasdam Chriſtianiſſimi, ſine calculo dixit illuſtris HVETIVS [b]. Nihil enim horum deprehendet lector cautus et dictionis Platonicae gnarus, ſi ab iis receſſeris, quae, vt propius Chriſtianis accederent, mira fallendi aſtutia doloque confinxere homines

n) Franeq. 1598. 4. ignoſcendum tamen Arcerio corruptos Codices ſequenti. Plerique enim codices Iamblichi ejus commatis ſunt, hinc cum Graecis malis ſibi rem fuiſſe conqueritur THOM. GALE praef. ad librum de myſt. Aegypt.
o) In vita Porphyr. c. 6.
p) loc. cit.
q) Amſtelod. 1707. 4.
r) L. II. c. 10. conf. FABRIC. l. c. p. 287.
s) Ibid. p. 289.
t) Ad calc. libri de myſt. Aegypt. Rom. 1556. 4.
u) Vid. ll. cc.
x) Conf. FABRIC. l. c. p. 290.
y) Sect. III. huius capitis §. 25.
z) Arnhemii 1678. 4.
a) Polyhiſt. T. I. L. I. p. 87.
b) Demonſtrat. Ev. axiom. 4. p. 15. ed. rec.

verſipelles, qualia infra, vbi de philoſophia eorum agendum, producemus. Dedit nobis ſcripti ad cognoſcendam horum temporum philoſophiam late vbique Sec. III et ſequentibus regnantem, vtiliſſimi editionem et verſionem nullius prorſus pretii NICOLAVS SCVTELLIVS [c], meliorem vero [d] doctoque commentario illuſtratam, vir de veteri eruditione immortaliter meritus THOMAS GALEVS [e]. Quintus, ſextus, ſeptimusque huius collectionis Pythagoricae liber de phyſicis, ethicis et diuinis, quae in numeris obſeruantur, tractauit, octauus inſtitutiones muſicas ex mente Pythagoreorum, nonus inſtitutiones geometricas, decimus introductionem ſphaericam exhibuit, quos omnes hodie deſideramus [f]. Sed et multa alia ſcripſit Iamblichus deperdita hodie, quorum catalogum confecit Cl. FABRICIVS [g], qui videndus. Vbi et quo tempore mortalitatis exuuias depoſuerit, incertum. Ex verbis EVNAPII [h], quibus Iamblichum Alypium in patria decedentem ſenio confectum, ſecutum paulo poſt eſſe dixit, colligi poſſe, eum Alexandriae obiiſſe, vidit quidem FABRICIVS [i], ſed recte monuit, incertum id eſſe, nam hoc tantum verba eius velle videntur, ſublato in patria morte Alypio Iamblichum non diu ſuperuixiſſe. Nec de mortis tempore certiora conſtant. Id vnum ex EVNAPII [k] relatione certum eſt, poſtquam Iamblichus hominem exuiſſet, diſcipulique eius alius alio diſperſi eſſent, Sopatrum in aulam Conſtantini M. ſe contuliſſe, vt ſupra in ora paginae narrauimus: ex quo ſequitur mature, viuo adhuc Conſtantino, obiiſſe Iamblichum: ex quo annum eius mortis in A. C. CCCXXXIII incidere, viri docti [l] coniectant: quod ſi cogitamus, fuiſſe Iamblichum Porphyrii diſcipulum, qui ineunte Sec. IV obiit, vix vltra hos annos extendi poteſt vitae eius terminus. His ſuppoſitis indubitatum eſt, aſt in Iamblichi hiſtoria ad euitandam homonymiae confuſionem prǒbe notandum, Iamblichum illum, ad quem epiſtolas dedit Iulianus imperator, quique et gente et theurgiae profeſſione noſtro par fuit, a Porphyrii diſcipulo eſſe diſtinguendum. Etſi enim is Syrus erat, Apamea tamen, non Chalcide oriundus fuit, et theurgicis quidem miraculis non minores a Iuliano laudes, quam Iamblichus Chalcidenſis a diſcipulis retulit, ſed ſi recte attendimus, ab ipſo IVLIANO [m] ab eo, ad quem ſcripſit, et cuius etiam non ſine elogio meminit Libanius, diſtinguitur. Chalcidenſis enim Iamblichi ſcriptis ſe in arcana philoſophia inſtitutum fuiſſe, ipſe fatetur, ſicque viuae vocis inſtitutionem excludit. LIBANIVS vero in epiſtola quadam, quam vulgauit primus FABRICIVS [n], et poſt eum ereptus nuper nobis non ſine magna literaturae omnis iactura deſideratiſſimus Io. CHRIST. WOLFIVS, cui inſignem epiſtolarum LIBANII collectio-

c) Vid. PETAVIVS ad Iulian. p. 275.
d) FICINVS excerpta tantum ex eo dedit, in ſelectis Platonicis.
e) Oxon. 1678. fol. ex theatro Scheldoniano.
f) Conf. FABRIC. l. c. p. 292. ſeqq.
g) loc. cit. p. 293.
h) p. 53.
i) loc. cit. p. 283.
k) p. 37.
l) Conf. FABRIC. l. c.
m) Orat. IV. p. 156.
n) loc. cit. p. 184.

Digitized by Google

ctionem debemus, clariſſimis verbis Iamblichum hunc theurgum et τὸν ὁμώνυμον θεῖον, *eius patruum cognominem*, diſtinguit. Nec aliter rationes, chronologicae admittunt, quae Iulianum vix ante obitum Iamblichi natum docent. Ex quibus hoc etiam manifeſtum eſt, elogia, quae a Iuliano Iamblicho tribuuntur, pleraque ad Chalcidenſem a viris doctiſſimis perperam referri, cum iuniorem tantum concernant. Quod ſi Iamblichos Sopatrosque duos inter ſe diſtinguere non placet, reiiciendae ſunt cum Dodwello epiſtolae Iuliani, et ſuppoſitae imperatori cenſendae a ſophiſta quodam, chronologiae rationem non habente, cui coniecturae fauet dictio admodum ſophiſtica et imperatore indigna. Verum cum et Iulianus ab his hominibus edoctus eorum in dicendo veſtigia preſſerit, et, vt vidimus, Iamblichus illi laudatus patria et vitae tempore a Iamblicho Chalcidenſi diſerte diſtinguatur, Libanius etiam huius mentionem faciat, vix Dodwellianam opinionem poſſe admitti putamus: nec veriſimilitudinem excedit, hominem quendam Iamblicho et generis propinquitate et natione affinem, iisdem, quibus ille, artibus et philoſophiae ſtudiis innutritum, non minorem theurgicis patrui artibus famam ſibi conciliaſſe: vt Sopatros quoque duos fuiſſe non ſine veriſimilitudine dicitur: vel ſi hoc non placet, coniiciendum, habuiſſe Iamblichum Apameenſem diſcipulum, praeceptoris veſtigiis non minus, quam Sopater Iamblichi Chalcidenſis, inſiſtentem, qui in iſta Iuliani epiſtola ob morum et circumſtantiarum ſimilitudinem, cum praeceptorem haberet Iamblichum, vocatus eſt Sopater. Certe per familias artes ſuas ſacras tradidiſſe ἱερὰν γενεὰν, ad imitationem Pythagoreorum, Eunapiana eorum hiſtoria nos dubitare non ſinit. Ex eadem vero, quam fiximus, Iamblichi mortis epocha fabulam quoque eſſe, comperimus, quod Zonaras et Cedrenus et poſt hos recentiores quidam Iamblicho tribuunt, detexiſſe philoſophum, per alectriomantiam primarum literarum nominis ΘΕΟΔ. Oraculum, quod eum indicaret, qui Valenti imperatori eſſet ſucceſſurus. Valentis enim tempore Iamblichum iam ad plures abiiſſe ſupra probauimus, nec de eo quicquam memorant, qui malis artibus in fortunam et ſucceſſionem Caeſaris a Platonicis inquiſitum fuiſſe narrant AMMIANVS MARCELLINVS [q], SOCRATES [r], SOZOMENVS [s] et NICEPHORVS [t], et vt poſtea videbimus, Iamblichus cum Maximo Epheſio eiusdem generis homine, confuſus eſt. Fuere et alii, praeter nominatos, Iamblichi, quos FABRICIVS [u] enumerat. Ex noſtri diſciplina magna huius furfuris prodiit philoſophorum caterua, quae, licet clanculum, per vniuerſam Romani imperii ditionem diſperſa fuit.

o) Vid. IONS. de Scr. Hiſt. phil. L. III. c. 16. p. 292. TENNVL. l. c. p. 59. OLEAR. de philoſ. eclect. p. 1212.
p) Vid. quos laudat TENNVLIVS l. c. p. 61.
q) L. XXIX. c. 1.
r) L. VI. c. 31.
s) L. XI. c. 45.
t) L. IV. c. 19.
u) l. c. p. 294. TENNVL. l. c. p. 62.

Digitized by Google

Scholae Iamblichi post eius mortem fata.

§. XXI. Post Iamblichi ex hac vita excessum aduersis vsa fuit fatis schola Plotini. Cum enim Constantinus M. ad Christianos transiisset, quod ob denegatam caedis expiationem a Sopatro factum esse, illi garriebant, falsum vero esse non inepte demonstrauit SOZOMENVS [x], vt supra iam dictum: cum Christianae religionis propagatione gentilis superstitionis euersio fuit coniuncta, quae non potuit non philosophis his esse grauissima, eo quod non philosophiae sacraria, sed sacros quoque templorum recessus custodirent, haberique vellent, non philosophi tantum, sed et sacerdotes: quam rem Sopatro attulisse interitum in praecedentibus diximus. Cautiores hoc exemplo facti Iamblichi discipuli non tantum sacram professionem et mysteria celabant, sed et per omnem fere terrarum orbem dispergebantur, et vbique locorum clandestinis prae metu imperatorum Romanorum artibus *διαδοχὴν Πλωτίνου*, vt habet SOZOMENVS [y], scholae doctrinaeque Plotini, vel vt EVNAPIVS [z] habet, Iamblichianae philosophiae successionem propagabant. Et his quidem fatis pressa fuit secta eclectica, siue schola Alexandrina sub Constantino M. et Constantio. Reuixit tamen ea et noua incrementa floremque accepit sub Iuliano, qui ob fidem Christianam cum horum hominum superstitione commutatam, apostatae nomine insigniri solet. Is cum animi inclinatione naturali ad superstitionem ferretur [a], et ex hac Plotini Iamblichique schola praeceptores nactus esset, qui eas illum artes edocebant, quibus ad imperii habenas capessendas adspirare posset, mire inde post eius defectionem a fide Christiana, res horum hominum auctae sunt, et Pseudo-Platonicorum istorum quidam singularibus fatis inclaruerunt. Quorum, vt ipsius imperatoris, huic factioni adscribendi, res iam porro enarrabimus, et cuius generis homines huic se sectae addixerint, quibus artibus fuerint vsi, quae de se suisque mendacia fuerint commenti, quantum instituti ratio permittet, tangemus, vt intus et in cute hanc sectam, quae non mediocri audacia ecclesiae et philosophiae circulos turbauit, pernoscamus. Plerique vero eorum, quorum historia enarranda est, fuere Ammonii, Plotini et Iamblichi *συμπατριῶται*, nempe Aegyptii, Syri, Asiaeue minoris incolae, Cappadoces, et huius generis atque nationis alii, quorum superstitio, et pronus ad aniles fraudes et fabulas animus, maxime vero leuitas et audacia mentiendi et fingendi veteris historiae gnarum lectorem fugere non potest. Ex his vero gentibus populisque flos ille philosophorum exortus est, qui Ammonii, Plotini Iamblichique vestigia prementes omnia superstitione, enthusiasmo, praestigiis, et inani philosophia repleuerunt.

Aedesius.

§. XXII. Ex Iamblichi discipulis praeter Sopatrum valde inclaruit AEDESIVS, qui post eius excessum scholam et in contubernio docendi munus suscepit, cuius vitae historiam nobis descriptam reliquit EVNAPIVS

x) H. E. L. I. c. 5.
y) Ibid.
z) p. 37.
a) Non negat hoc AMMIANVS MARCELLINVS eiusdem commatis scriptor, L. XXI. c. 9. L. XXV. c. 26.

Digitized by Google

VITA b). Fuit is gente Cappadox, generis nobilitate inter ſuos facile princeps, ſed cenſu exiguo. Quae facultatum modica conditio patrem eius permouit, vt in Graeciam filium amandaret, vt artem aliquam addiſceret, ex qua lucrum peti ſicque opes vtriusque augeri poſſent. Qua in re ſpem patris euentus valde fefellit. Redux enim filius theſauros quidem apportauerat, ſed non quaeſtuoſos, artesque didicerat, ſed non lucroſas; philoſophiae enim operam dederat. Pater itaque ſpe ſua falſus, filioque ob eam rem vehementer indignatus, quod nihil, quod opes ſuas augere poſſet, didiciſſet, tanquam inutilem, nulliusque bonae frugis domo exegit, fugientemque perſecutus, ei obiecit: ecquid tandem emolumenti affert philoſophia? quo ille conuerſus, non parum, inquit, mi pater; patrique eum perſequenti genubus aduolutus, eius patientiam et miſericordiam exorauit. Pater enim admiratus filii conſtantiam indolemque, eum domum reduxit. Ille vero, reſumtis, quae dimittere patris indignatio coegerat, ſtudiis, totum iis ſe tradidit; pater vero intermiſſae diſciplinae denuo dicauit, alacri laetoque vehementer animo, abeuntem filium proſecutus, velut Deum quendam, non hominem genuiſſet. Non expleuit vero ſpem tantum patris Aedeſius, ſed ſuperauit quoque, nam non ceteris tantum omnibus, qui prae aliis eminebant, vel quorum etiam auditor erat, longe praecurrit, ſed et eruditionem experientiae iunxit. Tandem vt ſapientiam perficeret, in Syriam ad Iamblichum, cuius tum iam celeberrima fama erat, perrexit. Quem vt videre et audire contigit, tanta eius admiratione atque veneratione captus eſt, vt totus ab eius doctrina ſermonibusque penderet, nec ſolis eius lectionibus ardens eius audiendi deſiderium reſtingui poſſet. Quod vt amorem Iamblichi ei maxime conciliauit, ita tantam ei comparauit philoſophiae cognitionem, vt praeceptorem tantum non aequaret. Excipit tamen Eunapius θειασμὸν, afflatumque illum diuinum et theurgicum, de quo non ſe habere fatetur, quod ſcribat: licet coniiciat, fieri potuiſſe, vt iſtam virtutem enthuſiaſmi occultam tenuerit, neque reuelauerit cuiquam Aedeſius, temporibus iſtis, quibus grauis erat huius generis hominibus Conſtantini M. zelus, callide inſeruiens. Poſt Iamblichi ex hac vita diſceſſum, cum ſchola eius diſſiparetur, aliusque alio diſpergeretur, et Sopatri fata magnam iis ſollicitudinem metumque iniecisſent, Aedeſius, quo ſe verteret, conſilii inops, cum clariſſimus diſcipulorum eſſet Iamblichi, inſidiasque metueret, ad precatiunculam, quam in ſchola praeceptoris didicerat, confugit c), diuinationem ex ea quaerens, cui futura praeſagiendi generi quam maxime fidebat: qua nempe per inſomnium ſe de voluntate conſilioque Deorum certum fore credebat. Deſcenderat (ita quidem rem totam enarrat EVNAPIVS d)) ad preces Deus et hexametris verſibus oraculum ediderat: ille vero diductis palpebris cum adhuc metu tremeret, dicta quidem memoria recolebat, aſt ſupernaturalis et coeleſtis verſuum contextus ei exciderat. Puerum itaque vocat, qui puram

b) p. 34. ſeqq. c) Ἐπὶ τὰς μαντείας δι' εὐχῆς καταφυγών. d) p. 46.

puram aquam ad extergendos oculos atque faciem afferret: Puer manum eius laeuam conſpicatus, plenam eam extrinſecus literarum eſſe monet, quam vbi ille inſpexit, rem eam diuinitus eueniſſe intelligit. Veneratus itaque et manum et ſcripturam, hos verſus inſcriptos deprehendit:

Parcarum in genibus fatalia penſa trahentum
Sors tibi ſtat vitae: ſi degere in vrbibus, inque
Coetibus eſt animus, fama ſuper aethera viues.
Sin tauros ouiumque greges tibi paſcere curae eſt,
Sic quoque te auctorum caeleſtia numina ſpera.

Huic oraculi monito vt inſiſteret, praediolum aliquod ſibi diſpiciebat, et paſtoritiae ſe vitae parabat. Neque tamen hoc eius inſtitutum philoſophiae ſtudioſos latuit, qui inueſtigati limina tanquam vlulantium canum grex, obſedere, laniaturos ſe minati, ſi tantam tamque reconditam eruditionem montibus ſyluisque magis quam hominibus ſeruaret, veluti illis nunquam eſſet natus. Quibus precibus minisque tandem expugnatus, ſocietati hominum et inſtitutioni diſcipulorum ſe reddidit. Hactenus Eunapius, hic, vt horum hominum indolem diſcamus, iterum ſine cenſura non dimittendus. Negabat is ſcire ſe, vtrum θειασμῷ gauiſus fuerit Aedeſius, vt ſupra dictum. Aſt ad hanc diuinam agitationem, vel excitationem, quam ab ἐκστάσει diſtinguebant Platonici recentiores, pertinere τὴν καθ' ὕπνους μαντικὴν prolixe docet, quaque ratione animus a Diis agitetur exciteturque inter ſomniandum, dormiendo et vigilando medius prolixe deſcribit IAMBLICHVS [e], nec aliud hariolationis genus Aedeſius quaeſiuit, vt ipſe nobis tradit Eunapius. Si itaque θειασμὸν nullum vel habuit, vel habuiſſe tamen non ſignificauit Aedeſius, vnde eius notitia fuit ſcriptori fabulae? annon contradictio mendacis poſtulat ruborem? Sed alio loco [f] incogitanter refert: Iulianum Aedeſii doctrina excitatum, in colloquium et familiaritatem ab Aedeſio receptum, obſtupuiſſe τὴν μὲν ἀκμὴν καὶ θεσπεσίους τῆς ψυχῆς, *diuinitus immiſſum vigorem animi*, non putaſſe ſibi diſcendum, ſed plenis faucibus diſciplinas haurire conſtituiſſe; eamque ob cauſſam regalia ad eum munera miſiſſe, Aedeſium vero, ſenem et corporis exuuiis deponendis proximum, ad diſcipulos ſuos eum dimiſiſſe promittentem, ibi non ſapientiae tantum omnis atque diſciplinarum, ſed et myſteriorum fore participem. Myſteria autem vbi philoſophiae opponuntur, in horum hominum ſchola nihil aliud ſunt, quam theurgicae operationes, deorum euocationes et apparitiones, animi cum iis coniunctiones, et his ſimilia, qualia habuit et exercuit Iamblichus, quaeque an Aedeſius nouerit, Eunapius ſe ignorare dixit, licet θεσπεσίους ei tribuat. Quo nouo hominis ex hac familia oriundi malae fidei mendacique ſpecimine manifeſtum fit, quam parum in fingendis et tribuendis ſuae ſectae viris miraculis ad veriſimilitudinem attenderint, ac erubuerint, ea

e) De myſt. Aegypt. L. III. c. 2. p. 60.

f) In Maximo p. 85.

Digitized by Google

ea ſcribere et iactare, quorum falſitatem ipſa leuiſſimorum hominum prodit narratio. Sed vt ad Aedeſium reuertamur, is diſcipulorum importunis expugnatus precibus, ad docendam philoſophiam et myſteria ſe accingens, Cappadociam reliquit, tradita Euſtathio prouincia ſua, Aſiamque ingreſſus, quae vniuerſa illi manum porrigebat, ſedem fixit Pergami; quo vniuerſam fere Graeciam et finitimos attraxit illuſtris fama Aedeſii. Ibi nactus diſcipulos plurimos, et in his celeberrimos ex hac ſecta Maximum, Chryſanthium Sardianum, Priſcum Theſprotium, Euſebium, Myndium, et Sopatram, feminam philoſopham, itemque Iulianum, poſtea imperatorem, vt paulo ante notauimus *g*. Ceterum et hoc in laudem Aedeſii narrat EVNAPIVS *h*, fuiſſe eum humano et populari ingenio et poſt concertationes literarias et in diſputationibus conſumtas apud Pergamum prodeambulare ſolitum, ſodalibus honoratioribus comitatum, eundemque doctorem diſcipulis, quos rudes et tardos videret, harmoniam quandam et ſolertiam inſeruiſſe, quantum vires humanae paterentur: rurſus quos glorioſos ob dogmatum inſolentiam animaduertebat, eos ſenſim ex alto deduxiſſe, ad humanitatis modulum: Sed et non illibenter cum opificibus obuiam factis de ipſorum negotiis atque operis praeſentibus diſcipulis differuiſſe. Obiit valde ſenex, licet corpore eſſet infirmo.

§. XXIII. Aedeſio ſucceſſiſſe in ſchola, quam is in Cappadocia collegerat EVSTATHIVM, in antecedente §. diximus. Eius non tantum, ſed vxoris quoque illius SOSIPATRAE atque filii ANTONINI hiſtoriam ita enarrat EVNAPIVS *i*, vt vix alio exemplo luculentius genius huius ſectae, et audacter ac ſine fronte mentiendi libido pateat. Audiemus itaque laudatorem magis, quam narratorem fatorum huius viri et familiae eius *k*, ſed cogitabimus etiam, quem audiamus, et de quibus porro hominibus inuſitata et diuina nobis obtrudantur. Fuit Euſtathius Cappadox, Iamblichi prius *l*, et poſt hunc Aedeſii diſcipulus, a quo ſcholaſticam prouinciam accepit, licet nulla ſecum cognatione conſuncto. Quod eo magis omnium comprobatione factum, quo magis cuncti vno ore fatebantur, eum et fuiſſe et viſum eſſe virum optimum, qui experientia teſte oſtenderit, quid in dicendi facultate valeret: quippe linguae facundia labiisque inſidens lepor quiddam magicis praeſtigiis ſimile (Graeca, ἐκ ἔξω γοητείας, ſatis produnt, magicae virtutis in dicendo ſuſpectum fuiſſe) obtinebat, ſermo effloreſcebat ſuauis et placidus, tantaque cum gratia effundebatur, vt, qui vocem hominis audirent, obliti *Euſtathius.*

g) loc. cit.
h) p. 117.
i) In Aedeſio p. 50. ſeqq.
k) Sequimur verſionem HADR. IVNII, monemus vero lectorem, vt ad Graeca attendat, quae cum ſenſu magis, quam ad verbum exprimere cogitaret interpres, ea interdum peruertit, quod ſemel indicaſſe ſufficiat. Dolemus itaque nouam FABRICII verſionem non comparuiſſe, vid. Vita eius a Cl. REIMARO edita.
l) Ibid. p. 23. Diſtinguendus ab aliis Euſtathiis, quos enumerat FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 189.

Digitized by Google

fiti fui, a verbis illius dependerent. Cuius mirum ita refert exemplum Eunapius: Imperatori Conſtantio m) illo accidit tempore, vt in repentinam rerum turbationem coniiceretur, quod impenderet ei graue bellum a Perſarum rege Sapore, qui Antiochiam circumſidebat, et funditoribus tela eiaculantibus premebat, atque imminentem theatro arcem repentino ac improuiſo inſultu occupauerat, immenſamque ſpectatorum multitudinem ſagittis interfecerat. Quo rerum ſtatu cum de legato ad regem mittendo deliberaretur, neque Graecum quemquam imperatoris auribus obiicere illi auderent, ſed ex exercitus tribunis aliquem mittendum cenſerent, neceſſitate tamen coacti prudentiſſimum omnium, vniuerſo coetu conſentiente, Euſtathium exiſtimarunt. Qui imperatoriis literis in aulam vocatus cum comparuiſſet, tanto ſermonis lepore imperatorem cepit, vt maioribus honoribus ac dignitatibus cumularet eos, qui committendae Euſtathio legationis auctores fuiſſent. Vbi in Perſiam ventum eſt, Sapores homo tyrannicus cum variis artibus percellere hominem pauore non potuiſſet, vultum placidum demiratus, per cubicularium ad menſam intro vocat. Is parens ad epulum regale acceſſit, tantaque eloquentiae virtute inualuit, vt parum abfuerit, quin rex Perſarum, inſignia regni depoſita cum Euſtathii penula commutauerit. At illud prohibuerunt affinitate regi coniuncti, qui praeſtigiatorem magumque (γόητα) eſſe hunc hominem dicebant, regique auctores erant, vt Romanorum imperatori reſcriberet, cur, qui ſpectatis viris optimatibusque abundaret, eiusmodi homines legatos mitteret? Aliter tamen communis Graecorum de eo expectatio ferebat, qui vota pro incolumi eius reditu faciebant, quae adiuuabant oracula. Aſt cum non rediret, illique ſpe fallerentur, legationem ad eum mittunt, ex Graecorum clariſſimis et prudentiſſimis, rogantes, cur res minus prodigiis ſuccederet? Aſt ille examinatis oraculorum circumſtantiis cum veritatem rei exploraſſet, Deos reditum ſuum non praedixiſſe, dixit. Hactenus Eunapius, qui quem effectum habuerit legatio, non refert, his tamen mire prodit, eiusdem hunc Euſtathium generis fuiſſe, qualis praeceptores Iamblichus et Aedeſius, et iisdem artibus circumueniſſe homines, incerta et obſcura oraculorum interpretatione deceptos. Licet fatendum ſit, parum veriſimilitudinis habere totam legationis hiſtoriam, eam non ſilente tantum Ammiano Marcellino, ſed ſupra probabilitatem fere omnem poſito, in tam ancipiti et vrgente populi Antiocheni fato tam longam et fructu omni carentem moram Euſtathium nexuiſſe. Notanda tamen ipſa Eunapii confeſſio, Euſtathium magum et praeſtigiatorem fuiſſe habitum, eam enim fidem et exiſtimationem non apud Chriſtianos ſolum, vt ſupra in Aedeſio vidimus, ſed et apud gentiles plerosque

m) Ad Galienum ab Antiochenis legatum miſſum eſſe Euſtathium ait FABRICIVS l. c. ſed pro *Galieno* legendus eſt vel, ad *Saporem*, vel, ad *Conſtantium*, qui graui bello implicitis tum contendebant inuicem. Deſcribit id AMMIANVS L. XX. XXI. et legationum inuicem miſſarum aliquoties meminit, nihil vero de Euſtathio habet, licet huic ſectae faueret.

Digitized by Google

que inuenerant huius sectae philosophi, qui non philosophiam tantum docendi, sed et sacra peragendi, et artes theurgicas exercendi munus sibi tribuebant, vnde non tantum τὸ φιλοσοφεῖν, sed et τὸ λατρεύειν Eustathio tribuit * vxor Sosipatra: cui quinque tantum annos cohabitauit, ante praeceptorem Aedesium fatis functus. Verum SOSIPATRAE quoque historia his iungenda est, fabulae Milesiae non dissimilis, indolem tamen nugacissimorum impostorum mire referens, quam hunc in modum tradit porro EVNAPIVS *, sophistico dicendi genere, quaesitisque eloquentiae coloribus molestus magis, quam gratiosus: quare rem tantum ipsam omissis orationis lenociniis enarrabimus. Tanta fuit Sosipatrae doctrinae gloria, vt mariti famam pene extingueret. Natale ei solum fuit in Asia circa Ephesum, genere locuplete et felici. Cum adhuc infans esset, felicissime omnia ei succedebant, tanta erat eius gratia leposque. Quinquennium illa expleuerat, cum duo senes, peregrinantium habitum prae se ferentes, ad praedium parentum Sosipatrae veniissent, villicoque persuasissent facillime, vt vineae curam ipsis permitteret. Postquam vero prouentus praeter spem extitisset copiosior, ad stuporem vsque, ita vt suspicionem miraculi inliceret, et diuinae cuiusdam operationis (θειασμοῦ) *, parens Sosipatrae mensae senes adhibitos liberaliter tractat, colonos, quod non eandem operam nauassent, increpat. Senes autem puellae Sosipatrae, quae simul aderat, venustate capti, praedii domino confirmabant, se quidem istis honoris et beneuolentiae testimoniis non capi, quod si tamen eorum gratiam vicemque reponi donis coelestibus velit, permittat, rogare se, istam Sosipatram sibi alumnis verisque parentibus futuris, in quintum vsque annum, neque de puellae morte sit sollicitus, neque de curando agro fundoque, qui per se cumulate profusurus sit prouentus opesque, de filia vero humanam conditionem transgressura expectet. Pater pauore perculsus, linguamque comprimens filiolam tradit, villicoque mandat, se benigne senibus praestare, quicquid vellent, neque curiose rerum satagere. Quinquennii tempore exspirante, quum pater praedium reuiseret, filiam neque statura, neque venustate formae satis agnoscebat, eamque venerabatur, aliam prorsus se videre ratus. Appolita mensa, patrem, filiam, quae vellet, rogaret, monent: ast illa facta dicendi potestate, cuncta, quae patri interea acciderunt, enarrauit, ne minimis quidem rerum circumstantiis omissis, quod in tantam patrem admirationem stuporemque rapuit, vt filiam deam esse crederet. Itaque accidens ad pedes senes rogat, ederent, quinam essent? Illi cunctabundi aegre post aliquam moram, se sectae illi, quae Chaldaica dicatur, adhaerere, et initiatos esse eius mysteriis dixerunt, idque velut per aenigma et demisso vultu. Quo audito pater genibus aduolutus supplicater precatur, velint esse praedii domini, filiamque sub imperio habeant, diisque initiatam plenius erudiant, quod se facturos nutibus illi significarunt, nullum amplius verbum prolocuti. Ille gaudio delibutus arctiori somno

*) p. 65. *) p. 57. seqq. *) Ita mature scenam instruit nugator.

Digitized by Google

ſomno oppreſſus fuit, ſenes autem a coena digreſſi, virginem ſecum abducunt, et amictu ſacro, inſtrumentis ac libris in arculam reconditis Soſipatrae, vt eam obſignet, mandant. Illuceſcente die, cum fores reſerarentur, illi cum famulis ad operas prodeuntibus exeunt: virgo laeta ad patrem accurrit, arculam oſtendens; pater, vbi diuitias, quibus ditatus erat, laetus enarraſſet, viros accerſi iubet, at illi nuſquam comparuere, cuius rei cauſſam ex filia ſciſcitatus, tandem ex ea comperit, fuiſſe illos genios. Pater itaque filiam diuino numine agitatam et enthuſiaſmo vacantem (θειαζομένην καὶ ἐνθουσιῶσαν, vocibus ex huius ſectae diſciplina petitis, vocat EVNAPIVS) ſuo arbitrio viuere permiſit, rerum eius minime curioſus inueſtigator, niſi quod taciturnitate eius nonnihil offenderetur. Ipſa iam florentis aetatis limen ingreſſa, nullisque aliis vſa magiſtris, non poëtarum modo, ſed et philoſophorum atque oratorum ſcripta in ore habebat, et quae alii non niſi difficillime intelligere poterant, ipſa citra laborem luculenter explicabat. Cum vero nubere decreuiſſet, Euſtathium coniugem delegit, ei praedicens, ternos ex eo liberos parituram, infeliciter bonis externis vſuros: illi autem ante ſe deceſſuro ſedem a fato ad lunarem globum deſtinari. Addit Eunapius, vbi conueniſſet Euſtathio, eique nupſiſſet, cuncta impleta fuiſſe; Soſipatram autem a mariti morte ad praedium ſuum regreſſam, apud Pergamum vetus in Aſia minore conſediſſe, et magnopere eam beneuolentia fuiſſe proſecutum magnum illum Aedeſium, qui etiam eius prolem inſtituerit, quamuis et ipſa domi ſuae eandem erudiuerit, omnibus in Soſipatrae magis quam Aedeſii admirationem raptis, eiusque enthuſiaſmum diuinasque agitationes veneratione proſequentibus. Sed et Philometor quidam Soſipatrae conſobrinus, quod mulierem diuino commercio (θειοτέραν) praeſtare ſciebat, eam valde deperibat, quin et ipſa eodem amoris ſenſu tangebatur. Quae, vt affectu liberaretur, Maximo, qui Aedeſii familiaritate vtebatur, animi morbum reuelauit: Philometor rem vrgens per extiſpicium, quo fato eſſet vſurus, cognoſcere tentauit, auctore Maximo. At illa peracto ſacrificio exploranti, quae ſenſiſſet, Maximo, cuncta, quae peregerit, tanquam ſi fuiſſet praeſens, exponit. Quo ille attonitus in terram procumbens Deae inſtar Soſipatram eſſe faſſus eſt, et occurrentem ſibi Philometorem, a veneficio, quod animo conceperat, reuocauit. Aſt Soſipatra ab eo tempore Philometorem in oculis ferebat, illius accenſa ſtudio: cumque illa aliquando de anima diuina agitatione commota diſſereret, abſente Philometore ſubito attonita, eum de curru delapſum, de crurum perfractione periclitari, famulorum tamen miniſterio ſaluum euadere dixit, euentu rem comprobante [q]. Addit his EVNAPIVS: ex his cunctis perſuaſum fuiſſe Soſipatram vbique locorum eſſe praeſentem, quod deorum proprium eſſe dicatur. Ex ternis relictis liberis ANTONINVS parentum inſtitit veſtigiis, ſedemque apud Canopicum Nili oſtium fixit: Ad hunc, ſcri-

Antoninus.

q) Iisdem fere circumſtantiis rem narrat Eunapius, quibus caedem Domitiani Epheſiis indicaſſe Apollonium Tyaneum refert Philoſtratus, vnde coniicimus, ad hunc impoſtorem reſpexiſſe Eunapium.

r) Conf. AMMIAN. MARCELL. L. XXII. c. 16.

Digitized by Google

ſcribit Eunapius, frequentem, quae philoſophiae operabatur, iuuentutem conuolaſſe, eumque praedixiſſe, deſolata a morte ſua Deorum templa futura et euertendam religionem. Diis vero gentilibus iſtius loci ſe dediſſe, et myſteria atque arcana excoluiſſe, nihil tamen, quod ſciri poſſet, a communi hominum opinione diuerſum Deorum cultui fuiſſe operatum, quod imperatoris ingenium et conatus noſſet, qui theurgos (ita enim Graeca Eunapii habent) tolleret: omnes vero viri conſtantiam, temperantiam et mentem flecti neſciam fuiſſe admiratos, neminemque inſalutato Antonino praeteriiſſe. Quotquot vero ad colloquia admiſſi problemata propoſuerint, Platonica refertos doctrina abiiſſe; qui vero diuiniora quaererent, mutum quam ſtatuam magis deprehendiſſe. Euentum vero haec omnia comprobaſſe euerſis a Theodoſio imperatore, Theophilo epiſcopo et Euetio ſummo magiſtratu politico fungente, templis Canopicis ipſoque Serapidis fano, et introductis in eum locum monachis. Et ita quidem Eunapius, qui maledicentiſſimae linguae frena, non in ſacra tantum Chriſtianorum, ſed et ipſum ſanctiſſimum Saluatorem hoc loco impudentiſſime laxauit, et rabie huic ſectae propria in rem Chriſtianam debacchatus eſt. Expoſuimus paulo prolixius, quam inſtituti noſtri ratio ferre videtur, Euſtathii, Soſipatrae et Antonini hiſtoriam, vt natiuis coloribus depicti ab ipſo Eunapio homines peſtilentiſſimi, qua fuerint animi indole, quo genio, quibusue vſi fuerint ad extollendam famam ſuam et fulciendam ſuperſtitionem artibus, pateſceret. Quos vt intus et in cute pernoſcamus, I. quidem notandum, hos homines non philoſophiae tantum ſtudiis nomen dediſſe, ſed latuiſſe ſub honeſto hoc nomine etiam nefandae ſuperſtitionis miniſtros: Euſtathium enim cultui quoque Deorum uacaſſe, et quod Soſipatrae foeminae non licebat, Antoninum filium feciſſe, qui non Platonicam tantum philoſophiam explicabat, ſed et, *θεοῖς τε καὶ ἀῤῥήτοις ἱεροῖς ἀναθεὶς καὶ προσαρμόσας ἑαυτὸν, ſacris myſticis et diuinis ſe applicabat*, magna iactantia refert Eunapius. Aſt, quod II. ex inſigni hoc Eunapii loco luculenter diſpaleſcit, maximo hi homines ardebant in Chriſtianam religionem, quae ſub imperatoribus Chriſtianis laetiſſima incrementa capiebat, odio, cum res ſuas fieri deteriores, templaque, vnde honores et reditus ad eos olim confluxerant, vel deſolata ſtare, vel dirui plane, et famoſiſſima quoque oracula, quale Serapidis fuit, deſtrui viderent. Vehementiſſime itaque inuidia turgentes cum animaduerterent, Ieſu teſtiumque eius (quos maledicentiſſimo impuroque ore calumniatur Eunapius) gloriam peſſimas ſuas artes denudaſſe, et feciſſe inermes, et ſanctiſſimorum martyrum ſanguine victas eſſe virtute magiſtri infernales poteſtates, quod vnum poterant, praeſtigiis mendaciisque impedire conabantur. Vt itaque III. ſe quoque ſuamque ſuperſtitionem Diis curae eſſe oſtenderent, et miraculorum, quibus effulgebat respublica Chriſtiana, gloria non minorem famam ſibi acquirerent, ad *θεατρομὸν*, diuinarum operationum funda-

mentum confugiebant, eumque in finem enthuſiaſmum affectabant raptusque diuinos. Quod imprimis de Soſipatra oſtentat Eunapius, cui κορυβαντιασμὸν καὶ ἐκβάκχευσιν ipſi tribuit. Aſt cum IV. haec quidem ſimplicium oculos deciperent, paulo attentiores vero fallere non poſſent, alia fraude opus erat. Nempe per diſcipulos iactanda θαυμαστὰ et inuſitata, et maxima cum fiducia talia narranda, quae ſupra ingenii viriumque humanarum modulum aſſurgerent. Gnauiter id fecere Euſtathii et Soſipatrae diſcipuli, qui praeceptoribus his ſuis diuinam mentem, educationem, informationem, abſentium rerum ſcientiam, amicitiam cum Diis, aliaque theurgicae ſcientiae opera tribuebant. Quibus tamen V. omnibus fuſe delineandis nec modus, nec veriſimilitudo, nec teſtium fides adhibita, eisque narratio ſuperſtructa fuit, ſed narratae fabulae Mileſiis longe deteriores, omnique prorſus veriſimilitudine, etiam quoad facti circumſtantias, deſtitutae. Id quod ea potiſſimum confidentia admiſere homines mendaces, quod ad ſacra ſua ſtabilienda eiusmodi fraudibus vti licere haberent pro explorato. Ita ſane Eunapius, ἱερᾶς γενεᾶς aſſecla, ſolet, cuius ſi narrationes de Soſipatra paulo attentius conſideraueris, mendacem deprehendes ſui plane immemorem, ita finxiſſe, et nugatum fuiſſe, vt manibus queat palpari mendacium? diuina ita prouidentia dirigente, vt mendaciorum pater prudentibus quibusuis regni ſui fundamenta proderet. Quis enim, qui ſanae mentis eſt, ſibi perſuaderi patiatur tanquam veriſſimum, et extra dubitationis aleam poſitum, duos aduenas, homines prorſus ignotos primumque conſpectos non admiſſos tantum in familiam illico eſſe, ſed et rei oeconomicae vinearumque illis curam creditam praecipuam? quis fertilitatem tantam fuiſſe credat, vt miraculi inſtar fuerit? cum tamen praeter aduenas duos etiam villicus cum ſeruis curam laboremque impenderint ſuum. Et qui nouiſſe potuit praedii dominus, largiſſimum prouentum peregrinis ſenibus deberi ſolum, non vero et reliquis in eius vinea operariis, quos pigritiae accuſabat, licet infra villicus rationes reddidiſſe dicatur? Et qui potuit Soſipatrae genitor vno illo indefeſſae ſedulitatis indeque exortae fertilitatis vineae ſpecimine commoueri, vt ſine vlla contradictione et formidine hominibus agricolis, ruſticamque vitam prae ſe ferentibus ſine conditionis eorum examine et fraudis metu vnicam filiolam ſibi tantopere dilectam traderet? Et ſi etiam fingamus tantae eum credulitatis fuiſſe, quis quaeſo ſibi tanquam verum perſuadeat, eum non iudicium tantum omne ſed et rerum ſuarum atque vtilitatis rationem omnem ita eiurauiſſe, vt et filiam, et praedium eiusque adminiſtrationem ita in quinquennium ceſſerit, vt ne quidem de eius ſtatu et incrementis quaeſiuerit? Vt haec omnia ſint ἀσύστατα et prorſus incredenda, nullo tamen ea pingit colore ſophiſta impudentiſſimus, ſed ſibi ipſi contradicit turpiſſime. Vindicat Soſipatrae rerum omnium ſcientiam, et exercitationem in oratorum et philoſophorum libris, et tamen neſcire ſe fatetur,

Digitized by Google

fatetur, quid et qua ratione edocta illa ſit. Genios fuiſſe, et neſcio quales ſpiritus, hos doctores Soſipatrae, quaſi ex tripode definit, aſt fuiſſe homines Chaldaicae doctrinae initiatos narrauerat. Et vt fabulam digno ornaret epiſodio, genios hos ita ſubducit oculis, vt ſomno oppreſſum parentem dicat, et nec ipſa Soſipatra habere innuat, quod de iis patri referret. Quin et hoc addit, vt nugis omnia ſcateant, dediſſe diuinos hos philoſophos puellae libros in arcula repoſitos, quam tamen ſine libris omnia, quae in omnium libris erant contenta, ſcire mentitus erat. Alias affanias hominis nugiuenduli tacemus, quem deſtructorum templorum puluis, et ſublatorum ſacrificiorum recordatio ita exaſperauit, vt in Chriſtiani nominis contumeliam iſta fingeret et Theophili, Alexandrinorum patriarchae [s] memoriam polluеret. Quod Theodoſio imperante, ſub quo vixiſſe Eunapium infra dicemus, auſum fuiſſe illum merito miramur. Tandem et VI. hoc ex Eunapii narratione non omittendum eſt, iactaſſe hos homines eruditionem et ſectam Orientalem. Ex qua cum progreſſi haeretici Platonicis veram Zoroaſtreae et Hermeticae ſapientiae notitiam denegaſſent, vt narrat PORPHYRIVS [t], vna fidelia duos, quod aiunt, dealbantes parietes Platonici, Chaldaicam ſe diſciplinam edoctos diuinis operibus inclareſcere iactando, eandem rem et haereticis philoſophisque orientalibus, et Chriſtianis oppoſuerunt, prodideruntque, etiam ex hac ſentina, ſua eos arua irrigaſſe. Quae omnia ſuo nobis loco obſeruationes ſubminiſtrabunt grauiſſimas, ſine quarum lumine nec ſacra nec philoſophica huius temporis hiſtoria ſatis illuſtrari poteſt. Ex dictis autem liquet, Soſipatram inter mulieres philoſophas occupare locum, nam Ammonianam Plotinianamque philoſophiam, habitu diuinitus infuſo edocta filium quoque docuit [u]. Merito itaque foeminis Platonicis cum Aedeſia aliisque adiicienda eſt apud I. A. FABRICIVM [x]. Poſt Soſipatrae mortem, Iuliano tandem ad imperii gubernacula emergente, preſſa ſub imperatoribus Romanis ſecta caput iterum extulit, et ex Aedeſii diſciplina noua impoſtorum cohors progreſſa eſt, quorum hiſtoriam, duce Eunapio, porro explicabimus.

§. XXIV. Ex Aedeſii porro diſciplina prodiit EVSEBIVS Myndo Cariae oppido oriundus, qui tamen Plotinianis magis, quam Iamblichianis et Aedeſianis principiis vſus, non eandem de theurgia ſententiam fouit, quae eo tempore in ſchola Platonicorum Alexandrinorum fuit receptiſſima. Narrat enim, cui notitiam de Euſebio debemus, EVNAPIVS [y], Iulianum ab Aedeſio ad diſcipulos propter ſenectutem ablegatum, *Euſebius Myndius.*

s) Facta haec eſſe imperante Theodoſio praeter Eunapium narrant RVFIN. L. II. c. 29. SOCRATES L. V. c. 16. SOZOMEN. L. VI. c. 15. SVIDAS in Serapis T. III. p. 286. Theophilum Patriarcham in praefectum praetorio abſurde transmutat totumque hunc locum plane peruertit Iunius, id quod iam obſeruatum IONSIO de Script. Hiſt. Phil. L. III. c. 17. p. 89.

t) c. 16.

u) MENAG. Hiſt. mul. phil. §. 21. p. 490.

x) Bibl. Graec. Tom. II. p. 69.

y) p. 86. ſeqq.

Digitized by Google

tum, cum Maximus et Priſcus non adeſſent, Euſebio Chryſanthioque adhaerere inſtitiſſe. Fuiſſe autem vnanimem cum Maximo Chryſanthium, et circa diuinos afflatus atque agitationes eodem enthuſiaſmi genere fuiſſe occupatum [z], in diſciplinis vero ſeſe ei ſubduxiſſe, ſuum morem ſecutum. Euſebium vero, praeſente Maximo, accurationem in partiendis diſputationibus, et dialecticas captiones nexusque atque labyrinthos ſubterfugiſſe; abſente vero tanquam ſolari iubare, ipſum veluti ſtellam refulſiſſe, ob gratiam et facilitatem, quae in ſermone emicabat, Chryſanthium praeſenti eſſe aſſenſum, et Iulianum vehementer virum ſuſpexiſſe. Circa finem diſputationis autem adieciſſe Euſebium: *ὡς ταῦτα εἴη τὰ ὄντως ὄντα, αἱ δὲ τὴν αἴσθησιν ἀπατῶσαι μιγγανείαι καὶ γοητεύουσαι θαυματοποιῶν ἔργα, καὶ πρὸς ὑλικάς τινα δυνάμεις παραπαιόντων καὶ μεμηνότων. Ea tantum reuera eſſe, quae per ſe exiſtant*, id eſt, ideas; *quae vero ſenſus ludificantur, impoſturas et opera praeſtigiatorum, miracula edentium, ad materialium tantum poteſtatum virtutes pertinere atque inſana eſſe et ratione carentia.* Demiratum expoſitionis epilogum Iulianum cum Chryſanthium interrogaret, ablegatum fuiſſe ad Euſebium ea ſaepius repetentem. Hunc percontante Iuliano maxima verborum eloquentia tandem dixiſſe: Maximum eſſe vnum e doctioribus et antiquioribus auditoribus, qui propter ingenii acumen, et excellentiam eiusmodi demonſtrationes contemnat, animumque totum ad eiusmodi inſana deliramenta applicet, eius eum non ita pridem in Hecates aede ſpecimen edidiſſe, conuocatisque condiſcipulis, cum humi conſediſſent omnes, emundata thuris mica admurmuratoque apud ſe hymno quodam effeciſſe, vt Deae ſimulacrum renideret, produxiſſe etiam fulgur luminis, quo faces, quas Dea manibus tenebat, accenderentur. Talia non eſſe miranda Iuliano, eo quod philoſophia aliam purgationem nos edoceat. Iulianum vero his auditis ei valedixiſſe, et ad Chryſanthium eſſe conuerſum atque Maximum. Maxime memorabilis locus hic eſt, qui ſatis docet, praeſtigias et miracula eorum hominum parui feciſſe, et inter impoſturas retuliſſe, qui paulo accuratius philoſopharentur. Qua in re poſt Plotinum praecipue Porphyrium parum iſtis artibus tribuiſſe, quamuis eas egregie calleret, eo quod ad intellectualem animae partem non pertinerent, ſupra Auguſtini teſtimonio demonſtrauimus. Et ratio quoque, quae ab Euſebio adducta eſt, ex Platonis principiis deſumta aliud non admittit. In cuius philoſophia, quam in doctrinae de ideis recentiores quoque Platonici, ſiue Alexandrini philoſophi ſecuti ſunt, vt ex PORPHYRII *ſententiis ad intelligibilia ducentibus* patet, cum *τὰ ὄντως ὄντα* principale cognitionis ſapientiaeque humanae obiectum conſtituant, quae ab omni materiali ſpecie remota ſunt, nullus hic *φαντασμάτων*, ſpecierumque imaginibus viſibilibus conſpicuarum locus eſt, ſed intellectu tantum comprehenduntur: nec ſapiens circa aliud verſa-

z) Prodit et hic locus, *θαυμάτων* ad theurgiam eiusque opera pertinuiſſe.

Digitized by Google

verſatur obiectum, cum reliquae poteſtates materiali corpore veſtitae impuritatem materiae ſecum vehant. Cum itaque apparitiones iſtae ſenſus mirabili modo afficerent, materialium hoc ſpirituum commercium eſſe rati philoſophi, qui maiora et puriora ſe ſectari ſomniabant, eiusmodi artes impoſturis ſimiles eſſe ſtatuebant, parumque facere ad vniendam cum Deo animam dicebant: vt ex laudato AVGVSTINI [a] loco Porphyrium ſtatuiſſe, eſt manifeſtum. Paulum de iſta ſeueritate receſſit Iamblichus, qui orientalem et Aegyptiacam in his magis philoſophiam ſe ſequi profeſſus, materiamque ex Dei quoque ſinu deriuans, non omne cum ſpiritibus commercium pro impuro habuit, et apparitiones quoque theurgicas dari ſtatuit [b]: ex cuius ſchola cum magnus diſcipulorum numerus egreſſus eſſet, qui magiſtri placita extenderent, valde hoc cum ſpinoſa et difficili philoſophia propagatum fuit, multique in his theurgicis operibus fuere Platonici: ſine dubio vt iſtis praeſtigiis gentilem, quae plenam iamiam ruinam minabatur, quocunque modo poſſent, ſuperſtitionem fulcirent. Quod eo magis placuit Iuliano, quo magis non naturali tantum temperamenti inclinatione ſuperſtitioni addictus fuit, ſed et eam ad obtinenda vota ſpesque ſuas has ſibi putabat artes fore vtiliſſimas. Quas cum meras praeſtigias et illuſae imaginationis phantaſmata eſſe probe intelligeret Euſebius, non potuit admirari vanas ludificationes; idque *διὰ τῦ λόγυ κάθαρσιν*, quod anagogica et philoſophica purgatio eſſet quaerenda. Non vidit horum verborum ſenſum HADR. IVNIVS, notitia philoſophiae Alexandrinae non ſatis inſtructus, quod ſaepe eum in deuia ſeduxit, qui vertit: *propterea quod ratio nos rectiora docet.* Non enim id vult Euſebius, ſed ad receptam in Plotini ſchola doctrinam de duplici purgatione reſpicit, quae vel theurgica eſt, et per commercium cum Diis effici credebatur, vel anagogica, quae *λόγῳ*, ratione et philoſophia, a corporis vinculis ad intuendum ſine imagine Deum et ideas ducere ſtatuebatur. Hac gauiſum fuiſſe Plotinum et Porphyrium ſupra narrauimus; quorum hic *theurgicis teletis nihil purgationis accedere fatetur, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum et ideas* [c]. De qua doctrina ex Platonicis HIEROCLES [d], ex recentioribus HOLSTENIVS [e] videndus.

§. XXV. Euſebium theurgicae artis celebritate ſuperauit MAXIMVS Epheſius, cuius quoque vitam deſcripſit EVNAPIVS [f], qui ſenem adoleſcens vidit, et loquentem audiuit. Natales illi fuere clari, parentibus illuſtri genere ortis, opesque amplae [g]. Fratres habuit Germanos, *Maximus Epheſius.*

a) De C. D. L. X. c. 9. 26.

b) De myſt. Aegypt. Sect. V. c. 14. p. 129. et paſſim. Aliter Apollonius, qui iſtas apparitiones ad Cinetiam referebat, theurgiam in communione cum Deo et viſione eius collocans, vt ſupra demonſtratum.

c) Apud AVGVSTIN. l. c. c. 9.

d) Ad carm. aur. in fine.

e) Vit. Porphyr. c. 9. p. 260. ſeq. qui legi mererur.

f) loc. citat.

g) EVNAP. p. 82. 86. SOCRAT. Hiſt. eccl. L. III. c. 1. NICEPHOR. L. X. c. 1.

Digitized by Google

nos, eruditione non minus, quam ipſe, tinctos, Claudianum, qui Alexandriam commigrauit, ibique docuit, et Nymphidianum, qui Smyrnae cum laude profeſſus eſt, rhetorem vtrumque [h]. Quibus vt nulla in re cederet, non eloquentiae tantum ſtudiis ſe dedit, adeo vt cum eo conuerſantes neque curſum et flumen ſermonis ferrent, neque diſertorum hominum quisquam ei contradicere auderet, cuncti vero tanquam ex tripode dicenti acquieſcerent: ſed et Alexandrinam philoſophiam duce Aedeſio didicit, quem cognatione attingebat, et cui ſe familiari conſuetudine iunxerat [i]. Qui cum in reliquis etiam ſcientiis egregie eſſet verſatus, tantus ex eius diſciplina euaſit Maximus, vt *vir ingenti nomine doctrinarum* audiret AMMIANO MARCELLINO [k]. Sed et magna familiaritate in Soſipatrae domo fuiſſe vſum, ex ſupra narratis conſtat, vnde coniicitur, ex Euſtathii quoque diſciplina ingenii eum opes adauxiſſe. Summam tamen Maximo famam et auctoritatem conciliauit, quod ſe Iulianus illius inſtitutioni ab Aedeſio ſibi commendatae credidit, licet Conſtantium ſolum eum principi iuueni magiſtrum delegiſſe, cum ceteros ſuſtuliſſet, non ſit veriſimile. Valde hic enim in diuerſa inter ſe abeunt EVNAPIVS [l], et Chriſtiani hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores. Eunapius haec tradit: Decreſcente ac deficiente Conſtantini progenie ſolum relictum fuiſſe Julianum, ob aetatem teneram contemtum, et ob ingenii mollitiem: cuſtodiuiſſe vero adoleſcentem eunuchos, ne in fide Chriſtiana vacillaret. Eum vero, quicquid librorum proferebatur, magnitudine ingenii memoria complexum, praeceptoribus non reliquiſſe, quibus eum erudirent. Eos itaque Conſtantio auctores fuiſſe, vt permitteretur ei rhetoricae arti et philoſophiae ſtudiis vacare, et imperatorem quoque libenter id permiſiſſe, quod in libris eum volutari, quam de imperio cogitare, mallet. Profectum itaque cum ſuis Iulianum, Aedeſii fama excitum aduolaſſe Pergamum, quem cum ſenio confectum audire diu non poſſet, ad diſcipulos eum miſſum eſſe, et reprobato, vt ſupra diximus, Euſebio, Chryſanthio, quod Maximus abeſſet, ſe tradidiſſe; tum Epheſum profectum, totum a Maximi ore pependiſſe. Aſt aliter SOCRATES [m], et qui eum ſequitur NICEPHORVS [n] rem narrant: Iulianum, prudenter quidem ita cauente Conſtantio, ne a pagano ſophiſta ad gentilium ſuperſtitionem ſeduceretur, Chriſtianos habuiſſe praeceptores in grammatica et rhetorica: cum vero fama ob progreſſus in ſtudiis literarum inſignes percrebuiſſet, idoneum eum eſſe imperio, imperatorem eum ab vrbe regia Nicomediam transtuliſſe, praecipiendo, ne ſcholam adiret Libanii. Cuius cum orationibus legendis occuparetur, adueniſſe Nicomediam Maximum philoſophum, ſola Iuliani fama impulſum. Apud quem cum Iulianus philo-

h) EVNAP. in Nymphid. p. 177. qui non arte ſed natura rhetorem factum dicit. Fratris commendatione Iuliano ab epiſtolis fuit Graecis. Addi poteſt vterque catalogo rhetorum et ſophiſtarum apud FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. IV. p. 481. 486.

i) EVNAP. in Aedeſio p. 67.

k) L. XXIX. c. 4. EVNAP. p. 88.

l) p. 86.

m) loc. cit.

n) loc. cit.

Digitized by Google

philoſophiam deguſtaſſet, ſtatim cultum religionemque praeceptoris imitari coepiſſe, aſt hunc ei imperandi cupiditatem in animum iniecisſe. Iulianum vero, quod id imperator comperiſſet, monaſticam vitam ſimulaſſe, clam autem philoſophiae, quam a Maximo didicerat, dediſſe operam. Haec eccleſiaſtici ſcriptores, in eo potiſſimum ab Eunapio diuerſi, quod ſua ſponte ad Iulianum veniſſe Maximum dicunt, huncque, referunt, incenſa imperii potiundi ſpe animum Iuliani ſibi conciliaſſe. Etſi vero partium ſtudio ab vtrisque in hac narratione datum aliquid videri queat, conciliari tamen aliquo modo inter ſe poſſunt, ſi dicamus, Iulianum, quem gentilis eruditionis iucunditate ita delectatum captumque innuunt hiſtorici eccleſiaſtici, vt cuſtodiendus eſſet ſedulo, ne a Chriſtiana fide deſciſceret, temperamento ſuo ad Platonicas artes, quibus imperium ei miris portentis vaticinati ſunt, vehementer inclinaſſe; et Aedeſii fama excitum ei, atque eius diſcipulo Chryſanthio et Maximo innotuiſſe; Nicomediam vero translatum, Maximum, de eius ad has partes inclinatione certum, eum conueniſſe, et his potiſſimum artibus eum inſtituendo, quibus maximum tribuebat, animum illius mire cepiſſe, et ex eo demum tempore inſigne in hanc ſectam ſtudium Iulianum poſuiſſe, quod infra pluribus enarrabimus. Niſi SOZOMENI *) fidem ſequutis ſtatuere placeat, Iulianum, antequam in Aſiam abiret, et ad Aedeſium peruenisſet, Nicomediae Maximum Epheſium habuiſſe ſibi occurrentem, a quo et philoſophiam et odium Chriſtianae religionis didicerit, quique ei, vt vates, affirmauerit, verum eſſe, quod de illo vulgi ſermonibus ferretur, nempe quod imperio potiturus ſit. Iſtis enim fundamentis apud Maximum poſitis facile fuit in Aſiam delato, ampliora philoſophiae Alexandrinae ipſiusque theurgiae apud Aedeſium et Maximum incrementa capere. Certe iam Nicomediae Iulianum praeſentis calamitatis ſenſu ad meliorem fortunae ſpem illectum Maximum in familiaritatem ſuam adſciuiſſe, tradit idem SOZOMENVS. Aſt haec facta eſſe imperatore ignorante, inde patet, quod metu eius, quod id reſciuiſſet, monaſticum habitum induerit. Veriſimile enim non eſt, Conſtantium, qui tanta cura cauebat, ne gentilium doctorum ſcholas frequentaret, quique a Libanii praelectionibus eum arcebat, ſcientem volentemque huius eum generis hominibus permiſiſſe, quos manibus calcibusque et obniti Chriſtianae religioni et firmare auitam ſuperſtitionem ſciebat, licet id tradat Eunapius, teſtis domeſticus et ſuſpectus. Sane hoc probabilius eſt, quam quod olim *) nobis non alienum a veriſimilitudine viſum fuit, Conſtantium hanc cum Maximo familiaritatem Iuliani non ignorauiſſe, ſed eam toleraſſe, quod magnum pietatis zelum ille prae ſe ferret. Ad hoc enim conſilium tum demum Iulianus delatus eſt, cum iratum ſibi ob Maximi familiaritatem imperatorem ſeque ei ſuſpectum intellexiſſet. Iuliano ad imperii gubernacula euecto, Maximus mox adfuit. Et EVNAPIVS *) quidem Iulianum, tradit, euerſa Conſtantii tyrannide, Maximum et Chryſanthi-

*) L. V. c. 2. *) In Germanico Hiſt. philoſ. opere p. 710. *) p. 94. 190.

um literis ad ſe euocaſſe, eos autem Diis conſultis in prodigia triſtia atque atrocia incidiſſe, et Chryſanthium quidem animo deiectum itineris conſilium abieciſſe, Maximum contrarium tuentem, vim naturae inferendam eſſe ſtatuiſſe, et ad iter ſe accinxiſſe. Aſt veniſſe quidem inopinatum Maximum ad imperatorem ait AMMIANVS MARCELLINVS [r], ſed vocatum literis non dicit, forte quod vanam vtriusque tantum gloriae captationem deſcribere in animo haberet, ceteris omiſſis. Decedens ex Aſia Maximus a ſummis pariter viris, et magiſtratus honoribus perfunctis, atque promiſcua plebe, turba quoque feminarum gratulantium et obteſtantium, ſui vt eſſet memor, maximo cum honore dimiſſus eſt. Poſtquam ingenti cum comitatu Conſtantinopolin appulit Maximus, tanto imperatoris gaudio exceptus eſt, vt dignitatis ſuae oblitus Iulianus quibusdam videretur. Ita enim AMMIANVS [s]: *Cum die quodam cauſſa eius ſpectandi veniſſe nuntiatus eſſet ex Aſia philoſophus Maximus, exiluit indecore, et, qui eſſet, oblitus, effuſo curſu e veſtibulo longe progreſſus, exoſculatum ſuſceptumque reuerenter ſecum induxit, per oſtentationem intempeſtiuam nimius captator inanis gloriae viſus.* Quod quamuis vehementer improbet Ammianus, mirandum tamen non eſt, cum Maximus potiſſimum ad imperii ſpem et bellum contra Conſtantium, et voce et vaticiniis erexiſſet. Cui cum accederet imperatoris nimius erga hos homines amor atque fiducia, qua impoſtorem fere quemlibet admittebat, eoque gloriabatur, vt indignabundus refert EVNAPIVS [t], non potuit non indecenter ſe gerere imperator, cum primarius ſuperſtitionis ſacerdos ad eum acceſſiſſet. Mores imperatoris, vt fere fit, ſequuti ſunt amici et aulici, et officiis honoribusque dies noctesque Maximum cumulauerunt. Qua fortuna aulae elatior factus Maximus, habitum ſumſit philoſophum indecentem, mollemque ac elegantiorem, alloquiis moroſus ac difficilis, ignaro, quid rerum ageretur, imperatore [u]. Quam hominis ſuperbiam Iuliani ſtudio, honoribus et literarum commercio (cuius duo hodie ſuperſunt exempla) nutritam paſſim perſtringit EVNAPIVS [x]. Cum vero horum potiſſimum philoſophorum arbitrio cuncta perageret imperator, Chryſanthium, inuito, vt videtur, Maximo accerſi iuſſit, hic Priſcum vocari petiit, qui et venit, Chryſanthio futuram calamitatem praeſentiente, quae paulo poſt nequiſſimos homines ex merito oppreſſit. Ad bellum Perſicum ſe parabat imperator, in quo itinere comitem voluit ſibi eſſe, non Priſcum tantum et Maximum, ſed et alios, ſuas virtutes qui ſtulte extollebant, et ſe imperatori commendabant, quod mira eſſent praeſtituri [y]. Eiusmodi enim fraudibus capi poterat animus imperatoris ſuperſtitione nimium capti. Fuiſſe in eorum numero Maximum quoque, et per ſe credi poteſt, cum maxima Iuliani erga illum eſſet fiducia, et teſtantur SOCRATES [z] atque

r) L. XXI. c. 4.
s) loc. cit.
t) p. 101.
u) p. 98.
x) p. 69. 89.
y) Ibid. p. 101.
z) loc. cit.

Digitized by Google

que THEODORETVS [a]: nempe *diuinationibus credentem, quas ipsi Maximus philosophus, qui cum eo assidue versabatur, suggesserat, in eam opinionem adductum fuisse, Alexandri se Macedonis gloriam non aequaturum modo, sed et superaturum, putasseque, Alexandri animam in ipsum immigrasse.* Quod et Iuliano male cecidit, et Maximo: ille enim, vt suo loco docetur, a Persis interemtus est, hic a Christianis Antiochenis redux publica voce exagitatus, quod a caussa Iesu Christi victus esset. Rebus Iuliani, quas Maximus sociique eius struxerant, in ruinam datis, Iouianus quidem imperator eos non minus honoratos habuit, sed breuem et deplorandum finem sortitus nil effecit [b]. Cui cum successissent Valentinianus atque Valens, subito Maximi fortuna, qua fauentissima hactenus vsus fuerat, in supremam conuersa est miseriam. Vocati enim Maximus atque Priscus in aulam in custodiam abripiuntur: et Priscus quidem nihil mali passus et publico testimonio vir bonus declaratus in Graeciam rediit: Maximus vero cum et publice in theatris et apud imperatorem priuatim traduceretur, erecto quidem animo ferebat aerumnas, graues vero cruciatus, qui admouebantur, passus est. Tandem mulcta imposita, quantam homo philosophus ne audire quidem vnquam potuisset, eo quod omnes cunctorum opes et fortunas possidere crederetur. Quod cum aliter se habere compertum esset, mutata sententia exigua mulcta ei imposita, dimissusque in Asiam, vt pecuniam, in quam damnatus erat, solueret. Ibi miserrimam iterum tragoediam omnibus verbis superiorem excepisse Maximum refert EVNAPIVS [c]. Exquisitissimis enim tormentorum generibus inter muliebria et procacia tortorum ludibria ita excruciatus est, vt, cum neque modus neque finis vllus suppliciorum esset, oraret vxorem, vt medicatam ei potionem emeret, qua tantis demum malis eriperetur. Ea vero emit, sed allatam bibere praeoccupans, exanimata concidit, Maximus bibere supersedit. Studiose hic celat Eunapius inquisitionis caussam, tantaeque crudelitatis originem, nisi quod accusatum corrasarum facultatum nimiarum fuisse, haud obscure probat: valde tamen inconsideratus laudator suae sectae suspectam fecit caussam Maximi, narrans, Priscum eiusdem generis sectaeque hominem, qui ex eodem Iuliani consortio fuit, illaesum et cum gratia dimissum fuisse. Aliam itaque et grauiorem accusationem praesisse Maximum oportet, quod is tam male mulctaretur. Consulentibus vero historicos ecclesiasticos, vera caussa tam seuerae inquisitionis, grauisque supplicii facile detegi potest. Nempe fax et tuba eorum omnium, quae susceperat aduersus Christianos et ipsa Romani imperii incrementa Iulianus, habebatur Maximus. Hunc perditissimas diuinandi et magiae artes docuisse Iulianum, hunc a Christiana eum fide ad gentilem superstitionem auocasse; hunc in vitam Constantii coniurantem excitasse, hunc euertendae Christianae ecclesiae, et tot modis vexandorum

a) Hist. eccles. L. II. c. 27. b) EVNAPIVS p. 101. c) loc. cit.

Digitized by Google

Chriſtianorum conſilia imperatori ſuggeſſiſſe: hunc intolerabili faſtu ſuper ipſum imperatoris ſolium ſe euexiſſe: hunc peſſimis artibus ad bellum Perſicum, quibus Romanorum opes valde attritae ſunt, Iulianum animaſſe: hunc ſtolidis vaticiniis fortunae imperatoris atque victoriae obſtitiſſe: hunc Chriſtum per Iulianum immani odio et magicis artibus fuiſſe perſecutum, et clerus atque populus clamabat, et imperatoris accuſabant miniſtri, et credebant eo facilius principes ad crudelitatem et ſaeuitiam proni. Mirum itaque qui fiet, tam famoſum praeſtigiatorem, qualem eum fuiſſe Euſebii condiſcipuli teſtimonio ſupra vidimus, tantum hominumque ipſiusque Dei hoſtem inauditis cruciatuum generibus fuiſſe vexatum? Nondum tamen fata viam inuenerant Maximi, ſed hac quidem vice morti eripiendus erat philoſophus. Nouis enim curis turbisque a Procopio implicitus Valens, a plectendo Maximo deſiſtebat, rebellantique hoſti ſe obiiciebat [d]; qua occaſione vſus Clearchus, quem Aſiae, ſanae tum et morigerae, imperator praefecerat, Maximum inueniens quaeſtionibus admotum et equuleo diſtentum, ſatellites tormentis adhibitos fugere coëgit, Maximum vinculis exemit, corpus curauit reficiendum, ſuaeque illum menſae admouit, eaque libertate de his cum imperatore egit, vt cuncta is comprobaret, inimicos eius talionis poena affecit, vel repetundarum poſtulauit, bona furto ablata ei reſtituit, et facultatibus auxit [e]. Spectatus itaque omnibus et reuerenter iterum habitus Conſtantinopolin acceſſit. Factum ibi periculum innocentiae eius circa theurgiam ait EVNAPIVS, non vero indicat, qua in re tentatus fuerit, niſi quod ſuſpicamur, reſpicere Eunapium ad ſequentem diuinationis hiſtoriam, quae Maximo interitum attulit. In vitam ſcilicet imperatoris coniurauerant aulici quidam, qui accuſabantur, nomen imperaturi poſt Valentem deteſtandis praeſagiis didiciſſe ſecretim. Correptus ex his, vti narrat AMMIANVS MARCELLINVS [f], eius temporis hiſtoricus, qui totam coniurationis detectae ſeriem pandit, „Fiduſtius praeſidialis, occul„teque inductus, viſo indice, nulla inficiatione obumbrare iam publicata „conatus, rei totius calamitoſum aperit textum: abſolute confeſſus, ſe „cum Hilario patricio vaticinandi peritos de imperio conſuluiſſe futuro, „motasque ſecretis artibus ſortes et nuncupationem principis optimi, et „ipſis conſultoribus luctuoſos exitus praedixiſſe: viſumque eſſe, referri „oraculum ad Theodorum virum praeſtantiſſimum, moribus et literis or„natiſſimum. Relato geſtorum volumine imperator formidine ſucceſſo„ris exagitatus et ad vindictam incenſus ab aulicis, praecipue a praefecto „praetorio et Theodoro, rapi et reliquos ſuſpectos iuſſit, eo quod ſae„pius iam vitae periculum inſidiis adiiſſet. Diris quaeſtionibus habitis, „adacti tormentis Patricius et Hilarius negotii fidem aperuerunt, qua ra„tione menſulam Delphicam inſtruxerint et imprecationibus choragiisque „multis

d) Coniurationem et rebellionem Procopii narrat AMMIAN. MARCELL. L. XXVI. L. XXVII. SOCRAT. L. IV. c. 5. SOZOMEN. L. VI. c. 8.
e) EVNAPIVS p. 106. f) L. XXIX. c. 1.

Digitized by Google

„multis ac diuturnis ritualiter confecratam mouerint tandem:„ quod qua ratione factum ſit, vt breuitati conſulamus, apud ipſum Ammianum legi velimus, eo quod artes, in ſchola quoque Platonicorum non ignotas, produnt clariſſime. Hoc vnum notamus, indicatas primas ſucceſſoris literas ΘΕΟΔ. Theodori ſucceſſoris ſpem feciſſe, oraculumque inquiſitores detuliſſe, quod non negat EVNAPIVS [g], ad Maximum, de re inter ſeſe non conuenientes: eum vero mentem aduertentem et dicta perpendentem, celeriter perſpexiſſe, quod in verbis abſtruſi latebat, immo veritatem ipſam, idque ita protuliſſe, vt oraculis ipſis verius eſſet, dicentem, quod et ſe pronuntiantem perdidiſſent, et omnes eos, qui conſcii eſſent conſilii, et plures alios, qui mortem iniuſte ſubituri eſſent; imperatorem vero poſt promiſcuam et multiformem omnium caedem, nouo et inuſitato mortis genere inhumatum periturum. Ita vero euentum quoque rem comprobaſſe teſtantur Eunapius et Ammianus. „Nam et reliqui iugulabantur vni„uerſi, praeter Simonidem philoſophum iuuenem, quem ſolum ſaeuus ille „ſententiae lator, efferatus ob conſtantiam grauem, iuſſerat flammis exu„ri, quique vitam, vt dominam fugitans rabidam, ridens ſubitas momen„torum ruinas immobilis conflagrauit, Peregrinum philoſophum (de quo „infra) imitatus: et non multo poſt Maximus quoque philoſophus, Ora„culi ſupra dicti verſus audiſſe inſimulatus; ſeque comperiſſe adſenſus, ſed „reticenda profeſſionis conſideratione non effudiſſe verum vltro praedi„xiſſe conſultores ipſos ſuppliciis poenalibus perituros. Epheſum ad „genuinam patriam ductus, ibique truncatus ſenſit, docente periculo ex„tremo, quaeſitoris iniquitatem omnibus eſſe criminibus grauiorem.„ Haec Ammianus, quibus lucem affundit EVNAPIVS [h], narrans, „pudo„re deterritos a necandi Maximi conſilio, quod in iudicio confutata eſ„ſent omnia, quodque falſitatis eos, a quibus erat comprehenſus, conui„ciſſet, Feſtum truculentum hominem vna cum eo in Aſiam miſiſſe, qui „iuſſa executus ſit ac de ſuo ingenio, rabiei ſuae indulgens, choragium ſae„uitiae adiiciens, poſt trucidatos complures fontes et inſontes, magnum „illum Maximum iugulauerit.„ Eadem quoque tradit SVIDAS [i], qui hunc Feſtum temporibus Valentis proconſulem in Aſiam miſſum, regioque fiſco praefectum crudelitate omnes fere ſuperaſſe et Maximum quoque gladio interfeciſſe tradit, Eunapii, vt veriſimiliter coniicit KVSTERVS [k], memoriis vſus. Non videmus itaque cauſſam, qua inductus Cel. FABRICIVS [l] hunc Maximum a Feſto interfectum diſtinguit, cum eundem eſſe, Eunapii locus manifeſte doceat. Nec obſtat, Maximum Epheſium interemtum dici a Valentiniano, apud SOCRATEM [m] et NICEPHORVM [n], aſt Maximum a Feſto capite plexum eſſe ſub Valente. Ex Eunapii enim et Ammiani, qui iſtis temporibus vixere, huiusque ſectae hiſtoriam accurate norunt, narratione conſtat, Valentis, non vero Valentiniani

g) p. 109. b) loc. cit. l) Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 770.
i) In Φώτιος T. III. p. 596. ſeq. m) L. III. c. 10.
k) Ad h. l. n) L. X. c. 1.

ni crudelitate philoſophum hunc e medio ſublatum eſſe. Adeoque aut pro Valentiniano, Valens ſubrogandus eſt apud Socratem, aut, quod duo regnarent imperatores, Valentiniano adſcriptum eſſe, quod a Valente factum, dicendum, aut, quod nobis quidem magis placet, ſtatuendum, Socratem priorem inquiſitionem, quam in eum *ὡς μαγγείας ποιοῦντα, tanquam artes magicas exercentem*, factam fuiſſe, ex Eunapio narrauimus, cum vltima ſub Valente confudiſſe. Secuta tamen mortem Maximi mox diuina erga Feſtum Nemeſis. Tradit enim porro EVNAPIVS, teſtis, vt ait, *αὐτόπτης* [o], Feſtum iſtum munere exſpirante, ad Theodoſium nouum imperatorem profectum, poſt reditum nuptias potentiſſimas iniiſſe, luxusque oſtentandi et iniuriarum obliterandarum cauſſa feſtum epulumque magnificum optimatibus et magiſtratibus feciſſe: ipſum autem delubrum Eumenidum ingreſſum, narraſſe ſomnio ſibi viſum Maximum, numella collo iniecta ad orcum pertrahere, ſiſtendum Plutonis iudicio. Praeſentes conterritos omnes, quod vitam viri recolerent, lacrymas pro ſe quemque profuſas ſiccaſſe, et vota facere iuſſiſſe, quod factum a Feſto. Sed dum egrederetur ipſe, humi concidiſſe, vocisque vſu deſtitutum iacuiſſe, ac domum relatum confeſtim exſpirauiſſe. Ceterum fuiſſe Maximum et corporis et ingenii dotibus ornatiſſimum, non ſine eius laude inſigni depraedicat EVNAPIVS [p], qui oculorum pupillas volubiles, canam promiſſamque barbam, ingenii velocis vigorem atque agilitatem ex oculis elucentem, miramque harmoniam et conſonantiam virtutum ſe non ſatis potuiſſe mirari, quum adoleſcens ſenem vidiſſet, fatetur. Sed et artibus theurgicis excelluiſſe, et inter primarios Deorum miniſtros fuiſſe relatum, qui diuinatione et magia eorum voluntatem et auxilia euocarent, allata Eunapii, Ammiani, Socratis, Sozomeni et Nicephori teſtimonia ſatis ſuperque docent. Fuere alii quoque Maximi [q], quorum ex parte mentio facta eſt, et in his aliquot philoſophi cum noſtro non confundendi, Maximus nempe Tyrius, Maximus Aegienſis, Maximus Cynicus [r]. Imprimis autem Maximus Epheſius, a Maximo Byzantino diſtinguendus eſt. Quem licet confundere videatur cum Epheſio SVIDAS [s], vt hoc ſolenne ſcriptori valde negligenti minusque accurato, dum Maximum Byzantinum Iuliani praeceptorem dicit, non diſplicet tamen coniectura FABRICII [t], qui Maximum hunc inter praeceptores quoque Iuliani numerandum eſſe putat. Etſi enim eum inter philoſophos Peripateticos IDEM eo nomine collocat, quod in Ariſtotelem commentatus eſſe dicitur; notum tamen eſt, et a nobis infra demonſtrabitur, eclecticos adeo in Peripateticae philoſophiae ſtudio, ſcriptis etiam in Ariſtotelis opera commentariis interdum

o) p. 110. p) p. 88.

q) Enumerauit eos FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 769. ſeqq.

r) De hoc Cynico Alexandrino, tandem ad ſedem Conſtantinopolitanam euecto, vnde et Byzantius dicitur, extat inter Orationes GREGORII NAZIANZENI vna: in laudem Maximi philoſophi poſt exilium reuerſi. Conf. IONS. de Script. Hiſt. phil. L. III. c. 16. §. 4. p. 92. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 363.

s) In Maximus T. II. p. 494.

t) loc. cit.

Digitized by Google

terdum inclaruiſſe, vt magis inter Peripateticos, quam Platonicos referendi videantur, vt Themiſtii, Simplicii aliorumque exemplis conſtat: cuius rationem cauſſamque ab henotico vtrumque philoſophum conciliandi ſtudio deriuandum eſſe, ex ſupra dictis liquet. In qua opinione maxime confirmamur fragmento illo carminis Maximi huius Epirotae, *περὶ κατακχῶν*, i. e. *de electionibus ſiue auſpiciis actionum*, quas quis ſuſcipit, ex poſitu lunae proſperene an ſecus ſucceſſurae ſint diiudicandis, quod nobis exhibuit idem Cl. FABRICIVS *). Id enim non tam Peripatetico genuino, quam Eclectico ſiue Alexandrino philoſopho conuenire, vel ſola latiſſime in ea regnans ſuperſtitio et influxus ſiderum admiſſus probant; Eiusdem forte argumenti libellus fuit *περὶ ἀλύτων ἀντιθέσεων*, quod Maximo Byzantino adſcribit SVIDAS *), id enim *de inſolubilibus oppoſitionibus* egit. Cauenda tamen confuſio inter hunc et Epheſium Maximum, quam non ſatis euitauit auctor indicis copioſi et praeſtantis ad hanc Bibliothecam Graecam, qui nempe poëma illud de auſpiciis Maximo Epheſio tribuit, refragante et Suida, et ipſo, vt modo dictum, Fabricio.

§. XXVI. PRISCVM, Theſprotium vel Moloſſum genere, ad hanc quoque ſectam pertinuiſſe, ex Aedeſii diſciplina in antecedente §. diximus, et in inquiſitione de theurgicis ſub Iuliano, apud quem gratioſus fuit, conatibus quaeſitum liberum dimiſſum fuiſſe in Graeciam, auctore EVNAPIO *) tradidimus, qui addit, nonagenarium in Graecia obiiſſe, ingenioque dicit fuiſſe recondito atque abſtruſo, multumque ex arte diſſimulante, praeterea memoria praeſtantiſſima, veterum etiam opiniones omnes cognitas atque collectas habuiſſe in promtu: ex quibus colligimus, Priſcum preſſius, quam reliquos, indolem philoſophiae Ammonianae ſecutum, ex omnium ſectarum placitis philoſophiam ſuam conflaſſe, theurgica vero, quod, vt ſupra ab Euſebio factum eſſe, vidimus, ea indigna philoſopho altiora ſpiranti haberet, neglexiſſe. Forma fuit egregia, ſtatura magna, aegreque ad diſputationes adduci potuit. Cuius duplex ratio apud Priſcum inualuit. Nam ſecutus arcanam Ammonianae ſcholae methodum a tot veteribus philoſophis adhibitam, nec cum *ἀμυήτοις* et profanis, nec cum vulgo, quicquam ſapientiae ſuae communicauit, ſed velut theſaurum dogmata ſua cuſtodiuit, eos prodigos decoctoresque nominans, qui facile de iis differerent. Deinde nec fructum ex diſputationibus oriri dicebat, cum victus nec miteſcat magis, quam veritatem potius oppugnet eique fortius obſtrepat, nec qui voluptatibus deditus eſt, melior reddatur, ſed efferatur potius, et *μισολόγος καὶ μισοφιλόσοφος* euadat. Sed et moribus grauis erat et faſtuoſus, quam animi elationem cum aduerſus ſodales et commilitones, tum in omni vita ad ſenium uſque conſeruauit, et ne magiſtro quidem praeſenti pepercit. Quam animi ſingu- *Priſcus.*

*) Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 414. *) loc. cit. *) p. 114. ſeq.

Digitized by Google

singularitatem, et seruatum de doctrinis suis silentium proteruorum quidem adolescentium insultus prouocasse, sed post Iuliani quoque imperium ab obtrectatione et reprehensione liberum seruasse, EVNAPIVS monet, indeque factum esse dicit, vt cum alii eo quidem tempore miseri vel sua vel hostis manu perierint [z], ipse solus in Graeciae templis vsque ad prouectam aetatem absque insidiis vixerit.

Chrysanthius. §. XXVII. Plurimum tamen inter scholae Plotinianae doctores extollit EVNAPIVS [a] CHRYSANTHIVM, praeceptorem suum, quem Iulianum quoque inter praeceptores suos numerasse supra diximus, quique Eunapio auctor fuit scribendi de vitis sophistarum commentarii. Ordinis vero senatorii fuit Chrysanthius, et nobilitate suae ciuitatis facile princeps. Auus illi fuit Innocentius quidam, qui opibus et auctoritate atque existimatione, quam priuati hominis, superiore vsus est, et cui legum condendarum potestas ab imperatoribus erat permissa; cuius etiam libros supersse Romano Graecoque idiomate scriptos, et acre iudicium et ingenii acumen prae se ferentes, IDEM ait. Adolescens parente orbatus, et diuino quodam naturae instinctu ad philosophiae studia inflammatus, Pergamum ad Aedesium se contulit, cumque maximo ardore eruditionem sitiret, in profundae doctrinae viro inuenit, vnde se totum scientia ingurgitaret: cumque esset corpore firmo, et plane adamantino, quod labores patienter toleraret, et cuiuis exercitationis generi facile assuesieret, in philosophia mysteria cito penetrauit, et Platonis atque Aristotelis dogmata plane didicit: sed ad omnem quoque philosophiae speciem animum conuertens, non tantum in eloquentia vires vsu et exercitio roborabat, sed et demonstrare eas publicis speciminibus non refugiebat, dicendi et silendi arte pariter conspicuus, et vbi dicendum esset, non sine magnificentia de rebus profundioribus edifferens [b]. Post haec γνώσει τῶν Θεῶν καὶ σοφίᾳ sublimiori Deorum cognitioni [c] et sapientiae se totum tradidit, ei nempe, quam et Pythagorae sectatores, et Apollonii Tyanensis assectae excoluere, qui hunc humano corpore vestitum olim adorabant. Ad hos homines accurrit Chrysanthius, et ipsis eorum principiis vsus, ad eam animi perfectionem subleuatus est, vt omnis eruditionis species et perfecta eius notitia illi exsurgeret [d], et futura ita praediceret, vt

z) Inter hos fuisse Hilarium Bythinium, non philosophiae tantum laude, sed et artis pictoriae excellentia illustrem, qui cum familia obtruncatus fuerit Athenis narrat EVNAPIVS p. 119. Cuius verba misere peruertit IVNIVS. πρὸς δὲ τῷ καθαρῷ τῆς ψυχῆς παιδείας κατὰ γραφὴν ἔτυχε φιλοσοφήσαντα, ὥστε οὐκ ἐτεθνήκει ἐν τοῖς ἐκείνου χεροὶν ὁ Εὐφράνωρ, ita reddens: „In „arte pingendi aduersus liberalium artium va„cuos ita philosophatus est, vt appareat in illi„us manibus non esse extinctum Euphranorem". Haec enim nec sensum sanum fundunt, nec Eunapii verbis faciunt satis, quae ita vertenda: „Qui praeter reliquam liberalem disciplinam „etiam pictoriam ita excoluit, vt per eius ma„nus puer Euphranor (ab eo pictus) supersse „videatur". Conf. GATACKER ad Antonin. L. I. §. 6. p. 5.

a) p. 186. SVIDAS T. III. p. 691. hunc exscripsit.

b) Graeca ipsa inspicienda sunt, quorum sensum non satis assecutus est Iunius.

c) Sublimiorem diuinae familiae cognitionem γνῶσιν innuere, vel ex solo Gnosticorum nomine notum esse putamus.

d) Valde memorabilis hic locus est, ex quo fontes philosophiae Plotinianae discuntur.

Digitized by Google

vt cernere magis, quam vaticinari diceretur. In his ſtudiis magnam temporis partem vbi cum Maximo Socio conſumſiſſet, multumque aerumnarum pertuliſſet (ita enim ſolitos fuiſſe arcanarum iſtarum diſciplinarum doctores, vt multis laboribus et aerumnis diſcipulos prius probarent, ex barbaricae philoſophiae hiſtoria notum eſt, et ſatis innuit Eunapius voce συναθλήσας, quae moleſtias cum commilitone exantlatas ſignificat) eum myſteriorum ſuorum participem dereliquit: tantoque in has artes ſtudio incubuit, vt totus cum Maximo, vt alibi dicit EVNAPIVS e), diuinae agitationi et enthuſiaſmo occuparetur, reliquas diſciplinas liberales negligeret, prodigiis vero et Deorum monitis obſecundaret, quod neglexiſſe Maximum et Deos obteſtatum fuiſſe, vt fata mutarent, Eunapius monet, et nos ſupra exemplo profectionis in aulam imperatoris a Diis diris oſtentis improbatae illuſtrauimus. Magnam eo tempore et artis peritiam et animi conſtantiam Chryſanthium demonſtraſſe, vitae eius narrat hiſtoricus, quem nec Maximi obteſtationes, nec honorifica imperatoris legatio, nec literae Iuliani repetitae, nec Melitae vxoris, quam deperibat, preces, ab imperatore expetitae, potuere flectere, vt iter ingrederetur, honores et felicitatem ſummam promittens, ſed quod ſigna diuina calamitoſum fore atque tragicum praedixerant, et repetitis a Chryſanthio victimis, immutabilem ita fatorum ſeriem poſcere ſignificauerant. Et ita quidem cum fatis vim inferre naturamque vincere Maximus ſtatuens, Byzantium eſſet profectus, a Chryſanthio relictus eſt, ab imperatore autem pontificatum regionis Lydiae accepit, adiecta poteſtate, auita ſacra, quae Chriſtianorum imperatorum zelus eiecerat, reuocandi. Qua ille tanta prudentia et moderatione vſus eſt, vt nec ſe moroſe in iſto munere gereret, cum magna vteretur morum lenitate atque ſimplicitate, nec calida et feruentia nimis conſilia ſequeretur, neque Chriſtianis valde moleſtus eſſet, ſic vt nemo fere reſtitutionem ſacrorum, et renouatum Deorum cultum animaduerteret. Id quod magno emolumento ceſſit Chryſanthio. Cum enim cuncta placide et aequabiliter atque tranquille ſopirentur, poſtea vbi omnia alia, quam Iuliani caterua ſperauerat, euenirent, reliquis ſurſum ac deorſum velut tempeſtate iactatis ſolus euaſit, et omnium admirationi fuit Chryſanthius, eo quod non futura tantum praenoſſet, ſed et ea ſcientia magna prudentia ſciret vti. Munere vero motus ſub imperatoribus, qui Iulianum ſequebantur, Chriſtianis, Athenas conceſſit, vitamque ibi priuatam magna tolerantia et frugalitate egit, nullius, quod inter homines exerceri ſolet, vitae generis curam agens, non oeconomiae, neque agriculturae, neque rei pecuniariae honeſte faciendae, ſed inopiam tolerauit facilius, quam alii diuitias f). Sed ex lege ſcholae ſuae viuens facile parabili vtebatur cibo,

e) In Maximo p. 85. hic finis fuit philoſophiae Alexandrinae primarius.

f) Contrarium hic ſenſum expreſſit IVNIVS, qui ita transtulit: „Vitam exegit in proue„ctam aetatem, nullius alterius rei ſatagens, „quam oeconomiae a rerum domeſticarum cura „dictae,

et raro admodum carnibus vescebatur animalium; Deorumque cultus primaria ratione assidue habita, tempus lectione veterum terebat, et scribendis libris insudabat, tanta assiduitate vsus, vt octogenario maior, propria manu tantum librorum scripserit, quantum vix vnquam aetate florente legunt alii. Quo factum est, vt extremi digitorum articuli ob indefessum scribendi studium contraherentur. Viua vero voce quoque profuisse, et philosophiae dogmata iuuentuti tradidisse, Eunapii exemplo constat, quem in chariſſimis habuit. Ab exercitatione studiorum surgens animum recreabat ambulationibus in viam publicam adscito Eunapio comite, spatiaque longe, sed otiose lenteque emetiebatur, animum interea narrationum suauitate deliniens. A magnatum vero procerumque congressu non fastu abstinebat, sed vitae simplicitate, et Socraticam vitam exprimebat, cum inaffectatus candor et facilitas quaedam simplex sermoni eius insideret, verborum tamen venustate aures demulciente *f*. Comis erat in congressu erga omnes, adeo vt ambitione id fieri quidam censerent; sermo concinnus et in tanta ingeniorum diuersitate congruus. Pertinacior tamen erat, nec de sententia facile moueri se patiebatur: neque autem facile quis eum audiuit eruditionem suam ostentantem, eoque nomine insolentius se efferentem; immo dicta quoque ab aliis probabat, si vel perperam dicta essent; et quae male etiam statuebantur, laudabat, ac si ne principium quidem auscultasset, ne quenquam contristaret. Quod si forte inter praesentes magnae famae et existimationis philosophos, disputatiuncula exorta, placuisset se disceptationi miscere, omnes conticebant, ac si nemo adesset, neque quisquam in contentionis aream cum eo descendebat, ne erroris conuincerentur. Accidit etiam, vt ii, qui virum mediocriter tantum nouerant, et solam animi mansuetudinem laudabant, facto disceptationis periculo, longe alium, quam putarant, deprehendere se putarent: coma tunc in horrorem erecta, et oculis animi in dogmatum certitudine triumphum agentis indicibus. Quibus vitae rationibus et artibus factum, cum auitae reipublicae sacrae (*τῆς ἀρχαίας καὶ πατρίου πολιτείας*, id est, religionis veteris et patriae) antistes esset primarius, vt a summis viris, qui isto adhuc tempore superstitione veteri tenebantur, eamque firmare labantem conabantur, oraculi instar consultus fuerit, cuius exempla quaedam narrat EVNAPIVS *h*. Firmissimo corporis robore vsus, ad vltimam, vt supra dictum, senectutem peruenit, animo philosophiae beneficio semper placido et sereno seruato. Cuius exemplum dedit in funere filii praeceptori Aedesio cognominis, qui aetatis anno vicesimo maximae spei adolescens,

„dictae, aut agriculturae, aut pecuniariae rei, quae „honeste iusteque acquiritur: inopiam tolerabat „patientius, quam diuitias caeteri". Sed Graeca ita exprimenda esse, vt nos vertimus, facile intelliget Graeci sermonis peritus lector. Ita enim EVNAPIVS p. 197. *ὁ δὲ μακρὸν ἀφικόμενος, τὸν πάντα διεξελθεῖν βίον, οὐδενὸς τῶν παρ' ἀνθρώπους ἑτέρου φροντίσας, οἰκονομίας τινὸς ἢ γεωργίας ἢ χρημάτων, ὅσα δικαίως παραγίνεται ἀλλὰ πενίαν μὲν ἐφερε ῥᾷον ἢ πλοῦτον ἕτεροι.*

g) Ibid. p. 195.

h) p. 207.

Digitized by Google

ſeſcens, et in ſacris pariter atque humanis ſcientiis valide verſatus deceſſerat, quam mortem vel affectu vacuus, vel infractus animo pertulit, vxoremque perferre docuit. Senex etiam, quod vegeto eſſet corpore, venam ſecare ſolitus eſt, regente ſanguinis fluxum Eunapio rerum medicarum non imperito: quod cum ſaepius fieret, Eunapio quoque aliquando abſente, mox ſubitus languor, et virium defectio ſecuta eſt, cum articulorum contractione. Aduocatus in auxilium conſiliumque Oribaſius, Eunapii familiaris [i], qui ex medicis imperatoris Iuliani fuerat, molliter naturae vim reuocandam eſſe ſtatuens, per fomenta calida et emollientia refrigeratis artubus vigorem aliquem reſtituit: ſed vicit ſenectus, quae ſequente anno eum abſumſit.

§. XXVIII. Nemo tamen vel maiorem ſuo nomine gloriam huic ſectae conciliauit, vel fortiori quoque conatu eius atque incrementa adiuuit, IVLIANO imperatore, qui ob defectionem ad auitam gentilium ſuperſtitionem apoſtata dici ſolet. De cuius vita et imperii hiſtoria, licet maxime memorabilem Sec. IV. partem conſtituat, prolixe differere, huius loci non eſt, ſed quaerenda ea apud illos, qui Romanorum imperatorum res geſtas in ſacra et profana hiſtoria enarrauerunt. Nobis enim de magni principis, virtutibus atque vitiis illuſtriſſimi, conſiliis, inſidiis, diſcordia cum Conſtantio, bellis cum Parthis, Gallis, Germanis, defectione a Chriſtiana fide, artibus euertendi rem Chriſtianam, morte quoque praematura, quaeque alia in eius hiſtoria occurrere ſolent, multum recentiori aetate controuerſa agere, criticamque his tractandis manum afferre, nec libet nec licet; ſed lectorem eius rerum ſciendi cupidum vel ad ſcriptores eccleſiaſticos vel ad profanos, vel, quod nobis placet, ad vtrosque ablegamus [k], monentes, vt abiecto vel odio vel fauoris praeiudicio, quod ex vtraque parte, multos, qui in hoc ſtudio verſati

Iulianus apoſtata.

i) Oribaſius Pergamenus fuit, in prima adoleſcentia ob praecluram eruditionem famam iam nactus, in iuuentute Zenonem, Magni condiſcipulum, ex hac ſchola philoſophum audiuit, poſtea ad artem medicam animum applicuit, eoque nomine a Iuliano, vt ſanitatis ſuae cuſtos eſſet, accerſitus eſt. EVNAPIVS etiam l. c. p. 180. tradit, tantis eum virtutibus excelluiſſe, vt ad imperium etiam Iuliano viam demonſtrauerit: quod odium imperatorum ſequentium ei conciliauit, qui facultatibus eum omnibus ſpoliarunt, et in barbaras terras eiecerunt in exilium. Quae calamitas ei felicitatis ianuam aperuit, cum artis ſalutaris conſiliis apud reges barbaros plurimum valeret. Redeundi poteſtate accepta et facultatibus redditis, vxorem duxit potentem, medendi pariter felicitate atque morum ſuauitate maxime commendatus. De ratione eius medendi ſcriptisque conſulendi hiſtoriae medicinae ſcriptores CLERICVS P. III. p. 576. FREINDIVS P. I. p. 6. MERCKLINVS Lind. reſtou. p. 875. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. XII. p. 659. IX. p. 451. ex veteribus PHOTIVS Cod. CCXVI.

k) Qui de Iuliani hiſtoria ſcriptores conſulendi ſint, ex catalogis ſcriptorum, qui res huius ſeculi eccleſiaſticas et ciuiles enarrarunt, diſcendum eſt, adeundique ex illis Socrates, Theodoretus, Sozomenus, ex his Amminianus Marcellinus, Sextus Aur. Victor, Eutropius, Rufus Feſtus, Zoſimus aliique; et qui propius literatam eius hiſtoriam reſpiciunt EVNAPIVS in Aedeſio, Maximo et Chryſanthio. LIBANIVS in Orationibus, et, qui paſſim tetigere res eius, Chriſtiani Doctores Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, Baſilius aliique, de quibus videndus MART. HANCK. de Script. rer. Rom. c. XXX. art. 1. p. 154. ex recentioribus ante alios TILLEMONTIVS et EZ. SPANHEMIVS adeundi ſunt, vbique vero ſeruandus modus et nec extollendus nimis, ſuppreſſis vitiis, nec culpandus ſine modo, virtutibus eius neglectis, quae extrema ſatis feliciter vitauit Ammianus, ſeuerus vitiorum eius cenſor laudatorque virtutis.

fati ſunt, in transuerſum egit, ſine ſtudio partis examinata teſtium fide rerumque probabilitate de Iuliano ſtatuant. Quam legem et illis latam eſſe volumus, qui philoſophicam imperatoris huius hiſtoriam noſſe cupiunt. Etſi enim magni principis perſonam omnino ſuſtinuiſſe cenſendus eſt, tantus tamen non in omni tantum eruditionis genere, ſed in philoſophia quoque euaſit, vt non tantum Alexandrinae philoſophiae alumni eum ſibi totum vindicarent [l], ſed et Chriſtiani [m] philoſophi nomen laudemque ei non denegarent. Quare ad ea potiſſimum reſpiciemus, quae ad huius ſectae, quam tantopere promouit, hiſtoriam pertinent. Et qua quidem occaſione ad Plotinianae ſcholae philoſophos peruenerit, ſupra in Maximo iam narrauimus, et hic paucis ea repetimus, quae ad integram enarrandam huius principis hiſtoriam philoſophicam pertinent. Educatus nempe magna Conſtantii cura Iulianus, bonisque artibus innutritus a praeceptoribus Chriſtianis, Mardonio eunucho hanc eius inſtitutionem moderante [n], quod male habet EVNAPIVM [o]. In Grammaticis a Nicocle quodam, in Rhetoricis ab Ecebolo eruditus eſt, ſeuere prohibente Conſtantio, qui Nicomediam eum ire iuſſerat, ne Libanii ſophiſtae, cuius tunc ſchola in dicendi arte maxime excellebat, lectiones audiret. Id quod grauiter ſe indoluiſſe conqueritur LIBANIVS [p], *quod in tali anima, tanquam in agro foecundo ſementem ſibi facere non licuerit: peſſimo enim cuidam rhetori mercedis loco, pro eo quod Deos maledictis aſſidue proſequeretur, iuuenem ceſſiſſe, ipſum quoque eiusmodi de Diis opinione innutritum magiſtrorumque in dicendo imperitiam ob indictum ab iis altaribus bellum ferre non recuſaſſe.* Quam ob cauſſam Libanium amare excepit SOCRATES [q]. Parum tamen vel Conſtantii ea in re ſeueritas, quam haud iniuſta ſuſpicio, ne Iulianus a fide Chriſtiana deficeret, excitauerat, vel eorum, qui illi praeerant, cura impedire potuere, quo minus Iulianus ad gentilium ſuperſtitionem prono ferretur animo. Cuius rei cauſſas expendentibus variae occurrunt. Vt enim de magno, qui in iuuene flagrabat, diſcendi ardore, quem ingenii dotes excellentiſſimae ſuſtentabant, quique forte a Chriſtianis praeceptoribus non ſatis extingui poterat, taceamus [r], negligentia ſane eorum, quos educationi feruentis et ad magna tantum et excelſa adſpirantis adoleſcentis praefecerat Conſtantius, in culpa fuit, vt, quod maxime cauendum eſſe recte imperator viderat, ad gentilium philoſophorum ſcholas declinaret. Narrat enim EVNAPIVS [s], „vbi Iulianus ingenii vim et magnitudinem ita oſtendiſſet, vt, „quicquid librorum proferretur, id memoria complecteretur, ita vt praecocem eruditionem aegre ferre magiſtri viderentur, quaſi non habituri, „quod

l) Patebit hoc ex dicendis. Conf. EVNAP. l. c. AVR. VICTOR. in epit. p. m. 372. EVTROP. L X. LIBANIVS loco citando.

m) SOCRATES L. III. c. 1. SOZOMEN. L. VI. c. 2. *n*) SOCRATES l. c.

o) In Maximo p. 82.

p) In orat. parent. in Iulian. Vol. VII. Bibl. Graec. FABRICII §. 5. p. 228.

q) L. III. c. 23.

r) Multa de hac re gloriantur EVNAPIVS p. 82. et LIBANIVS l. c.

s) loc. cit. p. 83.

Digitized by Google

„quod puero porro inſtillarent, et nec Iulianus haberet, quod amplius „diſceret, nec illi quod docerent, rogaſſe eos conſobrinum Conſtantium, „vt permitteretur ei, oratoriae arti ac philoſophiae vacare, quod ille lu„bens conceſſerit, eum in libris magis volutari et ineptire, quam generis „et imperii memoriam recolere cupiens. Eum itaque regiis ſumtibus „inſtructum peruenisse ad Aedeſium, vt ſupra retulimus. Valde hic attendere et ſollicite curare debuerat eorum fides, quorum prudentiae principem hunc Conſtantius commiſerat, dum ignorare non poterant, ea animi indole atque inclinatione eſſe Iulianum, vt facile ſuperſtitione traheretur, ne ad ſcholas gentilium philoſophorum delaberetur, quos eo tempoore miris artibus et praeſtigiis firmiſſima ſuperſtitioni fulcra paraſſe, peruulgatum tum erat. Tanta enim eius ſuperſtitio fuit, vt AMMIANO MARCELLINO [t], licet huic ſectae, quam vehementi proſequebatur ſtudio Iulianus, valde addicto, vapularet, carpenti, quod *praeſagiorum ſciſcitationi nimiae deditus fuerit, vt aequiparare videretur in hac parte principem Hadrianum et ſuperſtitioſus magis, quam ſacrorum legitimus obſeruator fuerit.* Tali cum animo eſſet, maxima eorum negligentia culpanda erat, qui anceps ingenium ad hos homines diuertere permiſerant, licet vix perſuaderi queat, Conſtantium, vt vult EUNAPIVS [u], eius rei fuiſſe conſcium. Addit his GODOFREDVS ARNOLDVS [x], notiſſimus hiſtoriae eccleſiaſticae compilator, ingentia doctorum Chriſtianorum diſſidia, et controuerſias praeſertim cum Arianis, ad contemnendam Chriſtianorum doctrinam et amplectendum cultum gentilem pleraque contuliſſe. Quas licet ingenio attento facile ſcrupulum mouere potuiſſe non negamus, miramur tamen virum non indoctum in hanc praecipue cauſſam defectionem Iuliani reieciſſe, cum tamen ſcriptores gentiles eam non indicent, non tacituri, ſi ea primaria ratione ad deſerendam patriam religionem commotus fuiſſet Iulianus, qua nempe haud leue ἔγκλημα habuiſſent in Chriſtianorum ſacra, quae data quauis occaſione traduxere, et in his praecipue Eunapius. Nec, ſi verum dicendum, valde ad philoſophorum caſtra hae controuerſiae atque lites inuitaſſent Iulianum, qui, vt erat in veterum lectione ſatis verſatus, et ex apologiis Chriſtianorum dudum didicerat, non ignorabat, non aeque magna tantum, ſed et grauiora inter philoſophos eſſe diſſidia, et tanquam perditiſſimas impoſturas et praeſtigias traduci ab Epicureis, quae tanquam ſummae ſapientiae et diuinae doctrinae myſteria tradebant Platonici Alexandrini, quaeque ipſe ſtudioſe conſectabatur. Quaecunque vero cauſſa demum fuerit, illud certum eſt, Maximi familiaritatem aduentumque Nicomediae ad has gentilium partes amplectendas Iulianum determinaſſe. Id enim ſupra diſerto Eunapii teſtimonio confecimus. Qui vt erat veterator vaferrimus, et praeſtigiarum peritiſſimus artifex, inge-

t) L. XXV. c. 6.
u) loc. cit.
x) Hiſt. eccleſ. et haereſiol. P. I. L. IV. c. 4. p. 126. ſeqq.

ingenium Iuliani feruidum quidem, ſed in iudicando, teſte AMMIANO [y], lentius et ad ſuperſtitionem inclinans eo facilius potuit impellere, quo magis diuinationibus ſuis iuuenem ambitioſum et odio patruelis flagrantem in ſpem imperii potiundi erexerat, vt ſupra quoque in Maximi vita demonſtratum. Proni enim et lubentes ea amplectimur, quae votis noſtris velificantur, quaeque, vera vt ſint, optamus et ſperamus. Non negamus quidem, Eunapium Oribaſio tantum et Euemero hanc accenſae imperii ſpei cauſſam tribuere [z]: ſed vt taceamus, Oribaſium cum his hominibus feciſſe, valde veriſimile faciunt diſerta ſcriptorum eccleſiaſticorum teſtimonia non Iuliani tantum deſiderium potiundi imperii, ſed Maximi etiam ſtudium Iuliano diuinationibus placendi, maxima, quam in hunc praeſtigiatorem ponebat in futuris praedicendis fatis, etiam imperii, Iulianus fiducia. Cui cum acceſſiſſet animus anili ſuperſtitione corruptus, qui ſimplicitatem Chriſtiani cultus faſtidiebat, non potuit non euenire, quod de eo gloriatur LIBANIVS [a]: *Cum aliquando Iulianus peruenisſet in eorum coetum, qui pleni quaſi toti Platonis erant, atque de Diis geniisque, a quibus vniuerſa haec, et condita certiſſima ſint, et conſeruentur, diſſerentes eos audiuiſſet, de anima item etc. doctrinam, qua antea fuerat imbutus falſae, adeoque potui non inſeruienti aquae ſimilem, dulciori potabilisque aquae inſtar habente diſciplina ſubmerſiſſe atque aboleuiſſe, omnibusque, quas antea imbiberat, egeſtis nugis, veritatis pulchritudinem in anima ſua, velut in magnifico aliquo templo, Deorum ſtatuas, ſtercore antea profanatas, earum loco collocaſſe. Atque adeo animum quoad iſta mutauiſſe, ſimulaſſe tamen eundem ſeſe atque antea, eſſe, cum animi ſenſa haudquaquam prodere liceret.* Addimus his, Iulianum, licet aliarum quoque ſectarum placita, teſte LIBANIO [b], teneret, omnemque doctrinam animo complecteretur, doctoresque coleret, maxime tamen eos homines ſecum habuiſſe frequentiſſimos, qui Muſarum aliorumque Deorum cultui eſſent addicti, qui terra alii, alii mari iter ad eum faciebant, videre illum, cumque eo verſari, et verba coram eo facere, ipſumque rurſus audire loquentem certatim properantes. Horum enim hominum inſignis ob hanc religionem laudis thura adolentium conuerſatione non potuit non in hac animi ſui affectione mire corroborari. His ſane rationibus inductus, vbi ſemel ad Aedeſii ſcholam diuerterat, et Maximo atque Chryſanthio, in theurgiae operibus excellentibus, innotuerat, tanquam peſtilenti afflatus ſidere in diuinationis potiſſimum et ſacrificiorum ſtudia exarſit [c], et a tantis viris Alexandrinam philoſophiam, etiam theurgicam, qualis in Iamblichi potiſſimum ſchola tum effloruerat, edoctus eſt: qua in re miram et diuinam fuiſſe in Iuliano ingenii felicitatem gloriatur EVNAPIVS

y) L. XXV. c. 6.
z) In Oribaſio p. 180. et in Maximo p. 94.
a) loc. cit. §. 9.
b) §. 10. p. 234.
c) Vid. AMMIAN. MARCELL. L. XXI. c. 1. L. XXII. c. 12. L. XXIII. c. 2. 5. 11. L. XXV. c. 6. EVNAPIVS, SOCRATES, SOZOMENVS ll. cc.

Digitized by Google

PIVS [d], et vix ſuffeciſſe Maximum et Chryſanthium, ait, capacitati puerilis ingenii. Aucta haec egregia, quam a ducibus iſtis didicerat, diſciplina eſt, cum Iulianus, interfecto Gallo fratre [e], ab imperatore cuſtodiri iuſſus, atque elapſus fuga tandem Eudocia imperatoris coniuge intercedente veniam a Conſtantio accepiſſet, Athenas adeundi, vt philoſophiae operam daret [f]. Ibi enim nouam augendae eruditionis non tantum philoſophicae, ſed etiam theurgicae occaſionem nactus, magiſtros adiit, ex quibus iis, quae iam tenebat, addere quaedam poſſe ſperabat, ita vero eruditionis gloria, ſi LIBANII [g] fides, inclaruit, vt omnes in admirationem rapuerit, et ſemper apud eum conſpecta fuerint iuuenum, ſeniorum, philoſophorum, rhetorum examina, ab eius ore pendentia, eo quod et ingentem eruditionem et virtutem ſummam omni doctrina ſuperiorem admirarentur. Maxime vero, teſte EVNAPIO [h], cum intellexiſſet, plus aliquanto latere apud Eleuſiniorum ſacrorum antiſtitem, velociter ad eum accurrit, ab eoque initiatus futuras imperii clades, et ſacrorum templorumque ruinam didicit. Sacra vero Eleuſinia ob apparitiones et diuinationes magicas celebres fuiſſe, non eſt, quod operoſe in re nota moneamus. Nec alio putamus reſpicere verba LIBANII [i] aſſerentis: *Iulianum ipſorum Daemonum Athenarum oculos in ſe conuertiſſe, vtpote quibus probe eſſet perſpectum, hunc eos, quibus patrum aeuo colebantur, honores ipſi aliquando reddituros.* Inſtigatum itaque et artis theurgicae ſtudio, et praenoſcendi futura deſiderio, quod ei aſſignare maleuolos ait MARCELLINVS [k], Athenas conceſſiſſe, recte de eo dixit SOZOMENVS [l], qui cum eius loci vatibus diligenter eum conuerſatum fuiſſe tradit. Qui hoc ſingulare accidiſſe Iuliano tum externa profeſſione Chriſtianum ſimulanti ait, vt in fano quodam euocatis ſacro carmine diis, cum terrore exagitatus ſui obliuiſceretur, crucis ſigno ſe ſignaret, euaneſcentibus mox ad ſalutare ſignum ſpectris: improbante hierophanta, quod daemones illius odio duci, diceret. Quod an veriſimilitudine ſe commendet nec ne, lectoris relinquimus iudicio. Conſtitutum vero fuiſſe Iuliano et viuere Athenis et mori ibidem, idque ſummum felicitatis ſuae cacumen reputaſſe, tradit LIBANIVS [m], vix tamen credi poteſt, iuuenem in ſpem tantarum rerum ipſiusque imperii accenſum, inter vmbras et otia philoſophantium mortem oppetere ſtatuiſſe. Quicquid tamen illud fuit, coëgere iſtius temporis circumſtantiae Conſtantium, vt Iulianum Caeſarem conſtitueret, et a ſubſelliis philoſophorum ad imperium euocaret. Data itaque Helena ſorore in matrimonium, in Gallias contra barbaros ab imperatore mittitur; factum id eſſe, vt in bello caderet, EVNAPIVS in Conſtantium valde iniquus, aſſe-

d) In Maximo p. 85.
e) SOZOMEN. L. V. c. 2.
f) SOCRATES L. III. c. 1. SOZOM. l. c. LIBANIVS l. c. §. 13. p. 233.
g) loc. cit. §. 14.
b) loc. citat. p. 90.
i) loc. citat. p. 238.
k) L. XXI. c. 1.
l) l. c. add. THEODORET. H. E. L. III. c. 3.
m) l. c. §. 15. p. 239.

Digitized by Google

afferit [m], et fuiſſe etiam famam eius rei, non negat SOCRATES [n], veriſimilitudinem vero ſuſpicioni, non prorſus malo argumento, abiudicat, eo quod data ei ſorore coniuge ita ſibi ipſi ſuisque inſidias ſtruxiſſet. Quibus merito additur: eam tum fuiſſe, teſte, qui prolixe hanc rem narrat, AMMIANO MARCELLINO [o], Romani imperii conditionem, vt non potuerit non Conſtantius ἑκὼν ἄκων hoc eligere conſilium; „continue „enim eum exagitabant aſſidui nuntii, deploratas iam Gallias indicantes, „nullo renitente ad internecionem barbaris vaſtantibus vniuerſa, aeſtu„ansque diu, non aliud remedium inuenit, idque vrgente malorum im„pendentium mole confeſſus eſt proximis, ſuccumbere tot neceſſitatibus „tamque crebris vnum; idque cum illi diſſuaderent, opponebat ſe ſola „regina, memorans anteponi debere propinquum". Quamquam ideo quoque Conſtantium in Gallias miſiſſe Iulianum non improbabile eſt, vt ancipitis et difficilis belli moleſtiis fatigatus, a periculoſo futuri imperii fata ſcrutandi conſilio deſiſteret: qua de re in ciuili horum imperatorum hiſtoria diſpiciendum eſt pluribus. Profectus contra barbaros Iulianus, atque tum exercitus, tum prodigiorum atque vaticiniorum ſuffragiis de victoria laetiſſima ſpe certus, iisque etiam artibus praeditus, quae non magnum tantum, ſed et felicem imperatorem reddere ſolent, hoſtes ſubegit, et a Romani imperii propulſauit finibus, non tamen amorem eruditionis et imprimis philoſophiae inter bellorum ſtrepitus depoſuit, ſed LIBANIO [p] teſte, *ex mediis libris ad pugnam proceſſit, immo potius vna cum libris aduerſus hoſtes profectus eſt. Semper enim vel libros manibus tenebat, vel arma, perſuaſus bello maximam a literis vtilitatem praeſtari, maiusque rebus momentum poſſe afferre imperantem, ſi conſiliis, quam ſi armis, valeat.* Tanta vero exercitus admiratione et applauſu bellum hoc confecit, vt magno clamore eum Auguſtum proclamarent milites. Multum huic conſilio refragabatur Iulianus, tempori callidiſſime inſeruiens, et prolixa oratione, vt narrant AMMIANVS [q] et LIBANIVS [r] diſſuaſit propoſitum, maximo tamen contentionis fragore, probro et conuiciis mixto aſſentire coactus, vt ille ſcribit, Auguſtus renunciatus eſt. Qua in re artes et calliditatem Iuliani merito miramur, ex animo vero id feciſſe, perſuaderi non poſſumus. Vt enim taceamus clandeſtina, quibus patruelem impetiuit conſilia, non tantum inſana futura ſciendi cupiditas, de imperio eum ſollicitum quidem at certum quoque reddens, quo in hac re fuerit animo, prodit, ſed et id, quod porro MARCELLINVS [s] narrat, ſuggerit, retuliſſe imperatorem, nocte praecedente genium ſuum apparuiſſe, minitantem, ſe eum relicturum, niſi morem gereret. Quibus ſignis cum plurimum vteretur imperator, facile inde colligi poteſt, Iulianum ſimulatorem egregium eo potiſſimum fine ita moroſe repugnaſſe dignitati, cuius ſpem ei ſummam Platonici fecerant,

m) p. 94.
n) L. III. c. 1.
o) L. XX. c. 4.
p) L. XV. c. 7.
q) l. c. §. 48 p. 272. ſeqq.
r) §. 34. p. 260.
s) loc. citat. c. 5.

Digitized by Google

cerant, vt eo magis, fidem et conſtantiam militum accenderet. Quicquid tamen illud fuit, hoc AMMIANI [a] teſtimonio minime ſuſpecto certum eſt, *incendiſſe Iuliani cupiditatem, pacatis iam Gallis inceſſendi vltro Conſtantium, coniicientis eum per vaticinandi praeſagia multa, quae callebat, et ſomnia, e vita protinus exceſſurum:* id quod luculenter et animum principis et vim doctrinae effectumque promiſſionum, quas a philoſophis acceperat, manifeſtat. Narratque IDEM [x] eum, quum apud Viennam quieſceret ſobrius, hora media noctis imaginem quandam vidiſſe ſplendidiorem, verſus heroos modo non vigilanti dicentem, quibus futura imperii dignitas ei promittebatur ſoli. Qualem θεαμὸν cum ſupra quoque in Aedeſio narrauerimus, exemplum hoc eſt principis artes Platonicorum mire exprimentis et ad publica conſilia transferentis. Quae omnia ſatis, niſi fallimur, docent, non inuitum ad hoc conſilium acceſſiſſe adverſus Conſtantium, ſiue Maximus, quod eccleſiaſtici ſcriptores volunt, ſiue Oribaſius, Euemerus, et antiſtes e Graecia accitus eius auctores fuerint, vt tradit EVNAPIVS [y]. Ita vero Deorum auxiliis et militum virtute nixus, in Conſtantium exercitum mouit, cognouitque, dum in via haerebat anceps, ex victimarum extis, obiiſſe Conſtantium, nuntiis ea de re paulo poſt aduenientibus. Qua re explorata poſt exemtos periculorum aeſtus in immenſum elatus, et vaticiniis credens, iter edixit in Thraciam, et a Conſtantinopolitanis ſummo gaudio et alacritate exceptus eſt [z]. Quae imperator ſolus conſtitutus ſuſceperit, qua ratione mouerit cuncta et reformauerit, apud hiſtoricos huius temporis, eosque, qui vitam magni, ſed infelicis, principis, ſcripſerunt, quaerendum eſt, cum ad noſtros id limites non pertineat. Illud tamen praetereundum non eſt, magno ſtudio et auctoritate ſumma collapſam eum reſtituiſſe ſuperſtitionem, reſeraſſe templa Deorum, reuocaſſe ſacrificia, aedificaſſe altaria [a], et innumeras ſine parſimonia pecudes mactaſſe, vt aeſtimaretur, ſi reuertiſſet de Parthis, boues iam defuturos [b]; totam etiam gentilium religionem ad mores et inſtituta Chriſtianorum attemperaſſe, miroque conformaſſe conſilio [c]: in quo tamen fuere aliqua dudum Pythagoreis iam recepta, quae tamen eo tempore inter gentiles exoleuerant omnia [d]. Laudandum tamen vel maxime in Iuliano, quod non vi vel tormentis Chriſtianos ad mutandam religionem adegerit, eo quod, recte monente LIBANIO [e], probe nouerat, *illos quidem, qui corporis aliqua parte laborant, vinculis aliisque violentis remediis poſſe ſanari: falſam autem de Diis opinionem vrendo et ſecando nunquam*

a) L. XXI. c. 1.
x) c. 2.
y) l. c. Hinc diiudicanda quae contra Iulianum SOCRATES l. c. et pro eo excuſando LIBANIVS l. c. §. 50. ſeqq. p. 275. affert.
z) Citati AMMIANVS L. XXI. c. 14. LIBANIVS §. 56. p. 281.
a) Ibid. SOZOMEN. L. V. c. 3. ſeqq.
b) L. XXV. c. 6.
c) SOZOMEN. l. c. c. 16. GREGOR. NAZIANZ. Or. III. adu. Iul. conf. HALTVS Iugement des SS. Peres ſur la morale de la phil. payenne, L. II. c. 7. p. 230.
d) Patet hoc ex collatione, indeque ratio praeter alias deriuanda eſt, cur ad hoc conſilium animo delatus ſit. Mores enim Pythagoreos imitabatur ſchola Platonicorum Alexandrina.
e) §. 58. p. 256.

eiici posse; vnde ad alias artes confugit, in sacra historia enarrandas. Multum quoque ad hanc, quam prae se ferebat, moderationem politicae contulerunt rationes; cuius luculentum specimen ita narrat AMMIANVS *f*: *Vbi abolitis quae verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi quae vellet, aduertit, sui pectoris patefecit arcana, et plane absolutis decretis, aperiri templa, arisque hostias admoueri et reparari Deorum cultum statuit. Vtque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum antistites cum plebe discissa in palatium intromissos monebat, vt ciuilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suae seruiret intrepidus: quod agebat ideo obstinate, vt dissensiones augente licentia non timeret vnanimantem postea plebem.* Quae cum artes sane improbas et Machiauelli praeceptis non impares contineant, qua ratione vel laudari vel commendari possint a quibusdam *g*, qui res veteres, sine attentione ad arcanas rationes et consilia, considerant, viderint quorum interest. Vt vero, quibus summam fere potestatem acceptam referebat, philosophos digno modo coleret, nihil in se desiderari passus est Iulianus. Eos enim, qui ex Aedesii schola prodiere, quosque duces et antesignanos habebat earum artium, quibus imperii dignitatem se consecutum esse credebat, maximo cultu prosecutus est, quoue loco eos poneret, coram omnibus testatum fecit, sequente ea in re mores imperatoris aula tota. Qua de re cum in supra dictis pluribus actum, quoue honore excepti fuerint Maximus, Priscus, Chrysanthius, Iamblichus iunior siue Apameensis, et huius generis alii, qui in sacris artis theurgicae operationibus excellebant, et sacratioris generis homines esse credebantur, traditum sit, ea otiose repetere, supersedemus *h*. Tanto vero, quo hos homines prosecutus est, honore et beneuolentia, praecipue superstitionem, ab Alexandrina secta nouis conatibus reuocatam ex puluere et squalore, quo sub imperatoribus Christianis sepulta fuerat, stabilire voluisse, candide, et in laudem Iuliani fassus est LIBANIVS *i*, iactans: *Iulianum fraterno quasi vinculo literas Deorumque religionem inter se connexa esse existimantem, hanc autem penitus, illas maximam partem periisse deprehendentem, vt et illum perfecte restauraret, et literas amare homines denuo occiperent, eos quidem, qui religionem exacte callebant, honoribus cumulasse; orationes vero ipsummet concinnasse, atque ita vtrumque fuisse consecutum.* Qua in re gratum imprimis erga sectam hanc animum testari voluit, fassus cum Maximum in curiam introduxisset, et dexteram ei manum concessisset, eius potissimum studio, consilio et opera eum affectum esse, qualis nunc esset. Qua Iuliani gratia, ad humilitatem, tantum principem, vt boni omnes tunc obseruabant, indecentem progressa, tanta fiducia abusi sunt homines insolentissimi, vt non tantum

f) L. XXII. c. 5.
g) ARNOLDVS l. c. §. 13. p. 129.
h) Conf. LIBANIVS §. 77. p. 302. EVNAPIVS in Maximo p. 98. seqq. AMMIANVS L. XXII. c. 4.
i) §. 77. p. 302.

Digitized by Google

tum caput ex ſcholaſtico puluere efferentes iactanter et ſuperbe ſe gererent, ſed et ingens turba impoſtorum vaniſſimas artes iactantium et ab imperatore ſuperſtitioſo admiſſorum aulam eius ſequeretur, animumque eius prorſus corrumperet [k]. Cuius varia exempla propudioſam ſuperſtitionem teſtantia narrant ſcriptores eccleſiaſtici, quos qui odio et inuidiae dediſſe aliquid contendunt, Ammianum, Eunapium, et Libanium, teſtes omni exceptione maiores legant, neceſſe eſt; ex quibus diſcent, omnes anilibus his nugis ſuperaſſe Iulianum, quem tantum in his artibus profeciſſe ait LIBANIVS [l], vt eos quoque longiſſime antecelleret, qui ſolas illas callebant. Id quod maximo eius damno euenit. Horum enim hominum vaticiniis in ſummam ſpem adductus, Parthos ſe, ferum hominum genus, ſuperaturum, titulisque Parthici nomen inſerturum eſſe, ad fatale in Perſidem bellum inſtigatus eſt, et innumeras eo fine hoſtias cecidit, et ceremonias, vt ait AMMIANVS [m], et ritus immodice auxit, cum impenſarum amplitudine antehac inuſitata et graui. Aliter tamen in Chriſtianos animatus, quos, cum literarum ſtudia praecipuum ornamentum eſſe recte cenſeret, a docendis artibus arcuit: vnde memorabilis ſententia AMMIANI [n]: *Illud inclemens obruendum perpetuo ſilentio, quod arcebat docere magiſtros rhetoricos et grammaticos, ritus Chriſtiani cultores.* Quod licet in has artes infenſo animo inſurgens non nemo [o] laudet in Iuliano, certum tamen eſt, eo potiſſimum feciſſe imperatorem conſilio, vt ignorantiam et barbariem tanquam peſtem aliquam in coetus Chriſtianorum induceret. Vnum Proaereſium ſophiſtam Athenienſem excepiſſe auctor eſt HIERONYMVS [p], ſponte tamen officio cedentem; quem tamen Iulianum a docendi munere, quod Chriſtianus haberetur, excluſiſſe auctor eſt auditor eius EVNAPIVS [q], qui vitam eius prolixe deſcripſit. Non vero promouit tantum Iulianus philoſophiam Alexandrinam, doctores fouendo, et honoribus, ſalariis, diuitiis cumulando, ſed et libros ſcribendo, quibus et, quod diei ſupererat ab imperii curis, tempus tribuebat, et noctis partem. Cuius diligentiae ſpecimina hodie ſuperſunt, eruditiſſimis commentariis a DIONYSIO PETAVIO [r] et EZECHIELE SPANHEMIO [s] illuſtrata, qui cum Io. ALB. FABRICIO de ſcriptorum Iuliani literaria hiſtoria conſulendi ſunt [t]. Facile et primo fere intuitu videbit, qui hos Iuliani libros, et imprimis *encomium matris Deûm*, atque *ſolis* inſpiciet, totum adhaeſiſſe imperatorem ſectae Alexandrinorum Platonicorum, in omnium fere religionum et doctrinarum concordiam conſpirantium, eamque Platonico habitu induentium [u]. Nam

k) EVNAP. l. c. p. 101. AMM. MARCELL. L. XXII. c. 12. ex quibus emendandus Libanius, cuncta in Iuliani laudem vertens.

l) loc. cit.

m) L. XXII. c. 12.

n) L. XXII. c. 10. Edictum continet IVLIANI Epiſt. XLII. Scriptores de hac re nominat FABRICIVS Biblioth. Graec. Vol. VI. p. 77. not. l.

o) ARNOLDVS loc. cit.

p) In Chron.

q) In Proaereſio p. 161.

r) Paris. 1630. 4. cum notis DIONYS. PETAVII.

s) Lipſ. 1696. fol.

t) Vol. VII. p. 7[illegible]

u) PAG. GAVDENTII libro de metempſychoſi Pythag. Piſ. 1641. edito adiecta diſſ. de

et in his principis literatiſſimi ſcriptis Pythagoras [y] et Plato [z] ſuper omnes extollitur, iisque iungenda et concilianda eſſe Ariſtotelica monentur [a]. Platonicos vero recentiores vt in vita honorauit, ita ſcriptis quoque laudauit; et praecipue Iamblichum ſuum, cui praeter alios propudioſam hanc ſchola iſta faciem ea aetate debebat, tanquam commune terrarum orbis lumen, et animarum medicum, Mercuriumque ſuum extulit [b], et quae Porphyrius, Iamblichus et his ſimiles conſcripta reliquere, imitando exprimere, teſte LIBANIO [c], ſtuduit, tanta admiratione ſyncretiſticam hanc philoſophiam proſecutus, vt Iamblichum ſuum impenſe laudaret, *quod non ſolum Pindarum aut Democritum aut Orpheum illum antiquiſſimum, ſed omnes omnino Graeciae philoſophos, qui in eo genere floruiſſe memorentur, tanquam in lyrae variis e ſonis concentu ad perfectum muſicam coniunxerit* [d]. Sed et vita talem ſe praeſtitit, qualem ſchola huius inſtituta a diſcipulis requirebant. Exponit enim LIBANIVS [e], „nemi„nem, vt illum, ita ventrem coërcuiſſe, inter eos, qui in exigua caſa „philoſophantur: neminem ita ac ipſe, pro temporum diuerſitate variis „cibis abſtinuiſſe, vt modo huic, modo alii Deo cultum ſuum praeſtaret, „Pani nimirum, Mercurio, Hecate, Iſidi, et reliquorum vnicuiuis: ne„minem tot ieiunia, cum voluptate, vt cum Diis verſari poſſet, inſtituiſ„ſe.„ Haec vt Alexandrinae philoſophiae alumnum eleganter depingunt, ita quo loco habendus ſit Iulianus, demonſtrant. Non mirandum itaque principem enthuſiaſtico philoſophiae generi et fanaticae ſectae ſe dedentem, eandem diuinae agitationis et repletionis ſpeciem ſibi vindicaſſe, quam Plotinus, Porphyrius, Iamblichus de ſe iactabant: nam et hoc narrat LIBANIVS [f], praeter reliquas cum Diis conuerſationes vidiſſe in Caſio monte Deum, eoque viſo ſeſe erexiſſe, et monitum ab eo accepiſſe: ſaepeque ad eum Deos acceſſiſſe eius ſeruandi cura diſtrictos. In Perſiam cum exercitu profectus imperator, Antonini philoſophi aemulus, philoſophos Platonicos, theurgos, vates reliquamque ſacrificulorum cateruam ſecum habuit, quae magna victoriae ſpe eum repleuit. Quamquam oraculum quoque ferebatur, quod SVIDAS [g] ſeruauit, quod finem vitae imminere Perſis domitis ei praedicebat. Id tale fuit:

Sed poſtquam ſceptris tuis Perſas
Vſque ad Seleuciam gladiis fugatos domueris,
Tunc vero te ad olympum ducet igne fulgens currus,
Procelloſo turbine rotatus,

Poſt-

de philoſophica cognitione Iuliani, quam cum non viderimus, qualis ea ſit, dicere non habemus. Parum tamen ſolidi promittit Gaudentii feſtinatio ſolita. Legendus etiam illuſtris SPANHEMIVS in praefatione et Venerand MOSHEMIVS de turbata per Platonicos eccleſia §. 29. p. 160.

a) Locum ex eius Saturnalibus lege apud SVIDAM in Iul. T. II. p. 125.

x) Orat. VI. in Cynicos p. 188.

y) Orat. V. in matrem Deorum p. 161.

z) In epiſtolis ad eum ſcriptis, ep. XXIV. XL. LX.

a) §. 87. p. 313.

b) Epiſt. XXXIV. p. 405.

c) §. 83. p. 309. d) l. c. p. 310.

e) l. c. hauſta haec ſine dubio ex EVNAPII commentariis hiſtoricis hodie deperditis.

Digitized by Google

Poſtquam aerumnoſam mortalitatem exuiſti,
Venies autem in aetherei luminis paternam aulam,
Vnde deſcendens, humanum in corpus veniſti.

Tam aperte autem ſcholam Platonicorum, Alexandrinorum ſapit hoc oraculum, vt vel ab his hominibus ad inducendum exitui tragico miſeraeque cataſtrophae colorem excogitatum eſſe, aut Deum iſtum oraculi auctorem ſcholam horum philoſophorum frequentaſſe oporteat. Occubiturum vero ſe ferro dudum didiciſſe, ipſe, vbi graui vulnere confoſſus, morti appropinquabat, fatetur [f], fide fatidica praecinente [g]: qua de re amicos vltimum affatus, philoſophum et animo et oratione ſe praeſtitit, ſicque animam efflauit, poſtquam cum Maximo et Priſco philoſophis ſuper animorum ſublimitate perplexius diſputauerat, anno aetatis triceſimo et ſecundo, meliori fato, et magis ſanis praeceptoribus dignus.

§. XXIX. Vixit circa iſta quoque tempora EVNAPIVS, ad quem tanquam praecipuum horum hominum laudatorem multoties hactenus prouocauimus, Sardibus Lydiae vrbe oriundus [h], Chryſanthium ex Melita vxore cognatione attingens, qui eius quoque a pueritia ad eloquentiam et philoſophiam formauit animum [i]. Et tempus quidem, quo floruit, haud obſcure ipſe prodidit, referens Proaereſio magiſtro ſe annos natum ſedecim fuiſſe vſum: Proaereſium autem docuiſſe eloquentiam Athenis eo tempore, quo Iulianus Chriſtianos rhetorices magiſtros a docendo arcuit, ſupra probauimus. Vixiſſe vero adhuc ſub Theodoſio inde patet, quod euerſi, vt ſupra in Maximo dictum, Serapidis fani meminit [k]. Teſtatur etiam PHOTIVS [l], continuationem hiſtoriae Dexippi, quam Eunapius confecerat, pertingere vsque ad tempora filiorum Theodoſii, Honorii et Arcadii. Ex quibus recte colligit IONSIVS [m], ſcripſiſſe et floruiſſe Eunapium ſub Theodoſio, quem in Valentiniani et Valentis tempora reiicit VOSSIVS [n]. Iſta enim aetate adoleſcens adhuc Eunapius a Maximi ore pependit. Ex qua ſerie annorum Eunapii confirmatur egregie coniectura FABRICII [o], diſtinguendum eſſe Eunapium rhetorem a Lydis ad Iulianum miſſum. A Chryſanthio et oratoria arte et philoſophiae Alexandrinae principiis imbutus, ex Aſia in Europam circa annum decimum atque ſextum traiecit, et Athenas appulit, Proaereſium, annum iam LXXVII agentem, ſed et animi et corporis vigore valentem auditurus. Inter nauigandum vero vehementi febre correptus, cum circa primam noctem in Piraeum portum appuliſſent, et vectores in vrbem contenderent, ipſe pedibus inſiſtere inualidus, per manus ſublatus in vrbem deportatus eſt, tantaque comitum turba domus Proaereſii impleta, *Eunapius.*

f) AMMIANVS L. XXV. c. 3. 4.
g) Exempla affert idem L. XXIII. c. 2.
h) PHOTIVS Cod. LXXVII, p. 100.
i) Ipſe in Maximo p. 99.
k) In Aedeſio p. 77.
l) loc. cit. p. 99.
m) De Script. Hiſtor. Philoſoph. L. III. c. 17. p. 296.
n) De hiſtoricis Graecis L. II. c. 18. p. 252.
o) Bibl. Graec. Vol. VI. p. 233.

Digitized by Google

pleta, vt totum ſophiſtarum gymnaſium ea expletura videretur. Vbi cum animum alii, alii corpus curarent, Eunapius animi aeger, gliſcente vi morbi ſemper conſumtus magis, ne Proaereſii quidem vultu frui potuit, ſic vt morti proximus videretur. Chius tamen quidam Aeſchines, qui medendi audacia et imperitia multos peremerat, flagitans, vt ſibi permitterent, medicam potionem morti viciniſſimo exhibere, diducto inſtrumentis quibusdam oris hiatu infudit pharmacum, moxque ab immiſſo medicamine aluo ſoluta, apertis aeger oculis coelum aſpexit et domeſticos agnouit, et paulo poſt conualuit, magnam ea propter ſeruatori ſuo gratiam referens, quem ab eo tempore in magna exiſtimatione vixiſſe ait [p]. Quae ſalutis reſtitutio magno etiam gaudio affecit Proaereſium, qui notum auditorem diſcipulis commendauit, vt dicteriis ſalibusque parcentes [q], eum pro ſuo haberent filio, atque recrearent. Cum autem Chriſtiani tum principes regnarent, qui ſacra gentilium arcana valde coërcebant, factum inde eſt, vt licet a puero Chryſanthii hierophantae inſtitutione gauiſus fuerit EVNAPIVS [r], non tamen ante viceſimum annum theologiae myſteriis et ſublimiore doctrina imbueretur. Hoc enim verba eius: ἐκ παιδὸς ἀκροατὴς Χρυσανθίου γενόμενος, μόλις εἰς εἰκοσὸν ἔθος ἠξιώθη τῶν ἀληθεστέρων, velle, ex Platonicorum doctrina intelligitur, quibus ſcientia τῶν ἀληθῶς καὶ ὄντως ὄντων, theologiam ſignificat, adeoque male ad gentilem religionem ea aetate demum Eunapio traditam trahitur a IONSIO [s], cum a puero eius principiis a Chryſanthio imbutum ſe fuiſſe, ipſe referat. Quintum annum, poſtquam Athenas venit, Aegyptum adire ſtatuit [t], eo ſine dubio fine, vt ſacros ritus, et ceremonias, quaeque reliqua erant ſublimioris theologiae Alexandrinae capita, quae in hac vrbe omnium optime docebantur, addiſceret: ſed a parentibus, qui ſacris eum diſciplinis et ſacerdotio ſe tradere aegre ferebant, in patriam, Sardes reuocatus et ſophiſticen excolere iuſſus eſt. Quam parentum voluntatem ſecutus, optimisque vſus magiſtris, praeter Proaereſium, paucis poſt diebus vita excedentem, Diophante et Sopolide, quorum in ſophiſtarum vitis paſſim meminit, illuſtris in dicendo euaſit, et doctiſſimorum oratorum applauſum meruit, vnde dictionem quoque Sophiſticam, et affectatum circumſtantiarum enarratarum ornatum, quo eo tempore rhetores eloquentiam fere metiebantur, in eius ſcriptis vbique regnantem videas. Praeter eloquentiam tamen artis quoque medicae ſtudio non ſine diligentia et felici ſucceſſu ſe dedit, ſic vt Chryſanthium praeceptorem inſtituta prudenter venae ſectione haud ſemel mortis faucibus eriperet [u]: qua in arte ab Oribaſio

p) Ambitioſa, vt ſolebant ſophiſtae, circumſtantiarum minimarum prolixaque enarratione haec ipſe refert in Proaereſio p. 129. ſeqq.

q) Ibid. Hunc nouitios dicteriis ſalibusque excipiendi morem, quem hoc tempore in Athenarum Academia vſitatum fuiſſe ex hoc loco patet, quique ad noſtra fere tempora viguit vixque principum auctoritate potuit ſupprimi, ex Pythagorae imitatione, in cuius ſchola is receptus erat, ab his philoſophis adhibitum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus.

r) In Aedeſio p. 37.

s) l. c. monuit id etiam FABRICIVS l. c. p. 833.

t) l. c. p. 162.

u) Vid. ſupra in Chryſanthio.

Digitized by Google

baſio ſummae doctrinae medico praecepta accepiſſe videtur, eo enim familiariter vſus eſt, qui tetrabiblon ei inſcripſit. Summam tamen doctrinae partem, et eruditionis faſtigium quaeſiuiſſe Eunapium in myſteriis theologiae, quaeque eius pars fuit primaria, theurgiae gentilis, vbiuis fere ipſe prodit: ex quo, vt ex praeceptoribus etiam, quos in hunc finem audiuit, colligendum eſt, in philoſophiae Alexandrinae cognitione Eunapium fuiſſe verſatiſſimum, cum nemo ad iſta ſacra admitteretur, niſi philoſophia bene praeparatum pectus attuliſſet. Certe Athenis Eleuſiniis ſacris ſe initiatum et inter Eumolpidas relatum ipſe narrat [v]: et Chryſanthium, tradit, ſe Athenas ad illum profectum, in diuinioribus et philoſophicis ſtudiis horis pomeridianis inſtituiſſe, antemeridianis ad tradenda aliis eloquentiae praecepta conſumtis [x]. Qualem vero philoſophiam docuerit Chryſanthius ſupra diximus, qui ſine dubio hunc diſcipulum, filii loco cariſſimum, ſibique intime coniunctum, omnium myſteriorum, quae pandebat philoſophia Alexandrina, fecit participem. Et huius etiam praeceptoris ſui deſideriis et voluntati vt obſecundaret, libellum de vitis ſophiſtarum ſcripſit, quo ſi careremus, anguſtior longe nobis eſſet campus hiſtoriae philoſophorum huius ſectae: vnde optamus, vt quam telam exorſus abiecit iterum deſideratiſſimus FABRICIVS [y], vir quidam doctus, huius ſectae hiſtoriae gnarus reſumat, et abſoluat [z]. Scripſit etiam Eunapius commentarios hiſtoricos, ad quos paſſim prouocat, aliaque huius generis, et continuationem quoque hiſtoriae Dexippi, ſiue, Chronicorum poſt Dexippum libros quatuordecim, quos recenſet PHOTIVS [a], qui non partium tantum ſtudium in vellicandis imperatoribus Chriſtianis, et extollendo ſupra modum Iuliano, ſed et dictionem cetera pulchram, at vocibus audacioribus corruptam, et innouata non pauca, tropos item praeter modum adhibitos notat, et furore rabieque in Chriſtianos plenum fuiſſe opus ſcribit. Quam inſaniam a praeceptoribus ſuis didiciſſe, non eſt, quod dubitemus. Eam tamen euitauit, omiſſis conuiciis in Chriſtianos, qui cetera Eunapii vitulo ſtrenue arauit, Zoſimus [b].

§. XXX. Athenis digreſſi Alexandriam, ſedem et patriam philoſophiae huius, cuius antiſtitum doctorumque hiſtoriam fuſe hactenus enarrauimus, occurrit HIEROCLES, de quo cum admodum pauca nobis veteres referant, in varias partes ductae ſunt virorum in hac eruditionis parte ſummorum coniecturae [c]. Et Alexandrinum quidem fuiſſe, et in ea *Hierocles.*

v) In Maximo p. 90.
x) In Chryſanth. p. 198.
y) Vid. Cl. REIMARI vita Fabricii p. 209. nos vſi ſumus hactenus editione Comeliniana Baſil. 1596. 4. cum verſione Hadr. Iunii, multis in locis lapſi.
z) Conf. VOSSIVS, IONSIVS, FABRICIVS ll. cc.
a) loc. citat.
b) IONSIVS, FABRICIVS ll. cc.
c) Videnda, quae de hoc philoſopho diſſeruere IO. PEARSONIVS in prolegomenis ad eius ſcripta, BAYLE Dict. T. II. art Hierocles, OLEARIVS praef. ad Hieruel. librum contra Chriſt. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 413. NEEDHAM praef. ad nouam edit. Hieroclis.

Digitized by Google

ea quoque vrbe docuiſſe, Damaſcii teſtimonio apud PHOTIVM, quod SVIDAS quoque exſcripſit, certum eſt. Qui etiam, qua aetate vixerit, haud obſcure prodidit, referens habuiſſe Hieroclem Theoſebium et Aeneam Gazaeum diſcipulos: ex quibus patet, eo tempore vixiſſe Alexandriae, quo Plutarchus Neſtorii Alexandrinam philoſophiam Athenis propagauit, quod in Theodoſii iunioris ſeculique poſt C. N. ſexti tempora incidit [d]. Vxorem habuit daemonio obſeſſam, de cuius expulſione memorabile eſt, quod Damaſcius refert: daemonem illum, quod manſuetioribus verbis expelli non poſſet, iuramentis Theoſebium, quamuis theurgiae peritus non eſſet, exire compuliſſe, adiurans eum per ſolis radios et Hebraeorum Deum; quo facto exiiſſe daemonem, clamantem: colere ſe quidem Deos, hunc vero ſe timere. Quamquam locus hic Damaſcii etiam ita queat intelligi, vxorem hanc fuiſſe Theoſebii. Eodem narrante in magnas calamitates Hierocles incidit. Cum enim Byzantium profectus, (τοῖς κρατοῦσι, id eſt, quorum religio tunc praedominabatur,) offenſam incurriſſet, in iudicium adductus, et verberibus caeſus eſt. Aſt is ſanguinem manu caua excipiens, iudicis faciem aſperſit, verſum HOMERI [e] recitauit:

Ecce Cyclops, bibe vinum, poſtquam humanam carnem devoraſti.

Exilio tandem, cum capitis periculum euaſiſſet, mulctatus eſt, reduxque Alexandriam rediit, et more ſolito diſcipulis philoſophiam expoſuit. Fuiſſe vero philoſophiae Alexandrinae, ſiue Platonicae reformatae doctorem vel vno illo, quod de prouidentia nobis reliquit, compendio, quodque nobis ſeruauit PHOTIVS [f], patet. In eo Ammonianam philoſophiam ita commendat, vt, quotquot in Platonis atque Ariſtotelis opiniones commentati diſcordiam eſſe dixerunt inter vtrumque philoſophum, refellat, et conciliare quoque horum inter ſe doctrinas non de prouidentia tantum, verum etiam de animorum immortalitate, de coelo ac mundo conetur, et qui in diuerſa abire ſcripſerunt, eos vel contendendi ſtudio, vel praeoccupata opinione atque imperitia ſeductos, ſtatuat, quam ἑτεροδοξίαν diuina illa Ammonii ſapientia ſuſtulerit. Reſpexiſſe hanc henoticam Hieroclis philoſophiam non ſolum Platonem tantum, ſed alios quoque philoſophos, quod lege quaſi ſchòlae Alexandrinae ita cautum eſſet, tota tractatio, cuius ſummam exhibet PHOTIVS [g], luculenter demonſtrat. Ex iis enim, quae Photius refert, patet, Hieroclem Platonicam doctrinam in oraculis, et ſacerdotum legibus, in Orpheo, Homero et ceteris, qui ante Platonem celebrabantur, quaeſiuiſſe, et qui poſt Platonem fuere, ipſo quoque Ariſtotele principe atque duce vsque ad Ammonium Alexandrinum, eiusque familiares, Plotinum et Origenem, eiusdem

d) PHOTIVS loc. cit.
e) Odyſſ. I. v. 347.
f) Cod. CCXIV. p. 283.
g) l. c. et Cod. CCLI. p. 749. ſeqq. peculiari libello hoc compendium edidit FRID. MORELLIVS Paris 1597. 8. Nouam autem et elegantem verſionem HVGO GROTIVS inſeruit ſententiis philoſophorum de fato p. m. 16. ed. Paris.

Digitized by Google

dem ad vnum omnes cum Platone fuisse sententiae statuisse, Ammoniique disputationibus pro fundamento positis, quid Plotinus, Origenes, Porphyrius, Iamblichus, et deinceps ceteri τῆς ἱερᾶς γενεᾶς homines vsque ad Plutarchum Athenienſem, in repurgata philoſophia Platonica ſtatuerint, quaue ratione cum his conſpirauerint, oſtendiſſe. Quod vt hominem prodit ſectae eclecticae addictiſſimum, ita corruptorem veteris philoſophiae fuiſſe euidenti probat argumento. Qua de re vt certus euadat lector, ſola, quam ex libris de prouidentia et fato duobus locis dedit PHOTIVS, epitome lecta ſufficit, vt maleſanus ex ea conciliator ſectarum agnoſcatur. Nec alia forte ratio Hieroclem permouit, vt librum hunc Olympiodoro, ex hac, niſi fallimur, ſecta philoſopho magni nominis, cuius tamen, quod Ariſtotelicam maxime philoſophiam illuſtrauit, infra in Peripateticorum hiſtoria mentio facienda, inſcripſerit. Sed ex ipſis quoque Hieroclis dogmatibus, eo praecipue, quo ſtatuit: *Platonem opificem Deum, cenſere, ſuſtinere omnem inuiſibilem et viſibilem mundum ex nulla praeexiſtente materia factum: ſufficiente eius voluntate ad exiſtentiam entium*, ſyncretiſtica, qua Ammonii ſchola ſe efferebat, philoſophandi ratio Hieroclis demonſtrari poſſet, qua non tantum Platonem cum Ariſtotele, ſed vtrumque etiam maleſano conſilio cum Chriſtianis in concordiam redire coëgit, niſi infra vbi de huius ſectae philoſophia agendum, commodius de eo argumento, quod aliis quoque ex huius familiae hominibus placuit, tractari poſſet. Eadem vero philoſophiae ratio in illis quoque commentariis regnat, quos in aurea, quae Pythagorae tribui ſolent, carmina, ſcriptos reliquit Hierocles [h]. Quos licet magnificis laudibus exornet, cui Gallicam verſionem debemus, ANDREAS DACIERIVS, recte tamen eo nomine reprehenſionem incurrit FRANCISCI BALTI [i], qui eadem prorſus, qua reliqui Platonici, oberraſſe Hieroclem chorda, et philoſophiam ſuam contra Chriſtianam religionem exornaſſe eique oppoſuiſſe eleganter obſeruat. Fuere et alii Hierocles cum hoc noſtro non confundendi [k]. Maxime vero diſtinguendus eſt ab Hierocle Bithyniae iudice, λόγων φιλαληθῶν *ad Chriſtianos* auctore, quibus diſſertationibus acerbiſſimum Chriſti et doctrinae eius hoſtem ſanctiſſimo Saluatori Dei filio oppoſuiſſe atque praetuliſſe Apollonium Tyaneum, eumque ſcripta apologia refutaſſe Euſebium ſupra diximus [l]. Qua de ſententia, non ignoramus receſſiſſe viros magni in orbe literario nominis, qui totam veterum doctrinam atque hiſtoriam animo complexi ſunt, ex quorum numero imprimis Io. IONSIVM [m], LVD. Kv-

h) Poſt alias editiones, de quibus videndus FABRICIVS l. c. elegantem et docti praefatione auctam debemus Io. PEARSONIO, Lond. 1654 quam recudi fecit PETRVS NEEDHAM. Editiones elegantis commentarii fuſe enarrat FABRICIVS Biblioth. Graec. Vol. I. p. 461. ſeqq.

i) Iugement des SS. Peres ſur la morale de la phil. payenne L. III. c. 18. p. 498. ſeqq.

k) Enumeratos habes apud IONSIVM l. c. BAYLE l. c. FABRICIVM l. c. PEARSONIVM l. c. OLEARIVM l. c.

l) Conf. ſupra Sect. I. huius capitis citatos. Add. CAVE Hiſt. lit. ſcript. eccleſ. p. 218. BAYLE l. c. p. 758. DACIER. praef. l. c. p. 239. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 459. Vol. VI. p. 91. Vol. IX. p. 450. OLEAR. l. c.

m) loc. citat.

KVSTERVM [m] et IOANNEM PEARSONIVM [n] nominamus; quorum ille, licet alias in homonymis rite diſcernendis accuratiſſimus, tantopere huic ſententiae adhaeſit, vt, cum videret Hieroclem Alexandrinum philoſophum, cuius meminit Damaſcius, neceſſario ſtatuendum eſſe iuniorem Euſebio, quod multis rationibus, licet ex parte ſpuriis et confuſa homonymia Olympiodori nixis, probat, eum, qui Hieroclem refutauit, Euſebium epiſcopo Caeſarienſi longe iuniorem eſſe contenderet. Quibus ſuo modo addi poteſt doctiſſimi GOTTFR. OLEARII [o] ſententia, licet moderatior, quae diſtinguendos quidem eſſe inter ſe Hierocles duos, vnum Bithyniae praeſidem, et poſtea Alexandrinum eparchum, alterum philoſophiae doctorem; dubia tamen haeret, an libellus, quo aurea carmina explicantur, priori debeatur, vel poſteriori. Rectius tamen, niſi nos omnia fallunt, diſtinguitur vterque, et quae hodie ſuppetit commentatio Pythagorico-Platonica huic tribuitur, quam quoque partem ſequuntur viri ſummi GVILIELMVS CAVEVS [p], NANVS TILLEMONTIVS [q], IO. ALB. FABRICIVS [r]. Quam ſententiam vt rationibus, quae rem conficere aptae ſunt, corroboremus, ad aetatem Hieroclis vtriusque attendendum eſt, qua poſita facile erit de vtroque iudicium, miraque luce tota controuerſia diſpaleſcet. Iam quod ad Bithyniae Iudicem attinet, vixiſſe eum ante Euſebii tempora, vel ex vna Caeſarienſis praeſulis refutatione λόγων φιλαληθῶν eſt manifeſtiſſimum. Ionſium enim, alium nobis et iuniorem Euſebium comminiſcentem, non audiendum eſſe, LACTANTII loca [s] ſupra quoque ex parte in Porphyrio a nobis laudata euincunt, quibus ſatis luculenter innuitur, praeſidem hunc Chriſtianos et ſcripto et perſecutione vexantem eo vixiſſe tempore, quo ipſe in Bithynia oratoriam doceret et Diocletianus vexaret Chriſtianos. Hunc enim Hieroclem intelligi, et ipſa deſcriptio hoſtis Chriſtianorum iurati probat, et viris doctis dudum animaduerſum eſt. Quae vti reiici ſine aperta vi et euerſione teſtimoniorum veterum ſcriptorum non poſſunt, ita et argumenti quoque indole confirmantur. Eo enim, quo Hierocles contra Chriſtianos ſcripſit, tempore, impune contra Chriſtianos ſcribere licebat, tantaque proteruia ipſum Dei filium aggredi gentilibus par erat, eo quod gentilis ſuperſtitio, imperatorum ei[1] addictorum tutela ſecura, religio eſſet dominans. Aſt Hieroclem Alexandrinum philoſophum non vixiſſe tantum eo tempore,[1] quo Chriſtiana religio ſuperior fuit, ſed et a τοῖς κρατοῦσιν, id eſt Chriſtianis [t] caeſum fuiſſe refert Damaſcius. Aſt hunc Hieroclem habuiſſe Theoſebium diſcipulum ait idem Damaſcius; ille vero Iuſtiniani vixit temporibus: qua etiam aetate vel paulo prius Aeneas Gazaeus floruit, qui vtrumque diſtinguit, et iuniorem ſe habuiſſe praeceptorem fatetur [u]: vixit enim, vt ipſe prodit, tempore incurſionis

m) Ad l. c. Suidae. n) In prolegom. l. c.
o) l. c. qui tamen in alteram magis propendet ſententiam.
p) loc. cit. p. 114.
q) Memoires pour ſervir a l'hiſt. de l'egliſe T. V. p. 606. r) Bibl. Graec. Vol. I. p. 462.
s) Inſtitut. L. V. c. 2. de mort. perſec. c. 16.
t) Videndus de hac Platonicorum gentilium formula HENR. VALESIVS ad Euſeb. p. 61. et ex eo KVSTERVS et BALTVS ll. cc.
u) De reſurrect. p. 24. conf. CVDWORTH. Syſt. int. c. IV. §. 15. p. 313. FABRIC. l. c. p. 464.

Digitized by Google

nis Bulgarorum, adeoque Seculo V. exſpirante: quo tempore Hieroclem Alexandriae docuiſſe oportet. Qui cum ſucceſſionem ſcholae Alexandrinae vsque ad Plutarchum Athenienſem memoret, qui Procli praeceptor Sec. V. fuit, neceſſario poſt eum vixit, adeoque eo tempore prior eſſe non potuit. Conſentit etiam Olympiodori tempus, cui librum *de prouidentia et fato* dedicauerat Hierocles: ille enim, Honorio et Theodoſio II. imperantibus floruit; quae omnia inuicto argumento docent, Hieroclem Alexandrinum Seculi quinti philoſophum fuiſſe, et integris CL annis Hierocle Bithyniae praeſide eſſe iuniorem, adeoque pro auctore λόγων φιλαληθῶν haberi non poſſe, eiusque tempora in medium ſeculum quintum incidere. Vtrum vero commentarius in aurea carmina ſeniori tribuendus ſit Hierocli an iuniori, certis equidem et inuictis rationibus demonſtrari non poteſt, longe tamen veriſimilius, philoſophum, quam eparchum Alexandrinum eius eſſe auctorem. Hunc enim philoſophum fuiſſe Platonicum veteres non dicunt, licet philoſophiae antiſtitem eum appellet LACTANTIVS [v], eo quod ſacris illius religionis, vt videtur, ſimul eſſet praefectus, quo nomine philoſopho profeſſione tali luculenter eum opponit: aſt quaecunque de Hierocle iuniore conſtant, huc quadrant, qui in Alexandrina Platonicorum ſchola docuit, eamque philoſophiam, quae in commentario in aurea carmina continetur, profeſſus eſt. His addimus SVIDAM [w], diſertis verbis Hierocli iuniori et librum *de fato et prouidentia* et *aureorum carminum interpretationem* tribuentem, qui cur concordantibus amice reliquis circumſtantiis ob nudam nominis affinitatem deſerendus, et Hierocles ſenior parens opuſculi dicendus ſit, cauſſam videmus nullam. Etſi vero Alexandrinae philoſophiae doctorem fuiſſe Hieroclem ex dictis conſtat clariſſime, in philoſophicis tamen magis, quam theologicis doctrinis eminuit, nec alius eſſe videtur ſenſus iudicii de Hierocle, quod Iſidoro tribuit Damaſcius: *Hieroclem et ſimiles in ſcientiis humanis nihil quidem deſiderari paſſos eſſe, aſt in beatioribus ſcientiis diuinisque notionibus multum defeciſſe, parumque verſatos fuiſſe.* Quo et reſpicit, quod Idem apud SVIDAM [x] habet, *ſcientia eum non accuratum fuiſſe:* γνῶσιν enim Damaſcio memoratam, ad rerum diuinarum cognitionem, quas μαχάρια νοήματα in loco altero vocat, reſpicere, et theurgicam ſcientiam innuere, ſupra iam monuimus. Quam, niſi fallimur, diuinioris operationis atque ſcientiae ignorantiam, quam ſuis hominibus Iſidoro, hisque ſimilibus Damaſcius nugator vindicat, Hierocli vero denegat, in eo quoque Hierocles prodidit, quod daemonium ex vxore eiicere non potuerit, nec Theoſebium in theurgicis exercitatum diſcipulum habuerit. Laudat tamen Damaſcius parum aequus philoſophorum alias cenſor, *ingenii Hieroclis morumque elegantiam, et venerabilem fuiſſe ait, atque magnificum, inſigni etiam ingenii vbertate praeditum, et copioſe ornateque dicendi facultate excellentem, adeo vt auditores ſuos vbique in admirationem raperet.*

v) loc. cit. w) loc. cit. x) loc. cit.

raperet. Laudat etiam *animum eius virilem et conſtantem Byzantii in iudicio demonſtratum, cum a ſex lictoribus caederetur: in vita tamen animo alta ſectante fuiſſe vſum* monet. Ceterum Hieroclis quoque philoſophumena laudant veteres, quae tamen, an Platonici fuerint, an Stoici, an alius, incertum. Facetiae autem ei tributae tanto viro ea auctoritate vſo indignae ſunt *y*.

Fata philoſophiae eclecticae Athenis.

§. XXXI. Hactenus quibus fatis vſa ſit philoſophia Alexandrina, quae eclecticum mentita habitum in confundendis inter ſe et conciliandis omnis generis doctrinis et religionibus induſtriam poſuit ſuam, cum Alexandriae, tum in Aſia minore, Syria nempe et Ionia, quin in Thraciae quoque parte, expoſuimus. Dicendum iam porro, quae in Europa etiam, praecipue vero Athenis, in vetere illa Muſarum et philoſophiae ſede incrementa ceperit, quaue ratione quibusque magiſtris fuerit propagata. Etſi enim poſt Graeca bella, quibus libertas Graeciae a Romanis erepta eaque in prouinciam redacta eſt, diſſipatis huc illuc philoſophis valde decreuerat philoſophiae, qui Athenis floruerat, vigor, vt capite huius libri primo demonſtratum; factum tamen eſt, vt imperatorum Romanorum beneuolentia ſtudiorum incrementa mature iterum Athenis refurgerent, et primo quidem eloquentia mire promoueretur, mox philoſophia quoque caput iterum attolleret. Cuius potiſſimum gratia referenda eſt ad Hadrianum et Marcum Antoninum philoſophum, qui vt principes erant omni eruditionis genere tincti, et praecipue philoſophiae ſtudiis addictiſſimi; ita, vt eo illa loco, vbi per tot ſecula ſedem habuit, refloreſceret, omnem curam adhibuere, ſumtibusque iuuarunt prorſus regiis. Hadrianus enim et bibliothecam et gymnaſium, teſte PAVSANIA *z* condidit, M. Aurelius Antoninus autem profeſſores eloquentiae et philoſophiae Athenis conſtituit, eosque ſtipendiis ornauit *a*, fuitque Theodotus ſophiſta primus, qui decem mille drachmarum ſtipendium imperatoris meruit *b*. Non vero rhetorices tantum, et politices profeſſoribus *c*, qui ſex mille drachmis fruebantur, teſte PHILOSTRATO *d*, ſtipendium conſtitutum fuiſſe, ſed et philoſophis praecipuarum ſectarum, LVCIANVS *e* teſtatur, aſſerens, „ſalarium, idque non exiguum ab „imperatore fuiſſe conſtitutum, ſingulis philoſophorum generibus, puta, „Stoicis, Platonicis, Epicureis, et Peripateticis: ita vt vnicuique ſectae „praemium eſſet aequale: etiam demortuo ex his quopiam, alium ali-

„quem

y) Conf. FABRIC. l. c.

z) In Atticis.

a) XIPHILINVS in Marco.

b) PHILOSTRAT. vit. Sophiſt. L. II. c. 2. p. 566. OLEAR. h. l.

c) Dubitat CONRINGIVS antiqu. Acad. Suppl. XV. p. 233. vtrum politices profeſſores ad philoſophos pertinuerint, putatque politicam cathedram fuiſſe occupatam a rhetoribus illis, qui ſcholam habuerunt, in cauſſis generis deliberatiui. Recte vero huic coniecturae obiicitur, quod politices cathedram, qui tenuit Apollonius iudiciali genere, non deliberatiuo excelluiſſe dicatur PHILOSTRAT. l. c. c. 20. p. 600. Qui cum eo loco legationibus publicisque muneribus adhibitus dicatur, quod in ciuilibus rebus clarus haberetur, ſtatuendum magis hanc profeſſionem a rhetoribus et philoſophis prorſus fuiſſe diſtinctam, et vtriusque vſum praeſuppoſuiſſe.

d) loc cit.

e) In Eunucho T. IV. p. m. 160.

Digitized by Google

„quem in eius locum ſubrogandum fuiſſe, qui ſit optimatum calculo pro-„batus; praemiumque illud non leue fuiſſe, ſed ſingulos in annos decies „mille nummorum, quos acceperint, vti doceant iuuentutem: factum-„que inde eſſe, vt cum Peripateticus quidam profeſſor deceſſiſſet, huius ſe-„ctae philoſophi ea de ſucceſſione ſingulari certamine conflictarent (ἐμο-„νομαάχων) propoſitis de quaeſtionibus philoſophicis concertationibus, et „ſpeciminibus ac documentis datis, quod eſſent illi factioni addicti.„ Qua in re multa ridicula admiſiſſe hos homines, Lucianus non ſine multo, vt ſolet, ſale ſatyrico refert [f]. Ita conſtituti, qui philoſophiam iuuentutem docebant, προεδῶτες τῆς νεότητος dicti, vt ex loco Philoſtrati laudato patet, quos horis docuiſſe pomeridianis, matutinis rhetores, ex EVNAPII [g] loco ſupra adducto recte colligitur, ex quo etiam conſtat, non ſemper a philoſophia ad eloquentiam demum transgreſſos fuiſſe iuuenes ſtudioſos, vt ex loco alio PHILOSTRATI [h] colligit Meurſius, ſed et vtrumque inter ſe ſtudium coniunxiſſe; quemadmodum Procli quoque exemplo liquet, eloquentiae addiſcendae ante philoſophiam quoque induſtriam quosdam adhibuiſſe [i]. Sed et reliqua in ſcholae auguſtioris formam vt reliquis artium profeſſoribus conſtituta, erectae cathedrae ſiue θρόνοι, quarum magna dignitas et exiſtimatio, eo quod ab ipſis imperatoribus deſignabantur, qui illis praeficiendi eſſent, de quibus ſcholarum philoſophicarum circumſtantiis, ſine quarum notitia vitae philoſophorum eclecticorum, vel Platonicorum potius Alexandrinorum, a veteribus deſcriptae, vitae item ſophiſtarum intelligi ſatis non poſſunt, plura dabit IOANNES MEVRSIVS [k]. Fecit haec philoſophorum Athenis conſtitutorum et dignitas et merces, vt viri excellentiſſimi, et doctrinae laude maxime florentes diu ibi docerent, et Athenarum gloria in literis reſurgeret. Videntur tamen ſtipendia publica, a ſequentium temporum imperatoribus philoſophis aut plane ademta, aut valde imminuta fuiſſe; narrat enim MARINVS [l]: *Proclum, Platonicae philoſophiae Athenis profeſſorem hac etiam ratione ſtudia literarum promouiſſe, quod eorum, qui literas tractabant, curam ſuſcipiens, principes popoſcerit ſtipendia, et vt cuique pro dignitate praemia decernerentur, cogentem ita illos, vt in ſua quisque profeſſione quam diligentiſſime verſaretur.* Id eueniſſe, florentibus Chriſtianorum rebus, ingenioſe coniicit HERMAN. CONRINGIVS [m], qui recte quoque obſeruat, Platonicam iſtam haereditatem, ita dictam, quam philoſophis in ſalarium ceſſiſſe Marinus refert, non ex publico, ſed quantum coniicere eſt, ex gentilium nonnullorum priuata liberalitate collectam fuiſſe. Coniicimus tamen, a Iuliano, qui ſcholas ad Chriſtianorum imitationem erexit gentiles, Athenis ſalaria conſtituta fuiſſe philoſophis, eo quod iſto tempore Chryſanthium docuiſſe auctoritate

f) Exemplum quoque affert EVNAPIVS in Proaereſio p. 138.
g) In Chryſanthio p. 198.
h) Vit. Soph. L. II. c. 3. p. 567. et OLEAR. ad h. l. qui recte Meurſium notat.
i) MARINVS loc. cit.
k) De fort. Attica c. VIII. p. 66. ſeqq.
l) In vita Procli c. 16. p. 37.
m) Antiqq. Academ. diſſ. I. p. 19.

tate publica Athenis, ex EVNAPIO [m] conſtat: quam tamen philoſophorum gentilium felicitatem, Chriſtianis, quos loco mouerat Iulianus, iterum ſuccedentibus illo ſublato interiiſſe, dubium non eſt. Qui Athenienſis ſcholae flos valde emarcuit, cum imperante Arcadio, ab Alarico et Gothis Athenae magnum paterentur infortunium, cuius teſtis oculatus fuit SYNESIVS [o], qui de ea re pluribus videndus: vnde ZOSIMO [p] non credendum, qui nihil mali paſſas Athenas ab Alarico ait, contrarium docente, quem is in reliquis plerumque exſcripſit, EVNAPIO [q]. Accidit vero incurſio Gothorum Sec. IV. exeunte, in quae tempora cum Plutarchus, de quo mox dicendum, inciderit, facile inde intelligere eſt, philoſophiam Alexandrinam, quam priuatim tantum Athenis prius docuerat Cryſanthius [r], in publica vero cathedra profeſſus eſt Plutarchus, magnas difficultates offendiſſe ſuperandas. Quibus fatis aſperis tandem perfuncta refloreſcere coepit, docerique poſt Plutarchum a Syriano, Proclo, Marino, Iſidoro, reliquisque philoſophis circa Iuſtiniani imperatoris tempora florentibus, quorum nunc porro hiſtoria enarranda eſt.

Plutarchus Neſtorii.

§. XXXII. Quae itaque priuata induſtria Athenis prius doceri tantum potuit philoſophia Alexandrina, tandem publicum quoque locum atque cathedram nacta eſt. Quod amori Chriſtianorum, quem in hanc philoſophiam, in gentilium et Origenis quoque aſſeclarum ſcholis conceperunt, adſcribendum eſt, cum prius ob artes theurgicas magnamque, qua Chriſtianos perſecuti erant philoſophi, inuidiam ſub imperatoribus Chriſtianis, ſumma rerum potitis premeretur. Factum id potiſſimum cura PLVTARCHI Athenienſis, NESTORII filii, quo parentis nomine ab aliis Plutarchis, praecipue Chaeronenſi probe diſtinguendus eſt [s]. Praeceptores quos habuerit, in tanta veterum, de hoc philoſopho, narrationis, penuria, dici non poteſt. Et HOLSTENIVS [t] quidem, Plutarchum Athenienſem hanc philoſophiam ex Iamblicho perceptam in patriam retuliſſe et Platonis academiam reſtauraſſe, ſcribit, ſed id rationibus chronologicis prorſus repugnare euidenti demonſtratione euinci poteſt. Narrat enim MARINVS [u], Plutarchum ſenem Proclum biennio tantum audiuiſſe Athenis, morientem autem Syriano ſucceſſori adoleſcentem nondum annos viginti natum commendaſſe. Proclus autem, quod infra demonſtrabitur A. C. CCCCXII natus eſt: ex quo absque exceptione certum eſt, Plutarchum A. C. CCCCXXXIII, vel CCCCXXXIV natu-

n) Eum regali munificentia philoſophos auxiſſe praemiis, teſtatur EVNAPIVS in Max.

o) Epiſt. VI.

p) L. V. Hiſtor. q) p. 91.

r) Satis id prodit EVNAPIVS in Chryſanthium p. 198. tum enim is rhetoricam publice docebat.

s) MARINVS in vita Procli c. 12. p. 27. SVIDAS in Plutarcho Neſtorii p. 133.

t) De vita Porphyr. c. 6. p. 256.

u) l. c. c. 12. p. 29. Probe ad has rationes chronologicas attendendum, ſine quibus facilis lapſus eſt in huius ſcholae hiſtoria. Id quod nupero quoque Hiſtoriae criticae philoſophiae auctori Gallo euenit, qui multis erroribus Athenarum hiſtoriam philoſophicam T. II. p. 295. ſeqq. contaminauit, quam poſt Gothorum incurſiones hoc loco iacuiſſe dicit, alio vero T. III. p. 195. florentem et reſtitutam per Syrianum nouo errore aſſerit.

Digitized by Google

naturae debitum exſoluiſſe. Etſi vero incertum, quo anno is natus fuerit, licet valde ſenex, teſte Marino, obierit, octogenario tamen maior deceſſiſſe non videtur, cum vsque ad extremum vitae halitum docuerit iuuentutem, quod a ſene valde decrepito non eſt praeſumendum; adeoque vix ante A. C. CCCL. naſci potuit, et anni, quibus philoſophiam edoctus eſt, quod ante vigeſimum non in vſu fuiſſe, ſupra ex Eunapio didicimus, incidunt in A. C. CCCLXX. Supra vero luculentis Eunapii teſtimoniis demonſtrauimus, Iamblichum ante Conſtantinum M. vita fuiſſe functum, eo quod poſt eius mortem Sopater eius diſcipulus in aulam Conſtantini digreſſus eminuerit. Aſt abiit ad plures Conſtantinus A. C. CCCXXXVII, et Iamblichus ante hos annos; quo tempore Plutarchum Neſtorii nondum natum fuiſſe, ex ſupra dictis ſequitur. Non poteſt itaque alio ſenſu hoc admitti, niſi vt dicatur, ex ſcriptis doctrinaque Iamblichi profeciſſe, quo ſenſu et alios, quin ipſum Proclum Plutarchi Neſtorii diſcipulum, Iamblichum habuiſſe praeceptorem dici ſupra obſeruauimus. Maiori veriſimilitudine dici poſſet, hauſiſſe Iamblichianae philoſophiae myſteria a Chryſanthio, quem ea docuiſſe Athenis ante Gothorum incurſionem ſupra demonſtratum eſt: qua in re tamen veterum teſtimoniis deſtitutis ſolis coniecturis ſtandum eſt. Intelligendum inde eſt, Priſcianum Lydum, Plutarchum hunc Iamblicho iungentem, non temporis, ſed famae et philoſophiae profeſſionis rationem habuiſſe [x]. Illud vero dubio caret, et ex diſcipulorum, quos habuit, conditione, rationeque philoſophiae illius, quam profeſſi ſunt, recte colligitur, edoctum fuiſſe non conciliatricem tantum Ammonii, ſed et theurgicam Plotini, et imprimis Porphyrii atque Iamblichi philoſophiam. Certe tantum eum in hoc eruditionis genere virum euaſiſſe, vt ſingulari encomio, ὁ μέγας, magnus ille, appellaretur MARINVS [y] et DAMASCIVS [z] teſtes ſunt, et ſcripta etiam, licet hodie deperdita, teſtantur [a], quae a veteribus ei tribuuntur, quae valde verſatum eum fuiſſe in philoſophia Platonica et Ariſtotelica, quae vtraque in vnum ſyſtema tunc conflata docebatur, produnt. Maxime vero in theurgia quoque excelluiſſe [b] inde colligitur, quod liberi eius in illius operibus producendis valde fuerint verſati. Habuit

x) Apud FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. III. p. 370.

y) loc. c. p. 28.

z) In vita Iſidori apud PHOTIVM Cod. CCXLII.

a) SVIDAS l. c. inter ea fuit etiam commentarius in Platonem; vid. FABRIC. l. c. Praelegiſſe etiam Ariſtotelis de anima commentarium et Platonis Phaedonem ait MARINVS c. 12. p. 27. ſ. Confundit autem FR. PATRICIVS diſcuſſ. Perip. T. I. L. X. p. 140. ſeqq. SVIDAE, in Plut. l. c. et in Syrianus T. III. p. 410. verba miſcens, Syrianum cum Neſtorio, dum ait, Plutarchum in libros Procli de Diis Homericis ſcripſiſſe. Hoc enim ad Syrianum referendum eſſe verba SVIDAE l. c. poſcunt, quae ita ſe habent: Πλούταρχος Νεστορίου Ἀθηναῖος φιλόσοφος, διδάσκαλος Συριανοῦ, τοῦ γενομένου ἐξηγητοῦ Πρόκλου τοῦ Λυκίου τοῦ προσάντος τῆς ἐν Ἀθήναις φιλοσόφου σχολῆς ὁ Μαρίνος διάδοχος. In quibus verbis non vidit Patricius deſcribi ſucceſſionem ſcholae Athenienſis, Proclumque ad Syrianum referri, vt taceamus, ἐξηγητὴν hic non ad commentandi rationem ſed praelegendi referendam videri, niſi Syrianus iunior quidam intelligendus potius ſit, quem cum ſeniore confudit Suidas, quod placet IONSIO de S. H. P. L. III. c. 18. p. 300.

b) Vide quae de ipſo Plut. habet SVIDAS in Domnin. T. I. p. 616. ſeq.

Habuit enim filium Hierium, eidem philoſophiae addictum [c], et filiam Aſclepigeniam [d], *quam ſolam Procli tempore ſeruaſſe per patrem traditam ſibi magnorum orgiorum vniuerſaeque diſciplinae theurgicae notitiam*, ait MARINVS [e], quam artem Proclum quoque docuit. Habuit etiam generum Archiadem, philoſophum, non tam verbis quam factis philoſophantem [f], et Proclo intimo amicitiae vinculo iunctum, ex quo et filia Aſclepigenia, neptis illi nata eſt, de qua miraculum hoc narrat MARINVS [g]: „eam cum etiamnum puella eſſet, atque in parentum familia aleretur, in morbum grauiſſimum et a medicis incurabilem incidiſſe: id aegerrime tuliſſe „Archiadem, medicis vero deſperantibus, quod in rebus maximi momenti „facere conſueuiſſet, ad ſupremam anchoram confugiſſe, Proclumque „philoſophum adiiſſe, vt pro filia ſua precibus apud Deum intercederet. „Proclum itaque aſſumto ſecum Pericle Lydio, celebris nominis philoſopho, Aeſculapii templum petiiſſe, pro ſalute aegrotae Deum oraturum: „ſimulac igitur Proclus antiquo ritu oraret, magnam ſenſiſſe puellam mutationem extemplo, ſanitatique ita reſtitutam fuiſſe, vt rediens ex Aeſculapii templo Proclus eam ſanitate iam vtentem deprehenderet„. Qua ex narratione, qualis generis Plutarchi familia fuerit, facile colligi poteſt. Ea poſtea Theageni nupta fuit, quem valde commendat Marinus. Multos habuiſſe diſcipulos Plutarchum ex SYNESIO [h] colligitur, qui τὴν ξυναγὼγὴν τῶν σοφῶν Πλουταρχείων, *coetus philoſophorum Plutarcheorum* memorat, ex quo loco coniectura naſcitur, tanta vſum fuiſſe Athenis auctoritate Plutarchum, vt peculiari eius nomine diſcipuli appellarentur, vt Plotino, Porphyrio, Iamblicho factum. Inter eos Proclus fuit, magni nominis in hac ſecta philoſophus, quem filii inſtar amauit, cui viſus eſt per quietem adeſſe, affirmans eum tot annos victurum, quot in oracula tetrades compoſuiſſet. Quod ita contigiſſe poſtea, licet LXXV annos vixerit Proclus, miſero ſophiſmate nugatur MARINVS [i].

§. XXXIII.

c) Valde nugatur de hoc Hierio more ſuo Damaſcius in vita Iſidori apud PHOTIVM l. c. p. 556. vidiſſe ſe eum ſub Proclo philoſophantem, adeo paruum hominis caput referentem, vt cicer adaequaret magnitudine et forma et nomen inde acciperet, ceterum humanam formam in omnibus expreſſiſſe, vocemque tantam quantam mille homines. Quae digna nugatore Damaſcio recte pronunciat Photius: ex quo vero diſci poteſt, quam audaces in cudendis fabulis omni veriſimilitudine deſtitutis fuerint Platonici Alexandrini: eiusmodi enim affaniarum plena fuit haec Iſidori hiſtoria. Docuiſſe vero hunc Hierium Athenis ex SVIDA colligi poteſt, qui in Pamprepius T. III. p. 13. narrat, vel ex Damaſcio potius repetit, Aegyptium hunc grammaticum cum inter philoſophiae profeſſores Athenis recipi contenderet, cum Hierio concertaſſe de gloria doctrinae. De concertationibus vero Athenienſium profeſſorum §. antecedente dictum eſt.

d) Referenda itaque in catalogum mulierum Platonicarum apud MENAGIVM Hiſt. mul. phil. et FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. II. p. 69. e) c. 28. p. 67.

f) Ex genero nepotem inepte exſculpſit interpres notante FABRICIO ad h. l. Laudat hunc Archiadem, tanquam ſummum veri amatorem, et honoris cauſſa, pientiſſimum Archiadem, celebratum appellatumque MARINVS l. c. c. 14. p. 33. continentiam quoque eius in iactura bonorum extollit SVIDAS in Archiades T. I. p. 341. Damaſcius autem apud PHOTIVM l. c. p. 568. monet, ſuperaſſe patrem (ita ſocerum vocat,) non parum virtute, et non tam philoſophiam, quam vitam piam curaſſe. Idem vult MARINVS l. c. p. 32. monens Proclum Archiadem, religioſum virum politicas virtutes edocuiſſe, quas etiam iuſtitia, et imprimis liberalitate et magnificentia oſtenderit.

g) c. 29. p. 71.

h) Epiſt. XVII. IONS. de S. H. P. L. III. c. 6. p. 241.

i) c. 26. p. 62. nempe quinque annos reliquos, ait, Proclum integris amplius viribus vſum non eſſe.

Digitized by Google

§. XXXIII. Plutarchum in cathedra ſecutus eſt SYRIANVS Philoxeni filius, Alexandrinus, teſte MARINO [k] et SVIDA [l]. Qui tamen, quod Iſidorum Syriani ciuem vocat, occaſionem dedit IONSIO [m] ſtatuendi, fuiſſe hunc Gazaeum; quod tamen non ſequendum videtur, eo quod et hoc loco, dubitandum non ſit, Suidam more ſuo diuerſas res ex Damaſcio excerptas confuiſſe. Tanto hunc Syrianum amore complexus eſt Plutarchus ſenex, vt non tantum ſucceſſorem deſignauerit, ſed et chariſſimos ſibi moriens commendauerit [n]. Magna is philoſophiae ſcriptorumque Platonicorum, praecipue Iamblichi admiratione captus, in huius familiae doctrina ſyncretiſtica magno cum ingenii acumine verſatus eſt, indeque ſcripta quoque ſua non Platonis tantum et Ariſtotelis placitis inter ſe conciliatis, ſed et allegoricis Orphei, Homeri aliorumque carminum interpretationibus expoliuit, et eadem via manu quoque duxit diſcipulos; qua de methodo docendi et erudiendi iuuenes philoſophiae ſtudioſos luculenter egit MARINVS [o], quae cum egregie naturam huius ſectae delineet, ille merito audiendus eſt. Ita vero Marinus: *Itaque breuiore, quam biennii ſpatio, omnia Ariſtotelis opera una cum Proclo perlegebat Syrianus, logica, ethica, politica, phyſica, itemque ſcientiam theologicam; in his vero ſatis inſtitutum, vt quibusdam tyrociniis paruisque myſteriis ad ipſam Platonis deduxit ſacram diſciplinam [p]; vtque ſpectaret apud eum vera myſteria, curauit, animi non caliginoſis oculis, et mentis integra ac ab omni labe puriſſima ſpeculatione [q].* Quibus verbis luculenter Plotinianae ſcholae et diſcendi methodus et philoſophandi finis exprimitur, et Syrianum eiusdem cum reliquis huius ſcholae doctoribus generis fuiſſe euincitur. Clarius id forte perſpici poſſet, ſi ſupereſſent libri ab eo ſcripti, quos nominat SVIDAS [r], inter quos cum praeter *Commentarium in Orphei theologiam* etiam liber *de conſenſu Orphei, Pythagorae et Platonis* fuerit, ſyncretiſticam fuiſſe philoſophiam Syriani, nobis non monentibus intelligitur. Qui vero hodie extat commentarius *in metaphyſicos Ariſtotelis libros*, inter *προτέλεια* tantum fuit, et praeparationes, quibus ad *ἐποπτείαν* et ipſa myſteria Alexandrinae philoſophiae inſpicienda adducebat auditores Syrianus. Fecit vero maxima, qua in his literis regnabat, Syriani eruditio [s], vt non tantum ſummo loco haberetur Athenis, ſed et multos haberet diſcipulos, eloquentiae flumine ad diſcenda, eo duce, philoſophiae myſteria inuitatos, et magna nominis fama in huius familiae ſerie inclytos. In his fuit Hermias vel Hermeas, cuius notitiam nobis ex Damaſcio dedere PHOTIVS [t]

Syrianus.

k) l. c. c. II. p. 25.
l) In Syrianus T. III. p. 410.
m) De S. H. P. L. III. c. 18. p. 300.
n) MARINVS c. 12. p. 29.
o) c. 13. p. 30.
p) Lucem his affert FABRICIVS ad l. c. Marini quem vide.
q) Hanc conſecutos fuiſſe Plotinum, Porphyrium, Iulianum, ſupra enarrauimus.
r) l. c. conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 450.
s) Inde *μέγας* vocatus, non minus quam praeceptor Plutarchus vid. Damaſc. apud SVIDAM T. I. p. 643.
t) Cod. CCXLI. p. 554.

Digitized by Google

et SVIDAS *. Fuit is Alexandrinus, pater Ammonii et Heliodori, quo nomine ab aliis Hermiis distinguitur. Laudat eum Damascius non tam ab ingenii perspicacia, quam vitae integritate, et virtutibus, quibus eminebat. Ei enim si fides habenda, „natura fuit bonus, et moribus sim„plex, ac industria quidem nullo sodalium sub Syriano philosophantium „inferior, ne ipso quidem Proclo, qui iam inde ab initio eius condiscipulus „fuerat. Solers tamen non valde fuit et acutus; (apud SVIDAM enim „vbi contrarium dicitur, particulam negatiuam deesse ex Photio ipsoque „textus ordine et connexione intelligitur) cuius animi simplicioris speci„men fuit, quod Aegyptio cuidam morienti iureiurando affirmauerit, „animam esse interitus expertem. Ast fiduciam ipsi afferebat vitae inte„gritas; et quamuis in dicendo a perfectione eloquentiae abesset, adeo tamen „in virtute erat exercitatus, vt ne Momus quidem ipsum reprehendere, „nec inuidia odio prosequi posset. Tanta autem mansuetudo et tanta iu„stitia in illo viro erat, vt si quid emeret, quod minori veniret pretio, „quam par erat, iustum ipse pretium daret etiam non expetitum". Contrariis huic dotibus ingenii animique fuit frater eius Gregorius, maiori quidem praeditus perspicacitate animi, sed minori virtute. Nec omittenda hic quoque vxor Hermiae Aedesia, inter Platonicas mulieres omnino locum merita *, et in huius familiae historia iure suo notanda. „Cogna„ta fuit Syriani, pulcherrima et optima mulierum Alexandrinarum, mo„ribus, vt refert ex Damascio SVIDAS y, marito similis, candida et „generosa, iustitiaeque non minus, quam modestiae per omnem aetatem „studiosa, et insigni amore Deum et homines prosequens: Quapropter „etiam supra vires egentibus bene faciebat, adeo, vt Hermia quoque „defuncto, vidua cum pupillis relicta, eosdem sumtus in beneficentiam „conferret. Vnde factum vt patrimonium liberis obaeratum traderet, li„cet ab aliis passim reprehenderetur. Imprimis autem dabat operam, vt „filii in philosophia erudirentur, cupiens doctrinam patris velut haereditа„tem quandam illis tradere, quin (nam et hoc verba Damascii patiuntur z) „ipsa curam eam suscipiebat tradendae filiis paternae doctrinae atque phi„losophiae. Sed et filiis publicum victum, qui patri praebebatur, con„seruauit paruulis et philosophantibus, ex quo summo magistratus in pu„pillos Hermiae beneficio, quod nulli alii philosopho, nedum mulieri, con„cessum vnquam fuisse, non abs re Damascius monet, intelligi potest, quan„tum valuerit virtutis Hermiae vxorisque eius recordatio apud Alexandri„nos, apud quos summa fuit Aedesiae existimatio atque honor. Filios postea „adultiores Athenas ad Proclum deducens, magistri et discipulorum chori „admirationem meruit. Hanc Aedesiam Proclo desponsurus erat puellam Sy„rianus, nisi is diuino quodam instinctu animum a matrimonio auocauisset a". De filiis autem Ammonio praecipue, insigni nominis claritate inter philoso-

phos

x) In Hermeas T. I. p. 858.

x) Eam immerito omissam a MENAGIO in Historia mulierum philosophantium monuit FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 608

y) In Aedesia T. I. p. 643.

z) Μᾶλλον τῶν ἄλλων ἐπεμελεῖτο τὰ περὶ φιλοσοφίαν.

Digitized by Google

phos huius ſectae conſpicuo, infra inter Procli diſcipulos plura dabuntur. Porro inter Syriani diſcipulos Domninus quoque praetereundus non eſt, vir haud obſcuri eo tempore inter philoſophos Alexandrinae Platonicorum ſectae nominis. Qui natione Syrus Lariſſa vel Laodicea Syriae vrbe oriundus Athenas diſceſſit et Syriani diſciplinae, teſte MARINO [a] et Damaſcio apud SVIDAM [b] ſe tradidit; et in mathematicis quidem diſciplinis ſe demonſtrauit exercitatiſſimum, in aliis autem philoſophiae partibus adhuc exercitatiorem, et verſatiorem: quae cauſſa fuit, vt tritam ſcholae huius viam relinquens Platonicis dogmatibus domeſtica placita aſſueret, quod reprehendit quidem Damaſcius [c], aſt nec Proclus aliter inſtituit, nec qui ante hos philoſophiam Platonicam docuere, quorum quilibet, vt ingenio valebat, ita miſerum centonem propriis nugis et deliriis, vel etiam ſubtilibus ſpeculationibus metaphyſicis farciebat et ornabat. Sed nec vita quoque ſe genuinum huius ſcholae diſcipulum probauit eius aſſeclis, eo quod carnem ſuillam, quam reprobabant Platonici [d], ederet commendatam ab Aeſculapio Athenienſi, qua de re nugas et mendacia Damaſcii ſciendi cupido ipſe Suidas adeundus eſt. Fatetur tamen Aſclepiadem iuuenem Domninum ſenem conueniſſe, et vidiſſe, hominem illum habere quiddam eximium et conſtans, qui cum peregrinis aut illiteratis non multum colloqui vellet, praecipue cum illis, qui ſe ceteris praeſtare gloriarentur: id quod ipſi quoque acciderit, aſperius habito, cum de arithmetico quodam theoremate cum illo contenderet. Nullus tamen diſcipulorum Syriani vel charior fuit magiſtro, vel gloriam parauit maiorem, quam Proclus, quem non tantum, vt ſupra narratum, in arcanis philoſophiae myſteriis inſtituit, ſed et cathedrae ſucceſſionem ei reliquit, eumque ſummo amore complexus adeo redamatus ab eo eſt, vt ſe eodem tumulo condi iuberet Proclus addito epitaphio, quod, quanti fecerit Syrianum, eximio ſpecimine comprobat. Tale enim fuit [e]:

Proclus ego hoic Lycius iaceo, tuus, optime, alumnus
Succeſſorque tuus qui, Syriane, fui.
Condita communi tumulo hoc ſunt corpora noſtra,
Sic et vtramque animam coelica templa tenent.

Quin, ſi fides habenda MARINO [f], in ſomnio Syrianus viſus Proclo adeſſe, qui minis adhibitis eum deterruit a ſcribendis in Orphica commentariis. Quod narrauiſſe Proclum, eo minus mirandum, quo magis inſana, qua Syrianum is proſecutus eſt, veneratio tanta fuit, vt quotannis ad ſepulchrum praeceptoris manibus eius iuſta faceret, vt in ſequentibus etiam dicemus. Meminit et alterius ex hac ſecta Syriani Damaſcius [g], Procli praeceptore iunioris et Iſidoro Gazaeo aequalis, quem is, mortuo Marino, hortatus eſt, vt labentem philoſophiae ſucceſſionem Athenis cum Hegia reſtitueret.

a) c. 26. p. 60. b) In Domninus T. I. p. 616 ſqq.
c) Eum tamen librum, purgatorem Platonicae doctrinae contra Syrianum ſcripſiſſe ait Damaſcius l. c.
d) Vid. quod de Plutarcho refert h. l. DAMASCIVS, et de Chryſanthio EVNAPIVS.
e) MARINVS c. 36. p. 91. f) c. 27. p. 66.
g) Apud PHOTIVM l. c. p. 564.

Procli vitae scriptor.

§. XXXIV. Omnes tamen, quotquot philoſophiae Alexandrinae operam collocarunt ſuam, ſuperauit ſi non eruditione, quam poſſedit, magna, certe inſana ſuperſtitione ad faſtigium perducta Proclus, cuius iam exponenda hiſtoria eſt, digna quae accurato perluſtretur oculo, cum non alibi melius genius ſectae, qui tanto influxu in omnem rem literariam et eccleſiaſticam horum temporum gauiſus fuit, cognoſci queat quam ex rebus Procli. Quas ſpeciali magis et prolixa ratione cognoſcendas nobis exhibuit MARINVS, Procli diſcipulus et ſucceſſor, qui vitam praeceptoris accurate, licet methodo Platonica, deſcripſit, quam initio quidem quamuis non totam vulgauit GVILIELMVS XYLANDER [h], et poſt eum AEMILIVS PORTVS [i]: integram vero poſt fruſtra expectatam LVCAE HOLSTENII editionem publici iuris fecit, prolegomenisque doctiſſimis, hiſtoriam Procli literariam illuſtrantibus, annotationibus et epilogo de ſcriptis Procli auxit vir de his quoque literis, vt de omni elegantiore eruditione immortaliter meritus, IO. ALBERTVS FABRICIVS [k]. Peculiarem in hac vitae Procli hiſtoria ordinem ſeruauit Marinus, non quidem nouam, et paſſim iam a Platonicis, praecipue Porphyrio et Iamblicho in vitis Pythagorae et Plotini adhibitam, ſed elegantius tamen, nec tam *σχολαστικῶς*, et ad praecepta rhetorices Platonicae, ac Marinus fecit. Hic enim ſuppoſito virtutum Platonicarum, quas in Phyſicas, morales, purgatorias, purgatas, theoreticas et theurgicas diſtribuunt, ordine, et quatuor cardinalibus virtutum capitibus, prudentia, temperantia, fortitudine et iuſtitia, non tam vitae, et factorum Procli ſeriem exponit, quam hunc praeceptorem ſuum potius perfectiſſimi philoſophi exemplum dediſſe, ſuperbo panegyrico exponit. Quae ratio fuit, cur libello titulum, *de felicitate* praefixerit, inque ipſo opuſculo inuſitatae methodi rationem excuſaturus ſcripſerit: *Auſpicari ſe velle non vſitata ſcriptorum conſuetudine, qui orationem in capita diſtributam ordine pertractant, ſed ipſam felicitatem viri fundamentum beati viri iacere; arbitrari ſe enim, fuiſſe illum feliciſſimum eorum hominum, qui multis antea ſeculis celebrati ſunt, non particulari tantum vel ſapientiae vel corporis, vel fortunarum conditione felicitatis, ſed perfecta, omnibus partibus abſoluta et ex his vtriſque conſtituta.* Quae duabus ex cauſſis probe notari in animo et expendi merentur. Nam intelligitur non modo ex hoc Marini ſcopo Platonicorum Alexandrinorum ſpes ſuperba obtinendi ſua philoſophia finis primarii, nempe felicitatis abſolutae omnique numero perfectae, quaque ratione felicitatem ſuis virtutibus fanaticis et enthuſiaſticis acquiri poſſe crediderint, luculento exemplo conſpicitur: verum etiam cognoſcitur inde, qua fide dignus ſit Marinus, in eo, ſolo omnem ponens induſtriam, vt Proclum ſtatueret, omnium omnino philoſophorum longe feliciſſimum eaque opinione obſeſſus, qua putauit

h) Adiecit hanc vitam Procli M. Antonini libris de ſe ipſo, Tigur. 1583. 8.

i) Praefixam PROCLI theologiae Platonicae.

k) Hamburgi 1700. 4.

Digitized by Google

tauit neminem ad hanc beatitatem posse peruenire, qui non per virtutes theoreticas ad theurgicas vsque et vltimum enthusiasiasmum peruenerit. Quod cum de heroe suo demonstrandum sumsisset, quem hominem fuisse, et humani multum passum esse non ignorabat, necessario ad artes scholae eclecticorum proprias confugiendum ei erat, eaque ornanda, comenda, augendaque et mendaciis atque confictis miraculis admirationi hominum proponenda, sine quibus, si Proclo ea defuisse dicerentur, felicissimi philosophi titulo iureque frui, virtusque orationis Marini constare non potuisset. Quod vero eo facilius fieri potuit, quo magis, quod aliquoties monuimus, licitas sibi esse fraudes has pias et mendacia officiosa haec secta impudentissime statuit. Non fieri hac in re Marino iniuriam, in sequentibus clarissime demonstrabimus, et attentus lector mediocri labore facile deprehendet. Quam coacte enim trahat omnia, aliena etiam et ridicula saepius, in rem suam, vt taceamus; tanta interdum insania in laudes Procli effunditur Marinus, vt sibi contradicat. Cuius vt specimina quaedam, ad faciendam rei, quae nonnihil momenti habet, fidem, afferamus, ecce *μετριοπάθειαν* denegat Proclo, et exuisse affectus humanos omnes splendide mentitur [l]; alio tamen loco et gloriae cupidiorem, et vehementissimum fuisse negare non potuit, et ira efferentem se ostendisse fassus est [m]. Eadem narratio *ἀσυγκρισίας* deprehenditur, quando morbum Procli vltimum magnis doloribus grauissimum, fortitudine inusitata, vitaeque neglectu, magnoque animo contemsisse philosophum asserit, alio tamen loco confugisse tradit eum cum amicis ad anilia remedia, carmina et precatiunculas, vt molestissimum morbum depelleret. Alia in sequenti tractatione passim monenda praeterimus. Quae cum ita sint, non monendum esse ambitiose lectorem putamus, ne fidat homini, vel eius aliter sequatur narrationem, quam leges fidei admittunt historicae; sed quemuis veritatis sine fuco cupidum nos secuturum speramus, Marinum non audituros tantum, sed et examinaturos et fabellas impudentissimas et manibus quoque palpandas explosuros, conditionemque philosophiae, totiusque rei literariae istis temporibus, barbariei, quae Athenas paulo post occupauit, vicinis illustraturos.

§. XXXV. Natus est PROCLVS Byzantii, teste MARINO [n]. Parentibus vero genitus Lyciis, qui Xanthi habitauerunt, eumque ibi educauerunt, Lycius habitus est, et ipse Xanthum patriam agnouit. Fuit vero pater Procli Patricius, mater Marcella, quae eam A. C. CCCCXII, die octauo Februarii peperit. Euinci hic Procli natalis, quo supra ad quorundam Platonicorum reformatorum tempora definienda vsi sumus, recte potest, ex astrorum situ, et themate Procli genethliaco, quod, ne his *Procli vita.*

l) p. 15. seqq. m) p. 28. 37. 38. n) c. 6. p. 14.

Digitized by Google

his ornamentis ſpoliemus Procli hiſtoriam, ex Marino, duce FABRICIO o), huc apponimus:



Sed et aliis argumentis annus hic Procli natalis euinci poteſt: nam teſtatur Marinus, eclipſin ſolis maximam contigiſſe, anno Procli mortem praecedente; ea vero, ſi tabulae conſulantur aſtronomicae, incidit in diem decimum tertium Ianuarii A. C. CCCCLXXXIV, d. 13. Ian. p), ex quo annus Procli emortualis A. C. CCCCLXXXV fuiſſe euincitur. Cumque LXXV annos Graecos, qui lunares fuerunt, natus deceſſerit, annus idem CCCCXII natalis recte exſurgit. Alias rationes, a Iuliani imperio deſumtas in re certa non adducimus, ne ſimus prolixi; adeundus vero eſt FABRICIVS q) iis, qui plura hac de re volunt. His iam poſitis erraſſe cenſendus eſt PETRVS LAMBECIVS r) V. C, qui multis annis Proclum iuniorem conſtituit, natiuitatem eius reiiciendo ad Theodoſii iunioris tempora A.C. CCCCXLIII, mortem in A. C. DXVIII, vel ſequentem. Ad quem errorem a ZONARA s) inductus eſt, apud quem legebat, combuſſiſſe Proclum claſſem Vitaliani Thracis, tyrannidem ſub Anaſtaſio affectantis, ſpeculis vſtoriis ex aere fabricatis: confirmatus praeterea CEDRENI, auctoris chronici Alexandrini t), et THEOPHANIS u) narratione, Proclum ὀνειροκρίτην Aſianum philoſophum, Anaſtaſio mortem imminentem praedixiſſe. Qui ſi ad eos temporis characteres attendiſſet, quos Marinus definiuit, facile intellexiſſet, Proclum hunc ſub Anaſtaſio viuentem eſſe ab hoc diſtinguendum. Nam vel ſola Athenienſis ſcholae ſucceſſio id clariſſime euincit, Proclum ſequente Marino, qui ſub Leone Thrace floruit, et hunc Iſidoro, Iſidorum Damaſcio, qui vitam huius ſcripſit tempore Theodorici Gothorum regis x); qui

o) In prolegom. p. 6. MARIN. c. 35. p. 87.
p) In 25-39. Capricorni.
q) loc. cit. p 7.
r) Comm. de Biblioth. Vindobon. L. VII. p. 46. ſeqq. p. 404. ſcqq.
s) L. XIV. p. 55.
t) p. 331.
u) p. 140.
x) PHOTIVS Cod. CCXLII. p. 553.

qui omnes Anaſtaſio fuere ſuperiores, praeter Damaſcium eo regnante viuentem. Sed vt ad ipſum Proclum reuertamur, parentibus is ortus genere cenſuque conſpicuis, Byzantio in patriam ſuam Xanthum ductus ibique elegantiſſimis moribus inſtitutus et formatus eſt. Qui cum a puero veritatis ſumme eſſet cupidus, parentum quantumuis ditiſſimorum diuitias puer contemſit, et inſatiabili diſcendi deſiderio totum ſe literis tradidit, et natiuitatis loco et patria, Mineruae et Apollini dicatis ad ſtudia ſecreto compulſus inſtinctu [y]. Multa hic garrit Marinus de magno Procli ſtudio in theologia, deque amore Deorum, quibus tam charum fuiſſe dicit, vt, cum adoleſcens aliquando aegrotaret tam grauiter, vt ſanari vix poſſet, Teleſphorus (quo nomine Apollinem intelligit) ei apparens, nomenque, quis eſſet, prodens, attacto capite ſtatim ſanitatem ei reſtitueret, atque ita euaneſceret. Domi vero grammaticis inſtitutionibus formatus [z], cum ad ſublimia adſpiraret adoleſcens plane diuinus, profectus eſt Alexandriam Aegypti, quo loco ſuperſtitionem, et philoſophiam etiam, quae illam nutriebat, reformatam Platonicorum patriam habuiſſe atque ſedem ſupra retulimus. Ibi eloquentiae ſe et elegantiorum artium tradens ſtudiis, earum magiſtros publice docentes audiuit, et imprimis Leonam Iſaurum, rhetorem, inter complures, qui tum erant Alexandriae, ſuae profeſſionis clarum: qui eum non tantum ſtudiorum ſuorum fecit participem, ſed etiam in familiam interque domeſticos recepit, curauitque vt cibum cum vxore liberisque, tanquam verus filius, caperet [a]. Tanta vero et eruditionis et morum elegantia ſe praecipuae dignitatis doctrinaeque viris commendauit, vt mirifice eius acumine ingenii, et morum integritate delectarentur, eumque inter amiciſſimos haberent [b]. Eloquentiae ſtudio iunxit grammaticam, quam ab Orione celebri grammatico didicit [c]; Romanorum quoque praeceptorum adiit ſcholas magnosque in ea lingua progreſſus fecit: quod ea potiſſimum faciebat cauſſa, quod parentis exemplo iurisprudentiae ſe quoque dederat [d]. Omnium tamen maxime delectabatur adoleſcens dicendi arte, quamuis philoſophiae doctrinam nondum attigiſſet [e]: magnam ſibi in ea gloriam acquirebat, propter ſermonis elegantiam et in percipiendo celeritatem et praeceptoribus et condiſcipulis admirandum ſe praebens; ſic vt magis magiſtri habitum, quam diſcipuli referret. Poſtea cum Leonas rhetor Byzantium proficiſceretur, Proclus cum eo iter ingreſſus, natale ſolum inuiſit,

y) c. 3. 4. p. 10. 14.
z) c. 8. p. 15.
a) Ib. p. 16.
b) Ibid.
c) Orionem Alexandrinum, eiusque ſcripta memorat SVIDAS in Orion. T. II. p. 767. non vero confundendus eſt, cum Grammaticis tribus hoc nomine claris, praeceptoreque Procli Alexandrino, qui ſub Hadriano vixit eiusque encomium ſcripſit. Vnde eum ab Orione Procli praeceptore diſtinguit FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 67. qui ad l. c. MARINI prius eundem eſſe ſtatuerat.
d) c. 8. p. 17.
e) Patet ex hoc loco MARINI, Alexandrinae ordinaria methodo philoſophiae ſtudium praeceſſiſſe ſtudio eloquentiae, a qua recedebat Proclus.

uiſit, ibique eum Minerua, dea vrbis tutelaris in ſomnio alloquuta excitauit, vt Athenienſium quoque ſcholas inuiſeret *f*. Neſcio tamen qui factum ſit, vt tantus Deorum cultor, quantum iactat Proclum Marinus, diuinis monitis non obſequutus fuerit. Alexandriam enim reuerſus eſt, ſine dubio, quod tum temporis philoſophiae ſtudiis illa omnes antecelleret, et ab hac matre genita fuerit ſchola Athenienſis. Alexandriae itaque, valere iuſſis rhetorum aliorumque lectionibus, totum ſe philoſophis, qui tum in hac ſchola docebant, audiendis tradidit, eorumque conuentus frequentauit *g*. Audiuit igitur in Ariſtotelica philoſophia, qualis nempe a ſyncretiſtis Alexandrinis, cum Platoniſmo conciliata tum tradebatur, Olympiodorum, philoſophum clariſſimum, in mathematicis vero diſciplinis Heronis inſtitutione vſus eſt, viri religioſi, et rationum mathematicarum valde periti *h*. Adeo vero delectatos fuiſſe viros hos celeberrimos Procli iuuenis moribus, ſcribit MARINVS *i*, vt Olympiodorus ſuam ei filiolam deſpondere voluerit, quae et ipſa literis erat inſtituta, et Hero omnem ei religionem ſuam committeret, atque aſſiduum ſibi conuictorem adſciſceret. Tanta autem felicitate in diſcenda philoſophia vſus eſt, vt, cum Olympiodorus, vir magna dicendi facundia praeditus, et propter ſuam in dicendo celeritatem et grauitatem rerum de quibus ageret, a pauciſſimis auditoribus intelligeretur, Proclus finita lectione cuncta condiſcipulis iterato ordine exponere poſſet *k*, qua in re, cum Ariſtotelica facili negotio perdidiciſſet, omnino gratam rem fecit conſodalibus, inter quos fuit Vlpianus, Iſidori frater, Gazaeus, qui, vt ait MARINVS *l*, magnam etiam vitae partem in philoſophia conſumſit, qua de re videndus eſt Damaſcius *m*. Ita philoſophorum Alexandrinorum lectionibus eruditus, vt addere ex iis doctrinae quicquam non poſſet, ſomniique Byzantini, quo Minerua Athenas ei commendauerat, recordatus, contemtis Alexandrinis, quod non ſemper facere ſatis in interpretandis auctoribus illi poſſe videbantur, Athenas contendit, exceptus

f) c. 9. p. 18.

g) c. 9. p. 18.

h) Tres inter veteres mathematicos celebrantur Herones, duo Alexandrini, ſed tempore longe inter ſe diuerſi. Primus diſcipulus fuit Cteſibii artium mechanicarum peritiſſimi, qui ſub Ptolomaeo Euergeta vixit, et Epicuream philoſophiam adamauit, vt ex BERNARDINI BALDI vita Heronis notat FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 592. quem tamen in Epicureorum catalogo omiſit Gaſſendus: edidit eius ſcripta Baldus laudatus. Secundus Procli praeceptor fuit, de quo legendi PETR. LAMBEC. de Biblioth. Vindob. L. VII. p. 404. et FABRICIVS l. c. p. 593. Tertius ſub Heraclio vixit, vid. VOSSIVS de ſcient. mathemat. c. XLVIII. §. 8. p. 290. c. XXVII. §. 8. p. 115. SVIDAS autem in Hero T. II. p. 79. duos Herones coniungit, vel confundit potius, et quae diſtinguenda erant, vno nomine effert.

i) c. 9. p. 20.

k) Ibid. et SVIDAS in Olympiod. T. II. p. 681. ſed confuſe, vt ſolet.

l) l. c. p. 20. facit tamen eum Procli diſcipulum FABRICIVS in prol. ad Marin. p. 14. quod non alio ſenſu poteſt admitti, quam quo ſupra Porphyrium Amelii diſcipulum dictum fuiſſe expoſuimus.

m) In vita Iſidori apud PHOT. l. c. et SVIDAM in Vlpianus T. II. p. 738. Fuit, eo auctore, ingenio optimo praeditus ad mathematicas ſcientias, quas miris inuentis auxit, tantoque iudicio valuit, vt Syrianus aſſereret, nullam ipſi clauem adeo intricatam et artificioſe conſtructam offerri poſſe, quam non facile aperiret: nihil tamen in reliqua philoſophia memorabile edidiſſe dicit. Fuit benignus et moribus modeſtis praeditus, et *πολιτικώτερος* fratre. Deceſſit de vita coelebs et adoleſcens magna ſuae bonitatis laude relicta.

Digitized by Google

ptus a Nicolao [n] ciue, vt eum in ciuitatem deduceret, et hoſpitio excíperet. Admodum hic nugatur iterum MARINVS [o], proditque quam puerilia ſectati fuerint hi homines, quas tamen nugas, ne lectorem remorentur, ad finem paginae, eas legere non dedignantibus, exhibebimus. Athenis deſpiciens rhetorum ſcholas, quamuis ab iis maxime expeteretur, incidit in principem philoſophorum Syrianum [p], apud quem in eo ſimul congreſſu erat Lachares vir multum in philoſophia verſatus, in eloquentia vero princeps [q]. Ibi cum religioſa pietate lunam illis inſpectantibus ſalutaſſet, etſi primum conueniſſet Syrianum, iſta fidentia magnam illis admirationem excitauit, ſummamque de ſe ſpem fecit. Tanti erat ſuperſtitionem lunae adoratione demonſtrare, et futurae inſaniae oſtendere initia. A Syriano autem ad Plutarchum Neſtorii filium deductus eſt, qui cum vidiſſet adoleſcentem nondum viginti annos natum, audiuiſſetque eius amorem ac deſiderium philoſophiae, vitaeque ea dignae, magnopere illi placuit, ſic vt non inuite eum ad lectiones philoſophicas admitteret, et philoſophiam eum ipſe doceret, quamuis ſenex iam, et ſenio praepeditus. Praelegit itaque ei Ariſtotelis de anima commentarium, Platonis autem Phaedonem, hortatus, vt ea conſcriberet, quae dicerentur, vſus adoleſcentis ambitione, tanquam inſtrumento, dicens, abſolutis iſtis ſcholiis fore, vt etiam Procli commentaria in Phaedonem extarent [r]. Sed et ſanitatis eius rationem habuit, monendo admodum ſibi temperantem ab animalibus, ne ab iis in vniuerſum abſtineret, vt eo magis corpus obeundis functionibus ſuis idoneum robur acciperet [s]. Qua in re ipſum Pythagoram Plutarchus imitatus eſt, qui non vniuerſalem omnibus a carnibus abſtinentiam edixit, ſed perfectioribus eam tantum iniunxit. Biennio poſt cum ſenex Plutarchus vitam finiret, adoleſcentem ſucceſſori Syriano commendauit, qui illum non libenter tantum ſuſcepit, et eius diligentiam fideliſſima inſtitutione

m) Fuit Myris Lyciae oppido oriundus, frater Dioſcoridis grammatici, Hipparchi et Hypati Patricii; fuitque diſcipulus Lacharis et Conſtantinopoli docuit, ſcripſit artem rhetoricam et declamationes, vid. SVIDAS in Nicolaus T. II. p. 624. qui alius quoque Nicolai meminit, qui Plutarchi Athenienſis et Procli diſcipulus fuit, ac ſub Leone ſeniore, uſque ad Zenonem et Anaſtaſium vixit.

n) Narrat Marinus: Proclum a Nicolao, vt diximus exceptum, laſſum conſediſſe ad ſacellum Socratis, et rogaſſe Nicolaum, vt aqua ſubminiſtrata ſitim ipſi extingueret. Hunc ſtatim aquam ex fonte ſtatuae Socratis curaſſe adferri, et omen inde concepiſſe, quod in ſacello Socratis conſederit, et inde primum aquam Atticam biberit. Cumque proceſſiſſent et peruenissent ad arcem, ianitorem adfuiſſe ad introitum, repagula foribus obditurum, vt etiam ad illum diceret: „Certe, „niſi veniſſes, clauſiſſem". En quod inde epiphonema Marino ſubnatum: „Quod potuit omen „eſſe manifeſtius, quodque minus Polleto vel „Melampode vel ſimilibus egeat interpretibus„? Quod vero omen? nempe illud: niſi Proclus veniſſet, ſucceſſionem Platonicam exſpiraturam fuiſſe, vnde et Diadochus vocatus eſt. O lepidum caput! in rem Melampode dignam.

o) l. c. c. 18. p. 25.

p) Lachares Lacharis F. Athenienſis ſophiſta, diſcipulus fuit Heracleonis, ſophiſtae Athenienſis, magiſter multorum diſcipulorum eloquentia poſtea inclareſcentium, teſte SVIDA in Lach. T. II. p. 419. vbi ſcripta eius enumerat, et in Superianus T. III. p. 348. In diſciplinis tardior quidem erat, at vultu liberali et honeſto praeditus: et quod ad virtutem attinet, philoſophus potius quam ſophiſta nominandus. Is amiſſam oculorum lucem recuperauit. Eloquentia inter rhetores Homerum quaſi fuiſſe ait MARINVS l. c.

q) c. 12. p. 27. ſeqq.

r) Ibid. p. 29.

adiuuit, ſed et in familiam conuictumque recepit, et vitae philoſophicae, id eſt, diſciplinae Pythagorico-Platonicae ſocium fecit, cum talem inueniſſe ſibi viſus eſſet diſcipulum, quem optimis artibus et philoſophiae myſteriis innutritum, non auditorem tantum haberet aptiſſimum, ſed et ſucceſſorem tanta cathedra digniſſimum [s]. Qua vero ratione Proclum eruditurerit Syrianus, quaue via duxerit, ſupra iam narrauimus, docendo, praemiſſis Ariſtotelicis ad Platonica, et ab his ad theologiam et myſteria Proclum fuiſſe progreſſum [t]. Qui nec animi induſtriae, nec corporis vigiliis pepercit, et diu noctuque ſtudiis inuigilans, et ex Plutarchi conſilio ea literis conſignans, et compendioſa ratione, adhibito iudicio contrahens, quae a praeceptore dicebantur [u]. Quo factum, vt annum agens XXVIII, praeter alia multa, commentarium iam in Platonis Timaeum conſcripſerit, plenum iſto eruditionis genere, quod in ſcholis Platonicorum Alexandrinorum tum temporis regnabat, et inter optima Procli ſcripta merito relatum; ex quo luculentis indiciis poteſt cognoſci, quam indefeſſo labore et induſtria non ſectae tantum ſuae, ſed et veterum plerorumque exemplaria nocturna diurnaque manu verſauerit. Vt vero, qui apex omnis ſapientiae in his ſcholis conſtituebatur, philoſophiam diuiniorem omnem reliquae eruditioni adderet, theologiam quoque huius ſectae didicit, tum eam, quae diuinas naturas contemplando attingeret, tum eam, quae communionem cum naturis ex Deo emanantibus et inferioribus efficeret; quae licet illi a Plotino et Porphyrio praeferebatur, aliter tamen hac aetate placuiſſe his philoſophis, haud obſcure innuit MARINVS [x], cum theurgia multo efficacius in admirationem homines raperet. Chaldaicarum enim artium myſteria vocesque ſecretas (συμφαλήγξι, voce ſolenni, vtitur Marinus) et aptum ſignificandi et enuntiandi modum ab Aſclepigenia, Plutarchi filia, quam in his artibus excelluiſſe ſupra diximus, didicit; ea enim ſola traditam a maioribus et patre orgiorum totiusque theurgiae notitiam arcanam poſſidebat. Quibus myſteriis et imprimis Eleuſiniis ſacris initiatus, tandem Hecates apparitionibus ἐπόπτης interfuit [y], et theurgum ſe praeſtitit mirabilem, de quo in ſequentibus plura dicemus. Adiutus hunc in modum et praeceptorum doctrina, et diligenti lectione atque meditatione carminum Orphei et oraculorum, adhibitis eum in finem Porphyrii atque Iamblichi ſcriptis ad ſummum, ſi Marino credendum, non doctrinae tantum, verum etiam virtutum faſtigium aſcendit, quas Iamblichus theurgicas vocat, quasque extremum felicitatis apicem Platonicos hos reformatos ſtatuiſſe, infra pluribus dicemus. Tantus cum eſſet, dignus a Syriano habitus eſt, vt eum muneris et profeſſionis ſucceſſorem deſignaret, cathedramque Platonicam cum domo et acroaterio, quod ex Plutarchi haereditate Platonicis ceſſit, traderet [z], ſicque etiam ampliſſimorum redituum eius

s) Ibidem.
t) c. 13. p. 30.
u) p. 31.
x) c. 28. p. 67. Graeca ipſa inſpicienda ſunt.
y) p. 68.
z) c. 29. p. 74.

Digitized by Google

eius ſcholae, quos mille amplius nummum conſtitiſſe PHOTIVS [a] ex Damaſcio refert, faceret participem. Iudicari ex dictis poteſt, habuiſſe ſcholam Platonicam, ad Alexandrinum habitum conformatam in Proclo profeſſorem omnibus numeris abſolutum, id eſt talem, qualem perfectiſſima eius conditio poſtulabat, et promouendae egregiae ſapientiae, ſi Diis placet, aptiſſimum. Non enim elegantiores tantum ſcientias artesque, grammaticam, rhetoricamque et mathematicas artes pulchre callebat, ſed philoſophiae quoque Alexandrinae doctor fuit perfectiſſimus. Cum enim in hanc ſententinam mira ſententiarum toto coelo diuerſiſſimarum concordia, vel confuſione potius atque miſtura, confluxiſſet, quicquid omnis fere in toto terrarum orbe erat vel religionis vel ſuperſtitionis, et verſicolor ex his panniculis cento Zoroaſtreae, Hermeticae, Orphicae, Pythagoricae, Platonicae, Ariſtotelicae doctrinae eſſet conſutus, non tantum philoſophiam hanc mira luce perfudit, et omnibus anteceſſoribus ſuperior perfectam quaſi et ſuis partibus abſolutam auditoribus ſuis tradidit, verum etiam nouis inuentis, mirisque conciliationibus et interpretamentis auxit, hinc etiam hoc inter eius laudes numerat MARINVS [b], quod *plurimorum placitorum primus ipſe auctor fuerit, quae ante illum nemini in mentem venerint, tam in rebus naturalibus, quam in intelligibilibus ac ſublimioribus.* Cuius teſtimonia paſſim in hac vita eius a Marino ſcripta occurrentia operoſe colligere eo minus opus eſt, quo magis ex ſcriptis Procli, quae nobis ſeruauit fortuna, patet, et ex omnibus paginis luculenter conſtare poteſt, huiusmodi concepiſſe hominem eruditum quidem, ſed fanaticum et furore philoſophiae ſuae corruptum, in animo ſuo doctrinarum male cohaerentium Chaos, in quod bona et mala, apta et inepta, ſana et inſana omnia, Chaldaicae, Orphicae, Homericae, Hermeticae, Pythagoricae, Platonicae, Ariſtotelicae philoſophiae nomine fuere recepta, quodque et allegoriarum machinis, et nefando opinionum ſyncretiſmo, et mira luxuriantis ingenii intemperie ad fulciendam, quae iamiam collapſura erat, ſuperſtitionem, et augendum ſectae huius enthuſiaſmum totum fuit comparatum. Ceterum induſtrium et muneris ſui diligenter rationem habentem profeſſorem exhibuiſſe ſe, teſtatur Marinus, qui non ad ſcripta tantum, ſed ad auditores quoque prouocat, annuis ſcholis Platonicam ſapientiam ex eo percipientes [c]. Ait etiam alio loco [d]: virum ad miraculum laborioſum vno ſaepe die, quina negotia ſcholaſtica expediuiſſe, quae Marini verba: ἐξηγεῖτο τῆς αὐτῆς ἡμέρας πέντε, ὅτε τε καὶ πλείους πράξεις, id innuunt: *vno die quinque et interdum plures lectiones ſcholasque abſoluiſſe*, vt recte curis ſecundis emendauit FABRICIVS [e]. Addit et hoc: ſcripſiſſe inſuper plurima, ad ſeptingentorum ſaepe verſuum multitudinem: quibus ſi iungimus, quod

a) l. c. p. 563.
b) c. 23. p. 55.
c) p. 56.
d) p. 54.
e) Ad h. l. In prima enim paginae huius editione de negotiis quibuslibet explicuerat, vid. p. 6. et LAMBEC. L. VII. p. 52.

philoſophos quoque conuenerit alios, quodque veſpertinos coetus cum auditoribus habuerit, mirari deſinemus, rudem ſaepe indigeſtamque molem in ſcriptis Procli deprehendi, et toties abeſſe acumen iudicii, toties regnare confuſionem materiarum male cohaerentium temereque effuſarum. Ita enim in tanta ſcriptoris feſtinatione fieri aliter non poteſt. Conciliauit haec eruditionis copia non ſummas tantum laudes Proclo, ſed et magnum diſcipulorum numerum, in quo multi fuere, in huius ſectae hiſtoria memorabiles, et in his Heliodorus et Ammonius filii Hermeae et Aedeſiae [f], Hierius filius Plutarchi [g], Aſclepiodotus [h], Zenodotus

f) Dictum de Hermea et Aedeſia ſupra §. 33. Ex filiis imprimis Ammonius inclaruit, qui parentis nomine ab aliis Ammoniis diſtingui ſolet. Is enim Alexandriae philoſophiam eclecticam, ſiue Platonicam reformatam docuit. Et fuiſſe quidem Procli diſcipulum, ipſe fatetur Comment. ad librum περὶ ἑρμηνείας in limine, vbi Proclum θεῖον διδάσκαλον, phraſi huic ſchola ſolenni appellat. Diſcipulos habuit non minori philoſophiae laude celebres Simplicium, Ioannem Philoponum, Damaſcium, de quibus ſuo loco: Eadem vero ratione, qua Proclus et tota ſchola Platonica inſtituit, fuiſſe philoſophatum, ZACHARIAS SCHOLASTICVS p. 206. teſtatur, Platonicas et Ariſtotelicas doctrinas tradidiſſe monens, licet ipſe l. c. egregie prudentiam in veterum interpretatione commendet, quae falſa non pro veris defendit, ſed explicata ſententia, quid verum, quid falſum, diiudicat, vid. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 162. Multum tamen operae illuſtrando Ariſtoteli poſuit, vnde hodie legimus Comm. in PORPHYRII Iſagogen in quinque voces; itemque in ARISTOTELEM de interpretatione et categoriis, de quarum editionibus vid. FABRICIVS l. c. p. 163. qui eleganter monet, prolegomena praefixa ad hiſtoriam philoſophicam, praecipue Ariſtotelicam multum lucis afferre. Tribui ei quoque ſolet vita Ariſtotelis, vt Tomo I. dictum, quam tamen ei denegat Patricius. Ob hoc Ariſtotelicae philoſophiae ſtudium inter Peripateticos, vt eclectici complures, referri ſolet, vnde de eo quoque egit FR. PATRICIVS Diſcuſſ. Perip. T. I. L. X. p. 146. Verſatiſſimum fuiſſe in ſcientiis mathematicis, diſcimus ex PHOTIO Cod. CLXXXI. Caute eum cum aliis Ammoniis confundas: Recte eum ab atheiſmi ſuſpicione, qua ob prodigioſa axiomata theologica a ZACHARIA SCHOLASTICO confutata a quibusdam premitur, liberat Ven. REIMMANNVS Hiſtor. atheiſmi c. 26. §. 5. p. 189. Nihil enim habet Ammonius, quod non ſectae Platonicorum Alexandrinorum commune fuerit, quodque non ad enthuſiaſmum magis quam atheiſmum ab ipſis fuerit relatum.

g) Dictum de eo ſupra §. 37. in vita Plutarchi.

h) Multa de Aſclepiodoto, celebri ſcholae Platonicae recentioris homine tradidit DAMASCIVS in vita Iſidori, ex qua fragmenta nobis quaedam ſeruarunt PHOTIVS Cod. CCXLII. p. 560. ſeqq. et SVIDAS in Aſclepiodoto T. I. p. 352. A pueris ingenii acumine et eruditionis laude ceteris praeſtitit, nunquam in cauſſas rerum inquirere ceſſans, ita vt breui temporis ſpatio omnes colorum mixtiones, et omne genus ornamentorum ad veſtes pertinentium perdiſceret. Nam non parum moleſtiae exhibebat artificibus, quibus aſſidens, continuo eos explorabat. Praeterea ſexcentas lignorum differentias et venarum conſtructiones itemque genera, formasque et facultates herbarum, et quae obuiam ſunt, et quae rariſſimae, inueſtigabat, donec eas deprehenderet. Plantarum enim hiſtoriam magni faciebat, maioris tamen animalium, quam experientia et ſcriptorum veterum lectione diſcebat. Non ſolum autem philoſophiae laude inclaruit, ſed imprimis, vt ait Damaſcius, qui eum nouit, pietate et fiducia in Deum, qua cultum Deorum promouit et Oſiridis templum nouo lumine et frequentia auxit, arcanamque religionem propagauit. Cumque grauitatem comitate et vrbanitate temperaſſet, ex conſuetudine eius magnam voluptatem homines capiebant. Ipſe vero parentem in philoſophia ſuperans, in theologia non cedens, et templa inſtructiora reddidit, et ſimulacra exornauit, hymnosque nouos addidit. Priuata vero induſtria et diligenti oeconomiae ruſticae cura ingentem pecuniae vim ſibi parauit, parentis debita diſſoluit, multa in templa et externum vitae ſplendorem eroganit, quem et vitae genus et maiorum nobilitas poſcebat. Patet ex his fuiſſe hominem, vt Alexandrini plerique plenum ſuperſtitione, et ex ſectae huius principiis gentili cultui vehementer addictum, id quod SVIDAS teſtatur T. I. in Δαμάσκιος, referens, initio adeo ſuperſtitioſum fuiſſe, vt neque ſacrificare ſuſtineret, neque arcanum vllum audire, eo quod non haec mundo digna putaret, ſed coelo et iis, qui ſe in coelo viuere exiſtimarent. Hincque factum putamus, vt ſtudium philoſophiae magis in terreſtribus, quam diuinis poneret, quae cultu et veneratione proſequenda, non vero curioſitate explorande cenſebat. Narrat enim Damaſcius, licet inuitus ſaepe

Digitized by Google

tus [i], Pampretius [k], Seuerianus [l], Marinus, Hegias Iſidorus [m], Heraiſcus, Aſclepiades [n], aliique huius generis. Qualis vero vir Proclus fuerit, ex addu-

ſaepe ſuae aetatis hominum cenſor, non fuiſſe felicissimi ingenii, ſed in dubitationibus acutiſſimum, iisque vero extricandis non valde ſolertem: neque ſui ſemper fuiſſe ſimilem, neque diuiniorem philoſophiam, eaque quae ſub ſenſus non cadunt, et Platonicam de intelligibilibus doctrinam ſatis intellexiſſe, multo magis autem in ſubliminori Orphica et Chaldaica doctrina defuiſſe ei notitiam philoſophiae accuratioris: in phyſiologia autem fuiſſe exercitatiſſimum, et in diſciplinis etiam mathematicis alios multa cum laude ſuperaſſe. In morali vero philoſophia ſemper aliquid innouare, ſtuduiſſe, et contemplationem ad inferiora et viſibilia deducere. Nihil vero ex antiqua doctrina (Chaldaicam et Orphicam intelligit) ſeruaſſe, ſed totam philoſophiam ſuam ad rerum quae in mundo ſunt et circa eum adplicaſſe notitiam. Natum fuiſſe ad Muſicam, et licet generis diatonici et chromatici vſum recte intelligeret et applicaret, amiſſum tamen genus enharmonicum non potuiſſe reſtituere, ſed potius corrupiſſe, eo quod minimam moderationem harmonicarum dimenſionum, dieſin, perdiderit. Didiciſſe etiam medicinam a Iacobo, eumque ſuperaſſe, amiſſum vſum ellebori albi reuocaſſe, et illo inſanabiles morbos ſanaſſe, nullum autem medicum fere probaſſe, praeter Iacobum et Hippocratem. Haec de Aſclepiodoro Damaſcius, vbi Graeca Photii ipſa inſpicienda ſunt, quae auctor verſionis Latinae miſere peruertit. Narrat plura Damaſcius de Aſclepiodoro, miraculoſa, et fidem ſuperantia, e. g. ſine lumine in ſummis tenebris legiſſe, adeo vero inania et futilia ſunt, et ſolo Damaſcio digna, vt huc transſcribi non mereantur, rectequе ineptum hominem exploſit Photius. Habuit Aſclepiodotus vxorem, Damianen, ingenio, caſtitate, virilique in adminiſtranda familia animo conſpicuam. Conf. Ionsivs de Script. Hiſtor. Phil. L. III. c. 18. p. 300. Fabricivs Biblioth. Graec. Vol. II. p. 54. Ceterum alii quoque Aſclepiodoti inclaruere a noſtro diſtinguendi.

i) Docuit Athenis poſt Proclum, fuitque Damaſcii praeceptor, de quo infra dicemus, conf. Photivs l. c. p. 213. ſucceſſit Marino.

k) Pampretii ſupra iam facta mentio, habetque pluſcula de eo Svidas in Pamprerius T. III. p. 12. ex Marino et Damaſcio hauſta, at negligenter, more eius conſarcinata. Thebis Aegypti oriundus, natura ad poëſin ferebatur: poëtico itaque ſtudio vitae neceſſaria ſibi conquiſiturus, Athenas ſe contulit. Ibi grammaticae profeſſio ei tradita, isque iuuentuti eruditendae praefectus eſt; cumque de gloria cum omnibus philoſophis contenderet, eo quod in προτιμήμασι praeſtantiſſimus merito haberetur, et ab Athenienſibus, tanquam magiſter non ignobilis honoraretur, Procli diſciplinae ſe tradidit, et ab eo in reconditis ſapientiae partibus eruditus eſt. Cum autem a calumniatoribus delatus grauius a Theagene, ciue Athenienſi, exagitaretur, Byzantium venit, et in vrbe Chriſtiana ob Graecam religionem artium ſecretarum ſuſpicione preſſus eſt. Suſcepit tamen eum Hillus quidam et ſuſtentationem ex publico tanquam doctori et ex ſuis dedit. Illo autem in Iſauriam profecto, ob ſuperſtitionem vaticinii contra imperatorem, accuſatus et in exilium eiectus, ab Hillo autem Byzantium reductus eſt. Philoſophiae notitiam oratione de anima elegantiſſima demonſtrauit.

l) Seueriani notitiam Damaſcius quoque l. c. fecit, cuius fragmenta occurrunt apud Photivm loc. cit. et Svidam in Seuerianus T. III. p. 292. Fuit Damaſcenus, gente tamen Romana ortus, quae Alexandriae habitauerat. Ingenii acumine natura praeditus in poëtica et rhetorica, iurisque ciuilis eruditione excellebat. Agendi tamen celeritate nimia et feſtinatione ſaepe conſilium praeceps anteuertebat, qua in re ſaepe in vita offendit. Et initio quidem Proclo duce philoſophiae animum applicuit, pater autem, qui cauſſarum patrocinio et diuitiis corradendis eum deſtinauerat, obſtitit. Tandem parente defuncto Athenas delatus eſt, ſomnio ad id impulſus. Philoſophiae autem humilitatem peroſus ad vitam ciuilem et magnificam tranſiit, et reipublicae gerendae ſe applicuit, et ad magiſtratus adipiſcendos ſe contulit. Cum autem natura eſſet gloriae, licet virtute duce, cupidiſſimus, et ab auaritia quidem et iniuria abſtineret, alios vero facile offenderet, et cum eminentioribus ſemper contenderet, nec vlli magiſtratui, praeter id, quod aequum erat, aliquid concedere vellet, in iure dicendo quoque eſſet acerbiſſimus, quin etiam interdum ab ira abreptus, et ſtudens efficere, ne ab vllo contemneretur, quasdam caedes nec pias nec felices fecit, ſicque in multas calamitates incidit, odio etiam Ardaburii ducis, qui plurimum apud imperatorem poterat, valde preſſus eſt. Sanctiſſimum fuiſſe et Graecae religionis ſupra modum cultorem dum ait Damaſcius, facile inde character hominis intelligitur, qui ſummam dignitatem a Zenone imperatore oblatam, ſi Chriſtianus fieret, recuſauit. Callimachum ſemper riſit.

m) Dicetur de iis in ſequentibus.

n) Heraiſci et Aſclepiadis notitiam nobis fecit Damaſcius apud Photivm l. c. et Svidam in Heraiſcus T. II. p. 67. et Heraiſcum quidem ingenio fuiſſe ait diuiniore. Aſclepiadem vero Aegyptiorum ſapientiae peritiorem; alterum tamen altero longe inferiorem fuiſſe

adductis hactenus et enarrata vitae eius hiſtoria colligendum eſt. Quod ſi Marinus audiendus eſt, et naturae donis et immortalium Deorum fauore, et praeceptorum inſtitutione, et exercitatione philoſophica, per omnia virtutum genera et gradus ad ſummam felicitatem enixus eſt. Corporis enim viribus gaudebat integris et vegetis, licet ſemel atque iterum morbis impeteretur o). Memoriae bonitate vtebatur tanta, vt, ſi fides MARINO, nihil vnquam obliuiſceretur, nec ſibi excideret vnquam, nec conturbaretur, vllo modo p). Sed et animi magnificentia maxime commendabilis fuit, comis, amicus, et quaſi neceſſarius veritatis, iuſtitiae, fortitudinis, temperantiae, nequaquam enim prudens mendacium admiſit, ſed oderat id vehementiſſime, veritatem autem amabat q). Nec obiicias huic de Proclo elogio Marini apertiſſima de Deorum appariționibus, operationibus theurgicis, et his ſimilibus, quae ab ipſo Proclo profecta eſſe, dubitari non poteſt, mendacia. Supra enim aliquoties monuimus, eiusmodi veritatis vulnera non attendi in ſchola Platonicorum, modo res diuinas et religionem iuuare apta ſint: nec eas fraudes et figmenta putida inter mendacia, niſi officioſa, eſſe relata. Laudatur impenſe porro ſummisque in coelum extollitur elogiis Proclus a diſcipulis, quod conſultationibus quoque politicis ſaepe interfuerit, et cum principibus viris de iure contulerit, et hortatus non modo ſit, ſed auctoritate etiam quadam philoſophica, ad tribuendum cuique ſuum, impulerit. Qua in re hominem ſcholaſticum et paedagogica ſuperbia ſe principum conſiliis ingerentem, ſine vlla veri ſpecie commendat MARINVS r). Maiori veriſimilitudine credi poteſt, quod porro addit laudator Procli, quod apud principes viros, pro bonarum literarum profeſſoribus interceſſerit, vt ſalariis, et, pro cuiusque dignitate, praemiis ornarentur s). Cum enim magna in exiſtimatione viueret, multumque gloriae ex eius eruditione ad hanc Muſarum ſedem propullularet, dubitandum non eſt, tanti viri commendationem ad augenda commoda et reditus docentium plurimum valuiſſe. Neque tamen haec ad gratiam temereque feciſſe ait Marinus, ſed eos ipſos, quod ſibi erat magnopere curae, coëgiſſe, vt in ſua quisque profeſſione diligentiſſime verſaretur, ipſo ſimul omnia diligentiſſime perquirente. Quod an priuata tantum auctoritate fecerit, an publi-

fuiſſe ingenio et doctrina. Et Heraiſcum quidem naturae quodam inſtinctu et animata et inanimata ſimulacra cognoſcere potuiſſe, corde quaſi ad eorum cultum vulnerato, quamprimum ea conſpexiſſet: ſed et polluta capitis dolore praeſenſiſſe: mortui vero beatitatem ſpectra Aſclepiadi apparentia demonſtraſſe. Semper verſatum fuiſſe in adytis, et in religione patria. Aſclepiadem vero totum Aegyptiacae theologiae ambitum animo comprehendiſſe, eiusque documentum fuiſſe hymnos in Deum, item opus quod ſcribere inſtituit: De omnium religionum conſenſu. Heraiſcum autem et bonum atque lenem et fortem contra malitiam fuiſſe. Conf. Damaſcius περὶ ἀρχῶν, in WOLFII anecdot. Graec. T. III. p. 260. HUETIVS loc. cit. CVDWORTH. Syſt. intell. c. IV. p. 548. Non confundendus eſt Aſclepiades cum alio Mendeſio, qui theologumena ſcripſit, vid. CASAVBONVS ad Sueronium Aug. c. 29. qui Aſclepiadis a Fabricio memoratis debet addi.

o) c. 3. p. 8. c. 7. p. 15.
p) c. 15. p. 12.
q) c. 4. p. 8.
r) c. 15. p. 34.
s) c. 16. p. 34.

Digitized by Google

publico iuſſu, non indicauit Marinus, poſterius tamen veriſimile, ſi verum eſt quod addit: *Si quem negligentius ſuum ſtudium tractare comperiſſet, acerrime eum reprehendiſſe, ſic vt etiam vehementiſſimus videretur, et ambitioſiſſimus.* Quo tamen in elogio annon eius vitii, quod a moribus paedagogorum noſtri denominant, characteres deprehendantur, lectoris eſto iudicium, certe ſola animi intentione non mala excuſare velle, vt Marino viſum, in tanto philoſopho ridiculum eſt et valde frigidum. Tanta porro cura exarſiſſe aiunt, in amicorum ſalutem, vt ſingularem vitae et ſanitatis eorum rationem haberet, et ſi quis amicorum eorumque vxorum vel liberorum morbo eſſet detentus, primum quidem Deos enixe pro eo ſupplicaret, cum ſacrificiis tum etiam hymnis; deinde aegrotanti promtus adeſſet, excitaret ad conſilia medicos, et ipſe nonnunquam ſingulare aliquid afferret, ſicque multos periculis liberaret maximis *ff*. Cibi etiam potusque erat et parciſſimus et frugaliſſimus, eiusque tantum ad depellendos morbos appetens, imprimis autem ab animalibus abſtinebat *t*. Qua in re Pythagoream diaetae rationem fuiſſe imitatum, ſupra iam monuimus; tantaque fuit in eo ſuperſtitio eius rei, vt maluam comedere iuſſus a Iacobo medico, ab ea tamen abſtinuerit, nec oleribus iſtis veſci voluerit *v*. Animi vero fortitudinis exemplum narrat MARINVS, quod in magna aduerſitatum et perſecutionis tempeſtate furentibus ex omni parte ventis vitam tamen conſtanter placideque traduxerit, et violentorum hominum improbitate multum exagitatus, Athenis relictis, ne ſatis aduerſaretur, iter inſtituerit in Aſiam, vt antiquiores illarum gentium ritus pernoſceret *w*. Quo et illud referunt, quod, licet fauentiſſimis occaſionibus inuitantibus, cum facultatibus et honore abundaret, coniugium tamen non inierit, qua in re Plotini exemplum ſecutum ex odio materiae matrimonium contemſiſſe eſt credibile. Olympiodori enim praeceptoris filiae refpuiſſe connubium, ſupra iam diximus *x*. Recuſaſſe etiam munera amicorum, plurimumque auri a Rufino oblatum, ait MARINVS *y*, reieciſſe, quod credi forte poteſt de homine et parentum facultatibus, et muneris reditibus, et Platonicae haereditatis prouentibus, et Neſtorii teſtamento largiſſime locupletato, et ambitioſo gloriae ſectatore. Omnes tamen virtutes has, quas miris coloribus depingit biographus, ſuperauit, ſi eum audis, pietas, ſtudiumque cultus diuini gentilibus recepti, qui Chriſtianae religionis radiis tantum non omnis obſcuratus fuerat; magna item theurgiae ſcientia, et conuerſatio cum Diis prorſus familiaris, ad quam conſequendam artibus illis vſus eſt, quas ab Aſclepigenia didiciſſe ſupra retulimus.

ff) c. 17. p. 39.
t) c. 12 p. 29. c. 19. p. 44. ſeq.
v) PHOTIVS l. c. p. 560.
w) c. 15. p. 35. Lycius συμπαρῶντας hanc Proclo tempeſtatem excitaſſe coniicit PARISETVS ad h. l.
x) c. 17. p. 39. c. 9. p. 19.
y) c. 23. p. 57.

mus [y]. Nam et puerum adhuc peculiares Deorum reuelationes et somnia habuisse, et apparuisse ei Apollinem sospitatorem morboque eum eripuisse, supra Marini fide diximus; et adultior factus frequentes apparitiones habuit. Quae vt appareat, quales fuerint, en quod refert MARINVS [z]: Arthritidis doloribus in pede vstulatus, ex praescripto cuiusdam emplastrum imposuerat, quod dum in lecto iacet, auis inopia aduolans abstulit: quod etsi salutare ei erat, timore tamen morbi angebatur, supplicauit itaque Deo, rogans, vt euidentius se certiorem faceret. Quo facto cum obdormiuisset, vidit Epidaurium ad se accedentem, accuratiusque contemplantem ipsius crura, nec prae humanissimo amore dignantem genua osculo contingere. Quo viso Proclus bono fuit animo nec vnquam in vita eo porro dolore affectus est. Qua in narratione nescias, vtrum vel fanaticum Procli ingenium, vel eius et Marini mentiendi licentiam, vel indignam diuinis naturis narrationem magis mirari detestariue debeas. Sed non expectari possunt alia ab homine superstitione toto corrupto, et imprimis syncretistico philosophiae Alexandrinae genio ad conflandas in vnam superstitionis massam, cunctas omnis terrae religiones cultusque impulso et agitato. Talis enim erat Proclus, quem in hac insania neminem ex hac secta antecelluisse ipse Marinus indubitatus testis est. Nam non solum Hecates apparitionibus, domesticisque sacris Athenienſium epoptes interfuit [a], sed et dies, noctesque totas in deorum cultu consumsit, et ieiunia, vt se apparitionibus praepararet, frequentissime instituit, imprimis mensis cuiusuis vltimo die [b]. Nouilunia vero splendide celebrauit, et omnium fere gentium insigniora festa, secundum cuiusuis patriae morem, sacrificiis, precibus hymnisque, in quibus pangendis magna facilitate vtebatur, peregit [c]. Quod licet cum Ammoniane scholae genio quam maxime concordat, quem eiusmodi religionum omnium concordiam tentasse supra demonstrauimus, nemo tamen in hac conflandorum diuersissimorum superstitionis generum industria Proclum adaequauit. Qui principiis theologiae Alexandrinae inescatus, quae ex vno fonte deitatis in diuinitatis abysso latente emanasse diuersissima numina, et replere immensum quod inter homines atque Deum intercedit spatium, dictitabant, et haec numina cum praefici regionibus, vrbibus, locisque omnibus, tum adesse templis statuisque, riteque culta hominum desideria ad Deum perferre summum, eius vero voluntatem reuelare hominibus et beneficia diuina tradere docebant [d], non potuit non, cum insanae religionis superstitiosissimae furore agitaretur, omnium regionum et terrarum colere numina, ratus, eo magis se numinum conuersatione frui, quo pluribus sacra faceret. Qua in re tamen ab aliis

y) c. 28. p. 67.
z) p. 77.
a) c. 28. p. 67.
b) p. 45.
c) c. 19. 47.
d) Vid. IAMBLICH. de myster. Aegypt. sect. I. c. 9. p. 16. ORIGENES contra Celſ. L. VIII. p. 387.

Digitized by Google

aliis sectae suae viris non abiit, et, si verum fatendum, totius gentilis superstitionis rationem secutus est, quae in eiusmodi syncretismum conjurauit, vna Iudaeorum et Christianorum religione excepta, quam abhorrebant gentiles, et Platonici quoque execrabantur, quod reliquorum Deorum cultus cum Deo Iudaeorum et Christianorum stare non posset, et ab vtrisque reiiceretur [f]. Quod tamen vt non impediuit, sectam eclecticam Ammonii, vt non multa dogmata Christianis suffuraretur, suoque chao insereret; ita dubitari vix potest, Proclum ex ritibus quoque Christianorum sacris, vt ex dogmatibus quaedam in hoc suum religionum omnium Πανδοχεῖον recepisse, licet nomen Christianorum, his hominibus tantopere inuisum, malitiose reticuerit. Nec dubitamus imprimis psallendi Deosque hymnis celebrandi consuetudinem, licet inter gentiles non plane ignotam, tantopere tamen, ac Proclus fecit, non receptam, a Christianis eum transsumsisse, quos hoc tempore in canendis hymnis inter sacra fuisse occupatissimos constat. Sed vt tota Procli superstitio pernoscatur, etiam reliqua notanda sunt, quae MARINVS [g] refert, quaeque hoc fundamentali sectae huius dogmate concludit: *Decere philosophum non vnius cuiusdam ciuitatis, neque certarum tantum gentium institutorum ac rituum curam gerere, sed esse in vniuersum totius mundi sacrorum antistitem*: Talis tamque sanctus ac purus cum fuerit, quid mirum, quod in theurgia miranda perfecerit, et deorum virtute se animari demonstrauerit? Cuius vt quaedam, exorata tamen prius lectoris patientia et attentione, exempla afferamus, iynge quadam siue sphaerula Hecatica (qualem etiam Apollonium Tyaneum, eiusdem farinae hominem construxisse supra retulimus) opportune motitata, imbres deduxit, et Atticam infausto aestu liberauit [e]; terrae quoque motum positis fascinis inhibuit, morbos hymnis et precatiunculis depulit, et quae alia huius generis sunt, quae incredibilia fore, ipse praeuidit MARINVS, ea tamen esse verissima contendit, et multa familiaris cum Diis consuetudinis exempla, diuinaeque conuersationis specimina crepat. Quae omnia eum habuisse finem, ait, *vt purgatus desaecatusque, et natiuitatis suae victor ipse adyta sapientiae feliciter penetraret, et contemplator factus beatorum ac reuera existentium spectaculorum, non amplius prolixis dissertationibus indigeret, ad colligendam sibi earum rerum sapientiam, sed simplici contemplatione fruens, mentisque actu spectans exemplar mentis diuinae, assecutus virtutem, quam nemo prudentiam dixerit, sed sapientiam.* Qui vt vltimus finis fuit philosophiae Alexandrinae, totiusque enthusiasmi in ea regnantis complementum; ita institisse Proclum vestigiis exemplisque Plotini, Porphyrii, Iamblichi, Iuliani, qui se ita ipsum Deum vidisse gloriabantur, extra dubitationem ponunt, et superbiam

e) Vid. quae de Themistio refert SOCRATES Hist. eccles. c. 32. quaeque de reliquo gentilium syncretismo differit FABRICIVS ad l. c. Marini p. 48.

f) Ita etiam AVGVSTINVS et ORIGENES l. c. p. 591.

g) p. 47.

h) p. 63.

impudentiſſimorum hominum produnt, quae in Proclo quoque extollendo tanta fuit, vt narrare MARINVS [h] audeat: „cum aliquando ei docenti ſuperueniſſet vir magni in republica nominis Rufinus, caput Procli lumine circumfundi ſentiſſe, cumque philoſophus finem interpretationi poſuiſſet, Rufinum aſſurgentem eum adorauiſſe, diuinaeque, quam obſeruauerat, viſionis teſtimonium iuratum ipſi perhibuiſſe. Nam haec aliud volunt nihil, quam humana ſpecie maius quid reſediſſe in Proclo, idque iſto lumine circa caput fuiſſe proditum; rectèque feciſſe Rufinum, qui diuino quodam cultu eum veneratus ſit. Ignotum enim rerum antiquarum, et imprimis ſuperſtitionis gentilis peritis eſſe nequit, capita deorum circumfuſis luminibus radiisque, quos nimbos vocauere, expreſſa fuiſſe [i]: et hanc quoque viſionem Proclo tribuunt, vt diuino ſigno, qualis in hoc corpore daemon lateret, omnes intelligerent. Quae nefandas horum hominum artes, mendacia et impoſturas luculenter reuelant, geniumque ſectae produnt clariſſime, qui in eo vnice elaborauit, vt ſiue fraude, ſiue nugis et ineptiis, ſiue mendaciis, et doctoribus ſuis, et doctrinae ſuae diuinam auctoritatem aſſereret, opponendam Chriſtianorum religioni, tot argumentis et miraculis diuinitatem demonſtranti. Non puduit itaque MARINVM, vitae huius compilatorem, diuinae inſpirationis (Θειας ἐπιπνοίας) participem eum fuiſſe, aſſerere, et vultum oculosque ac ora diuinos radios ſparſiſſe, mentiri [k]. Sine his enim Proclus humanae conditioni eximi, et ſuperſtitionis gentilis antiſtiti diuinior conditio arrogari non potuit, licet nec mica veriſimilitudinis, nec vlla narrationis cohaerentia, nec color vllus in tota ea hiſtoria deprehendatur, ſatisque infelix ſcriptor prodiderit, Proclum eum non fuiſſe, quem nobis depinxit. Fuiſſe enim ſuperſtitioni addictiſſimum, et contra omnem ſanae philoſophiae doctrinam abſurdiſſimo cultui diuiniori deditum, tot enarrata hactenus loquuntur ſpecimina, quae cum in laudem Procli trahat Marinus, ſatis eo prodidit, ne micam quidem iudicii melioris et magis ſobriae mentis in eo fuiſſe. Cuius ſuperſtitionis philoſopho pudendae vt habeat lector nouum aliquod exemplum, ex MARINI [l] narratione notamus, „Proclum maxime in matris Deum tutela et ſingulari, quo gaudere ſe credidit, patrocinio triumphaſſe, gloriatum, multa et magna fuiſſe quotidie „Deae in ipſum benefacta et dicta, immo innumera et fando vix „audita, eumque libros ſuos non absque ope matris Deum in lucem protraxiſſe. Diligentiſſimum autem in officiis erga defunctos ſacris fuiſſe, et quotannis per certos dies inuiſiſſe ad Atticorum tum heroum, tum philoſophorum ſepulchra, aliorum praeterea „amicorum ipſius ac familiarium manibus non per alium, ſed ipſum iuſta „feciſſe. Exhibitoque ita ſingulis conueniente cultu ac honore in Academiam progreſſum, ſingillatim ibi in loco quodam placauiſſe manes ma-

„iorum

h) c. 23. p. 56.

i) Vid. quos laudat FABRICIVS Bibliograph. antiq. c. VIII. §. 18. p. 258. Inde mos hic in Chriſtianam eccleſiam irrepſit.

k) p. 56.

l) c. 23. p. 83. ſeqq.

Digitized by Google

„iorum ſuorum cognatorumque, mox in altera parte eiusdem Academiae „communiter vniuerſis animabus omnium ſupplicauiſſe philoſophorum. „Quibus religionibus defunctum in tertio loco ad hoc delecto vniuerſis „hominum defunctorum animabus ſacra feciſſe.„ Non hic prolixa diſputatione excutiemus, ex cuius potiſſimum vel gentis vel religionis ceremoniis, hunc et matris Deûm cultum et in defunctorum animas religionem acceperit, inque arua religionis ſuae chaoticae transtulerit, ſed relinquemus hoc lectoris iudicio, ad ſeculi huius, quo vixit Proclus, mores et religioſum cultum attendenti: id vero monere hic non abs re erit, pudendum fanaticiſmum, communionem animarum defunctarum, tanquam catenae, cum ſuperis totam hanc Procli pietatem ſupponere, et ſuperſtitionis notam ei inurere turpiſſimam. Talis vero cum fuerit Proclus, cumque haec virtutum eius ſumma fuerit, quis vel iudicium tribuet acre homini anili ſuperſtitioni ſe polluenti, vel inter philoſophos primae claſſis reponet philoſophiae profeſſorem cum ancillulis et quouis ex plebe inaniſſima religione certantem? et quis lectionem, quamuis vaſtam et eruditam, laudabit, in patrocinium idolorum ab ipſis ſanioribus gentilium philoſophis irriſorum adhibitam? Quis virum bonum eſſe Proclum iudicabit, qui ne pudore quidem, multo minus conſcientiae monitu deterritus turpiſſimis fabulis et diſcipulos decepit, et omnium gentium religionem et ſacra commiſcere auſus fuit, et allegoriae beneficio, vel machinis potius rotunda miſcere quadratis, omnemque eruditionem miſeranda confuſione replere non erubuit? Quod qui negat, eum Procli ſcripta nunquam legiſſe oportet, vel ad eam theologiam attendiſſe, quam Proclus Zoroaſtream, Hermeticam, Orphicam eſſe, magna oſtentatione crepuit, quamque magnis canae vetuſtatis nominibus ab eo ſuique generis philoſophis nefando auſu fuiſſe ſuppoſitam, et conficta in eam rem oracula, hymnos, et his ſimilia *tomo primo* planum fecimus et exemplis comprobauimus luculentiſſimis. Vnde qui hac de re demonſtrationem cupit ampliorem, illum ad ea remittimus, quae *tomi primi libro primo et ſecundo* de oraculis Zoroaſtreis deque philoſophia Orphica ſcripſimus. Pleraque enim deberi Proclo, et ſcripta eius hodie extantia docent, et ipſe Marinus magnis iactat laudibus. Neque magnopere mirandum, philoſophum magni nominis et pro diuino habitum non puduiſſe, eiusmodi fraudibus famam polluere: nam fuit hoc ſcholae Alexandrinae philoſophis receptiſſimum, et a moribus quoque Procli non alienum, qui nec plagii turpem refugit notam, GEMINI, aſtronomi Ciceronis aetate haud incelebris *iſagogen*, in libro *de ſphaera* exſcribens [l]. Quamuis vero Procli vitae integritatem tantopere extollat Marinus, imprudens tamen talia paſſim miſcuit, quae multum morum eius ſanctitatem polluunt labefactantque. Concedit enim, quod ſupra iam ex parte tetigimus,

 fuiſſe

l) Conf. VOSSIVS de ſcient. mathemat. c. XXXII. §. 16. p. 165. FABRICIVS de Procli ſcriptis §. 11. p. 103. vitae Mar. et Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 518.

fuiſſe Proclum et animi excandeſcentia vehementiſſimum *, et ſupra modum ambitioſum, licet honeſtatis vocabulo eum excuſet, et ad bona tantum reſpexiſſe hanc φιλοτιμίαν contendat. Nam hoc in cerebro tantum fanaticorum Platonicorum eius ambitionem excuſare, inde conſtat, quod pleraque de ſuis virtutibus, de commercio cum Diis, de eorum veneratione ſuis etiam cruribus exhibita, de apparitione diuorum, de precum ſuarum efficacia, de miraculis ſuis ipſe narrauerit diſcipulis, qui θαυμασίοις hiſce non interfuere, et quae eo tantum fini vulgauit, vt ſupra reliquos homines, et praeceptorem ipſum, magnum Plutarchum, ſapere videretur. Quam animi elatioris ſuperbiam probe perſpexit Plutarchus, qui, vt ſupra dictum, ea in adoleſcente inſolentius auctoris nomen titulumque affectante vſus eſt, vt induſtriam augeret, calcarque currenti adderet m. Quam animi ſuperbiam ob commercia cum ſpiritibus ac daemonibus ſeſe efferentem, mire prodidit de Proclo MARINVS n, qui, cum Aeſculapium arthritide laborantis crura oſculatum fuiſſe, ſicque ſanaſſe narrare vellet, haec praemittit: Καὶταῦτα καίτοι ἄξια διηγεῖτο ὑπὸ συμπαθείας, οὐκ ἄνευ δακρύων; *etiam haec illa memoratu digna narrauit, non ſine lacrymis propter communem, quo Diis iungebatur, affectum.* Interpres ſenſum verum non vidit, interpretatus: propter condolentiam. Συμπάθεια enim illa, περὶ τὸ Θεῖον, vt alio loco MARINVS o ait, in diuinis fuit, et θεοφιλείαν, eçdem teſte, innuit. Narrauit itaque Proçlus, prae gaudio cum lacrymis, quod Diis tam vicinus, tamque carus ſit, vt pedes lambere non dedignati fuerint. Et alio loco refert MARINVS p, Deum ſe Proclo manifeſtaſſe aſſiſtentem, voceque clara et habitu compoſito, protenſa dextra exclamare non dubitaſſe: *Proclus, decus ciuitatis.* Talia cum diſcipulis, etiam cum lacrymis narrare non erubuerit Proclus, quis vel ambitionis inſaniam, vel mentiendi proteruiam, vel puerilium nugarum impudentiam, vel iudicii defectum grauiſſimum non agnoſcat et deteſtetur? Caſtitatem vero Procli valde in ſuſpicionem adduxit MARINVS q. Immemor enim, vt mendaces ſolent, eorum, quae alibi ſcripſerat, nanquam matrimonium iniiſſe Proclum, ait: *Quod ad Venerem attinet, ea ſecundum naturam vtebatur, ſed ita nimirum, vt non vltra phantaſiam procederet, eamque, vt puto, leuiſſimam.* An vero tam ſanctum, tantisque religionibus obſtrictum virum decebat cogitationibus venereis animum paſcere, eumque, qui animi purgationem tot luſtrationibus, totque hymnis, tot ceremoniis theurgicis quaeſiuit, iſtis phantaſiae imaginibus delectari, quin immo vti? Apage vero frigidam Marini excuſationem, qua et iram eius excuſatum iuit, rationem vel animam potius ſuperiorem non conſenſiſſe, ſed animam tantum irrationalem commotam fuiſſe. Vt enim haec experientia repu-

*) c. 16. p. 38.
m) c. 12. p. 18.
n) c. 31. p. 77.
o) c. 34. p. 87.
p) c. 32. p. 82.
q) c. 20. p. 50.

itized by Google

repugnante dicuntur, quae arctiſſimum inter motus animales et rationis circa ſenſationes iudicium vinculum eſſe dictitat, ipſe repugnat Marinus, qui vſum eorum motuum ei tribuit, quod ſine animae rationalis conſenſu fieri nequit. Sed nec pecuniae poſſeſſionem aſpernatum vel ea non delectatum fuiſſe, inde colligi iure poteſt, quod parentum facultatibus, teſte MARINO [r], ſupra modum ditatus, nec familiam alens, attamen Plutarchi aedes et reditus, reliquamque Platonicorum haereditatem, quam mille numum fuiſſe ſupra ex Damaſcio retulimus, acceperit, nec eam Platonicis aliis, qui tum miſeria et inopia magna ex parte premebantur, conceſſerit: quemadmodum parum laudis Proclo conciliat, quod in tam prodiga virtutum eius enarratione et immoderato panegyrico nulla tamen operum caritatis, ſtipisque in pauperes erogatae fiat mentio. Quae omnia, cum nec ambitione, nec voluptate, nec pecuniae amore caruiſſe Proclum euincant, etiam quoad voluntatis perfectiones maxima de eo mendacia conſcripſiſſe Marinum, ſui tamen ſaepe immemorem, euincunt. Septuageſimum aetatis annum cum attigiſſet, corporis inediis crebris, et vix tolerabili diaetae genere multisque laboribus et vigiliis exhauſti vires valde debilitatae ſunt, et languere coepere [s], vnde in omnibus expediendis longe erat, quam ante, remiſſior. Hymnos tamen et precatiunculas, more ſenum ſuperſtitioſorum, componebat [ſſ]; vitam ita ad ſeptuageſimum quintum produxit annum, diſcipulo Hegia eum ad lectiones excitante et praeparante, et eius ſcripta diligenter curante [t]. Tandem corpore indies magis debilitato in grauem doloreque plenum incidit morbum; quem a recrudeſcente arthritide atque podagra, cuius vim inedia et frugali victu infregerat, fuiſſe ortum, credibile eſt [u]. In huius morbi hiſtoria iterum contradicit ſibi MARINVS, narrans [x]: cum in vltimo morbo grauiſſimis cruciatibus premeretur, torquereturque, depellere tantos dolores conatum fuiſſe; quamobrem iuſſiſſe diſcipulos ſaepe hymnos dicere, qui cum dicerentur, remiſſionem doloris et ſedationem fuiſſe: tantopere vero inualuiſſe morbum, vt omnium fere obliuiſceretur. Aſt alio loco [y] refert: Aeſculapium in vltimo morbo ei medio inter ſomnum et vigiliam (quo ſtatu viſiones Deorum obrepere Platonici ſtatuebant) conſtituto draconis imagine capiti ſuo obrepſiſſe, exque eo morbi remiſſionem ſenſiſſe, adeo vt ſanitati integrae reſtitutum fuiſſe, credibile ſit, niſi deſiderium, quo ducebatur, atque expectatio ingens mortis hoc prohibuiſſet, neque ipſe corpus curare neglexiſſet. Adeo ineptit, more ſcholae ſuae Marinus in laudando Proclo! Tandem exhauſto corporis perpetuis doloribus vigore mortalitatis exuuias poſt magnam ſolis eclipſin, quam ſignificaſſe mortem Procli ineptit MARINVS [z], depoſuit die decimo

r) c. 2. p. 4.
s) c. 26. p. 64.
ſſ) Ibid. p. 63.
t) p. 64.
u) Hoc colligimus ex c. 31. p. 79.
x) c. 20. p. 48.
y) c. 30. p. 76.
z) c. 37. p. 91.

cimo ſeptimo Aprilis ſtili veteris, A. C. CDLXXXV, tumuloque praeceptoris, amici, et benefactoris ſui Syriani, vt ipſe voluntatem ſuam teſtatam fecit, illatus eſt, funus deducente tota Athenarum ciuitate. Cuius memoria plane tanquam daemonis cuiusdam in corpore verſantis fuit diſcipulis. Ait enim MARINVS [a], *ſe eo fine conſcripſiſſe vitam eius, vt conſcientiae ſatisfaceret, teſtareturque ſe diuinam illius animam, καὶ τὸν εἰληχότα αὐτὴν ἀγαθὸν δαίμονα, bonumque, quem acceperat, genium, ſancte colere.* Quare Iſidorus quoque, Damaſcio teſte [b], ad ſepulchrum eius thura, tanquam Deo, attulit. Scripſit Proclus plurima, licet ex his multa fuerint indigeſta, quorum magnam partem amiſimus, multa tamen temporis iniuriae erepta gaudemus: de quibus cum more ſuo prolixe et erudite diſſeruerit FABRICIVS [c], lectorem rogamus, vt eius de Graecorum libris commentarios adeat. Fuere autem alia critica, vt *threſtomathia*, cuius nobis compendium ſeruauit PHOTIVS [d], alia mathematica, vt liber *de ſphaera*, *paraphraſes in Ptolomaeum* et *Euclidem &c.* alia philoſophica, vt commentarii in *Platonis dialogos* varios [e]; alia theologica, vt *inſtitutiones theologicae*, et *theologia Platonis.* Hymnos etiam compoſuit plurimos, et contra Chriſtianos aeternitatem mundi defendit, refutatus a Ioanne Philopono [f]. Comprehendi vero in his Procli ſcriptis vaſtam et infinitam lectionem, et eruditionem maximam, negari non poteſt: dolendum autem, ſectae, cui addictus fuit Proclus, genium, praeiudicium auctoritatis et ſyncretiſmum philoſophicum ſuffocaſſe ingenii ac iudicii vim, et ad eam compuliſſe abſurditatem virum non indoctum, vt non tantum ſuſpecta et aliena pro genuinis haberet, ſed et talia ipſe fingeret, et allegoriarum machinis cuncta in ſuas partes raperet, vbique tamen Chaldaica, Hermetica, Orphica creparet. Ita enim factum, vt non tantum barbaricae philoſophiae hiſtoriam, ſed ipſam quoque Pythagorae et Platonis philoſophiam miſere adulteraret atque corrumperet. Quae cauſſa eſt, cur tot de veteri philoſophia apud eum teſtimoniis, quae in Procli ſcriptis inueniuntur, vel parum vel plane non ad eum recurrere liceat, accuratae hiſtoriae philoſophicae cognitionis cupido. Frequens etiam fuit Proclorum Proculorumque nomen apud veteres, inter ſe, et cum noſtro non confundendum [g].

§. XXXVI.

a) c. 38. p. 39.

b) PHOT. l. c. p. 564.

c) Ad calcem vitae Procli et in Bibl. Graec. loc. cit.

d) Cod. CCXXXIX.

e) Pertinent huc commentarii eius ſiue lectiones in Platonis libros de republica, quae ſpecimen eſſe poſſunt methodi allegoricae, qua omnia euertit et corrupit Proclus, de qua legi meretur FABRIC. l. c.

f) SVIDAS in Proclus T. III. p. 186. conf. FABRIC. l. c. et de ſcript. de V. R. C. c. II. §. 33. p. 117. Bibl. Graec. Vol. IX. p. 538.

g) Proclos Proculosque enumerat FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 456. et in prolegom. ad Procli vitam p. 9. ſeqq.

Digitized by Google

§. XXXVI. Proclo in Cathedra philoſophica Athenienſi ſucceſſit MARINVS [a], Flauiae Neapolis, Palaeſtinae vrbe [i] prognatus, et ſi Damaſcio fides [k], initio Samaritanorum religioni deditus, a qua ad gentilem defecit. Praeceptorem habuit Proclum, qui eum in Platonica et Ariſtotelica philoſophia more ſuo methodoque inſtituit, et ſibi habuit cariſſimum, quo duce etiam tantum in philoſophia profecit, vt dignus haberetur, qui tanto magiſtro in ſchola ſuccederet. Quo eius amore incitatus, tanta illius veneratione captus eſt, vt vitam eius deſcribendo, non diuinius virtutis et perfectionis exemplar ſe nanciſci potuiſſe oſtenderet. Laudat eius diligentiam Damaſcius [l], ita tamen, vt haberet, in quo eum, more ſuo reprehenderet: Iſidoro enim cum librum multorum verſuum in Philebum Platonis legendum dediſſet Marinus, ſententiam vt ſuam diceret, *ſufficere praeceptoris ſcripta*, dixit [m], eoque effecit, vt Marinus librum igni tradiderit [n]. Quod ſi ea ſcripta mathematica, quae hodie ſub Marini nomine extant [o], ſucceſſorem Procli auctorem habent, laus ei magnae in his ſcientiis eruditionis denegari non poteſt, in quibus etiam diligenter verſatum fuiſſe non negat Damaſcius [p] et poſtulabat quoque ratio ſyſtematis Alexandrini, quae μαθήματα inter neceſſarias diſciplinas, quae animum ad philoſophiam praeparant, retulit. Quia tamen plures fuere Marini, nihil certi de eorum librorum auctore ſtatui poteſt. In Ariſtotelica vero philoſophia inſtituiſſe Martinum Iſidorum Damaſcius ait, quam cum Platonica conciliaſſe, conditio philoſophiae eius, quam a Proclo didicerat, et in cathedra Platonica Athenis docebat, ſatis ſuperque innuit. Contemnit tamen eum Damaſcius eius diſcipulus in diſciplinis ſublimioribus, theologicis et theurgicis, licet dicat [p], aſſiduis curis et improbo labore multorum ingenii fama illuſtrium et antiquiſſimorum gloriam obſcuraſſe. Nihil vero ſcriptorum ad nos peruenit, licet et commentarios in dialogos Platonis, et quaeſtiones philoſophicas conſcripſerit, praeter ſolam vitam Procli [q], in qua qualem ſe geſſerit, in antecedentibus fuſe demonſtrauimus. Quod ſi SVIDAE [r] verbis fidendum eſſet, hanc praeceptoris ſui vitam

Marinus.

b) Damaſcius in vita Iſidori apud PHOT. Cod. CLXXXI. p. 213. Cod. CCXLII. p. 550. SVIDAS in Marinus T. II. p. 497.

i) Dicta etiam Sichem, in Samaria Palaeſtinae ſita, vnde cum Samaria vrbe a quibusdam male confunditur, duce STEPHANO in Ethn. quae Sebaſte, non vero Neapolis vocata eſt: quemadmodum etiam a Neapoli Arabiae oppido diſtinguenda eſt. Conf. FABRIC. prol. vitae Procli, EZ. SPANHEM. de vſu et praeſtantia numiſmatum diſſ. IX. RELANDVS Palaeſt. L. II. c. 3. p. 504. 506. L. III. p. 979.

k) l. c. p. 562.

l) loc. citat.

m) Peruertit hic verba Damaſcii interpres Latinus, qui in hac vita Iſidori vix vmbram veri ſenſus vidit, et pueriliter ſaepiſſime lapſus eſt, vnde Graeca ipſa diligenter inſpicienda ſunt.

n) De aliis quoque eius ſcriptis ſimiliter iudicaſſe, idem ait apud SVIDAM l. c.

o) Vid. VOSSIVS de ſcient. mathem. in addendis p. 442. adiecta ſunt MARINI theoremata Geometrica ſiue protheoria ad Euclidis data, PROCLI comm. in L. I. Euclidis, Baſil. 1533. et ſeorſim edita Paris 1625. 4.

p) l. c. p. 213.

q) l. c. p. 562.

r) SVID. l. c. FABRIC. ad vit. Procli et Biblioth. Graec. Vol. VIII. p. 364.

Digitized by Google

tam non ſoluta tantum oratione, ſed et ligata conſcripſiſſe dicendum eſſet; quod etiam placuit curis poſterioribus FABRICIO [t], qui tamen in prolegomenis ad vitam Procli ingenioſe prius coniecerat, traiecta fuiſſe ab exſcriptoribus Suidae verba et ita legenda: *Scripſit etiam vitam Procli, praeceptoris ſui, et quaeſtiones philoſophicas, et alia proſa et ligata oratione:* quam coniecturam recte quoque, niſi fallimur, probat LVD. KVSTERVS [u]. Infirmo vero corpore fuit, et teneriore valetudine, quod valde ſollicitum tenuit Proclum. Seceſſit Athenis Epidaurum, cum ſibi vitae inſidias ſtrui intelligeret, rediiſſe tamen eum Athenas oportet; in ea enim vrbe vere ineunte mortuum eſſe ait Damaſcius [x], quem diſcipulum habuit, et imprimis Iſidorum atque Agapium, vtrumque in hac ſchola excellentiſſimum. Et illius quidem hiſtoriam in ſequentibus enarrabimus. Agapius autem, teſte Damaſcio [y], Alexandrinus erat, a puero in artibus liberalibus educatus, maxime autem medicinam profeſſus eſt. Poſtea Athenas delatus propter cupiditatem diſcendi et propoſitas quaeſtiones difficiles magna in admiratione fuit. Sed et Alexandriae iam magnam de ſe admirationem excitaſſe, IDEM ait, apud viros celebriores, magno enim impetu in literis fuiſſe verſatum, et grammaticos rhetoresque quaeſtionibus criticis vexaſſe, tandem Byzantium profectus, ludum literarium aperuit valde inſignem, et ingenii magnitudine et fortunae fauore vſus, clarusque arte ſua magnam pecuniae vim collegit. Nam et vultu quoque grauis et lingua facili fuit atque diſertus, licet antiquiori dialecto magis gauderet quam vulgari.

Succeſſores Procli.

§. XXXVII. Infirma valde valetudine vſum fuiſſe Marinum diximus, quae ratio virum de ſucceſſione Platonica valde ſollicitum permouit, vt viuus de ſucceſſore diſpiceret [z]. Tres vero produxerat ſchola Procli et Marini diſcipulos, prae reliquis tanto muneri aptos, Hegiam, Iſidorum et Zenodotum. Et Hegias quidem ex cariſſimis Procli diſcipulis fuit, qui cum adhuc adoleſcens eſſet, ſpem praebebat fore, vt magno Plutarcho non inferior euaderet: quae ratio permouit Proclum, vt eum adhuc iuuenem Chaldaicorum oraculorum auſcultatione dignum iudicaret [a]: quoddam enim diſcendi deſiderium et naturalis ei probitas inerat. Quoniam vero parentibus ortus diuitibus [b], magnas facultates poſſidebat, abiecit ſcholaſticum philoſo-

t) Bibl. Gr. l. c. p. 363.

u) Ad l. c. Suidae. Confudit hanc vitam Procli cum ſcriptis eius auctor Gallus hiſt. crit. phil. T. III. p. 195.

x) PHOT. loc. citat.

y) Apud PHOTIVM l. c. p. 573. et SVIDAM in Agapius, T. I. p. 22. apud quem ex vno viro duos fuiſſe exſculptos dudum monuit FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. X. p. 383.

z) Damaſcius apud PHOT. l. c. p. 568.

a) SVIDAS in Hegias T. II. p. 42. qui articulus ex Damaſcio videtur transſumtus; MARINVS vit. Procli c. 26. p. 64. PHOTIVS l. c.

b) Parentem Hegiae non indicat Damaſcius, coniicimus tamen ex verbis eius apud Suidam et Photium, fuiſſe filium Archiadae, adeoque Plutarchi magni nepotem. Archiadem enim multis facultatibus abundaſſe refert Damaſcius apud Photium, apud Suidam autem eum ingenio parentem ſuperaſſe dicit, quod de Archiada verum eſſe poteſt. Comparatur etiam Theageni et praefertur, qui gener fuit Archiadae, et Aſclepigeniam in matrimonio habuit, quae licet

Digitized by Google

loſophandi modum, quem in Platonicorum ſchola viderat regnantem, paedagogicos forte illorum hominum mores peroſus, quos valde vituperaſſe non negat Damaſcius [a]. Fanaticae vero philoſophiae loco ad ea adiecit animum, quae ad naturae enarrationem pertinebant: et cum cuperet eſſe religioſus, ſi quis alius, affinium ſacra clam in Attica peregit, et vetuſtiſſima inſtituta loco mouit; hincque in republica celebris euaſit, graues vero ſibi inimicitias conflauit, cum eorum, qui bonis eius, cum ampliſſima eſſent, inhiabant, tum illorum, qui patriorum inſtitutorum tenaciſſimi vitae eius inſidiabantur. At ille amicis et egenis facultatibus ſuis ſubueniens animo magnifico et virtute ſibi ſecuritatem parauit. Derelictam itaque cum ſcholam ab Hegia videret Marinus, et corporis infirmitas de ſeruanda Platonicae ſucceſſionis catena (qua voce hi homines vſi ſunt [c]) ſemper aures vellicaret, de alio ſucceſſore cogitauit. Et non quidem deerant ex Procli et Marini diſcipulis, qui nomen huic ſcholae dederant, ſed ingenii animique viribus deſtituti tanto oneri ferendo erant impares: qualem fuiſſe Eupithium, Hegiae filium, parente longe inferiorem, et Archiadam alterum eius filium, ingenio quidem feliciorem, ſed diuitiis a philoſophando abſterritum, nec a patre ad philoſophiam adductum, ſed religioni et probitati deditum; itemque Diomedem, Damaſcius apud SVIDAM [d] tradit. Ad Iſidorum itaque reſpiciens, tandem illi perſuaſit, vt ſucceſſionis decretum reciperet, qui etiam ſucceſſor creatus eſt, nomine magis, vt ait Damaſcius [e], quam re ipſa. Nam defuncto Marino placuit Iſidoro Athenas deſerere; ne vero ſchola collaberetur, et Hegiam monuit et Syrianum quendam iuniorem, (cum Procli praeceptore non confundendum,) vt imminenti ruinae ſcholae Platonicae humeros ſupponerent [f]. Qui cum Alexandriam tandem ſeceſſiſſet, Zenodotus Marini locum in cathedra Platonica occupauit. Tanti hunc Zenodotum feciſſe Proclum ait Damaſcius [g], vt ſolus dignus habitus fuerit deliciae Procli appellari; maximam etiam de illo ſpem concepiſſe: fuiſſe enim neque iactabundum, neque ſiniſtrum, neque tumidum, licet nobiliſſima ſtirpe eſſet ortus, moribusque magnificis ornatus, et in eloquentia induſtrius pariter atque conſpicuus. Zenodoti vero cum multi, etiam in philoſophia inclaruerint [h], caue hunc Platonicum vel cum Stoico, vel cum aliis miſceas.

§. XXXVIII. Vitam ISIDORI deſcripſit Damaſcius, eique reliquorum etiam, qui circa haec tempora vixerunt, Platonicorum hiſtoriam *inſcriptor.* *Vitae Iſidori*

licet vnica ſpes ſucceſſionis dicatur apud MARINVM c. 29. p. 91. nihil tamen obſtat, quominus dicamus, Archiadae Hegiam diu poſt Aſclepigeniam natum fuiſſe. Hos parentes Hegiae ſi ſupponimus, ratio patet, cur tam grauiter tulerint Attici, quod patria ſacra mutauerit. Ea enim a Plutarcho conſtituta erant, qui ſumma in religionibus valebat apud Athenienſes auctoritate.

b) PHOT. p. 567.
c) Vid. EVNAP. in Porphyr. DAMASC. l. c. MARINVS vit. Procli c. 26. p. 64.
d) In Eupithius T. I. p. 902. PHOT. p. 567.
e) l. c. p. 563.
f) PHOTIVS Cod. CLXXXI. p. 213.
g) l. c. p. 563.
h) Enumerat eos FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 873. Vol. II. p. 726.

Digitized by Google

intexuit. Scripſit enim teſte SVIDA [i], *hiſtoriam philoſophicam*, cuius vel pars ea fuit, vel eam integram abſoluit. Id quod ex eodem SVIDA colligi poteſt, qui ex Damaſcii hiſtoria philoſophica quaedam adducit [k], quae in *vitae Iſidori* compendio, quod PHOTIVS confecit, leguntur. Dolendum autem vehementer eſt, hanc nobis hiſtoriam philoſophicam eſſe ereptam, dubium enim non eſt, Damaſcium Alexandrinae ſcholae, tum in Aegypto, tum Athenis florentis hiſtoriam, forte vbi Eunapius deſiit, in ea prolixe enarraſſe. Et ſeruauit quidem nobis fortuna duplicem eius ſcriptionis epitomen in PHOTII bibliotheca [l], quarum illa brevis, haec vero prolixa quidem, ſed confuſa admodum, nulloque ordine cohaerens, ſed interrupta et manca, totaque induſtria et eruditione Photii indigna eſt; quod non improbabilem ſuſcitauit coniecturam viris doctis, non omnia, quae in hoc μυριοβίβλῳ leguntur, librorum compendia a docta patriarchae Conſtantinopolitani manu eſſe profecta. Latinam vero interpretationem, quam ANDREAS SCHOTTVS dedit, adeo puerilem et ineptam eſſe, aliquot iam exemplis probauimus, vt a quouis alio, quam a docto hoc viro, Graecaeque literaturae non ignaro, confecta videatur, vnde Graeca ipſa inſpicienda eſſe ſemel iterumque monuimus. Habuit etiam celebriorum ex hac ſchola philoſophorum vitas ex hac Damaſcii vita Iſidori Suidas, ex quo, quae hactenus adducta ſunt, pleraque hauſimus, et ex quibus vitis egregie Photii epitome poteſt ſuppleri: quod cum facere nouaque verſione addita nobis iſtud compendium recuſum dare conſtituerit HENRICVS VALESIVS, vir in his literis ſummus, valde dolemus, iſtum laborem in ſpongiam incubuiſſe, quo hiſtoria philoſophica inſigniter iuuari potuiſſet, aſt ſi accurato iudicio fuiſſet adhibitus. Fuiſſe enim Damaſcium ex eadem ſecta philoſophum poſtea dicemus, qui non erubuit, rationibus Platonicis rem ſuam iuuare, id eſt fictis miraculis et ſtupendis narrationibus ſectae ſuae augere gloriam, poſthabitis non fidei tantum hiſtoricae, ſed et omnis veriſimilitudinis legibus: ex quo, quam exiguum iudicium in hac conſcribenda hiſtoria philoſophica Damaſcius adhibuerit, colligi poteſt: cui cum acceſſiſſet impudentiſſima mentiendi audacia, quae non παραδοξώτατα tantum, ſed et ἀσύτατα et inuicem pugnantia tanquam veriſſima narrauit, totus ille labor ineptiſſimam accepit faciem [m]. Accedit inuidia quaedam ſtolidi hominis, non recentiores tantum philoſophos, ſed etiam ſuae ſectae fere omnes, quotquot impoſturis ſuperſtitionis cauſſa ſuſceptis nuntium miſerunt, et religionis ſuae inſano non fuerunt oeſtro perciti, deprimens, ſed et magna atque excelſa veterum nomina, quae totus antiqui orbis eruditi chorus ſuſpexit, contemnens. Quae cum ita ſint, et hoc etiam malum acceſſerit, vt a Photii amantenſibus et Suida male iſta ſcriptio habita et lacerata fuerit, facile

i) In Damaſcius T. I. p. 507.
k) In Gregorius T. I. p. 498.
l) Cod. CLXXXI. p. 218. ſeqq. Cod. CCXLII. p. 546. ſeqq.
m) Hoc nomine iam in eum animaduertit PHOTIVS l. c.

Digitized by Google

le inde iudicium fieri poteſt, quanta accuratione opus ſit, vt veram ex his fragmentis huius temporis hiſtoriam eruamus. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ [n].

§. XXXIX. ISIDORVS GAZAEVS fuit, Gaza Palaeſtinae vrbe oriundus, fratremque habuit Vlpianum, de quo ſupra dictum, itidem Gazaeum. Ita enim eos Damaſcius vocat apud SVIDAM [o]. Quibus tamen obſtat, quod idem Damaſcius Alexandrinum vocat, et inter Aegyptios huius vrbis incolas refert, qui in ſomniorum interpretatione excelluerint [p]. Vnde coniecimus aliquando [q], Iſidorum et Vlpianum Alexandrinos fuiſſe, ſed Gazaeos dictos, quod ex publico aerario victum frumentumque ſtipendii loco acceperint, vt Platonicos accepiſſe, ſupra ex SVIDA [r] demonſtratum: obſeruauit enim eruditiſſimus RELANDVS [s], fuiſſe, qui Gazaei nuncuparentur, non quod Gaza oriundi eſſent, ſed quod ex aerario alerentur eccleſiaſtico, atque ita Commodianum Gazaeum dictum eſſe. Re tamen accurate penſitata abiicienda eſt illa coniectura: nomen enim Gazaei, ſi a victu ex aerario accepto deriuandum, ad eccleſiam pertinet: Iſidorus autem et Vlpianus Gaza vrbe gentili oriundi ſunt, quae et alios viros doctos et in his Procopium et Zoſimum Gazaeos genuit. Vrbis vero Gazae incolae ſuperſtitionis gentilis fuere tenaciſſimi, etiam illo tempore, quo aliae vrbes Chriſtiana ſacra dudum erant amplexae, vt erudite probat RELANDVS [t]. Sic vt mirum non ſit, ſuperſtitionis patronum Iſidorum ex hac vrbe prodiiſſe, qui, cum diu Alexandriae vixerit, ſine dubio a Damaſcio ideo inter Alexandrinos relatus eſt. Qui cum parentibus nec generis nobilitate nec facultatibus deſtitutis eſſet genitus, mature ad literarum ſtudia applicuit animum [u], et Alexandriam delatus Aſclepiodotum audiuit, hominem ex Platonicorum iſtius ſcholae philoſophorum numero [x], quem infandis philoſophiae theurgicae operibus ita potentem fuiſſe Damaſcius refert, vt cum Iſidorus et ille in Maeandrum fluuium ad natandum deſcendentes mediis fluminis vorticibus cum praeſentiſſimo vitae periculo eſſent abrepti atque ſubmerſi, Aſclepiodotus paululum eleuatus vt ſolem intueri poſſet, prolatis paucis verbis ſacris, quae effari nefas, vtrumque morti ereptum ad litus deduxerit [y]. Rhetoricas autem et poëticas profeſſorum Alexandrinorum lectiones parum audiuit, maioribus et ſublimioribus intentus, animumque ſpeculationi aptum ad contemplationes maximas eleuans, vnde philoſophiae et theologiae ſtudio ſe dedit, fratre Vlpiano reipublicae ſe accommodante [z]. Cumque ipſi forderent philoſophi Alexandrini, et in his Hierocles,

Iſidorus Gazaeus.

n) Conf. BALTVS Jugement des SS. Peres ſur la morale de la phil. payenne L. III. c. 18. p. 504. ſeqq.
o) In Vlpianus T. II. p. 738.
p) Apud PHOTIVM Cod. CCXLII. p. 546.
q) In Germanico hiſt. phil. opere T. III. p. 848. conf. tamen T. IV. p. 1447.
r) In Aedeſia T. I. conf. PHOTIVS l. c.
s) Palaeſtin. L. III. p. 792.
t) l. c. p. 793.
u) PHOTIVS l. c.
x) Dictum de eo inter Procli diſcipulos.
y) l. c. p. 559.
z) p. 560.

Digitized by Google

cles [a], quos ſcientiis humanis nullis quidem inferiores eſſe iudicabat, aſt in diuinis parum verſatos, ſibi non multum profuturos exiſtimabat, Athenas ſe conuertit, vbi Procli fama in his literis tum temporis ſumma valde percrebuerat. Ea enim tum erat ſententia, eos, qui in mortalibus et humanis induſtriam ponant, et vel auctam eruditionem demonſtrent, vel doctrinae ſtudium prae ſe ferant, nihil magni ad diuinam ſapientiam conferre, aſt poſt Pythagoram et Platonem, diuinos homines, quorum animae iam ad regionem idearum delatae earum contemplatione nutriantur, in diuiniori ſcientia ex medio aeuo magnos theſauros collegiſſe Porphyrium, Iamblichum, Syrianum et Proclum [b]. Viſo Proclo, valde gauiſus eſt Iſidorus, eo quod venerabilem philoſophiae faciem ſe videre putaret; aſt Proclus quoque in Iſidori facie diuinae philoſophiae vitaeque ad eam facientis notas reperit [c]: quod ſi verum eſt, indicium fuit, enthuſiaſmi, tantopere his hominibus deamati, ne in facie quidem veſtigia defuiſſe. Ex hac Procli ſchola cum profundiſſimae meditationis plenum attuliſſet animum, qui non ex libris et memoria diſciplinarum praeceptis inſtructa, ſed ex habitu animi firmo et foecundiſſimo, quem ab initio iam habuerat, ſapientiae cultum repetebat, mature ad veram philoſophiae ſublimioris cognitionem peruenit, et a ſodalibus quoque in Aegyptiis et Chaldaicis myſteriis addiſcendis ſocius adhibitus inueſtigandae veritatis ſacrae, quae in profundo lateret, ſaepe illis in quaeſtionibus veteris illius ſapientiae lumen accendit. Sed a Marino quoque in Ariſtotelicae philoſophiae dogmatibus inſtitutus eſt [d], parum tamen feliciter ei Peripatetica philoſophia ceſſit, vel quod naturali indole iſta ἀγχινοίᾳ deſtitueretur, ſine qua in difficilis et obſcuri ſenſus philoſophi doctrina parum dextre verſari quis poteſt, quem eius defectum non negat Damaſcius [e], excuſat tamen, quod animum habuerit, non his infirmis et terrenis ſed diuinis et coeleſtibus intentum, et ad ea ſe eleuantem, id eſt, ſi vero nomine dicendum, enthuſiaſticum et imaginationis ardore ad inſolita et theurgica adſpirantem, qualem Ariſtotelis philoſophia parum ſatiare poteſt; vnde carpens eos, qui exterius philoſophantur, et vtuntur memoria multarum rerum notitia referta, et facile valent inexplicabiles nectere ſyllogiſmos, id eſt Peripateticos, inanes iſtos eſſe dixit diuina ſcientia; cumque videret, Ariſtotelicam philoſophiam, etſi diuiniorem, et rationibus magis neceſſariis, quam ſenſibus, credentem, diuinis tamen ideis non vti, ſed ratiociniis, id eſt, ad enthuſiaſmum iſtum, quem quaerebat, parum vel nihil afferre, eam quoque induſtria ſtudioque ſuo non dignatus eſt amplius. Solum itaque Pythagoram et Platonem, beatas iſtas animas, inter ideas, id eſt, Deos paſcentes, et coeleſti lumine perfuſas eligens, et recentiores quoque Platonicos, Plotinum, Porphyrium, Iamblichum maxi-

a) Ibid. Aut vidit hunc, aut paulo poſt eius diſceſſum Alexandriam venit Iſidorus, cum fama eius adhuc vigeret inter Alexandrinos.
b) Ibid.
c) p. 570.
d) p. 569. 571. SUIDAS in Marinus T. II. p. 497.
e) p. 549.

maximi faciens, duce Proclo theologiae ſtudio omnem prorſus impendit operam, ſicque inſtinctum animi naturalem, quo ferebatur ad Θεασμὸν καὶ ἐνθουσιασμὸν, primarios philoſophiae Alexandrinae cardines, ſecutus eſt. More enim Aegyptiorum, quibus tanquam profundioris eruditionis hominibus aggregari voluit, ſuperſtitioni, et ſomniis eorumque interpretationibus reliquisque gentis illius ſuperſtitionibus fuiſſe addictiſſimum, tanquam ſummas laudes vbique crepat Damaſcius. Eum vero in finem lectis quoque ſanctioris generis philoſophorum ſcriptis, ad diſcendam theurgicam ſapientiam animum applicuit, et rimandis oraculis aliisque diuinioris doctrinae fontibus inſudauit. Qua in re tam mirabilem et diuinam ſenſit Procli inſtitutionem, vt non dubitauerit, ei mortuo thura offerre, et tanquam daemoni cuidam ſacrificare [f], vt ſupra iam dictum. Egregios itaque ſublimioris ſcientiae profectus nactus, tanta inter condiſcipulos eius auctoritas extitit, vt nec Marinus dubitauerit ſcripta ſua eius iudicio atque cenſurae ſubmittere, nec Iſidorus erubuerit, ea contemnere ac reiicere, eo effectu, vt incendio deleret opus, quod diſpliciuiſſet Iſidoro diſcipulo [g]. Quae etiam inter ſodales auctoritas et fiducia Marini praeceptoris in cauſſa fuit, vt communi Platonicorum decreto [h] Marino aegrotanti ſucceſſor deſignaretur. Parum tamen arriſit ſplendidum munus, quod inſignes tuliſſe prouentus, in antecedentibus diximus, Iſidoro, vel quod exigua vteretur lectione, eo quod librorum copiam damnabat, quam non cognitionis, ſed opinionis matrem eſſe credebat, ad Procli ſucceſſorem vero vir requirebatur, illi lectionis diffuſae copia non impar; vel quod Ariſtotelicae philoſophiae, quam contemnebat, non ſatis eſſet gnarus, quam tamen doceri in hac cathedra, Plutarchi, Syriani, Procli, Marini exempla resque iſta poſtulabant, vel quod Athenae, vti ex Damaſcio colligi poteſt, ei non placerent, et arcanis religionibus felicius ſe Alexandriae defungi poſſe crederet. His itaque rationibus ductus, cum amorem tantum diuinum, et arcanos Deorum aditus anhelaret [i], auertere a ſe ſcholae iudicium atque decretum omni ſtudio conniſus eſt, oſtendens, ſe non ex iis eſſe, qui caecae rationis ductu, in rectam viam impelli cupiunt, ſed oculos ſe ad ad animum repurgatum referre. Quod ita clarius exprimas: tantummodo ſe enthuſiaſmo ſtudere, humanae autem eruditionis partes rationisque vim omnem inter coecos ductores referendam eſſe: ex quo hominis character ſatis elucet. Tandem Platonicorum precibus victus manus dedit, et cathedram ſuſcepit quidem, ſed nomine magis, quam re, vt ait Damaſcius [k]. Marino enim e viuis ſublato cum cathedra occupanda eſſet, adeo conſilium mutauit, vt Athenas relinquere cogitaret, licet ſucceſſionis catenam ita infringi videret: quod vt ne fieret, Hegiam et Syrianum Marini diſcipulos

f) p. 566.
g) Vid. ſupra in Marino.
h) ψηφισμα vocat PHOTIVS p. 568. ex quo patet, non ſola profeſſoris voluntate deſignatum fuiſſe ſucceſſorem, ſed acceſſiſſe conſenſum totius ſcholae.
i) loc. cit. p. 550.
k) Ibid.

Digitized by Google

los hortatus eſt, vt ſcholae ſaluti et ſucceſſioni, mox deſiturae, ſuccurrerent, eiusque partes capeſſerent [l]. Manſiſſe tamen per aliquod adhuc tempus Athenis, ibique philoſophiam arcanam docuiſſe, ex eo colligitur, quod Damaſcius Athenis eo praeceptore vſus ſit [m]. Qui cum ſcribat ſe illum magiſtrum habuiſſe in dialecticis, eiusque in ſcholis ac lectionibus eas exercitationes didiciſſe, colligimus inde, Iſidorum, quem parum curaſſe iſtam eruditionis philoſophicae partem diſerte fatetur, cum cathedram conſcendiſſet, illi quoque ſe ſumma cum induſtria, vt profeſſoris philoſophiae expleret vices, tradidiſſe, eo quidem, quod idem Damaſcius ſcribit, euentu, vt in hoc eruditionis genere, differendique facultate, omnes, quotquot illud ſeculum tulit, homines doctos obſcurauerit. Niſi enim hoc ſupponamus, a manifeſta contradictione ſaluari non poteſt Damaſcii de Iſidoro narratio. Quamdiu vero Athenienſem cathedram ornauerit Iſidorus, dici non poteſt. Illud certum eſt, Zenodotum, viuo adhuc Iſidoro, Marino ſucceſſiſſe, vt ſupra dictum, eum vero Alexandriam ſeceſſiſſe, quo loco, vtrum publice philoſophiam docuerit, ignoramus, docuiſſe tamen, ſiue publica ſiue priuata induſtria, dubitandum non eſſe ſequentia docent.

Iſidorus an Hypatiae maior?

§. XL. Satis apte hactenus cohaeſit hiſtoria Iſidori, prout eam nobis, quo vnico teſte niti nobis licet, Damaſcius enarrauit. Aſt quae ſequuntur, non modo maxime impedita ſunt et confuſa, ſed et contradictione ſe euertentia, nec ſtare cum hiſtoriae veritate poſſunt, adeoque vel peſſimam Damaſcii fidem, in apertiſſimis ſui temporis circumſtantiis turpiſſime decipientem, vel ſupinam nulloque modo excuſandam Suidae negligentiam produnt manifeſtiſſime, licet a nemine, quod magnopere miramur, obſeruata hactenus, quantum quidem nobis innotuit. Ordine itaque res exponenda eſt, et errore foedo hiſtoria ſacra et philoſophica liberanda. Narrat nempe SVIDAS [n] haud exiguam Iſidori vitae particulam, quam hauſiſſe ex Damaſcii *hiſtoria philoſophica*, et dictio et reliquae circumſtantiae aperte loquuntur. Hypatiae ibi, Theonis filiae fata expoſiturus, ait, fuiſſe Iſidori philoſophi vxorem et floruiſſe ſub Arcadio imperatore. Tunc enumeratis aduerſis, quae paſſa eſt Hypatia, fatis, quae in ſequentibus exponemus, haec addit: „Horum memoria „quamuis adhuc vigeat apud Alexandrinos, nihil tamen res iſta imminuit „eorum honorem et ſtudium erga Iſidorum: cum etiam tanto periculo „imminente ſinguli tamen crebra eius vti conſuetudine et ſermones ex „modeſto eius ore proficiſcentes audire ſtuderent. Nam ii etiam, qui „rhetoricis et poëticis ſcholis praeerant, frequentes philoſophi congreſ„ſus amabant. Quamuis enim illis inſtitutus non eſſet, tamen philoſo„phica ſubtilitate minutas etiam illorum artes adiuuabat. Nam et cetera „erat

l) p. 578.

m) PHOT. Cod. CLXXXI. p. 213. niſi malis hoc loco Iſidorum ad Alexandrinos Damaſcii praeceptores referre; prius tamen magis verisimile.

n) In Hypatia T. III. p. 533.

Digitized by Google

„erat accuratus, et de orationibus et poëmatibus, quae oſtentandi inge„nii cauſſa recitabantur, longe melius iudicabat, quam alii. Quamobrem „etiam in theatris, cum orationes aliquae audiebantur, breuiter laudabat „declamationes, et modeſte admodum: opportune tamen, et vt par „erat. Vnde totum theatrum iudicio eius vtebatur, tanquam norma „eorum, quae melius aut peius dicerent„. Hactenus Suidas. In quibus verbis ſunt, quae conſiſtere iecum nullo modo poſſe videntur. Et quod ad Iſidori quidem attinet matrimonium, ipſius Damaſcii teſtimonio apud PHOTIVM [o] certum eſt, habuiſſe illum vxorem Domnam, quae cum peperiſſet ei filium, quem in praeceptoris memoriam Proclum nominauerat, quinto poſt partum die mortua eſt, et philoſophum mala beſtia et amaro liberauit coniugio. Quod vero ad ſecunda vota Iſidorus transierit, de eo tacet epitome Photii, aſt Suidae excerpta apertiſſime loquuntur, ſatisque declarant, de eodem Iſidoro ſermonem eſſe, qui Marino ſucceſſit. Nam quod Suidas habet, non inſtitutum fuiſſe in rhetoricis et poëticis, accurate cum Damaſcio apud Photium concordat. Aſt nupſiſſe Iſidorum Hypatiae id quidem cum rationibus temporum conciliari nullo modo poteſt, vt ex erutis temporum Iſidori et Hypatiae notis liquere poteſt clariſſime. Et Iſidori quidem aetatem definiuere neque Photius neque Suidas, aſt ſatis detegi illa poteſt ex circumſtantiis a Damaſcio narratis. Fuit nempe Iſidorus diſcipulus Procli, vt ex PHOTIO patet [p] itemque Marini [q], cui in cathedra ſucceſſit, deinde relictis Athenis conceſſit Alexandriam ibique philoſophatus eſt, tandem, quod in ſequentibus probabimus, ad Choſroëm regem abiit, cum Platonicis aliis. Cuncta haec teſtimoniis vel adductis hactenus, vel adducendis adhuc conſtant indubitatis. His ſi annos aſſignamus debitos, haec Iſidori hiſtoriae emergit chronologia:

Proclus naſcitur	A.C. CDXII.
moritur	CDLXXXV.
Marinus ſuccedit Proclo	CDLXXXVI.
inſtituit Iſidorum	CDLXXXVII.
obit circiter	CDXC.
Iſidorus ſuccedit Marino docetque Athenis	CDXCI. CDXCII.
abit Alexandriam	CDXCIV.
Florent his temporibus ſub Iuſtiniano	
Eulalius, Damaſcius Simplicius	DXXX.
Iſidorus cum Platonicis in Perſiam abiens redit	DXXXIII.

Iam ſi ponamus, eo ipſo reditus ſui anno centenarium Iſidorum obiiſſe, non poteſt tamen natalis eius contigiſſe ante A. C. CDXXXIV. Haec ad Hypa-

o) p. 573. p) p. 569. 571. q) Ibid.

Hypatiae tempora vt exigantur, ſupponimus, quod et ipſius SVIDAE teſtimonio, et SOCRATIS [e] conſtat, Hypatiam ab Alexandrina plebe interemtam floruiſſe ſub Arcadio, et anno quarto epiſcopatus Cyrilli, Honorio decimum et Theodoſio ſextum conſulibus, furorem plebis menſe Martio fuiſſe expertam: quod tempus in A. C. CDXV incidit. Concordant tempora Cyrilli, Syneſii, diſcipuli Hypatiae, Theonis patris Hypatiae et tota eius hiſtoria. Iam qui potuit defuncta vxore prima Hypatiam vxorem ducere Iſidorus, qui eo tempore nondum natus erat, quo illa laniabatur? et quis tanto parachroniſmo fidem adhibeat? Certe haec omnia extra dubitationem eſſe, nemo ſanus dubitabit, et aſſenſi ſunt nobis viri eruditiſſimi [f]. Aſt qua ratione ad hunc errorem delatus ſit Suidas, merito ambigitur, licet ſupina ſcriptoris negligentia toties nobis iam ſit notata. Et primo quidem Damaſcius malae fidei poſſet eſſe ſuſpectus, viderique haec ad Iſidorum tranſtuliſſe, vt eo grauiori inuidia Chriſtianos Cyrilli partes ſequentes cumularet; aſt his obſtant, quod is apud Photium Domnae quidem Iſidori vxoris meminit, aſt Hypatiam poſt eam duxiſſe non refert, non omiſſurus in gloriam Iſidori, ſi tantae tamque celebris in Plotini ſchola feminae matrimonio fuiſſet gauiſus, praeſertim cum dicat, Iſidorum Hypatiae multum praeſtitiſſe, non tantum vt virum mulieri, ſed vt geometriae deditae philoſophum. Culpa itaque in Suidam coniicienda magis videtur, qui cum Damaſcii hiſtoriam philoſophicam excerperet, ea quae de Hypatia prius retulerat Damaſcius, cum iis, quae poſtea de Iſidoro narrauit, vna orationis ſerie coniunxit, cum Damaſcius nihil aliud dicere voluiſſet, quam illud: etiamſi magnus eſſet furor plebis Alexandrinae in philoſophos, et Hypatiae mors adhuc omnium memoriae obuerſaretur, tamen non fuiſſe paſſum Iſidorum quicquam mali, nec honori id atque exiſtimationi ſuae apud populum Alexandrinum obſtitiſſe. Id quod luculenter ſatis ipſa SVIDAE verba haec innuunt: *τῦτων ἡ μνήμη ἔτι σωζομένη τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν συνέτελλεν εἰς μικρὸν κωμῳδῆ τὴν περὶ τὸν Ἰσίδωρον τῶν Ἀλεξανδρέων τιμήν τε καὶ σπουδήν.* Quibus haud obſcure de hiſtoria Hypatiae, tanquam re ante Iſidorum geſta, loquitur, oſtenſurus, parum eius memoriam obſtitiſſe, quo minus, metu ſimilis periculi imminentis, magnum honorem et applauſum a populo Alexandrino Iſidorus meruerit. Quae cum non ſatis attenderit Suidas, vel qui eius excerpta congeſſerunt, Iſidori vxorem Hypatiam fuiſſe dictum in limine eſt. Potuit tamen ab indocti gloſſatoris manu ex margine in textum hoc gloſſema irrepere, cum is ex male intellecta verborum Damaſcii cohaerentia Hypatiam Iſidori vxorem fuiſſe colligeret. Quaecunque vero erroris cauſſa fuit, certe eiiciendus eſt ex hiſtoria eccleſia-

e) loc. citat.
f) Hiſt. eccl. L. VII. c. 15. p. 352.

f) Vid. Act. erudit. nou. ſupplem. T. III. f. 9.

Digitized by Google

cleſiaſtica et philoſophica, ne in poſterum, quod viris literariſſimis accidit [u], ſeducat.

§. XLI. Sed vt reliquam Iſidori hiſtoriae partem attexamus, quo loco *Vita et mo-* is Alexandriae habitus ſit, quantaque in auctoritate vixerit, ex adducto *res Iſidori.* Damaſcii vel Suidae loco ſatis intelligitur. Habuiſſe diſcipulos, Serapion, eremita Platonicus exemplum eſt, de quo multa habet SVIDAS [x], hauſta quoque, vt videtur, ex Damaſcio. Sedem tamen mutandi conſilium poſtea cepit, ſecuritatis cauſſa. Cum enim grauis his hominibus eſſet Iuſtiniani zelus, isque ſingulari lege vetaret philoſophiam gentilem Athenis doceri [y], qualis nempe tum in Platonica ſchola perſonabat, et praecipuum ſuperſtitionis artiumque peſſimarum fulcrum habebatur, et ſaniorem philoſophiam amplecti iuberentur, abierunt cum Areobindo in Perſiam philoſophi Iſidorus Gazaeus, Damaſcius Syrus, Simplicius Cilix, Eulalius Phryx, Priſcianus Lydus, Hermias et Diogenes Phoenices [z]. Redierunt tamen poſtea A. C. DXXXIII [a], pace inter Perſas et Romanos facta, libertatem nacti ſuis inſtitutis et philoſophiae conuenienter ſine metu viuendi, patriamque religionem, prout viſum eſſet, ſequendi. Quem vero in locum Iſidorus poſtea ſeceſſerit, vbi, quo tempore, quoue morbi genere vitam finiuerit, in exſpirantis ſectae eclecticae crepuſculo a nemine veterum annotatum reperimus. Valde ſenem tamen obiiſſe oportet eo quod Proclum audiuit, quod ex more ſectae Platonicae ante vigeſimum annum raro fiebat: et ad medium fere ſeculum ſextum vixit redux ex Perſide, vbi hoſpes peregrinatus erat. Ex his enim concluditur, poſt A. C. CDLXV natum, et ante A. C. DXL ſatis functum non eſſe, quae LXXV annos conficiunt, et vterque annus a natali et

u) Vid. magni viri FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 220. MOSHEM. Hiſt. Chriſt. antiq. Sec. IV. P. II. c. 1. §. 2. p. 298. et Vol. diſſ. H. E. p. 214. ANDR. SCHOTTVS ad PHOT. loc. cit.

x) Vitam Serapionis deſcripſit SVIDAS in Serapion. T. III. p. 384. quam ſine dubio ex Damaſcii hiſtoria philoſophica hauſit, et exſcripſit. Is adeo latenter vixit, vt nemini fere praeter Iſidorum, innoteſceret. Adeo vero ſolitariam vitam diligebat, vt nunquam fere ex domo ſua deſcenderet, et ſolus in domuncula habitaret vicinorum opera in rebus neceſſariis adiutus. Precibus inſigniter addictus et idiotae habitu omnia templa frequentauit, et loca ſacra prout feſtiuitatis ratio poſtulabat. Plerumque vero domi per totum diem degens ſolis diuinis vacauit, precesque cogitando recitauit. Veritatis vero cupidus non in ſubtilioribus quaeſtionibus verſabatur, ſed ſublimioribus et diuinis erat intentus. Legebat itaque Orpheum, et de eius ſenſu interrogabat Iſidorum, in arctiorem domunculae partem ſe contrahens. Adeo vero contemſit pecuniam, vt nihil poſſideret, praeter tres libellos, voluptatemque ita neglexit, vt ſumme neceſſariis tantum vteretur, a rebus venereis per totam vitam abſtinens. Honoris adeo incurius fuit, vt ne nomen quidem in vrbe notum eſſet. Haeredem Iſidorum ſcripſit libellorum, qui de eius vita haec nobis ſcripta reliquit. Manifeſtum hoc exemplo eſſe puramus, ſectam Alexandrinam non doctrinam tantum, ſed inſtituta quoque Chriſtianorum, praecipue Aegyptiorum, imitatione expreſſiſſe eo enim tempore eremitis abundabat illa regio. Quos cum ſumma veneratione proſequeretur plebs, mirum non eſt, gentiles quoque homines, praecipue Pythagoricis inſtitutis, iam olim ſolitariam vitam affectantibus addictos, in huius gloriae partes venire voluiſſe

y) IOAN. MALALA Hiſt. chron. P. II. p. 187. NIC. ALEMANNVS ad Procopii anecdot. c. 26. p. 377.

z) AGATHIAS de rebus Iuſtin. L. II. p. 49. SVIDAS in *Ἕλληνες* T. III. p. 171.

a) Ita quidem V. C. PETR. WESSELING. Obſ. variar. L. I. c. 28. p. 117. conf. PETAVIVS Ration. temp. L. VII. c. 8. p. 465. qui c. V. p. 452. has inducias ad annum DXLV refert, duce Procopio.

Digitized by Google

emortuali tempore Iſidori parum abeſſe videtur. Aetatem ſane eius ad Iuſtiniani imperium referendam eſſe, ex hactenus dictis conſtat. Facie erat [b] magnifica et quadrangulari, oculis gratiam Veneris ſpirantibus, et in vnam eandemque rem inflexili acie intuentibus, grauitatem vero et venuſtatem totus corporis habitus prae ſe ferebat; ſenſus habebat mediocriter affectos et ſoli neceſſitati inſeruientes; eandem habuiſſe rationem phantaſiam ait Damaſcius; ſed exarſiſſe eam, limitesque transgreſſam ad enthuſiaſmum vsque inſaniiſſe, ex hactenus dictis manifeſtum eſt. Multo praeſtantiorem tamen nobis depingit Damaſcius ratione voluntatis virtutum. Ait enim: raro iraſci ſolitum, et ſi qua iraſceretur, rationem imperaſſe: promtiſſimum fuiſſe, bene de aliis merendo, nec ſuſpicacem, licet dolorum ac inſidiarum nihil eum falleret: Amaſſe porro ſimplicitatem et veritatem, vt ſupra modum verax eſſet, nec fictum aliquid in ſe continere videretur. Fuiſſe ſolertem ac induſtrium, et cum aurora ſurgente ſurrexiſſe, animo in oracula et ſomnia intento. Pecuniae acquirendae artibus ſe non dediſſe, ſed prudentiae domeſticae, et in omnibus prudenter ſe geſſiſſe, domi vero omnia ſapienter diſpoſuiſſe, magnamque diei partem in curanda re familiari conſumſiſſe, partim iubendo et ordinando, partim manum operi ipſi admouendo. Calamitates etiam forti animo pertuliſſe, dignumque philoſopho in illis, etiam in iactura bonorum, oſtendiſſe animum. Manſuetum quidem et lenem erga omnes ſe praebuiſſe, ſed acerrimum in reprehendendis flagitiis, et quamquam nec inimicitias aleret, nec contentiones amaret, graue tamen bellum malis indixiſſe moribus, et acerrimo zelo iis emendandis inuigilaſſe. Talem vero ſuadelam inſediſſe ori, vt nemo tam immiti ac barbaro eſſet animo, qui non eloquentia eius perſuaderetur, et cui non, accedente corporis proceritate, et affabilitate ſermonis, iucundiſſima eius eſſet oratio. Mediocri nec delicato nimis vſum fuiſſe conuictu, qui neque paupertatis ſorditiem, nec luxum diuitiarum prae ſe ferret. Colloquentibus non ſuauem tantum et comem, ſed et facilem, et vtilem ſe praebuiſſe, et ſenum maxime congreſſibus fuiſſe delectatum: adamaſſe muſicam, ſed ſeueritati Doricoque modo adaptatam. Reuocaſſe quoque philoſophiam ad animum et a verborum contentione ad mores reduxiſſe [c], veramque philoſophiae rationem non in externa fama et eruditionis ſtrepitu, ſed in mentis ad coeleſtia conuerſione quaeſiuiſſe: adeoque nec ſtatuas adorare voluiſſe, ſed ad ipſos Deos intus latentes, non in adytis, ſed in arcano mentis acceſſiſſe, et vehementi atque occulto amore ſe illis iunxiſſe, modo, qui non dici et ne cogitari quidem queat, ſed experientia tantum percipiatur cognoſcaturque. Quae omnia paſſim in hac vita Iſidori ſparſa manifeſtum faciunt, inſtitiſſe Damaſcium in laudando praeceptore exemplis ac veſtigiis Pla-

b) p. 548. 551. 559. 561. 566. 599.

c) Hoc ita tantum intelligendum eſt, philoſophiam fanaticam eum reliquis diſciplinis praetuliſſe. Animum enim incendi diuino amore per iſtam philoſophiam ſtatuebant.

ed by Google

Platonicorum biographorum, et nullum non virtutis genus ad eum retuliſſe, vt perfectiſſimos facere homines philoſophiam Platonicam reformatam omnibus conſtaret. Ex quibus intelligi ſine labore poteſt, quantum in his fidei tribuendum ſit Damaſcio ſcriptori nugiuendulo, fidemque anilibus fabulis pollicenti. Quisquis autem vitae genere et virtutis ratione fuit Iſidorus, illud certum eſt, fuiſſe dignum Proclo praeceptore diſcipulum, temperamenti melancholico-cholerici diſpoſitione, fanaticorum praeceptorum educatione, hominum inter quos vixit, indole, et philoſophorum ſuae ſectae exemplis illi ſuperſtitionis generi pertinaciter affixum, quod ad enthuſiaſmum, diuinaque commercia et conuerſationem pronum ferebatur, et ſua ſponte ruebat. Ceterum cum multis Iſidoris aliis apud veteres claris [d], noſter confundi non debet.

§. XLII. Tandem DAMASCIVS quoque in eclecticae ſectae hiſtoria enarrandus eſt, cuius memoriis hactenus in delineandis vitis Platonicorum recentiorum, qui ſec. V et VI inclaruerunt, potiſſimum vſi ſumus. Fuit Damaſci in Syria natus [e], et ab optimis praeceptoribus inſtitutus. Alexandriae elegantiorum literarum ſtudiis inuigilans, in dicendi arte Theoni operam dedit per triennium, Ammonium quoque Hermiae filium, qui ceteris in philoſophia Peripatetica et mathematicis diſciplinis praecellebat, audiuit, et in Platonica quoque philoſophia magiſtrum habuit [f], ex quo patet, Alexandriae iam philoſophiae eclecticae vel ſyncretiſticae laborem eum impendiſſe, eique mathematica iunxiſſe ſtudia. Quoniam vero eo tempore Athenae fama eruditionis philoſophicae Alexandriam ſuperabant, in hanc Muſarum Graecarum ſedem ſe recepit, dimiſſoque eloquentiae ſtudio, cui per nouennium inuigilauerat, totum ſe perficiendae, quam exorſus erat, mathematum et philoſophiae cognitioni tradidit, illorum a Zenodoto hauriens praecepta, huius a Marino [g]. Maxime autem in Dialecticis exercitationis vim et vſum familiaritate et lectionibus Iſidori aſſequutus eſt [h]. Quo Alexandriam concedente occupauit relictam cathedram, et vltimus philoſophiae Platonicae profeſſor factus eſt. Eo enim docente Iuſtinianus philoſophos gentiles philoſophiam docere Athenis vetuit, ſicque nobiliſſimae catenae, ſucceſſionisque, qua tantopere ſuperbiebant, quamque ab Ammonii et Plotini tempore ſeruauerant, finem fecit, totamque ſectam extirpauit, cuius ab hoc tempore nulla ſit apud veteres mentio. Nam Damaſcium quoque, ſuperſtitioni auitae mordicitus inhaerentem, inter eos fuiſſe, qui ad Choſroëm Perſarum regem emigrarunt, et hoſpitii ibi iure fruiti ſunt, exiguo licet ſperatae felicitatis ſucceſſu, redierunt vero facta pace, et promiſſa ſecuritate, ſupra diximus. Ex quo tempore, vbi vixerit, dici non poteſt, coniicien-

Damaſcius.

d) Enumerat eos FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IX. p. 216. inter eos eminent Iſidorus Peluſiota, et Iſidorus Mercator, de quibus IDEM videndus.

e) PHOT. Cod. CLXXXI. p. 212. CCXLII. p. 566. SVIDAS in Damaſcius T. I. p. 506.

f) PHOTIVS l. c.

g) Ibid.

h) Vid. §. praec. dicta.

Digitized by Google

ciendum tamen, eum Alexandriam delatum esse, vbi haec philosophia aliquantisper adhuc personabat, ibique forte obiisse. Patet ex dictis, recte Damascium inter eclecticae scholae philosophos referri, qui Platonicam philosophiam cum Aristotelica conciliauit, et reliquas omnes cum his in concordiam ire iussit. Vix itaque audiendus est SVIDAS[h], qui eum Stoicum fuisse dicit, quod etiam recepisse FABRICIVM[i], qui eum alio loco[k] Platonicis adscripserat, miramur. Nisi dicamus, Stoicam philosophiam ab his philosophis ad idem systema syncretisticum fuisse pertractam, cuius exemplum esse potest Simplicius[l], qui Stoica Platonicis et Aristotelicis iunxit. Fuit is discipulus Damascii[m], adeoque ad hanc quoque sectam referendus esset, quia tamen in Peripateticis maxime eius industria enituit, eius memoriam in sequenti sectione recolemus. Tantum vero fuit inter Damascium et Simplicium, Eulaliumque, ex hac quoque secta homines amicitiae vinculum, vt, qui ὁμηλικαὶ a SVIDA[n] dicuntur, vnum simul iter ad Persas susciperent. Meruit Damascius de philosophia pariter atque eius historia, ita vero, vt ab Alexandrinae philosophiae alumno expectari potest. Scripsit enim *commentarios in Platonem, dubia* item *et solutiones de principiis rerum*, ex quo magno opere fragmenta nobis seruata sunt, quae vulgata debemus industriae desideratissimi Io. CHRISTOPHORI WOLFII[o]: alia ei apud veteres tributa enumerat FABRICIVS[p], qui videndus. Philosophicam autem historiam enarratione fatorum vitarumque professorum et philosophorum huius sectae, praecipue praeceptoris Isidori, auxit, de cuius ratione et fide cum supra satis, quod est, dixerimus, ea hic non repetimus. Addimus tantum aecuratum PHOTII[q] iudicium, qui notat: *fuisse Damascium summe impium quoad religionem, et nouis atque anilibus fabulis, scriptionem suam repleuisse, sanctamque fidem nostram, quamuis timide tectequo allatrauisse: eis etiam, quos ob eruditionem summis laudibus extulerat, rursus detraxisse, seque eorum iudicem constituendo, nullum non perstrinxisse, in singulis, quos laudarat, aliquid desiderando, et quos in coelum euexerat, humi rursus allidendo.* Id verum esse satis testantur ea, quae seruauere Photius atque Suidas. Eiusdem generis fuisse *incredibilia* eius, ex PHOTII[r] indicio patet, qui in iis mendaciorum portenta, fabulasque male conflictas, impioque atque atheo Damascio dignas contentas fuisse, ait. Et dubitant quidem post ANDREAM SCHOTTVM[s], IONSIVS[t] et FABRICIVS[u], an ad hunc Damascium, vel ad alium illepidi libelli debeant referri, videtur tamen Photius pro eodem

h) loc. cit.
i) Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 620.
k) Vol. II. p. 57. conf. p. 402.
l) In comm. in Epictetum.
m) SIMPLIC. Comm. in Phys. L. IV. c. 53. p. 184.
m) loc. cit. male ex Damascii discipulo eius praeceptorem exsculpit IONSIVS de S. H. P. L. III. c. 18. p. 302.
n) Anecdot. Graec. T. III. n. 9.
o) Bibl. Graec. Vol. II. p. 126. 294. IONSIVS p. 3.
p) loc. cit. p. 212.
q) Cod. CXXX. p. 166.
r) Ad l. c. Photii.
s) loc. cit.
u) Bibl. Graec. Vol. VI. p. 826.

Digitized by Google

eodem vtriusque libri auctore illum habuisse, qui iisdem conuiciis Damascium onerat incredibilium auctorem, et historiae Isidori conditorem: quemadmodum hunc quoque eiusmodi ἄπιστα καὶ παράδοξα scriptis suis inseruisse multis supra exemplis vidimus. Quicunque autem incredibilium auctor fuerit, illud certum est, eiusmodi aniles fabulas, et illepida commenta, omni prorsus fide et verisimilitudine carentia, et ad fulciendam superstitionem ruituram ineptissimo conatu excogitata, ex Platonicorum schola pleraque prodiisse, quibus hominibus nec impudentiores, nec audaciores fuisse a mundi incunabilis vllos, nemo negauerit, qui eos propius intuitus est, vel, quae hactenus edisseruimus, accurato expendit examine.

§. XLIII. Fuisse in hac secta quoque mulieres, philosophiae laude clarissimas, aliquot exemplis in antecedentibus adductis notum est. Nulla vero maiorem nominis celebritatem consecuta est, quam HYPATIA, cuius fata admodum digna sunt, quae hic enarrentur. Ea enim eruditionis praestantia morumque elegantia, et tragico vitae, quem passa est, exitu, notabilis sacris et profanis scriptoribus indicta non manlit [t]. Genita Alexandriae a Theone magni nominis mathematico [u], insolitam naturae felicitatem indolisque ad optima quaeque maximis gressibus adspirantis vbertatem accepit, quas animi dotes ingeniique sublimis fertilitatem pater optimarum artium cultura, et diligentissima institutione ita excoluit, vt eius eruditio omnibus esset miraculo. A parente enim geometriam et astronomiam didicit, et a reliquis sapientiae professoribus, qui- *Hypatia.*

t) De Hypatia ex veteribus satis prolixe disserit SVIDAS in Hypatia T. III. p. 533. qui sua sine dubio ex Damascii historia philosophica desumsit. Praeter eum SOCRATES quoque Hist. eccles. L. VII. c. 15. integro capite egit, eiusque fata enarrauit, quem secuti sunt PHILOSTORGIVS et NICEPHORVS, ad quorum loca videndi HENR. VALESIVS et IAC. GOTHOFREDVS. Recentiores vero multi, qui sacram et literariam historiam scripsere, Hypatiam attigerunt, ex quibus TILLEMONTIVM Mem. eccl. T. XIV. p. 274. CAVEVM Hist. lit. scr. eccl. p. 251. MENAGIVM Hist. mul. philos. §. 49. seqq. p. 494. seqq. nominamus. Pleraque ex veteribus diligenter congessit B. Io. ANDR. SCHMIDIVS Abbas Mariauallensis in diss. de Hipparcho, Theonibus, doctaque Hypatia in matheli celebribus. Vt taceamus scriptores historiae matheseos, aliosque, quos facile lector inuenier.

u) Non confundendus est Theon Alexandrinus cum Theone Smyrnaeo, de quo supra Sect. III. actum. Is natione Aegyptius Alexandriae in museo professoris matheseos munere functus est, collegamque habuit Pappum, teste SVIDA T. II. in Theon Alex. p 182. qui claruisse eum ait sub Theodosio maiore, circa A. C. CCCLXXIX, vsque ad finem fere seculi. Scriptorum eius, cuius titulos post Suidam enumerat FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 211. maxima pars periit, quaeque supersunt, interpolatoris manus sunt passa. Ex titulo commentarii in Ptolomaei magnam syntaxin, editi a CAMERARIO Basil. 1558. fol. patet, habuisse Theonem etiam filium, Epiphanium nomine, mathematicarum quoque scientiarum apprime peritum. Philosophum vero dum veteres Theonem nominant, hoc non alio intelligendum sensu videtur, quam quo mathematicae scientiae pars propaedeumatica philosophiae habitae sunt. In reliquis enim philosophiae partibus eum parum fuisse versatum, ex eo colligi potest, quod, Suida teste, Hypatia parentis eruditione non contenta, etiam philosophiam didicerit, quam a patre didicisset, si in ea eruditionis parte valuisset. Conf. MENAGIVS et SCHMIDIVS l. c. HENRICVS SAVILIVS praelect. II. in Euclid. VOSSIVS de scient. mathem. c. XVI. §. 9. p. 59. Fuerunt et alii Theones duo Alexandrini, cum patre Hypatiae non confundendi, quorum vnus scripsit gymnastica, alter Stoicus fuit vixitque sub Augusto et in APOLLODORI physiologicam introductionem scripsit. Conf. IONSIVS de S. H. P. L. III. c. 17. p. 104. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 458. SVIDAS loc. cit.

quibus eo tempore Alexandria laetiſſime florebat, diſciplinarum fundamenta accepit. Animo enim, vt ait Damaſcius, generoſiore praedita cum intra patris eruditionis cancellos conſtringi ſe non pateretur, reliquae etiam philoſophiae ſtrenuam operam nauauit, et eam potiſſimum ſapientiae partem didicit, quam in hac muſarum ſede maxime excultam fuiſſe, et ſyncretiſticum doctrinae genus exhibuiſſe, multoties diximus. Platonis itaque atque Ariſtotelis philoſophumenis intelligendis et conciliandis inuicem inſudans, tantam philoſophicae eruditionis laudem conſecuta eſt, vt publice in ſchola et ſucceſſione Plotini, teſte SOCRATE [v], docendi auctoritatem capere poſſet. Poſthabitis itaque muliebribus moribus pallium ſumſit philoſophicum, et non tantum in publicis conuentibus comparuit, ſed et per mediam vrbem digreſſa audire ſe volentibus vel Platonem, vel Ariſtotelem, vel alium quemcunque philoſophum explicuit, qua de re laudis eius plena inter ſe concordant et profanorum et eccleſiaſticorum ſcriptorum teſtimonia [w]. Cumque promta et expedita dicendi facultate polleret, et omnis generis eruditione eſſet ornatiſſima, plurimos auditores nacta eſt, ſummo eam cultu et veneratione proſequentes: inter quos fuiſſe Syneſium, totum eius admiratione captum [x], *tomo tertio*, vbi de eo dicendum, prolixius ediſſeremus. Quibus cum accederet virtus eximia et prorſus ſingularis, dici non poteſt, quanta inter Alexandrinos auctoritate valuerit, certatim in eius laudes philoſophis, iudicibus, et quoscunque Alexandria alebat, viris doctis et grauiſſimis effuſis. Nam licet omnes ſui temporis philoſophos eruditione philoſophica et mathematica ſuperaret longiſſime, maxime tamen inſignem ornatum animi commendauit modeſtia, qua ſe venerabilem reddidiſſe, ſcribit SOCRATES. Iuſta quoque atque aequa, et imprimis ita caſta fuit, vt licet eſſet formoſiſſima, et a iuuenibus adamaretur, amores tamen non tantum reſpueret omnes, miraque prudentia repelleret, ſed et virginitatem ſeruaret illibatam, et in conuerſatione cum viris ſummis et primariae dignitatis, virtutis temeratae ſuſpicionem nunquam faceret: tantamque iſta virtute auctoritatem ſibi comparauit, vt principes in republica viri eam inuiſerent, et magna ſaepe ad aedes eius eſſet hominum frequentia. Id quod tamen doctiſſimae virgini tandem ceſſit exitio, plebisque in eam concitauit furorem, quae inaudita caede eam ſuſtulit. Cuius cauſſas, ſi ab ὄuo, quod aiunt, res enarranda et repetenda, has habe [y]: Vixit eō tempore occupauitque ſedem patriarchalem Cyrillus, magnae auctoritatis, ſed non minoris vehementiae altorumque ſpirituum epiſcopus, de cuius vita rebusque geſtis et acerrimis, quas in eccleſia excitauit praeſul feruidiſſimus et acerrimus, ac diſſentientium impatientiſſimus, controuerſiis ſacri hiſtorici, ſcriptoresque eccle-

v) loc. cit.

w) Vid. SOCRATES l. c. SVIDAS l. c. NICEPHORVS L. XIV. c. 16. PAVLI SILENTIARII epigramma antholog. T. I.

x) Vid. eius epiſtolae ad Hypatiam.

y) Dicendum de hac re in hiſtoria ſacra Sec. VI. ſequimur nos SOCRATEM L. VII. c. 13. ſeqq.

Digitized by Google

ecclesiastici consulendi sunt. Is insano rei Christianae vel potestatis magis suae promouendae, quacunque ratione posset, aestu agitatus, de eiiciendis ex vrbe Alexandria Iudaeis cogitauerat, populi Alexandrini, ad seditiones valde procliuis ingenio vsus, cum de re leui, nempe pantomimorum ludis inter plebem et Iudaeos certaretur, et Orestes praefectus Alexandriae seueris dispositionibus (πολιτείας vocat Socrates) seditionibus obuiam iuisset. Iudaeos enim cum tueretur Orestes, et huic eius curae obstarent Cyrilli fautores, is perosus dominationem episcopi, praefecturae sibi ab imperatore commissae plurimum detrahentis, Hieracem quendam, qui acerrime Cyrilli partes sequebatur, in theatro tormentis subiecit. Id quod aegre ferens episcopus, accersitis Iudaeorum primatibus extrema mala minatus est, nisi a consiliis desisterent: ad quod cum illi non attenderent, et motus atque seditionem cierent, caedesque committerent, commotus ira Cyrillus cum ingenti multitudine ad Iudaeorum synagogas progressus, eas illis ademit, Iudaeos vero ex vrbe eiecit, in qua ab Alexandri M. temporibus habitauerant. Grauissime id tulit Orestes, vrbem dolens, vna seditionis rabie tot incolis orbari. Rem itaque ad imperatorem retulit, Cyrillo valde ob eam rem infensus, qui et ipse de Iudaeorum scelere ad principem scripsit, et reconciliationem cum Oreste, populo instigante, tentauit, sed frustra. Quare res in maiores motus excrescens, tandem tragicum nacta est exitum. Cyrilli enim partes cum sequerentur monachi Nitrienses, venerunt quingenti viri in vrbem, acrique zelo incensi pro Cyrillo pugnare decreuerunt, et praefectum in vehiculo procedentem aggressi, conuiciis proscinderunt, vnus ex illis lapide percussit caput eius ad cruorem. Plebs accurrens fugatis monachis auctorem comprehendit, quem tormentis subiectum Orestes enecauit, cuius corpus Cyrillus in ecclesia recondidit, martyremque eum, pro concione magnifice laudatum, haberi iussit. Valde displicuisse hanc Cyrilli animi impotentiam bono cuilibet, etiam inter Christianos, facile credi potest; vt itaque indigni tanto episcopo facinoris obliteraret Cyrillus memoriam, plebis in Orestis partem accendit animum, qua re factum, vt insani furoris hostia Hypatia caderet. Quae, cur potissimum seditiosae plebis rabiem experta sit, ita refert Damascius, vel qui eum excerpsit SVIDAS[z]: „contigisse quodam tempore, vt Cyrillus Christianorum episcopus, ante aedes Hypatiae transiens, maximam turbam hominum equorumque ante aedes Hypatiae conspiceret: quorum alii aduenirent, alii abirent; cumque scisciatus esset, quaenam ea esset multitudo, et quorsum tantus fieret tumultus, responsum accepisse: esse turbam salutantium Hypatiam, hasque aedes illius esse. Quibus auditis cum aegerrime id ferret Cyrillus ardens inuidia, caedem ei, instigata plebe, machinatum esse". Parum inesse huic narrationi verisimilitudinis, recte iudica-

z) loc. citat.

Digitized by Google

dicauit acutiſſimus FABRICIVS [a], nec inepte coniecit GVIL. CAVEVS [b], Damaſcium, quem in Chriſtianos furore exarſiſſe et contumeliis, Photius obſeruauit, ad conflandam Chriſtianis inuidiam maiorem, haec finxiſſe, vt cauſſam Platonicorum philoſophorum iuuaret. PHILOSTORGIVM [c] ſi audimus, cauſſa in zelum homouſianorum reiicienda eſt, qui Hypatiam ſuſtulit; ſed deſtituitur is teſtimoniis veterum, nec probari poteſt, iſtis Aegyptiarum eccleſiarum controuerſiis ſe immiſcuiſſe Hypatiam. Quae enim apud BALVZIVM [d] occurrit epiſtola, Neſtorianam controuerſiam tangens, et Hypatiae nomen in fronte gerens, ſuppoſita illi eſt, et νοθεία omnino, iudicibus accuratiſſimis viris, MENAGIO [e], TILLEMONTIO [f], FABRICIO [ff], ſuſpecta. Omnium itaque maxime veriſimilitudine ſe commendat SOCRATIS [g] narratio, referentis, Hypatiam, quoniam cum Oreſte crebrius colloqueretur, in ſuſpicionem apud plebem Chriſtianam incidiſſe, ac ſi per ipſam ſtaret, quo minus inter Cyrillum et Oreſtem amicitia reconciliaretur. Certe grauiſſimam in Hypatiam tempeſtatem excitaſſe inuidiam et ſuſpicionem hiſtorici fatentur omnes. Tanto igitur preſſa odio ab hominibus vindicta ardentibus, quorum dux erat Petrus quidam lector, conſpiratione facta obſeruatur, domum cum illa rediret. Qui e ſella detractam ad eccleſiam quae Caeſarea nuncupatur, rapiunt, et veſtibus exutam teſtis interimunt: cumque membranatim eam diſcerpſiſſent, membra in locum, quem Cinatonem vocabant, comportata incendio conſumſerunt. Grauiſſime tuliſſe hanc rem imperatorem, ſcribit Damaſcius, et certiſſime vlturum fuiſſe, niſi Aedeſius amicos imperatoris corrupiſſet. Non mediocre attuliſſe probrum lanienam hanc eccleſiae Alexandrinae eiusque praeſuli, facile credi poteſt SOCRATI, facinus Chriſtianis moribus doctrinaeque tantopere aduerſum improbanti. An vero Cyrillo illud adſcribendum ſit, isque indigniſſimae caedis inuidia cumulandus, de eo videas in diuerſam abire ſententiam viros doctos. Sunt, qui magna patriarchae huius veneratione ducti, ab omni culpa et ſuſpicione eum liberant, cauſſamque in plebem Alexandrinam, quae ad ſeditiones valde procliui fuit animo, reiiciunt [h]. Aſt qui epiſcopi animum impotentem ſui, et feruidum atque dominandi valde cupidum perſpexere [i], impetrare a ſe non poſſunt, vt ab innocentis feminae caede puras prorſus manus, ſaltem purum ſeruauiſſe animum Cyrillum credant. Et difficile eſt in hac re certi quid ſtatuere, fatemur tamen, communem famam, omniumque indignationem, quae non plebem tantum Chriſtianam, ſed et Cyrillum ob hoc facinus teſte SOCRATE preſſit, valde ſuſpectum facere praeſulem,

a) Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 220. not. n.
b) Hiſt. lit. ſcr. eccl. p. 251.
c) loc. cit.
d) T. I. Conc. p. 926.
e) loc. cit.
f) l. c. p. 606.
ff) l. c. not. k.
g) loc. cit.
h) CAVE l. c.
i) GOTH. ARNOLD. Hiſt. eccl. P. I. L. V. c. 3. p. 224. LA CROZE Chriſtianiſm. Ind. p. 37.

lem, quod insidias Hypatiae structas non ignorauerit, licet facile credamus, furorem illum et rabiem, qua in innocentis virginis corpus debacchati sunt, eum tum quidem, cum ista gererentur, ignorasse. Nam eiusmodi vehementiam in publicas seditiones et caedes tandem desinentem non alienam fuisse a Cyrilli animo, non negabunt, qui praesulis in seculi quinti historia sacra celeberrimi res sine auctoritatis et antiquitatis praeiudicio partisque studio didicerunt. Certe excusari nullo modo potest, caedem iniquissimam non tantum publica confessione non detestatum fuisse patriarcham, et, qui eius regimini suberat, Petrum lectorem non puniuisse, sed egisse etiam per amicos apud imperatorem, ne publica poena in auctorem sceleris animaduerteretur. Cumque non erubuerit, monachum in publica seditione caedeque praefecti attentato deprehensum et enecatum tanquam martyrem pro re Christiana obeuntem praedicare, facile inde suspicio enasci potest, nec commissum in Hypatiam facinus displicuisse Cyrillo, qui ita odii in Orestem concepti vim effundere quodammodo poterat. Facta haec sunt, vt supra diximus, imperante Theodosio iuniore, A. C. CDXV [k], ex quo tempore caedis huius supra inuictis rationibus ostendimus, errare eos, qui Hypatiam Isidoro nupsisse asserunt. Virginem itaque obiisse oportet, si hoc matrimonium inter fabulas referendum est. Scripsit etiam commentarios in Deophanti astronomicum canonem, et in conica Apollonii, aliaque de quibus videndi MENAGIVS et FABRICIVS [l].

§. XLIV. Enarrauimus hactenus totam illam auream catenam successionis Platonicae, ab Ammonio et Plotino vsque ad Damascium, in Syria, Graecia, et Aegypto florentem. Fuisse praeter hos, quos recensuimus, alios quoque ex hac schola prodeuntes, nemo temere dubitauerit, qui cogitat, Alexandrinae et Athenienſis scholae institutione eo tempore plerosque fuisse vsos, qui eruditionis fama excellere cupiebant. Suntque hodie inter veterum scripta, quae Platonismum recentiorem et reformatum manifeste sapiunt [m], licet profecta a viris, qui vitae professione philosophos non exprimebant. Inter hos Macrobium, Chalcidium, Ammianum Marcellinum, Dexippum, Themistium, Simplicium, Olympiodorum hisque similes referendos esse, scripta quae extant, satis loquuntur. Et de Dexippo quidem, Themistio, Olympiodoro et Simplicio sequenti sectione ob eximiam in Peripatetica philosophia peritiam dicemus; de Chalcidio, quem sacra Christiana secutum fuisse putamus, tomo sequenti; vbi etiam Aeneae Gazaei ex Hieroclis disciplina ad fidem Christianam transgressi mentio facienda. Macrobium, virum consularem et illustrem sacrique cubiculi praefectum, qui temporibus Honorii et Theo-

Alii huius sectae philosophi.

k) Annum 530. ponit VOSSIVS l. c. p. 311. sed error esse videtur literarum; aliter enim ipse c. XVI. §. 9. p. 59.

l) ll. cc.

m) Christianos ad hanc scholam se componentes edisseremus tomo tertio.

Digitized by Google

doſii iunioris floruit [m], inter Platonicos huius generis referendum eſſe, non dubitare nos ſinunt ſcripta eius, quae ad nos peruenerunt, Saturnalia nempe conuiuia, et imprimis commentarius in ſomnium Scipionis a Ciceronе deſcriptum [n]; ea nempe Platonicis hypotheſibus referta, ſatis produnt, e qua ſchola prodierint: et reformatam doctrinam Platonicam oculis ſubiiciunt. Quod vt exemplo probemus, in famoſiſſima iſta huius ſectae trinitate, primae hypoſtaſi abſolutam adſcribit omnipotentiam, quam tamen illius reſpectu reliquis, nempe τῷ νῷ καὶ τῇ ψυχῇ denegat [o]. Alio vero loco [p], tria illa numina Capitolina expliciturus, more huius ſectae ad phyſicam allegoriam confugit, et Mineruam ait eſſe ſummum aetheris cacumen, Iouem medium aethera, Iunonem infimum aërem cum terra, aſt his omnibus diuinam mentem et animum ineſſe. Et de rerum omnium mutatione ortu et interitu, conſtare, ait [q], nihil intra viuum mundum perire, ſed eorum, quae interire videntur, ſolam mutari ſpeciem. Alia, et praecipue de ſtatu animarum poſt mortem breuitatis cauſſa hic praeterimus. Ammianus Marcellinus homo quidem militaris, aſt literis eleganter excultus [r], hiſtoriam nobis reliquit eorum temporum, quibus ſecta haec maximas paſſa eſt mutationes, veritatis et iudicii laude magis, quam dictionis vrbanitate, commendabilem [s]. Qui licet ſe philoſophum nusquam dicat, luculenter tamen prodidit, ſe in horum philoſophorum ſcholis fuiſſe educatum. Quod vt paucis probemus, ecce Alexandrinam potiſſimum, ex qua ipſe prodiit, ſchola, laudibus maximis proſequitur, et inter eius refert encomia [t], *quod inde intelligendi diuinationem multiplicem, et praeſenſionum originem, per mundum omnem circumlatam eſſe fatendum ſit; quodque hoc loco primum homines longe ante alios ad varia religionum incunabula peruenerint, et initia prima ſacrorum caute tueantur condita ſacris arcanis. Hoc*, addit, *inſtitutum prudentia Pythagoram colentem ſecretius Deos, quicquid dixerit, aut voluerit, auctoritatem eſſe, inſtituiſſe, ratam, et femur ſuum aureum apud Olympiam ſaepe monſtraſſe, et cum aquila colloquentem ſaepe viſum eſſe.* Eadem fere ratione Platonem extollit [u], aliosque huius ſectae homines inter ſumma philoſophici orbis ornamenta connumerat. Hinc Apollonium Tyaneum commendat [x], et Ammonium Saccam [y], Maximumque Epheſium [z], ipſumque Iulianum [a] imperatorem. Sed doctrinas quoque huius ſectae non attingit modo, ſed et probat, et ſingulare eclecticorum horum philoſophorum ſtudium futura praenoſcen-

m) Cod. Theodoſ. L. VI. t. 8.
n) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 610.
o) Somn. Scip. L. I. c. 17.
p) Saturnal. L. III. c. 4.
q) Somn. Scip. L. II. c. 12.
r) Vitam eius enarrauit CLAVDIVS CHIFLETIVS.
s) Vid. VALESIVS ad Ammian. FABRIC. l. c. p. 612. quique de hiſtoricis Romanis ſcripſerunt.
t) L. XXII. 16. Eadem chorda oberrat Geographus vetus a DION. GODOFREDO editus, quem hac quoque philoſophia, quam tantopere laudat, tinctum fuiſſe veriſimile eſt.
u) L. XXII. 16. XXIII. 6. XXX. 4.
x) L. XXII. 14. XXIII. 16.
y) L. XXII. 16.
z) L. XXII. 7. XXV. 3. XXIX. 4. vid. ſupra in Max.
a) Vid. ſupra in Iuliano.

Digitized by Google

noſcendi, ita defendit, *vt et elementorum omnium ſpiritum, vtpote perennium corporum, praeſentienti motu ſemper et vbique vigentem, ex his, quae per diſciplinas varias affectamus, participare nobiſcum munera diuinandi aſſerat, et ſubſtantiales poteſtates* [b] *ritu diuerſo placatas, velut ex perpetuis fontium venis vaticinia mortali ſuppeditare verba*, dicat, *quibus numen Themidos praeſit, eo quod fixa fatali lege decreta praeſcire fas ſit in poſterum, etc. Solem, mentem mundi noſtras mentes ex ſeſe velut ſcintillas diffunditantem, quum eas incenderit vehementius, futuri conſcias reddere.* Sed et reliqua legenda ſunt, quae genuinam Alexandrinae ſcholae ſententiam de vaticiniorum rationibus explicant. Addi poſſent alia, laudata Chaldaeorum et Brachmanum theologia [c], tanquam fontes ſapientiae, adducta veriſſimorum euentuum teſtimonio comprobata oracula [d], et his ſimilia, niſi haec ſufficerent, vt ab horum philoſophorum decretis non abhorruiſſe Ammianum demonſtrarent. Dubium vero non eſt, fuiſſe huius generis plures [e], quos tamen, cum obſcurioris famae ſint, praetermittimus. Modeſtior tamen his viris eruditis inſedit philoſophiae huius amor, quam philoſophis eam profitentibus; hi enim cum magno Chriſtianae religionis odio flagrarent, illi vel plane de ea ſiluere, vel ſatis moderate et fauenti iudicio de ea pronunciauere, rati, eam quoque inter religiones mundi varias pertinere, quibus rite Deus colitur, eamque in vniuerſale huius philoſophiae receptaculum poſſe quoque admitti; vnde de ea quoque ſobrie locuti ſunt. Nec aliunde putamus ortas eſſe diſceptationes virorum doctorum, an Macrobius [f], Themiſtius [g], Ammianus Marcellinus [h] Chriſtianam fidem fuerint amplexi nec ne, quam quod ad hunc ſyncretiſmum ſectae, et religionem prudentum ab his viris aulae magis, quam ſcholae inſeruientibus, et ſummis imperantibus placere cupientibus non attenderint [i]. Idem vtrum de Chalcidio ſentiendum ſit, alio loco diſputabimus. Addit horum hominum gregi Symmachum [k] Ven. MOSHEMIVS [l].

§. XLV. Expoſita ſectae eclecticae, quam Platonicam reformatam vel Alexandrinam quoque appellauimus, hiſtoria, iam philoſophia quoque eius delineanda eſt, et in quae potiſſimum placita conſenſerit, quaque ratione de rebus diuinis et humanis ſtatuendum eſſe putauerit, explicandum. *Obſeruationes generales de philoſophia ſectae eclecticae.*

b) Conf. CVDWORTH. ſyſt. int. p. 632. et MOSHEM. h. l.

c) L. XXIII. 6.

d) L. XXI. 14. XXIII. 5. XXXI. 2.

e) Pertinet huc Theophraſtus Athenienſis, quem loquentem inducit AENEAS GAZAEVS.

f) Chriſtianis annumerat HARTHIVS aduerſ. p. 2858. dubii haerent GROTIVS ad Matth. II. 16. et HVETIVS demonſtr. eu. Prop. IX. c. 15. p. 478. gentilibus aggregant SPANHEM. Dub. eu. T. I. p. 533. FABRIC. l. c.

g) Vid. Amoenit. lit. Cl. SCHELHORNII P. III. p. 247.

h) Pro Chriſtiano habuere P. PITHOEVS et Cl. CHIFFLETIVS in vita Amm. conf. VALES. praef. BAYLE Dict. T. III. art. Marcellin. not. B. p. 313. gentilem poſt alios dixere BAYLE et FABRIC. l. c. p. 613.

i) Egregie hac de re diſſerit Ven. MOSHEMIVS de turbata per recentiores Plat. eccleſia §. 30. p. 168.

k) Memorabilem eius ſententiam vide L. X. ep. 61.

l) l. c. §. 32. p. 168.

Digitized by Google

Id quod eo accuratiori ſtudio et attentione faciendum, quo plura eius rei momenta ſunt, non ſolum in philoſophiae huius temporis, verum etiam in ciuitatis Chriſtianae hiſtoria, et quo pauciores ſunt, qui claram ei lucem accendere ſunt aggreſſi. Quod ante b. GOTTFR. OLEARIVM [m] nemo ex inſtituto ſuſcepit [n], eius vero veſtigia non ſolum diligenter preſſit, ſed et multis paraſangis ſuperauit vir magnus, IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS [o], qui primus fere natiuam huius philoſophiae indolem, influxumque, quem in Chriſtianam eccleſiam, magno huius damno, nacta eſt, fuſe delineauit, quemque hic conſulendum omnino illis commendamus, qui de argumento grauiſſimo maximique momenti in hiſtoria etiam ſacra curatius cupiunt erudiri. Nos inſtituti noſtri memores, diligenter quidem attendemus ad obſeruationes virorum doctiſſimorum, receptam tamen ingreſſi viam ipſam ſectae huius hiſtoriam attente conſiderabimus, exque ea potiſſimum obſeruationes quasdam generales de ſecta eclectica, vel philoſophia potius Alexandrina condemus, ea hic vno faſce comprehenſuri, quae in antecedentibus vel paſſim tantum interſperſimus, vel dicendi occaſionem nondum habuimus.

I. Indolem accepit a patria Aegypto, vbi exſtitit, et in qua ſyncretiſmus religionum diu iam regnauerat.

Et I. quidem ad patriam huius philoſophiae nataleque ſolum, quod inuenuſtum hunc Veneris pullum excluſit, reſpiciendum eſſe, monemus. Eam vero Aegyptum fuiſſe, et imprimis Alexandriam, ex hactenus dictis liquet, et vel vna Potamonis et Ammonii patria ſatis demonſtrat. Qualis vero paulo ante C. N. philoſophiae conditio in Aegypto fuerit, id accurate, niſi fallimur, veterumque nixi teſtimoniis in *tomi primi* epilogo demonſtrauimus. Aſt id probe tenendum relegendumque, cum ſine eo vera huius philoſophiae indoles non queat vel intelligi, vel ſatis expendi. Paucis itaque quod ad praeſentem rem ſatis eſt, obſeruamus, Aegypti incolas, maxime vero Alexandrinos non tantum gentem fuiſſe, ſuperſtitioni, religionibus et cultibus ſacris longe deuotiſſimam, ſed et ad recipienda ea dogmata, quae Deorum ſacra augere et elegantiorem reddere eorum cultum videbantur, proniſſimam. Luculentis id veterum teſtimoniis ſuo loco probauimus, ea quoque, quae *tomi primi libro primo* de philoſophia et theologia veterum Aegyptiorum diximus, rem clare euincunt. Addimus tamen AMMIANI MARCELLINI [p] teſtimonium, inter laudes Aegyptiorum referentis, *quod diuinationum et praeſenſionum origo per mundum omnem ab Aegypto circumlata ſit, hicque primum homines, longe ante alios ad varia religionum incunabula pernenerint, et initia prima ſacrorum caute tueantur condita ſacris arcanis.* Tales cum fuerint

m) Cuius extant doctiſſimae diſſertationes de philoſophia et ſecta eclectica, adiectae STANLEII Hiſtoriae philoſophicae p. 1205.

n) Paſſim quidem tetigere hoc argumentum viri docti, e. g. HOLSTENIVS in vita Porphyrii, BALTVS de Platoniſmo PP. HVETIVS de la foibl. de l'eſprit humain L. II. c. 10. p. 217. Pauca vero dixere, nec ſufficientia.

o) In diſſ. ſaepe laudata de turbata per recentiores Platonicos eccleſia, quae in ſyſt. int. CVDWORTHI et in Vol. diſſ. H. E. p. 91. ſeqq. legitur.

p) L. XXII. c. 16.

Digitized by Google

fuerint Aegyptii, Alexandriae vero habitarent ex omnium fere terrarum gentibus collectae coloniae, exortus est syncretismus religionum, quo in concordiam redacta sunt religionum variarum genera diuersissima maleque inter se cohaerentia, et patriae theologiae noua inde induta facies, allaborante in id Aegyptiorum prophetarum calliditate, ne a Graecis aliisque gentibus sapientia superari viderentur, de cuius principatu a canis temporibus cum aliis nationibus contenderant. Cuius felicissimum instrumentum fuit allegorica et hieroglyphica methodus, qua licebat exsculpere quicquid libebat, quaque in formas omnes doctrina Protei instar conuersa est. Hisce circumstantiis praebenti se Aegypto superuenit philosophia Pythagorica, quae cum Platonicam tanquam filiam in societatem recepisset, vehementer se Aegyptiis commendauit, non eo tantum nomine, quod victi in victoris mores et placita transire cogebantur, sed ea potissimum ratione, quod ex Aegypto vtraque erat hausta, quodque melius et sublimius, quam ceterae Graecorum sectae, de diuinis philosophari videretur. Nec ab alia forte caussa magna, quae haec secta in Aegypto habuit, incrementa deriuanda esse, luculentis suo loco rationibus confecimus. Quae philosophia cum Aegyptiis dogmatibus esset attemperata, nouam prorsus, praesertim in theologia, doctrinaque de Deo, de spiritibus et geniis, de anima, deque cultus diuini modo et indole accepit faciem, henoticam quidem et conciliandis inter se religionibus aptam, sed a Platonicae philosophiae sensu vero et genuino plurimum deuiantem. Quibus cum accessisset noua augendi insanam philosophandi rationem occasio, philosophis Alexandrinis sub Ptolomaeo Physcone in Asiam dispersis tandemque redeuntibus, et cum interim in Asia scholas habuissent, ac orientalem philosophiam, reliquiasque nugarum Zoroastrianarum didicissent, mirum theologiae et philosophiae chaos tandem adhuc ante nati Saluatoris tempora exortum est, quod religionum aliquod Πανδοχεῖον philosophicis rationibus ornatum et Pythagorico-Platonica veste indutum recte appellaueris. Quod sidus pestilentissimum tantopere populos in Aegypto, maxime Alexandriae habitantes afflauit, vt certatim in hunc religionum cum philosophia Pythagorico-Platonica corrupta et alienis dogmatibus placitisque referta syncretismum, et, quae huc adhibita est, doctrinarum allegoricam explicationem ruerint, vt nec ipsa Iudaeorum natio, tanto odio a gentilium placitis alias abhorrens, manserit ab eo immunis, sed eandem rabiem prosecuta patriam religionem noua philosophia adulterauerit, vt suo loco tradetur. Non errant itaque, qui Alexandrinae philosophiae origines ante natum Christum, adeoque diu ante Ammonii tempora quaerunt [q], quamquam perperam eas a Potamone,

q) MOSHEM. l. c. p. 93. OLEAR l. c. Placuisse eiusmodi eclecticam philosophiam etiam Christianis Aegyptiis, suo loco tradetur. Vid. interim CLEM. ALEX. Strom. L. I. c. 7. p. 288. et LACTANTIVS L. VII. c. 7. Alia testimonia tomo tertio, vbi de philosophia PP. agendum, afferemus.

mone, deriuant. Non legiſſe oportet vel Philonem vel Porphyrium, et Iamblichum de Aegyptiaca philoſophia et myſteriis quaerentes et differentes, nec attendiſſe ad ſyncretiſmum theologicum et philoſophicum late iam ſeculo primo regnantem, qui haec negauerit.

II. Occaſio huius ſyncretiſmi ad philoſophiam translati diſſenſiones Phil. Alex.

II. Translata eſt haec de ſacris et diuinis philoſophandi ratio, etiam ad philoſophiam naturalem et moralem occaſione diſſenſionum et rixarum innumerarum, quas philoſophi Alexandrini inter ſe alebant. Cum enim non Platonici tantum, ſed et Stoici, et Peripatetici in hac vrbe valerent, immo et Pyrrhonii, quamuis odioſa eſſent plerisque Graecorum, qui θεοσεβέστεροι καὶ δεισιδαιμονέστεροι videri cupiebant, nomina, caput extollerent[r], infinita inde inter philoſophos exorta eſt diſcordia. Quae cum maxime ſeculo ſecundo poſt ſalutem mundo reſtitutam inſanum in modum eſſet aucta, non potuit non ea diſplicere ſcholae Platonicorum, quae conciliandis magis, quam inter ſe diſſociandis opinionibus ſtudebat. Medicinam itaque afferendam ratus Potamo, philoſophus eclecticus, de conciliandis inter ſe Pythagorae, Platonis, Ariſtotelis et Zenonis placitis, vt ſupra diximus, cogitauit, et reſectis diſputationibus curioſis, in eandem doctrinam ire ea iuſſit, quod ex vno fonte dimanaſſe, et re ipſa inter ſe non differre, dudum, etiam in Graecia, fuerat creditum, et paria fere ante non multa tempora in Graecia conatus erat Antiochus Aſcalonites. Non videtur tamen Polemo ad diuiniores diſciplinas hanc concordiam tranſtuliſſe, et eclecticam hanc philoſophiam tantum intra naturalis et moralis doctrinae terminos concluſiſſe, vt eodem loco monuimus. Cum vero iſtae Philoſophorum contentiones nec a Potamone tollerentur, nec ſine magno ſuperſtitionis gentilis damno poſſent ferri, cum Chriſtiani doctores hoc potiſſimum telo gentilium philoſophorum iugulum peterent, vt ex apologiis veterum Chriſtianae reipublicae doctorum et imprimis ex Hermiae *irriſione gentilium*[s] luculenter diſci poteſt, aliter rem aggrediendam eſſe ratus eſt Ammonius Saccas, a Chriſtianis quidem ad gentilium ſacra publica neſcio qua animi leuitate transgreſſus, ſed non iſta tamen apoſtaſia omnem doctrinam Chriſtianam eiurans. Is enim gentis ſuae moribus et conſuetudine et eclectico, quod Chriſtianos doctores commendare audiuerat, ſtudio inſiſtendum ratus, de tollendis philoſophorum diſſidiis, et reuocanda philoſophorum concordia, ſimul autem de concilianda cum horum placitis et auita religione Chriſtianorum doctrina cogitauit, nouumque doctrinae genus commentus eſt, in quam omnes, quotquot inter ſe diſſidebant, reſectis curioſis et inutilibus, conſentire concordiamque inire poſſent. Ad quod conſilium diuinitus ſe excitatum fuiſſe, iactauit ſine dubio, fidem eius rei faciente ſumma, quam haec philoſophia conſecuta eſt, auctoritate.

Quae,

r) Videnda quae T. I. L II. c. vlt. diximus.

s) Obiter hic notamus, non tangere Hermiam Platonicam Alexandrinorum ſyncretiſtarum ſectam, licet Pythagoream memoret, non omiſſurus, ſi quidem ſuo tempore ſectae peculiaris nomine iam floruiſſet.

Digitized by Google

Quae, vt ediſſeruimus, ita ſe habere, luculento teſtimonio probat HIEROCLES, cuius ex libro *de prouidentia* fragmentum, ad quod ſupra iam prouocauimus, nobis ſeruauit PHOTIVS [t]. Ait is: *ingentem eorum numerum fuiſſe, qui Platonem et Ariſtotelem inter ſe diſſentire dicerent, aut ſua ſponte contendendi ſtudio et veſaniae addictos, aut praeoccupata opinione atque imperitia ſubactos: donec aliquando tandem Ammonii philoſophia mundo illuxerit, hominis diuinitus edocti. Hunc enim veterum philoſophorum opinionibus perpurgatis, et reſectis, quae vtrinque excreuerant, nugis, in praecipuis quibusque et maxime neceſſariis dogmatibus demonſtraſſe, concordem eſſe Platonis et Ariſtotelis ſententiam.* Duplici itaque facie Ammonius, quique eius caſtra ſecuti ſunt, philoſophi conſiderandi nobis ſunt, prout erga philoſophiam fuere affecti, et prout erga religionem Chriſtianam ſe geſſerunt. In vtroque vero ad diuinioris doctrinae capita, de Deo, de diuinis, de geniis, de anima mundi, de ſacrificiis, de mali origine, de ſtatu animae poſt mortem, et ſimilibus potiſſimum reſpexiſſe, totum philoſophiae huius ſyſtema clamat. Quibus in dogmatibus vbi ſe conſpirare, demonſtrari poſſe ſperabant, credebant fore, vt vel Chriſtianis affinia magis dicere, vel eos ſubtilius ac felicius refellere poſſe viderentur, oſtendendo, male ſibi a Chriſtianis obiici, quae ab illis non ſatis intelligerentur, quaeque recte explicita ſanctam et recipiendam vbique doctrinam ſpirarent. Quod qua ratione factum ſit poſtea ediſſeremus, poſtquam philoſophiae nouam reformationem, reſpectu ad philoſophos ceteros habito contemplati fuerimus.

III. Eligebat nempe Ammonius, quam ſine dubio adhuc Chriſtianis legibus parens didicerat, philoſophiam Platonicam, in ſe, iam ad enthuſiaſmum pronam, vt ſuo loco euidenter demonſtratum, ſed ſyncretiſmo religionibus iam patriis et peregrinis dudum adaptatam et a priſtina facie, quam a primo genitore acceperat, valde deformatam, et cum Pythagoricis coniunctam. Hoc vel vnus, qui allatus eſt, Hieroclis locus euidenter probat, et Longinus quoque apud PORPHYRIVM [u] teſtatur, Ammonium inter praeſtantiores Platonicos connumerans. Vnde et Platonem pro ſectae ſuae conditore habebat ſchola haec Ammonii, et Platonicam ſe dici cupiebat, vt luculento ZACHARIAE MITYLENAEI [v] loco, aliisque horum hominum effatis demonſtrari poteſt [x]. Et hinc ratio appellandi iis haeſit, vt communi Platonicorum recentiorum nomine vocarentur, quos reformatos vel Alexandrinos nos dicere diſtinctionis cauſſa a reliquis, quos *ſectione tertia* conſiderauimus, Plato-

III. Philoſophia Pythagorico-Platonica loco fundamenti electa.

t) Cod. CCXIV. p. 283. CCLI. p. 750.
u) In vita Plotini c. 20. p. 128.
v) De opificio mundi p. 189.
x) Vid. quae affert MOSHEM. l. c. §. 10. p. 109. Addi his poteſt EVNAPIVS p. 13. p. 77. p. 188. MARINVS vita Procli c. 10. p. 22. qui locus luculentus eſt. Alia in re nota praeterimus.

Digitized by Google

Platonicis, maluimus. Hos ſuae ſapientiae conditores, Pythagoram et Platonem ſolos ad illud diuinae cognitionis culmen inter Graecos conſcendiſſe, eumque in itineribus ad barbaras gentes ſuſceptis acquiſiuiſſe eruditionis theologicae theſaurum, quem Zoroaſter, Hermes, Orpheus et huius furfuris alii collegiſſent, iactabant y. Hinc cum ipſos antiquiſſimae philoſophiae fontes, quod diſerte tradit IAMBLICHVS z, inſpexiſſe dicerent, ſcholae ſuae antiquam gloriam affectantes Platonicorum nomen ſeruarunt, confirmati in eo non tantum ſumma, quam in Aegypto Plato obtinuerat, auctoritate, ſed commendationibus etiam doctorum Chriſtianorum, qui propius veritatibus diuinis ab Hebraeis furto ablatis accedere Platonem putabant, quosque adeo reiicere hanc nouam philoſophiam eo minus poſſe credebant, quod Platonici eſſent, cum rectius Henotici vel Syncretiſtae dici meruiſſent, et tota eius ſyſtematis ratio longiſſime a veris Platonis dogmatibus recederet.

IV. Sed cum Ariſtotelica conciliata.

IV. Quamuis vero Platonem, quemque tanquam eius praeceptorem venerabantur, Pythagoram pro duce eligerent, non infimo tamen loco habendus erat Ariſtoteles, magna iam exiſtimatione Alexandriae a Ptolomaei Philadelphi tempore, Demetrii Phalerei opera, gauiſus. Is itaque vt cum Platone in concordiam redigeretur, reſecanda multa, et, tanquam aliena et vtrique philoſopho ex contendendi ſtudio afficta, reiicienda: relinquendus porro Ariſtoteli honos, quod dialecticam elegantius inſtruxiſſet, aſt vindicanda Platoni philoſophia naturalis et ſupernaturalis; quo in capite cum in primariis dogmatibus valde inter ſe diſſentirent Plato et Ariſtoteles, mirae excogitandae erant nugae, et *ἐυρήμαϰα*, quibus licet valde diſtorqueretur vtriusque philoſophi opinio, attamen coire in vnum et conſpirare cogebatur. Vix opus habere haec prolixa demonſtratione putamus, cum allatus Hieroclis locus clariſſime id profiteatur a. Nec aliud patitur ſtudium, quod Platonici in Peripatetica philoſophia poſuerunt, qui in dialecticis quidem Ariſtotelem preſtius ſecuti ſunt, vt Porphyrii, Ammonii, Plutarchi, Olympiodori, Themiſtii, Procli, Simplicii aliorumque exemplis liquet: in phyſiologia autem eum cum Platone mira ſententiarum et doctrinarum cataſtrophe conciliarunt, monſtris hypotheſium excogitatis, quibus tanquam machinis diſcordiam inter vtrumque euerterent. Cuius exempla licet pluſcula ſe offerunt, vnum tamen de aeterna mundi generatione mentali in Deo dogma luculentum nobis ſpecimen praebet, quo Plato, mundum genitum eſſe dicens, cum Ariſtotele, aeternitatis mundi patrono, in concordiam conſpirare coactus eſt, licet vtriusque mens et opinio peſſime peruerteretur. Reliquorum philoſophorum concordia facilius poterat ſperari,

y) IAMBLICHVS de myſt. Aegypt. Sect. I. c. 2. p. 3. PORPHYR. vit. Plot. c. 16. p. 118. MARINVS l. c. c. 26. p. 60. ſeqq.

z) loc. citat.

a) Conf. PORPHYR. l. c. p. 128.

Digitized by Google

rari, quotquot nempe Platonicis et Aristotelicis apte iungi posse crederent. Id enim potissimum Stoicos tangebat, dudum πυθαγορίζειν καὶ πλατωνίζειν visos: qui cum moralem philosophiam maxime excoluissent, quo in loco ieiunum sterilemque Aristotelem esse videbant, Zenonem Platonicam linguam docuerunt enuntiare, et sensus Platonicos fundere, id quod SIMPLICII *commentarium in Epicteti enchiridion* consulenti erit euidentissimum. Scepticorum cum nulla ratio habenda esset, et Cynici aperte huius sectae doctrinae morali inhaererent, vt infra probabimus [b], soli restabant Epicurei, quibuscum pacem iniisse Alexandrinos philosophos nullibi legimus, et facile credi potest, si paulo consideratius ad Epicuream physiologiam attendimus. Ea enim relictis in intermundiis Diis, de hominibus plane non sollicitis, cuncta atomis earumque motui permittebat, nec vllam cum Diis conuersationem vel cultum, praeter eum, qui beatitati eorum exhiberetur, admittebat, quod non poterat non prorsus euertere systema horum hominum, qui in hac Deorum συνουσίᾳ, et operibus inde prognatis, inque enthusiasmo et deificatione (sit verbo venia) animae summum philosophiae cardinem versari credebant. Haec ridebant quidem Epicurei, et hos philosophos Pythagoricos, tanquam impostores traducebant, vt LVCIANI [c] exemplo patet, ast ab illis quoque tanquam athei reiiciebantur, et vbiuis locorum adeo supprimebantur, vt exorta hac secta exoleuerit fere tota secta Epicurea. Ex quo syncretistico huius sectae studio rerum peritus facile intelliget, quam male consultum fuerit ab his hominibus philosophiae, quae in discordiam et dissidia distracta, tantum abest, vt coaluerit, vt potius noua inde acceperit vulnera, miserequc vitiata et monstris opinionum corrupta fuerit. Fuisse huius generis philosophos ex hac secta plerosque cum in earum historia demonstratum sit, nihil his addendum, nisi vt lectorem ipsa eorum de rebus philosophicis commentaria inspicere iubeamus, certi, paucarum paginarum lectione, modo sine praeiudicio accesserit, fore de ea re plane conuictum.

Et cum relicti quis sectis.

V. Platonicae vero philosophiae dum dedita videri volebat gens superstitiosa, finis quoque eius non ponendus tantum, sed et obtinendus a philosophis dicendus erat. Nempe Platonem intuitionem intelligibilium et postea ipsius primi intelligibilis, summi nempe Dei, pro vltimo fine philosophiae et apice omnis felicitatis posuisse, ex iis quae *tomo primo* de Platonis philosophia fuse differuimus, exque libris *de republica* abunde notum est. Hoc potissimum cum diuini appellationem honorificam prorsus et philosopho dignam comparauisset Platoni, reformatae quoque eius sectae eo magis arridebat, quo magis illa ex antiquissimorum philosophorum fragmentis diuiniorem hanc philosophiae partem se didicisse iactabat. Hinc diuina haec cognitio et intuitio pro summo fine et perfectis-

V. Enthusiasmus finis huius philosophiae.

b) Conf. EVNAP. l. c. p. 6.

c) In Pseudomante.

Digitized by Google

fectiſſima felicitate poſita, totusque diſciplinarum philoſophicarum orbis ei inſeruire iuſſus [d], ipſum autem ſyſtema phyſiologicum ita efformatum, vt tandem non ad Dei tantum intuitionem formalem eſſentialemque, ſed ad ipſam quodammodo deificationem duceret. Quod vt facilius fieret, relicto, quod Plato aſſumſerat, ſyſtemate dualiſtico, emanatiuum ab iis ex philoſophia Orientali reuocatum et admiſſum, et per varios emanationum fontes, gradus, naturas, modos, claſſes, totus rerum et viſibilium et inuiſibilium orbis, maxime vero infinita naturarum ſpiritualium et intelligibilium ſeries deducta eſt. Cui cum animus hominis totus ſtatueretur concatenatus, ordo demonſtrandus erat, quo per varios gradus, purgationes, aſcenſusque, liberatus a caducarum et corporearum rerum mole animus ad primum ſuum fontem aſcendere, et tum eius contemplatione, non ideali, ſed intuitiua, indeque orta coniunctione cum Deo, tum conſortio et connexione cum minoribus Diis, iisque ſpiritibus, e quorum numero mens eſſe dicebatur, frui poſſet. Id quod recte Platonicis reformatis tribui, delineatio eorum ſyſtematis poſtea comprobabit. Nos heic loci hoc vnum addimus, virtutes non theoreticas tantum, vt viſum Platoni, ſed theurgicas quoque et humanae ſortis conditionem plane exſuperantes fuiſſe requiſitas, vt nempe diuina agitatione, furoreque aliquo coeleſti excitatus ſibique quaſi ereptus animus, ad extraordinariam cum Diis conuerſationem et commercium aſcenderet, tandemque ad ipſam ecſtaſin, viſionemque per eam DEI eſſentialem pertingeret. Quod non intendere tantum ſapientiam ſuam dicebant, ſed obtinuiſſe quoque viros principes ſuae ſectae, Pythagoram, Platonem, Apollonium, immo ſuae quoque aetatis homines Plotinum, Porphyrium, Iamblichum, Soſipatram, Iulianum, Proclum, Iſidorum gloriabantur. Quod ne operoſe hic probemus, enarratae nobis eorum hominum vitae otium faciunt, in quibus diligenter ad primarium hunc philoſophiae huius characterem reſpeximus, in plerisque eorum vitis τὸν θειασμὸν καὶ ἐνθουσιασμὸν, quem affectabant, notantes. Qua de re cum ſupra dictis PORPHYRII vita Plotini, EVNAPII vitae Sophiſtarum, MARINI vita Procli, DAMASCII vita Iſidori tanquam indubitata huius ſectae monumenta conferenda ſunt, quae tantopere de hac re loquuntur omnibus fere paginis, vt vel mediocri attentione praedito pateat, eiusmodi enthuſiaſmum finem, ſcopum, ſummamque omnis felicitatis, hanc philoſophiam poſuiſſe.

VI. Totaphiloſophia enthuſiaſmo ſuperſtructa. Platonicum ſyſtema adulteratum.

VI. Ita admiſſo omnis emanationis fundamento et fine, nempe primo ſyſtematis emanatiui principio, quod, quae ex primo rerum omnium fonte effluxere, in eum tandem per varios ordines, gradus et purgationes reducit, totum quoque ſyſtema Platonicum adulterandum, et mutandum, adiiciendumque, et ex aliis ſyſtematibus inferendum erat, quod apte magis cohae-

d) Legendus PLOTINVS Enn. VI. L. VI. c. 9. 10.

Digitized by Google

cohaerens exſtruebat doctrinae aedificium, quo factum eſt, vt tota fere facie a Platonis imagine deficeret. Aliter enim fieri non poterat, ſi ad hunc finem omnia debebant collineare. Vt itaque ſyſtema enthuſiaſticum ſuo numero perfectum conſtrueretur, materia quoque, quam Plato Deo ex diametro oppoſuerat, ſua quaſi dignitate principii alicuius abſoluti, qua apud Platonem pollebat, priuanda, et praeeunte Aſiatica philoſophia ad vnicum iſtum fontem reducenda, exque Deo fluxiſſe, ſiue ex gremio eius emanaſſe dicenda erat, vt poſtea probabimus. In diuinis autem noua fontium ſpiritualium trinitas excogitanda, vel ex variis potius emanantium principiorum, quae orientalis philoſophia iactabat, colligenda et contrahenda erat, ad quam illa principiorum ternio, quam in phyſiologia ſua ſuppoſuit Plato, tanquam ad archetypum, fontemque primoprimum ſe haberet. Inde enatus mundus idealis, et anima mundi ὑπερκόσμιος, totaque illa mataeologia de qua prolixe, ſaepe ſine ſenſu et lumine, garriunt. Sed et animus ex illo fonte deriuandus, aliter quam Plato praeceperat, qui ex anima mundi decerptum dixerat, quod ne obſtaret, vox quidem relinquenda, ſed excogitanda metaphyſica quaedam anima mundi ſupramundana, qui fons eſſet vere diuinus animorum. Qua diuina origine animi poſita ſequebatur, quo magis a primi fontis natura res diſtarent, eo deterioris eſſe conditionis, hinc materialitas ab eſſentialitate, vt ait IAMBLICHVS [e], diuiſa cauſſa mali, facta, corpusque, et, quae illud comitantur, affectiones et paſſiones vt poena hominis carcerque, ei tributae, a quarum conſortio et motibus liberandus et eripiendus animus, et variis virtutum gradibus et claſſibus ita praeparandus dicebatur, vt ex his vinculis tandem ereptus ad intelligibilium contemplationem aſcendere Deumque ipſum intueri poſſet. Qua de re infra plura dicemus. Tantopere vero hunc ſibi enthuſiaſmum cordi haec ſecta habuit, vt quod Plato poſt hanc demum vitam fieri poſſe ſtatuebat, viuis adhuc philoſophis obtingere poſſe hi pſeudo-Platonici contenderent, immo anteſignanis in ſua ſchola obtigiſſe gloriarentur, vt ſupra exemplis probatum: qua de re prolixe nugatur PLOTINVS [f], cui tantopere hic enthuſiaſmus deamatus fuit, vt vix verba inueniret, quibus intimam iſtam coniunctionem et intuitiuam felicitatem depingeret, quem eo potiſſimum loco legendum commendamus, vt quam craſſus enthuſiaſmus his hominibus placuerit, recte intelligatur. Quin ne materia quidem extra Deum relinquenda erat, cui maleficam et contrariam bono naturam Plato tribuerat, ſed ea quoque iſtius enthuſiaſmi particeps dicenda. Ait enim IAMBLICHVS [ff]: *ipſam quoque materiam, cum ab ipſo opifice patreque omnium facta ſit, merito perfectionem ſui quandam accepiſſe cenſendam eſſe, aptam ad Deos ſuſcipiendos: nihil enim eſſe, quod prohibeat ſuperiora diffundere lumen ſuum ad inferiora, et materiam non expertem facere quicquam*

e) De myſter. Aegypt. S. VIII. c. 3. p. 159.
f) l. c. Enn. IV. L. 3. PROCLVS in Theol. Plat. L. I. c. 24.
ff) l. c. S. V. c. 23. p. 138.

quam ſuperiorum participationis. Quae vt a genuina Platonis mente longiſſime recedunt, ita Alexandrinos Platonicos multo magis quam Platonem, in afferendo enthuſiaſmo inſaniuiſſe, produnt. Quod tamen ne mox incurrat in oculos non initiatorum, flectebatur interdum ad receptam de ſede beatarum animarum poſt mortem doctrinam, et animis tantum in choro coeleſtium locus aſſignabatur, vt ex carmine in Plotini manes diſci poteſt [g]. Aſt haec ἐξωτερικῶς tantum dicebantur, et reuera hunc ſenſum habebant, reuerti animum in fontem ſuum. Quod praeter morem ſuum clariſſime explicat PLOTINVS [h], monens, *animam non centrum tantum ſuum, ſed et centrum aliquod centrorum omnium quaerere, in quod omnia quaſi centra concurrunt, ſemperque reuolui circa idem, non tamen aſſidue aſpicere ipſum, et tamen ei adhaerere; non tamen in ipſum ſemper conuerti, ſed quando in eum prorſus inſpiciat, illique tunc demum finis optatus requiesque contingat, agens diuinum circa illum chorum, in quo inſpicit fontem vitae, fontem mentis, entis ipſius principium, boni cauſſam, radicem animae, quae non ita ex Deo effluant, vt eum comminuant.* Huic fini ſubordinata tota moles mediorum enthuſiaſticorum, quam haec ſchola tam operoſe commendauit, quaeque tota eo tendit, vt ita homines in diuinam naturam commutarentur. Qua de re infra plura dabimus, haec enim ſufficiunt, vt demonſtretur, enthuſiaſmum, a Platonicis Alexandrinis pro ſummo philoſophiae fine, electum coëgiſſe infauſtum philoſophorum genus, vt multoties a Platone deficerent, eumque temere adulterarent.

VII. Cauſſae electi enthuſiaſmi.

VII. Incidiſſe Alexandrinam hanc Platonicorum ſcholam in enthuſiaſmum, et ad eiusmodi deliramenta fuiſſe delata, quorum abſurditatem et falſitatem mens ſobria, et iudicare acuteque cernere apta ſine negotio detegit, mirandum non eſt. Ita enim et patriae genus, et educatio, et exempla, et circumſtantiae externae et internae ferme omnes poſtulabant. Originem haec ſchola cepit ab Aegyptiis, quorum ingenia ad ſuperſtitionem et qui plerumque eam comitatur, enthuſiaſmum fuere promptiſſima, et natura prorſus procliui: vnde cum in Deorum cultu prorſus inſanirent, ad eam potiſſimum felicitatem adſpirabant, vt commercio cum Diis fruerentur. Qua de re, cum AMMIANI MARCELLINI et Geographi veteris teſtimonia ſupra iam citauerimus, in probanda re ex Aegyptiacae philoſophiae hiſtoria nota moram non nectimus. Ab Aegypto diffuſa ad Syros, et Aſiaticos eiusdem fere generis homines leues, facileque rebus diuinorum ſpeciem prae ſe ferentibus capiendos ſimilibusque nugis iam repletos offendit, qui quo leuiores erant animo, eo facilius ſe ad ſpem tantam componebant. Accedit, quod plerique ex his philoſophis temperamento vterentur melancholico-ſanguineo [i], quod faciles imaginandi

g) PORPHYR. vit. Plotin. c. 22. p. 134.
h) l. c. p. 767.
i) Fatetur id AMMIANVS Lib. XXII. c. 16.

Digitized by Google

nandi facultatis modus extra oleas vagantes capit, semelque ista animi potentia a via declinante, non ad extraordinaria tantum simulacra et imagines in cerebro efformandas aptum est; sed in furorem quoque interdum degenerat fanaticum, tandemque in ecstases delabitur: qua de re, qui humani animi facultates viresque physica ratione enarrarunt [k], audiendi sunt. Hanc ineptam ad veram philosophiam animi dispositionem plerumque generasse enthusiasmum, probauerunt, qui de hoc animi vitio curiose disquisiuerunt. Ast eam inhabitasse plerosque horum philosophorum, in eorum vitae historia planissimum fecimus. Cum itaque et patrii mores, et genius gentis, et natura atque temperamentum ad eandem concurrerent metam, qui mirum est, eos in enthusiasmi amorem studiumque exarsisse? Accedit praeterea, quod eundem scopum, licet paulo modestius, seruauerat, et obtinendum sibi constituerat Academia Platonis, confirmata in eo, Pythagorae principiis, quae acceperat. Huic illi vero se tradiderant sectae, eo quod reliquis melius de diuinis sentire videretur, qua in re naturalis animi dispositio illa institutione valde adiuta est. Cumque philosophia Orientalis miris ingenii deliramentis eiusmodi principiorum ex Deo emanationem, et animi ad eam reductionem ipsa quoque statueret, eaque Platonicis doctrinis immixta nouam rei faciem conciliaret, non poterant non ad enthusiasmum ruere homines exigua iudicandi facultate praediti, phantasiae autem fertilitate et lusibus praeter modum abrepti. Sed et alia his accessit causa ex vitae genere, quod plerique sectabantur. Eo enim res deuenit post natum Saluatorem hominum, vt, cum antea sacerdotes a philosophis distinguerentur, ruinam tandem minante superstitione templorum, ararum, sacrificiorum cura commendaretur philosophis Pythagoricis et Platonicis, vt eo fortius contra Christianos aggressores auitam religionem tuerentur. Cuius rei probationem vel vna Apuleii vita, vel Apollonii historia, vel Eunapii vitae satis superque exhibent. Hoc vero vitae institutum quid vel requirebat melius, vel patiebatur facilius, quam enthusiasmum talem, qui aquam porrigeret superstitioni, templis, aris, focisque, oraculis et his similibus enutritae? Quae omnia tamen mirum in modum aucta sunt, cum Christianae religioni opponeretur noua philosophia, habitum diuinum ementiens, de qua re mox plura differemus, vnum hoc dictis prius adiicientes, indolem harum gentium, ex quibus prodiere hi philosophi, ad fraudes et mendacia praesertim in arroganda sibi Deorum cura, cultu, apparitione, et his similibus, praeter modum inclinasse, et hoc nomine dudum fuisse infamem. Quod qui negat, aut hos homines Aegyptios, Syros, Cilices, Cappadoces, fuisse, aut, has nationes eo nomine male audiisse, ignoret, necesse est, certe negari in re nota non potest.

VIII.

k) Legendus MALEBRANCHE de la recherche de la verité, L. II. P. II.

VIII. Philosophia orientalis sibi vindicata.

VIII. Inualuisse circa ea tempora, quibus philosophia Platonica in Aegypto caput extollere coeperat, in Asia philosophiam quandam Orientalem, supra monuimus, ostendemusque infra, vbi de ea paulo curatius agendum, eam in enarrandis diuinarum emanationum genealogiis, constituendisque variis substantiarum aeternarum, siue, quo nomine vocabant, aeonum, classibus earumque ad generandum hunc mundum visibilem, concursu occupatam de origine et natura materiae, indeque exorti mali multa obscura er humani ingenii captum transcendentia praecepisse, eam vero mature Alexandrinis philosophis innotuisse, et ex parte in Aegyptiacum et Platonicum systema receptam fuisse, suo quoque loco obseruatum est [l]. Qui philosophi Orientales cum Zoroastris aliorumque ex Asiae philosophis dogmatum librorumque participes se esse iactarent, non tantum hanc sibi gloriam vindicarunt Platonici, vt a Zoroastre et Chaldaica philosophia, suum systema Pythagoram atque Platonem in itineribus inter barbaros accepisse dicerent, sed et cum Aegyptiaca veteri coniungerent, Hermetica crepantes, vt eo magis domi quoque fidem inuenirent [m]. Id quod ansam dedit hominum generi supra modum audaci, varios libros, quales Orientales quoque philosophi circumferebant, excogitandi et supponendi, qui ad hos veteris philosophiae patriarchas referrentur. Quod cum facerent etiam haeretici ex antiqua illa, vt putabatur, philosophia Orientali progressi, et imprimis qui sublimiorem sibi de diuinis notitiam vindicantes, Gnostici dicebantur, cumque illi, Pythagoram et Platonem veros philosophiae huius diuinioris sensus fontesque non satis assecutos fuisse dicerent, magna inde inter hos homines et Platonicos Alexandrinos controuersia exorta est, vtraque parte de genuina librorum a se istis philosophorum antesignanis tributorum veritate, deque vero sensu philosophiae Chaldaicae atque Hermeticae disputante, sibique vindicante [n]. Cuius disputationis exemplum inter Plotiniana scripta hodie supereſt, quod *contra Gnosticos* Porphyrius inscripsit [o], in qua horum hominum deliramenta acute nec infeliciter refellit, mundumque a causſa inferiori eaque mala conditum non esse disputauit. Quae concertationes, cum et Christianorum doctorum bella accederent, magnam vim horum haereticorum suppressere quidem, et ex parte eradicauere, nihil tamen melius exhibuere, sed multo praesentius venenum propinauere, quod eo magis nocebat, quo magis parum a veritate abesse magno inter Christianos doctores numero placebat.

IX. Attempetata Chri-

IX. Maiora adhuc momenta habuit secta et philosophia Alexandrina respectu ad Christianam ecclesiam habito, cui tanta vulnera inflixit, totque

l) Tomo I. L. vlt. c. vlt.

m) Videnda de hac re loca notabilia EVNAPII in Aedesio p. 61. PORPHYRII l. c. c. 16. p. 116. MARINI vit. Procli c. 28. p. 67. IAMBLICHI de myster. Aegypt. Sect. VIII. c. 4. p. 160. PORPHYR. de antro Nymphar. p. m. 107.

n) PORPHYR. vita Plot. c. 16. conf. CLEM. ALEX. Strom. L. I. p. 304.

o) Enn. II. L. IX. p. 199. seqq. Gnosticorum tamen nomen non habet Plotinus.

Digitized by Google

que morbos contraxit peſtilentiſſimos, vt non vllam fere haereſin illi tantopere nocuiſſe merito dicendum ſit, nihilque magis vel euangelii curſum impediuerit, vel doctrinam puriorem corruptelis perdiderit nefandis. Quod vt heic quoque loci tangamus, rei neceſſitas poſtulat, quamuis ad ſacram potius, quam philoſophicam hiſtoriam pertineat, cum deteſtabilis philoſophiae huius ſectaeque genius ſine his intelligi ſatis nequeat. Paucis itaque rem totam comprehendemus, commendata, ea de re, quam ſupra laudauimus, Ven. MOSHEMII commentatione, cum iis quae ſupra iam hac de re diſſeruimus, conferenda. Et prima quidem huius rei cauſſa apud ipſum Ammonium Saccam quaerenda eſt. Hic, vt ſupra diximus, parentibus Chriſtianis genitus et Alexandriae educatus eſt, quo tempore in celebri illa ſchola catechetica Clemens Alexandrinus vel Pantaenus docebant. His doctoribus cum valde arriſiſſet doctrina Platonica et Stoica, arctiori inter ſe nexu copulata, et cum aliis eclectico modo conciliata, vt *tomo tertio*, vbi de iis agendum, dicetur, dubium non eſt, Ammonium praeter Chriſtianae doctrinae capita etiam huius philoſophiae praecepta, a philoſopho quodam vel Chriſtiano, vel quod veriſimilius nobis videtur, gentili quodam Alexandrino didiciſſe, quam in ſyncretismum aliquem iam eo tempore inclinaſſe, aliquoties monuimus. Is cum animo relinquere ciuitatem Chriſti, quibuscunque demum ex cauſſis, ſtatuiſſet, nouamque condere religionem, vel Platonicam potius reformare philoſophiam ſuſcepiſſet, non tantum tollendis, vt ſupra diximus, diſſidiis philoſophorum animum applicuit, ſed et nouam, quam mente agitabat, ſectam, ita ordinandam cenſuit, vt quae ex Chriſtianis dogmatibus recipienda putaret, illi attemperaret, quae vero intolerabilia ei viderentur fortius ſupprimeret, et, cum patriam religionem, legibus imperatorum tum ſtabilitam, a Chriſtianis expelli ſenſim et ruinam minari cerneret, id ſibi negotii datum eſſe crederet, vt tanto malo omnes vires opponeret. Quod eo facilius illi fuit, quo magis adhuc inter Chriſtianos verſatus, modum, quo Chriſtiani ſuperſtitionem oppugnabant, Diisque gentilium eorumque ſacerdotibus bellum indicebant, cognouerat, et apologias doctorum Chriſtianorum legerat, indeque cauſſas decreſcentis ſuperſtitionis gentilis et victoriarum Chriſtianae doctrinae late graſſantium intellexerat: quibus opponere ſe, et curſum relictae religionis ſiſtere, nouum tamen et non minori applauſu recipiendum ſyſtema condere in animum inducebat. Cauſſas vero decreſcentis cultus gentilis deprehendebat varias. Obſtabat ſeruandae religioni patriae inſana et deteſtabilis ſuperſtitionis facies, quae omnem quidem orbem gentilem, maxime tamen Aegyptum ita deformauerat, vt non Chriſtianorum tantum doctorum obiectionibus, ſed ipſis quoque philoſophorum gentilium, praecipue Scepticorum et Epicureorum ſcommatibus tota exponeretur. His philoſophi, qui cuſtodes eſſe debebant diuinioris veritatis, tantum aberat, vt mederentur, vt infinitis potius diſſidiis de

ſtianorum rationibus.

Digitized by Google

de Deo deque capitibus ſublimioribus ſe turpiter darent, et in propria viſcera ſaeuientes iucundum Chriſtianis victoribus praeberent ſpectaculum. Magna quoque philoſophorum et ſacerdotum pars vita peſſima et omni malitiae genere inquinata, quam parum ſanctitatis ſuis praeceptis ineſſet, demonſtrabat. Tandem et pulchre videbat Ammonius, tot eſſe de rebus diuinis quaeſtiones, quae ſoluere recepta religio non poſſet, vt multi vanitate eius adducti Chriſtianis doctoribus aures aperirent. His, quas ex ipſa gentilium parte exoriri videbat, difficultatibus cauſſae accedebant plurimae a Chriſtianae religionis indole et doctorum eius diligentia ſtudioque eam propagandi ortae. Inter quas merito miraculorum gloriae primas partes tribuimus, quae eo tempore, quo Ammonius ſacra Chriſtiana deſeruit, paſſim adhuc ſplendebat; certe, eorum quibus ſuffulta lex Ieſu Chriſti per omnem orbem ipſis miraculis miraculoſius propagata erat, certiſſima et attonita omnium, etiam gentilium, animis inhaerebat memoria. His iungenda inuicta argumentorum pro Chriſtianae religionis veritate ſeries, a veritate, ſanctitate, et puritate doctrinae moralis deſumta, quam et vitae innocentia et martyrii gloria innumeri IESV CHRISTI teſtes roborauerant. Quibus omnibus vt idoneis remediis occurreret Ammonius, ducemque ſe aliis praeberet, ad abſoluendam feliciter, quam exorſus erat telam, ita rem, teſte tota huius ſectae hiſtoria Inſtituit, vt, quam ſuſceperat philoſophiae Platonicae reformationem, huic potiſſimum ſcopo attemperaret.

X. Superſtitionis facies picta et emendata.

X. Nempe ita conſilium iniit nouae philoſophiae pater Ammonius, vt abſurditatem deteſtabilem ſuperſtitionis gentilis reformatae philoſophiae beneficio, quantum pote, tolleret, et rationalem magis ſignificationem ineptiſſimis ſacris et cultui irrationali induceret. Qua in re patriae ſuae exemplis adiutus eſt plurimis; cum hierophantae iam olim Graecae philoſophiae praeceptis imbuti philoſophicas interpretationes turpiſſimae, quae in Aegypto regnabat, ſuperſtitionis dediſſent. Vt itaque nefandae doctrinae cultuique diuino, praecipue vero theologiae paſſim receptae meliorem colorem induceret homo aſtutiſſimus, ad allegoricam explicandi methodum, cui a multis iam ſeculis ſumma deuotione adhaeſerat gens Aegyptiaca, confugit, eiusque beneficio alios longe ſenſus populari religioni, quam deſerere, et publica auctoritas, et munera, quibus illi homines praeerant, et emolumenta, quae ex ea capiebant, vetabant, affricuit, et vt aſſeclae paria ſuſciperent, fecit. Id quod duplici modo ab iis factum eſt. Primum, certum Deorum ordinem quem requirebat ſyſtematis emanatiui ab his philoſophis recepti indoles, ſtatuebant, et ſummum quidem Numen, abyſſum omnis diuinitatis, fontemque rerum omnium, ipſumque praeſtantiſſimum bonum eſſe dicebant, aſt hunc in profundo eſſentiae ſuae oceano latere contendebant; cumque ex hoc inexhauſto mari innumeros deos, geniosque effluxiſſe aſſererent,

illis

illis rerum omnium administrationem in hoc terrarum orbe tribuebant, distributis ita a summo rege ministris per omnes prouincias, vt variis locis, muneribus, atque operibus praeficerentur. Haec itaque numina immensum illud, quod inter summum Deum et homines intercederet, χάσμα replere aiebant, et catenam aliquam efficere, omnia replentem, quibus et Dei ad homines beneficia, et hominum ad Deum preces et sacrificia perferrentur. Haec numina populos adorare merito, cum supremum quidem Numen ob infinitam profunditatem pauciſſimis attingere liceat. Nec alium sensum subesse vetustissimis theogoniis et poëtarum fabulis; modo arcani sensus rite eruerentur, recte itaque vniuersi terrarum orbis religiones, in vnam quandam conflari posse, et vere sapientem theologiae antistitem de omnibus prorsus religionibus sollicitum et vniuersi mundi sacerdotem esse debere. Non habere itaque Christianos, quae gentilibus obiicerent, cum et ipsi sanctiores spiritus Dei esse ministros dicerent: certe ab obiecta absurditate receptam religionem esse liberandam, et quae absurda videntur, philosophice explicanda. Semel tantum PORPHYRII [p], IAMBLICHI [q], PROCLI [r] scripta inspici opus est, vt de veritate huius rei constet. Hoc assumto dogmate palliabatur philosophico integumento turpissima omnium gentium superstitio, et cum noua philosophia, in hoc potissimum doctrinae capite excellere cuperet, occasionem dedit philosophis Platonicis infinitas comminiscendi nugas, et in sacris his obseruandis mire insaniendi. Cuius exemplum vel vnum Proclum, vel Iulianum etiam, licet imperio admotum, considerari volumus. Ita vero et temperamento horum hominum melancholico, et superstitioni, in qua erant educati, et honoribus atque existimationi, quam apud numinum cultores consequebantur, et commodis etiam ex ministerio Deorum, cui se addicebant, valde consultum videbatur: et haec rationalis religionis facies habebatur, quae omnes vna homines sub vno supremi Dei imperio iungeret, cui non posset displicere haec cultus diuini varietas, eo quod reuera vna tantum esset religio [s].

XI. Quod ad eludenda Christianorum tela Ammonius et assectae susceperant religionum omnium inter se conciliandarum consilium, illud etiam ad retundendas, quae a discordia et dissensionibus philosophorum petebantur a Christianis, obiectiones mire valebat. Reiecta enim Epicurea physiologia, illis non minus, quam Christianis doctoribus, inuisa, in eo neruos intenderunt omnes, vt maxime Platonem et Aristotelem inter se conciliarent. Quod cum propter philosophos quoque, vt supra monitum suscepissent, ad excipienda et retundenda Christianorum

XI. Philosophorum dissidia sublata.

p) Περὶ ἀποχῆς L. I. §. 57. p. 49.
q) De myster. Aegypt. S. V. c. 25. p. 140. conf. Otium Vindel. Mel. I. p. 42. seqq. MARINVS in vita Procli c. 19. p. 47. c. 29. p. 71.
r) Loco supra cit. add. OROSIVS Histor. L. VI. c. I. p. 416. AVGVSTIN. ep. 16.
s) Conf. PHILOSTRAT. vit. Apoll. L. VI. c. 3. p. 232. SVIDAS in Timasio T. III. p. 470. Celsus apud ORIGEN. L. VIII. p. m. 403. THEMISTIVS Orat. XII. p. 157.

Digitized by Google

tela in iis potiſſimum doctrinae capitibus applicare tentatum eſt, quae de Deo, deque rebus et operibus diuinis praecipiebant. In quibus cum toto coelo inter ſe diſtarent philoſophi ambo, et Plato ſaniora Deoque digniora praecipere, etiam inter Chriſtianos, multis videretur, mira adhibita dogmata, et admotae machinae portentoſarum explicationum, in cerebris otioſorum horum hominum enatarum, et praecilionibus mentalibus ac abſtractionibus metaphyſicis tanquam fundamentis ſolidiſſimis ſuperſtructarum, quibus ſana omnia apud vtrumque, et concordia prorſus eſſe demonſtraretur. Syncretiſmum itaque hunc Platonico-Peripateticum etiam Chriſtianorum in damnum excogitatum fuiſſe, recte viderunt et notarunt viri docti [1].

XII. Vitae philoſophorum ſanctae Chriſtianis oppoſitae.

XII. Sed et ſancta et integra Chriſtianorum vita ne amplius obſtaret, vel obiiceretur, hominesque ad amplectendam eam doctrinam alliceret, quae non ſanctiſſimam tantum vitam praeciperet, ſed et efficeret, remedium ab Ammonio et ſociis excogitatum eſt. Semel enim conſtitutis philoſophiae moralis fundamentis ſeuerioribus, de quibus mox dicendum, vehementer vitae ab omni corporis contagio, et affectuum inſultibus liberae conditionem vrgebant, et non purgationem tantum mentis a corporeae molis inquinamentis iniungebant, ſed virtutes quoque ſummas theoreticas, intuitiuas, theurgicas, quas infra explicabimus, commendabant, iisque ad vacuitatem ab omni paſſionum impetu, et ad ipſam Dei intuitionem peruenire philoſophiae alumnum poſſe, ſtatuebant. Quod licet nugas ingenii luxuriantis et tricas nectentis ſaperet, attigiſſe tamen mentiendum erat feliciſſimam hanc diuini generis ſucceſſionem, hosque ſectae iſtius philoſophos, dicendum, per omnes virtutis et ſanctitatis gradus ad ſupremum fuiſſe enixos. Teſtes volumus vitas omnes, quotquot hac ſectione enarrauimus, maxime vero Procli, cum nemo eorum tantopere in hoc argumento inſaniuerit, quam MARINVS. Ita vero inueniſſe ſe, non quod pueri in faba, putabant homines vaniſſimi, rati, Chriſtianos has ſuas de virorum ſectae ſuae ſanctitate fabulas tanquam oracula excepturos, nec fraudem olfacturos. Quae apud eos fiducia tanta fuit, vt in aſſerendis philoſophorum virtutibus ne mendaciorum quidem tenerent memoriam, ſibique ipſis turpiſſime contradicerent: id quod multis Eunapii, Marini et Damaſcii exemplis in antecedentibus fecimus manifeſtiſſimum.

XIII. Receptae doctrinae Chriſtianorum.

XIII. Eſſe doctrinas inter recepta philoſophiae dogmata haud paucas abſurdas et ſecum non conſiſtentes, deficere etiam multa, quae haberet Chriſtiana religio, multoque elegantius et vero propius doceret, negare Ammonius non poterat, ipſe his ſacris innutritus, et Chriſtianorum quoque diſcipulorum, quos habebat, teſtimonio et iudicio facile conuincendus, quamuis ſectatores hanc Chriſtianae religioni gloriam denegarent, re ipſa tamen Ammonii ſyſtema ſequentes. Ne itaque ſe meliores et dignio-

1) IAC. THOMASIVS Orat. XI. p. 337. BEN. PERERIVS de comm. rer. nat. principiis L. IV. c. 10. p. 238. MOSHEIM. l. c. §. 16. p. 127.

digniores Deo partes reliquiſſe, deteriores vero et indignas et a vero magis alienas elegiſſe videretur, et fortius Chriſtianis obiectionibus obuiam iret, duplicem viam elegit, quam et affectae ingreſſi ſunt. Primum enim veritatem non vni prorſus ſectae alligatam tenebat, ſed inter omnes diſperſam et colligendam eſſe, nec, vt ait LACTANTIVS [x], *vllum philoſophum tam fuiſſe inanem, qui non viderit ex vero aliquid*, dictabat; nec omnia quoque inuenta eſſe putabat, vt non poſſit aliquid adiici. Quamuis itaque Platonem diuinum putaret Ammonii ſecta, non tamen ſibi religioni duxit, vbi eum nimis a Chriſtianorum obiectionibus premi vidit, ab eo recedere, et vel mutare, vel detrahere vel addere aliquid. Id quod imprimis Porphyrium feciſſe, luculenter teſtatur AVGVSTINVS [y], alios vero ex hac ſecta non magis refugiſſe, inſtituta ſcriptorum eorum cum Platone docebit comparatio. Altera, quam, vt huic malo obuiam iret, elegerat via, ea fuit, vt quae praeſtantiora et excellentiora Chriſtianorum eſſent dogmata, quam vt negari reprobarique poſſent, ea, tacito quidem conſilio, ſurriperet, ſuoque ita recocta et reficta ſyſtemati innecteret, vt Chriſtiana quidem videri, ſuisque placitis obeſſe nequirent, et tamen eam omnem, quam Chriſtiani tantopere extollebant, doctrinam exhibere poſſent. Reliqua quae aptari ſuo doctrinae aedificio nullo modo poterant, imitatione, et ſimilitudine verborum et ſententiarum exprimere ſtudebat, vt ita expilata quaſi Chriſtianorum caſtra in triumphum ab iis ducerentur, haberetque Alexandrina Platonicorum familia, quibus plumis alienis ſuperbiret. Latum hic ingredi liceret campum, ſi id ex philoſophorum horum libris demonſtrari inſtitutum locusque pateretur; aſt haec prolixiora ſunt, meliusque in huius ſectae libris obſeruantur. Teſtem tamen volumus, doctrinam de tribus in deitate perſonis diuinis, et de creatione ex nihilo, quam vtramque non quidem recepere Alexandrini philoſophi, accommodarunt tamen ſuo ſyſtemati, indeque tres hypoſtaſes archichas, et eductionem materiae ex nullo praeexiſtente, praeter Deum, ſubiecto excogitarunt. Plura dabit philoſophia moralis recentiorum Platonicorum. Adiri vero etiam poteſt acutiſſimus MOSHEMIVS [y], qui multis exemplis rem totam egregie docteque illuſtrauit.

XIV. Nihil tamen obſtare magis receptae ſuperſtitioni, gentilemque cultum fere omnem euertere videbatur, quam miracula, quae ſanctiſſimus Saluator eiusque legati, quique in eius nomen crediderant, coram innumeris teſtibus edidere. Ea negare velle, idem fuiſſet ac inſanire, adeo totus fere orbis de eorum veritate in teſtimonium conſpirauerat; aſt praeſtigiis quidem annumerabant irriſorum vnus et alter, fidem

XIV. Chriſtus numero philoſophorum adſcriptus.

x) L. VII. c. 7.
y) De C. D. L. X. c. 25. L. XII. c. 20. L. XIII. c. 19.
y) Diſſ. de ſtudio ethnicorum Chriſtianos imitandi Vol. diſſ. Hiſt. eccleſ. p. 330. ſeqq.

Digitized by Google

fidem vero non inueniebant, cum toto coelo ab impoſturis nugiuendulorum hominum, qui circa iſta tempora in orbe Romano oberrabant, diſtarent. Cum vero, quae iſtis miraculis confirmabatur, doctrina, omnem ſuperſtitionem cultumque Deorum gentilem proſcriberet, aliud excogitandum erat remedium, quo tam validum Chriſtianorum manibus extorqueretur telum. In omnes hic partes verſaſſe ſe infernalem, qui hos miniſtros ſuos inflammabat, hoſtem, dubium non eſt, cum poſt doctrinae ſanctitatem nulla res magis infernalium poteſtatum res peſſundarit, quam miracula. Tandem, vt eſt μυριστέχνης, non deneganda quidem Ieſu Chriſto eiusque diſcipulis miraculorum gloria viſa eſt, ſed vocanda tamen in communionem gens Platonica, ſpe dulci ſuffulta, fore, vt et auitae ſuperſtitionis cultusque Deorum ſalua maneret integritas, et non exigua inde ad eos redundaret gloria nominis et exiſtimatio. Vt vero arduum imprimis negotium feliciter abſolueretur, artibus multis opus erat. Quas ita inſtruxere homines callidiſſimi, vt, quod in ſe ſtrictum viderant telum, in Chriſtianos conuerterent. Et primo quidem cum inuictis argumentis atque teſtimoniis hiſtoria vitae actorumque Ieſu Chriſti θεανθρώπε eſſet confirmata, et miraculorum ab eo editorum fides tanta fuiſſet, vt imperatorum quoque gentilium oculos gloria eorum perſtringeret, nec ignota eſſent Tiberii [z], Alexandri Seueri [a], Hadrianique [b] de recipiendo in Deorum numerum Chriſto conſilia, concedebat impia natio, Chriſtum ex illo virorum ſapientium choro fuiſſe, qui arctiori cum Diis conuerſatione gauiſi, diuinorum operum edendorum (θεεργεῖν vocabant, et a γοητίας praeſtigiisque malorum ſollicite eſſe diſtinguendum monebant, eo quod hae impurorum ſpirituum auxilio efficerentur,) poteſtatem accepiſſent, adeoque et Deos ſuos Chriſtum coluiſſe ritu magico, et eorum opera miracula edidiſſe. Ita ratiocinatam fuiſſe Ammonii familiam, luculento teſtimonio confirmat AVGVSTINVS [c]. *Quid?* inquit, *quod iſti vani Chriſti laudatores et Chriſtianae religionis obliqui obtrectatores propterea non audent blasphemare Chriſtum, quia quidam philoſophicorum, ſicut in libris ſuis Porphyrius Siculus prodidit, conſuluerunt Deos ſuos, quid de Chriſto reſponderent, illi autem oraculis ſuis Chriſtum laudare compulſi ſunt.* Intelligit oraculum illud, quod nobis ſeruauit EVSEBIVS [d], quodque religionis gloriam euidenti ei teſtimonio tribuit. Cui ſimile affertur a LACTANTIO [e] Apollinis Mileſii effatum, quod non minus luculenter Chriſtum in eorum philoſophorum album transſcribit, qui prodigioſis operibus inclaruerunt. Ita enim pronunciaſſe dicitur Apollo:

Θνη-

z) TERTVLLIANVS apolog. c. 5. quod contra Tan. Fabrum, Io. Clericum, Ant. van Dalen vindicat THEOD. HASAEVS pec. diſſ.

a) LAMPRID. in Alex. Seu. c. 29.

b) IDEM c. 43. conf. EVSEB. Hiſt. eccl. L. IV. c. 26. p. 148.

c) De concord. ev. L. I. p. 8. T. III. opp.

d) Demonſtr. ev. L. III. c. 8. p. 134.

e) Inſtit. diuin. L. IV. c. 13.

Digitized by Google

Θνητὸς ἦην κατὰ σάρκα σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις
Ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναλωθεὶς,
Γόμφοις καὶ σκλόπεσσι πικρὴν ἀνέτλητε τελευτήν.
Mortalis erat, ſecundum carnem philoſophus, ille miraculoſis operibus clarus,
Sed ſub chaldaeis iudicibus captus armis,
Clauis et palo amaram tolerauit mortem.

Ex his colligebant, teſte iterum AVGVSTINO[f], *Chriſtum neſcio quid aliud ſcripſiſſe, quam Chriſtiani docebant, nihilque ſenſiſſe contra Deos ſuos, ſed eos potius magica ritu coluiſſe.* Id quod eo facilius hominibus perſuadere ſe poſſe credebant, quo celebrior iam haec inter gentiles et peruulgata fuerat opinio, fuiſſe Chriſtum eiusdem generis philoſophum, quales inter veteres Orpheus et Pythagoras, et recentiori tempore Apollonius Tyaneus fuere, ſtupendis prodigiis clari: quae ſententia permouerat Alexandrum Seuerum, vt *inter animas ſanctiores, Apollonium, et Chriſtum, et Abrahamum, et Orpheum, et huiuscemodi Deos haberet*[g]. Aſt his quidem diſerta obſtabant, legatorum Ieſu Chriſti, totiusque ciuitatis eius teſtimonia. Vt itaque illa remouerent, non erubeſcebant cauſſari: *Diſcipulos eius non ſolum de illo fuiſſe mentitos, dicendo illum Deum, per quem facta ſunt omnia, quum nihil aliud, quam homo, fuerit, quamuis excellentiſſimae ſapientiae, verum etiam de Diis eorum non hoc docuiſſe, quod ab illo didiciſſent*[h]. Ridicula quidem haec erant, et prorſus ficulnea, aſt fidem tamen apud illos facile inueniebant, quorum intererat, gentilem religionem ſeruari, hincque quaeri receptae ſuperſtitionis patrocinium. Sane tam certa haec Porphyrio viſa ſunt, vt, narrante alio loco AVGVSTINO[i], pronuntiare non erubuerit: *Chriſtianos Dii pollutos et contaminatos et errore complicatos eſſe dicunt, et multis talibus aduerſus eos blaſphemiis vtuntur.* Et paulo poſt: *Propterea ergo Chriſtiani Diis exoſi: quia quibus fato non fuit noſſe Deum, nec dona a Diis accipere, his fataliter dedit ipſe errore implicari. Ipſe vero pius, et in coelum ſicut pii, conceſſit. Ita hunc quidem non blaſphemabis, miſereberis autem hominum dementiam.* Cui rei vt eo maiorem imperitis fidem facerent, lepidam excogitarunt fabulam, Chriſtum diſcipulos iuſſiſſe a minorum quorundam daemonum cultu deſiſtere: hoc autem eius ſapiens rectumque praeceptum ad tollendum omnem numinum cultum inſipienter Chriſtianos traduxiſſe. Ita iterum Porphyrius apud AUGVSTINVM[k], cuius verba lectori, hic legenda damus, vt genium infamis ſectae eo melius agnoſcat. *Sunt*, inquit, *ſpiritus terreni*

f) loc. cit. p. 18.
g) LAMPRID. l. c.
h) AVGVSTINVS l. c.
i) De C. D. l. XIX. c. 23.
k) loc. cit.

Digitized by Google

reni minimi, loco quodam malorum daemonum poteſtati ſubiecti. Ab his ſapientes Hebraeorum, quorum vnus etiam iſte Ieſus fuit, ſicut audiuiſti diuina Apollinis, quae ſuperius dicta ſunt: ab his ergo Hebraei daemonibus peſſimis et minoribus ſpiritibus vetabant religioſos et ipſis vacare prohibebant: venerari autem magis coeleſtes Deos, amplius autem venerari Deum patrem. Verum indocti et impiae naturae, quibus vere fatum non conceſſit a Diis dona obtinere, neque habere Iouis immortalis notionem, non audientes et Deos et diuinos viros, Deos quidem omnes recuſauerunt. Plura, cum haec ſufficiant, non cumulamus, alibi legenda [1]. Ita vero, etſi miſere et inepte ratiocinabantur, incautorum tamen oculis glaucoma obiiciebant, vt miraculorum Chriſti radii eos perſtringere ad veritatem amplectendam non poſſent, ſuisque partibus vindicaretur, quicquid diuini ineſſe videbatur Ieſu Nazareni miraculis.

XV. Philoſophis non minora miracula vindicata, quam eſſent Chriſti.

XV. Aſt non tutam ſatis receptam ſuperſtitionem his praeſidiis putabat gens friuola. Copioſiores itaque phalanges educendae in aciem contra Chriſtianos, oſtendendumque erat, fuiſſe inter philoſophos, maxime vero inter ſectae ſuae principes viros, tales, qui non minora praeſtitiſſent prodigia, et a longo tempore miraculorum gloria inclaruiſſent. Ex his enim probari poſſe credebant, philoſophiae, quam elegerant, ſuae hanc quoque vindicari poſſe gloriam edendi θαυματέρεα et humanas vires excedentia, nec ſtatim deorum ſuperiorum numero inſerendos eſſe illos, quos iſta diuina virtute induiſſent Dii, amicos ſuos, ſed in album tantum virorum ſapientiſſimorum, commercio cum Diis propiore gauiſorum eſſe referendos, adeoque iuſte accuſari Chriſtianos male reiecti Deorum cultus, quem magni iſti viri non probaſſent tantum, ſed miraculis etiam confirmaſſent. Conſcribendae itaque erant et corradendae magnorum et celebrium philoſophorum vitae, tribuenda illis miracula, vtendumque credulitate populorum et mendaci fama, cuncta in maius augente, vt non minora praeſtitiſſe philoſophos iſtos, quam Ieſum, appareret. Cumque talia, quae de Chriſtianorum doctore principe ſacri hiſtorici narrabant, non poſſent ex veterum monumentis corradi, reliqua mendaciis, fraudibus, et impune fingendi licentia, par erat, addi, augerique et ita incruſtari, vt non diſſimilis ſacris hiſtoriae Ieſu Chriſti annalibus labor exſurgeret. Ad quem finem obtinendum non opus erat peregrinis auxiliis, cum domi abunde adeſſet audaciſſimae familiae, vnde plauſtra prodigiorum congereret: nempe Pythagorae hiſtoria affatim ſuppeditabat materiae. Quae cum iam cano tempore multis fabulis et portentorum narrationibus eſſet mirum in modum aucta, egregium his hiſtoricis campum aperuit impudentiſſima conſcribendi mendacia, et huiusmodi excogitandi miracula, quae et ſplendore,

[1] Conf. Mosheim. l. c. §. 25. ſeqq. p. 144. ſeqq.

Digitized by Google

dore, et magnitudine, et numero prodigia, quae de Iesu Christianorum Deo narrabantur, aequarent. Conscripsisse hunc in finem, et iisdem rationibus instructos PORPHYRIVM et IAMBLICHVM vitam Pythagorae, dudum viris doctis obseruatum et a nobis *tomo primo* [m] inuictis rationibus demonstratum est. Sed recentiora quoque exempla adducenda erant, ne obiiceretur, sanctiorem et θαυμάσιον istam sectam dudum intercidisse. Eum itaque in finem Apollonii Tyanensis fabula incrustata est, et praestigiator famosus ita miraculorum gloria pictus comtusque, vt non haberet Christiana gens, quo Iesu suo superbiret. Quod quia capitis huius *sectione prima* luculenter confecimus, hic repetere opus non est, sed id modo monendum, eo tempore conscriptam a Philostrato Apollonii historiam, quod in Ammonii aetatem, qua secta haec condita est, incidit, cuius consilia postea Hierocles et Eunapius satis prodidere. Sed maiora adhuc magisque profutura suis rationibus curanda erant. Nempe desinebat sensim miraculorum apud Christianos multitudo, satis confirmata sanctissimae philosophiae veritate illis miraculis, quorum fidem reiicere ipsis prodigiis prodigiosius merito visum erat. Ast hi homines, qui pudorem omnem posuerant, genti suae noua vindicare τῶν θαυμασῶν specimina allaborabant, et hunc in finem vitas quoque antistitum sectae suae, gentilisque superstitionis enarrabant, vt potissimum eos philosophiae suae patrocinio non minora edere potuisse, ostenderent. In qua re probanda exemplis lectorem detinere, necessarium non putamus, sed ea tantum in memoriam illi reuocamus, quae de PORPHYRII *vita Plotini*, de EVNAPII *vitis Sophistarum*, de MARINI *vita Procli*, de DAMASCII *vita Isidori* in antecedentibus fuse differuimus. Diligenter enim vbique ad hanc rem digitum intendimus, et quae prodigia de iis narrata sint, expositimus. Ne vero haec sine ratione dicta viderentur, ipsa haec miracula et stupenda philosophorum opera philosophiae suae beneficio peracta dicendum, et theurgiae fama, quae diu ante inter populorum orientalium sacerdotes viguerat, suis philosophis vindicanda, totumque huius sapientiae aedificium ita instruendum erat, vt virtutes hae theurgicae, si non summum sapientiae apicem, certe proximum constituere, et philosophiae ministerio ad hanc perfectionem commerciumque arcanum cum Diis peruenire philosophos posse diceretur. Qua de re qui plura nosse cupit, PORPHYRII *epistolam ad Anebonem Aegyptium*, vel IAMBLICHI *ad eam responsionem*, quae librum *de mysteriis Aegyptiorum* continet, vel solam MARINI *vitam Procli* legat, abunde de veritate eorum, quae strictim attulimus, conuincendus. Quin ne his quidem limitibus se continuit impudentissimorum hominum superbia, sed vt longe post se Christi legatos et sectatores relinquerent, tota

m) L. II. c. 9.

tota haec virtus theurgica, et prodigiorum edendorum facultas inter minores philoſophiae ſuae mirabilis partes a quibusdam relata eſt, eo quod inferiorum tantum numinum commercium offerret. Non negamus aliter viſum fuiſſe Iamblicho eiusque diſcipulis. Aſt ſenſiſſe tamen ita Plotinum, Porphyrium et Euſebium Myndium in praecedentibus ex Porphyrii, Auguſtini et Eunapii teſtimoniis demonſtrauimus. Rationem nempe in philoſophia, quam ducem elegerant, quaerebant, quae cum infinitos fere ſpirituum daemonumque ordines conſtitueret, ad ſummum Numen in profunda Deitatis abyſſo habitans acceſſum pauciſſimis addixit, aſt ſuis virtutibus eo aſcendere poſſe animum recte praeparatum purgatumque ſtatuit, vt ad ipſum Deum iſtum ſine imagine intuendum animus peruenire queat. Ad quem felicitatis apicem ſe perueniſſe Plotinus, Porphyrius, Iulianus imperator, Proclus, iactabant, vt in eorum vitis dictum. Haec Chriſtianorum miraculorum gloriam longe ſuperare credebant, hincque factum, vt non absque contemtu de iis loquerentur, et neſcio quarum fraudum eos accuſarent, qua de re Porphyrii, Iuliani, Libanii in Chriſtianos calumniae exemplo eſſe poſſunt luculento. Tacemus nugiuendulos haec prodigia ſuae virtuti et philoſophiae theurgicae vindicaſſe, ſicque poteſtatem in ſpiritus ſibi arrogaſſe, cum miraculorum edendorum virtutem Chriſtiani non ſibi, tanquam miniſtris, ſed Deo ſoli miraculorum auctori vindicauerint, qua de re tamen plura dicere non licet, videndus vero Cl. MOSHEMIVS [n].

XVI. Fraudes, ſuppoſitiones, mendacia habita licita.

XVI. Eſſe in his vitis philoſophorum Pythagorico-Platonicorum innumera mendacia, contradictiones apertas, et alia prorſus non cohaerentia, accurato adhibito examine, ſole meridiano clarius oſtendimus. Haec iuſto quidem Dei iudicio eueniſſe, dubitandum non eſt, qui in tam peruerſos et abſurdos ſenſus hos homines tradi paſſus eſt, vt immenſum, quod inter lucem et tenebras intercedit, diſcrimen veritatis amantibus pateſceret, ſicque tenebrarum ſerui a filiis lucis diſtinguerentur; aſt aliter euenire non poterat, cum deeſſent nugatoribus vera miracula, nec haberent aliud praeter ſuperſtitioſae et ſimplicis vetuſtatis fabulas et recentiorum praeſtigiatorum fraudes, quibus ad propoſitum ſcopum pertingere poſſent, quam mendacia. Quae licet philoſophum tantopere dedeceant, vt venerabili iſto nomine mendax indignus prorſus recte videatur, inuenerunt tamen tum in ſectae Pythagoreae moribus, tum in Aegypti et orientis conſuetudine, quibus turpiſſimam rem colore imbuerent philoſophico. Antiquiſſimo enim iam tempore inter ſacerdotes Aegyptios (licet aliarum quoque gentium antiſtites ſacrorum ab hac impietate liberari non queant,) pro ſacro quodam canone fuiſſe receptum: licere pia fraude et mendaciis rem ſacram iuuare, Aegyptiacae philoſophiae, ſuo loco a nobis enarratae hiſtoria apertiſſimus teſtis eſt, et Hermeti-

n) l. c. §. 27. p. 156.

Digitized by Google

meticae theologiae nomen, quod imperantium pariter atque sacerdotum technas populi mentibus religioso vinculo, tanquam iugum quoddam imposuit et mendaci Mercurii auctoritate obsequium eius sibi obstrinxit, satis loquitur, nec negare potuit IAMBLICHVS [o], ast de Mneui Aegyptiorum rege dudum iam testatus est DIODORVS SICVLVS [p]. Morem hunc a sacerdotibus Aegyptiacis didicit, strenueque, vt erat callidissimus rerum suarum artifex, exercuit Pythagoras, quem, veterum dictis nixi narrauimus, reditum ex sedibus defunctorum finxisse, vt maiorem placitis suis fidem conciliaret, dixisse etiam, quibus in corporibus anima sua prius fuisset commorata. Quem magistri morem tanquam normam receperunt Pythagorei, inter canones sacros, quos ab eo acceperunt, huic quoque fidem dantes: *Neque de Diis, neque de diuinis oraculis cuiquam eorum, quae sunt admirabilia, fidem derogandam esse.* Quibus, interprete IAMBLICHO [q] hunc quidem colorem addebant: *nobis quidem corporeae qui simus naturae, genitique et corruptibiles, adeoque momentanei, morborumque diuersitati subiecti et domus paruitati, et grauitationi versus centrum, et somnolentiae, indigentiaeque et abundantiae, stoliditati et infirmitati, animique impedimento atque aliis, quaedam difficilia atque impossibilia videri posse, quae a Diis fieri queant, qui ipsi omnia possint.* Ast haec dicis tantum caussa asseruisse, haud obscure prodidit TIMAEVS LOCRVS [r], cuius notabilis sententia: *Quemadmodum corpora remediis quibusdam morbosis sanamus, ita et animos falsis sermonibus coërcemus, nisi ducantur a veris.* Nec alienum ab hoc mentiendi et supponendi more fuisse Platonem dialogi ipsius satis testantur [s], in quibus affinxisse Socrati, Parmenidi, Protagorae aliisque quos colloquentes introducit, de quibus nunquam cogitauerunt, in eius historia demonstratum est. Qui vt exemplis suis adderet praecepto fidem, *principibus ciuitatis prae ceteris fallere et mentiri licere*, professus est, *propter vtilitatem ciuitatis.* His praeceptoribus gloriabantur noui philosophi, ad horum exemplum se componebant; quid mirum, putasse eos, fabulis et commentis licere ruenti in interitum suum superstitioni subuenire? sicque mendacio officioso res diuinas iuuare. Id vero non fictis tantum miraculorum historiis, sed libris quoque suppositiis factum est, quos Zoroastri, eiusque discipulis, Hermeti, Orpheo tribuisse iam monuimus, suoque loco in *primo tomo* euidenter ostendimus. Qua in re eo magis confirmabatur pestilentissimorum hominum audacia, quod et orientales philosophi, et ipsi Christiani doctores pias has fraudes sibi licere contenderent, magnaque tunc esset libros supponendi fingendique licentia, de qua tamen in sacra historia plura praecipienda sunt. Pleraque vero notatu digna congessit MOSHEMIVS [t].

o) De myst. Aegypt. Sect. I. c. 1. p. 2.
p) L. I. p. 84.
q) IAMBLICH. protrept. c. 21. p. 136.
r) De anima mundi opusc. mythol. p. 566.
s) De republ. L. III.
t) Diss. de caussis suppositorum librorum inter Christianos Sec. I. et II. Vol. diss. hist. eccles. p. 817. seqq.

XVII. Seuerior et praestantior doctrina de Deo diuinisque exculta.

XVII. Restabat Christianae doctrinae praestantia atque sanctitas, quae interno argumento animos ad recipiendum vehementer commouebat, cum gentiles nugae sua futilitate fallitatem demonstrarent, et risu atque ignominia a prudentioribus dignae haberentur. Et hic quoque inueniebat consilium Ammonius, et condita ab eo secta, quod Christianis opponeret. Platonis enim vestigiis insistentes, qui copiosior fuerat in theologicis, quam physicis et moralibus atque dialecticis, inutiles, quod diserte de Ammonio testatur Hierocles, quaestiones prorsus eiiciebant, nec de natura rerum, de qualitatibus, de syllogismis, et his similibus magnifice statuebant, quamuis ea ab Aristotele maxime commendarentur. Qua de re luculenta est Iamblichi sententia, cum ab Alypio dialectico sophismate esset circumuentus, dicentis *a*: *Ἀλλ' οὐχ ὁτόσγε ὁ τρόπος τῆς ἡμετέρας διαλέξεως, εἴτω τι περιττὸν ἐν κατὰ τὰ ἐκτὸς, ἀλλ' ἔτι πλεοναζει κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν Φιλοσόφῳ καὶ πρέπουσαν, alienus a nostra disputandi ratione iste modus est, si quis in rebus externis praeter alios excellat: sed si virtutum, quibus philosophum proprie ornatum esse decet, copiis circumfluat atque abundet.* Idem de Isidoro quoque Gazaeo supra obseruatum est *, eum contemta Aristotelis philosophia, quod ratiocinando incederet, diuinis autem notionibus non vteretur, tantum eius fastidium cepisse, vt degustata Platonica philosophia, ne aspicere quidem eam dignatus sit vlterius. Horum vero loco grauissima doctrinae capita de Deo, de principiis emanatiuis, de animae origine, de spiritibus, deque rerum spiritualium ordinibus atque modis, et perducenda per istam doctrinam anima ad summam felicitatem, explicabant, deque his operosas disputationes conscribebant, tantam sublimitatem affectantes, vt quid ipsi scriberent, vix intelligerent, certe a pauciſſimis intelligi possent. Qua in re nemo superior fuit Plotino, cuius scriptorum maxima pars eiusmodi argumenti generibus absoluitur, et tantam sublimitatem affectatam et metaphysicam sapit, vt ne Porphyrius quidem eum, nisi post longam meditationem intelligere potuerit. Iamblichus autem totum librum suum, quem *de mysteriis Aegyptiorum* conscripsit, argumento diuino dicauit. Porphyrii *sententias ad intelligibilia ducentes*, Procli *theologiam Platonis*, aliaque huius generis scripta tacemus. Descendebant quidem ad dialectica quoque et physica, sed ea infra dignitatem metaphysicorum et theologicorum habebant, et ad haec accurate discenda discipulos exhortabantur, qua de re ne prolixi simus, IAMBLICHI *sermones protrepticos* legendos commendamus.

XVIII. Sanctior philosophia moralis vocata.

XVIII. Tandem et sanctitatis, quam doctrina Christiana prae se ferebat, ita rationem habuit Ammonius et asseclae, vt eam philosophia sua morali si non superare, certe aequare et eandem tenere viam viderentur. Nempe cum in illud potissimum conniteretur doctrina Christiana, vt homines

a) EVNAPIVS in Iamblicho p. 30. *x*) PHOTIVS Cod. CCXLII. p. 567.

Digitized by Google

mines cupiditatum coeno erepti et a paſſionum imperio liberati imaginis diuinae veſtigia relegerent, et conſtituta ſibi aeternae et beatificae viſionis Dei meta tantae ſpei ſe pararent, officia etiam non ciuilia tantum, ſed ſpiritualia quoque et ſublimioris vitae gnauiter exſequerentur, et carnis deſideria ſupplantando, eam cruci quaſi affigerent, viresque eius eneruarent: mira diligentia ſtuduerunt homines aſtutiſſimi, vt non deteriora vel minus ſancta praecepiſſe viderentur. Hinc grauiſſimae corruptionis, quae hominum inſidet animo, profunditas deplorata, hinc abiicienda corporis vincula inculcatum, hinc extollendum eſſe ad primum ſapientiae fontem animum clamatum, hinc diuinis affectibus pectus imbui iuſſum, hinc virtutes non tantum politicae ſed practicae quoque atque theoreticae exercendae commendatae, hinc ad intuitiuam viſionem anhelandam cuncta relata, hinc perpetuum in corpus eiusque motus etiam naturales bellum odiumque commendatum, hisque omnibus acquirendis preces adhibitae. Nec haec ſobrie tantum et ad coercendum intra limites ſuos corpus praecepta, et tradita, ſed mirum in modum etiam aucta et exacta, graueque corporis cum anima commercio indictum bellum, extenuatae ieiuniis auſteris vires, inque ſacro Deorum cultu non dies tantum ſed et noctes conſumtae, ſummum Numen hymnis laudatum, et ad ſeueriſſimam diſciplinam cuncta fere reducta, vt diuino ſe totos amore occupatos dici poſſent [y]. Quod ſtudium ſanctitatis praepoſterae tantum fuit, vt et corporis puderet, et coniugium quoque tamquam ſtatus vitaeque conditio impura minus cum ſanctitate philoſophica conſtare poſſe crederetur, quin immo eſſet, qui tantopere inſaniret, vt genitalia ſibi ſecuri eo fine praecideret [z]. Multa a Platonicis Alexandrinis hanc in rem dicta in medium poſſent adduci, ſi in longam diſputationem protrahere liceret orationem, verum horum philoſophorum libros, et imprimis PORPHYRII *de abſtinentia et de ſententiis ad intelligibilia ducentibus*, IAMBLICHI *de vita Pythagorae et protrepticῶν*, SIMPLICII *in Epicteti enchiridion*, HIEROCLIS *in aurea carmina*, hisque ſimiles legenti vbiuis occurrent, et ſine negotio colligi poſſunt. Quibus omnibus ita augendis, vt Chriſtianam theologiam moralem ſuperarent, non dubitabant impoſtores Chriſtianorum, quos tantopere oderant expilare ſcrinia, et verba atque praecepta referre, ſyſtemati tamen ſuo inaedificata et attemperata, hincque in deteriorem minusque ſanum rapta. „Vnde ele„ganter monuit doctiſſimus OLEARIVS [a]: horum hominum praece„pta ipſius ſcripturae phraſin adeo exacte referre, vt ex illius fonti„bus ea deriuata eſſe, dubitari vix poſſit. Id vero aemulatione factum „religionis Chriſtianae manifeſtum eſſe, ne quicquam ſcilicet philoſophiae „deeſſe videretur eorum, quibus illa ſeſe maxime hominum animis com„mendare deprehenderetur. Neque ſane alios facile in ornanda ſpoliis

 „hu-

y) Exemplum prae ceteris dabit vita Procli. z) Damaſcius apud PHOTIVM l. c p. 567. p. 1221.
a) De philoſophia eclectica c. 3. p. 1220. c. 7.

„huiuscemodi philoſophia diligentiores reperiri, quam qui infenſiſſimo „eſſent aduerſus Chriſtianos animo. Certe Iulianum, Porphyrium et „Proclum, quos peculiaribus ſcriptis Chriſtianiſmum impugnaſſe notum, „diligentiſſimos fuiſſe in imitanda doctrina morum et inſtitutis eorum, „ſcripta illorum loqui.„ Sane Iulianum illa potiſſimum ratione adductum eſſe vt Arſacium pontificem maximum imitari mores et ritus Chriſtianorum, ſacerdotesque ſuos ad exemplum doctorum Chriſtianorum componere iuberet, quod Chriſtiani tam pura ſanctaque vterentur morum diſciplina, ex eius epiſtola ad Arſacium [b] liquet. Tantumque hoc Platonicorum ſtudium pietatis ad Chriſtianorum imitationem fuit, vt et ſingularia deuotionis genera, quae ſpontanea ſanctitas, procedente tempore ſibi elegerat, et ſenſim publice commendauerat, imitarentur. Cuius exemplum vt lector habeat, ea recoli memoria iubemus, quae ſupra de Serapionis vita eremitica, de Procli ſingulari cultu matris Deûm, deque ſacris omnium ſapientum, itemque omnium hominum manibus quotannis factis ſupra narrauimus. Alia multa his ſimilia diligens lector in hiſtoria horum philoſophorum paſſim deprehendet.

Speratum ex hac ſectae conditione emolumentum philoſophiae,

§. XLVI. Dici non poteſt, quam ſibi placuerit ob hanc efformatam Venerem Ammonius, Plotinus, et tota eorum ſucceſſio. Plurimum enim philoſophiae ſtudium adiutum et reformatam puriorem eius faciem eſſe clamabant, orbique gratulabantur, quod diuinitus edocto inſpiratoque Ammonio, melior et praeſtantior ſapientiae vultus, deterſo ſqualore et coeno, quod eum miſere hactenus deformauerat, iterum apparuiſſet. Qua de re magnifica paſſim ſunt Platonicorum Alexandrinorum verba, magnam prae ſe oſtentationem ferentia, vt vel ex ſolo Hieroclis loco ſupra adducto conſtare poteſt. Imprimis iactabundus in hac re oſtentator eſt EVNAPIVS [c], qui non humanae tantum ſapientiae, ſed diuinae quoque gloriam reſtitutam per hos philoſophos vbique fere gloriatur. Tantum vero abeſt, vt attuliſſe eos vtilitatem aliquam vel philoſophiae, vel eius hiſtoriae credi poſſit, vt potius variis modis vtrique nocuiſſe, maxima vero damna rebus Chriſtianorum ſacris intuliſſe fatendum ſit. Quod vt manifeſtum faciamus, cogitari volumus, ipſam philoſophandi rationem, quam Ammonius cum ſectatoribus elegit, Plotinus vero in perfectum iuſtaeque magnitudinis ſyſtema coire iuſſit. Eam ſyncretiſticam fuiſſe, et pleraque Platonis, Ariſtotelis, et Stoicorum placita inter ſe ita conciliaſſe, vt amice conſpirare viderentur, in diuinis vero omnes fere religiones ſuis nugis adaptaſſe, in antecedentibus prolixe docuimus. Magnam vero inde cladem accepit philoſophia, quae cum ſectarum quidem diſſidiis eſſet in partes diſciſſa, multisque controuerſiis et inanibus quaeſtionibus in praeceps acta, exhibebat tamen philoſophorum principum ſyſtemata genuina, ſicque veritatis cupido occaſionem dabat, de cuius-

ſed fruſtra, damnis potius illatis plurimis.

uis

b) Epiſt. LXIX. p. 429.

c) Videſis prae aliis locis praefationem.

Digitized by Google

uis ſyſtematis veritate vel falſitate iudicandi, eligendique, quod rationi videretur quam maxime conuenire veroque eſſe ſimillimum. Aſt haec vnica, quam philoſophia ſectaria exhibere poterat, vtilitas iſta male ſana conciliatione tota corrupta eſt. Cum enim, vt ſyſtemata in vnam eandemque ire cogerentur ſententiam, diuerſus longe et alienus ab auctorum mente ſenſus illis affingendus eſſet, deprauatam prorſus et a vera mente longe abeuntem ſignificationem ſuſcipere coacta ſunt, ita vt ſi hos homines ſequaris, quid genuinum Platonicum, Ariſtotelicum, Stoicum, et, ſi eos audis, Aegyptiacum ſiue Hermeticum, Chaldaicum, Orphicumque ſit, plane neſcias. Non vero aliena modo et a vera auctorum mente longe recedentia exhibuerunt philoſophaſtri peſſimi, ſed cum meliora quoque dare vellent, aſt intelligendi iudicandique viribus, rectaque ad id voluntate non ſatis inſtructi opus aggrederentur, nubem pro Iunone, nugasque inanes et difficiles pro veritatibus vendiderunt, et, quod aiunt, carbones pro theſauro exhibuerunt. Cum enim ſyſtematum toto coelo inter ſe diſſentientium harmonia non aliis remediis poſſet effici, niſi inanium vocum, obſcurarum notionum et praeciſionum metaphyſicarum ſpectris, dici non poteſt, quam repleuerint homines infauſto ſidere nati campum philoſophiae ſpinis et dumetis, quamque larga loliorum ſeges inter infeliciſſima ſemina effloruerit, quam abſurdae excogitatae hypotheſes, quae monſtra opinionum laruaeque ineptiſſimarum aſſertionum fuerint introductae. Cuius rei ſi quis exempla deſiderat, eum vel vnius Procli libros legere iubemus, vt ad quae ingenii luxuriantis ſomnia et deliramenta infelix philoſophus deflexerit, pateat. Sane vna de Deo diisque doctrina in infinitas tricas excreſcens, et neſcio quos ordines numinum innumerabiles nobis offerens, luculento eſſe poteſt exemplo. Quod eo magis auxere Alexandrini philoſophi, quo magis, vt haberent, quod in tanta verae ſapientiae inopia, blaterarent, ingenii fertiliſſimi quidem, aſt nulla iudicii lege intra limites coacti habenas laxantes Phaëtontis inſtar, per immenſa cogitationum inanium ſpatia diſcurrerunt praecipites, et notiones ſimplices atque claras inaudita ſubtilitate diſſecuerunt, ac inani tumore elati, ad ſummum vsque apicem extulerunt. Quae cum auicularum inſtar nubes petentium oculorum tandem aciei euanuiſſent, et, nec verus ſenſus, nec aperta ſubtilitatis nimiae ratio amplius pateret, ipſique, quid ſibi vellent, non intelligerent, ad vanas et nullius ſenſus ac ſignificationis diſtinctiones et explicationes ipſa re obſcuriores, et ſimilitudines redierunt, lectore interim non incerto tantum, ſed multo magis, quam ante fuerat, dubio relicto. Cuius ſi quis luculenta ſpecimina cupit, Plotini euoluenda illi ſunt volumina, vbi has metaphyſicas nugas, et inanes ac ſine mente ſonos et aſſertiones cateruatim deprehendet. Dabimus tamen, vt lectorem taedioſae lectionis onere liberemus, vnum alterumque rei huius, exemplum, vt genius ſectae totus pateat. Ponebat PLOTINVS [d], pri-

d) Ennead. V. L. VI. c. 3. p. 518.

primum principiorum omnium fontem, produxiſſe νῶν, id eſt mentem et rationem ex qua omnia eſſent genita atque producta, nec eam primi principii locum tueri poſſe, quod tamen veteribus fere omnibus placuerat. Ita enim poſcebat imitatio trinitatis Chriſtianae, ſuis dogmatibus inſerenda, ſuisque attemperanda principiis. Quam, a primo principio diuerſitatem intelligentiae ſiue rationis diuinae, vt probaret, audi quaeſo ita ratiocinantem philoſophum: *Intelligentia ſuapte quidem natura indefinita eſt, tanquam viſus, ſed ab intelligibili definita. Quamobrem, ſicut traditum eſt, ex indefinita duitate atque vno ſpecies numerique gignuntur. Id autem eſt intellectus, itaque non ſimplex eſt, ſed multiplex, compoſitionem quandam prae ſe ferens, quamuis intelligibilem, multaque iam conſpiciens. Iam vero et ipſe eſt rurſus intelligibile, ſed et intelligens, ideoque iam eſt duo.* Haec latius perſequitur, aſt ita obſcure, vt magnus nobis Apollo dicendus ſit, qui claras et perſpicuas ex iſtis ſibi notiones, quas Plotinum ipſum non habuiſſe patet, formauerit. Id, niſi fallimur, vult obſcuriſſimus philoſophus: aliud eſſe ſubiectum, quod intelligere poteſt, aliud intelligentiam, intelligibile ſimplex et vnum eſſe, intelligentiam ad multa pertinere, cum multa ſimul, licet vno intelligentiae actu, conſpiciat. Habere itaque intellectum diuinum quandam compoſitionem, ſed mentalem, quaeque ſimplicitati non officiat; cum intellectualis quaedam intelligentis et intelligibilis inter ſe diuerſa duitas ſit. Id voluiſſe Pythagoram et Platonem, ex vnitate et duitate numeros formasque deriuantes. Facile credimus, lectorem nobis reclamaturum, nosque accuſaturum eſſe, introducere nos ſpectra et cum laruis ludere; non moroſe refragabimur, aſt ſenſum verborum mentemque Plotini nos aſſecutos eſſe, certi fere ſumus. En vero, quas nobis nugas, et diſtinctiones metaphyſicas obtrudat Plotinus, vt phantaſiae ſuae, telarum araneorum quidem in modum ſubtiles, at nihil ſignificantes cogitationes explicet. In ſimpliciſſimo enim ente, (ita enim diuinum intellectum tanquam principium aliquod ſiue ὑπόϛασιν ἀρχικὴν ſibi concipit, et more ſuo notiones et abſtractiones mentis in perſonas transformat) ſibi aliquam compoſitionem, quae verbis tantum, vel modo concipiendi conſtat, imaginatur, immo verba ſine ſono fundens, diſtinctionem comminiſcitur, inter intelligibile, intelligens, et intelligentiam, nullo modo intelligibilem. Platonem vero de anima mundi loquentem, quae vnitatis, id eſt, eſſentiae ſpiritualis, et duitatis ſiue materiae aliquid ſibi admixtum habet, ad inanes nugas ſuas et deliramenta rapit. Sed nugarum nondum ſatis eſt, cum enim abſurda notionis abſtractionisque metaphyſicae in perſonam aliquam vel ὑπόϛασιν commutatione ſequeretur, primam ὑπόϛασιν, fontemque reliquorum, ab altera diſtinguendam, eſſe ἄνευ καὶ ἄλογον, eo quod principio primo-primo monadique omnis compoſitio, licet intelligibilis, qualis in intellectu diuino eſſet, refragaretur, immane vidit monſtrum Plotinus, quo, ſummum atque

primum

primum rerum omnium, maxime intelligibilium, fontem ſine mente et ratione eſſe, dicendum erat: id quod Platoni e diametro aduerſum erat, qui quam maximo ſtudio rationem et intelligentiam in ſummo rerum omnium parente poſuerat. Non habebat Plotinus, quo ſe ex inexplicabili labyrintho extricaret. Confugit itaque [e] ad ſimilitudinem quandam, cum verba ei deeſſent, a luce deſumtam, eamque vel ſimplicem et vniformem, vel variam et multiformem eſſe monet, et ſuperiorem lucem primo ſimpliciſſimo numini tribuit, cum lucidiſſimo ſolis corpore comparato, alteram, ſecundo principio, quam cum ſolis radiis confert. Aſt quid haec ad ἀνόησιν iſtam et ἀλογίαν, Deo tributam? Vt itaque a tanta abſurditate ſeſe liberet, diſtinguit inter νόησιν αὐτὴν ipſam intelligentiam, et inter ἔχον τὴν νόησιν, quod in ſe habet intelligentiam, et primum tribui poſſe primae hypoſtaſi concedit, alterum non item. Aſt, bone Plotine, verba audio, ſenſum non percipio. Dixeras enim, νόησιν eſſe definitam a νοητῶν, adeoque quandam compoſitionem in ſe habere. Forte id dici debuerat: habere quidem primam perſonam trinitatis tuae metaphyſicae intelligendi vim, naturamque et ratiocinandi poteſtatem, ſed non verſari circa obiecta intelligibilia, quae compoſitionem idearum ſimpliciſſimarum quandam et metaphyſicam innuant, ideo ex ſe produxiſſe perſonam alteram, intellectum. Et ſic forte clariora tibi verba data ſunt, quam dediſti, aſt quae, quaeſo, ratio illa eſt, quae nunquam in actum deduci poteſt? quaeque obiecto, de quo cogitat, nullo coniungitur vel afficitur? Sic tu nos inanibus decipis vocibus, et te non intellexiſſe ea, quae nobis myſteria obtuliſti, prodis. Ignoſcet lector beneuolus breuem digreſſiunculam de argumento ſpinoſo et taedio pleno, quam eo fine adducere neceſſe erat, vt genuina facies philoſophiae huius luculenter pateret, et quales philoſophos ſc Alexandrinae ſcholae doctores praeſtiterint, conſtaret. Alia exempla peti poſſunt ex PORPHYRII *ſententiis.*

§. XLVII. Nondum damnorum, quae ex praepoſtera hac philoſophandi ratione in ſapientiae ſtudium redundauerunt, ſatis eſt, ſed plura quoque ei inflicta vulnera. Differuiſſe homines hos, ſpinas colligentes et muſcas venantes, de ſubtiliſſimis metaphyſicarum abſtractionum notionibus modo monuimus. Eae cum in ſe difficulter queant intelligi, omnem tunc fere captum ſuperabant, quod inanes erant, et nullo fundamento, niſi delirantis ingenii ſomniis, nixae. Vt igitur melius intelligerentur, ad ſimilitudines confugiebant, et dictiones atque vocabula impropria; quae cum alienam rem imaginationis imperio ſubiectam ad res omni corporea imagine carentes transferrent, lectores plerosque egerunt in transverſum, vt vel perperam obſcuriſſima placita interpretarentur, vel

Alia philoſophiae damna inde exorta.

e) l. c. p. 536. ſeq.

Digitized by Google

vel plane, quid vellent non caperent. Teſtes hac in re, praeter innumera Platonicorum reformatorum loca, volumus oracula, quae illi Zoroaſtri et Chaldaicae ſcholae ſuppoſuerunt, quae plena ſunt eiusmodi imaginibus, ad res ſpirituales et idola mentis, quae ſibi condiderunt, translatis. Vt vel vno exemplo rem illuſtremus, ita oracula *f*:

Νοέυμεναι ἴυγγες πατρόθεν νοέωσι καὶ αὐταὶ
βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινέυμεναι ὥσε νοῆσαι.
Intellectae iynges a patre intelligunt et ipſae
Conſiliis ineffabilibus motae, vt intelligant.

Quid hoc nomine ſibi velint obſcuriſſimi philoſophi, hariolandum potius quam decernendum eſt, ideas in intellectu diuino reſidentes, quae, aliis ſubſtantiis intelligendi pariter et eſſendi principium largiuntur, deſignare voluiſſe, alio loco *g* veriſimile eſſe oſtendimus. Aſt dum vel auiculae, vel etiam ſphaerulae magicae (vtrumque enim iyngis nomen denotat) imaginem ad notionem metaphyſicam transferunt, loco perſpicuitatis, quam quaerunt, nouas rei in ſe obſcuriſſimae conciliauerunt tenebras. Nec hoc damnum ſolum, ſed corrupta ita quoque iudicii vis fere omnis, vt quo diutius his quisquiliis inhaereas, eo minus de vero iudicare queas; id quod euentus in hac ipſa ſecta comprobauit, quo magis enim illa prouecta aetate inualuit, eo magis iudicium fere omne exſpirauit, ſic vt, quam apud Plotinum et Porphyrium adhuc deprehendere licet iudicii aciem, eam in poſtremis huius ſectae philoſophis plane deſideremus. Vt vero res maxime ſeria et grauiſſima in difficiles nugas Siculasque gerras mutata, ita ſuperſtitionis quoque regnum iſta pſeudo-philoſophia quam maxime amplificatum, cui tamen debellando euertendoque veram philoſophiam manum admouere decebat. Vix opus eſſe putamus, vt haec prolixe probemus, cum ſingulae horum philoſophorum vitae et ſcripta quoque theologica omnia, quae ab iis profecta ſunt, euidentiſſimum exhibeant teſtimonium. Certe Eunapii vitas hiſtoriam ſuperſtitionis philoſophicae melius et accuratius vocari, quam hiſtoriam philoſophorum, omnes paginae loquuntur. Nec ſpoliata tantum veritas ſuperſtitioni inimica telis philoſophicis, ſed iisdem etiam armis oppugnata et eiecta ex plurimorum hominum mentibus eſt. Eo enim fini innumera illa deorum ſeries et ſacerrima conficta eſt catena, vt, quam antea prudentiores ſuperſtitionem riſerant, iſtis coloribus philoſophicis indutam, quicunque philoſophiae nomine dignus eſſe vellet, apertis exciperet amplexibus. Id quod non potuit non prudenti cuilibet valde videri exoſum, et philoſophiae nomen vehementer polluere, praeſertim cum viderent ad aniles fabulas et turpiſſimam ſuperſtitio

f) v. 117. ſeqq. *g*) Amoenit. liter. T. VIII. art. 1. p. 299. ſeqq.

Digitized by Google

ſtitionem pleraque reuocari. Tandem et hiſtoriam philoſophicam huius ſectae ſtudio vehementer corruptam eſſe merito dolendum eſt. Etſi enim Porphyrii et Iamblichi in ea excolenda ſtudium negari non poteſt, clarum tamen ſuo loco fecimus, vtrumque non de hiſtoriae veritate, ſed de ſectae ſuae gloria fuiſſe ſollicitum, nec erubuiſſe, mendaciis et fabulis hiſtoriam philoſophiae adulterare, Porphyrium etiam eorum philoſophorum famam iniuſtis armis aggreſſum fuiſſe et profligare voluiſſe, quos ſuae ſectae rationibus aduerſos noſſet, praecipue Socratis. Omnium vero maxima vulnera inflixiſſe hiſtoriae philoſophicae libris ſpuriis viris magnis ſuppoſitis hanc ſectam fatendum eſt. Cum enim iuſtos ſe vetuſtiſſimae ſapientiae Chaldaicae, Aegyptiacae, Orphicae poſſeſſores dicerent, non tantum exiguas illas reliquias et fragmenta, quae ſupererant, ad ſuorum placitorum normam fuere interpretati, ſed vt antiquitatis ſibi conciliarent praeiudicium, ingenii ſui foetus adulterinos veros et genuinos veterum philoſophorum partus eſſe magna impudentia dixerunt. Cuius generis pleraque eſſe, quae de Zoroaſtre, Hermete, Orpheo, aliisque magni nominis viris circumferuntur ſcripta, *tomo primo* luculenter expoſuimus.

§. XLVIII. Non minora fuere damna, quae ab hac ſecta eclectica, vel ſyncretiſtica Platonicorum Alexandrinorum paſſa eſt eccleſia. Quae licet grauia ſatis fuerint maximumque in hiſtoria ſacra momentum habeant, prolixae tamen heic loci, vbi non ciuitatis Dei, ſed philoſophiae, hiſtoriam ſcribimus, enarrari non poſſunt, ſed ſtrictim tantum exponenda ſunt, vt, quo loco habendi ſint homines, magnis quorundam veterum multorumque recentiorum laudibus digni iudicati, appareat. Et inficiandum quidem haud eſt, cum laudauiſſe valde et commendauiſſe ipſos Chriſtianos doctores rationem hanc philoſophandi eclecticam, tum eorum quosdam eruditionis laude, quam ſibi Ammonii ſchola comparauerat, illectos eius praecepta didiciſſe: praeſtitiſſe etiam hanc ſectam aliquam Chriſtiano nomini operam, eo quod Gnoſticorum aliorumque haereticorum deliramenta fortiter oppugnauerit [a]. Quin et reticendum non eſt, multis ex Plotini ſchola hanc philoſophiam viam ad Chriſtianam religionem monſtrauiſſe, cum in illa ſanctius, et plenius ea doceri viderent, quae apud magiſtros ſuos didicerant, vel exiguum diſcrimen intercedere putarent. Qua de re digna ſunt, quae afferantur, verba AVGVSTINI [b] ita ſcribentis: *Tunc Plotini ſchola Romae floruit, habuitque condiſcipulos multos acutiſſimos et ſolertiſſimos viros. Sed aliqui eorum magicarum artium curioſitate deprauati ſunt, aliqui Dominum Ieſum Chriſtum ipſius veritatis atque ſapientiae incommutabilis, quam conabantur attingere, cognoſcentes geſtare perſonam in eius* mili-

Damna ex hac philoſophia in eccleſiam redundantia.

a) CLEM. ALEX. Strom. L. I. p. 188 GREGOR. THAVMAT. Or. paneg. in Orig. p. 45. LACTANT. L. II. c. 8.

b) Epiſt. LXVIII. ad Dioſcur. c. V. §. 33. T. II. opp. p. 260.

Digitized by Google

militiam transiuerunt. Cuius cauſſam alio loco [a] hanc exponit: *Itaque*, ait, *ſi hanc vitam illi viri nobiſcum rurſus agere potuiſſent, viderent profecto, cuius auctoritate facilius conſuleretur hominibus, et paucis mutatis verbis atque ſententiis Chriſtiani fierent, ſicut plerique recentiorum noſtrorumque temporum Platonici fecerunt.* Vtrumque vero, ſi recte rem aeſtimes, magno ceſſit eccleſiae Ieſu Chriſti damno. Cum enim et Platonici hi ſententiarum ſimilitudine decepti in Chriſtiana caſtra tranſirent, at domeſticas hypotheſes eo transferrent ſimul, et cum Chriſtianis dogmatibus conciliarent: et Chriſtianorum filii horum hominum ſcholas frequentarent, quos eruditionis elegantia et philoſophiae laude commendari audiebant; factum inde eſt, vt caſtiſſima Ieſu Chriſti doctrina valde pollueretur, et male ſana dogmata Alexandrina ſanctioris philoſophiae circulos miſere turbarent. Ex eo enim tempore euenit, vt Platonicam philoſophiam et Chriſtianam religionem leui immutatione et emendatione facta ſimul ſtare coniungique poſſe doctores Chriſtiani opinarentur. Id quod praecipue factum, poſtquam Origenes in Ammonii ſchola hanc philoſophandi viam ingreſſus, eam mutatis paucis capitibus ad Chriſtiana placita retulerat, ſicque is ſacram doctrinam, Platonico habitu exornatam auctamque, in Alexandrinam ſcholam introduxerat, vt ex illis luculenter patebit, quae *tomo tertio* de eius dogmatibus Ammonianis dicturi ſumus. Is enim cum plurimos diſcipulos haberet, qui eruditionis eius fama illecti philoſophiam et theologiam ab eo diſcere cuperent, omnes eadem, quam ab Ammonio acceperat, methodo, inſtructi ſunt. Qui cum poſtea non exiguam inde commendationem accepiſſent, quod tanto magiſtro vſi eſſent, ad ſumma eccleſiae munera promoti ſunt: qui diſciplinam hanc Ammonio-Origenianam per omnem Aegyptum multasque Orientis prouincias diſſeminarunt, et his loliis agrum DEI vbique aſperſerunt. Quod quas calamitates eccleſiae, quas turbas concitauerit, et quam difficulter malum potuerit eradicari, in eccleſiaſticis annalibus pluribus ſolet exponi. Quod tantum abeſt, vt ſuperſtitionis gentilis patrocinium, quod haec ſecta ſtabiliebat, tolleret, vt potius ea contra Chriſtianos haud vno modo victorias obtineret. Cum enim illis tela, a diſſidiis philoſophorum, a doctrinae futilitate, a moralis philoſophiae inſufficientia, et quae alia huius generis erant, petita extorſiſſet, et imprimis, quae pro ſacra tuenda doctrina afferebatur miraculorum gloriam, dogmatum ſublimitatem, veritatem et ſanctitatem ſubdola imitatione, fraudibus et mendaciis eluſiſſent, populi vero religioni, cuius viros prudentiores hactenus puduerat, hederam illam appoſuiſſent, qua et ſapientioribus venalis videri poſſet, perſuaſerunt multis, vt relictis ſacris Chriſtianis ad vomitum priſtinum reuerterentur, et apoſtaſiam non refugerent, vel vt in auita ſuperſtitione perſiſterent, rati parum inter-

a) De vera relig. c. IV. §. VII. T. I. p. 559. ſeqq.

Digitized by Google

intereſſe diſcriminis, cui cultus diuini generi adhaererent, cum ſtatuerent, quae Maximi Madaurenſis Platonici Africani verba ſunt apud AVGVSTINVM [l], *Deum omnibus religionibus commune nomen eſſe: et ita fieri, vt dum eius quaſi membra quaedam carptim variis ſupplicationibus proſequamur, totum colere profecto videamur.* Illius exemplum habemus Iulianum imperatorem, ſupra prolixe enarratum, quem cum ſollicite cuſtodiendum Conſtantius duxerit, ne gentilium philoſophorum ſcholis innutritus occaſionem deficiendi a fide caperet, recte inde colligitur, plura eiusmodi exempla triſtia hanc prouidentiam imperatori ſuaſiſſe. Huius vero exempla eſſe poſſunt Platonici temperatioris ingenii, qui non quidem auito cultui nuntium miſerunt, aſt nec Chriſtiana ſacra, licet publica confeſſione ſe illis non addicerent, reiecerunt, rati, diuerſo licet ritu, vnum tamen omnes Deum colere, nec hanc religionum diuerſitatem illi diſplicere, adeoque ab hominibus quoque ferendam eſſe. Id quod eo fortius illis placuit, quo magis Alexandrina philoſophia commune omnium fere religionum habebatur receptaculum. Hunc in cenſum Ammianum Marcellinum, Chalcidium, Symmachum, Themiſtium, refert Cel. MOSHEMIVS [m], qui de ea re videndus, de qua nos quoque pauca ſupra diximus. Qui vero in eccleſia verſabantur, huius philoſophiae amore adeo ineſcabantur, vt non dubitarent, nouam ſibi ad eius normam religionem effingere, quae Chriſtianae quidem nomen tueretur, aſt re ipſa illi eſſet diſſimillima. Cuius exempla etſi multa occurrunt, ſuo loco enarranda, Syneſii tamen Θεολογούμενα omnium luculentiſſimum ſpecimen ſunt, vt *tomo tertio* faciemus manifeſtum. Qui cum grauiſſima momenta Chriſtianae confeſſionis negaſſet, et nefanda *βδελύγματα* quae ab Hypatia didicit, fuiſſet profeſſus, nihilo tamen minus dignus iudicatus eſt, qui coetui Chriſtiano antiſtes praeficeretur: adeo non abhorrebat a Platonicis nugis eccleſia. Simile et illuſtrius etiam exemplum in *Clementinorum* auctore prolixe et eleganter expoſuit doctiſſimus MOSHEMIVS [n]. Huic malo affine eſt illud, quo nefandae philoſophiae myſteria Chriſtianis doctrinis attemperata viris ſanctis ſeculi primi et ſecundi afficta eisque libri his impuris dogmatibus pleni tributi ſunt. Cuius notiſſimum exemplum cum exhibeant ſcripta, quae ſub Dionyſii Areopagitae nomine ambulant, de quibus *tomo tertio* dicetur, aliud in re nota non addimus. Id quod ſemel receptis Alexandrinae philoſophiae axiomatibus, fieri eo facilius poterat, quo magis in ea receptum licitumque credebatur, pia fraude vti, et rem ſacram iuuare mendaciis, a qua ſcabie Chriſtianos, doctores cetera graues atque pios non fuiſſe immunes, docte probauit MOSHEMIVS [o], ad quem breuitati conſulentes, lectorem remittimus. Poſſent his addi alia, et fanaticiſmus in multis orientis eccleſiis per multa

l) Ep. XVI. T. II. p. 15.
m) l. c. §. 30. ſeq. p. 162. ſeqq.
n) l. c. §. 34. ſeq. p. 174. ſeqq.
o) loc. cit. p. 202.

ſecula regnans, qui tandem ad eccleſias quoque occidentales, cum libris Pſeudo-Dionyſii tranſiit, huc aduocari, niſi in Chriſtianae philoſophiae hiſtoria ea res eſſet tangenda. Quin et rituum et ceremoniarum et dogmatum ad eas ſtabiliendas excogitatarum hiſtoria [p] poſſet in partes vocari, quae non leuem ex hac philoſophia immutationem paſſa ſunt. Verum cum haec extra oleas vagentur, ea ciuitatis Chriſtianae hiſtoriam condentibus expendenda relinquimus. Hoc tamen vnum adiicimus, praeiudicia etiam doctis viris plurima eandem philoſophiam genuiſſe. Inter quae lepidam, quae per tot ſecula viguit, totque ſecuri rogoque homines addixit, daemonologiam merito referendam eſſe, vel ſolus PSELLI *de operatione daemonum* libellus, ex horum philoſophorum praeceptis totus conſtans, loquitur. Alia, ne nimii ſimus, tacemus.

Diſcordia huius ſectae.

§. XLIX. Expectabit iam lector, ipſius philoſophiae Platonicae reformatae ſiue Alexandrinae delineationem, vt cum genuino Platonis ſyſtemate illam queat comparare; ſed rem ſe poſtulare non difficilem tantum, ſed plane impoſſibilem, facile intelliget, ſi ad rationes et circumſtantias huius ſectae pauliſper attendere accurate voluerit. Etſi enim in eo conſpirauit tota ſecta, vt conciliatis inter ſe omnibus fere ſectis et religionibus philoſophiam reformatam ſuperſtitioni receptae ancillaturam ſtabiliret, et Chriſtianae religionis ſufflaminaret ſucceſſus, caue tamen credas in vnum certum definitumque doctrinae ſyſtema eam conſenſiſſe; contrarium enim ipſa monumentorum ab his philoſophis nobis relictorum docet inſpectio, nec natura et conditio huius philoſophiae aliud patitur. Cum enim diuerſiſſimorum longeque inter ſe diſtantium dogmatum conciliationem quibuscunque poſſent machinis inire vellent, ingenio omnino indulgendum erat, eiusque beneficio tentandum, quod res ipſa denegauerat. Aſt hic valde variabant homines otioſi ſuisque nugis tribuentes plurimum. Nam cum nulla fere conciliatio faceret ſatis, ſemper ad alias tranſibat audacia, nouum errori quaeſitura patrocinium: et quanto quis phantaſiae fertilitate felicior erat, tanto plus ad ſyſtema ſemel definitum, vt ſyncretiſticum eſſet, attuliſſe ſe ſibi videbatur. Hinc tot diuerſa inter ſeſe horum philoſophorum *φιλοσοφέμενα*, quae cum ad voces nihili et inanes diſtinctiones cuncta redirent, non potuere non diuerſiſſima tantum de vna eademque re nobis huius ſectae exhibere placita. Cuius obſeruationis in ſequentibus quidem aliquot occurrent ſpecimina, vno tamen alteroque fidem huius rei lectori facere non abs re factum iri putamus. Maximi feciſſe magiam Platonicos vltimos et in his Proclum, ex ſupra dictis conſtare arbitramur, huc enim virtutem theurgicam aduocabant: Sane inter ſummas Procli perfectiones hanc fuiſſe, et magnifice iactat et exemplis tuetur MARINVS [q]. Nec aliter IAMBLICHVS,

p) Tales ſunt ieiunia, coelibatus, et his ſimilia.

q) Vit. Procli c. 28. p. 67.

Digitized by Googl

CHVS [r], qui, vbi monuiſſet, *duas habere hominem animas, vnam a primo intelligibili, quae participet de potentia opificis, alteram, quae nobis inditur ex circuitu coeleſtium mundorum, ad quem anima Deum ſpeculatura reuertatur*, ait porro, *hanc obtemperare motibus mundorum; illam vero, quae ab intelligibili deriuetur, et adſit intelligibiliter, eſſe ſupra orbem geniturae, et ſolui a fati vinculis, et ad eam pertinere, adſcenſum ad Deos intelligibiles, et theurgiam omnem ad ingenitum ducentem.* Ita etiam PSELLVS [s]. Aſt aliter placuit PLOTINO et PORPHYRIO. Ille enim magiae, et theurgicis operationibus non ineſſe vim in partem animae intelligibilem, ſed tantum in eam partem, quae ex vniuerſo aſſumta irrationalis eſt, contendit, hincque etiam magicis artibus tantum quoad corpus hominem appeti poſſe aſſerit [t]. Hic vero, non tantum interdum prorſus eam reprobat, ſed vbi etiam laudat et admittit, teſte AVGVSTINO [u], *vtilem tantum* dicit *mundanae parti animae, non quidem intellectuali, qua rerum intelligibilium percipitur veritas, nullas habentium ſimilitudines corporum, ſed ſpirituali, qua corporalium rerum capiuntur imagines, eaque aptam fieri ſuſceptioni ſpirituum et angelorum ad videndum Deos: nihil vero inde accidere purgationi intellectuali animae, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum ſuum, et perſpicienda ea, quae vere ſunt.* Pari fere modo inter ſe diſſentiunt PORPHYRIVS [x] et IAMBLICHVS [y] de poteſtate fati in Deos. Prior enim, fato ſubeſſe Deos concedit, idque tuetur, cuius loca attulit EVSEBIVS [z], poſterior, nec Diis ipſis fatum applicandum eſſe, docet, qui tanquam fati auerrunci in templis ſtatuisque colendi ſint. Aſt ab vtroque recedit HIEROCLES [a], qui vt medium teneat, inter fati, vel quod idem illi eſt, prouidentiae diuinae effectus, pro naturarum ſpiritualium magis vel minus perfectarum conditione diſtinguit, et ex Platonis, vt putat, mente, circa eas naturas, quae imperturbatae et vſquequaque perfectae ac proinde peccati expertes ſunt, puram, ſimplicem et vniformem Dei conſtituit prouidentiam, circa alias vero rationе vtentes, quales aërias ſupra dixerat, eo quod inſcitiae et ignorantiae nonnunquam ſint obnoxiae ac propterea vitio obſitae, (vel expoſitae potius) permixtam occaſionibus atque fortunis prouidentiam tribuit. Alia diſſonantia Platonicorum de fati in Deos daemonasque poteſtate effata praetermittimus, diſcenda ex eorum fragmentis, quae collegit HVGO GROTIVS [b]. Multa huius generis ex Platonicorum Alexandrinorum ſcriptis, et *ſententiis* etiam *phyſicis* a STOBAEO [c] collectis poſſent adduci, ſi id ageremus, quibus euidenter conſtat, eos ſaepe numero inter ſe diſſenſiſſe: exempla tamen pluſcula paſſim attulit, THO-

r) De myſter. Aegypt. Sect. VIII. c. 6. p. 162.
s) Conf. TH. GALE ad l. c. Iambl.
t) Enn. IV. L. IV. c. 43. p. 437.
u) De C. D. L. X. c. 9. conf. GALE loc. cit. HOLSTEN. vit. Porphyr. p. 268. ed. Fabr.
x) Conf. PHOT. Cod. CCXXIII. p. 563.
y) l. c. c. 7. p. 162.
z) Praep. L. VI. c. 1. p. 236. ſeqq.
a) PHOT. Cod. CCXLII. p. 753.
b) In collectione philoſ. ſent. de fato p. 12. ſqq. ed. Paris.
c) Vide notabilem locum p. 115.

THOMAS GALEVS [d] in hac philoſophicae hiſtoriae parte verſatiſſimus, qui adiri poteſt. Multum vero haec diſcordia aucta eſt, allegorica fabularum explicatione, quae cum propria ingenii mire luxuriantis εὑρήματα pro interpretationis norma ſupponeret, hisque cuncta accommodaret, non potuere non diuerſiſſimae etiam exinde ſententiae exſurgere. Cuius rei fidem imprimis facient Procli ſcripta, ex quibus luculenter diſcemus, eum nec cum aliis Platonicis, nec ſecum vbique ſatis conſpirare [e]. Quae cum ita ſint, ſperandum non eſt, ſyſtema aliquod cohaerens inter ſe horum hominum poſſe exhiberi, qui in hoc ſolo ſe eclecticos praeſtiterunt, vt recte obſeruatum viris doctiſſimis OLEARIO [f] et MOSHEMIO [g]. Cum vero doctrina huius ſcholae, quae non in philoſophico tantum ſed eccleſiaſtico etiam orbe tantam celebritatem et auctoritatem nacta eſt, cognoſcenda tamen ſit et qua ratione philoſophati fuerint, oſtendendum, ſi legibus inſtituti noſtri, quas nobis tulimus, parendum, certior hic et rectior vix via patet, quam vt eo, quem in aliis quoque ſectis ſeruauimus, more vnum alterumque ex horum numero philoſophum de potioribus argumentis differentem audiamus, et quae apud alios occurrunt, notabiliora et vel diſſona, vel aliam explicationem poſtulantia, qua licet breuitate adferamus. Quae tamen limitum quos nobis poſuimus anguſtia prohibet, quo minus quantam poſtulat rei prolixitas, lucem ei afferamus, quae in peculiari huius ſectae et philoſophiae hiſtoria, quam licet promiſſam hactenus vehementer deſideramus, tantum poteſt accendi. Eligemus vero in metaphyſicis, quibus dialectica quaedam praemiſit, PLOTINVM, hominem ſubtiliſſimum, at obſcurum et inuenuſtum, quem tamen haud raro paulo magis ornauit et luculentiorem reddidit MARSILIVS FICINVS [h]; in theologicis, IAMBLICHVM [i] luculenter de ſpiritibus eorumque cultu differentem; in moralibus PORPHYRIVM [k] animam ad apprehendendum ſummum intelligibile formantem, ita tamen, vt, quae memorabilia apud alios occurrunt, non plane negligamus. Ita enim ſperamus, fore, vt non quidem philoſophiae Alexandrinae ſyſtema, at philoſophemata tamen eius ſectae genuina, ipſisque philoſophorum horum, quantum licet, verbis propoſita cognoſcere queamus paulo clarius. In his vero omnibus lectorem maxime, et primo loco attendere iubemus, ad ſyſtema emanatiuum, in quo conſenſere omnes; ex eo enim pleraque lucem capiunt, imprimis' catena illa ſiue ſcala diuinorum, quam otioſa haec ingenia commenta ſunt, finisque, quem ſibi omnes conſtituerunt.

§. L.

d) In not. ad IAMBLICHVM. Adde paſſim MOSHEMIVM ad Cudw.

e) Commentarii loco eſſe poteſt STANLEII Hiſt. phil. Orientalis cum annotationibus I. CLERICI.

f) De philoſ. eccleſt. p. 1280.

g) loc. cit.

h) In argumentis capitum. Plotinum vero aliis praeſertim Proclo praeferendum eſſe, recte monuit MOSHEMIVS l. c. p. 658. n. 21. Ideo eum puriorem Platonicum vocat STOBAEVS eclog. phyſ. I. I. p. 113.

i) De myſteriis Aegyptiorum.

k) Paſſim in ſcriptis ſuis maxime vero περὶ ἀφορμῶν.

Digitized by Google

§. L. In dialecticis preſſiſſe Platonicos Alexandrinos plerumque veſtigia Ariſtotelis, et ex ſupra dictis notum eſt, et ex commentariis, quos in Ariſtotelis libros logicos haec ſchola exarauit, conſtat, nec ignota ſunt in hiſtoria Peripatetica, Porphyrii, Ammonii Hermeae, Procli, Simplicii, Pſelli, Philoponi et Boëthii, qui etiam ex hac ſchola prodierunt, labores, quibus illis lucem afferre ſunt conati. Inuenit tamen PLOTINVS [l], vt in ſubtilitatibus eiuscemodi, et abſtractionibus mentalibus ipſum foecunditate ſuperauit Ariſtotelem, quae non tantum in ſcala eius praedicamentali carperet, ſed quae meliora etiam, vt ipſi videbantur, reponeret. Nos relictis prioribus, paucis poſteriora [m] afferemus, cum non tantum ſcalam rerum dialecticam, ſed etiam metaphyſicam exponant. Ita vero in iis libris, quos *de generibus entis* inſcripſit Porphyrius [n]. *Dialectica eclecticorum.*

I. Solum verum ens eſt, cui non miſcetur entis oppoſitum, id eſt priuatio eſſendi.

II. Multa quae ſunt in primo ente, neceſſario ſunt ab vno, et tamen, cum vnumquodque non ſit conforme cum alio, ipſum ſeorſim genus exiſtit. Vnum enim quod deſuper extat, non cum generibus connumeratur.

III. In primo intellectu eſt ens, motus, ſtatus, tanquam tria rerum genera, quae ipſa natura vnum, ratione formali tria ſunt. Illa natura motus eſt primus.

IV. Ipſum ſimpliciter vnum, quod eſt ente ſuperius, de nullo vel entium vel generum praedicatur vt genus.

V. Nec ens, nec vnum eadem vbique ratione inſunt, ſed ratione diuerſa magisque et minus, gradatim, et prius et poſterius. Fundamenta haec ſunt dialectica, vel ontologica potius ſyſtematis emanatiui, quod ex Deo, omni ente ſuperiore, tanquam fonte fontium cuncta deriuat. His nugis ſuperſtructum totum aedificium ſyſtematis emanatiui, quod ſuppoſito ineffabili rerum omnium fonte, ſuper omnem entis rationem et conditionem extollendo, gradus et ordines atque affectiones cum principiorum emanatiuorum, tum effectuum explicuit, iisque ſuas diſtinctiones et praeciſiones mentis applicuit. De his ita porro Plotinus:

VI. Nec numerus, nec quantitas, nec qualitas ſunt inter prima rerum, ſed poſteriora eſſentiae, quae poſt eam demum naſcuntur.

VII. Motus entis intimus, ſtatus, identitas et alteritas non ſunt qualitates entis, ſed eius proprietates, et actus potius entis reuera exiſtentis in actu, id eſt, non complent eſſentiam, ſed ſunt ipſa eſſentia.

VIII.

l) Enn. VI. L. I. p. 566. ſeqq.
m) L. II. et III. p. 595.
n) Sequimur tamen in iis Ficini ſummam capitibus praefixam, quae magnam obſcuritatem habent, in reliquis ipſius Plotini verbis vtimur.

Digitized by Google

VIII. Relatio, locus, vbi tempus, poſitio habitus actio non prima genera ſunt, nec penes illa, ſunt enim aduentitia, et compoſitionem vel defectum innuunt.

IX. Intellectus primus dum ſe intelligit, et omnia inter ſe diſcernit, habet numerum in illis, quae contuetur, vnumque eſt et multa, id eſt vires plurimae, vigentes ad ſummum, purae, i. e. potentiae, et quidem infinitae et ipſa infinitas et magnitudo, quae et quantum et quale diuidit, vnde differentiae figurarum et aliae qualitates exoriuntur. Ludit intellectus vel ſubiectiue vel obiectiue (vt loqui in ſcholis mos eſt) ſumta voce Plotinus, cumque rerum omnium et potentias et ideas in ſe contineat intellectus, inde et vnum et multa ſtatuit. Aſt his nugis tota fere Plotini de λόγῳ intellectuque diuino tractatio, quae magnam partem ſyſtematis eius metaphyſici conficit, innititur. Hinc ſequitur:

X. Intellectus, qui ideas contemplatur, a ſuo quodam ſuperiore minime ſegregatus, ex ipſo quidem exiſtens vnum eſt, at alteritatis naturam habens vnus euadit multa.

XI. Intellectus poſt ſe habet animam, quae adeo et ipſa in numero eſt, vsque ad id, quod ipſius eſt vltimum, hoc vero infinitum eſt: eſt enim pars intellectus, qui pars boni ipſius eſt, ſed tanquam actus ex ipſo dependens. Hac potiſſimum aſſertione nititur trinitatis Plotinianae myſterium, de quo infra, quam metaphyſicam eapropter recte dixeris e).

XII. In ſenſibili mundo, vt in intelligibili, licet analogice, et ſecundum proportionatam ſimilitudinem quandam ſunt etiam quinque genera rerum f).

XIII. Natura corporea aequiuoce tantum dicitur eſſentia, habet enim notionem fluxus, et generatio potius dicenda eſſet g).

XIV. Quinque rerum, quae in mundo ſenſibili ſunt, genera ſunt: ſubſtantia, accidens quod eſt in ſubſtantia, accidens in quo ſubſtantia, motus, relatio. Ad tria tamen reduci poſſunt.

XV. Subſtantia eſt, fundamentum quoddam et ſuſceptaculum aliorum, et ſui iuris eſt, nec eſt alterius, aut ſi alicuius pars eſt, compoſitum ipſum complet, dum quodlibet ſui ipſius exiſtit.

XVI. Omni ſubſtantiae conuenit, in ſubiecto non eſſe.

XVII. Genus ſubſtantiae in ſpecies diuiſuri, diſtinguere poſſumus per ea, quae ad ſenſus pertinent, videlicet per qualitates vel ſimplices, vel mixtas, item per formas et figuras ac loca.

XVIII.

e) An vero meris notionibus ex mente Plotini conſtet, vel plus dicat, in ſequentibus diſputabimus.

f) l. c. L. III. p. 616.

g) Sequitur hic Platonicam et Pythagoricam notionem, conf. P o r p h y r. περὶ ἀφορμ. ſent. 22. p. m. 68. ed. Rom.

Digitized by Google

XVIII. Quantitas in numero et magnitudine ponenda eſt, locus vero et tempus in ratione quantitatis minime computantur, pertinent enim ad relationem. Quantum autem contrarietatem recipit.

XIX. In genere qualitatis ponenda eſt primo ipſa qualitas, deinde, qui qualitate praeditus eſt, tertio qualitatis motus.

XX. Motus genus eſt, ſi ad aliud genus non reducitur. Motus autem ſignificat progreſſionem quamlibet ſiue natura ſeruata, ſiue transmutata.

XXI. Communis omnibus motibus eſt proceſſio vel exitus ex potentia in illud, quod poſſe dicitur.

XXII. Motus, circa ſenſibilia qui verſatur, eſt ſtimulus quidam vel impetus ab alio in aliud vergens, et excitans, ne participans motu maneat in quiete: differt vero ab iis, quae mouentur.

XXIII. Motuum ſpecies probabilius diſtinguuntur per differentias internas, quam externas, ſcilicet vires motrices, aut inanimatas, aut animatas, aut ſic vel aliter animatas, vel per impulſum artis vel conſilii.

XXIV. Quies eſt priuatio quaedam; ſtatus in aeternis non eſt priuatio motus, qui in iis non eſt.

XXV. Facere atque pati motiones ſunt, ſic et reliqua genera ſiue praedicamenta, ad dicta referri poſſunt v. g. relatio, quae eſt alterius ad alterum habitudo.

Haec de praedicamentorum vel, qua voce vtitur, generum natura. Ex quibus patet, Archytae et Ariſtotelis ita preſſiſſe veſtigia, vt conſiderationis nouitate ab iis abire videretur, nec attuliſſe tamen nouum aliquid, niſi quod notiones, in ſe arbitrarias ſyſtemati metaphyſico ſuo, quod emanatiuum eſſe, ſupra monuimus, preſſius applicaret. Quod annon veterum mentem peruerterit, ex horum cum iis, quae *tomo primo* de hac re diximus, comparatione apparebit.

§. LI. Aeque ſpinoſa ſunt et intricata, quae in metaphyſica copioſe diſputat Plotinus, in qua tamen, quando ſe labyrintho difficultatum, et praeciſionum mentis nimiarum, atque intelligentiam quaſi fugientium, extricare non poteſt, plane nihil definit, ſed lectoris meditationem relinquit haerentem et ſuſpenſam. Colligemus nos, vt lectorem taedio moleſtiſſimi et ingrati laboris liberemus, potiora, eo, quo in antecedentibus vſi ſumus, modo. Ita vero praecipit PLOTINVS: *Metaphyſica eclecticorum de Deo.*

I. Principium omnium non eſt omnia, ſed ſuper omnia et poteſtas omnium, quae quidem niſi eſſet, neque cetera forent. Super-ens nempe, quod neque mouetur neque diuiditur, neque multiplicatur, licet omnia ex eo procedant r). Primum et genuinum totius ſyſtematis emanatiui prin-

r) Haec vbique fere inculcat, vid. Enn. III. L. VIII. c. 9. p. 351. Enn. V. L. I. c. 7. p. 489. Enn. V. L. II. c. 1. p. 493. Enn. VI. L. II. c. 9. p. 603. et alibi.

Digitized by Google

principium, nempe fontem fontium omnium, omnibus priorem innuit Plotinus, ſicque clauem porrigit, qua totum ſyſtematis aedificium referari poteſt. Recte vero hoc illi tribui, vt appareat, en ipſius verba [e]: *Actus vitae, qui omnia eſt, non eſt ipſum primum, ſed ex principio velut fonte profunditur. Cogita fontem principium aliud non habentem, fluminibus vero ſe totum tradentem, nec tamen fluminibus vllis exhauſtum, ſed in ſe quiete manentem, flumina vero ab ipſo fluentia antequam aliud alio fluat, adhuc vna manentia, et quaſi iam cognoſcentia, quo ab ipſis fluxuri ſint riuuli.* Paſſim haec inculcat, et hoc principium primo primum ſuper omnia euehit. Nec aliter eiusdem tribus philoſophi. Et inter eos luculenter IAMBLICHVS [f]: *Ante eas res, quae vere ſunt, et ante principia vniuerſalium eſt Deus vnus, prior etiam primo Deo, et rege eſt ille immobilis, in ſolitudine ſuae vnitatis permanens, neque enim intellectuale ei immiſcetur, neque aliquid aliud, eſtque exemplar ipſius, ſui ipſius pater, et de ſe genitus, et vni pater Deus, et vere bonus.* Et, vt ſecundum ſyſtema emanatiuum haec intelligi ſciamus, addit: *Eſt enim maius quid et prius, fons omnium et radix intelligibilium idearum primarum entium.* Diſplicuit hic valde locus RAD. CVDWORTHO [g], qui a Plotini mente primum receſſiſſe Iamblichum putat, cum Deum ante Deum primum collocaret. Nihil tamen videmus, quod nos aliter Iamblichum intelligere cogat, quam vult Plotinus, modo id notemus, in *παιδείας τρόπῳ* parum per eum a praeceptoribus differre, et reſpicere ad primum fontem principiorum omnium: quod in allato quoque loco fecit Plotinus. Vtrum Chalcidenſis philoſophus loquendi hunc modum a Chriſtianis de generatione verbi differentibus deſumſerit, vel eos imitatione expreſſerit, quod vult Ven. Interpres; vel, annon ad Aegyptiacam et Orientalem doctrinam reſpiciat, quam ante exortam Plotini ſcholam talia docuiſſe, ex Gnoſticorum ſomniis et Cabbaliſtarum Or haënſoph et Adam Kadmon, de quibus infra dicemus, quaeque ex Aegyptiaca theologia, orientali admixta deſumta ſunt, patet, nunc non diſputabimus. Illud certum eſt, totam hanc ſcholam principium eiusmodi primo primum, omni ente ſuperius, omnique intellectu principioque diuino prius ſtatuiſſe. Ita enim PORPHYRIVS [h] quoque, qui *τὸ ἐπέκεινα νοῦ*, id quod ſupra mentem diuinam eſt principium tantae profunditatis eſſe dicit, vt non tam intelligendo, quam *ἀνοησίᾳ* et quiete otioque intellectus comprehendi poſſe dicat. Valde tamen, etſi in hoc conſenſere Alexandrini philoſophi, eſſe omnibus principiis diuinis aliquod prius et diuinius, in abyſſo deitatis latens, inter ſe diſſenſerunt, vtrum illud ad tres iſtas *ὑποστάσεις ἀρχικὰς*, de quibus poſtea dicemus, referendum vel illi proponendum ſit? Quod poſterius poſt Concilii Nicaeni demum tempora placuiſſe Platonicis iunioribus, maxime Proclo, viſum RAD. CVD-

e) l. c. p. 351.
f) De myſteriis ſ. VIII. c. 2. p. 158.
g) Syſt. intell. c. IV. §. 36. p. 732. a.
h) loc. cit. p. 71.

y Google

CVDWORTHO *. Id quod recte reiecit acutissimus interpres, qui Pseudo-Hermetis loco a CYRILLO ALEXANDRINO y seruato probat, longe prius, ac Iamblichi aetate z, principium aliquod primum triadi hypostaticae in Platonica schola fuisse praepositum. Paulo enim supra diximus in Cabbalistico systemate, quod ante C. N. exortum est, lumen infinitum, triadi sephiroticae in homine primogenito fuisse praemissum: idem Gnosticorum Deus, in supremo et profundissimo silentio habitans, quin et λείψανα orientalis philosophiae et imprimis Zoroastreae, ante principia rerum omnium spiritualia, siue emanationes hunc ineffabilem fontem deitatis ponentia probant, vt ex iis patescet, quae infra de ea re dabimus. Plotinus tamen, nisi nos obscuritate sua fallit, Deum hunc primo-primum, a trinitate non separauit, sed fontem et intellectus diuini et animae diuinae constituit a, pressius paulo Platonem imitaturus, a quo tamen, notionibus metaphysicis duplicem sibi Trinitatem excogitans ὑπερκόσμιον et ἐγκόσμιον, mire ipse quoque deflectit.

II. Principium hoc primo-primum vitae intellectualis causa est, nempe essentiae entisque auctor, quoniam est ipsum vnum, est enim simplex, est et primum, quoniam est principium; ab eo namque omnia profluunt, ab eo motus primus exoritur, neque tamen est in eo, ab eó quoque status, quoniam ipse nihilo indiget, neque enim mouetur, neque quiescit, cum nihil habeat, in quo quiescat aut reuoluatur b.

III. Neque potest definitum esse, a nemine enim potest definiri, neque est ita infinitum vt moles immensa; sed dicitur infinitum, quod non sint plura quam vnum, neque habeat aliquid, ad quod suorum aliquid terminet c.

IV. Quia illud, a quo sunt omnia, nihil se melius esse patitur, minus vero bona sunt omnia, sequitur ipsum rerum omnium optimum, bonum ipsum existere d.

V. Quin etiamsi oportet ipsam boni naturam per se sibi sufficientissimam esse, nec indigam alicuius, non alia potest reperiri, praeter hanc, quae ante alia est, hoc ipsum quod existit, quando nondum est malum e.

VI. Bonum hoc pulcherrimum est, et pulchritudo supra pulchritudinem, et quia amabile est, et pulchritudinis auctor, eiusque potestas et flos ipse, adeoque pulchritudinis principium et finis f.

VII. Quod vnica ratione se habet, ideo libertate non priuatur, hoc vnicum enim non habet ex eo, quod habere aliud cohibeatur ab alio; sed ex eo, quod ipsum proprie sit hoc ipsum, sicque sibi ipse placeat, neque libeat neque liceat aliquid excellentius esse g.

x) loc. cit. p. 734.
y) Adu. Iulian. L. I. p. 35.
z) Ante huius enim tempora Hermeti hos libros fuisse suppositos, verisimile iudicat vir acutus.
a) Vide infra thesin XIII, et sequentes.
b) Enn. V. L. V. c. 10. p. 529.
c) Ibid. c. 11.
d) Enn. VI. L. VII. c. 23. p. 715. Prolixe et subtiliter hic de summi boni natura disputat.
e) Ibid. f) c. 33. p. 783.
g) L. VIII. c. 7. p. 741.

VIII. Neque libertas, neque aliud attributum Deo adſcribendum, ea ratione, qua entibus ſequentibus, ſed modo ineffabili, cum nihil inuenire poſſimus, vt digne eloquamur: omnia enim pulchra et veneranda poſteriora ſunt illo [h].

IX. Si nihil eſt ſupra iſtud, quod ipſum exiſtit primo, ſiſtere in eo gradum expedit, neque vlterius de hoc aliquid dicere: ſed perſcrutari potius, quomodo ſequentia facta ſint [i].

X. Quod omnino eſt id, quod eſt ipſa eſſentia, eſt etiam dominans, et liberum, licet actio eius ab eſſentia non differat [k].

XI. Quando dicimus vnum, et quando dicimus ipſum bonum, intelligendum eſt, vnam nos eandemque naturam ſignificare [l].

XII. Non eſt conandum in alia principia ſe conferre, ſed hoc propoſito intellectum deinde, quodue primo intelligit, mox animam poſt intellectum collocare debemus; hic enim naturalis ordo eſt, ideoque neque his plura neque pauciora in genere intelligibili decet connumerare. Non enim pauciora eſſe, inde liquet, quod inter ſe ſunt diuerſa; neque plura admittit ratio. Non enim principium vllum ſimplicius poteſt inueniri, nec datur intellectus niſi in ſtatu, adeoque neque in motu alius, atque alius in quiete: Ratio autem ab intellectu in animam vsque procedens, animam reddit intellectualem, neque aliam quandam adducit naturam, intellectus et animae mediam [m]. Magna ſubtilitate exſequitur Plotinus demonſtrationem trinitatis principiorum, contra Gnoſticos diſputans, vt eorum diuinas familias aeonasque in infinita diuinitatis abyſſo euerteret. Hactenus quidem a Platone non receſſit, nam et alii eorum temporum Platonici ita docebant [n]: idque ſine dubio ab Ammonio percepit. Qui cum ex Chriſtianorum diſciplina aeternarum *ὑποστάσεων* trinitatem noſſet, eam eo magis ſyſtemati ſuo inferre potuit, quo magis in Platone eiusmodi trinitatem deprehendebat, ſiue illa attributorum fuerit, ſiue perſonarum, de qua re, quid nobis in obſcuro argumento veriſimile videatur, *tomo primo* diximus. Quem ſecutus Plotinus, eandem trinitatem hypoſtaſium archicarum admiſit, vt haberet, quod non Gnoſticis tantum opponeret, ſed etiam, quod Chriſtianis: quorum doctrina ſuam philoſophiam inferiorem non eſſe, haec ſecta vehementer omnique ſtudio ſategit. Vidit hoc THEODORETVS [o], qui hanc Chriſtianorum imitationem probe animaduertit, licet valde fallatur, opinatus eandem eſſe Numenii et Plotini, quae Chriſtianorum, trinitatem. Receſſiſſe vero et Aegyptiacam theologiam iuniorem, Orientali permiſtam, et Platonicorum Alexandri-

h) Nimiam praeciſionem hic hominis verba nobis dantis notare licet. Supra enim ad eſſentiam eius omnia pertinere dixit. Hic itaque abſtractione ſumma de ordine cogitationum noſtrarum tantum intelligendus eſt. Hic vbique mos regnat in Plotino, qui incautos facile decipere poteſt.

i) p. 744.

k) p. 746.

l) Enn. II. L. IX. c. 1. p. 199.

m) Ibid.

n) Videndus CVDWORTHVS, et quae ille affert Chalcidii, Macrobii, Numenii loca, licet cum Plotino non in totum conſentientia l. c. p. 732. ſeqq.

o) Therapeut. Serm. II. T. II. opp. p. 496.

Digitized by Google

xandrinorum alios ab hac trinitate, et quaternionem quandam ſtatuiſſe, ſupra iam attigimus, ponentes primo principio aliud ſuperius, et variantes admodum in arduo et difficili argumento, qua de re diſſeruit PROCLVS [p], qui videndus: qui et ipſe ab hac Plotini ſententia diſceſſit, et trinitati vnitatem praemilit, ſtatuitque, *numerum demiurgicum non incipere debere a trinitate, ſed a monade ante trinitatem per ſe ſola ſtante.* Paulo aliter hanc Platonicorum ſequiorum variationem refert CYRILLVS ALEXANDRINVS [q]: *praedicti*, inquit, *aduerſantur huic doctrinae, dicunt enim bonum non eſſe connumerandum iis rebus, quae ab illo proficiſcuntur; exemtum illud eſſe ab omni communione, propterea, quod ſimplex omnino ſit, nulliusque compoſitionis capax, a mente vero, haec enim principium eſt, trinitatem vnam procedere.* Ex quibus manifeſtum eſt, ſectam hanc ne in principiis quidem inter ſe conſenſiſſe, nam et in reliquis hypoſtaſibus inter ſe ordinandis valde diſſentiunt [r].

XIII. Eſt in principiis diuinis aliquod veluti centrum, penes hoc autem circulus ab ipſo micans, praeter haec et circulus alius, lumen de lumine, vltra haec non amplius luminis circulus, ſed iam luminis indigus alieni. Ordinem principiorum diuinorum in his definit, vſus ſimilitudine Plotinus, vbi bonum ipſum quaſi centrum eſt, mens lumen inde micans, atque permanens, anima lumen de lumine ſe mouens; corpus per ſe opacum vero ab anima illuminatur [s]. „Eadem alibi [t] inculcat: aſcendentem „a mundo ſenſibili ad mundum veriorem eiusque principium, ibique cun„cta intelligibilia conſpicientem, ac penes ipſum ſempiterna in propria „intelligentia atque vita, horum omnium praeſidem intellectum prorſus „intemeratum, et inaeſtimabilem ſapientiam, et reuera vitam auream ſub „Saturno inuenire. Omnia enim ſub ſe immortalia comprehendere, in„tellectum omnem, Deum omnem, animam omnem, et haec omnia pe„nitus conſiſtentia.„ Alia loca, quae paſſim occurrunt, breuitatis cauſſa omittimus.

XIV. Ad quaeſtionem explicandam, quonam pacto ex vno exiſtente tali, quale vnum ipſum habuerit vnumquodque ſubſtantiam, neque illud in ſe ipſo quieuerit, ſed tanta inde effluxerit multitudo, quanta conſpicitur in ordine rerum, Deus inuocandus eſt, non oratione ad aures pertinente, ſed animo ſeipſum ad Deum voti gratia impenſiſſime reuocante. Videtur et hoc accepiſſe ab Ammonio Plotinus ex diſciplina Chriſtianorum, qui reuerenter et maxima cum deuotione de generatione λόγου, et ipſo trinitatis myſterio inter arcanas doctrinas loquebantur [u].

XV.

p) In Timaeum Plat. L. II. p. 93.

q) Contra Iul. L. VIII. p. 371.

r) Enn. IV. L. III. c. 17. p. 384.

s) Illuſtrari haec poſſunt ex Iudaeorum doctrina Sephirotica et de Adam Kadmon, nam ex vno fonte vtrumque hauſtum eſt, vt infra demonſtrabitur.

t) Enn. V. L. I. c. 4. p. 485. L. V. c. 3. p. 522.

u) Enn. V. L. I. c. 6. p. 487. quo loco de generatione mentis ſiue intellectus diuini ex inſtituto differit.

XV. Quando in explicatione originis principiorum diuinorum generationis mentio fit, procul esse debet generatio temporalis, verba de sempiternis facientibus, idque tantum ratione caussae ordinisque cuiusdam est intelligendum x.

XVI. Quod a primo principio gignitur, dicendum est superiore non agitato gigni, alioquin si moto illo aliquid generetur, certe id quod gignitur, non secundum sed tertium erit ab illo post motum. Non itaque illo vel annuente vel voluntate decernente vel vllo pacto commoto subsistit.

XVII. Lumen itaque vndique circumfusum ex ipso dependens penitus quiescente ceu fulgor circa solem circumcurrens, ex ipso semper manente progenitum est.

XVIII. Quod semper est perfectum, semper etiam gignit sempiternum, minus autem genitum genitore.

XIX. Ex perfectissimo prodeunt, quae omnium maxima sunt post ipsum, maximum autem post ipsum, et secundum est νοῦς, intellectus.

XX. Melius omnium, quae fiunt, est intellectus, quoniam omnia alia sunt post ipsum.

XXI. Genitum appetit genitorem, in cuius consecutione sit contentum, praecipue autem quando soli sunt genitor atque genitus. At vbi, quod genuit, est omnium optimum, necessario genitum ipsi cohaeret, vsque adeo, vt alteritate solum secernatur y.

XXII. Haec mens siue intellectus Dei imago est, ex eo enim cum genitus sit, seruat multa in se genitoris similitudinemque talem ad ipsum habet, qualem lumen habet ad solem, genuitque ipsum, dum reflexione ad illum respexit. Nam haec visio, siue reflexio (ὅρασις) intellectus est z.

XXIII. Hic igitur huius generis intellectus purissimae mentis appellatione dignus, non aliunde, nisi ex primo principio nasci est iudicandus, atque hunc iam genitum cuncta secum simul entia genuisse, vniuersam pulchritudinem idearum, intelligibiles Deos omnes a.

XXIV. Existimandum praeterea, hunc esse plenum omnium, quae progenuit, et quasi genita protinus absorbentem, propterea quod in se omnia complectatur, neque in materiam labi sinat. Illustrat hoc Plotinus fabula Saturni, Iouis et Rheae.

XXV. Animam generat intellectus perfectus existens, potentia enim tanta non potest esse sterilis. Sed hic quoque quod gignitur, genitore melius esse non poterat; cum vero foret minus, fore et illius imaginem indefinitam quoque similiter, sed definiri a generante et formari b necesse est.

XXVI.

x) l. c. Pertinet haec obseruatio etiam ad audaciores Plotini locutiones, quando Deum se ipsum effecisse dicit, Enn. VI. L. VIII. c. 14. p. 749. 750. Conf. Cvdworthvs l. c. c. IV. §. 23. p. 485. et doctissimus interpres h. l.

y) Enn. V. L. I. c. 7. p. 488.

z) Ibid.

a) Ibid. p. 489.

b) Ibid.

Digitized by Google

XXVI. Progenies mentis, eſt ratio quaedam et hypoſtaſis id quod excogitat, nempe id quod circa intellectum ſe verſat, intellectusque ipſius lumen eſt, atque veſtigium ſemper inde dependens, inde quidem illi coniunctum atque ita repletum et fruens, et compos eius atque intelligens: inde vero viciſſim ſibi ſubdita tangens et generans quae quidem, neceſſarium eſt, deteriora anima contingere *c*.

XXVII. Quod intelligit aliud, vult ipſum quoque diuerſitatem fugere, ſed minus id valet, habet quidem apud ſe quod videt, ſed a ſe diuerſum. Quod vero ſe intelligit, non eſt ab eo, quod intelligitur, eſſentia ſeparatum, ſed coëxiſtens ſecum *d*.

XXVIII. Eſt ſupremum aliquid, quod non intelligit, eſt inſuper, quod intelligit primo, eſt denique quod ſecundum quandam intelligentiam habet.

XXIX. Vbicunque eſt intellectus, ibi etiam ſunt multa, adeoque primum multa et vnum eſſe non poteſt *e*. Diximus, de hoc dogmate: ſupremum principium non habere intellectum, ſupra, quantum ſatis.

XXX. Intellectus ipſius actio intelligentia eſt, ſpectans intelligibile, ad ipſumque conuerſa, et ab eo velut definita atque conſummata; ex indefinita itaque duitate atque vno ſpecies numerique gignuntur *f*.

XXXI. Ex his ſequitur intellectum non eſſe ſimplicem, ſed multiplicem, compoſitionem quandam prae ſe ferentem; intelligens enim et intelligibile ſunt duo.

XXXII. Cum etiam obiecta ſenſus ſint res quaedam, ſequitur obiecta intellectus non eſſe imagines rerum, ſed res reuera exiſtentes. Ita vero intellectus cognoſcit et quod in illo, et quod poſt illud, et exploratum habet, hoc reuera exiſtere *g*.

XXXIII. Vt ſenſus differt ab intellectu, ita diuerſa ſunt ſenſibilia ab intelligibilibus *h*.

XXXIV. Intellectus eſt ſimul omnia, quae tamen nihilo minus inter ſe diſtinguuntur, quoniam vnumquodque illic poteſtas quaedam propriâ eſt *i*.

XXXV. Quot mundus rationes ſeminales habet, totidem ſingulas animas poſſidet, tot ideae ſunt in intellectu diuino *k*.

XXXVI. Quod intelligitur, intimum eſt, hoc vero ipſum intimum vnum quiddam eſt, et ſpecies et idea *l*.

XXXVII. Intellectus et intellectualis eſſentia et idea quaelibet ab intellectu non differt, ſed vnaquaeque eſt intellectus; et communis quidem eſt ſpecies omnes, vnaquaeque vero ſpecies, vnusquisque eſt intellectus.

Eſt

c) Ibid.
d) Enn. V. L. VI. c. 1. p. 533.
e) Enn. V. L. II. p. 493. L. VI. c. 2. p. 534. L. III. c. 14. p. 511.
f) Enn. V. L. IV. c. vlt. p. 518.
g) L. V. c. 1. p. 511.
h) c. 12. p. 530.
i) L. IX. c. 6. p. 560.
k) Enn. V. L. VII. c. 1. p. 539.
l) L. IX. c. 8. p. 561.

Digitized by Google

Eſt itaque intellectus in ſe ipſo in eodem ſecum habitu conquieſcens aeterna omnium plenitudo [l].

XXXVIII. Entia ipſa intelligenti imprimis inſunt, actus vero et intelligentia entibus ipſis accedit. Vna itaque natura ens ipſum eſt atque intellectus, veruntamen a nobis talia partientibus alia illic ante alia cogitantur [m]. Fundamenta haec ſunt doctrinae de ideis, quatenus inſunt intellectui diuino: quas Plotinum quique eum ſequuntur in metaphyſica tantum abſtractione ab intellectu diuino diſcreuiſſe, ex adductis theſibus manifeſtum eſt: ex quo ſequitur, ideas extra intellectum diuinum non eſſe [n]. Diſputari de vero ſenſu huius rei apud Platonem, *tomo primo* planum fecimus, recentiores vero Platonicos, ingenii fertilitate foecundiſſimos ſibi entia in vno ente, multa in vno, praeciſionibus metaphyſicis concepiſſe, et ita ancipitem quaeſtionem fecuiſſe magis, quam ſoluiſſe, ex allatis Plotini dogmatibus patet: cui intellectus et ideae eius vnum ſunt, et tamen multa inter ſe varie diſcreta. Quae nimia ſubtilitas effecit, vt ſe ipſi non intelligerent ſatis, et de Diis intelligibilibus et intellectualibus, qui in intellectu diuino ſunt, quid ſtatuendum eſſet, non ſatis intellexerint [o]. Certe in mundo archetypo Deos intelligibiles peculiares ſubſtantias eſſe, vnanimi fere ore confeſſi ſunt, vt multis teſtimoniis probauit Rad. Cvdworthvs [p]: Aſt πᾶσα ἰδέα Θεὸς ait Proclvs [q], nec aliter Plotinvs [r], qui luculenter: *Hunc intellectum iam genitum cuncta ſimul ſecum entia genuiſſe, vniuerſam pulchritudinem idearum, intelligibiles Deos omnes.* Quod quam παράδοξον ſit, in vno ſimpliciſſimo ente extare entia peculiariter ſubſiſtentia, et tamen ea eundem intellectum hoc illoue modo affectum, adeoque ſimplicem eſſe, et multa in vno eſſe, intelligere eum nos putamus, quicunque vel mediocriter ratione vtitur. Habet tamen quae hic pro Platonicis afferat eruditiſſimus Cvdworthi [s] interpres: „Eſſe „quidem inter hos philoſophos quosdam eo vsque dementiae progreſ„ſos, vt diximus; prudentiorum tamen inter eos verbis conſideratis, „parum proprie haec intelligenda eſſe. Nihil enim aliud velle obſcuriſ„ſimos magiſtros, quam hoc: mundum, quem archetypum vocant, in „altera diuinitatis hypoſtaſi latere reconditum, et omnes ſpecies et for„mas ei ineſſe, quae varias perſonas non conficiunt, indeque alteram „trinitatis Platonicae perſonam non vt congeriem quandam Deorum „ſpectandam eſſe. Eos vero qui ideas Deos dixere, inanibus co„gitationibus cerebrum replentes parum proprie et figurate locutos fu„iſſe. Deos autem *νοητὸς* eſſe tantum in archetypo mundo ſpecies „Deo-

l) Ibidem.
m) Ibid.
n) Id integro libro demonſtrare aggreſſus eſt.
n) Hinc illi Dii intelligibiles, intellectuales, Henades, Noes, monſtraque alia, quae affatim offerunt Proclus, et Chaldaica oracula.
o) Syſt. int. c. IV. §. 36. p. 649.
p) Comm. in Timaeum p. 357
q) Enn. V. L. I. c. 7. p. 489.
r) Ad h. l. n. 19. p. 651.

Digitized by Google

„Deorum, qui ſunt in mundo ſenſibili, nempe ſolis, lunae et ſtellarum „reliquarum“. Non inficiamur eleganter et appoſite ita Platonicorum cauſſam iuuari, nec conſiderandos eſſe inſipidos homines aliter, quam in terra aliqua metaphyſica verſantes, qui ingenii ſui ſpectra et laruas in Deorum et hominum laruas commutarunt. Attamen, vt hoc pace magni Viri dicamus, plus nobis ineſſe videtur verbis horum philoſophorum: non loquemur iam de Proclo et ſimilibus, qui omnes prorſus ſanae rationis leges in philoſophematis ſuis eiurarunt, ſed Plotinum Porphyriumque teſtamur, ſuo modo ſanius, certe magis philoſophice diſſerentes. Concepiſſe hos ſibi mundum intelligibilem in ſecunda hypoſtaſi principiorum diuinorum latentem, tanquam ἀρχέτυπον mundi ſenſibilis, negari non poteſt, et multis locis teſtatur vterque. Aſt in ſenſibili mundo vnum quidem eſſe, ſed multa ſingulariter exiſtentia in confeſſo eſt, quare in archetypo etiam vnum et multa inueniri oportet, vt eſſentiae quidem ratione, ſpecies et earum effectorem vnum eſſe, vel ambo vnum exiſtere, aſt formali tamen ratione et viſibile, et viſionem et intellectum videntem inter ſe differre, idque quod a ſe ipſo videtur, multitudinem inferre, quae non tantum in intellectu primo lateat, ſed et ſuam differentem eſſentiam accipiat. Ita quidem PLOTINVM *e* rationes inire, loca ſatis euidentia docent. Requirit itaque, vt obſcuriſſimam Plotini diſputationem in ſummam contrahamus, in intellectu diuino eſſentiam quae et vnum et multa in ſe complectatur, et in qua et identitas eſſentiae, et diuerſitas formae comprehendatur. Quod excludit quidem eiusmodi vnum, quod collectiuum dici ſolet, et ex multis partibus unum totum conſtituit, non vero genericum, quod ſpecies inter ſe diuerſas capit, quae in eodem genere et eſſentia haerent. Ex quibus, niſi in obſcuriſſimo argumento prorſus coecutimus, colligimus, mediam ſententiam Plotino, quique cum eo ſubtilius philoſophabantur, placuiſſe, et ideas omnes conſideraſſe quidem vt entia vera, diuina intelligibilia, ſed adhuc in vna eſſentia comprehenſa, necdum inter ſe aliter niſi forma ſeparata, non vero eſſentiae ſecretione; id quod non pro nudis concipiendi modis et notionibus haberi poteſt. Quod non obſcure innuit, homines hos emanationis notionibus occupatos, res emanantes ex fonte, antequam ex eo prodierunt, vt ſingularia quidem entia, at in vno fonte, ceu riuulos in vno flumine, conſideraſſe. Diſerte enim PLOTINVS *f* nos cogitare iubet, *non fontem tantum, fluminibus ſe totum tradentem, velut primum principium, ſed et flumina ab ipſo fluentia, antequam aliud alio fluat, adhuc vna manantia et quaſi cognoſcentia, quo ab ipſis fluxuri ſint riuuli.* Plus itaque, quantum quidem nobis videtur, quam meras notiones in intellectu diuino eſſe putabant, at non eſſentias ſingulares vel perſonas

e) Vid. loca allat.

f) Enn. III. L. VIII. c. 9. p. 351.

et ὑποστάσεις sed emanationes, diuersas quidem inter se ratione formae, ast vnum ratione essentiae in qua adhuc sunt. Obiici et hic lector, nos otiosorum ingeniorum ludibria enarrare, et cum laruis ludere, vixque intelligi posse; concedimus id haud inuiti, ast aliter sacra horum vatum non constant, nec ab his tenebrionibus clarius quid postulari potest: qui cum notionibus et praecisionibus metaphysicis sibi entia confinxissent, eas in nescio quas ὑποστάσεις et formas commutarunt, et ignorantes quid de iis praedicare possent, ad ideas obscuras et vagas, vocesque nihili confugerunt. Mirum itaque non est, eos, qui clariora quaerunt, vel distinctis notionibus assueti sunt, nihil videre, nisi figmenta ingenii otiosi, et regnum aliquod metaphysicum, licet Alexandrina mataeologia, realissima se possidere principia iactauerit. Sed ex his dumetis prorepentdum, et in consideratione intellectus diuini Plotiniana progrediendum.

XXXIX. Mens diuina per suas ideas in materiam agit, non extrinsecus more artis humanae, sed intrinsecus more artificiosae naturae, non tamen mixta materiae, licet ab ea non seiuncta *f*. Obscurissime de modo imprimendi materiae ideas differit Plotinus, cui difficillimum sit notiones incertas et nihili ad res physicas applicare; cuncta eo tendunt: intellectus diuini ideas non secari, nec sui quicquam praebere materiae, esse tamen potentes ad id, quod in vnitate non est formandum. Quemadmodum, si obscurae rei lucem similitudine quadam licet accendere, in architecti intellectu idea aedificii vna aedes multas construit, eisque naturam quidem et constitutionem quasi confert, neque tamen earum materiae se miscet, vel inter eas diuiditur.

XL. Etsi sunt in intellectu diuinae ideae etiam rerum irrationalium, illae tamen non tales sunt, quales hae; sed praestantiori gradu: nec hic viget rationale aliquid, sed actus est rationali discursu superior. Sunt enim differentes vitae et differentes motiones, magis minusque lucidae et perspicuae. Hinc quod apud nos post Deos et rationales mentes, irrationale in intelligentiarum ordine vocatur, in intellectu diuino etiam ratio quaedam est, quia in intellectu est *t*. Valde se torquet Plotinus, vt doceat, quo modo res irrationales rationi diuinae inesse queant. In quibus cum valde se premi sentiat, more suo

Et fugit ad latebras et se cupit ante videri.

adeo se distinctionibus totum occultat. Cuncta, nisi fallimur, eo redeunt, esse ideam irrationalis obiecti in intellectu ratiocinante, et cum eo vnum, hincque consistere cum eo posse: quemadmodum idea equi in hominis intellectu est rationalis, licet de obiecto irrationali. Paulo clarius rem explicat in argumento praefixo FICINVS: *Intellectus primus foecunditate lucis exuberante in quamplurimos seipsum intus naturaliter propagat radios ideales; ex hac propagatione intellectuali simul et na-*

f) Enn. VI. L. V. c. 8. p. 665. seq.

t) Enn. VI. L. VII. c. 9. p. 2c2.

Digitized by Google

naturali naturales rerum formae tanquam lumina profluunt. Illuſtrare hoc poteſt ſchema primi hominis Cabbaliſtarum, quod infra dabimus.

XLI. In coelo incorporeo ſunt Dii duplices intelligibiles et intellectuales. Illi quidem ideae ſunt, hi intellectus omnes aeterna idearum contemplatione beati *v*. Obſcure iterum de his Diis ex Platone diſputat Plotinus, vt Oedipo opus habeat. Ait de Diis intelligibilibus, quos aeterna Deorum viſibilium in coelo corporeo exemplaria eſſe acute vidit Cl. MOSHEMIVS *w*: „Omnia illic perſpicua ſunt vndique, nihil ibi te„nebroſum, nihil obſiſtens, ſed omnis illic omnibus et conſpicuus, in„trinſecus atque per omnia, lumen namque lumini occurrit vbique. „Quilibet in ſe habet omnia, et omnia rurſus in alio conſpicit. Cuncta „itaque vbique ſunt. Omne illic eſt omne, illic quodlibet eſt vniuerſum. „Splendor ibi micat immenſus, quodlibet enim ibi magnum eſt, ibi ſol „ſtellaeque omnes, vnaquaeque ſtella ſol eſt, et ſtellae ſimiliter omnes: „praecellit autem in quolibet aliud, ſed interim in quouis omnia conſpi„ciuntur.„ Febricitantium in morem delirat Plotinus, ſolem, lunam, ſtellas intelligibiles, et inter ſe ſua natura diſtinctas, et omnes tamen in omnibus radiantes depingens, quaſi in hoc coelo ſupramundano fuerit, vel in raptu, quem paſſus eſt, mentis hos Deos intelligibiles viderit. Et tamen Plotinus ſobrius videtur, prae recentioris aetatis Platonicis, Proclo eiusque diſcipulis; illi enim tantopere inſaniuerunt in Deorum *ὑπερκοσμίων, νοητῶν καὶ νοερῶν* natura *w*, muneribus, beatitate et his ſimilibus deſcribendis, vt in quas ſtultitiae voragines abripi queat hominis ingenium, ſemel imaginationis aeſtu abreptum, mirari ſatis non poſſimus. Teſtes volumus, vel PROCLI theologiam Platonis, vel oracula Chaldaica ab his profecta. Sed de his paulo infra plura dicemus.

XLII. Tertium principium anima mundi eſt, quam intellectus diuinus genuit, vt ſupra §. XXV. dictum. Eam vero antequam duce Plotino deſcribimus, monendum, Proclum eiusdemque aetatis Alexandrinos philoſophos, animam diſtinguere in *ἐγκόσμιον* et *ὑπερκόσμιον*, hancque ideo mentis quadam praeciſione excogitaſſe, vt haberent, vnde trinitatem ſuam, Chriſtianorum trinitatis riualem, elegantius comerent, quam ſi anima mundana pro tertio principio eſſet admittenda, vt fecere antiquiores Platonici. Aſt hos quoque deſeruiſſe et ſupramundanam iam animam ſtatuiſſe, non tantum Amelium et Porphyrium, ſed et Plotinum, innuit PROCLVS *x*, qui, *poſt Amelium*, inquit, *Porphyrius, qui cum Plotino ſeſe putat conſentire, animam ſupramundanam vocat mundi architectum ſeu opificem, mentem vero illam ad quam comertitur, non ipſum eſſe opifi-*

v) Enn. V. L. VIII. c. 4. p. 545. Damus hic verba quidem Ficini in argumento capiti praefixo, ſed quae ſenſum eius fundunt: licet iam CVDWORTHVS obſeruauerit syſt. int c. IV. §. 36. p. 608. incerte et ambigue de Deorum generibus loqui Plotinum. Eiusmodi enim diſcrimina Idearum ſtatuiſſe locus adductus, licet obſcurus, perſuadet.

w) Ad l. c. p. 611. CVDWORTHI.

w) Ignorauit Plotinus henades, agathotetes et alias Procli laruas.

x) In Timaeum L. II. p. 92. 93.

cem, ſed veluti exemplum eius quoddam. Quibus in verbis, etſi de Plotino dubitat Proclus, recte tamen monuit CVDWORTHVS *y*, Porphyrio non denegandam eſſe hac in re fidem, qui ſcilicet praeceptoris mentem ad vnguem tenuit. Nec a veriſimilitudine abludit, Ammonium, cum triadem Platonicam ad normam trinitatis Chriſtianae exornaret, animam vero mundanam, diuidui non minus quam indiuidui, et alterius, quam eiusdem, participem, prorſus dignitati diuinorum principiorum non reſpondere videret, hanc diſtinctionem excogitauiſſe. Nam quod CVDWORTHO viſum, inueniri eam iam apud Platonem, falſum omnino eſt, et ad exculpandos tantum Platonicos, quos valde deperibat vir acutiſſimus, excogitatum; vt alio loco obſeruauimus. Plotinus vero quae de anima mundi praeceperit *z*, haec accipe:

XLIII. Duplex Venus eſt, altera quidem coeleſtis, coeli ſtirps, altera vero ex Ioue et Dione nata humanorum coniugiorum dux, haec ipſa quo minus attingens. At illa ſine matre, et ante coniugia, quoniam nuptiae in coelo non fiunt. Illa nempe coeleſtis, quam ex Saturno id eſt ex intellectu genitam dicunt, neceſſe eſt, eſſe animam diuiniſſimam, proxime ab ipſo intellectu inuiolabili inuiolabilem natam, ſuperneque permanentem, vtpote quae ad haec mundana neque deſcendere velit, neque etiam deſcendere valeat, propter naturam ad haec inferiora non inclinantem. Hanc neceſſe eſt eſſe ſubſtantiam quandam ſeparatam, et eſſentiam materiae nullo modo participem *a*. Satis luculenter hoc loco animam ſupramundanam a mundana diſtinguit Plotinus, ſic vt mirum videri queat, Proclum de ea re dubitaſſe. Nec potuit aliter rationes inire Plotinus, poſtquam ὑποςάσεων ἀρχικῶν ternionem ſemel pro principiis poſuiſſet, eo quod generatione diuina, gradu et dignitate quidem, non vero eſſentia diuerſum gigni quicquam poſſe ſequeretur. Addit enim adductis: Quod ex mente proxime naſcitur, ipſum quoque eſt purum, vtpote quod validiſſimum eſt, ſecundum ſe ipſum intellectus ipſius propinquitate, ingenitumque habeat appetitum ad ſe ipſum in genitore ſtabiliendum. Quae in ſequentibus ita roborat, vt detineri a genitore dicat eam, ne vnquam ad materiam decidat. Ex quibus ſequi putat, aliam eam eſſe et diuerſam ab anima mundana. Ceterum inuenta haec eſſe a Plotino et ſequacibus, vt tertia trinitatis Platonicae hypoſtaſis, cum Spiritu S. Chriſtianorum elegantius aptiusque conciliaretur, eleganter obſeruat MOSHEMIVS *b*, quem vide.

XLIV. Anima haec ſupramundana eſſentia quidem eſt ex eſſentia emanans, et exiſtens ſimul, at minor quidem generante, nata enim eſt ex actu eſſentiae viuentis, quae ante ipſam eſt, cuius amore ineffabili fertur, gaudetque eam, tanquam bonum ſuum ſpectare *c*.

XLV.

y) l. c. p. 660.
z) Euictum hoc eſt a MOSHEMIO l. c.
a) Enn. III. L. V. c. 2. p. 293.
b) l. c. p. 682
c) l. c. p 293.

Digitized by Google

XLV. Ab hac anima generantur alia, licet vna tota ſit; et in ſe quidem ipſa conſiſtit, quae vero velut partes inde gignuntur animae ſunt omnia complentes d.

XLVI. Quia vero in ſe conquieſcit, vnum totum ſimul eſt vbique.

XLVII. Nunquam fuit tempus, in quo non animaretur hoc vniuerſum, neque potuit vnquam abſente anima corpus ſubſiſtere, neque materia vnquam informis exiſtere valuit e. Incipit hic Plotinus, audacioribus greſſibus a Platone deficere, vt ſyncretiſticum ſyſtema eo magis fulciret. Ex Platonis enim ſyſtemate, quale illud *tomo primo* deſcripſimus, notum eſt, placuiſſe ei: materiam informem, et inordinato brutoque motu animatam iacuiſſe, donec voluntaria acceſſione Deus demiurgus eum conderet, immiſſaque anima formaret et ordinatum quidem motum imprimeret. Valde hoc refragabatur Ariſtoteli, aeternum absque vlla generatione vel formatione ſibi mundum concipienti, multo vero magis Chriſtiano ſyſtemati, duplex, quod Plato ſupponebat, principium valde exagitanti debellantique; vtrique vero ex conſilio Ammonii, Plotini reliquorumque Alexandrinae philoſophiae conditorum attemperanda erat Platonica doctrina; reformanda itaque erat, et deferendum quidem duplex illud principium, materiam vero ab aeterno ex Deo emanaſſe generatione diuina pronuntiandum, vt poſtea probabimus. Ita vero deſideratam iniri poſſe concordiam ſperabant homines nugaciſſimi. Materia enim ex Deo animaue diuina, ſecundi Dei filia ſemper et ab aeterno propullulante, ſequebatur, eam ab anima quoque diuina aeternum non generari tantum, verum informari etiam, agitarique, nec vnquam fuiſſe tempus, vbi non iſta materia fuerit animata. Id quod Platoni quidem, mundum eſſe genitum aſſeueranti videbatur accedere, aſt Ariſtoteli quoque aeternum eſſe mundum dicenti non refragari cenſebatur, cum ita aeterna eſſet mundi, id eſt, materiae animatae, origo. Sed et ita Chriſtianae doctrinae propius accedendum, et impium ſyſtema externo habitu ſanctiſſimis dogmatibus aſſimilandum erat, creationem aliquam materiae ex Deo, non exiſtente aliquo ſubiecto, ex quo conderet, aſſerendo, et demiurgicam potentiam animae ſupramundanae, quae Spiritus S. locum in trinitate Platonicorum demiurgica obtinebat, tribuendo. Quae tamen omnia licet mire placerent hominibus hiſce, in his tricis ingenioſis et mire ſubtilibus, meris tantum notionibus metaphyſicis, abſtractionibus conceptibusque omnem fere comprehenſionis claritatem ſuperantibus abſoluebantur, traductis illis in perſonas et hypoſtaſes proprias, quibus diuinum abſolui mundum putabant. Quae omnia vt mire genium ſyncretiſmi ſectae huius produnt veramque indolem retegunt, ita ad intelligenda ea, quae ſequuntur, quam maxime notanda ſunt atque attente obſeruanda.

XLVIII.

d) Enn. VI. L. IV. c. 4. p. 647. e) Enn. IV. L. III. c. 9. p. 378.

Digitized by Google

XLVIII. Niſi corpus ſit, anima nequaquam progredietur: non enim eſt locus alius, vbi queat ſe naturaliter propagare: quod ſi progreſſura ſit, aedificabit ſibi locum corpusque generabit. Cum vero ſtatus eius in ipſo ſtatu corroboretur, ceu lumen plurimum in ſummis effulgens, interim quaſi in ipſis ignis extremis vmbra reſultat, quam quidem proſpiciens anima, poſtquam ſubſtitit, formauit ipſam *f*. Notabilis locus hic eſt, ex eo enim diſpaleſcere putamus, Ammonium Plotinumque hanc mundi ex anima geneſin habuiſſe ab Aegyptiaca diſciplina, qualis eo tempore viguit, cum Iudaei eam quoque reciperent, et Cabbaliſticum ſyſtema fingerent. Hoc enim eadem prorſus ratione mundi generationem et formationem, ex vmbra a lumine infinito per ſephiroticas emanationes, in medio igne exiſtente deriuabat, eique lucis ſcintillam tanquam animam indebat. Quae argumento ſunt, ſecutos fuiſſe Aegyptios, et qui inter eos nati ſunt Platonicos, emanationis naturam, qua quo longius a principio emanante procedit emanatiuum, eo magis primam puritatem, lucisque naturam amittit, et vmbrae conditionem accipit: nec aliter quoque ſtatuit Orientalis philoſophia his principiis innixa. Aſt Platonici, cum Platoni has nugas attemperare vellent, non plures quam tres principales emanationes, quas hypoſtaſes archicas vocauerunt, conſtituerunt, cum alii ex hac Orientali et Aegyptiaca diſciplina progreſſi plura ſtatuerent; et ab anima mundi mox ad ipſum mundum formatum progreſſi ſunt.

XLIX. Factus mundus tanquam aedificium quoddam ſpecioſum, longeque varium, non eſt ſeparatum ab effectore, neque rurſus ſe illi commiſcuit, ſed totus vbique exiſtimatus eſt cura et diligentia dignus; adeo vt ſibi quidem conducat ad ipſum et eſſe et pulchrum eſſe, quoad poterat eſſe participare, auctori vero non commixto hoc ſit innoxium. In excelſis enim permanens praeſidet.

L. Nempe mundus ſic eſt animatus, vt non tam ipſius quam ipſe habeat animam. Iacet enim in anima eum continente, neque quicquam eius animae eſt expers *g*.

LI. Anima tanta, tamque ingens naturaliter, quoniam non determinatur ad tantum, itaque poteſt vna eademque totum corpus complecti, et quacunque illud extenditur, ibidem eſt et illa. Haec iam et ſequentia animae mundanae, ſiue ἐγκοσμίῳ, quae mundum informat, conueniunt, quam iam porro deſcribit Plotinus.

LII. Quicquid attingit animam, ſic inde perficitur, prout eſſentia animae naturaliter ſe habet. Ea enim cum ex ſemper exiſtentibus ſit, omnia ſimul entia complectitur, aërem, et lumen, et ſolem, quaeque primi, ſecundi tertiique generis (intelligibilia et intellectualia intelligit exemplaria) habent. Sicque a primis ad vltima, et ab igne ad eius vmbram progrediendum, et hunc quoque illuminatum iniectis ſpeciebus *h*.

LIII.

f) l. c. p. 379. *g*) l. c. c. 10. p. 379. *h*) loc. cit.

Digitized by Google

LIII. Ornatum vero eſt ſecundum rationem ex ipſius animae poteſtate, habentis in ſe tota vim virtutemque ſecundum inſitas rationes ornandi, quemadmodum rationes, quae in ſeminibus latent, fingunt formantque animantia, quaſi paruulos mundos. Anima vero per ipſam eſſentiae poteſtatem ſic eſt domina corporum, vt haec non aliter fiant atque diſponantur, quam ipſa producit. Subtiliter haec proſequitur Plotinus, vt explicet, quo modo ex rationibus ſeminalibus in anima latentibus cuncta pulchra affabreque efficta ſint. Copioſe idem exſequitur alio loco [i] oſtendens, naturam fictricem in ſe manentem per rationes ſeminales formare materiam ſine electione et inſtrumento. Sunt autem rationes ſeminales, quaedam quaſi contemplationes impreſſae deſuper ab intellectuali contemplatione. Idearum impreſſionem forte clarius dixeris.

LIV. In rebus inanimatis, quod eſt ex ipſis, quaſi conſopitum iacet in ipſis, quod autem tendit in aliud, poteſt, nititurque illi ſimile fieri, quantum quidem pati poteſt. Commune enim omnibus, in ſimilitudinem ſui ferri ducique, animae vero opus eſt, et aliquid in ipſa vigilans, et quod in aliud tendit: viuentia itaque facit omnia, quae non viuunt ex ſeipſis. Liquet ex his, ſenſum aliquem communem, ſecundum rationes diſpoſitum ex Plotini mente etiam inanimatis adeſſe: nam in illis quoque latet anima mundana, et rationes ſeminales excitat, vegetat formatque.

LV. Natura animae vbique ductu facilis admodum pronaque eſt, omniumque facillime poteſt capi, ſi quis fabricauerit aliquid, quod facile ab ipſa pati poſſit, patiendoque portionem aliquam ab ipſa ſortiri. Facile vero patiens eſt, quod qualicunque modo imitationi aptum eſt, velut ſpeculum ſpeciem quandam arripere potens. Etenim vniuerſa natura omnia mirabili quodam artificio fabricat ad illorum imitationem, quorum in ſe poſſidet rationes; cumque ſic vnumquodque fiat, certe ratio in materia, quae ſecundum rationem materia ſuperiorem formata eſt, coniuncta eſt illi Deo, ſecundum quem genita fuit, et in quem ſuſpexit anima, habuitque cum faceret [k]. Genuinum hoc fundamentum eſt, omnis magiae, talismanum, ſtatuarum operumque theurgicorum, quae circa materiam Diis plenam verſantur, naturamque ducunt, quo volunt. Cuncta enim eo tendunt, animam mundanam ſymphonia quadam poſſe flecti ducique, qua de re infra ex Iamblicho plura. Paucis enim et ὡς ἐν παρόδῳ haec tangit Plotinus ſuperioribus principiis maxime intentus.

LVI. Anima mundi per ſuperiorem eius vim in orbem retorquet inferiorem, rurſusque per inferiorem, rotat circulum [l]. Haec de demiurgicis operationibus animae tam ſupramundanae, quam mundanae, ex quali operatione mundus productus ſenſibilis ad normam mundi intelligibilis quos inter ſe ſollicite diſtinguebat, vt ex PLOTINO [m] et PORPHYRIO

i) Enn. III. L. VIII. c. 1. p. 344.
k) l. c. c. 11. p. 30.
l) Enn. II. L. II. c. 3. p. 100.
m) Enn. VI. L. IV. c. 2. p. 645.

RIO [n] disci potest. Vtrique Demiurgus tertia triadis persona vel hypostasis constituta est: aliter tamen visum est aliis. Nam Platonem rerum omnium opificem a summo Deo non discreuisse, ex *Timaeo* notum, et *tomo primo* luculenter demonstratum. Recentiores autem Platonici ex Aegyptiaca et Orientali philosophia tenuerunt, primum Deum in abysso aeternae deitatis latentem manere, et emanationi alicui magnae, siue principio cuidam hypostatico formandi mundi negotium fuisse permissum. Et animam quidem supramundanam cur ei praefecerit Plotinus, licet Platoni, δημιουργὸν τὸν νοῦν, fuisse statutum ipse referat [o], ex allatis rationibus patet. Alii et in his Iulianus ad intellectum siue mentem hoc opus reuocant, inter se quoque non satis concordes. Quod vbi refert CVDWORTHVS [p], colligi inde posse putat, Platonicos mundi fabricam ad omnes tres hypostases retulisse: in quo tamen mire fallitur; rationes enim, quas adduximus, satis probant, mundi productionem demiurgicam operationem esse ex actionibus characteristicis hypostaseon exortam.

Trinitatis Platonicae consideratio.

§. LII. Descripsimus, qua potuimus perspicuitate et fidelitate ex systemate Plotini ipsis, quantum inextricabilis fere quae illis inest obscuritas patiebatur, verbis eius adhibitis, celeberrimam illam trinitatem Platonicam, de qua tot tantaeque inter eruditos disceptationes satis probant, argumentum esse obscurum et difficillimum. Ast probe haec principiorum diuinorum, eorumque proprietatum et characterum [q], quibus inter se distinguuntur, ternio consideranda est, cum tota philosophia Alexandrina ea tanquam primis principiis nitatur. Ex his enim fontibus archicis effluxere non tantum Dii, animaeque, sed et materia, totusque mundus, ad haec reuocandus est. Sed et consideratio huius trinitatis probe expendenda est, ne cum sanctissima, quam Christianorum mysteria pandunt, Trinitate confundatur, a qua multis nominibus differt. Id quod prolixe demonstrari posset, si vel locus vel institutum pateretur, nec id magis ad sacrorum dogmatum pertineret historiam. Paucis tamen, ne hic quoque abeamus ἀσύμβολοι, obseruamus, esse trinitatem hanc Plotini et sequacium, (qui tamen Plotini doctrinam nouis ineptiis conspurcarunt, et nescio quam quaternionem effinxerunt,) metaphysicam, adeoque abstractionis magis ope efformatam, quam rerum spiritualium natura fundatam. Etsi enim pollicem in totum nos premere non posse viro doctissimo [r] fatemur, qui totam trinitatem Plotinianam nudis cogitationum relationibus, notionumque diuersitate constare inter se putat, et personas istas hypostasesque tantum introduxisse figuratum loquendi morem, quo Platonici plerique delectati sunt, contendit, adeoque prorsus Sabellii errorem eam innuere iudicat; cum, vt supra vidimus, non nudas entis vnius diuini diuersas relationes, sed emanationes, principia quae essentialiter ex primo Deo effluxerunt, nobis exhibeat: certum tamen ex dictis est, meras meta-

n) περὶ ἀφορμῶν p. m. 110.
o) Enn. V. L. I. c. 8. p. 489. p) l. c. p. 628. q) Conf. CVDWORTH. l. c. p. 689.
r) CVDWORTHI interpr. ad p. 673.

Digitized by Google

metaphyſicas actiones, operationes et characteres iſtis emanationibus eſſe tributas, et excogitata imprimis principia tria ὑπερκόσμια nuſpiam, niſi in cerebro horum philoſophorum, extantia, quae mirum in modum a Chriſtiana trinitate, cuius fundamentum diuina nobis natura exhibet, differunt. Et tranſſumſerunt quidem haud pauca ex Chriſtianorum diſciplina Platonici, et verba et axiomata, et imprimis ea, quae de generatione λόγε paſſim ſubtiliter ſatis edifferunt; aſt ea ſuo ſyſtemati ita adaptant, vt omnem ſignificationem Chriſtianam amittant. Quod non clarius manifeſtat quicquam, quam ſubordinatio, non dignitatis tantum, ſed et eſſentiae gradu differens, quam iis hypoſtaſibus tribuerunt: genitum enim genito minus eſſe, multoties inculcat Plotinus, adeo, vt cum Dei ſummi eſſentiae ſimplicitatem abſolutam tribuat, is menti ſiue intellectui ineſſe multitudinem quandam intelligibilem, mira opinionis peregrinae abſurditate afferat, ſicque ex anima quoque ſupramundana pertingere radios ad mundanam dicat. Quibus ſi addimus, ex hac triade cuncta emanare et eſſentiam decerpere ſuam, manifeſtiſſimum ſane eſt, longiſſime eam a Chriſtiana trinitate diſtare.

§. LIII, Iam ad reliqua Plotinianae, vel ſi mauis, Alexandrinae metaphyſicae capita progrediendum eſt, inter quae non nobilius eſt eo, quod pſychologiam tradit. De qua more iterum ſuo obſcuriſſime diſſerit Plotinus; cuius φιλοσοφούμενα ad haec reuocari poſſunt capita: *Pſychologia eclecticorum.*

LVII. Anima hominis conformis eſt animae ſupramundanae, et in ſe ſpectata eius ſoror *e*.

LVIII. Non tamen ita animae ſunt in mundi anima vt partes in toto, nam ita anima mundana eſſet in partes diuiſa nec tota vbique *f*.

LIX. Etſi enim anima hominis ſoror eſt animae mundi, differunt tamen in hominibus animae, nec ita in omnibus hominibus vna tantum eſt anima, vt vna eſt in omnibus hominis membris, quia haec anima non diſceſſit quidem ab vniuerſa, ſed ibi conquieſcens corpus circum ſe continuit, aliae vero corpore iam facto et iam exorſa, dominanteque earum ſorore anima gradatim nactae ſunt ſortes, quaſi illa iam his parauerit domicilia *ff*.

LX. In mundo intelligibili regnat eſſentia vera, cuius praeſtantiſſimum eſt intellectus, animae autem et illic adſunt, inde namque venerunt hunc in mundum. Ille quidem mundus habet animas ſine corporibus, hic autem iam corporibus inſitas diuiſasque per corpora. Illic ſane eſt intellectus omnis neque diſcretus neque diuiſus, ſimul et vno in mundo ſunt animae, nec ex vllis locorum interuallis diſtantiam patiuntur. Intellectus igitur indiſcretus et indiuiſus eſt ſemper, ſed anima quidem illic indiſcreta indiuiſaque viuit, habet tamen naturam diuiſionis cuiusdam capacem: eius

e) Enn. V. L. 1. c. 2. p. 483. conf. CUDWORTH. Syſt. intell. c. IV. §. 36. p. 700.
f) Enn. IV. L. III. c. 2. p. 373.
ff) Ibidem.

Digitized by Google

namque partitio eſt illic abeſſe, atque diſtare, corporibusque coniungi, quapropter non iniuria circa corpora dicitur eſſe diuiſibilis, impartibilis autem, quoniam non tota illinc diſcedit, ſed etiam ſupereſt ipſius aliquid, quod ad inferiora non venit, cuius natura nullam ſubire poteſt partitionem [t].

LXI. Quod itaque in Platonis ſchola dicitur, animam conſtare ex diuiduo et indiuiduo, idem eſt, ac ſi diceretur, animam eſſentia quadam conſtare partim quidem apud ſuperos pertinente, partim ad inferiora vergente, quae quidem et ſimul inde dependeat, et ſe interim ad haec vsque propaget, non aliter quam ex centro linea protenditur [u]. Subtiliter haec proſequitur Plotinus in ſequentibus, oſtendens eſſe praeter naturam indiuiſibilem in anima eſſentiam proximam inde naſcentem, habentem quidem indiuiduum munus ab illa, ſed progreſſione inde facta ad naturam alteram properantem mediam euadere ambarum, naturae ſcilicet impartibilis atque primae, rurſusque naturae partibilis circa corpora et corporibus inhaerente. Addit alia, miras abſtractionum metaphyſicarum tricas redolentia: exiſtere eam alicubi, et non exiſtere, diuiſam eſſe in partes et non diuiſam, manere totam et tamen circa corpora diuidi, etc. [v] in quibus diuerſos reſpectus relationesque inani terminorum ſubtilitate ſectatur.

LXII. Praeter corporeas differentias animae inter ſe differunt, tum in moribus maxime, tum in cogitationis officiis, etiam ex praecedentibus vitae alterius inſtitutis. Vnitur etiam alia in actione, alia in cognitione, alia in appetitu; alia aliae intuentur, et quae intuentur eadem ſunt et fiunt etc.

LXIII. Anima neque corporea eſt neque ex elementis compoſita, vitam enim hunc in modum habere non poſſet, nec poſſet ei ratio et conſilium tribui [w].

LXIV. Animae vel meliores vel deteriores ſunt, partim quidem ob alias cauſſas, partim vero velut ab initio non omnes aequales; inaequalis enim facta diſtributio, ordinesque conſtituti etiam animarum ſecundi et tertii [x].

LXV. Nullam animae partium neque totam etiam animam debemus in corpore velut in loco ponere. Locus enim eſt comprehendens et continens corpora. Neque tamen ſic, vt in vaſe, eſt in corpore. Nec eſt in corpore tanquam in ſubiecto, neque vt pars in toto, neque tanquam ſpecies in materia. Sed animam adeſſe ſcimus corpori, eo quod hoc animatur [y]. Sequitur hanc praeceptoris ſui metaphyſicam etiam PORPHYRIVS [z].

LXVI. Nempe anima corpori adeſt ſeparabiliter, ſicut lumen in aere; et melius dicitur corpus eſſe in anima, quam animam in corpore: alia enim animae

t) Enn. IV. L. I. p. 360. PORPHYR. de occaſ. p. 60.
u) L. II. c. 1. p. 362.
v) Eadem repetit PORPHYR. περὶ ἀφορμ. p. m. 75. 98.
w) Enn. II. L. IX. c. 5. p. 202. 203.
x) Enn. IV. L. II. c. 18. p. 370.
y) Enn. IV. L. III. c. 20. p. 387.
z) l. c. p. 75.

Digitized by Google

animae corpori non adſunt, nempe mens et ratio, alia illi adſunt, (id eſt in illud agunt) ſenſus et vegetandi potentia [a].

LXVII. Quaelibet vis animae eſt in qualibet parte corporis tota, ſicut anima, ſed dicitur ibi agere, vbi ſiue ſeruit inſtrumentum, et praecipue, vbi inſtrumentum habet principium, e. g. ſentiendi vis in cerebro etc.

LXVIII. Anima a corpore ſeparata et exiens hic non eſt, vbi non eſt, quod eam quodammodo ſuſcipiat; eſt autem in eo, quod amantem animam trahit ad ipſum, ſequiturque illuc, vbi naturaliter eſſe et fieri poteſt. Cum vero plurimus ſit et vnusquisque locus, oportet differentiam tum ab affectione animae proficiſci, tum etiam ab ipſa iuſtitia, iudicioque rebus omnibus dominante [b]. Id qua ratione fiat, paulo poſt dicemus, vbi de ſtatu animae poſt exceſſum ex corpore dicendum eſt.

LXIX. Anima formas rerum ſenſibilium nunquam ſuſcipit, et paſſione confundente iudicium, nihil patitur ab obiectis. Si qua vero paſſio contingit, peruenit in corpus, et eo ſic vel aliter pulſato anima ſtatim praeſens has vel illas affectiones percipit, hoc vero non eſt pati, ſed agere [c]. Diſtinguit Plotinus in obſcuro diſcurſu de hac theſi inter paſſionem et eius cognitionem, nempe ſenſationes et iudicia paſſionum; et haec non illa animae tribuit, multo vero magis intelligibilium cognitionem iſtis carere dicit, quae ab intimo prodeunt, cum ſenſibilia attingantur extrinſecus, vnde illae magis actiones dicendae. Recentiores philoſophi haec, facto inter intellectum purum et impurum diſcrimine, longe clarius et felicius explicant [d].

LXX. Anima natura eſt omnium, ratio intelligibilium, et eorum quae illic ſunt, vltima, eorum vero quae ſunt in vniuerſo ſenſibili, prima. Quapropter ad vtraque vergit, et a ſuperioribus quidem bene afficitur, ab inferioribus autem quadam ſimilitudine fallitur, et tanquam delinita prolabitur. Cum igitur ſit in medio conſtituta, percipit vtraque, et ſuperiora in memoriam reuocata intelligit, eo quod quodammodo eſt haec ipſa, eaque in ſe ipſa intuetur, et ex potentia producit in actum, ex obſcuris lucidiora facta. Supponit in his Plotinus reminiſcentiam Platonis et innatas animae ex origine ſua ideas, quae reſuſcitantur tantum et recoluntur, recordatione et memoria, qua vis animae prouocatur crebriori obiectorum repetitione. Hinc in fine capitis reiicit tabulam raſam Ariſtotelis.

LXXI. Anima praecipue homo eſt, corpus enim diſſolui in partes poteſt, adeoque eſt naturae diuerſae, quae inſitam vitam non habet, ſed ab anima accipit. Ea vero tota eſt vbique, et non poteſt eſſe corporea, ſecus ac Stoici et Epicurei dicunt, eo quod intelligit, hoc vero eſt, ſine corpore apprehendere, et intelligibilium intelligentiam, vt ſenſibilium, ſenſionem habet. Si igitur corpus eſſet magnitudo, non poſſet comprehendere, quod eſt ſine magnitudine, nec cum natura diuidua indiuiduam intelligeret [e].

a) l. c. p. 388. b) p. 389.
c) Enn. IV. L. VI. c. 2. p. 453.
d) p. 458. Enn. I. L. I. c. 1. ſeqq. p. 1. ſeqq.
e) Enn. IV. L. VII. c. 1. 2. p. 456. 457.

LXXII. Ex his ſequitur, neceſſe eſſe, vt in homine praeter corpus ſit altera quaedam natura, quae eſſe habeat ex ſe ipſa, et eſſet ex genere vere entis; quod neque fit, neque perit, quaeque ceteris omnibus ſalutem afferret [f].

LXXIII. Haec motus principium eſt, aliis exhibens motionem, mouens interim ſemet ipſam, et vitam animato corpori praeſtans, ipſa vero ex ſe ipſa poſſidens, amiſſura nunquam, vtpote quam ex ſe ipſa habeat. Nam vnde naſcatur, vel in quod reſoluatur? Non ignota in Platonicorum ſchola demonſtratio immortalitatis animae, ab αὐτοκινησίᾳ deriuata, de cuius tamen vi et valore hic diſputare non licet [ff].

LXXIV. Animae ſunt cognatae diuinioris ſempiternaeque naturae, nam neque figuram, neque molem neque colorem habent [g].

LXXV. Vitia et mala animae eius tantum additamenta ſunt, et ab extrinſeco ei iniecta; purificato vero animo ineſſe comperiuntur optima, ſapientia et virtutes, ex quo concluditur, animam in gradu eſſe eius naturae, quam diuini omnisque ſempiterni eſſe fatemur. Compos enim eſt diuinorum ob quandam cognationem communionemque ſubſtantiae. Qui itaque purgato eſt animo, non dubitat animam eſſe immortalem. Plura huius generis metaphyſica argumenta pro immortalitate animae affert [h], quae inde deriuat, quod anima ex ſeſe et vitam et motum habet et animam mundi motu intelligentiaque imitatur, et ad ſe intime reuocando, res ſuas intelligit, et formas ingenitas ſe habere cognoſcit. Quae tamen cum meras Platonicas hypotheſes ſapiant, hic breuitatis cauſſa omittimus.

LXXVI. Eſt in animabus conſonantia ad ordinem vniuerſi, ita tamen, vt non tam ab ea dependeant, quam in deſcendendo ſe ipſas accommodent, vnamque concordiam cum mundana reuolutione conficiant; hinc fit, vt aſtrorum figuris earumque fortunae vitaeque electiones ſignificentur.

LXXVII. Animae ſecundum reuolutionum periodos deſcendunt, aliae hic, aliae in coelo, aliae ad inferiora conuerſae, intellectus autem omnis eſt in excelſis, neque vnquam ex ſede ſua delabitur, nonnihil tamen per animam ad haec vsque ſe demittit. Anima vero e proximo magis ſecundum ſpeciem inde vigentem afficitur, traditque ſequentibus, partim eodem modo partim aliter ſe habere, vagabundum tamen ſeruans errorem. Deſcendunt vero non ſemper aequaliter, ſed aliquando quidem magis, aliquando vero minus, etiamſi ad idem ſe conferant genus: proinde quaeque ad ſuum delabitur paratumque pro affectionis ſuae ſimilitudine. Quatenus enim illic ſimilis huic vel illi iam euaſit, ita defertur, vel in hominem vel in brutum vel in aliquid aliud [i].

LXXVIII.

f) c. 9. p. 463.
ff) c. 11. p. 465.
g) p. 464.
h) Per totum hunc librum.
i) Enn. IV. L. III. c. 12. ſeq. p. 381. ſeqq.

Digitized by Google

LXXVIII. Anima ipſa cum mundi intelligibilis eſſet tota, et in toto partem abſconderet, in partem ex vniuerſo prorumpere conniſa eſt. Segregata vero penitus et ſecreta non loco ſed actu fit aliquid ſingulare, et non amplius eſt vniuerſa, ſicque ad inferos deſcendit, id eſt ſeorſim exiſtit, et in locum deſcendit deteriorem *. Sunt haec aenigmata obſcuriſſimae philoſophiae, de deſcenſu animarum, quae, niſi nos fallit obſcuritas, eo tendunt: animas, quae in intellectu diuino fuere, ſeſe quaſi proripientes, et ſeorſim exiſtere concupiſcentes, quoad illud, quod in deſcenſu illis adnaſcitur, in ſtatum ſingularitatis deueniſſe, ſicque deteriores factas eſſe, intellectu tamen, qui in iis reſidet, in diuinis manente. Scilicet, quod PORPHYRIVS † notat, „animae ſubſtantia non de loco in „locum tranſit, et in locis exiſtit, ſed tranſeuntium ſua natura per loca „et loca obtinentium corporum habitudines ſuſcipit, ſuſcipientibus illam „huiuscemodi corporibus pro cuiusque aptitudine, ex certa quadam di„ſpoſitione erga illam, nam prout diſpoſita fuerit, ita corpus ſuo ordini „proprietatibusque definitum inuenit; ideo purius diſpoſitae corpus quam „proxime ad immateriale accedens aetherium adiunctum eſt, progreſſae „autem a ratione ad obiectum imaginationis corpus ſolare adnaſcitur. „Sed effeminatae et formarum amore captae adiungitur corpus lunare. „Delapſam vero in corpora, cum ſecundum informem eius ſpeciem ex „humidis vaporibus compoſita exiſtant, perfecta entis ignorantia et ca„ligo atque infantia ſequitur. Et ſane in ipſo egreſſu gerens adhuc ſpi„ritum ob humidam euaporationem turbatum, vmbram attrahit et prae„grauatur, ſpiritu eiusmodi in terrae fundum contendente, niſi alia quae„dam cauſſa ipſum in contrariam partem retrahat. Quemadmodum igi„tur terrea haec teſta circumtectam in terra degere neceſſum eſt, ita etiam „humidum ſpiritum attrahens ſimulacrum (εἴδωλον) neceſſario adiunctum „habet: attrahit autem humorem, cum perpetuo adeſſe ſtudet naturae, „cuius operatio in humore conſiſtit, et quae ſubterranea potius eſt. „Vbi autem operam dederit, vt a natura ſecedat, ſplendor ſiccus exiſtit, „nulla vmbra ac nube obſcuratus. Humiditas enim nebulam in aëre „conſtituit, ſiccitas vero ex exhalatione ſplendorem ſiccum ſudumque „producit.„ Deſcripſimus totum Porphyrii locum, etſi longiuſculum, quia Platonicum dogma de deſcenſu animarum, quod metaphyſicis tricis valde obſcurauit Plotinus, clarius exponit, et ipſis eius verbis lumen accendit: nam Plotinus quoque, in ſupra adducto loco, ad quaeſtionem, qua ratione anima, corpore ſoluta, ad inferos deſcendere dici poſſit, reſpondet, „id fieri, ſi animae εἴδωλον nondum prorſus ſit euulſum, „et anima cum eo maneat, ſin per philoſophiam ſit ſoluta eo, ſimula„chrum in locum deteriorem abeat ſolum, ipſa vero anima pure admo„dum in mundo intelligibili viuat, nihilo tunc ex ipſa excepto vel foras „auulſo. Et haec quidem ſimulachro huic euenire. Famoſiſſimum hoc

*) Enn. VI. L. IV. c. 16. p. 659. Enn. IV. L. IX. c. 4. p. 472. †) l. c. p. 77.

Digitized by Google

hoc in ſchola Platonicorum dogma fuiſſe, animas deſcendentes vehiculo, vel εἰδώλῳ corporeque ſubtili variae conditionis gradusque, prout animae affectae eſſent, circumdatas eſſe, nemini veterum rerum non prorſus ignaro ignotum eſſe putamus, quod tamen cum CVDWORTHVS [m] ſuſe explicuerit, magna vero eruditione, multaeque lectionis copia Ven. MOSHEMIVS [n] probauerit, non excogitaſſe demum illud Platonicos, ſed accepiſſe ab antiquis theologis, malumus lectorem ad plenos dimittere fontes, quam noſtris detinere riuulis, praecipue cum vix habeamus, quod diligentiae praeſtantiſſimorum virorum addamus, vixque credamus eſſe antiquae doctrinae cupidum, qui non librum omni eruditione veteri bonaque fruge refertum ipſe legerit relegeritque. Nos itaque ad Plotinum noſtrum redimus, ex eius dumetis tandem eluctari anhelantes. Is de anima porro ſtatuit:

LXXIX. Anima ex intellectu diuino deſcendens intellectum habet communem et proprium; communem quidem, quoniam impartibilis, et idem vtique, proprium vero, quia quisque ipſum in anima prima totum habet. Habemus igitur et ſpecies duplici ratione, in anima quidem velut explicatas atque ſegregatas, in intellectu vero omnes [o].

LXXX. Eſt itaque natura illius animae extra malorum cauſſam, quotcunque homo facit aut patitur. Mala enim a nobis aguntur a deteriore in nobis ſuperatis; intellectus vero non attingit, et innocens manet.

LXXXI. Dici itaque poteſt animam non peccare, ſi anima ſumatur per ſe et ſimpliciter: qui vero animam peccare dicit, coniungit ipſi et conflat alteram animae ſpeciem paſſiones graues habentem. Compoſitum igitur quiddam ex omnibus anima ipſa fit, et patitur vtique ſecundum totum, peccatque compoſitum atque id eſt, quod peccat, non illud [p].

LXXXII. In generatione vero fit ea adiunctio, quando videlicet anima deſcendens ac aliud quid ab anima facta, ad nutum inclinationis fertur, non dimiſſo, quod accepit, ſimulachro. Seuocatio itaque et ſeparatio non ſolum ab hoc corpore, ſed ab omni adiuncto eſſe debet [q].

LXXXIII. Animus, vt ſupra dictum, fugiens totum, et ab intellectu diſcrepantia quadam ſeiunctus, dum parti ſe addicit, a toto degenerat, et proprium quiddam curat, contrectans colensque externa: nec ſolum aſſiſtens corpori ſed valde intra progreſſus. Hinc igitur alligatus corpori, poſtquam ab incolumi innoxioque habitu melioris prouinciae gubernandae aberrauit, deuinctus eſt, delapſus ab alto et compedibus inde alligatus, et agendo ſenſibus vtens, propterea quod prohibetur ab initio mente vti, hincque in ſpelunca et ſepulchro verſari dicitur [r].

LXXXIV.

m) Syſtem. intell. c. V. §. III. §. 19. ſeqq. p. 1031.
n) p. 1036. ſeq. n. 4.
o) Enn. I. L. I. c. 8. p. 5.
p) p. 6. En vero miſerum philoſophiae moralis fundamentum. Quod idem vult, ac ſi diceres, adminiſtrum regiae gazae in furto deprehenſum non laqueo puniri, ſed tantum furem.
q) Ibid.
r) Enn. IV. L. IX. c. 4. p. 472.

Digitized by Google

LXXXIV. At, cum ad intelligentiam ſe conuertit, ſolui ex vinculis iudicatur, altiusque aſcendere, quando videlicet ex quodam reminiſcentiae munere ad entia contemplanda facit exordium, habet tamen nihilo minus interea aliquid ſupereminens *t*.

LXXXV. Qui agit ſecundum motum animi incitatum per ſenſus affectusque, vbi ratio vel nihil agit, vel ducitur a motu, nulla libertate fruitur *u*.

LXXXVI. Illi itaque libertas agendi tribuenda eſt, qui per mentem agit liber ab omnibus corporis paſſionibus, ex qua libertate deliberationes et appetitiones ab intelligentia excitatae liberae fiunt *w*.

LXXXVII. Libertas vero proprie in contemplando verſatur, voluntatis autem decreto virtus eligenda, quae aſſiſtens libertatem munusque, quod in nobis eſſe dicitur, comparat, neque, quibus ſeruiebamus ante, vltro nos ſeruire permittit *x*.

LXXXVIII. Virtus itaque eſt intellectus velut alter quidam et habitus animam quaſi transformans in mentem; rurſus hoc ipſum, quod in nobis conſiſtere dicitur, non ad actiones quidem declinat, ſed ad mentem ſe recipit actionibus expeditam.

LXXXIX. Intellectus vero liber viuere dicitur, quia viuere intelligere eſt, intelligit autem, quemadmodum vult, ſic vt intelligentia et voluntas actus euadant idem *y*.

XC. Deum propter eminentiam neque per ſcientiam quandam neque per intelligentiam vllam cognoſcimus ſicut alia ſolemus, quae intelligibilia appellantur, ſed per praeſentiam quandam ſcientia meliorem. Scribimus autem loquimurque de eo frequenter, vt ita ſaltem diſputationibus noſtris animum excitemus, et ad diuinum ſpectaculum dirigamus, doctrina enim viam tantum oſtendit, Deum autem videre opus illius eſt, qui videre voluerit *z*.

XCI. Deus a nullo vſquam abeſt, et tamen quodammodo abeſſe videtur ab omnibus: nam iis duntaxat eſt praeſens, qui capere poſſunt, atque ita parati ſunt, vt ipſum attingere valeant, per ſimilitudinem quandam et inſitam potentiam, muneri inde tributo cognatam, quando ſcilicet animus omnino ſic eſt affectus, ſicut erat, cum inde proceſſit: ideoque iam vere videri poteſt, ſicut ipſe Deus natura eſt videndus *w*.

XCII. Animam oportet eſſe informem, ſi omni carere debet obſtaculo, quod forſitan impediri poſſit, ne ab ipſa omnium prima natura illuſtretur et impleatur ad votum *x*.

XCIII.

s) Ibid.
t) Enn. VI. L. VIII. c. 1. p. 735.
u) p. 736.
w) p. 739. Ita quidem notiones intellectus et voluntatis confundit Plotinus, cuncta ad contemplationem reuocando.
x) Ibid.
y) Enn. VI. L. IX. c. 4. p. 761.
z) Ibid. Nullo fere loco enthuſiaſmum ſyſtematis ſui et fontem et finem eſſe Plotinus magis prodit, quam hoc.
w) c. 7. p. 765.

XCIII. Si itaque res ita ſe habet, operae pretium eſt, animum ab exteris omnibus ſegregatum, ad intima penitus ſe conuertere, neque ad externum aliquid reuocari, ſed iam omnia neſcientem, et ante quidem affectione, tunc etiam ſpeciebus, neſcientem quoque ſe ipſum contemplationi illius incumbere, eique familiariter inhaerere y.

XCIV. Non ſemper in Deum ipſum conuertimur, ſed quando in eum prorſus inſpicimus, tunc denique nobis finis optatus requiesque contingit, neque amplius diſſonamus, dum ſcilicet diuinum reuera chorum circa eum agimus.

XCV. In hoc autem choro inſpicit vitae fontem, fontem mentis, entis ipſius principium, boni cauſſam, radicem animae; quae quidem non ita ex Deo effluunt, vt eum comminuant: Deus enim moles non eſt. Hic bonum conſiſtit noſtrum, hic anima requieſcit, hic tantum animus a malis liber eſt, hic vere intelligit, nullisque obnoxius eſt paſſionibus, hic ſolum viuere contingit, vbi vero viuit, ibi etiam amat illum neceſſario amore coeleſti, Deo commiſceri deſiderans.

XCVI. Nullo profecto animo tunc opus eſt vlterius, ſed cetera cuncta deponere debet, et in eo ſolo conſiſtere, Deusque fieri tantum, reliquis penitus amputatis, quae circumadhaerent nobis.

XCVII. Quamobrem hic emigrare properandum eſt, dolendumque nobis, quod aliqua hic ex parte alligati viuamus, vt toto penitus animo complectamur Deum z.

XCVIII. Nemo per vim extrudat animam ex corpore ne forte exeat, in locum ſimilem migratura: alioquin exibit, corporei nonnihil deferens a, quo per ſimilia emigrabit. Sed expectare debet, quoad corpus totum ab anima ipſa deficiat; quando videlicet nulla vis animae amplius in ipſo ligatur, quippe cum corpus iam ipſam ligare non poſſit, perdita videlicet harmonia b, quam olim habens habebat et animam c. Accedit, ſi quis diſſoluit corpus, non eſſe eam a paſſione liberam. Fatale itaque tempus expectandum eſt.

XCIX. Anima per totum coelum reuoluitur, alia in aliis ſpeciebus; ſiue in ſenſuali ſpecie, ſiue rationali ſiue vegetabili. Pars enim dominans conſentaneum ſibi peragit munus; caetera vero torpent, namque extra relicta videntur, in homine autem non ſuperant, quae deteriora ſunt, ſed ſimul exiſtunt: neque tamen, quod melius eſt, ſuperat ſemper, nam haec quoque locum in eo ſuum habent: quamobrem et tanquam ſenſuales viuunt, adſunt enim et inſtrumenta, ſenſus. Multa quoque ab hominibus fiunt, quaſi plantis, corpus ſiquidem ſeu planta ab intrinſeco augetur, et gignitur, quapropter omnia in agendo communicant.

y) Ibid.
z) c 8. 9. p. 767. 768.
a) Nempe ſimulacrum animae iisdem paſſionibus infectum.
b) En vero harmoniam praeſtabilitam inter animam et corpus iam Plotino ex parte notam.
c) Enn. I. L. IX. c. 1. p. 85.

Digitized by Google

nicant. Anima tandem e corpore migrans, id ipſum, quo abundauit, euadit [d].

C. Itaque ad ſuperiora confugiendum, ne in ſenſualem ſpeciem delabamur, ſimulachris ſenſualibus obſecuti: neue in vegetabilem vitam praecipitemur, mancipati libidini generandi et irretiti ſuauitate ſaporum, ſed ad intellectuale, ad intellectum totis viribus aſſurgendum.

CI. Quicunque igitur proprietatem ſeruauerunt humanam, homines iterum renaſcuntur; quicunque vero ſolo vſi ſunt ſenſu, bruta animalia redeunt, quod ſi ſenſus degeneratione vixerint, vna cum ipſis plantae repullulant.

CII. Quali quis ſenſu delectatus fuerit, tale euadit brutum. Sublimia ſectans, auis, muſica delinitus, animal muſicum, qui ſine ratione regnat, aquila ſit et ſic porro [e].

Eſt haec ſumma atque compendium pſychologiae Plotinianae, cui preſſis veſtigiis inſiſtit Porphyrius. Hisce iam fundamentis reliqua inaedificata ſunt omnia, et imprimis moralis philoſophiae aedificium, quod in ſequentibus delineabimus.

§. LIV. Reſtant ex Plotini *Φιλοσοφουμένοις*, quae mundum hunc concernunt, de quibus tamen non tam copioſe diſſeruit, nec integrum nobis ſyſtema exhibuit. Pleraque etiam quae habet, metaphyſica ſunt, non phyſica. Dabimus tamen, qua licet breuitate etiam horum compendium, vt integram philoſophiam Plotinianam habeat lector. Ita vero obſcuriſſimus philoſophus: *Coſmologia eclecticorum.*

CIII. Materiae notio ab omnibus admiſſa philoſophis eſt, quod ſit ſubiectum quoddam et ſuſceptaculum ſpecierum.

CIV. Etiam in mundo intelligibili materia eſt, inſunt enim ei ideae, quae formam habent, forma autem requirit ſubiectum.

CV. Cum duplex ſit mundus, intelligibilis et ſenſibilis, ſequitur, quia hic eſt illius imitatio, illic quoque eſſe materiam [f].

CVI. Corporibus, quae ſunt in mundo ſenſibili, oportet adeſſe ſubiectum, quod aliud quidpiam ſit praeter corpora, quae enim transmutantur, non corripiuntur, alioquin eſſentia in non-ens euaneſceret; neque rurſus quod fit, ex eo, quod nullo modo eſt, efficitur [ff].

CVII. Materiae primae nihil prorſus eorum, quae in ipſo ſenſibilium genere percipiuntur, tribui poteſt, adeoque neque figura neque qualitas vlla, vel color, neque magnitudo. Concludit ex his Plotinus, materiam non niſi priuatiua notione definiri poſſe [g].

CVIII. Cum non ſit quantitas in materia, vel magnitudo, neque vnum, neque multa eſt, ſed cum indefinita ſit, nunquam penes ſe ipſam

d) Enn. III. L. IV. c. 2. p. 283. ſeq.
e) Ibid.
f) Enn. II. L. IV. c. 1. ſeq. p. 159. ſeqq.
g) c. 6. p. 162.

g) Habuit hoc ab Ariſtotele, conf. Mosheim. ad Cvdw. Syſt. int. c. V. ſ. II. §. 27. p. 945. qui aliqua erudite monet, ſine quibus haec dogmata intelligi nequeunt.

Digitized by Google

quieſcit, ſed huc atque illuc in omnem ſpeciem transfertur, paſſimque lubricitate mira in quaelibet deriuatur, ſicque euadit multa ob ipſam per omnia deductionem atque genituram [k].

CIX. Locus materia corporibusque poſterior eſt, adeoque in materia non eſt, vnde ſequitur ſuſceptionem formarum non fieri ratione quantitatis [l].

CX. Neque tamen materia eſt nomen inane, ſed, quia neceſſaria eſt, qualitati et magnitudini, adeoque etiam corporibus, eſt ſubiectum aliquod, quamuis inuiſibile et expers magnitudinis, adeoque omnes ſenſus refugiens [m].

CXI. Quicquid eſt in materia in potentia, refertur ad actum; ſed non eſt actus, verum potentia. Vbi enim ex potentia et actu fit res tertia compoſita, ſubiectum dicitur in potentia, compoſitum in actu [n].

CXII. Omnes, quae qualitates nominantur, ſunt actus; qualitatis tamen nomen accipiunt, quod quaelibet ſint proprietates, quaſi diſtinguentes eſſentias inter ſe, atque ad ſe ipſas proprium habentes characterem [o].

CXIII. Corpora in miſtione tum per molem, tum per qualitatem penitus corporibus commiſcentur [p].

CXIV. Corporeitas eſt, corpus ex cunctis qualitatibus vna cum materia congregatum [q].

CXV. Eſſentiam et compoſitionem vniuerſi committere caſui atque fortunae irrationale eſt, propriumque hominis neque intellectum neque ſenſum habentis [r].

CXVI Mundum hunc arbitrandum eſt, eſſe quidem ſemper, nunquam vero non eſſe; mentem tamen eſſe ante ipſum, non quaſi praecedentem tempore, ſed quoniam hic eſt a mente, priorque natura mens eſt, quam mundus, cauſſaque mens exiſtit mundi, ac velut principalis forma ac exemplar huius mundi per exemplar illud exiſtentis, eodemque modo inde perpetuo ſubſiſtentis [s]. Celeberrimum dogma in ſchola Alexandrina ex ſtudio conciliandi Platonem et Ariſtotelem, enatum, cum is mundum eſſe genitum diceret, hic aeternum ſine generatione mundum aſſereret. Quos vt in concordiam redigerent, ab vtriusque opinione genuina diſceſſerunt, et generationem quandam mundi aeternam aſſeruerunt, mundi ortum κατ' αἰτίαν, ab eo, qui eſt κατὰ χρόνον, diſtinguentes. Qua in re Ammonium reliquis viam monſtraſſe, Plotini locus ſatis oſtendit, ex quo diſcimus hoc dogma in ſchola Alexandrina Plotini aetate iam receptum fuiſſe. Plotini poſtea veſtigia preſſere ſequaces, Por-

b) Ibid. Caue vero confundas materiam cum corpore. Metaphyſicum enim, non phyſicum hic agit Plotinus, et qui eum ſequitur Porphyr. de antro nymph. p. m. 110. edit. Rom.
i) c. 11. p. 169.
k) c. 12. p. 166.
l) L. V. c. 2. p. 173. 175.
m) Enn. III. L. VI. c. 3. p. 181.
n) p. 185.
o) p. 186.
p) Enn. III. L. I. c. 1. p. 254.
q) p. 255.

Digitized by Google

PORPHYRIVS [q], IAMBLICHVS [r], PROCLVS [s], aliique, quorum hac de re philoſophemata exponit, valideque refutat ZACHARIAS MITYLENAEVS [t]. Poſtulabat vero ſyſtema emanatiuum eiusmodi generationem aeternam, cum ex ſummo rerum omnium fonte ſimpliciſſimo deriuanda eſſent omnia: in hoc enim ſyſtemate nihil voluntarium, ſed cuncta ex eſſentiae neceſſitate fluunt, vnde non potuit mundi architectus, libera voluntate ad ornandam materiam accedens admitti, licet id placuiſſet Platoni. Negandum tamen forte non eſt, ad eludenda Epicureorum tela contra mundi originem in tempore Platonicam, hanc quoque diſtinctionem adhibuiſſe Alexandrinos philoſophos Platonicos [u].

CXVII. Mundus vero ſenſibilis cum ad exemplar perfectiſſimum ſit genitus, neceſſe eſt, eſſe mundum intelligibilem. Eſt autem ipſa mentis entisque natura mundus verus et primus, a ſe ipſo non diſtans, neque conditione vlla debilis et diuidua, neque ob defectum vllum etiam in partibus indigens, tota vita, tota mens in vno viuens et intelligens, etiam partem reddens, vt totum, nec mutationem vllam admittens [x].

CXVIII. Ab illo mundo vero et vno, et intelligibili dependet iam non vere vnus, multus ergo et in multitudinem diuiſus, in quo aliud ab alio diſtans alienumque prouenit.

CXIX. In hoc mundo non amplius viget amicitia ſolum, ſed propter diſtantiam diſcordia naſcitur, atque in ipſo defectu alia iam neceſſario aliis aduerſantur [y].

CXX. Factus autem eſt, non ratiocinatione quadam, concludente, faciendum eſſe, ſed neceſſitate quadam faciente, vt ſecunda natura primam comitaretur, non enim intelligibilis mundus talis erat, vt rerum eſſe poſſet extremum.

CXXI. Intellectus itaque infundens ſui aliquid in materiam, immobilis ipſe quietusque conſiſtens omnia fabricauit: id autem eſt ratio (λόγος) ab intellectu profluens [z].

CXXII. Quemadmodum vero in ratione inſerta ſemini ſimul omnia in eodem ſunt, nihilque cum alio pugnat, aut diſſidet et impedit, licet aliquid ſit in mole in qua alibi eſt pars alia, et aliud impeditur laediturque ab alio: ſic vtique ex vno intellectu rationeque ab ipſo manante pullulauit hoc vniuerſum, a ſe ipſo iam diſtans, atque neceſſario alia quidem nata ſunt ſalutaria atque amica inter ſe, alia vero inimica et perniciosa, et partim volentia, partim nolentia ſe inuicem perdunt, ipſoque interitu generationem mutuam operantur [a].

q) De antro nymphar. p. 131.
r) De myſter. Aegypt. Sect. VIII. c. 3. p. 159.
s) In Timaeum Platonis.
t) De opificio mundi p. 209.
u) Conf. MOSHEIM. ad CVDWORTH. p. 219.
x) l. c. c. 2. p. 255.
y) Haec ex ſyſtemate emanatiuo ſequuntur.
z) c. 2. p. 156.
a) Ibidem.

CXXIII. Non tamen inde poteſt quisquam mundo huic tanquam non pulchro detrahere, quaſi non optimus ſit eorum, quae eſſe cum corpore poſſunt, neque cauſſam per quam mundus eſt, accuſare. Nam et ex neceſſitate, non ex conſilio factus eſt mundus, et totum quiddam pulchrum eſt, ſibique ſufficiens, atque amicum, itemque partibus ſuis tam maioribus quam minoribus conueniens. In partibus itaque vituperare totum, ſtultum eſt [b].

CXXIV. Mundus itaque perfectus eſt, ex cunctis animalibus conſtitutus, ſibi ipſi ſufficiens, nulli indigus, quoniam omnia in eo ſunt animalia atque plantae cunctorum natura generalium, Dii quamplurimi daemonum populi, bonorum exercitus animorum, homines virtute felices. Nam et in aëre et aethere, et in coelo toto ſunt animae omnes bonae, vitam ſtellis ſuppeditantes reuolutionique coeleſti ordinatiſſimae ſimul atque ſempiternae: et ad imitationem mentis in circuitum agitatae ſapienter ſemperque circa idem: Quaecunque etiam in eo ſunt, appetunt bonum, ſingula vero pro facultate propria conſequuntur, coelum enim et mundi anima inde dependet: praeterea Dii, qui in eius partibus regnant, item animalia omnia et plantae, et quicquid in eo eſt inanimum: cunctis officium ſuum peragentibus [c].

CXXV. In coelo totum quidem viuit ſemper, et quaecunque honoranda ſunt, et praecipua permanent. Animae vero viciſſim corpora permutantes, aliud quidem in alia fiunt ſpecie; aſt quoties anima poteſt extra generationem poſita, vna cum vniuerſi anima viuit. Corpora vero ſecundum ſpeciem atque ſingula ſecundum totum, ſiquidem ex ipſis et animalia erunt, et nutrientur [d].

CXXVI. Nec perfectum in eo malum eſt. Hominum enim mutuae inter ſe iniuriae ab ipſo boni appetitu proficiſcuntur, quando nempe bonum conſequi non valentes aberrant aliosque inuadunt. At vero qui egerunt, iniuſte poenas luunt, tum quia animam inde reportant deprauatam, tum quia certo quodam ordine in locum transmittuntur deteriorem, nihil enim poteſt vnquam, quod in vniuerſi lege ordinatum eſt, effugere [e].

CXXVII. Si igitur datur in hoc mundo animis facultas ad beatitatem conſequendam, non licet de hac regione conqueri, quod aliqui in ea non ſint felices, ſed eorum imbecillitatem potius reprehendere, quod ſtrenue certare non valeant, vbi virtutis praemia propoſita ſunt. Ratio vero mundi artifex et corruptis vtitur ad aliorum genituram, et vtilia multa vniuerſo inde efficit. Aſt et circa eas animarum actiones, quae in ipſis animabus collocantur, quando deteriora agunt, cauſſa referenda eſt in eligentem, cum animas quoque proprias habere motiones oporteat [f].

CXXVIII.

b) c. 3. p. 256. c) Ibid. e) p. 258.
d) c. 4. p. 257. f) p. 259.

Digitized by Google

CXXVIII. In mundo ſuprema, vt in animali pulchriora, ſunt, media vero et infima, minus. Homines autem in medio inferiorique ſunt; at in ſublimi coelum Diique coeleſtes, et mundi plurimum Dii tenent, omneque in circuitu coelum, terra vero quaſi centrum et velut vna quaedam ex ſtellarum numero. Eſt itaque homo deorum brutorumque medius. Hinc cum ad vtraque vergat, poteſt etiam iniuſte agere [g].

CXXIX. Prouidentia itaque accuſari non poteſt, quae non facit hominem Deum, ſed ſeruat in eo, quod eſt, eſſe hominem, id eſt, agentem ea, quaecunque lex praeſcribit: et homines in medio conſtitutos perdi nequaquam dimittit, ſed ad ſuperna reuocat aſſidue omnibus machinis virtutem reddens potentia praeualentem [h].

CXXX. Licet vero peccatum ipſum non ſit voluntarium, non tamen id prohibet, quin ipſi ex ſeipſis agant, quoniam ipſi actionum talium auctores ſunt: nec neceſſitas ab extrinſeco eſt, ſed quoniam communi conditione intrinſeca peccant [i].

CXXXI. Ratio vero etiam artifex mundi non omnia fecit aequaliter perfecta, et bona, nec omnia fecit Deos, verum alia quidem Deos eſſe ſtatuit, alia vero daemones ſequenti natura, poſt haec autem homines, et animalia deinceps, neque id quidem inuidia, ſed ratione intellectualem habente diuerſitatem. Quin et futura, et circuitus ſpectare decet, quibus omnia iuſte commutantur [k].

CXXXII. Ratio ſeminaria mundi non eſt mens ipſa, ſincera, non animae purae genus, dependens vero ab hac, et quaſi fulgur ex ambabus, mente videlicet, atque anima affecta ſecundum mentem: quae hanc rationem generant velut vitam, quae quietam in ſe habeat rationem: omnis vero vita eſt actus. Aſt non eſt vita vna, vel mens quaedam vna, ſed partes inter ſe oppoſitas habet, ideoque indigas, et inuicem repugnantes. Hinc totum inter ſe in mundo conſentit, partes repugnant [l]. Prolixa has de prouidentiae in mundo concurſu, malorumque cum phyſicorum tum moralium origine et cauſſis diſputationes proſequitur Plotinus non tantum duobus, quos *de prouidentia* conſcripſit libris, ſed et in *diſceptatione contra Gnoſticos* Platonicis rationibus demonſtraturus, mundum nec malum eſſe, nec a malo principio conditum, ſed conſilio bonum factum, et diuinitati ſimilem, bona in eo eſſe omnia, et Deum eius habere curam; non omnia tamen aequaliter bona eſſe [m].

CXXXIII. Quia mundus omnia in ſe complectitur, neque ſupereſt quicquam, in quod poteſt commutari, neque rurſus in hunc externum aliquid incidere poteſt, quo diſperdatur, ideo mundus durat perpetuus [n].

CXXXIV.

g) c. 8. p. 261. ſeq.
h) c. 9. p. 262. Aſt ſupra dixerat, fieri haec omnia naturae neceſſitate.
i) c. 10. p. 263.
k) Ibid.
l) c. 16. p. 267.
m) Enn. II. L. IX. c. 7. ſeqq. p. 205. ſeqq.
n) Enn. II. L. I. c. 1. p. 96.

CXXXIV. Coelum ſempiternum eſt, tum ob animas, tum ob corpora pura, adeoque meliora. Igne enim conſtant coeleſti, aequali et quieto aſtra. Anima autem coeli ex Deo manans omni vinculo fortior eſt, et ſemper coelum continere poteſt [a].

CXXXV. Coeleſtis vero anima, qualis coeli eſt, non corrumpi ſinit coeleſtia, quia proxima eſt ab ipſo mundi architecto; ab ipſa vero coeleſti imago quaedam producitur, quae velut a ſuperis defluens terrena animalia facit, quae quia deterioribus ad opus ſuum vtitur corporibus, locoque deteriori in vnum conciliare ſtudet, quae vix congrediuntur, et congreſſa in vnum inuita manent, ideo animalia haec mortalia ſunt, nec ſemper viuere poſſunt [b].

CXXXVI. Solus in coelo ignis eſt, ſed qui terram et aquam et aërem, id eſt, qualitates aliorum elementorum in ſe habeat [c].

CXXXVII. Cum lumen vigeat in excelſo, vbi naturaliter eſt conſtitutum, puriſſimum, quod varia ratione in ſtellis eſt diſtributum, et in reliquo quoque coelo regnet, non poteſt vllum defluxum pati; nam et animae coniunctum eſt, et nihil praecipitat impellitque deorſum, et tam ſublimis natura defluere ſponte non poteſt [d].

CXXXVIII. Motus coeli fit ab anima intellectuali et fit in circulum, qui motus eſt, quem in ſe ipſis faciunt intellectus et anima [e].

CXXXIX. Poſtrema vis animae a terra exordiens ſeſe fundit per vniuerſum, vis autem animae ſenſualis, et quae opinantem poſſidet rationem, ad ſuperiora in ſphaeris ſe habet, incubans inferiori potentiae, vimque vitalem communicans. Mouetur itaque ab ea, in circulo continente, totique inſidente, quantum ipſius recurrit in ſphaeras. Itaque cum illa hanc circulo comprehendat, merito haec conniuens reflectitur in ſe ipſam, huius vero reflexio corpus vna, cui eſt infuſa, contorquet [f].

CXL. Stellae non mutant naturam motibus, locis, aſpectibus [g].

CXLI. Quod ſtellae futura portendunt, inde eſt, quia certo quodam ordine procedunt, et ſigna rerum habent. Plena enim omnia ſignorum ſunt in mundo et ſapiens aliud argumentatur ex alio. Mirabilis autem eorum eſt connexio et conſpiratio, quae ſunt in mundo [h].

CXLII. Anima mundi eſt principium rerum naturalium, ſeruiunt huc conferuntque ſtellae, ceu partes coeli non paruae tum ad decoram totius formam, tum etiam ad ſignificationis officium [i].

CXLIII. Anima quae in generatione aduenit, coeli fato ſubeſt, nempe ea anima, quae veſtigium animae quoddam nacta, corporis eſt potiſſimum. Aſt altera, quae extrinſecus extat anima, ſupra fatum eſt, et ad eum

a) c. 4. p. 99.
b) c. 5. p. 99. Pertinet hic locus etiam ad animam mundi duplicem, de qua ſupra diximus.
c) c. 6. p. 100.
d) c. 8. p. 102.
e) Enn. II. L. II. c. 1. p. 107.
f) c. 3. p. 109.
g) Enn. II. L. III. c. 3. p. 138.
h) c. 7. p. 141.
i) c. 3. p. 141.

Digitized by Google

eum aſcenſus ad ſublimia pertinet, ad pulchrum et diuinum, quibus nullum fatum dominatur. Hanc duplicem animam quilibet habet [u].

CXLIV. Quin et totus mundus compoſitum quoddam eſt, ex corpore atque anima corpori mancipata, et ipſa vniuerſi anima, quae non ineſt corpori, imprimit autem veſtigia quaedam in eam animam, quae iacet in corpore. Sic et ſol et cetera omnia duplicia ſunt [v].

CXLV. Moleſta et difficilia in mundo atque auerſa propter miſtionem quandam naſcuntur, mixta enim eſt huius mundi natura [w].

CXLVI. Mundus ita demum Deus eſt, ſi ſeparabilis illa anima in ſubſtantia connumeretur. Reliquum namque eſt daemon, affectus quoque in eo daemoniaci ſunt [x].

CXLVII. Coeleſtis influxus non generat res, ſed tantum materiam diſponit, eae vero ex ſeminalibus naturae rationibus oriuntur [y].

CXLVIII. Rationes ſeminales non ſunt intelligentiae nec intellectio, nec viſio, ſed vis quaedam materiae agitatrix, haud ſane cognoſcens, ſed agens tantum velut formam figuramque in aqua, quemadmodum ex circulo aliunde facto redundat circulus alter. Non igitur opus habet quodam rationis diſcurſu [z].

CXLIX. Deorum et daemonum, qui ſunt in mundo inter ſe, genus diſtinguendum eſt [a].

CL. Deorum genus paſſionibus expers eſt.

CLI. Daemonibus paſſiones inſunt; ſuntque illi etiam ſempiterni ſequente poſt Deos gradu, iamque generi humano propinquiores, mediique inter Deorum hominumque genus.

CLII. In mundo intelligibili nullus eſt daemon, ſed qui ita dicuntur, Dii ſunt.

CLIII. Qui in mundo ſenſibili ſunt vsque ad lunam, Dii viſibiles, Dii appellandi ſunt ſecundi, eo quod a Diis intelligibilibus dependent, vt ſplendores a ſtellis [b]. Satis haec theſis innuit, Deos intelligibiles tantum eſſe ideas ſiue exemplaria aeterna ſtellarum reliquorumque Deorum viſibilium, vt ſupra notatum.

CLIV. Daemones illi ſunt amores, qui gignuntur ex anima bonum pulchrumque deſiderante, ſed ad vſum vniuerſi geniti ſunt ab anima mundi aliis viribus, vt impleantur diſpenſenturque ſingula toti [c]. Oportebat enim ipſam vniuerſi animam ſufficienter toti mundo praeeſſe atque ſuppetere, generando vires daemonum ipſi vniuerſo congruas.

CLV.

u) c. 9. p. 141.
v) Ib. p. 142. Ita nugis ſuis idealibus omnia philoſophiae naturalis capita corruperunt inepti philoſophi.
w) Ibidem. x) Ibid.
y) c. 12. p. 143.
z) c. 17. p. 147. Ex hoc fonte naturam ſuam genitricem hauſit CVDWORTHVS, huius philoſophiae praeter modum amans.
a) Enn. III. L. V. c. 6. p. 295.
b) p. 296.
c) Ibid. Fundamentum hoc fuit ſyncretiſmi omnium religionum, quem iniit philoſophia Alexandrina.

Digitized by Google

CLV. Daemones non ſunt materiae corporeae, alioquin animalia ſenſibilia forent. Et ſi aëria igneaue corpora accipiunt, oportet tamen naturam eorum prius differentem eſſe.

CLVI. Eſt itaque intelligibilis materia ponenda, vt quod illius eſt particeps, per illam in hanc quoque corporum materiam perueniat [d]. Plura et luculentiora de his mox dabimus ex Iamblicho.

CLVII. Terra omnia in ſe elementa continet [e].

CLVIII. Terram eſſe animal, non tantum ex anima patet vegetante, ſed quia animalia quoque ex ea generantur. Quia vero non exigua mentis portio eſt, ideo mentem habere Deusque eſſe recte creditur [f].

CLIX. Terra non inepta eſt motui, niſi quod ex loco ſuo non moueatur.

CLX. Poteſt terra ſentire, quia animam habet, vt ſtellae ſentiunt propter animam, et anima hominis in corpore [ff].

Doctrina eclecticorum de creatione mundi.

§. LV. Haec Plotinianae philoſophiae facies eſt, quam Alexandria genuit, quaeque Romae poſtea, inque Aſia minore et Athenis tandem coaleuit, magnaque per quatuor fere ſecula fama floruit. A Plotino enim totam philoſophorum horum ſucceſſionem deriuatam fuiſſe, veterum teſtimoniis [g] conſtat. Et variaſſe quidem in diuerſis huic ſyſtemati doctrinis vel inferendis vel eiiciendis etiam aliterque delineandis philoſophos huius ſectae ſupra monuimus, vnde cuiusuis ex iis philoſophemata ſingulari ſtudio excutienda ſunt illis, qui totam eius faciem accurate noſſe cupiunt: in primariis tamen capitibus non valde diſſenſerunt, ſed explicationibus ſpeciem quidem diuerſae ſententiae prae ſe tulerunt, vt nempe eo magis ſe temporum circumſtantiis attemperarent, quae, cum Chriſtiana religio, κρατοῦσα, (qua voce veteres vtuntur) id eſt, dominans, euaſiſſet, poſtulabant, vt propius ſe eius dogmatibus accedere viderentur, ſicque ab imperantibus aequius tolerarentur: hoc vero ipſo perditiſſimos, quos haec philoſophia fouet in ſinu, errores, palliarunt tantum, et ſubdole pinxerunt; quo factum eſt, vt ab incautis pro iis habiti qui ſanius philoſopharentur, admiſſique peſtilentes errores etiam inter ſana diſſeminauerint dogmata. Cuius rei vt fidem faciamus lectori, et, quanta in vaferrimi hominum generis hiſtoria cautione opus ſit, memorabili exemplo declaremus, attendere iubemus ad illud potiſſimum dogma, quod de creatione rerum in hac ſchola perſonuit, quod ita acceſſiſſe viſum eſt quibusdam ſanae doctrinae, vt AENEAS GAZAEVS [h] contra mundi aeternitatem pu-

d) Ibid.
e) Enn. II. L. I. c. 7. p. 101.
f) Enn. IV. L. IV. c. 22. p. 419.
g) Ibid.
g) Vid. PORPHYR. vit. Plotini c. 7. p. 104. SOCRAT. Hiſt. eccleſ. l. VII. c. 15. p. 352. SOZOMEN. Hiſt. eccleſ. L. I. c. 5. p. 406. Iamblichi tamen ſchola vocat EVNAPIVS in Aedeſ. p. 36.

b) De opificio mundi p. 56. Sequimur verba Graeca, quae ita in HARTHII editione legunrur: οὐ γὰρ ἀγένητος οὐδ' ἀνάρχου ἡ ὕλη, τοῦτο οἱ

Digitized by Google

pugnans, ad ipſum Plotinum Porphyriumque prouocare auſus fuerit, ſtatuentes, materiam eſſe factam. Ait enim: *Materia neque ingenita, neque ſine initio, id te Chaldaei docent et Porphyrius. Scripſit is enim librum de materia, Chaldaicis doctrinis refertum, in quo rationibus hoc roborat: materiam genitam eſſe, et ad Plotini librum prouocat phyſicum, in quo tanquam dogma deteſtandum eiicitur error: materiam eſſe ingenitam, interque principia referendam.* Recentiores pari fere modo ſeductos hic tacemus [i]. Aſt falli viros doctos, euidenter patebit, vbi totius ſcholae huius de materia ſyſtema paulo attentius conſiderabimus. Deſeruiſſe vero Aegyptios, inter quos haec philoſophia nata eſt, ſyſtema dualiſticum, quod antiquiſſimis temporibus, ſaltem ex eo tempore, quo Perſae Aegyptum inuaſerunt, inualuerat, ſuo loco demonſtrauimus, ex quo nempe orientalis philoſophia ſyſtema emanationis illis commendauerat. Sane non alium, quam emanationis ordinem inter Aegyptios in rerum omnium γενέσει ab eo tempore fuiſſe receptum, quo Graecanica philoſophia obtinuit, diſerte tradit IAMBLICHVS, his verbis: *Καὶ ἔτως ἄνωθεν ἄχρι τῶν τελευταίων ἡ περὶ τῶν ἀρχῶν Αἰγυπτίοις πραγματεία ἀφ' ἑνὸς ἄρχεται, καὶ πρόεισιν εἰς πλῆθος τῶν πολλῶν αὖθις ὑφ' ἑνὸς διακυβερνωμένων, καὶ πανταχῆ τῆ ἀρίστη φύσεως ἐπικρατεμένης ὑπό τινος ὡρισμένε μέτρε καὶ τῆς ἀνωτάτω ἑνιαίας πάντων αἰτίας. Atque ita Aegyptiorum doctrina de principiis deſuper ad inferiora progrediens, ab vno incipit, et deſinit in multitudinem vnius imperio gubernatam, et prorſus omnis indeterminata in ſe natura definitur et continetur aliquo certo termino, hoc eſt, a ſuprema illa vniente omnia cauſſa.* Quod ne de ſolis rebus ſpiritualibus intelligatur, addit: *Materiam quod attinet, eduxit (παρήγαγεν) eam Deus, ab eſſentialitate diuidendo materialitatem, quam Demiurgus accepit, cum animata eſſet, et ex ea ſimplices atque incorruptibiles Sphaeras fabricauit, poſtremum autem illius materiae ad corpora generabilia et corruptibilia facienda transtulit.* Quibus verbis, Aegyptiaca dogmata recitari nulli dubitamus, ſed talia, quae inter Platonicos iam tum fuere recepta, ex quibus ſimul liquet, deſeruiſſe ſcholam Platonis eius ſyſtema, quod dualiſticum fuiſſe *tomo primo* demonſtrauimus. Ex hac vero ſchola cum prodiret Ammonius, isque non Ariſtotelem tantum aeternitatem mundi ſtatuentem, cum Platone, mundum genitum eſſe in tempore, afferente conciliare, ſed et ex Chriſtiana, quam didicerat, diſciplina elegantiora doctrinarum capita in rem ſuam vertere cogitaret, quae creationem ex nulla praeexiſtente materia, ſolo ſummi entis nutu fa-

σὲ καὶ χαλδαῖοι διδάσκουσι καὶ ὁ Πορφύριος ἐπιγράφει δὲ καθ' ὅλου τὸ βιβλίον, ὃ εἰς μέσον προάγει τῶν χαλδαίων τὰ λόγια. Ἐν οἷς γεγονέναι τὴν ὕλην ἰσχυρίζεται, καὶ τὸ Πλωτίνου διανοίγων βιβλίον τὸ κατὰ φύσιν που λέγει, ἀγέννητον δὲ εἶναι τὴν ὕλην, καὶ τὸ ἐν ἀρχαῖς τιθέναι ὡς ἄῤῥητον δόγμα παραιτητέον. In quibus verbis menda quaedam iacere acute vidit MESNEMIVS diſſ. de creat. ex nihilo §. 29. p. 995. Cudw.

i) BESSARIO adu. calumn. Plat. L. II. c. 5. LIVIVS GALANTES compar. theol. Chriſt. cum Platonica, L. IX. p. 236. RAD. CVDWORTH. Syſt. int. c. V. ſ. 2. p. 751. HVET. Qq. Alnet. L. II. c. 5. BAYLE Dict. T. II. art. Hierocles not. A. p. 760.

ctam esse tradebat, commodum ratus, a trium horum systematum genuino recedere sensu, vt moris est apud syncretistas, non potuit non dogmati iam tum recepto, materiam ex Deo esse genitam, dare manus, illudque nouis adornatum pictumque coloribus in rem suam conuertere. Ita enim sperabat fore, vt amice inter se coirent, quae longissime dissonabant, et non Aristoteles tantum vera diceret, exclusa omni generatione in tempore facta, sed etiam Plato non derelinqueretur, statuendo mundum esse opus demiurgi, quin et Christianis affinia docerentur, tradendo, non fuisse extra Deum subiectum, ex quo facta sit materia, et ita systema dualisticum expungendo, quod valde Christiani in haereticis improbabant. Non sine ingenii acumine haec suscepisse Ammonium fatendum erat: nam et systemati, quod formauerat apprime conueniebant, et idonea erant, ad os obliniendum incautis, nec satis ad rem hanc attendentibus: Ast peruertisse etiam eorum, quae conciliare inter se statuerat, systematum mentem veram, simul apparebat. Nam nec Aristoteles vnquam de materiae quadam generatione cogitauit, sed aeternam eam semperque sibi similem ita suppossuit, vt tota fere eius physiologia huic axiomati inniteretur; nec Plato materiam vnquam ex Dei gremio deriuauit, sed ab aeterno sine ordine et sapientia bruta quadam vi commotam et iactatam in tempore a Deo primo in ordinem redactam et formatam esse, quod ordinem confusioni praestare intelligeret, docuit. Quod licet aliter visum fuit τῷ πάνυ GVNDLINGIO [k], qui Platoni hoc ipsum dogma tribuit: materiam quoque ex Dei gremio effluxisse, certum tamen ex physiologia Platonis, qualem *tomo primo* inuictis rationibus exstruximus, est, confudisse virum doctissimum, sed sententiae semel deamatae pertinacius inhaerentem, doctrinam Platonicam recentiorem, quam Alexandrinam appellamus, cum Academica veteri. Sed nec Christianorum quicquam, quod sanum esset, ita ab Ammonio exhibebatur. Illi enim a systemate emanatiuo toto coelo diuersi, impiumque dogma abhorrentes, materiam ex nullo prorsus subiecto, neque interno neque externo, adeoque neque ex Dei essentia esse genitam, sed ex re plane nulla libera Dei voluntate et facultate factam statuebant, cum e contrario schola Ammonii necessaria ratione et lege emanationis, vt omnia, ita et materiam ex sinu Dei deriuaret. Ita enim, si Plotinum sequimur, qui ipsum Ammonium audiuit, statuendum esse putabat: Ex nihilo fieri nihil, (id enim diserte PLOTINVS [l] et absoluto quodam sensu statuit) inde necessarium esse, vt ex vno omnia prorsus effluxerint, cum vnum sit binario prius. Vi huius emanationis non tantum ex primo rerum omnium fonte effluxisse intellectum diuinum et animam mundi intelligibilem, et quae in his comprehenduntur, omnis generis entia spiritualia, siue intelligibilia, sed materiam quoque omnem, ex qua condi omnia formarique et rationes seminales in anima mundi latentes impri-

k) Diximus de eius controuersia de hoc argumento T. I. L. II. c. 7. eandem opinionem foueat GALE ad Iambl. p. 276.

l) Enn. II. L. IV. c. 6. p. 162.

Digitized by Google

imprimi illi opus eſſet. Cum enim cuncta fieri neceſſaria naturae aeternae conſecutione dicerentur, non poterat non eiusmodi materiae quoque ex ſummo rerum omnium fonte emanatio ſtatui. Aſt hic materiae obſtabat indoles inordinata, bruta, mala, vt eam deſcribit Plato. Hunc relinqui oportebat, et confugiendum erat ad metaphyſicas notiones et praeciſiones, ne quid Deo indignum admittere viderentur. Mutuum accipiebant itaque Ammonius eiusque diſcipuli, non tantum conceptum materiae ab Ariſtotele, eamque omni quantitate et qualitate omnibusque formis priuabant, ſed mundum quoque duplicem fingebant, vnum naturalem, alterum intelligibilem, et in hoc materiam quoque intelligibilem ponebant, quae ex intellectu diuino oriretur. Cum autem mundum intelligibilem naturalem ſequi, emanationis ordo poſtularet, idque neceſſario accidere oporteret, adiiciebant et hoc: cum mundus intelligibilis non poſſet eſſe rerum extremum, intellectum infudiſſe aliquid ſui in materiam, licet ipſe immobilis quieteque conſiſteret, ſicque rationem in materiam effluxiſſe et ſemina ei impreſſiſſe. Eſſe haec Plotiniana dogmata, ex ſupra delineata eius phyſiologia apertiſſimum eſt [m]: aſt ita quidem materiae generationem, non vero ex nihilo ſed ex intellectu diuino poni eamque dici aeterna generatione ſiue emanatione ex Deo exiſtere, quilibet videt. Cum vero ſola eſſe entia quae reuera ſunt, nec mutationis cauſſam in ſe habent, ſed ſemper ſunt eadem, eodem modo ſe habentia, eadem ſchola, Pythagoram et Platonem ſecuta, traderet, materia ex ἐκ ὄντων genere dicta eſt, ſicque definitum, res omnes eſſe conditas ex non-ente, id eſt materia. Non defecerunt ab hac anteceſſorum ſuorum doctrina ſequentes Platonici, PORPHYRIVS enim, cuius *de materia prima* libros ſex hodie deſideramus, alio loco luculenter dixit: Πάντα τὰ ὄντα, καὶ μὴ ὄντα, ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐν Θεῷ, *omnia et entia, et non-entia* (ita materiam vocat [n],) *ex Deo et in-Deo*: et paulo ante: σῶμα δὲ καὶ ἐν ψυχῇ καὶ ἐν νῷ καὶ ἐν Θεῷ, *corpus etiam in anima, in intellectu et in Deo eſt*, nempe vel inhaeſiue, vel ſubiectiue, vel efficienter, vt loqui ſcholarum philoſophi ſolent. Eodem fere modo IAMBLICHVS [o]: ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ δημιουργοῦ τῶν ὅλων καὶ αὐτὴ (ὕλη καθαρὰ καὶ θεῖα) γενομένη, τὴν τελειότητα ἑαυτῆς ἐπιτήδειαν κέκτηται πρὸς Θεῶν ὑποδοχήν. *Ipſa materia pura et diuina, cum ab opifice patreque omnium facta ſit, merito perfectionem ſui quandam accepiſſe cenſenda eſt aptam ad Deos ſuſcipiendos.* Sed et reliqui ex hac ſchola philoſophi [p] in hac haereſi ſunt, ex quibus PROCLVS [q], Deum ἄῤῥητον αἰτίαν τῆς ὕλης vocat, et contentione haud parua diſputat, Platonem in Philebo eandem tenuiſſe ſententiam; qua de re quid diſputatum olim fuerit inter B. Gundlingium et Cl. Zimmermannum *tomo primo* indicauimus, monuimus-

m) περὶ ἀφορμ. p. m. 75.
n) p. 67.
o) De myſt. Aegypt. Sect. V. c. 23. p. 138.
p) IVLIANVS Orat. V. Damaſcius apud GALLE l. c. p. 277. SIMPLIC. in L. I. Phyſic.
q) In Timaeum Plat. L. II. p. 17.

nuimusque Proclum deprauaſſe Platonem alienamque ei a vera mente eius ſententiam affinxiſſe. Tandem et Oracula teſtamur, in quibus etiam hoc eſt:

Ἐνθεν ἄδην θρώσκει γένεσις πολυποικίλε ὕλης.

Ex quo (Deo) *oritur abundanter generatio multiformis materiae.*

Alia ex hac ſchola teſtimonia collecta a LIVIO GALANTE [r], RAD. CVDWORHO [s], Io. ALB. FABRICIO [t], Io. LAVR. MOSHEMIO [u] aliisque praeterimus. Dubium non eſt mature vidiſſe Chriſtianos [x] doctrinae huius deformitatem, quae et Deum in materia diuidit, et neſcio quam extenſionem intelligibilem, nullibi, niſi in otioſorum hominum ingenio extantem [y] comminiſcitur: quare verbis, quantum licet, propius ad Chriſtianos, iam tum rerum potitos, hisque hominibus graues, accedendum erat, ita tamen, vt ſyſtema nouum nullum inde detrimentum caperet. Hinc Hierocles mutato pauliſper familiae ſuae ſermone preſſius eorum loquendi modum imitatus, teſte PHOTIO [z], ſcripſit, materiam ex nullo praeexiſtente ſubiecto a Deo productam fuiſſe, vt eorum potiſſimum opinionem refelleret, qui Platonem dicunt poſuiſſe materiam Deo coaeternam, ex qua Deus omnia finxerit: Hinc Platoni aliam fuiſſe mentem tradit, addens: *ὅτι δημιεργὸν Θεὸν, φησὶν, ποιῦ ὁ Πλάτων ἐφεξῆτα πάσης ἐμφανῆς καὶ ἀφανῆς κοσμήσεως, ἐκ μηδενὸς προϋκειμένου γεγεννημένης· ἀρκεῖν γὰρ τὸ ἐκείνε βούλημα εἰς ὑπόστασιν τῶν ὄντων. Plato opificem Deum cenſuit ſuſtinere aſpectabilem et inaſpectabilem mundum, nulla prius exiſtente materia factum et productum. Sufficere enim voluntatem DEI, vt ea quae ſunt omnia exiſtant.* Patet ex primo verborum horum intuitu, plus dediſſe Chriſtianis Hieroclem (quem in aliis quoque quaedam iis largitum fuiſſe, viris doctis obſeruatum eſt,) quam reliquos Platonicos, forte quod inuidiae, qua ea ſecta illo tempore premi coeperat apud Chriſtianos, ſe ſubtrahere vellet; caue tamen credas, lucrum inde aliquod acceſſiſſe veritati diuinae, verba enim dedit philoſophus vaferrimus, praetereaque nihil. Vſus enim abſtractione metaphyſica, dum externum ſubiectum in quod ageret demiurgus negat, et ſola voluntate ſine exiſtente materia mundum productum ait, tollit hoc dogmate tantum materiae exiſtentiam extra Deum, non vero ait, in Deo illam non eſſentialiter et radicaliter latuiſſe. Id enim ſeries tractationis eius vult, qua eos grauiter redarguit, qui materiam aeternam ſe ſubiectum Deo conditori tantum praebuiſſe dicunt, nec ex vno rerum fonte omnia deriuant. Vt itaque materia exiſteret, nihil extra Deum require-

r) loc. cit.
s) l. c. c. V. Sect. II.
t) Bibl. Graec. T. I. p. 462.
u) l. c. p. 994.
x) Veriſimile, Origenis errores ex hac ſchola progreſſos oculos doctoribus Chriſtianis aperuiſſe.
y) Reuocaſſe eam Malebranchium, infra dicetur.
z) Cod. CCXLII. p. 552.

Digitized by Google

quirebatur, ſecundum Hieroclem, quam voluntas eius, vt materia ex ſinu eius progreſſa, extra illum extaret, ſeque formandam praeberet artifici. Quae voluntas tantum abeſt vt libera ſit, vt potius ſummam eſſentiae neceſſitatem inuoluat, cum non queat aliter velle Deus, quam voluit. Dices, lector, nos heic tibi nugas metaphyſicas oggerere, quae ad mundi condendi opus plane nihil efficiunt. Non inficiamur ita de his recte iudicari; aſt cum horum hominum opinio explicanda eſſet, nihil aliud dari poterat. Cuncta enim haec metaphyſica tantum ſunt, nihilque dicunt ad res ipſas translata, ſed mentis tantum emotae ſomnia, et praeciſiones mentales ſunt, creationem materiae quandam ex nihilo idealem nobis tanquam vmbram ſiſtentes, quam ſi manu prehendere cupimus, euaneſcit, ad phyſicam enim mundi rationem applicata nihil, quod res eſt, dicit, ſed axioma Alexandrinae ſcholae manet: mundum eſſe aeternum. Ex quo luculento exemplo palam eſſe exiſtimamus, quantis artibus in propagandis nefariis dogmatibus ſuis hi philoſophi vſi fuerint, quantaque attentio adhibenda ſit, ne a primis praeceptoribus defeciſſe, et ad ſaniora fuiſſe progreſſos putemus. Plura exempla facili labore colliget, qui in eorum ſcriptis non plane hoſpes eſt, et a praeiudiciis animum ſeruare nouit plane liberum.

§. LVI. Propius vero vt theologiam quoque Alexandrinam qualis in Platonicorum reformatorum ſchola viguit, intueamur, audiemus quoque Iamblichum, tertium poſt Plotinum et Porphyrium eius antiſtitem, qui hoc praecipue doctrinae eclecticae vel ſyncretiſticae caput, in ordinem iuſtique ſyſtematis redegit habitum, ruentique in ruinam ſuam ſuperſtitioni humeros ſuppoſuit. Ex cuius ſchola cum magna ſeruorum turpiſſimae ſuperſtitionis caterua exiiſſet, quae ſacerdotii ſibi curam proprio quaſi miniſterio vindicauerat, factum inde eſt, vt Iamblichiana potiſſimum ſchola eiusque ſucceſſio, *ἱερᾶς γενεᾶς* inſtar haberetur, et haec Alexandrinae philoſophiae pars, quam tanto ſtudio, tantisque artibus fraudibusque excolebant, *κατ' ἐξοχήν* Iamblichi philoſophia appellaretur [v]. Eo ſecurius vero hunc doctorem ſcholae illius ſequi licet, quo luculentius praeter ſectae eius morem haec myſteria enarrauit, exarato reſponſionum libro ad PORPHYRII epiſtolam ad Anebonem prophetam Aegyptium, qua de potioribus Aegyptiorum dogmatibus, quae diuinioris argumenti ſunt, ſciſcitatus eſt. Illi libro titulum de myſteriis praeſcripſit, quod inter *ἄῤῥητα*, id eſt ea, quae in vulgus propalare nefas eſt, quaeque initiatis tantum enucleatius tradi ſolent, fuiſſent relata. Aegyptiorum vero myſteria dum nobis vendit Iamblichus, non intelligenda eſt theologia Aegyptiaca alia, quam quae in Platonicorum ſyncretiſtarum ſcholis obtinuit, quaeque concordiam religionum fere omnium meditata, mirum opinionum theologicarum chaos effinxit. Sequemur vero ordinem a

Theologia Iamblichiana.

Iambli-

v) EVNAP. in Aedeſio p. 37. Aſt ſacerdotes ſe eſſe ipſe iactat IAMBLICHVS de myſter. ſ. 1. c. 8. p. 15.

Iamblicho obſeruatum, licet non quidem optime cohaereat, eo quod ad quaeſtionum capita a Porphyrio propoſita reſpexerit; ita enim ſperamus fore, vt quibus potiſſimum vinculis ineptiſſimum diuinioris doctrinae aedificium Iamblichus connexum ſtabilitumque iuerit, purius quodammodo et ſincerius, tanquam ex ipſo fonte, hauriamus; cum facile futurum ſit lectori attento, ad eum cuncta locum referre, quem in ſyſtemate Plotiniano occupant. Ita vero IAMBLICHVS w) praecipit:

I. Deos dari, noſtra nos natura conuincit, cuius eſſentiae penitiſſime ineſt de Diis innata cognitio, omni noſtro iudicio et anticipatione antiquior omnique demonſtratione prior. Vtique quae iam tum ab initio iuncta fuerit propriae ſuae cauſſae, ſimulque cum eſſentiali illa animae noſtrae ad bonum tendentia quaſi implicita coexſtiterit. Celeberrimum hoc eſt pro Dei exiſtentia argumentum, quod, cum duo membra habeat, vnum, quod ab innata Dei idea deſumitur, alterum, quod ab infinita voluntatis in bonum tendentia petitur, recentiorum multis x), et in his maxime Carteſio placuit, vt ſuo loco docebitur. Recte tamen Iamblichus intelligendus, et ex proprio ſyſtemate, quod haec ſchola adoptauit, explicandus, nec confundenda eius ſententia eſt, cum eorum opinione, qui noſtra aetate vel Dei ideam quandam animo natura inſitam eſſe, vel naturali boni infinite durantis et perfectiſſimi deſiderio menti eſſe impreſſam dixere. Nempe animum hominis ex mundo intelligibili, ſiue intellectu diuino exortum in hunc mundum ſenſibilem deſcendere dicebant Platonici, ſecumque habere conſonantiam ſiue harmoniam vniuerſi, adeoque non eſſe extra intellectum diuinum, ſed conniti eo, vt cum ſuo principio, a quo ratione ſingularitatis (veniam voci deprecamur) diuulſus eſt, iterum iungatur; ex quo ſequebatur, vt ideas omnes, ita praecipue Deorum ipſiusque intellectus diuini in animo naturaliter omni ratiocinatione priores adeſſe, vrgereque animum atque inſtigare, vt ſuo ſe fonti, ex quo emanauit, iungat. Quae diſſona prorſus eſſe illis, quae a viris doctis pro vtroque hoc de Dei exiſtentia argumento diſputari ſolent, quilibet videt, nosque monent, vt in comparandis veterum opinionibus cum recentiorum philoſophorum placitis ſummam adhibeamus prouidentiam.

II. Contactus hic diuinus non eſt noſtri arbitrii, vt vel mutari poſſit vel euitari, probari vel improbari, nos enim ab eo continemur, ab eo omni ſufficientia implemur, et hoc ipſum, quicquid ſit, quod ſumus, Deos cognoſcendo poſſidemus y).

III. Sed et immortales Deorum comites repraeſentat innata de iis perceptio, vt, quemadmodum ipſi immutabilem ſemper obtinent eſſentiam, ſic et anima humana eodem modo ipſos ſua cognitione attingat, nec poſtulet aſſequi ſe coniectura aut ſyllogiſmo, temporaneis ſubſidiis eam eſſentiam,

w) S. I. c. 3. p. 4.
x) Videſis quos laudauimus in medit. phil. de falſa virtute c. I. §. 2. p. 8.
y) Ibid. p. 4.

Digitized by Google

ſentiam, quae longe haec omnia ſupergreditur, vtatur potius puris notionibus, quas ab aeterno hauſit ab ipſis Diis, et per quas illis ipſis connectitur [a]. Haec ex ſupra dictis intelligi poſſunt, nefandum vero hominum fanaticorum, quem affectabant, enthuſiaſmum luculenter produnt.

IV. Dari inter Deos diuerſa genera et ab iis diſtingui varias daemonum et heroum claſſes, certum eſt, aſt eorum vel idiomata vel differentiae analogice tantum non generice concipiendae ſunt, et identitas obſeruanda [a].

V. Idiomata eorum ſunt, primo bonitas, quae a Deorum eſſentia diuelli non poteſt, animabus vero eſſentialiter non adeſt, ſed quaedam tantum portio contigit [b].

VI. Inter principium diuinorum et finem, quem animae conſtituunt, id eſt inter duos hos extremos terminos cogitandum medium quoddam, nempe heroum ordo, animarum ordine ſublimior, ſuperiorque poteſtate, virtute, pulchritudine, et magnitudine, omnibusque ad animas bonis pertinentibus longe ditior, proxime animabus coniunctus, propter vitae quae in vtrisque eſt, ſimilitudinem et affinitatem [c].

VII. Ex altera parte cogitandus geniorum ordo pendens quidem a Diis ipſis, longe tamen infra eos ſubſiſtens, eos proxime ſequens, non quidem auctor et princeps, ſed miniſter bonae voluntati diuinae facile obſequens.

VIII. Idem illud medium in opus producit eorum inconſpicuam bonitatem, quam etiam imitatur, operaque ſua praeſtat, quam poteſt, ei conformia. Quod eſt bono diuino inenarrabile, enarrat, quodque adhuc formis non veſtitur, facit in formis apparere; quicquid in eo rationes omnes ſuperat, in apertas rationes profert, excipit bonorum portionem ſibi naturalem, communicatque illam ſine inuidia, et quaſi traiicit ad genera quae ſe ſequuntur.

IX. Haec igitur duo genera media Deos et animas communi vinculo nectunt, indiſſolubilem inter eos complicationem efficiunt, vnaque connexione prima vltimis colligant, vniuerſorumque communionem indiuulſam procurant, temperiem optimam et miſcellam iuſtam per omnia operantur, ſemitamque a melioribus ad deteriora ſternunt, iterumque aſcenſum a poſterioribus ad priora aequo quodam modo, ordinemque et menſuram ſtatuunt, quibus tum deſcendet a melioribus communicatio, tum modum, iuxta quem naturaliter imperfectiora eam recipient, omnia prorſus omnibus conciliant et vniunt cauſſas omnium a Diis deſuper accipientia [d]. Omnium maxime memorabile dogma in theologia Alexandrina hoc eſt, quo omnis fere ſuperſtitio roborata, religiones diuerſiſſimae

a) Ibid. p. 5.
a) c. 4. p. 7. hoc emanationis leges poſtulant.
b) c. 8. p. 11.
c) Ibid.
d) Ibid. p. 9.

mae in concordiam ire coactae, Christianorum mediatori ordo mediatorius inter Deum et homines oppositus, expilata philosophia orientalis, datum sacerdotio, quod hi homines affectabant sibique vindicabant, fundamentum quoddam philosophicum, et in res suas ita conuersa systematis emanatiui pars nobilissima, quae daemones mediatores inter Deum et homines constituit. Et accepisse quidem tale quid ex veteri Platonis schola, ipsos eius dialogos legenti ignotum esse non potest; ast adulterasse more suo simul apparet. Plato enim amorem dicit e), esse daemonem magnum, mediae inter Deos et homines naturae, et horum quidem preces et sacrificia, illorum praecepta et sacras institutiones, et retributionem sacrificiorum interpretari et referre. Cum autem in medio sit, ex utroque participare, ita vt vniuersum ipsum ipsi coniungatur. Per hunc daemonem vaticinium omne procedere, sacerdotumque diligentiam circa sacrificia et expiationes et incantationes et diuinationem atque magiam. Vnde haec habuerit Plato, dici quidem non potest, coniici vero non sine verisimilitudine, peruenisse ad Platonem in eius inter barbaros itineribus vestigia quaedam doctrinae de mediatore inter Deum et homines, ex vtriusque natura participante, quam ex protoplastorum traditione inter vetustissimarum gentium origines dispersam, semper vero magis obscuratam et corruptam fuisse dubium non est. Quicquid vero illud est, certe vnum quendam daemonem magnum, diuinae naturae propiorem hanc communicationem inter Deum et homines efficere statuebat Plato. Vidit aliquid horum philosophia quoque Orientalis, quae cum ex systematis emanatiui principiis, nescio quod πλήρωμα emanationum diuinarum, quas a proprio subsistendi principio aeonas vocabant, constituisset, ex earum gremio mediatorem quendam inter Deos ac homines constituebat. His omnibus longe melius sentientes et diuinitus edocti Christiani θεάνθρωπον Dei et hominis filium mediatorem fatebantur, per hunc preces Deo afferri, et diuina beneficia hominibus obtingere, hunc esse plenitudinem Deitatis, ex quo pendeant, tanquam ex capite, omnia, digno diuina reuelatione modo tradebant. Harum doctrinarum summa conflanda erat Ammonio, quique eius philosophandi viam iniuerant, in vnum, et excogitandum dogma, quod cuncta inter se conciliaret, simul vero suo etiam scopo velificaretur, quo in se, religionem dominantem tanquam ministros eius sacratiores tueri hi homines receperant. Supposito itaque quod enthusiasmo mirifice fauebat, systemate emanatiuo, postquam ex summo Deo intellectum diuinum, inque eo Deos intelligibiles et intellectuales constituerant, medium hunc ordinem constituebant daemonum, illique ea tribuebant munera, quae et Plato, et Orientales, et Christiani de mediatore suo, licet diuersissimo singuli sensu, praedicabant. Ita vero et sibi prudentissime consultum existima-

e) In conuiuio T. III. p. 202. conf. quae hac de re diximus in Otio Vindel. Mel. I. p. 41. seq.

ſtimabant. Hac enim doctrina ſuppoſita, quam nec Chriſtianos totam negaturos eſſe ſperabant, et ſuperſtitioni auitae fulcrum praebebant, quae hanc daemonum catenam variis cultibus, variisque in locis, modisque colebat, et turpiſſimis nugis pallium obducebat philoſophicum, vt exagitari tam foede a Chriſtianis doctoribus non poſſent, et ſuis commodis et honori maxime conſulebant, qui artibus theurgicis ad commercia cum his mediatoribus inter Deum et homines ſuſcipienda praeparatos aptosque ſe iactabant; et ἀντεπόλει Chriſtianae doctrinae, de mediatore inter Deum et homines telum intendebant, iugulumque petebant, ſicque omnes ſcoporum ſuorum rationes ſe aſſecuturos eſſe ſperabant. Nec alia quoque ratio fuit, cur hi homines tantopere in hoc doctrinae genere, quod de daemonibus eorumque cultu agit, inſaniuerint, cum tamen Plotinus et Porphyrius modeſtiores ſe, licet non ſaniores, exhibuiſſent. Quo magis enim fundamenta ſuperſtitionis gentilis cum ab imperatoribus edictis ſeueriſſimis, tum a doctoribus Chriſtianis ſcriptis acutiſſimis conuellebantur, eo magis furebat gens impia, vt ruinam hunc in modum praeuerteret: cumque id, poſita hac daemonum catena artibus quoque theurgicis fieri poſſe iactaret, coaluere fraus et ſuperſtitio, et ad maturitatem hanc ſectae indolem produxere, vt ſupra natiuis eius faciem deſcripſimus coloribus. Quae hic ſemel monuiſſe ſufficiat.

X. Pertinent porro ad idiomata Deorum vnitas; exiſtendi modus melior, quam quae eſt animae et rerum inferiorum; permanentia in ſe ipſis, immobilis motionum cauſſa, prouidentia eminens et abſtracta. Pleraque haec ex ſyſtemate Plotiniano ſupra delineato facile intelliguntur [f].

XI. Mediorum generum diſcrimen ex extremorum differentia coniici poteſt. Ita vero differunt Deorum et animarum inter ſe actiones: illud genus ſuperum eſt et excellens, hoc vltimum et imperfectius: illud omnia poteſt ſimul in momento, vniformiter: hoc neque omnia, neque ſimul, neque ſubito, neque indiuiſibiliter: illud omnia generat absque vlla inflexione ad ea et gubernat, hoc naturaliter inclinat, et conuertitur ad ea, quae generat, et adminiſtrat. Illud tanquam cauſſa principalis omnibus imperat; hoc a Deorum voluntate dependet tanquam a cauſſa, aeterneque cum iis ſubſiſtit: illud vna acerrima acie fines operationum omnium et eſſentiarum contuetur; hoc ab aliis ad alia transit, progreſſum ab imperfecto ad perfectum: illud praeterea ſummum et incomprehenſibile eſt, omnique menſura ſuperius, et a nulla forma determinatum; hoc vero inclinatione et habitudine et propenſione, appetitu etiam in deterius ſuperatur, familiarique ad inferiora vergit amore, ita demum vt omnifariam ab iis colores et ſpecies accipiat. Intellectus rerum exiſtentium dux et rex, vniuerſi ratio opifex diis quidem adeſt ſemper eodem modo perfecte et ſine indigentia, ſecundum vnam operationem in ſe ipſa pure conſtantem, anima autem mentis particeps eſt partibilis multiformisque, et ad

[f] ibid. p. 9. 10.

Digitized by Google

gubernationem vniuerſi accommodatae, ipſa etiam inanimata curat, alias aliis figuris affecta etc. [ff].

XII. Qualem vitam anima acceperat prius, quam corpori humano addicebatur, qualemque ſpeciem in actu eduxerat, tale etiam organicum corpus habet ſibi adaptatum, talemque conſequentem ſibi naturam, quae ab ea perfectiorem vitam excipit [g].

XIII. Quae meliora ſunt, et tanquam vniuerſalia, ea continent in ſe reliquorum originem, in praeſtantioribus viliora, in incorporeis corpora, et in conditoribus condita peraguntur, vnde et coeleſtes circuitus in animae aethereae circuitiones coeleſtes originaliter inſitae ſemper eis inſunt, et animae mundorum pertingentes ad intellectum ſuum perfecte ab eo continentur, inque eo primo generantur, et intellectus vniuerſalis et particularis in naturis melioribus comprehenditur [h]. Eſt hoc quoque ex praecipuis ſyſtematis emanatiui axiomatibus, in fonte emanante comprehendi emanatiuum: his animae quoque dignitas et origo, et pleraque, quae de aſcenſu animarum per varios gradus ad Deum dicuntur, in hac ſchola nituntur.

XIV. Dii non compinguntur vllis mundi regionibus neque inferiora haec eorum praeſentia deſtituuntur. Sed Dii in hoc maxime excellunt, quod a nullo contineantur, ipſi autem omnia in ſe contineant: quae autem ſunt terreſtria, a Deorum pleromati habent ſuam eſſentiam Deosque hic exiſtentes ante naturas ſuas proprias ſtatim ſortiuntur, quamprimum ad eos participandos idonea ſint [i]. Intelligit hic Iamblichus corpora illa aetherea et aërea, quae accipiunt Dii, quae accipere potius Deos quam ab illis accipi, contendit, ſecutus Plotinum, quem ſupra ſtatuentem audiuimus, animam vniuerſalem non accedere corpori, ſed corpus accedere animae, nec eam corpus continere, ſed ab ea contineri.

XV. Omnia itaque Deorum plena ſunt [k].

XVI. Diuinitas ſiue partes aliquas vniuerſi ſortiatur, puta coelum vel terram, ſiue vrbes ſacras et regiones, et ſaltus aliquos aut ſtatuas ſacras, ſolet haec omnia extrinſecus irradiare, quomodo ſol ſuis radiis omnia extrinſecus colluſtrat; diuinusque fulgor micat ſeparatim inque ſe ipſo ſtabilis et permanens peruadit omnia totus, et omnia complet poteſtate perfecta, concluditque omnia in ſeipſo ſecundum infinitam quandam cauſſalitatis excellentiam, vnitur vbique ſibi ipſe, et fines principiis connectit. Receptacula vero diuinorum munerum ita ſe habent, vt quaedam aetherie, alia aërie, alia aquatice pro ſua quaeque proprietate recipiant Deorum dotes, quo ſpectat theurgica ars inuocationibus huiusmodi numinum diſtributioni accommodatis vtens [l].

XVII. Nul-

ff) c. 7. p. 11. ſeq.
g) c. 8. p. 14. h) Ibid.
i) p. 15. conf. Gale h. l.
k) c. 9. p. 116. Vetus hoc eſt et peruulgatum, vt ſuo loco demonſtratum.
l) p. 17.

Digitized by Google

XVII. Nullum ex melioribus generibus eſt patibile, nec aptum natum ad paſſiones admittendas, et ne anima quidem adhuc corpore pura paſſionis alicuius aut alterationis capax eſt; atqui ne tum quidem, cum in corpus deuenerit, ipſa quicquam patitur, immo ne rationes quidem ſeminales, quas corpori imprimit: ſed tantum cauſſa eſt, cur compoſitum patiatur [l]; ipſa vero ex ſe immutabilis perſtat, eſſentiam habens omni paſſione ſuperiorem. Multo magis id valet de heroibus, daemonibus atque Diis.

XVIII. Non itaque afficiuntur Dii daemonesque iis, quae aſſidue fiunt in ſacris, ſed eorum quaedam arcanam omnique ſermone ſuperiorem cauſſam habent, quaedam autem ab aeterno melioribus generibus conſecrata fuere tanquam ſymbola, alia imaginem repraeſentant aliquam aliam, quae ſit rationis occultae forma manifeſta, alia honoris gratia afferuntur, aut ſimilitudinis et cognationis cauſſa conficiuntur, quaedam in nobis id, quod vtile, operantur, vel purgando vel ſoluendo humanas paſſiones [m].

XIX. Neque precationibus Dii affici poſſunt: nam diuina irradiatio, quae inter precandum fieri ſolet, vt ſponte emicat, ita ſponte operatur, longeque abeſt a tractione omni, vt quae manifeſtat ſe ipſam per diuinam efficientiam et perfectionem, tantoque anteuertit liberrimam in nobis motionem, quanto diuina volitio boni noſtram electionem praecurrit [n].

XX. Anima itaque per preces ad Deos tantum aſcendit ab illis vocata ad vnionem; hicque aſcenſus ſacerdotibus praeſtat a paſſionibus quidem puritatem, a generatione immunitatem, et ad principium vnionem [o].

XXI. Sic et inuocationes, per paſſionem ſacerdotes Diis non connectunt, ſed per amicitiam illam, quae vniuerſa continet, indiſſolubilem connexionis communionem praeſtant [p].

XXII. Ex his etiam intelligi poteſt, quid de ſupplicationibus cenſendum, quibus diuinam iram placamus. Ira enim Deorum non eſt inueterata quaedam ac permanens iracundia, ſed beneficae Deorum curae auerſio quaedam; quam quidem curam vbi nosmetipſi auerterimus a nobis, tanquam a luce meridiei nos abſcondentes, tenebras nobis accerſimus, et bona Deorum indulgentia nos priuamus ipſi. Poteſt autem placatio nos iterum reſtituere in participationem diuinam, et prouidentiam diuinam a nobis diuulſam iterum ad ſe communicandum inuitare, et debito modo participantes cum participatis mutuo connectere [q].

XXIII. Luſtrationes autem, quoties locis terrae vicinis aliquid mali incubat, medentur et tuentur, vt nulla mutatio aut paſſio poſſit in nos incurrere. Siue Deos enim, ſiue daemonas inuocat tanquam auxilia-

l) c. 10. p. 19.
m) c. 11. p. 20. ſeqq.
n) c. 12. p. 23.
o) Ibidem.
p) Ibidem.
q) c. 13. p. 24.

tores et malorum auerruncatores et ſeruatores, et per eos procul ablegat omnem, quae a paſſionibus poſſit ingruere, noxam *e*.

XXIV. Neceſſitates itaque propriae Diis tribui debent, quae ita fiunt, vt dignum eſt Diis. Quare nec ab extra nec tanquam per vim neceſſitantur, ſed vt bonum oportuit eſſe ex neceſſitate, ſic ſe habent ſemper, atque ita, vt nec alio modo ſe velint habere *f*.

XXV. Preces ad Deos mentesue intelligibiles dirigendae ſunt: nam quod in nobis eſt diuinum, quod intelligibile et vnum, expergiſcitur plane inter precandum, experrectum vero appetit vehementer, quod ſibi ſimile eſt, et copulatur ſuae ipſius perfectioni *g*.

XXVI. Non per potentias aliquas aut organa Dii preces ad ſe recipiunt, immo vero in ſe continent orationum religioſorum hominum effecta, et eorum praecipue, qui per puritatem et religionem Diis ipſis conſecrati ſunt et vniti, tunc enim diuinum plane numen ſibi praeſens eſt, nec, vt alienum quid, precum percipit ſenſa.

XXVII. Etſi coeleſte corpus ſiderum, quae Dii vocantur, valde eſt cognatum Deorum immateriali ſubſtantiae, quod ſcilicet et ſimplex et immortale et vniforme et aeterni ſecundum eadem motus eſt, diuinae tamen mentes quae illis inſunt, potiſſimum reſpiciendae ſunt, quae non continentur intra illa ſua corpora, ſed diuinis ſuis vitis et operationibus continent ipſa corpora; nec ipſi propendent ad haec corpora, ſed corpora ad diuinam cauſſam adſpirant, nec eorum intellectualem perfectionem impediunt, vel iis moleſtiae quid afferunt *h*.

XXVIII. Sunt Dii hi omnes benefici, et bonorum etiam auctores, et ad bonum tantum reſpicientes vniformiter circumaguntur, ex intuitu boni ſolius et pulchri. Quin immo et ſubiecta ipſis corpora incredibiles quasdam habent virtutes, quae partim in ipſis permanent, partim in mundi naturam profluunt, et per vniuerſam geneſin ordine progredientes et vſque ad res particulares ordine pertingentes *i*. Deſcendunt vero ad ſalutem vniuerſi, et totam geneſin eodem modo continent et adminiſtrant. Geneſis autem iuxta naturae potius ſuae modulum, quam pro Deorum viribus de Diis participat. Hinc abſurde faciunt mathematici, qui malitiam corporibus coeleſtibus tribuunt, eo quod quae de iis participant, aliquando mala ſint. Nam quod participatur, recipitur tanquam in alia re, et differenti, quae in his, quae ſunt circa terram, locis malum dicitur et inordinatum. Haec igitur participatio cauſſa eſt plurimae in inferioribus diuerſitatis, vt eſt miſcella illa materialium cum immaterialibus influentiis, item quod inferiora haec aliter accipiant illud, quod etiam alio modo dabatur *k*.

XXIX.

e) Ibid. Porphyr. ſent. XIX. p. 66. ſeqq.
f) c. 14. p. 25.
g) c. 15. p. 26.
h) c. 17. p. 29.
i) c. 18. p. 30.
k) Ibid. p. 31.

Digitized by Google

XXIX. In vniuerſi harmonia et craſi euenire poteſt, vt eadem, quae ſunt ſalutaria toti vniuerſo, propter conuenientiam et perfectionem receptorum et recipientium, partibus interim ſint damnoſa, propter particulares ineptitudines *).

XXX. Dii intelligibiles, qui incorporei et vniti ſphaeris coeleſtibus inequitant, habent haud dubie originem in mundo intelligibili atque ita ſuas ipſorum ſpecies diuinas contemplantes, totum coelum adminiſtrant, iuxta infinitam quandam operationem.

XXXI. Conſpicua itaque Deorum ſimulachra ab intelligibilibus paradigmatibus diuinis, aut ſaltem penes illa progenerantur: progenerata vero poſtquam ſunt, manent quoque in iis firmiter, eademque contingunt per ipſam illam imaginem, quae ab iis perficiebatur *). Satis luculenter haec Iamblichi aſſertio ex Plotini deſumta ſchola ea corroborat, quae in Plotini phyſiologia diximus, Deos intelligibiles eſſe aeterna paradigmata, ſiue ideas diuinas Deorum ſenſibilium, id eſt, ſolis, lunae atque reliquorum ſiderum. Addit enim Iamblichus: eae diuinae ſpecies, quae adſunt conſpicuis Deorum corporibus ſeparatim exiſtunt ante illa corpora, et ipſarum paradigmata intelligibilia quae impermiſta ſunt, et ſupercoeleſtia, in ſe ipſis vnita permanent, et tota ſimul iuxta aeternam ſuam eminentiam.

XXXII. Eſt itaque vnum commune et indiſſolubile vinculum inter ea penes intellectuales operationes. Proceſſus enim ille omnium ab vno, et in vnum recurſus et imperium vnius ſuper omnia, communionem praeſtat inter Deos, qui ſunt in hoc mundo et eos, qui ſunt in intelligibili. Praeterea ſecundorum ad prima intellectualia conuerſio primorumque in ſecundos Deos eiusdem eſſentiae et poteſtatis communicatio connectit eorum ſynodum in vnum indiſſolubiliter. Multis de his diſputat Iamblichus *), vt demonſtret, diſcrimen inter Deos intelligibiles, intellectuales et ſenſibiles non impedire, quo minus vnum omnia ſint, eo quod communi gaudeant eſſentia, ex qua omnia effluxerint: vnde aſſerit quoque: Deos conſpicuos eſſe extra corpora, atque adeo ad mundum intelligibilem pertinere, et Deos intelligibiles propter vnitatem ſuam infinitam Deos conſpicuos in ſe continere, vtrosque vero ſecundum communem vnitatem et operationem vnam ſtabiliri. Ex quibus ſequitur, mentes eas diuinas, quae ſidera complectuntur, habere ideas ſuas in mente ſiue intellectu diuino, tanquam Deos maiores, cum iis tamen eſſentiae ratione eadem connecti. Quod an non ſit nugari de diuinis, lector iudicet?

XXXIII. Daemones nec oculis nec ſenſu percipi poſſunt, Dii vero notitiam omnem rationemque materialem praeuertunt. Daemones praefecturam mundi ſortiti quasdam portiones particulares gubernant, Dii res omnes tum coelum, tum mundum, tum occultas in iis poteſtates ſua

*) p. 32. *) c. 19. p. 33. *) p. 33.

Digitized by Google

ſua gubernatione complectuntur. Daemones ſunt quodammodo connati et inſeparabiles ab iis rebus, quas adminiſtrant; Dii vero, quanquam corpora conſcendunt, prorſus ſunt ab iis ſeparati. Dii principes ſunt et ordinant res omnes praeſidendo, daemones miniſtri Deorum imperia capeſſunt liberrimo obſequio [z].

XXXIV. Daemones oriuntur ex poteſtatibus Deorum genetricibus, et demiurgicis, ſed tum demum, cum iſta poteſtas ad extremos proceſſus ſui fines et diuiſiones vltimas peruenerit: heroës iuxta rationes vitales, quae ſunt in Diis, exoriuntur; animae autem principales et perfectiſſimae hos ipſos excipiunt, ab ipſis definiuntur, et ab ipſis ſeparantur [a].

XXXV. Potentiae daemonum ſunt genitabiles, et ad eos naturae adminiſtratio et animarum corporibus alligandarum cura pertinet: heroibus vero vires tribuere oportet viuificas, hominum duces, et a generatione ſolutas [b].

XXXVI. Anima per Deorum benignitatem et infuſam ab illis illuminationem ſaepe altius aſcendit, et in ordinem maiorem angelicum euehitur, tunc non amplius animae finibus continetur, ſed tota in angelicam animam euadit, et in puriſſimam vitam perfecte peruenit [c]. Et nomen ordinis angelici in Platonicorum ſcholis ante Chriſti in his terris verſantis tempora inuſitati et ipſum dogma ſuadet, imitatum hic fuiſſe Iamblichum Chriſtianos, *ισαγγέλεσαν* animabus caſtius viuentibus promittentes. Eiusmodi enim *καινοζηλίας* exempla inter Iamblichi praecipue diſcipulos occurrunt plurima [d]. Talis anima fuit Apollonii, ſi hos audis.

XXXVII. Epiphaniae Deorum reſpondent eorum eſſentiis, poteſtatibus, et operationibus; quales enim ſunt, tales inuocantibus apparent, operationesque oſtendunt et indicia ſibi propria exhibent.

XXXVIII. Deorum phaſmata ſimplicia ſunt, daemonum vero varia; angelorum ſimpliciora ſunt, quam daemonum, inferiora vero, quam quae Deorum: archangelorum propius paulo ad cauſſas diuinas accedunt, archontum phaſmata, ſiue qui mundi ſunt rectores et ſublunaria elementa gubernant, varietatem quidem habent, ſed et ordinem et ornatum, qui vero materiam moderantur, imperfectiores apparent, et maiori varietate: animarum denique ſpectra omnigena apparent. Et Dii quidem ſalutares viſui affulgent, archangeli terribiles ſunt et ſimul mites, angeli mitiores, daemones horribiles, heroës mitiores; archontes dolores inferunt, animarum ſpectra debiliora ſunt. Apparitiones Deorum, angelorumque immutabiles ſunt, daemones forma variant. Prolixe diſcrimen apparitionum harum proſequitur Iamblichus [e], exercitatus in iis

z) c. 20. p. 37.
a) Sect. II. c. 1. p. 39.
b) Ibid. Conf. PORPHYR. *περὶ ἀποχῆς* L. II. f. 37. PROCLVS de daemone.
c) c. 2. p. 40.
d) Vid. MOSHEM. diſſ. de hac imitatione, Diſſert. H. E. p. 230. ſeqq.
e) c. 3. ſeqq. p. 41. ſeqq.

Digitized by Google

fis euocandis artifex, qui tamen, ſi recte attendimus, leues et inſulſas nugas comminiſcitur. Eandem inſaniam ſequitur Proclus, et aetatis illius ſequioris alii, quorum hac de re placita enarrauit PSELLVS [f], qui ita de his rebus ſtatuunt, quaſi his coeleſtium choris ipſi interfuerint. Prout nempe vel ordine, vel modo apparitionis, vel medio, vel fine, et his ſimilibus diſtinguuntur, ita et eorum epiphanias differre ſtatuebant: qua de re fuſe Iamblichus diſſerit. Ceterum cum angelorum et archangelorum ordinem hoc loco commemoret, quae nomina ante Chriſtum natum inter Graecos inaudita fuere, diſputatum eſt viris doctis, vnde haec nomina ad Platonicorum ſcholas peruenerint. Porphyrium iam meminiſſe archangelorum, PROCLI [g] teſtimonio conſtat, qui addit: reprehendiſſe Iamblichum hoc philoſophandi genus, quod Plato nusquam archangelorum meminerit: quin et ipſe fatetur: *οὐ δὲ φιλόσοφος ὁ τρόπος οὗτος τῆς θεωρίας, ἀλλὰ βαρβαρικῆς ἀλαζονείας μεστός. Non haec methodus eſt philoſophica, ſed barbarica oſtentatione plena.* Et THOMAS GALE [h] quidem ex oraculis Chaldaicis eorum nominum vſum didiciſſe Platonicos putat: aſt eſſe ea foetus horum hominum ſuppoſititios, *tomo primo* luculenta demonſtratione confecimus. Rectius L. HOLSTENIVS [i], (cuius etiam partem ipſe vidit Galeus) Porphyrium vel ex Ammonii vel etiam ex Origenis ſchola, quem adoleſcens audiuit, talia accepiſſe coniicit. Certum tamen, in philoſophia orientali hos ſpirituum coeleſtium ordines et appellationes non fuiſſe ignotas, vt ex Gnoſticorum ſomniis conſtat: quin et in Iudaeorum libris apocryphis et cabbaliſticis etiam, multa de archangelorum angelorumque ordinibus garriuntur [k]. Quae permouere magnum GROTIVM [l], vt Iudaeos hanc de archangelis doctrinam ex captiuitate Babylonica attuliſſe ſtatueret, et nomina thronorum, principatuum, poteſtatum etc. inde originem habuiſſe crederet; in quo tamen rei certiorem deſideramus fidem. Nobis ſi coniecturis agendum, doctrinam de angelorum certis ordinibus Iudaeis domeſticam fuiſſe dubium nullum eſt; cuius in ſacris veteris foederis paginis haud obſcura deprehenduntur veſtigia. Cum vero Iudaei de diuinis ſubliniori reuelatione edocti a multis gentilibus crederentur, veriſimile eſt populos et Orientales et Aegyptiacos, inter quos coloniae Iudaicae habitabant, ea quae a Iudaeis ſuffurati fuerant, theologiae ſuae inſarſiſſe, ſicque archangelorum et angelorum nomina, quae ſatis euidenter origines Iudaicas ſapiunt, in philoſophiam Aegyptiacam et Orientalem irrepſiſſe. His cum accederent Ammonius et ſequaces, Chriſtianos imitati, mirum non eſt, haec nomina inter Platonicos Alexandrinos obti-

f) De operatione daemonum.
g) In Timaeum L. I. p. 47.
h) Ad l. c. Iamblichi.
i) In vita Porphyr. c. 6. p. 837. ſeq.
k) Dicemus ea de re infra. Conf. GAVLMIN. de vita Moſis p. m. 300.
l) Ad Matth. XVIII.

Digitized by Google

obtinuiſſe. Intercedit quidem huic ſententiae TANAQVIL. FABER [m], qui nomen angelorum, quatenus diuinum ſpiritum geniumue denotat, ipſis Chriſtianis temporibus antiquius putat, et non ad ARISTIDEM [n] tantum prouocat, qui Mineruam angelis omnibus maiorem dixit; ſed ad ipſum quoque PLATONEM [o], apud quem Δίκης Νέμεσις ἄγγελος, Iudicii angelus Nemeſis eſſe dicitur. Parum vero haec a communi eruditorum ſententia, quae angeli nomen veteribus Graecis ignotum fuiſſe ſtatuit, dimouere nos apta ſunt. Ariſtides enim audiendus non eſt, qui poſt Seruatoris demum nati vixit tempora: Platonis vero locus angeli nomine non alia ſignificatione vtitur, quam miniſtri, ſiue nuntii, vel executoris, idque vult, iudicii diuini ſententiam vindictam exſequi, et crimina punire. Vt taceamus, quod eleganter monuit Cel. MOSHEMIVS [p], ſenſu Chriſtiano Nemeſin non potuiſſe dici angelum, eo quod inter Deos relata fuerit. Plato etiam citato loco populariter tantum loquitur, nec de daemonum Deorumque ordinibus quicquam praecipit. Cauſſam itaque nullam videmus, cur deferenda ſit eruditiſſimorum virorum Is. CASAVBONI, TH. GATAKERI, aliorumque ſententia, nomina haec Platonicos a Iudaeis et Chriſtianis accepiſſe: id quod adductus ſupra Procli locus haud obſcure innuit. Reddiderunt vero Chriſtianis, quod ab iis mutuum accepere Platonici, at ſine foenore, magnoque eccleſiae damno: quam corrupta enim his ſomniis Platonicis doctrina de angelis purior fuerit, vel ſolius Pſeudo-Dionyſii Areopagitae ſcripta, quae ex hac ſchola prodierunt, luculento exemplo teſtantur, cultusque angelorum, ab his temporibus inualeſcens ſatis prodit. Qua de re tamen in ſacra hiſtoria plura monenda ſunt [q].

XXXIX. Differunt porro apparitiones deorum, daemonum, heroum et animarum, ratione celeritatis et tarditatis, auctoritatis, emphaſis, magnitudinis et latitudinis imperii, claritudinis, luminis, ignis. Nempe quo excellentior ordo eſt, eo magnificentior et illuſtrior eſt apparitio, id quod Iamblichus [r] ita ediſſerit, vt mera ingenii otioſas nugas ſectantis ſomnia, ſine vlla veriſimilitudine enarrare, ſit apertiſſimum. Non tamen ſuopte hacc omnia de apparitionibus Deorum, ingenio excogitauit ſecta Alexandrina, ſed a veteribus quoque multa accepit inque rem ſuam conuertit, quae alibi enarrari ſolent [s]. An non ſacrae apparitiones in Iudaicae et Chriſtianae gentis hiſtoria enarratae occaſionem quoque Platonicis reformatis dederint, in hoc argumento maiori contentione et audacia ineptiendi, ex ſcopo, quem ſibi praefixere, ſupra memorato, lector attentus facile iudicabit. Quod vero tantum de his apparitionibus garriant, inde potiſſimum repetendum eſt, quod Alexandrina ſchola angelos ſiue daemonas non genus eſſe

m) Epp. L. I. ep. 63. p. 214.
n) Orat. in Mineru.
o) De legibus L. IV.
p) l. c. p. 347.
q) Conf. FABRIC. proleg. ad Marin. p. 12.
r) c. 4. p. 44. ſeq.
s) Conf. Cl. Io. GOTTLOB NIMPTSCH. de apparitionibus Deorum, Lipſ. 1720.

Digitized by Google

esse purum statuebat, et ab omni corpore secretum, sed sociatum putabat ex natura simplici omnisque concretionis experte, et ex alia corporea et solida. Qua de re testimonia produxit CVDWORTHVS [t], qui tamen in quibusdam fallit et fallitur, vt ostensum a doctissimo Interprete.

XL. Porro apparitionum influentiae et munera non sunt aequalia in omnibus, nec eosdem habent fructus et effectus. Dii quippe aduentantes sanitatem corpori afferunt, animae virtutem, menti puritatem, omnesque nostras facultates in propria principia restaurant. Archangelorum eadem operatur, sed neque semper, neque in omnibus, neque sufficienter. Angeli quoties apparent, bona, sed partitiora diuisaque afferunt, plusque a luce, quae eos constituit, deficiunt. Daemones praesentia sua corpus grauant, morbisque affligunt, animamque ad naturam praecipitant, nec a corporibus et cognato iis sensu discedunt, atque eos, qui ad ignem coelestem adspirant, in hoc inferiori loco detinent, nec a fati vinculis soluunt [u]: heroum apparitio ad fortia facta et facinora quaedam instigat. Archontes mundani visi bona praebent mundana vitaeque huius commoda. Materiales vero principes materialia et quae terrena sunt largiuntur. Animarum spectra, si quidem purae sunt animae angelorumque ordine constitutae sursum reuocant, et salutaria sunt, spemque sacram ostendunt, et praestant ea bona, quorum spem induunt. Animae autem impurae ad genesin detorquent spes, et earum fructus corrumpunt, passionibus complent, quae contemplantes quasi clauis affigunt corporibus [v].

XLI. Differunt etiam apparitiones ex vario comitatu et satellitio, quo stipantur diuina. Dii circa se angelos vel Deos adstantes habent: archangeli angelos post se habent; angeli prae se ferunt opera ordini suo congruentia, daemones boni exhibent opera sua bona conspicienda: daemones vltores suppliciorum varia genera ostendunt: alii daemones praui trahunt secum feras quasdam noxias, et sanguiuoras; archontes prouincias quasdam mundi in conspectum adducunt. Principes alii afferunt materiae inordinatae speciem. Anima ignem exhibet nullius certae formae, qui animam mundi repraesentat, sin purgata fuit, lucem penitissimam et speciem defaecatam ostendit, sequiturque ducem ad superiora suum libenter. Anima vero deorsum vergens vinculorum et poenarum facies post se trahit, spiritibus materialibus plena stat, etc. Verbo: omnia haec genera ordinem sibi proprium ostendunt, aëril ignem aërium, terrestres terrestrem et nigricantem, et coelestes splendidiorem, et cuncti ordines sibi sub alterna ratione subordinantur [w].

XLII. Sed et ordines diuersi varietate luminis, subtilitate ignis, raritate aëris, inter se differunt [x]. Nugas esse putidas, quae Iamblichus enarrat, nemo negabit, cui sanum synciput est. Sed probe tamen ea

t) Syst. int. c. V. s. III. §. 32. p. 1081.
u) Conf. MINVC. FELIX in Octau. c. 27.
v) c. 6. p. 47. 48.
w) c. 7. p. 48.
x) c. 8. p. 50.

tenenda ſunt, vt origines ſuperſtitionis late regnantis pateant. Irrepſiſſe enim haec quoque inter Chriſtianos vel ex vno PSELLO, diſci poteſt, et tot aniles de ſpirituum variis apparitionibus formisque fabulae ex hac ſchola enatae produnt, a quibus ad haec vsque tempora liberari mundus nondum plane potuit.

XLIII. Quaecunque in his apparitionibus fiunt, ea fiunt ex vero, nec Dii decipiunt: ſed quando peccatum aliquod admittitur in arte theurgica, tunc alia, quam quae oportet, ſimulacra in conſpectum veniunt; nempe inferiora numina habitum meliorem induunt, et mentiuntur ſe ea eſſe, quorum ſchema gerunt; quam falſitatem ſacerdotes per regulas artis facile detegere et apparentes daemones redarguere poſſunt [z].

XLIV. Cognitio diuinorum ſanctos nos facit, et res ſacra eſt et vtilis, eorumque ignorantia homines malis omnibus replet propter inſcitiam et vecordiam [a].

XLV. Vnio illa deifica non acquiritur, niſi per caeremoniarum ineffabilium obſeruantiam, per operationes rite factas, Diisque dignas, omnemque intellectum ſuperantes, perque vim inexplicabilem ſymbolorum Diis ſolis intellectorum: neque pendet iſta operatio ab intellectu noſtro [b]. Prodidit hoc loco, ſi vllo, indignam philoſophiae nomine artem fraudulentam Iamblichus. Non enim rationes dari, aut ex principiis deduci concluſiones, aut vllo modo veritatis characteres in ea re detegi poſſe ab intellectu humano contendit, ſed artifici tantum in hac arte pulchra credendum eſſe poſtulat. Is, quaſcunque tibi, Lector, fraudes propinabit, dicet, intellectum haec ſuperare omnem, et caeremoniarum ac religionis obſeruantia diſci, teque ridebit, demonſtrationem vel characteres veritatis poſtulantem. Sufficit enim αὐτὸς Ἔφα Platonicorum.

XLVI. Praeſcientia nihil eſt eorum, quae generantur, nec phyſicum quid, nec in ſe humani quid habet, ſed diuinum quid et ſupernaturale eſt, coelitusque ad nos dimittitur [c].

XLVII. Mantice per ſomnia fit, ſi vel ſomno abeunte, cum iam incipimus euigilare, vocem breuem, quae, quid faciendum ſit, praecipiat, audire videmur, vel inter vigilias et ſomnum, vel cum plane euigilauerimus, voces audiuntur. Quandoque etiam ſpiritus quidam non corpulentus, nec ſpectabilis ſe iacentibus circumfundit, ita vt non oculis, ſed alio quodam ſenſu et perceptione ſentiatur, venit enim cum ſtrepitu et vndiquaque circumfunditur absque contactu, operaque mirifica praeſtat ad paſſiones animae corporisque reſtinguendas [d].

XLVIII. Anima duplicem habet vitam, vnam ſimul cum corpore, alteram ab omni corpore ſeparabilem. Priore vtimur, quando vigilamus; inter dormiendum vero ſoluti a quibusdam iniectis vinculis vtimur poſteriore

y) loc. cit.
z) c. 10. p. 55.
a) c. 11. p. 57.
b) Ibid. p. 56.
c) Sect. III. c. 3. p. 60.
d) Ibid.

Digitized by Google

riore a generatione libera et ſeparata, et tunc haec vitae ſpecies, quae intellectualis eſt et diuina, ſtatim in nobis expergiſcitur, agitque quemadmodum ſua fert natura *e*.

XLIX. Quoniam enim mens entia contemplatur, anima autem generabilium omnium rationes in ſe complectitur, non mirum eſt, ſi ſecundum cauſſam comprehendentem futura, in praecedentibus ea rationibus ordinata praenoſcat.

L. Quoties mens Diis copulatur, per abſtractam operationem haurit veriſſimas ab iis et exuberantiſſimas notiones, a quibus elicit veram in ſomniis diuinis vaticinationem *f*.

LI. Si vero anima, quas in ſe habet rerum generabilium rationes connectat cum Diis, earum cauſſis, potentiam ab iis accipit et capacitatem cognoſcendi et quae fuerunt, et quae futura ſunt, omniaque tempora perluſtrat, quaeque in iis euentura ſunt, contemplatur, ſortiturque prouinciam ea, prout oportet, ordinandi, curandi, corrigendi *g*.

LII. Diuini afflatus (ἐνθουσιασμὸς) haec ſigna ſunt: qui eum patiuntur, neque ſenſuum vtuntur officio, neque ita vigilant, vt qui ſenſus habent expeditos, neque ipſi quidem futura apprehendunt, neque humano more operantur; ſed neque ſui compotes ſunt, vt erant nuper, ſed nullo prorſus modo, neque reflectunt in ſe ipſos propriam intelligentiam, neque promunt cognitionem ſua ſponte. Admoti ignibus non vruntur, vel adusti, id ſentiunt; vel transfixi verubus, vel in tergo ſecuribus percuſſi etc. perſentiſcunt, ſed Dei afflatu vecti viam per loca inuia inueniunt, in ignem feruntur illaeſi, ignem calcant, fluuios mirifice tranant, nec intelligunt ſuas operationes, neque vitam animalem vel humanam viuunt, ſed aliam longe diuiniorem *h*. Dubium non eſt iactabundo mendacio haec confinxiſſe philoſophum nugiuendulum, vt haberet, quod virtuti thaumaturgae Apoſtolorum opponeret.

LIII. Enthuſiaſmus non pendet ab animae facultatibus, aut ab intellectu vel corpore, ſed eſt raptus diuinus, qui organis tanquam mediis vtitur *i*. Eius vero cauſſa eſt illuminatio ab ipſis Diis promanans, et obſeſſio plena et abſoluta, quae omnes facultates abſorbet, motusque et operationes omnes humanas et ſenſum noſtri plane exterminat, ſermones proferens, quos tamen non intelligit, qui eos loqui videtur, ſed furioſo ore occupantis Dei miniſter eſt *k*.

LIV. Soni et carmina Diis conſecrantur, ſua cuique propria, eſtque in his affinitas mira, quae reſpondet propriis ſingulorum Deorum ordinibus, et potentiis, etiam vniuerſi conuerſionibus et harmonicis concentibus, qui inde profluunt; propterque hanc affinitatem ipſi Dii ſtatim praeſentes ſe ſiſtunt, vt de iis participent, qui mediocrem ad eos habent ſimi-

e) c. 3. p. 63.
f) Fundamenta huius aſſertionis ex Pſychologia Plotiniana patent.
g) Ibid. Conf. Vossivs de theol. gent. L. III. c. 35. p. 894. ſeqq.
h) c. 4. p. 64.
i) c. 7. p. 67.
k) c. 8. p. 68. Exemplum habemus in vate Delphica.

similitudinem, immo perfecta statim euadit obsessio, et melioris naturae potestatisque plenioris hausus [l]. Nititur hoc fundamento studium Alexandrinae sectae, in conficiendis hymnis sacris positum, quibus mira effeciſſe Proclum et discipulos Marinus iactat, vt supra dictum. Sed et Corybantes, et Sabaii et matris Cybeles mystae, metrizontes dicti huc pertinent [m].

LV. Anima priusquam corpori se insinuaret, diuinam audiuit harmoniam; postquam in corpus deuenerit et ea audit carmina, quae diuinae harmoniae quam proxime stricturas repraesentant, vtique ea amplectitur, et per ea diuinam harmoniam recuperat, ad quam proinde rapitur, et vnice sese applicat, hauritque de ea, quantum ipsa potest capere [n].

LVI. Alia vaticinii diuini species est, quae per oraculum fit, in qua diuina vis numenque affulget iis, per quae oracula eduntur [o]. Multa de iis differit Iamblichus, vt nobis persuadeat, cuncta enthusiasmo diuino in oraculis acta esse: quorum veritas vt pernoscatur, comparanda cum Iamblichianis sunt ea, quae de oraculis nostra aetate disputauere Ant. van Dalen [p] et elegantissimus Fontenellivs [q], quos, nisi fallimur, non satis feliciter oppugnauit Fr. Baltvs [r], nobis enim hic prolixis esse non licet.

LVII. Deorum potestas, quae omnia bonis replet, fulget vndecunque, turba igitur malorum spirituum locum amplius non habet, neque potest se ostendere, sed, ac si reuera nihilum esset, in nihilum abit, nec enim vel mouere se potest, vel negotium facessere, quoties meliores spiritus comparent [s].

LVIII. Qui solis characteribus ad euocandos Deos vtuntur, audaces homines, eos in vatum numero percensere non oportet, fraudibus enim et errore plena est haec vaticinandi via.

LIX. Illuminatio quoque ex vaticiniorum genere est, quae circumpositum animae aetherium et splendidum vehiculum (ὄχημα) diuina luce perfundit, vnde ad Deorum voluntatem percitae imagines diuinae eam quae in nobis est, attingunt phantasiam [t]. Ὄχημα siue corpus luminosum, quo anima vestitur, quid sit, supra dictum est.

LX. Reliqua vaticiniorum genera, qualia sunt extispicia, et auguria, et astrologia, aliaeque, ab arte quidem proficiscuntur, ita tamen, vt ea signis quibusdam vtatur diuinis, quae ab ipsis Diis variis modis perficiuntur. Ex his diuinis ostentis humana sagacitas per rerum et signorum conuenientiam coniectat vtcunque et vaticinationem colligit probabili ratiocinio.

LXI.

l) c. 9. p. 69.
m) Illi enim musica harmonia ad enthusiasmum eliciendum vtebantur, conf. Lil. Gyrald. de Diis L. VII.
n) Ibid. p. 70.
o) c. 11. p. 73.
p) De oraculis gentilium.
q) Historia oraculorum. Add. Io. Clericvs Bibl. chois. T. XIII. art. 8. conf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 109.
r) In Historia de silentio oraculorum paganismi: add. Dan. Clasenii de oraculis Libri III.
s) c. 13. p. 76.
t) c. 14. p. 77.

Digitized by Google

LXI. In his vaticiniorum ſpeciebus Dii ſigna per naturam, quae iis in generatione ſubſeruit, vel per daemonas generationi praefectos ſigna oſtendunt. Illi daemones vniuerſi elementis praeſidentes tum corporibus particularibus, animalibusque et ceteris in toto vniuerſo, omnia quae fiunt, cum facilitate ad obſequium perficiunt, et ſymbolice voluntatem Dei ſignificant *w*.

LXII. Nihil in ſacris operibus digne poteſt praeſtari, niſi adſit aliquis ſuperum ſpectator operis et conſummator. Neque tamen is neceſſitatibus per inuocationes quibusdam attrahitur, cum diuina omni neceſſitate ſuperiora ſint: ſed inuocatio et cetera opera ſacra ab intelligente ſacerdote profecta, vi ſimilitudinis et quaſi cognationis ad Deos ipſa vltro currunt et connectuntur, nec cum violentia ſuas operationes perficiunt *x*.

LXIII. Nihil in his operibus procedit a natura animae humanae, nec a cauſſa alia humana; ſed cuncta naſcuntur et pullulant ex cauſſa diuina. Non itaque ea phantaſiae opera ſunt, nec mixtae operationis, id eſt, quae ex anima noſtra et diuino afflatu extrinſece compoſita ſint: nec paſſio cauſſa eſt et affectus, nec morbus aliquis, puta melancholia, ebrietas, inſania *y*.

LXIV. Nec huc magi aduocandi ſunt, quorum totum negotium per apparentias miras, nequaquam ex rerum natura geritur, et fiunt omnia incerto et deceptorio modo. Sed nec naturalis coniectandi ſagacitas, cum diuina hac prouidentia confundi debet *z*.

LXV. Sacerdotes veras Deorum ſpecies contemplari ſoliti imagines diuinatorias parui faciunt: iis enim omnia obſcure tantum adumbrantur, nec veri fiunt vera phantaſmata, et bona apparent tantum, minime autem ſunt, nec perfectum aut liquidum aliquid obtinent. Opifex eorum enim non Deus, ſed homo eſt; nec producuntur ex vniformibus et abſtractis eſſentiis, ſed ex materia ſubiecta. Sapiens itaque idolis his non fidit *a*; licet enim ad coelorum motus et conſpectus conflentur, nihil tamen habent in ſe diuini: nam materiae quae ſunt in generatione vltimae mouentur ad coeleſtes motus, ſemperque variant, et vanae euadere poſſunt *b*. Prolixe his capitibus contra talismanum, amuletorum et aliorum huiusmodi imaginum theurgicarum generum vanitatem pugnat ex propriis Platonicorum principiis Iamblichus, Plotini et Porphyrii opinionibus inſiſtens: Aſt pugnaſſe eum pro idolis ſiue ſimulacris, iisque *praeſentiam numinis vindicaſſe*, *quaecunque fundendi arte et ſculpendi arte fabrili certa mercede et opera conformata eſſent*, ait Philoponus, in libro, quem contra eius opus *de ſimulacris* ſcripſit, teſte PHOTIO *c*. Nec haec ad ſolas ſtatuas diuinas pertinere, ſed ad ſimulacra quoque magica, vel Apollonii Tyanei exemplum, quem inter diuinos homines haec

fecta

w) c. 16. p. 79. conf. PEUCERUS de variis diuinationum generibus. GALE ad l. c. exemplum habes apud AMMIAM. L. XXIX. c. 1.
x) c. 18. p. 83.
y) c. 20. 21. p. 86. 87. ſeq.
z) c. 26. p. 91.
a) c. 28. 29. p. 97. ſeqq.
b) p. 99.
c) Cod. CCXV. p. 285.

ſecta retulit, vel Procli artes Marino laudatae oſtendunt, quorum vterque iyngibus et talismanibus theurgice operatus eſt. Non itaque ſibi conſtat Iamblichus, qui non inuſitata huius ſcholae ratione vno loco refellit, quod alio ſtabilitum iuerat. Illud vero omnino hic monendum iisdem rationibus, quibus Iamblichus talismanum vim eneruauerat, omnem quoque ſtatuarum diuinarum cultum euerti, quas tamen diuina praeſentia irradiari ſupra dixerat. Qualia ἀσύσατα et ſe mutuo euertentia plurima ſunt in horum philoſophorum ſcriptis, nec aliter quoque in φιλοσοφημένοις omni ſano principio et ratione deſtitutis euenire potuit.

LXVI. Diis bonis apparentibus, quicquid erat malum aut daemonicum fugit, nec tantillum pios turbare ſacrificatores poteſt, qui inde ab omnibus atheis et impiis moribus defaecantur. Qui vero ſacros ritus impie et inſolenter inuadunt, propter operationis infirmitatem et potentiae defectum Deos aſſequi nequeunt, malisque et impuris ſpiritibus familiares euadunt, quorum flatu prorſus implentur peſſimo, improbique fiunt et laſciui et daemonibus malis, quibus adhaerent ſimillimi. Nam hi mali ſpiritus Diis contrarii ſunt, vnde ἀντίθεοι dicuntur [d]. Multa de his malis daemonibus differuere, Chaldaei, Perſae, Iudaeique ex orientalibus regionibus reduces, et ſyncretiſmum quendam inter Moſaica et Chaldaica commenti, multa Iudaei Cabbaliſtae, in Aegypto enati: Puriora quaedam etiam tradidit diſciplina Chriſtiana. Hos omnes expilaſſe, ſuoque ſyſtemati infarſiſſe Platonicos reformatos dubium non eſt. Plura de his antitheis dabit PSELLVS [e].

LXVII. Imperare ſacerdos brutis quibusdam ſpiritibus poteſt natura ſua, non enim illi vtuntur rationis poteſtate et vſu, qua valet ſacerdos. Aſt in ſacris vt pareant Dii ſacerdoti a duplici, quam ſuſtinet, perſona oritur: nam non ſolum homo eſt, et humanae naturae ſeruat ordinem, quem nos in hoc vniuerſo obtinemus: ſed et perſonam Deorum gerit, eo quod in eo eſt, quod diuinis ſignis corroboratum, et melioribus naturis conciliatum ſurſum tendit, ac ad eorum ordinationem pulchre circumducitur [f].

LXVIII. Iuſti apud Deos alia definitio eſt, quam apud homines. Hi enim ad praeſentem ſtatum vitamque tantum reſpiciunt: illi vero nobis praeſtantiores vitas animae vniuerſas et priores ſtatus contuentur; atque adeo ſi quam poenam ex inuocatione inferant, habent rationem peccatorum, quae in vita priori admiſit anima, iam tandem punita. Eadem in vniuerſum diuinae prouidentiae malum punientis ratio eſt ſaepe ignota. Nos enim ſummam et exactam Deorum iuſtitiam in quamplurimis non aſſequimur, quae non tantum ad animam vnamquamque, ſed ad totam quoque animarum cognationem reſpectum habet. Eſt enim omnium animarum in corpore et extra illud communio [g].

LXIX.

d) c. 26. p. 102. ſeq.
e) De operationibus daemonum.
f) Sect. IV. c. 2. p. 107. conf. GALE ad h. l.
g) c. 4. p. 109. Conferenda haec ſunt cum Plotiniani philoſophematis de cauſſis mali phyſici ſupra enarratis.

Digitized by Google

LXIX. Malorum vero, quae ſubinde in inuocationibus eueniunt, multae poſſunt eſſe cauſſae, quae a malis daemonibus proueniunt: quae enim diſſimilia ſunt, et diſcordia et contraria, ad naturam daemonum factioſam pertinent, qui bonorum praeſentiam mentiuntur *h*.

LXX. Naturalibus aut corporeis vniuerſi potentiis quoties vtuntur inuocantes, ad eos deſcendit efficacitatis communicatio, libera quidem et ad malefaciendum indeterminata; et qui vtitur ea communicatione, is eſt, qui ea abutitur ad contrarias, id eſt malas artes. Porro ſuperna communicatio per ſimplicem ratamque illam mundi concordiam partes longiſſimas effectu ſuo tangit: ſi quis interim hoc deprehendens moliatur inique partes ſortesue vniuerſi peruertere in alias partes, ſane his mali ſequentis cauſſa non eſt tribuenda, ſed hominum audaciae et tranſgreſſioni, quae ea, quae iuxta mundi ordinem bona ſunt et ſalutaria, peruertunt *i*. Ecce vero egregiam philoſophiam, ſecundum quam veneficus et magus nequiſſimus, ipſi diuinorum ordini et catenae ad peſſimas artes damnaque afferenda imperat. Qua in re longius praeceptoribus ſuis progreditur Iamblichus. Plotinus enim, quem ſequitur Porphyrius, animam cum ex intellectualium ordine ſit, et cum mente diuina arctiſſime cohaereat fato, quod ex animae mundi diſpoſitione et rationibus ſeminalibus oritur, non ſubeſſe contendebat, et eluctari poſſe ex hac ſerie dicebat. Multum haec ſuperat Iamblichi aſſertum. Nam is non purae tantum animae communionem cum Diis, et quod inde ſequitur, imperium in materiae ordinem et ſeriem cauſſarum in mundo concedit, Deosque voluntarie obſequentes ſacrificulis ſtatuit, ſed et magos impuros abuti poſſe hac poteſtate et rerum omnium ſerie ad nocendum piis, et imperitari fato ad mala accerſenda, ſicque ipſis Diis, vel daemonibus ſaltem, qui mundo praefecti ſunt, miniſtris vti ad facinora ſua contendit. Quae quam impia ſint et abominatione plena, quilibet videt. Aſt rationem aliam peſſimarum artium, quas magi excolebant, dare non poterant, ſicque ſua opera, quae eadem ex ſchola prodibant, quaeque diuina tamen eſſe mentiebantur, excuſare coloremque iuſtum illis inducere ſtulto conatu quaerebant. Quod quibus ratiunculis, miſeris ſane et philoſopho indignis euincere ſtudeat nugator Iamblichus, in ipſo eius opere legendum eſt. Nobis enim hiſce diutius inhaerere propter limites nobis conſtitutos non licet.

LXXI. Anima mundi praeſidet mundano corpori, Diique coeleſtes coeleſte corpus moderantur; nihil vero inde paſſionis noxiae ſuſcipiunt, vel in intelligendo impedimento, vt animae corpori iunctae accidit *k*.

LXXII. Hinc ratio patet, cur vapor exhalans ab animalibus et ſuffitus ſacer rite peractus Deos moueat? Is enim nec Diis nec mundanis et vniuerſalibus cauſſis nocet, vtpote qui in diuinis continetur, ea vero non conti-

h) c. 7. p. 111. *i*) c. 10. p. 113. *k*) Sect. V. c. 2. p. 117.

continet, et ipſa non trahit adaptatque ſibi Deos, et vniuerſa, ſed viceuerſa accommodatur ipſa ad iſtorum imperium, et melioribus naturis ac cauſſis vniuerſalibus applicatur, nequit autem illa conſtringere et ſibi applicare. Emolumenti ſectae ſuae, quae ordini ſacro miniſtrabat, et ſacerdotium ſibi vindicabat, rationem hac aſſertione habuiſſe Iamblichum, dubium non eſt. Sine ea enim ratio dari non potuiſſet, qui intelligibiles Dii ſacrificiorum nidore thurisque ſuffumigatione queant placari. Etſi enim vetus et peruulgata erat opinio, Deos paſci vaporibus et nidore carnium in ſacrificiis, de qua viri docti paſſim differunt [l], abſurda tamen ea viſa eſt illis, qui curioſius in rationes cultuum diuinorum inquiſiuerant, viderantque abſurdum eſſe commentum, (quo tamen fundamento iſta opinio nititur) Diis eſſe corpus aliquod. Hinc vel ſacrificia ex carnibus reiiciebant, quod Pythagoreos feciſſe conſtat, vel ad daemones tantum, qui corpore quodam eſſent veſtiti, transferebant. Quod cum Chriſtiani auide arriperent, et ad conflandum ſacrificiis gentilibus odium vrgerent, malorum daemonum eſcam eſſe ſacrificia iucundiſſimam [m], deſeruere quidem Platonici receptam ſententiam, ſed cum propter emolumentorum ſuorum rationes ipſa tamen ſacrificia deſerere non poſſent, ad inanem hanc, quam Iamblichus tradit diſtinctionem confugerunt, et Deos quidem ab iſtis vaporibus nec tangi nec ineſcari poſſe dicebant, aſt ad rationem tamen vniuerſi eos pertinere, et tanquam principia paſſiua actiuis applicari docebant. Quod an ſatisfacere queat homini vel mediocriter attento, et annon deſperatam prodat cauſſam, nulla ratione philoſophica pingi ornarique aptam, ipſe lector iudicet. His vero tota de ſacrificiis doctrina innititur, de qua ita porro Iamblichus.

LXXIII. Effectus ſacrificiorum efficaciſſimi, nec vniuerſi, eiusque partium inter ſe conſenſioni, nec numeris quibusdam aut ſpecificis quorundam animalium operationibus, aut coloribus aut partibus tribui poſſunt. Dii enim ſunt ſupra naturam [n].

LXXIV. Sed procedunt mirifici effectus ſacrificiorum ab amicitia tanquam a cauſſa et accommodatione quadam, et habitudine opifices ad opificia, genitores ad genita conciliante. In ſacrificio enim perfecto omnes cauſſae a ſuprema ad infimam commouentur [o].

LXXV. Quoniam perfectiſſimae opificesque poteſtates in ſe omnes continent omnium cauſſas, ideo cum iis omnes efficientes rerum cauſſae vna cum his circumaguntur, atque adeo ex cunctis ſimul communis vtilitas in totam geneſin deriuatur, aliquando quidem per ciuitates populosque et gentes omnigenas, aliquando per domos vel hominem vnumquemque bonis diſtributis, ſecundum proprietatem et quaſi cognationem [p].

LXXVI.

l) Vid. AELIAN. var. hiſt. L. IX. c. 15. et Patres paſſim. Ex recentioribus GISB. CVPERVS Obſ. L. II. c. 3. p. 76. EZECH. SPANHEMIVS ad Iuliani Caeſares p. 226. L. KVSTER. in hiſt. critic. Homeri §. 3. p. 16. pluresque alii.

m) Conf. GOD. WALTHERVS in Hiſtoria conuiuiorum ſacrorum a gentilibus poſt ſacrificia initorum, Germanico idiomate edita.

n) c. 5. 6. p. 121. ſeq.

o) c. 9. p. 127.

p) c. 10. p. 129.

LXXVI. Daemones etsi corporibus vestiuntur, quae quidam sacrificiis nutriri volunt, corpus tamen illud immutabile est et impatibile, lucidumque et nullius indigum, ita vt nihil effluat inde, nihilque necessario influat, et si influxu opus habeat, sufficiunt exhalationes mundi, adeoque sacrificiis ad eos nutriendos opus non est [q]. Dubie, si ipsam orationis seriem respicimus, de corporibus, quibus daemones vestiuntur, loquitur, quae tamen et ipse, et antecessores ac successores aliis locis agnoscunt [r].

LXXVII. Vehiculum quod corporis similitudinem habet, quodque daemonibus inseruit, neque ex materia, neque ex elementis, neque ex aliquo corpore nobis noto constat: hinc ab alius essentiae corpore ali non potest, sed materiale omne in sacrificiis igne absumitur, et purgatur quod in eo est immateriale, atque materiae vinculis soluitur [s].

LXXVIII. Sacrificiorum ritus connectuntur et comparantur ad Deorum ordines. Dii autem alii materiales sunt; qui materiam in se comprehendunt et exornant, alii immateriales, qui omnino a materia liberi sunt, eamque longe excellunt. Ab illis sacrificia incipere et ad hos ascensum fieri decet [t]. Multa de his Deorum materialium ordinibus garriunt Platonici postremi, PROCLVS [u] et Damascius; vocant eos ἐγκοσμίους et ἀπολύτους, et Oracula ὑλαίους συνοχέας. Nec alii sunt Dii ἄζωνοι, nempe Deorum supramundanorum vltimi, mundanis proximi a mundo liberi, vt recte vidit GALEVS [x]. Nam PSELLO [y] Azoni Dii vocantur, qui libere potestatem suam exercent in Zonis, suntque collocati supra mundanos Deos. Errat itaque SERVIVS [z], qui *ex altioris scientiae hominum mente, Deos communes*, quorum mentionem facit VIRGILIVS [a], esse vult, *qui ἄζωνοι dicuntur, hoc est, qui coeli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis coluntur.* Id enim oraculorum menti non respondere, quilibet videt, et Zonaei Dii, siue Spiritus numinaue Zonis annexa euincunt: qua de re videndus STANLEIVS [b], qui, dum Chaldaica nobis exhibere vult, Platonica tradit.

LXXIX. Duplex hominum status est. Aliquando toti anima fiunt, et extra corpus constituuntur, Deorum immaterialium hospites: aliquando vero constringuntur corporis testa et opprimuntur a materia et in corporis indolem degenerant. Hinc duplex exsurgit cultus ratio, illa simplex, incorporea, ab omni generatione pura, atque adeo sinceris competens animabus; haec plena corporibus et ritibus materialibus, conuenientia animis nondum defaecatis aut generatione prorsus liberatis [c].

q) l. c. p. 127.
r) Vid. praeter Plotinum supra adductum PORPHYR. de abstin. L. II. s. 42. PSELLVS l. c. p. 50.
s) c. 12. p. 128.
t) c. 14. p. 129.
u) Theol. Plat. L. VI. c. 8. p. 34. Comm. in Tim. L. V. p. 301.
x) Ad l. c. Iamblichi p. 269.
y) loc. cit.
z) Ad Aeneid. L. XII. v. 118.
a) l. c. - - - Diis et communibus aras.
b) Hist. phil. orient. P. XIII. S. II. c. 8. p. 1127.
c) c. 15. p. 130.

Digitized by Google

Videtur haec excogitaſſe Iamblichus, vt Pythagoram hoſtias puras et incruentas tantum admittentem, cum communi ſuperſtitione, more ſectae ſuae, conciliaret.

LXXX. In ſacrificiis, quae facimus pro corporis bono et ſalute, oportet eſſe cultum corporeum, ritumque eiusmodi. Haecque, quae corporea bona offerunt, a Diis tantum materialibus accipiuntur [d].

LXXXI. Maxima hominum turba naturae ſubiicitur, eiusque potentiis gubernatur, et ſub fato eſt. Pauci ſunt, qui ſupernaturali mentis vſi potentia naturam ſupergrediuntur, praeſtantiores natura euadentes: nonnulli medium tenent inter puram mentem et naturam, et ab vtraque ſe reducunt, alii miſtam quandam ex illis vtrisque vitam amplectuntur: his diuerſis hominum generibus diuerſis ſacrificiis opus eſt ritibusque vel naturalem, vel intellectualem, vel mediam vitam concernentibus [e].

LXXXII. Quoniam, antequam apparent Dii, deſcenduntque ad terram, omnes praeſubiacentes illis potentiae mouentur, et praecurrunt, pompaeque inſeruiunt, qui non diſtribuit, quod cuique congruit, nec vnumquemque ſuo proprio honore proſequitur, abit inhonoratus ipſe et expers communicationis. Vnusquisque itaque Deorum, etiamſi arcani et inconſpicui ſacrificiis adſint, colendus eſt pro ſuo gradu, quem tenet [f].

LXXXIII. Perfectiſſima vero ſacri cultus ratio eſt, quae ad totius multitudinis numinum vnum et principale ſe dirigit, atque in eo diuinas omnes eſſentias et principatus ſimul colit; ſed haec ſero aduenit et oppido paucis [g].

LXXXIV. Quando cauſſae diuinae et humanae praeparationes ex aequo reſpondent, tunc ſacrificii operatio perfecta omnia quidem bona perfecta et immenſa reportat [h].

LXXXV. In cauſſis vniuerſi ſupremis ea eſt exuberantia poteſtatis, vt cum in aliis, tum etiam in hoc vniuerſo ſuperet, videlicet quod omnibus ex aequo vna eademque ſine impedimento praeſens ſit. Hac igitur ratione ipſa illa omnium prima vltimis vsque affulgent, et immaterialia principia materialibus adſunt immaterialiter [i].

LXXXVI. Ipſa quoque materia, cum a patre et opifice omnium genita ſit (γενομένη) merito perfectionem ſui quandam accepiſſe cenſenda eſt aptam ad Deos ſuſcipiendos. Quin etiam nihil eſt quod prohibet ſuperiora diffundere lumen ſuum ad inferiora; quare nec materiam expertem faciet quicquam, ſi perfecta fuerit ac boniformis, ſuperiorum participationis [k]. Fluere haec ex ſyſtemate emanatiuo, quod recepiſſe Alexandrinam Platonicorum ſectam ſupra probauimus, quilibet videt; aſt licet haec Plotini placitis conſonent, luculentius tamen mentem philoſophorum horum plane abominabilem produnt. Plotinus enim, ne tam craſſa

d) c. 17. p. 132.
e) c. 18. p. 133.
f) c. 21. p. 136.
g) c. 22. p. 137.
h) c. 23. p. 138.
i) loc. cit.
k) Ibid.

Digitized by Googl

craſſo modo in diuinam naturam eſſet iniurius, neſcio quam materiam intelligibilem, vel metaphyſicam potius excogitauit, cui phyſica tanquam effectus, ſubordinata eſſet; ſicque ſpeciem dedit, remotae a Deo omnis materialitatis, licet reapſe, emanationis lege, materia quoque phyſica ex Deo eſſet: aſt Iamblichus, qui miſſis metaphyſicis ſubtilitatibus ad captum ſacerdotum diſcipulos inſtruebat, de materia, quatenus naturae ineſt, et ſacrificiis inſtruendis adhibetur, differens, materiae ex Deo genitae capacitatem admittendi diuinae communis radios ex ipſo primo fonte deriuauit, ſicque materiam emanantium vltimum conſtituit, ſatis ita prodens, qualem Deum agnoſcat, cui addictus erat, philoſophia Alexandrina.

LXXXVII. Diis quorundam locorum rectoribus ſacrificium ex iisdem rebus, quae ibidem naſcuntur, eſt admodum conſentaneum, et gubernantibus ea, quae ex gubernatis ſunt [l].

LXXXVIII. Quia Dii angelique quamplurimi adſunt ei, ſub quo per cunctas in terra gentes numen aliquod fortitum eſt praefecturam communemque prouinciam, proprium quoque inde tributum eſt templo vnicuique numen, quod ſacrificium inſpectat, ideo oportet caute obſeruare legem et ordinem diuinae ſanctimoniae in ſacrificiis, et bono animo eſſe, quoniam Diis auctoribus operamur, dignam autem adhibere curam, ne quod Diis indignum munus aut alienum offeramus [m].

LXXXIX. Preces magna pars ſunt ſacrificiorum, quae perficiunt, et ſocietatem indiſſolubilem Deos inter et ſacerdotes conficiunt; contactumque et notitiam nobis circa diuina praeſtant, et communionis vinculum ſunt, et dona nobis inuitant a Diis demiſſa, etiam antequam loquamur, et perficiunt omne noſtrum opus etiam cum nondum intelligimus. Summa vero ſpecies eſt, quam ineffabilis illa vnitas conſignat, quae totum earum robur collocat in Diis, quaeque adeo in iis perfecte animam noſtram conquieſcere facit [n].

XC. Preces amicitiam nobis ad Deos conficiunt, ſacramque a Diis vtilitatem triplicem afferunt. Vna ad illuminationem pertinet, altera ad communem operum executionem, tertia ad perfectam ex igne diuino plenitudinem [o].

XCI. Eſt quoddam poteſtatum genus in mundo valde diuiſum, indiſcretum, inconſideratum, quod accipit quidem ab alio rationem et obtemperat, per ſe autem nihil intelligit, nec verum aut falſum poſſibile aut impoſſibile, diſcernit. Hoc genus comminationibus confertim iactatis commoueri et percelli poteſt. Sacerdos etiam per poteſtatem ſymbo-

l) c. 84. p. 139.
m) c. 25. p. 140.
n) c. 26. p. 141. Expilaſſe Iamblichum Chriſtianos hoc loco ipſae lectiones produnt e ſacris defumtae.
o) p. 148.

lorum arcanorum tanquam in ipſo Deorum ordine ſuperior exiſtens mundanis imperitat poteſtatibus p.

XCII. Ineffabilium arcanorum cuſtodiam daemones agunt, idque adeo anxie, quoniam in illis totius mundi ordo praecipue continetur: haec terreni daemones nec ad vocem vsque et auditum ſuſtinent aliter affici verbisque profanari, ideo comminationes locum habent: aſt obſecrationum in Deos ius nullum eſt q.

Deorum ordines ex mente Iamblichi.

§. LVIII. Hactenus de Diis, de daemonibus, de cultu eorum et ſacrificiis ex ſectae ſuae placitis differentem audiuimus Iamblichum; iam de Deorum quoque ordinibus ſuperioribus, diuinisque principiis alto ſupercilio quaedam diſputans auſcultandus eſt; in his enim praeſtantiorem diſciplinae ſuae partem exponit. Et ſe quidem Aegyptiorum theologiam tradere iactat, et ſymbolicam ideo ſapientiam exponit, caue tamen aliam theologiam intelligas, quam quae Platonica ſchola inter Aegyptios inuexit, vt *tomo primo* demonſtratum. Cuncta vero ad emanationis ſyſtema conſtituendum, variosque emanantium ordines deſignandos reuocari poſſunt, quae ex Orientali potiſſimum philoſophia in arua ſua deriuauiſſe Platonicos Aegyptios illi dubium eſſe nequit, qui ea diligenter expendet, quae infra de huius philoſophiae placitis trademus. Probe vero ad hanc theologiam Aegyptiaco-Platonicam, Orientali admiſtam attendendum eſt, quoniam genuini hi fontes ſunt, ex quibus et arcana Iudaeorum in Aegypto habitantium philoſophia, et multi haereticorum errores pullularunt, de qua tamen re infra diſſeremus. Ita vero pergit Iamblichus.

XCIII. Deus totius naturae et generationum poteſtatumque elementarium omnium cauſſa, omnibus ſuperior eſt, et vniuerſa in ſe complectitur, eſt enim his praeſtantior, immaterialis, incorporeus, ſuper naturam, ingenitus, indiuiſus, totus a ſe ipſo et in ſe ipſo abſconditus, et quoniam in ſe complectitur omnia, ſeque ipſe omnibus mundi partibus communicat, ex iis eluxit, quoniam vero omnibus ſupereminet, et ſolus ſuper omnia expanditur, eſt ſeparatus, exemtus, ſublimis, et per ſe longe explicatus ſuper mundanas poteſtates et elementa r.

XCIV. Ante eas res, quae vere ſunt, et ante principia vniuerſalium eſt Deus vnus, prior etiam primo Deo et rege. Eſt ille immobilis, in ſolitudine ſuae vnitatis permanens, neque enim intellectuale ei immiſcetur, neque aliquid aliud, eſtque exemplar ipſius, qui eſt ſui pater, et de ſe genitus, et vnipater Deus et vere bonus. Eſt enim maius quid et prius fons omnium, et radix intelligibilium idearum primarum entium. Ab hoc autem vno Deus per ſe ſufficiens ſe ipſe explicuit, proinde eſt ſui pater et ſibi ſufficiens. Eſt enim hic et principium, et Deus Deorum, vnitas

p) Sect. VI. c. 5. p. 147. Imitatos fuiſſe hos homines viros ſacros malos daemonas in nomine I. C. adiurantes et eicientes, dubium non eſt. Supraque dictum, etiam ſine his formulis Platonicorum theurgorum Theoſebium in nomine Dei Hebraei, id eſt Ieſu, daemonium eieciſſe, quamuis eſſet gentilis.

q) Ibid.

r) Sect. VII. c. 2. p. 151.

vnitas ex vno ſupereſſentialis, et eſſentiae principium, nam ab eo fluit entitas et eſſentia, et propterea pater eſſentiae vocatur, ipſe quoque ante intelligibile principium eſt, vnde noëtarcha dicitur [t]. Receſſiſſe Aegyptiacam hanc Platonicorum ſententiam de Deo omnium primo priore, a Plotini mente, et quaternionem in Deo ſtatuere, ſupra [u] teſtimoniis quoque demonſtrauimus, quibus alia ex GALEI ad hunc locum obſeruationibus addi poſſunt. Dubium vero nullum eſt, haec eſſe ex Orientali philoſophia, quae de abyſſo et ineffabili profunditate fontis omnium principiorum, primo Deo prioris multa garriuit, vt ex Gnoſticorum diſciplina colligi poteſt. Id quod ſyncretiſmum ſectae Alexandrinae mire illuſtrat.

XCV. Poſt primum hunc in ſolitudine permanentem Deum, eumque qui ab illo eſt Deum ſufficientem ſibi, qui eſt cauſſa omnium eſſentiarum, eſt mens ſe ipſam intelligens et alias intellectiones ad ſe conuertens, qui Deus Emeth Aegyptiis dicitur, et eicton ante eum eſt, id eſt prima effigies et impartibile, in quo primum quod intelligit, et intelligitur reperitur, quodque ſolo ſilentio colitur [x].

XCVI. Praeter hos rerum apparentium opificio alii praeſunt duces, nempe mens demiurga ſiue opifex, quae et veritatis cuſtos et ſapientiae, quatenus ad generationem ſapienter deſcendit, et incognitam rationum latentium vim producit in lucem, lingua Aegyptiaca dicitur Amun et Ptha, et Oſiris [y].

XCVII. Eſt et alius principatus apud illos ſuper elementa tota in generatione poſita, virtutesque eorum, quarum quatuor maſculae, totidemque foemininae ſunt. Hunc ſoli tribuunt. Item alius principatus ſuper naturam omnem in generatione verſantem, quem lunae aſſignant [z].

XCVIII. Diuidentes vero coelum in partes duas vel quatuor, vel duodecim, vel ſex atque triginta, vel harum duplas vel aliter quomodocunque, duces his praeficiunt aut plures aut pauciores, denique his omnibus vnum praeficiunt, qui omnibus ſuperior ſit [a].

XCIX. Haec itaque Aegyptiorum theologia de principiis deſuper ad inferiora progrediens ab vno incipit, et deſinit in multitudinem vnius imperio gubernatam, et prorſus omnis indeterminata in ſe natura definitur, et continetur aliquo certo termino, hoc eſt a ſuprema illa vniente omnia cauſſa.

C. Materiam quod attinet, Deus eam produxit diuidendo materialitatem ab eſſentialitate, hanc materiam demiurgus accipiens vitalem ex ea ſimplices incorruptibilesque ſphaeras fabricauit, ipſius vero, quod erat poſtremum ad corpora generabilia et corruptibilia facienda transtulit [b].

Habes

t) Sect. VIII. p. 158.
u) §. 50.
w) c. 3. p. 159.
x) l. c. Et hic a Plotino recedit, demiurgum in ſecundo principio ponente.
y) Manifeſte haec ſapiunt philoſophiam orientalem.
z) Ibid.
a) loc. cit.

Habès hic Lector, breue quidem aſt luculentum ſyſtematis emanatiui compendium, quod in Orientali et Zoroaſtrea praecipue philoſophia enatum ad Platonicos Aegyptios, ad Iudaeos Cabbaliſtas, et totius fere orbis fanaticos tranſiit. Etſi enim quaedam in his ſunt, quae domeſticam Aegyptiorum doctrinam ſapiunt, pleraque tamen aliena ſunt, et poſt explosum demum ſyſtema duorum principiorum recepta et antiquis ſymbolis nominibusque applicata, et a Platonicis tandem recepta, Plotinum excipientibus. Ille enim licet fanaticam ab Ammonio Aegyptio didiciſſet theologiam, non tamen tam inſanum in modum delirauit, ſed ſe magis intra ſyſtematis ſui cancellos continuit, quibus diſruptis Iamblichi ſchola Phaëtontis inſtar non per coelum tantum ſed et inferos veſanis nugarum commentis praeceps vagata eſt.

CI. Homo duas habet animas, vna eſt a primo intelligibili, participat etiam de potentia opificis, altera vero nobis inditur ex circuitu coeleſtium mundorum, ad quem anima Deum ſpeculatura reuertitur. Anima itaque haec, quae a mundis aduenit, mundorum quoque obtemperat motibus; illa vero,, quae ab intelligibili deriuatur, adeſtque intelligibiliter, eſt quidem ſupra orbem geniturae, et iuxta hanc ſoluimur a fati vinculis [b].

CII. Habet anima principium in ſe ipſa proprium, quo poſſit ad intelligibile reſtituere ſe ipſam, et a generabilibus refugere, et ad id, quod eſt, quodue diuinum eſt, ſeipſam connectere. Dii vero fatum ſoluunt, aſt potentiae quae ab iis deriuantur, quaeque mundo et materiae implicantur, hae quidem fato obnoxiae ſunt [c].

CIII. Daemon, quo quilibet gaudet proprius decerpitur a totius mundi diſpoſitione, nec non vitae omnigenae in eo, et corporum omnium regnante tum, cum anima per ea ad generationem deſcendit: haec autem mundi portio ſic decerpta in nobis propriam quandam ſortitur, in noſtra omnia praefecturam. Hic daemon praeexſtiterat in paradigmate, priusquam in geneſin deſcenderet anima; hic vbi primum pro duce anima aſciuerit eum, ſtatim animae adeſt, eiusque vitalia opera exſequitur, ipſam ad generationem deſcendentem corpori alligat, totum in communi animal regit, vitamque animae propriam gubernat, quaeque cogitamus ab eo principium habent, et ea agimus, quae nobis in mentem is induxerit, denique eatenus nos gubernat, quoad ſacris perfecti pro daemone Deum animae cuſtodem et ducem adipiſcamur. Semper etiam bonus eſt, mali enim ſpiritus nusquam praefecturam habent [d]. Pungit in his vltimis Iamblichus veterem ſententiam de duobus daemonibus cuilibet homini aſſiſtentibus, vno aequitatis, altero iniquitatis, quae non veteres tantum gentes barbaras, ſed philoſophos quoque, et in his Empedoclem quoque, immo Iudaeos et Chriſtianos veteres peruagata eſt, et Muhammedanos quoque

b) c. 6. p. 162. Haec ex pſychologia Plotiniana lucem capiunt.
c) c. 7. p. 162.
d) c. 6. ſeqq. p. 169. ſeq.

Digitized by Google

quoque occupauit, de qua tamen hic prolixe dicere locus non patitur. Adeundus autem eſt doctiſſimus COTELERIVS ad Hermam [e].

CIV. Daemon hic non eſt animae quaedam pars vel intellectus ſapientior, ſed de meliori ordine, qui animae noſtrae praeſidet tanquam praeſtantior [f]. Haec iis opponit Chalcidenſis philoſophus, qui τὸ ἡγεμονικὸν daemonem hominis eſſe dixere, de qua opinione *tomo primo* de Socratis genio differentes quaedam diximus. Plura de hoc Platonicorum genio dabit B. OLEARIVS [g].

CV. Si in Diis bonorum omnium eſſentia et perfectio habeatur, ſi prima poteſtas eorum ſit apud ſacerdotes, eorumque ſimiles meliorum ſtudioſos, veraeque communionis cum iis cupidos, omnium bonorum fons et finis ſumma cura colitur, et eſt certe, veritatis et intellectualis cognitionis contemplatio, et ſimul cum Deorum cognitione hinc ad Deos conuerſio et ſui ipſius cognitio ſequitur [h].

CVI. Sola diuina vaticinatio ab ipſis Diis pendens, nos vere participes facit vitae diuinae; cumque ipſa poſſideat praeſcientiam et diuinas notiones, nos quoque eadem diuinitate beat, bonumque pure nobis exhibet [i].

CVII. Homo ille contemplabilis et intelligibilis olim cum eſſet viſioni Deorum coniunctus, poſtea aliam ſubingreſſus eſt animam, illam quae humanam formae ſpeciem concomitatur, et propterea venit ſub fati et neceſſitatis iugum. Ab his vinculis liberari non poteſt praeter Deorum cognitionem, quae primam quidem qualitatem requirit animae ſanctitatem omni corporea puriorem, deinde praeparat animam ad participationem et boni contemplationem, ſimulque ad contrariorum reiectionem, poſthaec ad vnionem cum Diis bonorum omnium fontibus [k].

CVIII. Theurgia, vt rem omnem tandem complectamur, ipſi Dei poteſtati per ſe genitae, per ſe mobili omnia ſuſtentanti, intellectuali, omnia exornanti, ad veritatem intelligibilem reuocanti, perfectae et perficienti poteſtatibusque ceteris Dei opificibus gradatim pro cuiusque proprietatibus animam ita coaptat, vt in actionibus earum intelligentiisque architecticis anima, ſacris peractis perfecte confirmetur; et tum demum in toto demiurgo Deo animam collocat. Hic enim finis eſt anagoges [l].

§. LIX. Habes hic Lector, breuem totius theologiae Iamblichianae, vel ſi mauis, Alexandrinae, conſpectum, ipſis celeberrimi philoſophi verbis expreſſum, quo potiora dogmata omnia fere continentur. Multa addidit ſequentis ſeculi vsque ad finem ſectae curioſitas, vt partim ex oraculis Chaldaicis diſci poteſt, partim ex PSELLI dialogo *de operatione daemonum*, ex huius ſectae principiis et opinionibus conflato conſpici- *Philoſophia moralis eclecticorum.*

e) p. 873. edit. Fabric.
f) c. 8. p. 171.
g) Diſſ. de genio Socratis STANLEIO adiecta.
h) Sect. X. c. 1. p. 173.
i) c. 4. p. 175.
k) c. 5. p. 176.
l) c. 6 p. 177.

Digitized by Google

ſpicitur. Sed haec prolixius enarrare, eſſet vel lectoris patientia vel noſtro abuti otio. Ad morum itaque philoſophiam, qualem ſchola Plotini tradidit, conuerſi ea potiſſimum capita recenſebimus, quae ſummam rei tangunt. Specialiora enim conquirere nobis diu ſatis in hac arena volutatis non licet. Audiendi vero, qui potiſſimum in morali argumento verſati ſunt PORPHYRIVS [m], et IAMBLICHVS [n], quibus reliqui tantum non omnes concinunt.

I. Ex nihilo nihil fit, animus itaque cum ex nobiliori principio ortus, et reuera Deus ſit, ad hoc ſuum principium reducendus eſt. Nititur haec aſſertio toto phyſiologiae Alexandrinae ſyſtemate, quod vt prolixe in antecedentibus demonſtratum, rerum omnium ex primo fonte emanationem ſupponit, mentemque hominis ex mente ſiue intellectu diuino deriuat: cum vero, ex quo omnia effluxere, in id omnia quoque redeant, non potuit non animus hominis ita in hac philoſophiae parte conſiderari, vt Deo repleatur, et cum eo vniatur. Quod cum vbique crepent Plotinus et Iamblichus, ſupra adducti, prolixis teſtimoniis opus non habet. Conferri tamen cum illis poteſt PORPHYRIVS [o].

II. Extitere vero animae priusquam in corpus ingreſſae, lapſaeque ad inferiora deſcendentes et generationem ſubeuntes corpus nacti ſunt carcer. Fuſe ſupra in pſychologiae Plotinianae delineatione de praeexiſtentia animarum, earumque ad inferiora inclinatione et ſequente ex ea lapſu dictum, quae hic repetenda. Inde enim reuera generatio malum, haecque vitae miſeria. Multus in hoc eſt demonſtrando IAMBLICHVS [p], qui videndus. Prout vero lapſus fuit vel grauior vel leuior, ita et corporis conditio, quod ex inſtituto docet PORPHYRIVS [q].

III. Anima itaque materiae corporisque vinculis mancipata, non poteſt felici vita frui, ſed materiae compedibus conſtricta detinetur, et impeditur. Hinc odium corporis in hac ſchola, quod ſupra in Plotini et Porphyrii hiſtoria notauimus. Platonem eundem fere in morem docuiſſe, *tomo primo* demonſtratum eſt. Qui licet erret, tolerabilius tamen errat, quam hi Pſeudo-Platonici. Illi enim materia a Deo independens in ſe natura ſua mali habet principia; hi autem materiam ex Dei ſinu deducunt, et diuinitatis participem fieri poſſe ſtatuunt, vt ſupra dictum. Et tamen a corporis commercio cum anima omne fere malum morale deriuant. Quam contradictionem vtrum tollant ea, quae Plotinus de mali moralis origine metaphyſicis et abſtractis quibusdam notionibus ſine fundamento alio rei naturae conueniente nixus garrit, lectoris ex iis, quae ſupra de ea re attulimus, eſto iudicium.

IV. Per hunc deſcenſum anima deſcendit ad illud quod non eſt, et eget ſeipſo, ac propterea entis quoque ipſius, licet praeſentis, laborat inopia,

m) In variis opuſculis moralibus, praecipue ſententiis et de abſtinentia.

n) In ſermonibus protrepticis.

o) Sent. XLII. p. 139. 140. de antro Nymph. p. 132. edit. Rom.

p) Cap. 8. p. 52. Conf. de Myſt. S. X. cap. 5. p. 176.

q) Sent. XXXIII. p. 77.

Digitized by Google

inopia, et ab ente, a quo nec essentia nec loco separata nec alia quacunque re seiuncta est, conuersione ad non-ens (id est, materiam) separatur, iustamque hanc poenam luit, quod auersione ab ente seipsam auersatur, et ignorat. Recte itaque corpus carcer animae dicitur. Qui enim conuersus ad haec inferiora se ipsum diuino genere fatum deseruit, a numine profugus errat [r].

V. Hinc omnis improba vita plena est seruitutis, et impietatis; ideoque profana et iniusta, cum in ea spiritus sit plenus impietatis ac iniustitiae [s].

VI. Huic miseriae vt eripiatur animus, deponenda est omnia peregrina sarcina, afflicto corpore omnibusque superfluis abiectis, sensusque ipsos auersando consilia cum Minerua conferenda, quomodo omnia quae animae insidiantur, resecanda, ac circumcidenda [t]. Plena his sententiis sunt Platonicorum commentaria, quae hoc vnum inculcant, liberandum esse a corporis seruitio animum: quo in argumento imprimis disertus et copiosus est IAMBLICHVS [u].

VII. Finis itaque philosophiae est liberatio a vinculis humanis, et natiuitatis solutio itemque manuductio ad id, quod reuera est, et cognitio verae germanaeque veritatis, animarumque purgatio, et cum Deo vnio [x].

VIII. Hic tamen finis, qui nos Deo iungit, in hac vita obtineri perfecte non potest, sed fruitur eo anima in beatas sedes recepta. Potest tamen per aliquod tempus gustum eius percipere in hac vita, Deumque intueri ipsum, sed non semper eo fruitur, eo quod corporis sarcina grauatur. Peruenisse in corpore degentes et Plotinum et Porphyrium, si eos audis, ad hanc felicitatem in eorum vita narrauimus, quam vero beatitatem post hanc vitam expectauerint, pulchre docet carmen in Plotini obitum, quod exhibet PORPHYRIVS [y].

IX. Educendus itaque est animus e corporis carcere et liberandus a vinculis, quibus detinetur, vt ad caussam suam, ensque verum ascendere suoque se iungere principio possit. Idque fit purgatione philosophica, quae fit liberatione a passionibus animae et ascensu per virtutum gradus [z].

X. Tantum vero opus nec simul nec semel perficitur, sed per varios gradus ducendus est animus, vt ad vnionem tandem Dei perueniat. Sunt vero ascensus gradus, vt fiat philosophiae studiosus 1. *σπουδαῖος*, 2. *δαιμόνιος*, 3. *Θεῖος*, 4. *θεοπάτωρ* [a]. Hic gradus theurgorum est, qui ita dicitur, quod homines in Deos transmutat, de qua animae in excellen-

r) PORPHYR. Sent. XLII. p. 140.
s) Ibid. p. 141. IAMBLICH. protr. c. 5. p. 26. c. 13 p. 73.
t) PORPHYR. antr. Nymph. p. 132.
u) Il. cc. de myst. p. 176.
x) PLOT. Enn. VI. L. vlt. c. vlt. IAMBLICH. protrept. c. 13. p. 81.
y) In vita Plotini.
z) Conf. BVDDEVS de *καθάρσει* philosophica. PLOTINVS Enn. III. L. IX. c. 9. 10. Enn. IV. L. III. c. 7. IAMBLICH. de myster. Sect. IX. c. 6. p. 177.
a) Conf. GALE ad Iambl. L. 15. p. 199.

tiorem natura ſua gradum conſtitutione multa praedicantem ſupra audiuimus Iamblichum. Paſſim tamen haec nomina quoque inter ſe apud Platonicos confundi videas; nam et virtutes theurgicae interdum illis Θεῖαι dicuntur [b].

XI. Hinc variae exoriuntur virtutum claſſes et ordines gradusque. Vt enim quatuor virtutes cardinales ſunt, prudentia, temperantia, fortitudo et iuſtitia, ita per varios vitae gradus differunt [c].

XII. Gradus vero virtutum octo ſunt: virtutes nempe 1. phyſicae, 2. ethicae, 3. politicae, 4. purgatoriae, 5. purgati animi, 6. theoreticae, 7. theurgicae, 8. diuinae, quorum inter ſe creſcit dignitas, vsque ad diuinitatis apicem. Non conueniunt ſatis Platonici in virtutum earumque graduum numero conſtituendo. Plerique in politicas, purgatorias, animi iam purgati et exemplares diſpeſcunt, de qua diſtributione virtutum legi poteſt MACROBIVS [d]. PORPHYRIVS [e] in virtutes hominis politici, ad contemplationem aſcendentis, vel theoretici incipientis, et theoretici perfecti, et tandem contemplantis diuidit. Nos hic MARINI [f] diſtributionem ſequimur, qui ad hanc potiſſimum normam, quam docta obſeruatione illuſtrauit I. ALB. FABRICIVS, *vitam Procli* enarrauit. Ea enim cum reliquis facile componi poteſt. Adeundus etiam SIMPLICIVS [g].

XIII. Virtutes phyſicae ſunt, quae infimum gradum abſoluunt, et dotes comprehendunt, quibus corpus hominis a natura ornatur, vt commodum animae ad felicitatem aſcendenti inſtrumentum ſe praebere queat. *Imperfectam hanc ſpeciem virtutis a natura adumbratam, et leuiſſimum veſtigium veri boni* recte dixit PROCLVS [h].

XIV. Virtutes ethicae et politicae, quae et practicae dicuntur, theoreticis opponuntur. Suntque in mediocritate affectuum ipſius irrationalis animae partis ſitae, et poſtulant, vt homo politicus rationi, id quod decet in vitae actionibus, obſequatur, vocanturque politicae, eo quod ad ſocietatem, et communionem ciuitatis ſpectant. Has virtutes poſt PLOTINVM [i] deſcribunt MACROBIVS [k] et PORPHYRIVS [l].

XV. Virtutes theoreticae ad philoſophiam vitamque theoreticam pertinent, eumque reſpiciunt, qui repurgare vitam ſuam ſtudet; is enim quantum licet, a corpore corporisque affectionibus refugit, et veluti totus in ſe ipſum vertitur [m].

XVI.

b) Vid. quae obſeruauit FABRICIVS proleg. ad vitam Procli p. 22.
c) Conf. AMMIAN. MARC. Lib. XXV. c. 4.
d) Somn. Scipion. L. I. c. 7.
e) Sent. XXXIV. p. 80. ſeqq.
f) In vita Procli ex edit. Fabr.
g) Comm. in Epictet. p. m. 5. ed. H. Wolf.
h) In Alcibiad.
i) Enn. I. L. II.
k) loc. citat.
l) loc. cit.
m) SIMPLICIVS loc. cit. PORPHYR. loc. cit.

Digitized by Google

XVI. Virtutes purgatoriae ſunt, quae in abſtinentia ab actionibus, quae corporis miniſterio fiunt, et ab affectionibus erga corpus conſiſtunt, ſuntque animae ad verum ens ſeſe eleuantis. Qua ratione hoc per quatuor virtutum cardinalium capita fiat, docet PORPHYRIVS [n].

XVII. Quoniam vero purgatio alia eſt purgans, alia purgatorum, purgatoriae virtutes ſecundum vtramque purgationem ſpectantur, nam et animam expurgant, et adſunt purgatae, vt bonum quaerat eiusque particeps fiat et auctori ſuo iungatur [o]. Hinc mors philoſophica intelligitur [p].

XVIII. Virtutes theoreticae ſiue intellectuales ſunt, animae intellectualiter operantis, hic ſapientia eſt contemplatio eorum, quae mens in ſe habet: iuſtitia exſecutio proprii muneris, ſecundum mentem operantis: temperantia conuerſio ad mentem, fortitudo paſſionum carentia ad ſimilitudinem impaſſibilis. Earum excellentior gradus ſunt virtutes exemplares, quae paradigmata ſunt virtutum in animo exiſtentium, mensque eſt quaſi ipſae virtutes, haeque cum illius ſubſtantia concurrunt [q].

XIX. Theurgicae virtutes ſunt, quibus aptus philoſophus redditur ad conuerſationem cum Diis et communionem eorum conſequendam; quam adeptus et euocare Deos, et daemonibus imperare, et ſupra humanae naturae conditionem aſcendere poteſt [r]. Cuius ſummum gradum qui obtinuit, is diuinis virtutibus potitus eſt, et ad principium ſuum, intellectum diuinum, euaſit.

XX. Ad hanc virtutum viam ingrediendam ex inſita naturae diuinae conditione ſatis virium homini adeſt, vt eluctari ex vitiorum caeno et ad principium vnde deſcendit redire queat: nec in eo fati neceſſitate, obſtringitur [s].

XXI. Anima his remediis philoſophicis a corporis labe quin et vehiculi grauioris ſarcina non liberata poſt mortem vitae prioris in vehiculo animae latentia ſecum trahit veſtigia, et ad inferos non loco ſed ſtatu et conditione trahitur [t], et deterioribus in fatali periodo corporibus inſinuatur. Hinc metempſychoſis, de qua ſupra dictum ex Plotino.

Potiora haec capita ſunt ethicae Alexandrinae, quibus dogmata alia ſpecialiora iunxere, vt eſt abſtinentia a carnibus, quam PORPHYRIVS peculiari libro [u] ad leuandam corporis molem vehementer commendauit, mathematicae item artes, quas animam rationalem purgare ait HIEROCLES [x]. Quin et ſubtiliſſimum illud et ſpirituale animae vehiculum,

n) l. c. p. 80.
o) IDEM l. c. p. 83. qui librum quoque ſcripſit de egreſſu animae.
p) IDEM Sent. IX. MACROB. l. c. c. 13. IVLIAN. Orat. VI. p. 190.
q) PORPHYR. l. c. p. 84.
r) IAMBLICH. Sect. X. p. 175.
s) IAMBLICH. de myſt. Sect. VIII. c. 7. p. 162. PLOTINVS paſſim, PROCLVS de prouidentia et fato, aliique Platonici de fato tradentes, quos collegit HVGO GROTIVS. Haec per Origenem traducta in eccleſiam Pelagianiſmo aperuere portam.
t) PORPH. Sent. XXXVII. p. 78.
u) περὶ ἀποχῆς.
x) Ad carm. aur. p. 261.

ſiue τὸ αὐγοειδὲς τῆς ψυχῆς σῶμα ſuam purgationem habere tradebant, cui tamen hic copioſe inhaerere locus non patitur. Totius vero ethicae Platonicorum reformatorum indoles ex natura ſyſtematis emanatiui iudicanda eſt. Cum enim omnia ex primo omnium rerum fonte fluxerint, et quo longius a fonte receſſerunt, eo magis impura, ſuaeque origini diſſimilia facta ſint, poſtulat ideo philoſophia, vt animus originis ſuae, et diſceſſus a fonte, indeque ortae miſeriae memor, non tantum materiale corpus, ſed et ſpirituale, quod ex animarum choro deſcendens ad terreni corporis commercium aſſumſerat, tunicasque varias, quas elementorum regiones peragrans ex iis conflatas acceperat, repurget, eluatque, et ita materiae omnis corporisque commercio exſolutus ad principium ſuum aſcendat, et ad priorem ἐυζωΐαν reuertatur, ſicque ipſi Deo iungatur, et intellectui diuino, ex quo, particula eius quaſi auulſa, emanauit, praeſens ſiſtatur, eumque ſine imagine intueatur, et ita diuina communione fruatur [y]. Quae omnia, vt paſſim in Platonicorum ſcriptis fuſe traduntur, ita enthuſiaſmum, quem ſupra luculenter deteximus, vltimum huius philoſophiae finem fuiſſe, mire confirmant, et cum genuina Platonis doctrina collata oſtendunt, quam longe ab eo receſſerint. Ad quem moralis doctrinae ſcopum eos praeter innatam hominibus ſuperbiſſimis ambitionem, laudatam ex merito virtutem Chriſtianam, et fortaſſe etiam aſcetarum vitam philoſophicam quandam virtutem rigidiorem prae ſe ferentem ſtulta aemulatione incendiſſe, dubium non eſt [z].

y) Merentur legi de hac philoſophiae moralis Alexandrinae ſumma, quae egregia Hamburgi decora, orbisque literati ornamenta LVCAS HOLSTENIVS in vita Porphyr. c. 6. p. 242. et Io. ALB. FABRICIVS in proleg. ad Marini vitam Procli erudite diſſeruerunt.

z) Multa vero ſequenti aetate et recentioribus quoque temporibus dogmata moralia impura ex his fontibus profluxiſſe, eorum ſuo loco demonſtrabit hiſtoria. Origenes enim huic philoſophiae latam primus in eccleſia portam aperuit.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

DE SECTA PERIPATETICA.

§. I.

Qua fortuna vſa fuerit ſecta Peripatetica in republica Romana, ſupra *capite primo* prolixe narrauimus, quaque ratione ex tenebris et ſqua- lore, in quo iacuerant, libri Ariſtotelis et Theophraſti, in lucem a Ty- rannione et Andronico pertracti noua ſectae γνησίως ſecundum Ariſtote- lem hactenus non philoſophantis incrementa promouerint, philoſophos- que pariter et optimatium inter Romanos quosdam in ſuas partes pertra- xerint, horumque patrocinium meruerint, expoſuimus. Et hoc fundamen- tum fuit, quo feliciter poſito haec quoque ſecta laetiſſimo flore creuit, priſtinamque recuperauit ſub Caeſaribus, ſumma rerum potitis, gloriam, qui fauore tutelaque ſua eam cum reliquis ſectis dignati ſunt. Huius ita- que ſectae ſub Caeſarum imperio vsque ad medium aeuum, quo ſuppreſſis ſectis reliquis tantum non omnibus ſola triumphauit, hiſtoria iam porro enarranda eſt. Quam meliori forte euentu explicare liceret, ſi ſupereſ- ſet, quem SVIDAS [a] nobis narrat, NICANDRI *de diſcipulis Ariſtotelis* liber. Quo vero quoniam caremus, conſulenda eſt recentiorum quo- rundam diligentia, qui in hoc ſtadio non infeliciter quidem cucurrerunt, plenam tamen huius ſectae nondum dedere notitiam. Quae enim PETRVS IOANNES NVNNESIVS [b] et IO. IONSIVS [c] promiſere, praeter exigua quaedam ſpecimina [d] lucem non videre. FRANCISCVS PATRICIVS autem, qui de tota huius ſectae hiſtoria, inimico licet in eam eſſet animo, egregie meruit, non indiligentem quoque in hac eius parte praeſtitit operam [e]. Deſideratiſſimus autem FABRICIVS [f] multa eius obſeruationibus adiecit, quae Ariſtotelicorum poſt Chriſtum natum notitiae lucem haud contemnendam affundunt. Attulit etiam quae- dam PAGANINVS GAVDENTIVS [g], ſed ita more ſuo, vt iudicio maxime opus ſit, ad ea ſuo quaeque loco inferenda atque applicanda. Nos itaque non contemnemus quidem virorum praeſtantiſſimorum labores, ipſos tamen fontes veterumque memorias conſulemus, talem- que contexemus Peripateticae ſectae ſub imperatoribus Romanis ad aeuum vsque medium hiſtoriam, quae inſtituto noſtro reſpondeat.

Sectae Peri- patheticae fa- ta ſub Imper-

§. II.

a) In Aeſchrion T. I. p. 663.
b) Ad vitam Ariſtotel. p. 153.
c) Dare voluit diſſertationes Peripateticas.
d) Prima enim tantum lucem vidit adiecta a B. ELSWICHIO LAVNOII hiſtoriae fortunae Ariſtotelis in Academia Pariſienſi. Catalogum Peripateticorum dedit de Scr. Hiſt. phil. L. IV. p. 339. ſed mancum et imperfectum.
e) Diſcuſſ. Perip. T. I. L. X. p. 127. ſeq.
f) Bibl. Graec. Vol. II. p. 271.
g) De philoſ. Rom. Idem de LEON. COZZANDO de magiſt. antiq. phil. L. II. c. 2. p. 137. ſeqq. notandum.

Digitized by Google

Historia Peripatetica in classes distributa.

§. II. Accurate vero Peripateticorum fata distinguenda et in suas classes distribuenda sunt, quia variam inde haec secta mutationem passa est, quam nemo intelliget, qui ad eas non sollicite attenderit. Vidit id PATRICIVS, quo nemo accuratius Peripateticorum inter se classes distinxit. Nam is decem discipulorum nobis enarrauit ordines *), quos, quia liber paulo rarius occurrit, paucis exponemus: nam varia interpretandi Aristotelem ratio ipsaque secundum Aristotelem philosophandi via lucem inde capit amplissimam. „Et primam quidem aetatem Patricius constituit „eorum, qui Aristotelem ipsum audierunt discipulorum; inter quos qui „aliquid philosophicum literis mandarunt, celebresque ob id effecti sunt, „hi sunt: Theophrastus, Eudemus Rhodius, Dicaearchus Clearchus, Ari„stoxenus, Callisthenes, Hermias Eunuchus, Plato (iunior) Hipparchus, „Clitus, Leo, Menon, Philo; hi Aristotelis vocem audierunt, hos ipse suo „ore docuit; his secretiores libros dogmataque sua communicauit; hos „veluti suae philosophiae haeredes reliquit. Hos secunda aetate secuti „sunt horum auditores, et praesertim Theophrasti Strato Lampsacenus, „Phanias, Nicomachus Aristotelis filius, Demetrius Phalereus, Erasistratus „medicus, Dinarchus Lynceus, Hippolochus, Hieronymus, qui et ipsi no„men scriptis celebre reddiderunt. Tertia aetas numerari potest a Strato„nis discipulis vsque ad Andronicum Rhodium, per annos circiter CCXII, „qui interfuerunt a Stratonis obitu ad obitum Tyrannionis, a quo Aristo„telicos libros Andronicus accepit. Fuerunt autem hi, qui monumenta „aliqua eorum philosophiae reliquerunt vel suis vel aliorum libris, Lyco, „Aristo, Ptolomaeus Philadelphus, Critolaus, Diodorus, Agatarchides, „Clitomachus. Quarta post hanc aetas ab Andronico vsque ad Alexan„drum Aphrodiseum, quae fuit annorum circiter CCLVIII, a Tyrannio„nis aetate ad M. Antonini obitum, sub quo Alexander floruit, circa A. C. „CLXXXII. Horum annorum spatio floruerunt Andronicus, Soligenes, „Boëthus Sidonius, Aristo Cous, Eudorus, Xenarchus, Athenodorus, Ale„xander Aegeus, Cornutus, Sotion, Achaicus, Lucius, Apollonius, Adra„stus, Aspasius, Herminus, Aristocles, Nicostratus. Quintam statuamus „ab Alexandro vsque ad Porphyrium, quae fuit annorum circiter XC, „nam ab obitu Antonini (posteaquam obitus Alexandri ignoratur) vsque „ad mortem Plotini a qua Porphyrius florere coepit, quae fuit secundo „Claudii secundi imperatoris anno, intercurrerunt anni nonaginta. His „annis claruerunt ipse Alexander et Alexander alter Damascenus, et Eude„mus, Galenus, Ammonius Saccas, Ptolomaeus, Heliodorus, Anatolius, „Didymus. Post quos sexta aetate a Porphyrio ad Simplicium clari sunt „habiti in Graecia quidem, et Syria atque Aegypto Iamblichus eius audi„tor, Dexippus, Themistius, Plutarchus Nestorii, Olympiodorus se„nior, Syrianus, Maximus Byzantinus, et alter Ephesius, Aedesius, „Chry-

*) l. c. L. XI. p. 145.

Digitized by Google

„Chryſanthius, Soſipater, Euſtathius, Antoninus, Claudianus, Nym-
„phidianus, Priſcus, Euſebius, Epigonus, Beronicianus, Theodorus
„Aſinaeus, Proclus, Hermias, Ammonius, Damaſcius, Priſcianus Ly-
„dus, Philoponus, Simplicius, Aſclepius, et in Italia Boëthius. Simpli-
„cius videtur vsque ad Mauritii tempora vixiſſe, qui imperium coepit,
„anno CCLXXVI poſt renunciatum a Diocletiano imperium, vsque ad
„quem Porphyrius traditur vixiſſe. A quo Mauritio paucis annis philo-
„ſophiae ſtudia penitus in Graecia obmutuerunt, perdurauitque id ſilentium
„vsque ad Michaelis et Bardae tempora, qui fuerunt anni circiter CCC.
„Intra quos ſeptima aetate viguit philoſophia inter Arabas, per quos vs-
„que ad Auerroem peruenit, qui paucis poſt annis in Hiſpania vixit, qui-
„bus Pſellus Conſtantinopoli. Cuius vrbis philoſophi in octaua collo-
„cantur aetate, Latini vero in nona, vsque ad Io. Fabrum Stapulenſem,
„qui primus philoſophiam ex infinitis quaeſtionibus eximere conatus eſt.
„In quo decima coepit ad noſtra vsque tempora durans etc.“ Hactenus Pa-
tricius, cuius totam verborum ſeriem lectoris oculis ideo ſubiecimus,
quod vno quaſi intuitu totam Peripeteticae ſcholae ſeriem exponat, licet
paſſim ſint, quae in iis moneri debeant, quae tamen, cum ex hactenus
enarrata, eclecticae praeſertim ſectae, (quam totam ad Peripateticos is
retulit) hiſtoria facile animaduerti queant, hic omittimus. Hoc vero
omnino monendum eſt, nec primas tres claſſes, *tomo primo* expoſitas,
nec ſeptimam et ſequentes in *tomo tertio* et *quarto* enarrandas huc per-
tinere, qui huic quidem tomo, gentilem tantum philoſophiam et Iu-
daicam terminum ponimus. Reſtant vero claſſes tres, quas ad duas
commode reuocari contrahique poſſe non inepte quis exiſtimauerit,
quae diſtinctio modo Peripatetice philoſophandi peculiari ab vtraque
claſſe adhibito nititur. Nam ab Andronico ad Ammonium, Plutarchi
Chaeronenſis, vt ſupra dictum, praeceptorem, id eſt, vsque ad Neronis
tempora, peculiaris ſectae formam, et ſingularem ſibi philoſophandi ty-
pum Ariſtotelis ſeruauit ſchola, et a reliquis ſectis prorſus diſtincta fuit,
talisque etiam, in cathedra publica docens, habita eſt. Ab hoc vero
Ammonio, cum Sacca non confundendo, coepit a priſtina puritate Peripa-
tetica philoſophia deficere, et ſyncretiſmo philoſophico, quae peſtis tum
temporis totum fere philoſophicum orbem afflauerat, corrumpi, reuoca-
rique Antiochi methodus, qui Ariſtotelem cum Platone et Zenone in
concordiam ire coëgerat. Ab hoc tempore duplex potiſſimum philoſo-
phiae Peripateticae facies ſe philoſophantibus obtulit. Quidam enim vel
conciliationi ſyſtematum horum inter ſe diuerſorum, vel electioni etiam
diuerſorum ex iis placitorum toti ſe tradebant, quam viam Plutarchum et
Galenum praeter alios iniiſſe ſupra oſtendimus. Alii paulo preſſius Ari-
ſtotelem ſecuti, philoſophi γνησίως Peripatetici videri volebant, licet ſua
haud raro Ariſtoteli affingerent. Quam potiſſimum philoſophandi ſecun-
dum

dum Aristotelem rationem Alexander Aphrodiseus potissimum tenuit, eiusque postea schola diligenter secuta est, quibus postea Alexandreorum tanquam sectae peculiaris, nomen haesit, magnamque celebritatem nacta est. Quam haud parum adiuuit, distincta sub Antonino imperatore, philosophorum natio in Platonicam, Stoicam, Peripateticam et Epicuream sectam, quibus solis philosophiam publice docere ab imperatore cautum fuit. Quod cum multis litibus et dissensionibus portam aperuisset, et de mente Platonis, Aristotelis, atque Zenonis innumerae exsurgerent quaestiones, vt *sectione praecedente* Hieroclis testimonio probatum, paucis id quidem viris cordatis oculos aperuit, ad perspiciendam inter Platonis et Aristotelis philosophiam differentiam, quam singulari libro demonstrauisse Taurum Berytium *sectione tertia* docuimus. Alii vero pestilentissimo syncretismi sidere correpti, praecisis inutilibus quaestionibus concordiam inter Platonem et Aristotelem meditabantur, et vtrumque in foedus ire coactum ducem sibi eligebant. Id quod primum quidem Potamonem, condita eclectica secta, suscepisse, mox feliciore succesu Ammonium Saccam eiusque discipulum Plotinum instituisse, huncque totam Plotinianam scholam, auctoribus Porphyrio et Iamblicho ad Simplicium vsque, secutam fuisse in *antecedente sectione* fusa narratione exposuimus. Qui eclectici vel Platonici reformati, cum in physicis, et imprimis dialecticis, Aristotelem prae Platone sequendum quidem, ast hunc tamen illi conciliandum esse statuerent, mire quidem Aristotelis systema veramque opinionem peruerterunt, multum tamen diligentiae in eius operibus enucleandis posuerunt. Ex quo patet, quo consilio totam eclecticorum Platonicorum sectam huc Patricius retulerit. Distinguendi tamen ea in re hi philosophi sunt; alii enim et quidem potior sectae pars, Aristotelem cum Platone conciliare satagentes, Platonica eum loqui coëgerunt, vel vtriusque potius mentem peruerterunt; alii Platonem Aristoteli ita conciliarunt, vt huius potissimum consisteret auctoritas, qua in classe praeter Anatolium Alexandrinum Christianum, Themistius, Olympiodorus et Simplicius ponendi sunt, licet, quod ad dialectica attinet, tota Platonicorum Alexandrinorum schola Aristotelem fere expresserit, cum Plato non daret, quod in dialecticis satisfaceret. Post Simplicium vero Gothorum irruptione philosophia in Graecia deleta est, in Italia idem post Boëthium factum, donec caput tandem sub Barda iterum extolleret, et Peripatetica philosophia fugitiua inter Arabas asylum inueniret. De quibus suo loco ex instituto loquemur.

Philosophia Peripatetica quo fauore vsa?

§. III. Reflorescentem exspirante reipublicae Romanae libertate philosophiam Peripateticam non sine fauoris demonstratione recepere in tutelam Iulius Caesar et Augustus, ille Sosigeni, hic Nicolao Damascено addictissimus; ast deteriori fortuna sub illorum successoribus illa vsa est, adeo, vt Tiberio, Caligula Claudioque regnantibus Peripateticum, qui fa-

ma

ma notus esset, nullum sibi compertum esse fateatur PATRICIVS [1]. Id quod valde mirandum non est, cum nec aliae quoque sectae habeant, quos sub horum imperatorum imperio magnifice iactent, eo quod libidine, saeuitia, et tyrannide totam Romanorum rempublicam complentes imperatores, bonas artes tantum non omnes vrbe et orbe eiecerint, cum nec honos esset literis, nec securitas aut gratia vlla viris doctis, sed ii tantum principis fauore gauderent, qui aut instrumenta se praebebant saeuitiae, aut adulationibus corrupti vitiis heri thura adolebant, aut libidini noua excogitabant incitamenta, nouaque detestandae turpitudinis genera inueniebant. Id quod viros fortes bonosque, et quicunque recti honestique amorem conseruauerant vel in exilium abire, vel vim animi omnem tacito premere silentio coëgit, multos tyrannis e medio sustulit, qui ornamento erant philosophiae et bonis literis, vt supra de viris quibusdam magnis Stoicae familiae addictis ostensum. Qua de re cum extent, Suetonii, Dionis, Tacitique narrationes, in re nota plura afferre superuacaneum esse existimamus. Extulit tamen caput iterum, eque puluere emersit philosophia sub Nerone, sicque Peripatetica quoque secta nouum splendorem nacta est: id quod arcanis potissimum rationibus adscribendum est, quas secuta est mater Neronis Agrippina, Claudii imperatoris coniux. Ea enim cum Britannicum tollere, cui imperium iure destinabatur, cogitasset, filiumque Neronem summa rerum potiri vellet, populi plausum captans eo consilia admouit, vt optimi imperatoris spem ciuibus Romanis faceret: Quam vt cunctis certis quasi et indubitatis indiciis promitteret, praestantissimos praeceptores eius educationi adhibuit, Senecam ex exilio reuocauit et principi moderatorem iuuentutis constituit, aliosque etiam ex variis sectis praeceptores, a tanto philosopho delectos addidit. Inter quos cum praeter Chaeremonem Stoicum esset quoque Alexander Aegeus Peripateticus, vt infra demonstrabitur, paulisper Peripateticae sectae fortuna reflorescere coepit. Quae tamen vix quinquennio peracto terga dedit, et in pristinam infelicitatem philosophos detrusit, cum non tantum soli fere magicae artis professores et mathematici apud Neronem auctoritate quadam gauderent [2], sed et philosophi passim aut e medio tollerentur, aut eiicerentur in exilium: donec tandem sublato hoc monstro honos philosophiae sub sequentibus imperatoribus rediit, qui vero ad hanc periodum referri non possunt. Vix itaque quinque vel sex praestantioris famae Peripateticos intra integri seculi spatium offendimus, Sosigenem, Boëthum Sidonium, Nicolaum Damascenum, Xenarchum et Athenaeum Seleucienses et Alexandrum Aegeum, quorum vitae memorabilia porro enarrabimus.

§. IV. SOSIGENES Aegyptius et philosophiae et mathematicarum disciplinarum peritia singulari magnam sibi nominis celebritatem parauit. *Sosigenes.*

1) T. I. L. X. p. 137.

2) PLINIVS L. XXX. c. 1.

Digitized by Google

Vixit is temporibus Iulii Caeſaris, incertumque, ex cuius diſciplina prodierit. Quod enim PATRICIVS [l] coniicit, illuſtrem hunc mathematicum Andronici forte diſcipulum fuiſſe, rationibus probandum erat, quas plane nullas affert, niſi quod et alii Peripatetici e. g. Boëthus Sidonius, Ariſto Cous aliique eum praeceptorem nacti ſint. Id quod nulla concluſionis neceſſitate ad Soſigenem poſſe applicari, quilibet videt. Magnum praecipue nomen Soſigenes nactus eſt, quod, PLINIO teſte [m], eius potiſſimum conſilio Iulius Caeſar ad emendandos temporum errores, qui valde inualuerant, vſus eſt. Qui addit: *Caeſarem eo auctore a Chaldaeorum, Aegyptiorum Graecorumque computationibus recedentem, quartam ſectam conſtituiſſe, annos ad ſolis curſum redigentem ſingulos; Soſigenem vero ipſum trinis commentationibus, quamquam diligentior eſſet ceteris, non ceſſauiſſe tamen addubitare ſemet corrigendo.* Id quod, defectus Iuliani calendarii, quod vocant, cogitantes, non miramur, quos iam tum ſenſiſſe Soſigenem, licet veras rationes emendandi non deprehenderit, dubium non eſt [n]. Sed in philoſophia quoque Peripatetica valuiſſe Soſigenem, ex eo dubitari non poteſt, quod non tantum Peripateticus audit PROCLO, ſed teſte quoque SIMPLICIO commentarium ſcripſit in librum Ariſtotelis de coelo. Alii Soſigenes veteribus memorati philoſophi quia non fuere, haud facile cum aſtronomo commiſcebuntur.

Boëthus. §. V. BOETHVS Sidonius fuit, Andronici, teſte AMMONIO [o] diſcipulus, quem perperam eius praeceptorem facit MENAGIVS [p]. A magno hoc doctore genuinis Peripateticae diſciplinae praeceptis imbutus tanta nominis celebritate inclaruit, vt eum dignum iudicauerit STRABO [q], quem inter ſui temporis illuſtres referret philoſophos. Id quod ſcriptis quoque teſtatus eſt, tanta Peripateticae philoſophiae cognitione commendatis, vt non ſine ſingulari laude eorum meminerint The miſtius et Ammonius, Simplicius autem *θαυμασίᾳ* titulo et honore eum mactauerit [r], quo non maius apud Platonicos Alexandrinos laudum culmen fuiſſe ſupra iam obſeruatum eſt. Condiſcipulum in philoſophia habuit STRABONEM [s] fratremque Diodotum, quem vtrumque ideo inter Peripateticos viri docti connumerant [t], licet ſupra iam obſeruatum ſit,

l) l. c. T. I. L. X. p. 134.

m) L. XVIII. c. 25. conf. VOSSIVS de ſcient. mathem. c. XXXIII. §. 9. p. 161. GAVDENT. de phil. Rom. app. c. 10. p. 379. aliique qui hiſtoriam aſtronomiae delineauerunt.

n) Incertus nempe haereret, cui potiſſimum temporis momento affigendum eſſet anni initium, errore in primo termino admiſſo, de qua re vid. IOS. SCALIGER. de emend. temp. L. IV. p. 93. AEG. STRAVCH. Breuiar. chronol. c. 35. p. 973. DION. PETAVIVS doctrin. temp. L. IV. c. 1. L. X. c. 59. aliique chronologi paſſim.

o) In Categ. p. 8.

p) Ad LAERT. L. VI. ſ. 443. vbi Ammonii verba, quorum ſenſum verum iam vidit PATRICIVS l. c. L. X. p. 134. peruertit.

q) L. XVI. p. 757.

r) PATRICIVS l. c. p. 135.

s) l. c. vbi Boëthum vocat *συμφιλοσοφήσαντα τῷ Ἀριστοτέλει.*

t) PATRIC. l. c. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 899.

Digitized by Google

ſit, Strabonem, (quem male Stratonem vocat PATRICIVS [u]) Stoicos praetuliſſe Peripateticis, quamuis horum doctrinam didiciſſet. Ceterum Boëthus hic Sidonius, cum aliis huius nominis confundendus non eſt [v].

§. VI. NICOLAVS, Damaſco Syriae vrbe oriundus [w], vixit Auguſti imperatoris et Herodis regis tempore, et in Peripateticorum ſchola eruditionis multiuariae laude celebratus eſt, vt veteres vnanimi ore teſtantur. Non audiendus itaque eſt SVIDAS [x], qui eum *philoſophum aut Peripateticum aut Platonicum* nominat, licet concedi facile queat, Nicolaum, quem πολυιςωρίας laude celebrem fuiſſe, veterum teſtimoniis conſtat, Platonicae quoque philoſophiae notitia non caruiſſe. Aſt ſe huic ſectae adſcribi noluit, ſed Peripateticae, vnde εἰς ἐκ τῦ Περιπάτυ ATHENAEO [y] audit. Scripſit is *de vita et educatione ſua* librum, cuius tamen, quod dolemus, non niſi pauca fragmenta ſuperſunt edita ab eruditiſſimo viro HENRICO VALESIO [z]: ex eo vero ſua quoque hauſiſſe de Nicolao SVIDAM, inſtituta vtriusque collatio dubitare nos haud ſinit. Patrem habuit magnopere bonis artibus deditum [a], quibus et opes et famam ſibi parauerat: qui cum incredibili ſtudio in literas ferri videret filium, in omni eruditionis genere a puero eum inſtitui curauit. Qui cum ſumma diligentia in literas incumberet, et ingenio praeditus eſſet optimo, priusquam ex ephebis exceſſiſſet, ſingularem laudem inter

Nicolaus Damaſcenus.

u) l. c. p. 89. et paſſim, putat enim Strabonem alium eſſe ac Stratonem geographum, ſed corrupto Suidae loco decipitur. Verum enim geographiae auctorem eſſe Strabonem conſtat, vid. GAVDENT. l. c. IONS. de S. H. ph. L. II. c. 16. p. 201. FABRIC. Bibl. Graec. l. c. not. a. CASAVBON. praef. ad Strab.

v) Varii Boëthi in philoſophiae occurrunt hiſtoria, ſilentio hic non plane praetereundi. Nam praeter Boëthium Chriſtianum, conſulem Romanum, de quo tomo tertio diſſeremus, ad philoſophos Chriſtianos delati, inclaruit etiam Flauius Boëthus vir conſularis e Ptolomaide, ab Alexandro Damaſceno Peripateticis dogmatibus imbutus, magnusque huius ſectae fautor, teſte GALENO, cuius tempore vixit. Inter Platonicos quoque Boëthus quidam teſte PHOTIO Cod. CLIV. p. 172. Collectanea phraſium Platonicarum ſcripſit, id eſt, Lexicon Platonicum. Inter Stoicos Boëthum aliquem enumerat LAERT. L. VII. ſ. 143. qui in eo a Stoicis receſſit, quod mundum eſſe animal negauit, et quod, eodem ſ. 54. teſte, quatuor iudicandi criteria poſuit, intellectum, ſenſum, appetitum et prolepſin, conf. PHILO de mundo incorruptib. p. 737. qui eum inter illuſtres Stoicos refert. Conf. MENAG. ad l. c. Laërt. qui tamen praeter rem timidius hunc a Sidonio diſtinguit, cum ex l. c. Laërtii luculenter colligi queat, antiquiorem hunc Stoicum eſſe Boëtho Peripatetico, vt taceamus, vtrumque ſectae profeſſione clare ſatis diſtingui. Etiam inter Epicureos Boëthus quidam memoratur, geometriae cognitione clarus, qui ad Epicuri hortos tranſiit, teſte PLVTARCHO de Pyth. orac, T. III. p. m. 189. et in Qq. conuiu. conf. GASSEND. de vita Epic. L. II. c. 6. p. 74. IONSIVS l. c. L. III. c. 6. p. 239. FABRICIVS l. c. Vol. II. p. 809. audiendus itaque non eſt MENAGIVS l. c. qui ex eo Peripateticum exſculpit. Boëthii Tarſenſis, poëtae meminit STRABO L. XIV. p. 675. et medici eius nominis CELSVS L. V. c. 21.

w) ATHENAEVS L. VI. p. 549. PLVTARCHVS Symp. L. VIII. q. 4. T. III. p. m. 281. PHOTIVS Cod. 189. p. 242. SVIDAS in Nicol. T. II. p. 622. et ex recentioribus, praeter GAVDENTIVM, PATRICIVM, IONSIVM, FABRICIVM ll cc. VALESIVS ad Excerpta Peireſc. p. 414. ſeqq. VOSSIVS de Hiſt. Gr. L. II. c. 4. p. 177. GROTIVS ep. CCLXII. quae eſt ad Gallos CX. p. m. 249.

x) loc. cit.

y) loc. cit. z) loc. cit.

a) Parentem habuit Antipatrum, matrem Stratonicen, ambos cum ob modeſtiam, tum ob reliquam dignitatem celebres. Nam cum opibus eminerent, minime ideo efferebantur: cumque virtutis fama principem locum tenerent, id parui faciebant. Pater vero et eloquentiae laude, et boni ciuis, et iuſti magiſtratus, et legati prudentis, et religionis laude valde celebratus eſt. Excerpta Peireſc. l. c.

Digitized by Google

ciues consecutus est, atque inter aequales magnopere eminuit. Encyclopaediae autem eo tempore receptae viae insistens grammaticam primo atque poëticam didicit, ea felicitate, vt adolescens comoedias tragoediasque non sine ingenii diuini demonstratione magnaque cum laude conscriberet [b]. Postea cum et doctrina et eruditionis fama laetissima incrementa cepisset, ad rhetoricam et musicam ac mathematicas disciplinas atque vniuersam philosophiam animum applicuit [c]. Qua in re Aristotelem multa variaque doctrina illustrem sibi imitandum proposuit, quem maxime mirabatur, ac saepenumero dicere solebat, maximam se gratiam habere omnibus disciplinis, tum propter honestatem prorsus libero homine dignam, tum propter vtilitates, quas in hanc vitam intulerunt, tum denique propter oblectationem, qua et iuuentutem et senectam voice recreant. Etsi vero mira disciplinarum varietate et ad omnes vsus apta diuersitate mire capiebatur, ratus iis hominem liberalem ab illiberalibus artibus distingui; recte tamen statuit, eos qui humaniorum artium studia percurrunt, in quibusdam disciplinis breuius, in aliis immorari diutius oportere; et has quidem integras perdiscere, illas vero duntaxat delibare, ac collecta singularum vtilitate, ad philosophiam, tanquam per varia loca peregrinatos ac ad patriam ac lares reuersos, ibi considere. His prudentiae regulis instructus ad egregiam in philosophiae studiis eruditionem progressus in Peripatetica philosophia, licet alias quoque sectas haud negligeret, et imprimis Platonem magni faceret [d], valde eminuit. Cui doctrinae elegantiae cum et facies iucunda atque pulchra, moresque accederent suauissimi, vehementer ea res Nicolaum imperatori Augusto [e] commendauit [f]. Narrat enim PLVTARCHVS [ff]: *Augustum Peripateticum hunc philosophum singulari prosecutum fuisse amore, suauibus moribus hominem; gracili et procero corpore, facie plenum emicantis punicei ruboris, ideoque maximas et pulcherrimas palmulas nicolaos nominauisse, easque sic etiamnum dici.* Qui imperatoris amor, quo in viros doctos, praecipue philosophos, ferebatur, tantus fuit erga Nicolaum, vt in amicitiam quoque et familiaritatem eum, vt veteres testantur [g], reciperet, et munuscula, quae ad Caesarem mittebat, magnis muneribus penset [h], vnde Nicolaus opibus valde auctus est. Parem gratiam apud Herodem regem iniit, cuius non tantum conuictu et familiaritate gauisus est, sed et in philosophiae eum studiis erudiuit, et cum illo visendi

b) Σωτηρὶς laudatur EVSTATHIO ad Dionys. v. 976.

c) Haec SVIDAS l. c. sine dubio ex libro eius de vita sua.

d) Non enim alia ratio fuit, cur Platonicum dixerit SVIDAS l. c.

e) Valde fauisse Augustum viris doctis, praecipue philosophis, supra iam dictum, et exponit SVETONIVS in Aug. c. 79. Qua re licet parce magis vtendum esse commendauerit ei Maecenas teste DIONE L. LII. nihil tamen id obstitit viris vere doctis, quos ipse Maecenas sibi habuit commendatissimos.

f) SVIDAS l. c. Exc. Peiresc. l. 9. ATHENAEVS l. c. HESYCH. in Nic. et MEVRSIVS ad h. l. p. 168.

ff) l. c. ATHEN. l. c. SVIDAS l. c. placentas mellitas fuisse, dicit, quod illi de dactylis referunt.

g) Citati.

h) SVIDAS l. c.

Digitized by Google

fendi Caesaris causſa Romam nauigante, in eadem naue vectus atque cum eo philosophatus est. Postea intermisso philosophiae studio artem rhetoricam eum docuit, et historiam quoque ei tradidit, Herodis etiam rogatu vniuersalem historiam scribere aggressus [i]. Non parum vero gratiosum Nicolaum fecere mores philosopho non indigni et compositi, qui a doctrina eius non abhorrebant. Omnibus enim erat notissimum, quo animo pecunias contemneret, et quanta liberalitate eam impenderet, neque vsquam ius atque officium pecuniae causſa violaret. Sed nec voluptates adamasse videri queat, licet cum regibus atque principibus viris saepissime conuersatus. Namque natura erat austerior, et ab omni voluptate alienus, vt qui eiusmodi delectationibus obnoxios pro mancipiis duceret, frugalitatem vero ac tenuitatem summopere commendaret. Idem vbi magnificentia opus erat, liberalis erat imprimis, neque vllatenus parcus, ne sordidi atque illiberalis animi notam subiret. Iam vero in laboribus perferendis, sicubi opus erat, praecipua constantia et iuuenis et senex praeditus fuit, ac si quando periculum ingruerat ab hostibus aut latronibus, si morbi vis aut tempestas in mari aut aliud quod discrimen inciderat, erat ea animi fortitudine, vt reliquos, qui in eodem versabantur periculo, confirmaret. Porro in iustitia colenda adeo constans atque inconcussus fuit, vt nonnunquam iudex magistratuum minas contemserit, ne a iustitiae norma vel minimum discederet. Itaque cum omnibus comperta ac cognita esset eius aequitas, multi illum et iudicem et arbitrum deligebant. In contractibus vero atque huiuscemodi ciuilibus negotiis nemo vnquam, quantumuis improbus vir de illo, quippe homine aequissimo conquestus est, non enim aduersus eum testibus opus erat aut syngrapha, sed quicquid vel nudo pacto promisisset, id firmum ratumque erat. Ceterum modestia ac morum grauitas cum foris tum domi tanta nunquam in vllo homine fuit: opibus enim suis et gratia non ad malas artes, sed ad modestiam et comitatem est vsus: et nunquam alterius ciuitatis, quam patriae suae ciuem se appellare voluit. Qua imagine a veteri calamo [k] depicta philosophum delineari secundum Aristotelicam maxime virtutem perfectionem et felicitatem quaerentem, quilibet Peripateticae ethicae gnarus palpare potest; ast talem, qui moderate ista virtute ciuili vsus est. Quod etsi quibusdam displicebat, qui ei obiiciebant [l], quod cum magnam pecuniae vim ab amicis dono accepisset, eam tamen minime custodiret; quodque cum plebeiis hominibus vt plurimum versaretur, viros

i) Exc. Peiresc. l. c. Ex his patet, Herodem M. non inter philosophos quidem referendum esse, ast annumerandum tamen doctis purpuratis, magnisque eruditionis et philosophiae fautoribus. Eodem nempe loco habendus est, quo Augustus, ad cuius mores callidissimus rex se composuit. Quanta vero dexteritate Augusti gratiam Herodi reconciliauerit narrat Ioseph vs loc. cit.

k) Verba haec sunt ex libro de vita eius excerpta l. c. Ast eam in sententiam magnifice de se gloriatum esse Damascenum, hic ipse locus, laudata eius modestia, negat. Vnde coniicimus, quendam veterum ex hoc eius libro fecisse compendium ex quo excerpta nobis dedit Valesivs.

l) Ibid. p. 422.

viros autem primarios atque opulentiſſimos vrbis Romae declinaret, neque vnquam, tametſi a multis et maximae dignitatis viris rogatus, domos eorum adiret, ſed philoſophiae ſtudiis totos dies vacaret, non tamen mouit id philoſophum, qui pecuniae praecipuam partem in vſu conſiſtere regerebat, qui ad liberalitatem et modeſtiam adhibeatur, eumque virum optimum eſſe dicebat, qui opportune interdum oblatam, a quibus oportet, accipit largiturque ipſe, et liberis ſuis conſulit. Eundem vero cum modeſtiſſimis hominibus conuerſari velle, cuiusmodi plures in plebe, quam inter diuites illos reperiri, ad modeſtiam autem opibus inſtructo adhibendam, Deorum auxilio opus eſſe. Ex quibus haud obſcure perſpicitur, Nicolaum in id fuiſſe conniſum, vt philoſophiam et virtutis doctrinam vita exprimeret: quam vt famulis quoque imprimeret, maxime in iis erudiendis curam poſuit, quos ex quotidiana conſuetudine ad familiaritatem morum vitaeque ſuae formatos nihilo deteriores amicis ſuis expertus eſt [l]. Praeter vitae vero integritatem virtutemque eruditionis quoque praeſtantiſſimae poſſedit copias, quae, vt in vniuerſo diſciplinarum omnium campo ſe latiſſimae diffundebant, ita libros genuere veteribus ob doctrinae praeſtantiam laudatiſſimos. Inter quos eminuit *hiſtoria vniuerſalis*, Herodis hortatu ſcripta, opus arduum et non ſine maximo labore vndique collectum, et incredibili ſtudio abſolutum [m]: eius pars videtur fuiſſe hiſtoria Aſſyria PHOTIO [n] laudata. Tacendum tamen non eſt, quod IOSEPHVS [o] monet, fidem eius ſuſpectam valde fuiſſe in rebus Herodis M. Addi his debet *collectio paradoxorum morum*, quam Herodi inſcripſerat, teſte PHOTIO [p], qui eam valde laudat, ex qua fragmenta *de variarum gentium moribus* petita videntur, quae ſeruata a STOBAEO Ariſtotelis politicis ſolent adiici. Edidit etiam VALESIVS excerpta ex libris eius *de vita Auguſti*, niſi illi pars fuerint hiſtoriae vniuerſalis. Verum haec quidem ingenii eius elegantiſſimi monumenta ad hiſtoriam pertinent. Noſtras vero partes propius reſpiciunt opus eius *de philoſophia Ariſtotelis* SIMPLICIO [q] laudatum, liber item *de Diis*, *de philoſophia prima*, *paraphraſis in metaphyſica Ariſtotelis*, *libros de coelo*, *de anima* aliique, de quibus poſt PATRICIVM [r] videndus FABRICIVS [s]. Quibusdam liber *de mundo*, qui Ariſtoteli tribui ſolet, ab eo profectus viſus eſt: recte vero GAVDENTIVS

l) l. c. p. 425.

m) Ibid. p. 421. conf. de hoc opere libris CXLIV. conſtante (SVIDAS LXXX tantum numerat) VOSSIVS, IONSIVS, FABRICIVS ll. cc. VALESIVS ad l. c. p. 63. GROTIVS Epiſt. ad Gallos CX. p. m. 249. vbi ſollicite congeſſit omnia, quae de Nicolao apud veteres exſtant. Is obſeruat etiam ita graece ſcribere Nicolaum, vt tamen aliquid peregrini immiſceat. Multa ex hoc opere Nicolai paſſim excerpſit SVIDAS.

n) Cod. CLXXXIX. p 242.

o) Antiq. Iudaic. L. XVI. c. 11. p. 575. conf. VOSSIVS l. c. GROTIVS l. c. p. 853. Scilicet ea tacebat de Octauiano et Herode Nicolaus, quae culpari poterant, quae aliquid laudis recipiebant, ea liberaliſſime praedicabat, et vltra hiſtoriae morem. Id tamen ſibi temperauit, vt nihil diceret, quod rebus cognitis repugnaret, aut perſonae temporibusque diſcongrueret.

p) loc. cit.

q) In L. II. de coelo comm. 12.

r) l. c. L. X. p. 136. s) l. c. p. 307.

Digitized by Google

TIVS *f* monet, id verisimile non esse. Suo enim loco *tomo primo* demonstratum est, librum illum totum Stoicis praeceptis scatere, eorumque referre physiologiam, quam secutum fuisse Nicolaum, demonstrari non potest. Ceterum a multis Nicolais *ff*, qui veteribus memorantur, Peripateticus philosophus adiecto patriae nomine distinguitur.

§. VII. Peripateticae porro sectae circa ea tempora, quibus Romana respublica in monarchiam degenerauit, Seleucia dedit duos doctores XENARCHVM et ATHENAEVM, cuius vtriusque notitiam nobis fecit STRABO *t*, qui Xenarcho praeceptore vsus est. Is in patria primum docuit, cuius cum nimis ei viderentur angusti limites, Alexandriam et Athenas commigrauit, tandemque Romam concessit, ibique in Arii notitiam venit, qui cum magna apud Augustum gratia floreret, Xenarchum Caesari commendauit, eiusque illi parauit amicitiam, qua tanta gauisus est, vt magna apud eum auctoritate valeret, et ad senectutem vsque in honore haberetur. Paulo ante obitum visu orbatus morbo vitam consummauit. Ex qua Augusti amicitia colligi potest, moribus fuisse Xenarchum commendatissimis, nec inter eos numeratum fuisse philosophos, quos, tanquam seditiosos, missos faciendos esse imperatori Maecenas suasit. Quamuis autem Xenarchus Aristotelem sequeretur, libertatem tamen seruauit philosophicam, multasque contra eum dubitationes adduxit: inter quas imprimis fuere, quas contra essentiam quintam Aristoteli obiecit, quam negasse testantur SIMPLICIVS *u*, et IVLIANVS imperator *v*. Athenaeus, (cum scriptore deipnosophisticorum non confundendus *w*) in republica versatus aliquamdiu in patria populum duxit, postea contracta cum Muraena amicitia et cum illo fugiens captus est, cum insidiae contra Caesarem Augustum essent deprehensae: sed cum insons esset inuentus, a Caesare dimissus est, rediensque Romam, multisque salutantibus et interrogantibus, se ex inferorum tenebris rediisse respondit. Breue tamen tempus superuixit, ruina domus vbi habitabat, *Xenarchus et Athenaeus.*

f) De philos. Romana c. 47. p. 206.

ff) Enumerat eos FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. X. p. 292. seqq. Plerique recentioris aetatis Graeci sunt et exiguae famae, praeter Nicolaum Alexandrinum, Myrepsum dictum, opere de medicamentorum compositione inclytum.

t) L. XIV. p. 640. seq.

u) De coelo L. I.

v) Or. de matre Deûm, conf. PATRICIVS l. c. T. I. L. X. p. 136. GAVDENT. de phil. Rom. c. LXIX. p. 209.

w) A patria is Naucratita audit, vt ab aliis Athenaeis distinguatur, seriusque Seleucienſi, nempe sub Antonino vixit, si SVIDAE in Athenaeus, T. I. p. 71. fides est, licet, ex Deipnosophisticis, quae nobis reliquit, aliud colligi non queat, quam hoc, vixisse post Commodum. Vid. VOSSIVS de hist. graec. L. II. c. 15. p. 231. Medicum fuisse putat GAVDENTIVS de philosoph Roman. c. LXIX. p. 209. non dissentiente Cl. CLERICO Hist. medic. P. III. c. 9. p. 763. sed falluntur viri docti, qui id ex eo colligunt, quod medicos colloquentes introducit. Erat enim, recte monente SVIDA, l. c. grammaticus et criticus, qualem liber ipsius exhiber, sed talis, qui in omni eruditionis genere probe erat versatus, vnde multa collegit, quae in disciplinarum, praecipue autem philosophiae historia plurimum iuuant, licet iniquiorem se interdum philosophis ostendisse aliquot Tomo primo exemplis ostensum sit. Plura de eo dabunt editor Deipnosoph. Is. CASAVBONVS et FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 630. seqq.

Digitized by Google

bat, per noctem oppreſſus. Diſtinguendus hic Athenaeus ab aliis eſt eiusdem nominis [x].

Alexander Aegaeus.

§. VIII. Non minori nominis fama inter Peripateticos hac temporum periodo eminuit ALEXANDER AEGAEVS [y]. Praeceptore Soſigene vſum fuiſſe ſe, ipſe fatetur, cuius octauum librum de viſu allegat. Hunc Soſigenem illuſtrem illum mathematicum fuiſſe, qui Iulii Caeſaris aetate temporum rationes emendauit, iudicarunt acutiſſimi viri FR. PATRICIVS [z], et I. ALB. FABRICIVS [a]. Rationem ille hanc affert, in *commentario* Alexandri *in libros meteorologicos Ariſtotelis* [b] prouocare auctorem ad Soſigenem praeceptorem ſuum. Non autem circa haec tempora occurrere Alexandros alios, qui in Ariſtotelem ſcripſere, praeter Aegaeum et Aphrodiſienſem: aſt huius aetatem non ferre, vt Soſigenes praeceptor eius dicatur; illius autem qui ſub Nerone vixerit. Sed iam PAGAN. GAVDENTIVS [c] animaduertit, minus accurate hac in re verſari Patricium: Soſigenem enim hunc alium fuiſſe ac mathematicum, potuiſſe enim plures eſſe Soſigenes, nec credibile eſſe, Alexandrum Aegaeum illuſtris huius mathematici inſtitutione fuiſſe gauiſum, eo quod inde ſequeretur, Alexandrum hunc iam ſub Auguſto floruiſſe, et perduraſſe vsque ad tempora Neronis, in quo deſiit Caeſarea ſucceſſio, adeoque fere centenarium Neronis inſtitutioni fuiſſe praefectum. Alium itaque hunc Soſigenem fuiſſe, etiam hunc Peripateticum, cuius meminit DEXIPPVS [d], eumque illa ſcripſiſſe, quae dicantur: hincque colligit commentarii illius in meteorologicos Ariſtotelis libros auctorem eſſe poſſe Alexandrum Aphrodiſaeum, qui ſub Antonino Caracalla vixit. Secutus eſt hanc inter Soſigenem antiquiorem et iuniorem diſtinctionem, huncque inter praeceptores Alexandri Aphrodiſaei retulit FABRICIVS [e], licet ſupra locum de ſeniore Soſigene intellexerit. Nos hic diſtincte verſandum eſſe putamus; et hoc quidem dubio carere exiſtimamus, verba haec de Soſigene mathematico intelligi non poſſe; tempus enim ſeculi fere integri inter aetatem Soſigenis et Alexandri Aegaei intercedit. Neque tamen in eam nos deſcendere debere opinionem iudicamus, intelligendum eſſe illum locum de Alexandro Aphrodiſienſi, eiusque calamo exaratos iſtos commentarios fuiſſe, dicendum eſſe. His enim recte opponitur erudita Patricii obſeruatio, methodum commentandi in Ariſtotelem in eo adhibitam prodere tempus, Aphrodiſaeo antiquius: Simplici enim et antiquiori methodo eſſe ſcriptum, ſine vllis quaeſtionibus aut praxibus, aut theoriis, qualem fuiſſe antiquiorum Peripateticorum morem exponendi Ariſtotelis, ex Aſpaſii commentariis in ethicos appareat: de qua etiam metho-

x) Enumerat eos IDELER l. c. inter eos Stoicus quoque eſt, PORPHYRIO in vita Plotini memoratus a Peripatetico probe diſtinguendus.
y) SVIDAS in Alex. Aegaeus T. I. p. 105.
z) Diſc. Perip. T. I. L. III. p. 35.
a) Bibl. Graec. Vol. II. p. 873.
b) c. 3.
c) De philoſ. Rom. app. c. 18. p. 388.
d) In categor. c. 3.
e) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 63.

Digitized by Google

methodo alibi fusius egit PATRICIVS *f*. Omnium itaque rectissime Alexandro Aegaeo hi quidem commentarii tribuuntur; ast Sosigenem habuisse praeceptorem, statuitur, a seniore diuersum et sub Caligula vel Claudio florentem. Ita enim cuncta sibi constant, et admitti potest SVIDAE narratio, tradentis, Alexandrum Aegaeum fuisse praeceptorem Neronis cum Chaeremone Stoico. Nec his obstant, quae apud SVETONIVM *g* leguntur: Neronem liberales disciplinas omnes puerum attigisse, sed a philosophia eum matrem auertisse. Hoc enim vel ad ea tempora referendum, quibus priuatus vixit, vel illo tempore factum esse statuendum, quo a recta via malis matris artibus deflexit. Initio enim suscepti imperii, vt spem optimi imperatoris faceret, philosophos ei addidisse Agrippinam, vel solum Senecae exemplum probat, qui ei moderando praefectus fuit. Incurrisse vero Alexandrum multorum obtrectationem, quasi mali discipuli peior magister extiterit, eo quod virtus doceri possit, ex SVIDA *h* colligitur. In quo falsum fuisse Suidam recte monuit GAVDENTIVS *i*, cum optimorum magistrorum discipulos degenerare posse, Caligulae et Commodi exemplo constet, nec ita virtus doceri possit, vt animus natura malus solis doctrinae praeceptis vel emendetur vel eiiciatur. Ceterum de commentariis in Aristotelem huic Alexandro tribuendis anceps disputatio est, cum non tantum Aphrodisiensis magna nominis claritate inter Peripateticos vixerit, sed et alius Alexander Peripateticus vtroque iunior in Aristotelem scripserit *k*. Quam tamen disputationem dirimere tentat PATRICIVS, cuius ea de re rationes apud ipsum legendae sunt.

Syncretismus Peripateticorum.

§. IX. Hactenus a pestilenti syncretismi malo immunem se seruauerat schola Peripatetica, ast a Neronis tempore communi philosophantium fato tanquam torrente quodam correpta contra quidem niti ausa est, ast non potuit tota eam sortem euadere. Etsi enim erant aliqui, qui pressius Aristotelem sequi conabantur, id quod in Alexandrea schola factum esse in sequentibus docebimus: potior tamen pars Aristotelem aliis sectarum placitis affinem factum coluit, et in concordiam cum iis coire iussit, quibuscum implacabile hactenus bellum gesserat. Quem syncretismum incepisse ab Ammonio Plutarchi praeceptore, et in schola Alexandrina tandem in neruum erupisse, supra iam diximus. Hac itaque ratione ad historiam sectae Peripateticae a Neronis aetate attendendum est, vt, quo modo quoue consilio vel ad Platonem vel ad Zenonem Aristotelis quoque sectatores respexerint, simul cognoscatur.

f) L. XI. p. 145. seqq.
g) In Nerone c. 52.
h) loc. cit.
i) l. c. c. LX. p. 230.
k) Plures Alexandros celebres nominat SVIDAS l. c. ex recentioribus IONSIVS de Scr. hist. phil. L. II. c. 16. p. 198. FABRICIVS l. c. Vol. II. p. 232. Vol. X. p. 473. Quae homonymia quoque causa est, cur definiri nequeat, cuius Alexandri commentarii lecti sint in schola Plotini, teste PORPHYR. c. 14. vitae Plotin.

Digitized by Google

Ammonius.

§. X. Syncretiſtici itaque Peripateticiſmi initia ab hoc AMMONIO merito repetimus, ante quem non occurrit, qui hunc morbum, late iam tunc in orbe philoſophico regnantem in Lyceum introduxerit. Diximus iam ſupra de hoc philoſopho Alexandriam patriam habente inter praeceptores Plutarchi, cui notitiam eius fere omnem debemus, cuiusque librum, quem: *Ammonius*, inſcripſit, merito deſideramus. Teſte enim EVNAPIO [l] *magnus ille et diuinus Plutarchus, cum ſuam tum praeceptoris ſui vitam ſparſim libris inſeruit, non praeterita ſilentio Ammonii morte, quem Athenis vitam finiuiſſe ſcribit.* Aſt haec omnia, praeter pauca quaedam, quae ex eius ſcriptis collegit RVALDVS [m] interciderunt, vnde mirum non eſt, valde mancam iuſtoque breuiorem eſſe doctiſſimi philoſophi hiſtoriam. Id quod occaſionem dediſſe videtur confundendi hunc Ammonium non tantum cum ciue eius Ammonio Sacca, ſectae eclecticae conditore, vt ſupra obſeruatum, ſed et cum Ammonio alio, grammatico. Id quod PATRICIO accidit [n], viro alias ſatis accurato, qui contendit, SVIDAE [o] auctoritate vſus, praeceptorem hunc Plutarchi Chaeronei, coepiſſe in ſchola Ariſtarchi docere, priusquam Auguſtus monarchiam inuaderet. Id quod excidiſſe viro docto merito miramur, quem latere non potuit, Plutarchum hunc Ammonium ſub Neronis imperio audiuiſſe. Quod vt indubitato PLVTARCHI [p] teſtimonio conſtat, ita, non potuiſſe ante conditam Romanam monarchiam in ſchola Ariſtarchi docere Ammonium hunc, tempus euincit integri ſeculi, quod ab iſto tempore ad Neronem effluxit. Nec iuuat Patricium Suidas, in cuius vitioſos codices is inciderat. In antiquis enim editionibus vno eodemque articulo: *Ammonius Saccas*, de duobus Ammoniis omiſſis vocibus quibusdam, quaſi de vno, differitur, quod cum legerent viri docti, WOLFIVS, PORTVS et PATRICIVS, non potuerunt non ad hunc lapidem offendere, et in varios errores incidere. Et vidit quidem Patricius, Ammonium Saccam, quem a Chriſtianis ad gentiles tranſiiſſe Suidas refert, ab hoc Ammonio diuerſum eſſe, cum autem alius Ammonius non occurreret, quam Plutarchi praeceptor, hunc eſſe intelligendum ratus eſt, alia ſine dubio decreturus, ſi Plutarchi aetatem cogitaſſet. Suboluit hoc Suidae mendum IONSIO [q] et, qui eum ſecutus eſt, P. BAYLIO [r]; tandem elegantiſſimus Suidae editor LVDOLPH. KVSTERVS [s] melioribus codicibus vſus, oſtendit, deeſſe nouo articulo, vocem: *Ammonius, Ammonii filius*, adeoque hunc Alexandri diſcipulum ante Auguſti tempora in Ariſtarchi ſchola, non philoſophiam, ſed grammaticam docentem non a Sacca tantum, verum etiam a Plutarchi praeceptore eſſe diſtinguendum: id quod iure quoque recepit FABRI-

l) In prooem. vit. Sophiſt. p. 5.
m) In vita Plutarchi c. 7. conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 274. Vol. III. p. 330. Vol. IV. p. 172.
n) l. c. p. 139.
o) In Ammonius T. I. p. 143.
p) De εἰ Delphis inſcripto.
q) De S. H. P. L. II. c. 11. p. 169.
r) Dict. T. I. art. Ammonius p. 188.
s) Ad h. l. n. 18.

Digitized by Google

BRICIVS [f]. Sed vt ad Ammonium reuertamur, docuit is, vt PLVTARCHI [g] teſtimonio conſtat, Athenis et in hac quoque Muſarum ſede vitam cum morte commutauit, Nerone adhuc regnante. Philoſophiam eum ſecutum fuiſſe Peripateticam, ſed Platonicae, quam etiam deperibat, admixtam et accommodatam, et Zenonis placitis attemperatam, ex Plutarcho quoque conſtat, qui et ipſe hanc philoſophandi rationem a magiſtro edoctus eſt et ſtudioſe excoluit. Quod luculentius conſtaret, ſi, quae de virtute philoſophatus eſt, et in quibus Ariſtotelem expreſſit, hodie ſupereſſent. Ab eo autem, non ſine veriſimilitudine iudicat PATRICIVS [h], mixtam quandam philoſophiam coepiſſe, vt eo poſteriores philoſophorum plerique et Pythagorici et Peripatetici et Stoici eſſe voluerint. Recte tamen et cum grano ſalis hoc accipiendum, nec ita intelligendum eſt, ac ſi Ammonius hic primus ſyncretiſmi philoſophici auctor fuerit, nam ſuo iam loco indubitatis teſtimoniis confecimus, ſyncretiſmum hunc non tantum in Aegypto ante natum Saluatorem iam obtinuiſſe, ſed in Platonica quoque ſchola eum introduxiſſe Antiochum Aſcalonitam, quintae Academiae auctorem, moremque hunc ab eo tempore inter Platonicos fere omnes obtinuiſſe. Primus itaque ſyncretiſmi auctor Ammonius inter Peripateticos conſtituendus eſt, nec aliter, dicendum, poſteriores eum philoſophos ſecutos eſſe, niſi quatenus Peripatetica et Platonica ſchola in eclectica tandem, vt ſupra oſtenſum, coaluit. Inualuiſſe tamen circa haec tempora diſputationem de concordia Ariſtotelis cum Platone, Tauri Berytii negantis, et Attici affirmantis ſcripta ſatis euincunt: quam genuiſſe tandem Ammonii Saccae ſectam henoticam ſupra Hieroclis teſtimonio demonſtrauimus. Fuere et alii Ammonii inter Peripateticos celebres, Ammonium enim Hermeae filium commentationibus de Ariſtotele bene meruiſſe, *ſectione antecedente* diximus: meminitque alterius Ammonii inter celeberrimos ſui temporis quos vidit et conuenit, Peripateticos Longinus [i]; quem Peripateticum quoque fuiſſe, et eruditione alios fere omnes ſua aetate ſuperaſſe teſtatur PHILOSTRATVS [k]. Quem licet cum Ammonio Sacca eundem eſſe putet H. VALESIVS [l], ipſa tamen verborum Longini ſeries prodit, Peripateticum hunc Ammonium ab eclectico eſſe diſtinguendum. Id quod agnouerunt etiam P. BAYLE [m] et N. TILLEMONTIVS [n].

§. XI. Effecit mixtum hoc philoſophiae genus, vt Ariſtotelis auctoritas latius paſſim ſerperet, et inter alias etiam ſectas ſibi partes acquireret. Nam ab hoc maxime tempore euenit, vt Ariſtoteles etiam a Platonicis, *Peripatetici Syncretiſtae.*

f) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 171.
g) loc. cit.
h) loc. cit.
i) Apud PORPHYR. in vita Plotini c. 20. n. 6. p. 159.
k) De vit. Sophiſt. L. II. c. 27. §. 4.
l) Ad AMM. MARCELL. L. XXII.
m) Dict. T. I. art. Ammonius Sacca not. H. p. 190.
n) Memoir. pour ſervir a l'hiſt. eccleſ. T. III. P II. p. 391. conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. IV. p. 172.

Digitized by Google

maiori, quam antea, ſtudio coleretur. Cuius rei exemplum eſſe poſſunt Platonici ſecundi poſt C. N. ſeculi celeberrimi, Taurus Berytius, qui aeternitatem mundi Ariſtotelicam illuſtrauit, Atticus Platonicus, qui non indiligentem in cognoſcendis et examinandis Ariſtotelis dogmatibus operam poſuit, Demetrius Alexandrinus, Fauorini ſectator, LAERTIO [d] et GALENO [e] memoratus, cui locum inter commentatores Ariſtotelis tribuit AMMONIVS HERMEAE [f]. Sed et Fauorinum non neglexiſſe Ariſtotelem, GELLIVS auctor eſt [g]. Addi his poſſet Sotion, auctor cornucopiae aliique, niſi in antecedentibus paſſim ad hanc rem iam intendiſſemus digitum. Eminuere tamen in Peripatetica ſchola, licet alienis dogmatibus adulterata, Alexander Damaſcenus, Eudemus et Galenus, qui cum eodem tempore vna viuerent, fauore maximo et patrocinio inſigni Flauii Boëthi viri conſularis [h], cuius ſupra iam facta mentio, gauiſi ſunt. Et de Galeno quidem ſupra *ſectione tertia* prolixe actum, obſeruatumque, nec Peripatetica eum contemſiſſe, ſed in varios Ariſtotelis libros [i] ſcripſiſſe commentarios. Theophraſti etiam et Eudemi libros et placita illuſtraſſe, quartamque ſyllogiſmi formam dialecticae Peripateticae adieciſſe. Eudemus autem, (qui cum Ariſtotelis diſcipulo confundendus non eſt) ex Alexandri Damaſceni diſciplina prodiit, et GALENO teſte [k], eius demonſtrationibus anatomicis interfuit. Maior his nominis claritate Alexander a patria Damaſcenus cognominatus, Platonicam quidem philoſophiam probe calluit, Ariſtotelicae tamen, GALENO narrante [l], magis adhaeſit, quam Athenis quoque publice docuit [m], Boëthumque etiam, cum adhuc Romae eſſet, in hac philoſophia diſcipulum habuit. Paulo antiquiorem Alexandro fuiſſe Aſpaſium oportet, ait enim GALENVS [n], ſe ex Aſpaſii diſcipulis aliquem audiuiſſe, vnde concluditur, ante Antoninorum aetatem qua Galenus floruit, eum vixiſſe. Laudatum vero inter Ariſtotelis commentatores fuiſſe, Boëthius, Simplicius aliique ad eum prouocantes teſtantur, et ex fragmentis hodie extantibus [o] conſtat. Quod ſi PATRICII [p] coniectura ſequenda, ipſe Galenus iuuenis Aſpaſium ſenem audiuit, vnde Alexandri forte Aegaei diſcipulum fuiſſe putat. Plotinus autem inter ſelectos Peripateticae diſciplinae auctores hunc diſcipulis explicuit [q]. Eiusdem plane generis fuit Herminus, Demona-

d) L. V. f. 84.
e) De praecogn. c. 5.
f) Comm. in Ariſt. init.
g) conf. PATRICIVS l. c. p. 137.
h) Saepe eius meminit Galenus; qui eum in anatomicis, vt Alexander Damaſcenus in Peripateticis diſcipulum habuit. Conf. GAVDENT. phil. Rom. c. CIV. p. 337.
i) In libros de interpretatione, priora analytica, de categoriis, de demonſtratione, de ſophiſmatibus, vid. de libris propriis T. IV. p. 568. PATRIC. p. 128. FABRIC. Vol. II. p. 302.
k) De praecognit. T. III. p. 452. conf. IONSIVS de S. H. P. L. I. c. 15. p. 83. 84. GAVDENT. l. c.
l) l. c. p. 455.
m) IDEM de adminiſtr. anat. T. I. p. 129.
n) De cogn. morb.
o) Inter Comm. Graecorum in Nicomachea, Helmſtadii 1662. 4. edita.
p) l. c. p. 137.
q) PORPHYR. vit. Plot. p. 116. De aliis Aſpaſiis videndus SVIDAS T. I. p. 356. et FABRIC. Bibl. Gr. Vol. IV. p. 479.

Digitized by Google

monacti coaeuus, vt eſt apud LVCIANVM [r], quem Peripateticae philoſophiae addictum fuiſſe, ex commentariis in Ariſtotelem, ad quos Graeci commentatores, imprimis Boëthius ſaepius prouocant, diſcimus, et vel ſolus Alexander Aphrodiſaeus probat, qui ex eius diſciplina prodiit [s]. Aſt nec Platonicae philoſophiae ignarus fuit, citaturque a PROCLO in *Timaeum*, ex quo PATRICIVS [t] iudicat, eum illum quoque librum explanaſſe. Vitam vero egiſſe philoſopho non ſatis dignam ex Demonactis acerbo, quo Herminum petiit, dicterio iudicari poteſt [u]. Etenim cum non ignoraret, illum extreme malum eſſe, innumeraque flagitia perpetrare, Ariſtotelem vero eiusque decem categorias, ſemper in ore habere, ſane vero, inquit, Hermine decem categoriis te haudquaquam indignum eſſe opinor.

§. XII. Etſi vero ſyncretiſtico correpti ſtudio Peripateticorum haud pauci ab Ariſtotele receſſerunt, inuenti tamen ſunt alii, qui ab eo diſcedere ſibi religioni duxere, et genuina magis ratione ſecundum eius opiniones philoſophari conati ſunt. In horum numero Adraſtus fuit Aphrodiſaeae Cariae oppido oriundus; quem mathematicae quidem ſcientiae liberque de natura harmonices [x], Theoni Smyrnaeo et Porphyrio memoratus clarum fecere, qui vero ſcriptis quoque de Peripatetica philoſophia libris [y] meruit, vt inter genuinos Peripateticos numeraretur [z]. Magnam vero eius famam fuiſſe, inde colligi poteſt, quod inter praeſtantiores Peripateticos, quorum libros diſcipulis ſuis explicuit, Adraſtum quoque numerauerit Plotinus [a]. Etiam Ariſtoclis circa haec tempora inter Peripateticos puriores nomen aliquod fuit, hominis Meſſenii [b], qui non tantum de Ariſtotelis libris et philoſophia editis commentariis meruit [c]; ſed et philoſophiae hiſtoriam ſingulari ſcripto excoluit [d], ex quo non contemnenda fragmenta nobis ſeruauit EVSEBIVS [e]. Huius diſcipulus cum SIMPLCIO [f] et CYRILLO [g] teſtibus fuerit Alexander Aphrodiſaeus [h], facile

Peripatetici genuini.

r) In Demonacte T. II. p. m. 583.
s) SIMPLIC. in L. II. de coelo, comm. 12.
t) loc. cit.
u) LVCIANVS l. c.
x) In bibliothecis adhuc MSc. extare dicitur, vid. VOSSIVS de nat. Log. p. 61. de scient. math. c. LIX. §. 14. p. 345. vbi vero hic Adraſtus cum alio ſeniore, Peripatetico philoſopho, qui teſte STEPHANO in Philippis, Ariſtotelis diſcipulus fuit, confunditur, FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 272.
y) In Categorias ſcripſiſſe, teſtatur GALENVS de libris propriis, itemque de ordine librorum Ariſtotelis eiusque philoſophia, SIMPLICIVS, conf. FABRIC. l. c.
z) SIMPLIC. in Categorias.
a) PORPHYR. vit. Plotini c. 14. p. 116.
b) SVIDAS in Ariſtocles T. I. p. 126. Ariſtocles plures enumerant MEVRSIVS ad Ariſtoxen. p. 145. IONSIVS de S. H. P. L. IV. p. 530. FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. VII. p. 58. Inter eos alius quoque fuit Peripateticus, Pergamenus, qui ex philoſophorum ſchola ad rhetores tranſiit, et inter illos quidem vili modeſtoque veſtitu vſus eſt, inter hos vero ſuperbas veſtes induit, Herodemque Atticum praeceptorem nactus, magnam ſibi in patria auctoritatem eloquentia ſua conciliauit, vid. SYNES. in Dione, PHILOSTRAT. vit. Sophiſt. L. II. n. 3 / p. 567. ſeqq. MEVRSIVS de fortuna Att. c. 8. p. 71. qui male tamen ex hoc exemplo infert, philoſophiae ſtudia praemiſſa ſemper fuiſſe eloquentiae: contrarium enim aliquot hactenus exemplis vidimus.
c) Conf. PATRIC. l. c. p. 158. FABRIC. l. c. p. 281. d) loc. cit.
e) Praep. L. XIV. XV. conf. IONSIVS l. c. p. 330.
f) De coelo L. I. comm. 35.
g) Adu. Iulian. L. II.
h) Non audiendus itaque IONSIVS, qui l. c. dubitat,

facile ex discipulo de praeceptoris in Aristotelica philosophia eruditione iudicium fieri potest.

Alexander Aphrodisaeus

§. XIII. In Cariae vrbe Aphrodisiade natum esse hunc ALEXANDRVM Peripateticae post C N. scholae fere principem et singulare decus ex vnanimi veterum testimonio constat [i]. Quod patronymicon nomen ab aliis Alexandris eum distinguit. Herminum et Aristoclem Messenium in Peripateticae philosophiae decretis addiscendis habuisse praeceptores, in antecedentibus demonstrauimus, vbi etiam Sosigenem quendam iuniorem inter eius doctores referendum esse monuimus, si commentarius in meteorologicos Aristotelis libros huic magis Aphrodisiensi, quam Aegaeo Alexandro, vt vult Patricius, tribuendus est, de quo nihil certi dici posse eo loco monuimus. His praeceptoribus vsus, tanta felicitate in sensus Aristotelis obscuros penetrauit, vt sua aetas non haberet, quem accurata philosophiae Peripateticae cognitione illi praeponeret. Maxime vero in hac schola commendauit Alexandrum, quod neglecto, qui in ea, Ammonio duce inualuerat, syncretismo, qui peregrina systemati Peripatetico dogmata affricuit, pressius et ad genuinam Aristotelis mentem sibi philosophandum esse statuit, eo quod veriorem, vt ipse fatetur [k], illius esse sententiam putaret. Qua ratione Peripateticam philosophiam puriorem valde adiuuit et genuinum eius restaurauit studium. Qua diligentia et accuratione meruit, vt non tantum explanatores Aristotelis eo posteriores fere omnes illum sequerentur, et non Graeci tantum, sed Latini quoque et Arabes ad eum tanquam verissimum mentis Aristotelis interpretem respicerent, sed et sensu eminentiori vocaretur ἐξηγητὴς, commentator, id est, interprete PATRICIO [l], *seu quod omnes Aristotelis libros exposuerit, seu quod excellentissime, seu quod vtrumque.* Sed non solis Peripateticis tantum haec accuratio commendauit Alexandrum, verum apud Platonicos quoque magna eum auctoritate gauisum esse, ex eo constat, quod in schola Plotini eius commentarios lectos esse testatur PORPHYRIVS [m]. Nec defuerunt inter sectatores philosophiae Peripateticae, qui, cum de obscuro saepe sensu Aristotelis disceptaretur, Alexandrum vnum audiendum esse contenderent; negligendosque alios dicerent, qui aliena dogmata Peripateticis infarciendo, veram Aristotelis mentem peruerterent. Et hi quidem Alexandrei dicti sunt. Quos vsque ad suam aetatem perduraſſe ait IVLIVS CAESAR SCALIGER [n], valde indignatus cum stomacho *insciti pertinaciae deliramentis eorum, qui se Alexandri sectatores esse malunt, quam principis veritatis, negando, ἐντελέχειαν nobis claram animae definitionem non suppeditare.* Qua in re tamen laudem forte magis

i) Inscriptiones librorum eius, SVIDAS in Alex. T. I. p. 105. et veteres plerique.
k) Praef. L. I. de anima.
l) l. c. p. 138.
m) In vita Plotini c. 14. p. 116. conf. VOSSIVS de sectis c. XVII. §. 16.
n) De subtil. adu. Cardan. Ex. CCCVII. f. 12. p. m. 939.

Digitized by Google

gis quam vituperationem meruit Alexandri schola: verum de ea videant philosophi. Fecit haec Peripateticae philosophiae cognitio, vt publico docendi Aristotelicam philosophiam muneri, non Romae quidem, (imperatores enim sibi praesenti adire non licuisse ipse refert o) Athenis tamen vel Alexandriae, a Septimio Seuero et Antonino Caracalla praeficeretur, nam *Aristotelis philosophiae professorem et magistrum publicum testimonii eorum praeconio constitutum se esse* ipse scribit p. Ex quo simul patet, post A. C. N. CXCIX, quo Seuerus imperio admotus est, et ante annum CCXI, quo is fatis functus est, muneri professorio praefectum fuisse, vixisse tamen vltra Caracallae aetatem, ex multitudine scriptorum, quae exarauit, non absque verisimilitudine colligitur. Aristotelem vero ita pressis secutus est vestigiis, vt, cum animarum immortalitatem, de qua obscure mentem suam Aristoteles prodiderat, cum eius physiologia constare non posse cerneret, eam candide negaret, afferendo q temere eos, qui illam animae tribuunt, perinde mentiri, ac si quis bis duo dicat esse quinque. De quo argumento et passim disputat, et multus est in *libro vtroque de anima*, demonstraturus r, animam esse εἶδός τι τοῦ σώματος ὀργανικοῦ καὶ οὐκ οὐσίαν αὐτὴν καθ' αὑτήν, quam veram esse Aristotelis mentem, recte, nisi nos omnia fallunt, contendit. Opposita enim haec thesis est dogmati Platonico, formas rerum, et animam quoque, esse οὐσίαν αὐτὴν καθ' αὑτήν, et seorsim existere posse, cui opponebat Aristoteles, formas rerum materiae inseparabili modo esse immersas; quod cum Aristoteles semel definiuisset, non potuit non Alexander animam pro forma corporis organici habere ab eo inseparabili, licet fateretur s, *eam omnino non indigere instrumento corporeo ad res intelligibiles capiendas, sed sufficere sibimet ipsi illorum ad rerum intelligibilium perceptionem.* Ast haec formam tantum hominis constituunt, vnde mentem diuinam extrinsecus aduenientem per humanum corpus, velut organum operari statuit, eoque sensu et ratione incorruptibilem et immortalem dici posse animam largitur t. Quae quam maxime conformia esse menti Aristotelis, ex iis manifestum est, quae *tomo primo* u de intellectu vniuersali, ex quo omnes hominum animae participant, differuimus. Et ex hoc scholae Alexandreae fonte ad Arabas quoque et ab his ad Italos ista doctrina fluxit, quam Achillinum, Pomponatium, Portum, Caesarem Cremoninum aliosque Peripateticos magni nominis defendisse, ad eorum tempora delati narrabimus, litesque ea de re motas nec sine puluere ductas exponemus. Ex quibus de atheismo Alexandri, quem ei obiecere Io. Franc. Picvs x et Pavlvs Iovivs y, iudi-

o) De fato, init.
p) l. c. p. 8.
q) L. II. Topic. p. 72.
r) L. II. Q q. et solut. c. 8. seq.
s) L. I. de anima p. 158.
t) L. II. p. 144. 145.
u) L. III. c. 7. f. 1.
x) De prouident. c. X.
y) Elog. vir. doct. n. 71. p. 164. conf. tamen Ven. Reimmann. Hist. atheismi L. II. c. 26. §. 5.

iudicium fieri poteſt. Periculoſam enim ſententiam hoc dogma fouere, et ad veros euertendos de Deo ſenſus eſſe aptiſſimum, nemo temere negauerit. Videtur tamen, vt ipſe Ariſtoteles, ita et Aphrodiſienſis hunc intellectum vniuerſalem in intelligentia, vltimae ſphaerae praeſidenti quaeſiuiſſe; nam de Deo et prouidentia diuina, ipſo Ariſtotele accuratius ſaniusque philoſophatus eſt. Illi enim et ſoli immortalitatem tribuit [z], et parentem omnium, cunctis votis expetendum vocat [a], et ens proprie atque ſimplex, ac ſubſtantialem quaſi ſubſtantiam, quae immobilis mouet, neque gignitur vel interit, eſſe definit [b]; et prouidentiam qui Deo auferat, idem facere dicit, ac ſi niui demat alborem vel frigus, calorem igni, melli dulcedinem [c]; et propriam cuiusque rei naturam eius principium eſſe, cauſſamque omnium, quae ab ea ſecundum naturam fiunt, profitetur [d]. Ex quo ſpecimine de ratione eius explicandi Ariſtotelem iudicari poteſt, intelligique, abhorruiſſe eum a placitis Platonicis, quibus iniquiorem fuiſſe SIMPLICIVS [e] quoque notauit. Et tamen non a genuinis tantum Peripateticis, ſed a ſyncretiſtis etiam Ammonio, Themiſtio, Olympiodoro, Simplicio, Boëthio, Philopono magni habitus eſt, eius etiam opera ab Arabibus in ſuam translata linguam ſunt, et laudata [f] paſſim eius in philoſophando diligentia et accuratio. Quam adhibuiſſe oſtendunt commentarii eius in libros Ariſtotelis magna cura ſcripti, quos enumerant PHILIPPVS LABBEVS [g] et IO. ALB. FABRICIVS [h], quorum multi ad nos peruenerunt, quemadmodum liber quoque doctus et elegans de fato, deque eo, quod eſt in noſtra poteſtate, ad imperatores Seuerum et Caracallam, tanquam primitiae muneris, hodie integer legitur [i]; ex quibus ingenii Alexandrei elegantia cognoſci, Peripateticae vero philoſophiae lux accendi ſatis ampla poteſt. Diſtinguendum vero hunc Alexandrum ab aliis eſſe, vel ſolum patriae nomen adiectum monet, quod omiſſum interdum occaſionem dedit confundendi Aphrodiſienſem cum Aegaeo, et vtriusque ſcripta, incerto, vt ſupra iam monitum, iudicio miſcendi [k]; quemadmodum Peripateticum quendam Italum, Alexandrum de S. Elpidio cum Aphrodiſaeo interdum commiſceri monet IONSIVS [l].

§. XIV.

§. 5. p. 189. Nihil huc facit, quod Deum demonſtrari non poſſe dixit, id enim de demonſtratione Ariſtotelica tantum intelligendum eſt, quae ex prioribus principiis fieri debet, conf. MOSHEM. ad CVDW.

z) L. V. Top. p. 178.
a) In L. VII. Metaph. p. 282.
b) L. IX. p. 320.
c) Q q. et ſol. L. II. c. 21.
d) De fato §. 6. p. 27.
e) De coelo L. II. p. 91.
f) Vid. quos nominat IONSIVS de Scr. Hiſt. phil. L. IV. p. 352. conf. VOSSIVS de ſectis c. XVII. §. 16. p. 92.
g) Conſpect. interpr. Plat. et Ariſt. p. 3.
h) Biblioth. Graec. Vol. IV. p. 63. ſeqq.
i) Vtimur editione Graeco-Latina Londin. 1658. 8. edita, adiecto ad calcem AMMONII HERMEAE loco, de eodem argumento. In qua tamen editione merito miramur, elegantiſſimam H. GROTII verſionem, quae inter ſcriptores de fato p. m. 143. ed. Paris. extat, fuiſſe neglectam. Oppugnaſſe hunc Alexandri librum Hieroclem, teſtatur PHOTIVS Cod. CCXIV. ſed et POMPONATIVS de fato p. 378. eum improbat.
k) Vid. PATRIC. T. I. L. I. p. 31. ſeqq.
l) loc. cit.

Digitized by Google

§. XIV. Intelligi ex hactenus dictis potest, non defuisse inter philosophos Athenis et Alexandriae docentibus et de Platonis et de Aristotelis vera ac genuina mente discordiam atque lites, id quod diserto quoque Hieroclis constat testimonio ex PHOTIO [m] supra *sectione antecedente* producto. Vbi id quoque demonstrauimus, occasionem haec Peripateticorum et Platonicorum iurgia dedisse Ammonio, nouam eamque conciliatricem inter vtramque philosophiam excogitandi. Qua in re Platonicorum quidem et Aristotelicorum non paucos praeiuisse exemplum, ab Ammonio autem peculiarem sectam hoc institutum euasisse ostendimus, quae purgatam reformatamque se philosophiam tradere Platonis Aristotelisque decretis conformem, gloriata est. Videturque ab Ammonii tempore schola Peripateticorum, ab ista conciliatrice philosophia magnum detrimentum passa esse, licet Anatolius Peripateticam denuo scholam circa id tempus Alexandriae erexisset [n], vt *tomo tertio* demonstrabitur. Nam genuinos Peripateticos fere nullos ab hoc tempore deprehendimus, sectam vero Platonicorum Alexandrinorum in eo occupatissimam vidimus, vt praeter Platonem Aristotelem quoque, magistro reconciliatum commentationibus suis illustrarent, vel accommodando potius ad habitum philosophiae Ammonio-Plotinianae syncretisticum corrumperent. Id quod, repetendo paulisper ea, quae *superiore sectione* fuse satis exposita sunt, abunde constabit. Plotinum enim in illustrando Aristotele operam quoque posuisse suam testatur PORPHYRIVS [o], narrando praelegisse eum discipulis Peripateticorum dogmata et scripta exposuisse: Porphyrius autem et *praedicabilia* et *categorias*, et *physicarum auscultationum libros*, quique *de interpretatione* agunt, et *de categoricis syllogismis* illustrauit [p]. *Categorias* etiam et *analytica* Iamblichus enarrauit, Maximus Byzantinus, in Aristotelem commentarium scripsit [q], Plutarchus Nestorii Proclo Aristotelis *de anima* librum enarrauit [r]; Syrianus in *librum III. XIII. et XIV. metaphysicorum* commentarium scripsit [s]. Proclus ipse doctrinam *de interpretatione* Aristotelicam Ammonio exposuit [t], Ammonius Hermeae, isagogen Porphyrii *de quinque praedicabilibus* et librum *de interpretatione*, aliosque multos illustrauit commentario [u]; Damascius *parecbolas in L. I. de coelo*, hodie inter MSSc. libros obuias, *epitomenque in quatuor primos et octauum physicorum Aristotelis* hodie desideratam composuit [x]. Quin Hypatiam quoque doctissimam ex hoc grege feminam philosopham Aristotelis libros studiosae, quae

Eclecticorum studium in Aristotelem.

m) Cod. CCXIV. p. 283.
n) EVSEB. Hist. eccles. L. VII. c. 32. NICEPH. L. VI. c. 36. HIERON. cat. script. eccl. c. 73.
o) Vit. Plot. c. 14. p. 116. Displicuisse vero ei praedicamenta Aristotelis, supra dictum.
p) Vid. HOLSTEN. vit. Porphyr. c. 7. p. 247.
q) SVIDAS in Maximus T. II. p. 494. qui vero eum cum Ephesio confudit.
r) MARINVS in vita Procli c. 12. p. 27.
s) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 431.
t) AMM. HERMEAE comm. in L. de interp. init.
u) FABRIC. Bibl. Gr. Vol. IV. p. 164. Sed iudicio et libertate vsum esse, elegans locus Comm. in Car. p. 5. docet.
x) IDEM Vol. II. p. 26.

Digitized by Google

Alexandriae ipſam audiebat, iuuentuti explicuiſſe tradit SVIDAS *y*. Imprimis vero memorabile eſt, hanc ſectam Dialecticam Ariſtotelis maxime excoluiſſe, eo quod in ea manca videretur Platonis induſtria, doctrina vero de praedicabilibus et categoriis Platonica vel Pythagorica potius videretur, non Peripatetica, quippe quam ab Archyta ſumſiſſet Ariſtoteles. Fuere etiam, inter eos quidam qui ſingulari induſtria in Ariſtotele explanando excelluerunt, licet eclectici eſſent, inter quos cum Dexippus, Themiſtius Euphrades, Olympiodorus et Simplicius emineant, de his quoque philoſophis porro agendum eſt.

Dexippus. §. XV. DEXIPPVS ex Iamblichi diſcipulis fuit *z*, quem tamen nulla ratione nixus Iamblichi filium facit PATRICIVS *a*. Is, vt ex praeceptore patet, reformatae quidem Platonicorum ſcholae nomen dedit, Ariſtoteli tamen, quam Platoni, fuit addictior: id quod ex reſponſione patet, quam contra obiectiones, quibus Plotinus Ariſtotelis doctrinam de praedicamentis aggreſſus eſt, editam hodie legimus *b*. Putat hunc Dexippum, cum Dexippo Herennio hiſtorico Athenienſi vnum eundemque eſſe VOSSIVS *c*, qui ducem in eo habuit Tzetzem; aſt tempora repugnant. Dexippus enim Herennii ſub Galieno vixit, teſte EVNAPIO *d* et SVIDA *e*, hunc vero cum Iamblichi diſcipulus fuerit, Conſtantini M. tempora non ſuperaſſe, adeoque ſerius quam illum vixiſſe oportet.

Themiſtius. §. XVI. Nobile porro nomen inter philoſophos ſeculi poſt natum Saluatorem quarti conſecutus eſt THEMISTIVS *f*, dictus ab eloquentia Euphrades *g*. Natus eſt ignobili Paphlagoniae loco, patre Eugenio philoſopho nobili, quem fatis defunctum oratione laudauit *h*. Fallitur itaque PATRICIVS *i*, qui veram eius patriam ignorans, Nicomedienſem fuiſſe putat, eo quod aliquod tempus ibi commoratus eſt, atque docuit. Ex Ariſtotelis eum deſcendiſſe proſapia, tradit Latinus commentariorum Themiſtii interpres HERMOLAVS BARBARVS, ſed ſine teſte. Illud ex epiſtola Conſtantii, qua Themiſtium ſenatui commendat, certum, parentes et maiores iam eius imperatoribus ob virtutem et literas innotuiſſe *k*. Adoleſcenti pater et elegantiores literas et philo-

y) In Hypatia T. III. p. 533.

z) SIMPLICIVS in Categ. p. 1. Δίδυμος ὁ Ἰαμβλίχου, TZETZ. Chil. IX. v. 498.

a) l. c. p. 140.

b) SIMPL. l. c. conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. IV. p. 156.

c) De Hiſt. Graec. L. II. c. 16. de nat. Log. c. VIII. §. 3.

d) In Porphyrio.

e) In Dexippum T. I. p. 524. conf. IONSIVS L. III. c. 17. p. 299.

f) De Themiſtio praeter SVIDAM. T. II. Themiſt. p. 171. videndi G. REMVS et Io. HARDVINVS, qui vitam eius orationibus a ſe editis praefixerunt. Add. TILLEMONT. Hiſt. des empereurs T. V. p. 816. IONSIVS l. c. L. III. c. 16. p. 294. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 1. ſeqq. Act. erud. 1685. p. 461. Nouv. de la rep. des Lettres, 1681. Dec.

g) SIMPLICIVS in L. VI. phyſ. p. 226. a ſcholaſticis *dilucidi doctoris* cognomen tulit, conf. quos nominat FABRIC. l. c. not. e.

h) Orat. II. p. 28. IONSIVS l. c. reliquique laudati.

i) l. c. p. 141.

k) conf. FABRIC. l. c. not. c. patrem eius philoſophum fuiſſe, teſtatur etiam PHOTIVS Cod. LXXIV. p. 97.

Digitized by Google

philoſophiam tradidit, obſcurumque Ariſtotelis ſenſum explanauit [l], viros etiam doctos quos in Ponto Aſiae offendit, filio ad egregia quaeuis nato praeceptores adhibuit [m]. His doctoribus cum acerrimi ingenii et praeclariſſimarum dotium adoleſcens diligenter in philoſophia, praeſertim quae ſecundum Ariſtotelem praecipit, exerceretur, euenit, vt mature philoſophi valde obſcuri libros non intelligeret modo, ſed commentariis quoque, in proprios vſus confectis illuſtraret. Quos tametſi premebat iuuenis doctiſſimus, eo tamen inuito in manus deuenere hominum, tantoque cum applauſu et approbatione lecti ſunt, vt ipſe narret [n], Celſum, philoſophum Sicyonium ex Iamblichi ſchola celeberrimum, lectis commentariis ſuis ad ipſum Conſtantinopolin vna cum diſcipulis aduolaſſe, atque dubiam horum ſententiam oraculo fuiſſe confirmatam. Quae nominis et eruditionis eius exiſtimatio ad noſtra vſque tempora perennauit, magnorumque virorum calculum meruit, qui non dicendi tantum facundiam, ſed iudicii quoque acumen in philoſophando ex merito laudarunt [o]. Etſi vero domi iam inclareſcebat, amplius tamen virtutis et eruditionis oſtendendae theatrum quaerens, Nicomediam abiit, ibique aliquantiſper docuit [p], tum Conſtantinopoli ſedem fixit, et viginti annos magna fama laudeque eloquentiam et philoſophiam tradidit [q]. Sed Antiochiae quoque in Syria, et in Galatia Graeca regione ſe aliquandiu verſatum fuiſſe, ipſe innuit [r]. Romam etiam inuiſit, inuitatus tamen lautiſſimis conditionibus, imperatoris etiam implorata auctoritate, vt ibi doceret, eo concedere noluit, ſed breui poſt Conſtantinopolin rediit: ibi enim ducta vxore, ex qua liberos genuerat, ſedem fixerat [s]. Parauit autem Themiſtio et exquiſita eruditio, et facundia cum perſpicuitate coniuncta prorſus incomparabilis nec ſatis laudanda, diſcipulos plurimos, et gentiles, inter quos eminet LIBANIVS, cuius ad Themiſtium epiſtolae [t], quantus vir in rhetoricis et philoſophicis literis fuerit, ſatis docent, et Chriſtianos, inter quos GREGORIVS NAZIANZENVS [u] etiam fuit, qui eum *βασιλέα λόγων* ex merito nominat. Tantaque eius fuit fama et exiſtimatio, vt ipſis imperatoribus gratioſus eſſet, et ad grauiſſima euehereturmunera. Conſtantius enim non florentem tantum annis A. C. CCCLV in ſenatum eum cooptauit [x], et iteratis literis ad maiores honores ſexennium poſt commendauit [y], ſed ob panegyricum quoque imperatori dictum aerea ſtatua donauit [z]. Iulianus et amicitia eum literisque frequen-

l) Orat. XX. p. 234. XXIII. p. 294.
m) Orat. XXVII. p. 338.
n) Orat. XXIII. p. 295.
o) Conf. praeter praefationes editorum REMI, PETAVII et HARDVINI et biographos Themiſtii nor. (f) laudatos, iudicia eruditorum collecta a MAGIRO Eponymol. crit. p. 774. et THOM. POPE-BLOVNT. cenſ. cel. auct. p. 229.
p) Orat. XXIII. p. 299.
q) Ibid. conf. HARDVINVS ad h. l. quem IONSIVS p. 294. non ſatis aſſecutus eſt.
r) Ibid. p. 299.
s) Conſtantii ep. ad Senat. p. 22. LIBANIVS epiſt. 1.
t) Leguntur illae in Fabricii Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 37. et in collectione epiſtolarum LIBANII Wolfiana nupera.
u) Vid. EIVSD. ep. CXXXIX. CXL.
x) PHOTIVS Bibl. l. c. p. 97.
y) Opp. p. 18 ſeqq. ed. Hard.
z) Orat. IV. p. 54.

tibus dignatus est [a], et A. C. CCCLXII praefecturam vrbis Constantinopolitanae ornauit [b]. Parem fere gratiam apud Iouianum, Valentem, Valentinianum et Gratianum obtinuit, qui diuinam eius eloquentiam ita stupentes audiuerunt, vt quicquid vellet, quicquid illis commendaret, gratum ratumque esset, quam imperatorum gratiam ipse quodam loco [c] extollit. Maxime vero sub Theodosio Magno auctoritas eius creuit, tantaque cepit imperatorem prudentiae et eloquentiae eius admiratio, vt et munificentissimum se illi praeberet [d], et praefectum vrbis Constantinopolitanae eum iteratis vicibus A. C. CCCLXXXIV, constitueret [e], atque in occidentem profecturus Arcadium filium eius fidei atque institutioni traderet [f]. Quod licet dubium sit TILLEMONTIO, cui non videtur verisimile imperatorem pium, et Christianae religioni addictissimum filium in imperio successorem futurum informationi philosophi gentilis commendasse, patebit tamen ex iis, quae paulo infra de Themistii religione monebimus, ita se hac in re eum gessisse, vt nec suspectus imperatori, nec inuisus Christianis esse potuerit [g]. Accedit his, istis eum fuisse moribus, qui non potuere non virum optimum omnibus commendare, tantisque negotiis conficiendis, et legationibus suscipiendis fuisse adhibitum [h], vt de summa eius erga imperatorem fide, maximaque, quam possidebat, prudentia Theodosius esset longe certissimus. Tandem senio et laboribus confectus de deponendo, quod gessit munere, cogitauit [i]. Etsi enim natalem et emortualem diem atque annum Themistii ignoramus, ipse tamen in *oratione ad senatum Constantinopolitanum* meminit, se per quadraginta fere annos obeundis legationibus, gerendaeque reipublicae operam nauasse [k]. Cum vero A. C. CCCXLVII prima vice Constantium imperatorem oratione sit allocutus, ante quod tempus muneri publico admotus non est, sequitur inde A. C. CCCLXXXVII adhuc senem vixisse, et cum ante vigesimum annum honores publicos non suscepisse probabile sit, septuagenario maiorem vsque ad finem fere seculi peruixisse. Quae coniectura inde confirmatur, quod in alia oratione [l], A. C. CCCLXXXIII habita dicat, se de deponendo munere saepius iam corporis infirmitate, et senectute monente cogitasse. Recte enim ex eo concluditur, annis iam maturum reipublicae admotum esse, quia XXXVI munerum publicorum anno iam confectus fuit senio. Etsi vero omnino verisimile videtur, vsque ad seculi quarti finem vixisse Themistium, non audiendus tamen est PATRICIVS [m], qui cum Olympiodoro seniore, et Syriano et Plutarcho Nestorii eum vixisse tradit. Hos enim philosophos seculo demum quinto inclaruisse, ex enarrata *superiori Sectione* eorum

a) Testantur hoc IVLIANI ad Themistium epistolae.
b) SVIDAS l. c.
c) Orat. XXXI. p. 354.
d) Orat. XXIII. p. 292.
e) Orat. XVII. HARDVIN. ad h. l.
f) Orat. XVIII. p. 224.
g) Hist. imperat. T. V. p. 493. 948.
h) Orat. XXI. p. 352. seqq.
i) Orat. XVI. init.
k) Orat. XXI. p. 352.
l) Vid. not. (ii)
m) l. c. p. 141.

Digitized by Google

eorum hiſtoria liquet. Magnam vero laudem meruit Themiſtius non praeſtantiſſima tantum facundia et philoſophiae cognitione, ſed morum etiam ſuauitate, humanitate et aequitate, quae et inter philoſophos, vt poſtea dicemus, et inter omnes imperatoris imperio ſubiectos concordiam ſummopere commendare eum iuſſit. Cuius memorabile exemplum narrant ſcriptores eccleſiaſtici [n]: „Nempe Valens imperator Arianorum ſe„cutus partes, graui perſecutione orthodoxos, ſiue ὁμοουσίους premebat, „acerbiora in dies ſupplicia aduerſus illos conminiſcens. Id aegre ferens „Themiſtius orationem ad imperatorem habuit [o], qua eum admonebat, „ne magnopere miretur, quod tanta ſit dogmatum diuerſitas apud Chri„ſtianos. Eam enim exiguam eſſe, ſi cum multitudine et diſcrepantia „opinionum, quae apud Graecos ſint, conferatur: quippe cum apud iſtos „plures, quam trecentae ſint opiniones. Porro ex varietate opinionum „neceſſario conſequi maximam diſſenſionem. Deum tamen hac opinio„num varietate delectari, vt ſinguli maieſtatem ipſius magis reuereantur, „vel ob id, quod difficile eſt, eum cognoſcere. Haec et eiusmodi alia „cum philoſophus ei expoſuiſſet, aliquanto mitior factus eſt imperator.„ Modeſtiam vero eius inter ſummos honores eleganter prodit tetraſtichum eius in ſe ipſum, quod editioni Aldinae operum Themiſtii praefixum eſt Graece [p], et L. LIPSIVS [q] ita Latine exhibuit:

Aetherea in ſella poſitum te cura ſubiuit
Sellae argentatae, proh pudor et macula!
Maior eras humilis, minor es nunc, ſublimatus,
Deſcende, vt poſſis ſcandere nunc iterum.

Neque dubitamus aſſerere, animum ad concordiam pacemque naturali inclinatione pronum eclecticae philoſophiae ſtudium, concordiaeque inter Platonem et Ariſtotelem ineundae amorem ei excitaſſe. Etſi enim et patris et praeceptorum inſtitutione ad Ariſtotelem potiſſimum erat adductus, plurimamque in explicanda philoſophia Peripatetica ponebat operam; tantum tamen abeſt, vt Platonem reiecerit, vt eum et eloquentiae cauſſa et philoſophiae gratia plurimum faceret, et vtriusque philoſophiam probaret, atque commentariis etiam illuſtraret [r]; immo omnium fere ſapientum placita in vnum ſyſtema poſſe confundi, putaret, ſi demtis non neceſſariis, ad dogmata praecipua attenderetur. Sane ſe cum diuino Platone verſari, cum Ariſtotele habitare, ab Homero non diuelli, ipſe profeſſus eſt [s]; quem characterem eſſe ſcholae eclecticae, ex antecedentibus

n) SOCRATES L. IV. c. 32. SOZOMENVS L. VI. c. 36. NICEPHORVS L. XI. c. 46. Tripartita Hiſt. L. VIII. c. 12. conf. IONSIVS l. c. p. 295.

o) A DVDITHIO verſa duodecimum occupat locum inter orationes. Eiusdem argumenti eſt Orat. V. ad Iouinianum.

p) Inde repetiit FABRICIVS loc. citato p. 4. not.

q) Ad SENECAE epiſt. 68. p. m. 414.

r) PHOTIVS l. c.

s) Orat. XXXIII. p. 366.

tibus notum eſt. Enarrauit itaque et Platonem, teſte PHOTIO [t], cuius tamen nihil ad nos peruenit, et Ariſtotelem, quem perſpicuis et elegantibus paraphraſibus [u] illuſtrauit, et philoſophiam eloquentiae melle deliniuit, quas nobis ſeruatas eſſe merito gaudemus. Maxime vero Themiſtium εὐφραδὴν oſtendunt orationes elegantiſſimae, nectare dulciores, quarum poſt G. REMVM et DIONYS. PETAVIVM pulcram editionem debemus IOANNI HARDVINO [x]. De religione vero Themiſtii dubios quosdam videas, vtrum Chriſtianis accenſendus ſit, nec ne? Qui affirmatiuam hic ſequuntur partem, diuerſis ducuntur rationibus. Poſt PATRICIVM [y] enim et HORNIVM [z], recentiores quoque alii Themiſtium CP. praefectum eundem eſſe putant cum Themiſtio illo, qui auctor ſectae illius fuit, quam a dogmate, quo Chriſtum λόγον multa ignoraſſe dicebant, Agnoëtae plerique dicebant. Seduxit hos NICEPHORVS [a], qui ita: *Ioannes iſte Philoponus Alexandrinus, ita vt diximus Tritheitarum praefectus fuit, perinde atque olim Themiſtius philoſophus ſub Valente Agnoëtarum ſectae praeiit.* Addunt Chriſtianae Themiſtii religionis patroni, fuiſſe eum in Gregorii Nazianzeni amicitia, et inueniri Salomoneae ſapientiae imitando expreſſae in eo veſtigia, et alia quaedam Chriſtianum ſapientia in eo deprehendi. Verum falli viros doctos dudum ab aliis, qui ſine praeiudicio rem expenderunt, demonſtratum eſt [b]. Falli enim Nicephorum, quique eum ſequuntur, duosque inter ſe miſcere Themiſtios, gentilem philoſophum, et diaconum Alexandrinum, temporum rationes ſatis euincunt. Nam et LIBERATVS [c] teſtis eſt, Themiſtium hunc, cognomento Calonymum, diaconatus munere apud Alexandrinos functum eſſe, et PHOTIVS teſtatur [d], ex Seuerianorum eum fuiſſe numero. Seuerus autem iſte Antiochiae vixit ſub Anaſtaſio A. C. DXIII, ex quo clarum eſt, Themiſtium Agnoëtarum ducem poſt haec demum tempora fuiſſe. PHOTIVS etiam auctor eſt [e], vixiſſe eum poſt concilium Chalcedonenſe A. C. DLI habitum, et ſcripſiſſe contra Ioannem Philoponum, qui poſt hanc aetatem floruit. Ex quibus ſole meridiano clarius eſt, duorum fere ſeculorum ſpatio vtrumque inter ſe Themiſtium differre. Valde vero frigidum eſt, quae vir quidam doctus [f] pro Nicephori opinione affert: duos quidem fuiſſe Themiſtios, vnum Chriſtianum philoſophum Agnoëtarum parentem, alterum diaconum Alexandrinum, qui eandem haereſin reſuſcitauerit. Vnde enim probabitur, Themiſtium philoſophum hunc errorem fouiſſe, vel eum ſeculo iam tertio ena-

t) Cod. LXXIV. p. 97.

u) In Analytica poſteriora, phyſica, de anima, de memoria et inſomniis Venet. 1534. fol. in librum de coelo et L. XII. Metaphyſ. quae latine tantum leguntur. Conf. FABRICIVS l. c. p. 29. ſeqq.

x) Paris 1684. fol. conf. Act. erud. 1685. p. 461. FABRIC. l. c.

y) l. c. p. 141.

z) Hiſt. phil. p. 214. Continuator VOSSII de ſectis c. III. §. 3. p. 173. STOLLIVS licet dubius Hiſt. lit. P. II. p. 373.

a) L. XVIII. c. 50.

b) Vid. CAVE Hiſt. lit. S. E. p. 374. IONSIVS l. c. p. 294. FABRIC. l. c, p. 5.

c) In Breuiar. c. 19.

d) Cod. CVIII. p. 154.

e) Cod. XXIII. p. 6.

f) Obſ. Hal. T. I. obſ. 15.

Digitized by Google

enatum fuiſſe? et quis Chriſtianum iudicabit Themiſtium, qui vel vnam fere eius orationem ſine praeiudicio legerit? Reliquas quas pro hac re afferunt, rationes eleganter diſcutit Magnus WELSERVS, qui ita in epiſtola ad G. REMVM [g]: *Themiſtio quod Chriſtianam religionem tribuis, quam optarem, me poſſe ſubſcribere? ſed verum tibi fatebor, ego huius rei nullum veſtigium in his omnibus orationibus inuenio. Vnum nimirum Salomonis locum adumbrauit: idem alios itidem gentiles feciſſe nouimus, et hunc ipſum Chriſtianus aliquis, numquam profecto Aſſyriis tranſcripſiſſet. At Gregorii Nazianzeni amicitiam coluit. Num non etiam Libanius Baſilii? Quid de reliquo in eo Chriſtianum eſt? certe non philoſophi nomen, quod antiquitus de vllo vmquam Chriſtiano abſolute vſurpatum vix puto. Scimus Iuſtinum Chriſtianum philoſophum, ſed cum adiectione martyris. Non ipſe ſcriptionis ſenſus, in qua multa vere anti-Chriſtiana, et poſtrema a Duditio verſa oratio, quam tota fere impia? quae ne mica, ne horreo quidem ſalis, in homine Chriſtiano excuſari poteſt. Et meo animo multum intereſt intelligere, minime Chriſtianum fuiſſe, qui ſcripſerit.* Hactenus vir illuſtris, cuius rationes rem prorſus definiunt. Quamuis autem a Deorum cultu et auita ſuperſtitione publica profeſſione non receſſerit Themiſtius, non tamen aequum modo erga Chriſtianos ſeruauit animum, et naturae bonitate et dominorum, quibus ſeruiebat, voluntate formatum; verum regulis quoque ſectae, cui adhaerebat, eclecticae, inſtructus in eam deſcendit opinionem, omnes religiones ſuo modo poſſe admitti, liberumque eſſe, quo fere modo quis Deo ſeruiat, modo ab impietate purum ſeruet animum. Eo enim maxime argumento Valenti diſſidiorum inter Chriſtianos eo tempore feruentium tolerantiam ſuaſiſſe, Socratis teſtimonio ſupra narrauimus, et orationes quoque hodie extantes luculenter demonſtrant. Cuius principium, quod animo inſedit ſuo, quodque Platonicorum Alexandrinorum ſcitis accurate reſpondet, hoc poſuit [h]: *informaſſe Deum omnium mentes, quamuis agreſtium et barbarorum, notione ſui, ſtudiumque pietatis ita omnibus inſculpſiſſe, vt neque perſuadendo, neque cogendo ex animis exui poſſet. Rationem vero et viam, qua coli velit, non praeſcripſiſſe, ſed cuiusque iudicio et voluntati permiſiſſe. Nosque iam dudum vix aut ne vix quidem vmbram vllam religionis habituros fuiſſe, ſi omnium mortalium idem ſemper ritus ſacrorum, eadem habendarum ceremoniarum fuiſſet ratio. Nunc varietate opinionum et ad hanc diem altum auctumque eſſe ſtudium religionis, et a poſteritate ad ſempiternum tempus ſtudioſe retentum iri.* Alia ex hac oratione loca breuitatis cauſſa non adducimus, legenda apud praeſtantiſſimum MOSHEMIVM [i], qui docte,

g) In Cl. SCHELHORN. Amoen. lit. P. III. p. 847.
h) Orat. XII. p. 157.
i) De corrupta per Platonicos recentiores ecclesia §. 32. Vol. diſſ. H. E. p. 171.

ete, more ſuo, ex his confecit, Themiſtium cum aliis huius ſectae fautoribus, prudentius de religione ſtatuere cupientibus, in eam deſcendiſſe opinionem, cultus varietatem nihil impedire, quo minus et Chriſtiani et ethnici ſalutem conſequerentur. Quod licet valde videatur παράδοξον, conſentaneum tamen eſt principiis huius ſectae, quae luculenter expreſſit Themiſtius, ſtatuendo, *Deum naturae dominum, et fabricatorem occultari velle, et a cognitione noſtra ſe longiſſime remouiſſe, neque ad captum ingeniorum noſtrorum ſe demittere, hocque ſatis argumenti eſſe, non poſtulare eum ab omnibus vnum idemque ius religionis: ſed cuique de ſe ſua, non aliena ſponte opinandi facultatem relinquere.* Ita vero Themiſtius, qui Chriſtianis principibus ſeruiebat, et prudenter rebus dominorum ſuorum, quibus tot diuerſiſſimarum religionum ſubditi erant, conſulere putabat, et ſe heris ſuis gratum exhibebat, et licet Chriſtianus non eſſet, ad temporis tamen circumſtantias ſe attemperabat, et ſuae ſimul, cui adhaerebat, religionis cultoribus optime fauebat. Inde enim admiſſis his, quae imperatoribus non ſine Venere et Apolline commendabat, principiis atque regulis, ſequebatur, nec gentilem ſuperſtitionem, quam extirpare coeperat et euertere totam Conſtantinus M. cogitauerat, perſequendam, ſed liberum cuiuis, quicunque placeat, religionis habitum Deorumque relinquendum eſſe.

Olympiodorus.

§. XVII. Sequenti ſeculo quinto Peripateticae philoſophiae notitia celebris fuit OLYMPIODORVS, philoſophus Alexandrinus, quem circa A. C. CDXXX floruiſſe, ex Procli aetate colligi poteſt. Proclus enim, vt ſupra ex MARINO [a] oſtenſum, nondum viginti annos natus ad Plutarchum Athenas feceſſit, cum iam Alexandriae Olympiodorum et Heronem, illum Peripateticam philoſophiam, hunc mathematicas artes explicantem, audiuiſſet; qui cum A. C. CDXII natus ſit, ſequitur inde circa dictum annum Olympiodorum Alexandriae Peripateticam philoſophiam docuiſſe. Vtrum vero in ſchola Plotiniana docuerit, quoniam Platonica quoque dogmata tenebat, an in Peripatetica, quam Anatolium Alexandriae excitaſſe diximus, definiri difficulter poteſt; poſterius tamen coniectura probabili ſe commendat, eo quod Peripateticae diſciplinae docendae munus Olympiodoro MARINVS tribuit, eoque tempore Plotinianam ſcholam occupauerit Hierocles. Hunc vero Olympiodorum philoſophum clariſſimae famae vocat, magnaque dicendi facultate praeditum, MARINVS, aſt qui propter ſuam in dicendo celeritatem et grauitatem rerum de quibus ageret, a pauciſſimis auditoribus intelligeretur. Id quod occaſionem dediſſe Proclo, ea quae obſcure dicta eſſent a magiſtro, condiſcipulis explicandi, eumque ita gratum reddidiſſe Olympiodoro,

a) Vit. Procli c. 9. p. 19. SVIDAS in Olympiod. T. II. p. 681.

Digitized by Google

ro, vt filiam ei despondere cuperet, supra in Procli vita narrauimus. Fuisse alios quoque Olympiodoros, philosophiae laude et eruditione celebres, constat. Inter quos praeter Olympiodorum Thebanum [f], historicum haud incelebrem, Olympiodori duo, Platonicae sectae addicti, aliusque Peripateticus nostro iunior enumerari solent. Nam Olympiodori meminit ISIDORVS PELVSIOTA [m], eumque Platonis admiratorem esse dicit. Quod licet tempora de Alexandrino intelligi patiantur, ex Marino tamen patet, hunc Aristotelis, quam Platonis, potiorem habuisse rationem; adeoque rectius vtrumque inter se distingui. Alter Platonicus is est, quem Platonis vitam a MEIBOMIO ad calcem DIOGENIS LAERTII editam descripsisse *tomo primo* diximus. Scriptum enim ab eo commentarium in Platonem hodienum inter MSC. Codices in Caesarea regiaque Parisiensi bibliotheca et passim alibi extare, ex catalogis notum est [n]. Hunc distinguendum esse a Procli praeceptore ex eo euincitur, quod non tantum Proclum ipsum, sed et Proclo iuniorem Damascium laudet [o]. Extant porro Olympiodori *commentarii in Aristotelis libros meteorologicos*; ast is, licet ipse quoque Alexandrinus esset, a nostro distinguendus est. Iuniorem enim se fuisse, ipse prodit, testatus [p] cometen sua aetate conspectum anno CCLXXXI Diocletiani, qui incidit in annum Christi DLXV. Alium Olympiodorum Alexandrinum, Diaconum eius ecclesiae, aliosque huius nominis, quos FABRICIVS [q] enumerat, tacemus. Lapsi sunt in his homonymis distinguendis LAMBECIVS [r], LABBEVS [s] et IONSIVS [t].

§. XVIII. Meruit etiam de Aristotele ex Eclecticorum secta SIMPLICIVS [u], natione Cilix, discipulus Ammonii Hermeae [v] et Damascii [w], atque Eulamii siue Eulalii familiaris. Floruisse Simplicium sub Iustiniano imperatore, inde liquet, quod cum reliquis Platonicis, imperatoris *Simplicius.*

f) Ex Aegypti Thebaide oriundus ideo memorabilis est, quod Chemiae peritus fuit, tantaque apud Theodosium iuniorem gratia et auctoritate floruit, vt ad Hunnos legatus ab imperatore mitteretur. Huius Olympiodori prodierunt Excerpta ex eius historicis commentariis, de quorum editionibus videndus FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. VI. p. 337. seq. Vol. IX. p. 401. et VOSSIVS de histor. Graec. L. II. c. 20. p. 261. Diuersum hunc a Peripatetico Alexandrino esse, et nomen *κωνστοῦ*, id est, operatoris chemici, et patria, et aetas prodit. Huic Olympiodoro libros inscripsisse suos Hieroclem coniicit IONSIVS de Scr. hist. philos. L. III. c. 10. p. 103.

m) L. II. ep. 52. 56.

n) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 63.

o) Conf. KVSTER. ad h. l. Suidae p. 631.

p) l. c. L. I. p. 20.

q) l. c. Vol. IX. p. 357.

r) Is Bibl. Vindeb. L. VI. p. 187. Procli praeceptorem cum iuniore Platonico confundit.

s) In conspectu Commentar. in Plat. et Aristotel.

t) De Script. hist. phil. L. III. c. 19. qui Olympiodorum Thebanum, Alexandrinum Procli praeceptorem, Olympiodorum ab Isidoro memoratum, Peripateticum iuniorem et Platonicum iuniorem, quos inter se distinguendos esse, ex hactenus dictis manifestum est, vnum eundemque philosophum indicare contendit. Qui si ad temporum notationes, vt alias facere solet, attendisset, facile confusionem euitasset.

u) AGATHIAS L. II. p. 65. SVIDAS in *πρόκλος* T. III. p. 171. qui tamen in Damascius T. I. p. 506. eum Eulamii Phrygis conterraneum male facit.

v) Ad phys. I. comm. 12. p. 32. de coelo p. 113.

w) Ibid. L. IV. comm. 53. 141. IONS. de Scr. Hist. phil. L. III. c. 19. p. 306. qui tamen c. 18. p. 302. Damascium Simplicii discipulum perperam dicit.

Digitized by Google

toris edicto preſſis, ad Choſroëm circa ſeculum ſextum medium confugerit, aſt improbatis barbari regis moribus inducliisque cum Romanis factis, quibus illis quoque de religionis libertate cautum, domum redierit, de qua re in Platonicorum Alexandrinorum hiſtoria *) dictum. Studioſum Peripateticae doctrinae fuiſſe, ex commentariis in Ariſtotelis libros conſtat, in quibus et iudicii vim non contemnendam, et lectionis copiam, philoſophiae etiam veteris notitiam ſingularem prodidit. De quorum editionibus videndus FABRICIVS y). Etſi vero multam Ariſtoteiis philoſophiae impendit operam, Platonicam tamen cum ea more ſectae ſuae coniunxit, quin et Stoicam vtrique applicuit, indeque mixtum illud philoſophiae genus mire confirmauit, quod in antecedentibus fuſe delineauimus. Specimen eius rei dabit commentarius in enchiridion Epicteti, in quo Platonica, Peripatetica et Stoica, quin Chriſtiana quoque miſcentur *). Ariſtotelem vero contra Philoponum pertinaciter defendit.

Decreſcente philoſophia Peripatetica.

§. XIX. Et haec quidem celebriora nomina ſunt, quae de Ariſtotele praeclare meruerunt. Non defuere quidem alii quoque, qui ad illuſtrandas Peripateticas literas ſymbolam ſuam contulerunt, inter quos eſt Priſcianus Lydus commentario in Theophraſtum notus a), qui cum Iſidoro Damaſcio, Eulamio, Simplicioque in Perſiam abiit. Tranſiit etiam diſciplina Peripatetica ad Chriſtianos, inter quos in oriente Ioannes Philoponus, in occidente Boëthius magnum ſibi in huius ſectae philoſophia nomen parauerunt. Aſt illi exiguae famae ſunt, vixque commemorandi; horum vero conſideratio in ſequenti tomo, qui philoſophiae inter Chriſtianos fata et hiſtoriam explicabit, inſtituenda eſt. Seculo vero poſt C. N. ſeptimo cum irruptionibus gentium barbararum cuncta vaſtarentur, Mauritii funeſta fata philoſophiae quoque ſtudiis exitum attulerunt, expirauitque quae ſola fere hactenus obtinuerat ſecta Platonica reformata, quodque in ea viguerat Platonis atque Ariſtotelis ſtudium. Cum enim publicae calamitates tanquam torrentes vniuerſum Romanum imperium occupaſſent, et in Italia quidem diu iam Gothorum Vandalorumque incurſionibus barbaries triumphaſſet, Phocae tandem crudelitas, Heraclii negligentia, bellum contra Choſroëm infelix, et Saracenorum, inſtar diluuii ingruens tandem irruptio cladesque maximae philoſophiae quoque in oriente indixerunt exilium. Tandem Seculo X, Barda imperante noua lux quaedam bonis literis et imprimis philoſophiae Ariſtotelicae affulſit, inuentique ſunt viri acuti et induſtrii, qui nouis conatibus ſecundum Ariſtotelem philoſopharentur, hinc poſt Ioannem Damaſcenum, Pſelli, Michaëlis Epheſii aliorumque non ignota ſunt nomina, ſuo tamen loco infra in Chriſtianorum philoſophorum hiſtoria enarranda. Quae vero inter

*) In Damaſcio.

y) Indicium cape ex catalogis ſcriptorum a Simplicio allegatorum apud FABRIC. Bibl. Gr. Vol. VIII. p. 681. quod rarum ſuo tempore fuiſſe ipſe monet, comm. ad phyſ. Ariſtot. p. 9.

z) FABRIC. Vol. III. p. 263. Vol. VIII. p. 545.

a) Conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. II. p. 2.

Digitized by Google

inter Christianos in exilium acta fuit Peripatetica philosophia ad Arabas confugit, et recepta tandem, non obstante Muhamedis erga bonas literas artesque odio feliciter recepta est, et benigne habita. Id quod in *tertio tomo* latius prosequemur. Hic enim non Peripateticae tantum, sed omnis quoque philosophiae sub imperatoribus Romanis terminus fuit, quatenus a gentilibus culta fuit philosophis. Quam praeter vastationes gentium barbararum Iustinianus primus fixisse videtur, sublatis, quae philosophis hactenus soluta erant, salariis, vt templa ex ea pecunia exstrueret. Leo vero Isaurus immani facinore roborauit publicum conuictum virorum doctorum, qui instruendae iuuentutis caussa publice alebantur, eo quod consilia destruendarum imaginum non adiuuassent, cum libris et aedibus comburendo, vt narrat ZONARAS. Sed non imperantium tantum socordia, zelusque praeposterus, et populorum barbarorum inuasiones philosophiam tandem expulerunt, quod fatum Athenas ex ea caussa passas esse notat EVNAPIVS [b]; sed nescio qua fatali periodo inter ipsas philosophantium cohortes amor fere omnis philosophiae et honestarum disciplinarum exspirauit. Id Alexandriae contigisse suo tempore grauiter conqueritur AENEAS GAZAEVS [c]. Dabimus ipsa eius verba, quoniam occidentibus philosophiae studiis lucem foenerantur: *Olim pulchrarum rerum Alexandriae erat studium; nunc omnia id genus passim euanuerunt. Qui nomina tabulis studiosorum dederunt, abhorrent doctrinam: cuius erat docere, nihil praeter supercilium doctoris habet, caetera vel docendis rudior. In circo et theatro iuuentus habitat, frigent liberalium subsellia artium, magna vastitate horrent philosophorum scholae.* Talis cum Alexandriae facies fuerit, vbi philosophiae praecipuum erat emporium, facile inde coniici potest, immanem barbariem reliqua loca imperii Romani occupauisse. Donec superuenerunt Saraceni, qui ignorantia omnia complentes, bibliothecas Alexandrinas, vt postea dicetur, exusserunt, ne quid veteris eruditionis in tam celebri vrbe superesset. Sed de his infra.

§. XX. Diiudicari iam sine magno labore, et mediocri attentione adhibita, ex enarrata hactenus Peripateticae sectae ad medium vsque aeuum historia eius vicissitudines fatorumque varietas et rationes atque circumstantiae possunt. Quas vt vno quasi fasciculo lectori exhibeamus, et quae dicta prolixe sunt, in summam contrahamus, paucis his obseruationibus rem omnem complectemur: *Obseruationes generales de philosophia Peripatetica sub Imper.*

I. Periisse scilicet veram Peripateticae philosophiae faciem post Theophrastum fato functum, librosque Aristotelis et Theophrasti in hominum idiotarum manus delatos neglectosque; Andronicum vero protractis ex squalore et puluere libris Aristotelis genuinam explicandi huius

b) In Maximo. c) In Theophrasto.

Digitized by Google

philoſophi dogmata methodum reuocaſſe, poſterisque tradidiſſe. Et hac tamen diligentia non obſtante ex infeliciter ſartis lacunis et confuſo librorum Ariſtotelis ordine non exiguam iacturam paſſam fuiſſe philoſophiam Ariſtotelis.

II. Secuta eſſe tempora infelicia, quibus vt nullius fere ſectae philoſophis, ita nec Peripateticis honos vllus habitus eſt, tyrannide omnia complente. Accidiſſe etiam, vt ſcholaſticum eloquentiae ſtudium, quod magnopere poſt Veſpaſianorum aetatem florebat, Peripateticae philoſophiae incrementis obicem poneret, cum theoretica philoſophiae ratio, conciſiori et ſcholaſtico argumentandi modo vſa effuſo diſſerendi generi, quod ſectabantur ſophiſtae, non valde conueniret, idque iuuaret magnopere [a].

III. Corrupiſſe inualeſcens Seculi ſecundi initio πολυμαθείας ſtudium philoſophiam Peripateticam, et occaſionem dediſſe ſyncretiſmo, quem adulteraſſe veram Ariſtotelis mentem exemplis docuimus. Cum enim reliquas quoque ſectas tanquam exploratores perquiſiuiſſent, placuit varietas opinionum, quae in Ariſtotelis ſyſtema translata monſtra opinionum peperit, id quod imprimis per eclecticos ſiue Alexandrinos Platonicos factum eſſe luculentis ſpeciminibus demonſtrauimus.

IV. Emerſiſſe quidem ſub Antonino Pio Peripateticam philoſophiam et ad priſtinum honorem adſpiraſſe, locum in cathedra publica capientem, profeſſoribus lautis ſalariis ditatis auctisque; ſed et hanc fortunam ſuas vices expertam eſſe. Ab eo enim tempore magna inuidia ſectas ſe mutuo preſſiſſe, odioque cumulaſſe Vatiniano. Cui cum medicina ex ſyncretiſmo cum Platonica philoſophia initio allata eſſet, remedium ipſo morbo fuiſſe deterius peſtilentiusque.

V. Damnoſam quoque Peripateticae philoſophiae fuiſſe audaciam criticorum et grammaticorum, lacunas in ſcriptis Ariſtotelis ex ingenio ſupplentium, ſuasque nugas magno philoſopho ſupponentium; obſcuritate autem eius ad illum finem vtentium, vt coniecturas ſuas ſaepe friuolas, ſane ſemper audaces, Ariſtotelis menti eſſe conformes, contendere poſſent.

VI. Nouam tamen ſpem melioris fortunae attuliſſe Alexandrum Aphrodiſienſem, qui neglecta ſyncretiſtica ſecundum Ariſtotelem philoſophandi methodo, preſſius philoſophum ſecutus eſt, hancque diſciplinae Peripateticae purioris rationem, auctoritate imperatorum in cathedram publicam traduxit. Aſt exorienti luci mox ex eodem, quo progreſſa eſt iſta felicitas, fonte grauem obſtitiſſe nebulam, Caracalla imperatore, qui

a) Conferri non ſine iucunditate hic poteſt cum huius ſectae hiſtoria PHILOSTRATI vita Sophiſtarum.

Digitized by Google

qui cum patre Seuero Alexandro Aphrodiſienſem Peripateticam philoſophiam publice docere iuſſerat, de eo conſilia agitante, vt omnes Ariſtotelis libri plane tollerentur, eo quod Ariſtotelis arte Alexandrum M. veneno ſublatum eſſe crederet.

VII. Etſi vero Alexandrea ſchola ſinceriori modo Ariſtotelis dogmata enarrare contenderet, non tamen adeo ſeruilem eam induiſſe animum, vt nulla in re ab Ariſtotele diuortium facere auderet, ſed paſſim in alias opiniones abiiſſe. Cuius rei exemplum ſupra in ipſo Alexandro Aphrodiſienſi exhibuimus, prouidentiam diuinam contra Ariſtotelem aſſerente. Multis hanc philoſophandi libertatem in ſchola Peripatetica obſeruatam exemplis probauit PATRICIVS [e], dignus qui ea de re attente legatur. Ita vero laudabile quidem philoſophandi exemplum eos exhibuiſſe, aſt genuinam Peripateticae philoſophiae mentem his adeo non adiutam fuiſſe, vt potius alienae opiniones Ariſtoteli affingerentur, quilibet facile intelligit.

VIII. Maxime vero ad variam explicandi Ariſtotelem methodum, quae in eius ſchola poſt C. N. obtinuit, attendendum eſſe, eamque diuerſa ratione variaſſe. Probe id obſeruandum eſt. Quidam enim, vt Aſpaſius, plurimum operae poſuerunt in verbis Ariſtotelis et interpretandis et corrigendis, et reſtituendis, idque et grammatica ratione et philoſophica, quod, quo quis erat ingenio felicior, eo periculoſius erat, ne veri ſenſus Ariſtotelis peruerterentur. Alii paraphraſibus obſcuritati librorum Ariſtotelis mederi cupiebant, id quod Andronicus iam tentauit, maiori vero felicitate exſecutus eſt Themiſtius; non ſine metu proprias eos ingenii ſui cogitationes verbis Ariſtotelis affinxiſſe. Alii accuratius in exponendo Ariſtotele verſaturi, totosque libros aemula quadam tractatione explanaturi, et argumenta librorum atque ſummam et modum demonſtrationis, et rationum pondera excuſſerunt, cum ipſo quaſi Ariſtotele philoſophati. Quam commentandi in Ariſtotelis libros rationem praecipue Alexander Aphrodiſaeus tenuit, vnde commentatoris nomen adeptus eſt. Alii tandem ſolis principiis Peripateticis vſi, ad mentem quidem Ariſtotelis de materiis dialecticis, phyſicis et ethicis differuerunt, aſt ſuos ſenſus, ſuasque ratiocinationes ſecuti, ſuas opiniones exhibuerunt et demonſtrarunt, quas cum Peripateticis principiis inaedificaſſent, Ariſtotelicas eſſe dixerunt. Cuius generis commentationes Peripateticae innumerae extant. Alios plures exponendi Peripateticam philoſophiam modos exponit PATRICIVS [f], in quibusdam tamen μικρέλογος, muſcasque captans. Ex his autem quilibet, cui ſanum ſynciput eſt, intelligit, multa potuiſſe obrepere, de quibus Ariſtoteles nunquam

e) l. c. L. XII. p. 160. ſeqq.

f) l. c. p. 146. ſeqq.

quam cogitauit, ficque veram ac genuinam eius philoſophiam multis modis potuiſſe adulterari.

IX. Dubium vero non eſſe, multiplicem variamque hanc explicandi Ariſtotelem rationem multis contentionibus et diſputationibus de vera Ariſtotelis mente portam aperuiſſe, quae cum ad Saracenos, de vera eius ſententia ob multas cauſſas, infra exponendas, incertos et ab his ad ſcholaſticos doctores tranſiiſſent, enatum inde eſſe contentioſum illud et ab ipſo Ariſtotele abhorrens philoſophiae genus, quod Scholaſticae philoſophiae nomine in *tomo tertio* accurate delineabimus.

X. Acceſſiſſe tandem inteſtinis his malis eclecticae ſectae *ſtudium* et vindicandi ſibi Ariſtotelem et cum Platone reconciliandi, et alias ſectas ſupprimendi: idque multas quidem nobis commentationes in Ariſtotelem peperiſſe, eruditionis luminibus non carentes; aſt veros tandem ſenſus Ariſtotelis in ſe obſcuros et latentes multo magis abſcondiſſe. Et ex his omnibus hoc tandem ſtatuendum eſſe: non ſufficere Peripateticorum poſt C. N. diligentiam ad veram Ariſtotelis mentem et ſententiam ex ſcriptis eius eruendam.

SECTIO SEXTA.

DE SECTA CYNICA.

§. I.

Fata ſectae Cynicae.

Sectae Cynicae poſt natum Saluatorem fata cognituro ad hiſtoriam eius ante C. N. reſpiciendum, et indoles atque conſtitutio illius ſectae recogitanda eſt. Accurate enim *tomo primo* demonſtrauimus, eius finem atque ſcopum non fuiſſe, theoreticam quandam ſectam condere, et peculiare doctrinae exſtruere aedificium; ſed practicae potius virtutis exempla oſtendere, et ſingulare vitae inſtitutum ſequi, quod et ipſum philoſophicam virtutem, heroicumque aliquod ſapientiae viuendo expreſſae robur exhiberet, et ad virtutem commendandam vitiumque acriter reprehendendum, emendandosque corruptos hominum mores ſufficeret. Demonſtratum porro, elegiſſe ſectam Cynicam ad hunc finem obtinendum vitam duriſſimam, et ſpontaneo paupertatis iugo ſuſcepto ex beneficiis hominum diuitum vixiſſe, indictoque affectibus bello inſuperabile pectus communi vitiorum torrenti obieciſſe: vſam autem fuiſſe et lingua acerrima, et acumine in reprehendendis hominum moribus ingenioſe pungente; decori etiam cum affectata ſuperbia anxie a Graecis obſeruati negligentiam ſtudioſe coluiſſe. Quin et hoc nos docuit Cynicae ſectae hiſtoria, viros magni animi, acerrimi iudicii, et in-

Digitized by Google

et inusitatae fortitudinis hanc vluendi rationem fuisse amplexos et non obstante singulari et a communi viuendi ratione prorsus deuiante vita, in magna auctoritate vixisse et patienter atque cum veneratione aliqua exceptas fuisse eorum reprehensiones, cauillis interdum ob nimiam dicendi et redarguendi licentiam similes, immo gratos eos magnis principibusque viris haud raro fuisse. Valde se commendauit hoc durum vitae genus, quod profitebatur secta Cynica, effecitque innata homini superbia, vt hanc auctoritatem et venerationem, qua Cynici veteres gaudebant, cum neglectu et commodi et decori complures affectarent. Ast deerat his hominibus Antisthenis, Diogenis, Cratetis animus, roburque illud, quod ad negligenda vitae omnis commoda perferendamque virtuti Cynicae austeritatem omnino requirebatur, deerat animi candor ad id vnice respiciens, vt grassantium scelerum torrens inhiberetur, et regnantia proculcarentur vitia: nec pauca quaedam virorum istud animi virtutisque robur exprimentium exempla impedire poterant, quo minus in turpissimam adulationem, et abiectissima mendicitatis opprobria, quibus nec recti nec decori ratio vlla habebatur, institutum vitae Cynicum degeneraret, et laudatam virtutem Cynicam maculis deformaret. Plena sunt declamationibus in impudentissimum hominum genus veterum scripta, quae otium, mores parasiticos, impudentiam, obtrectandi licentiam, decori neglectum, et vitia fere quaelibet Cynicis obiiciunt. Sane suo iam tempore CICERO [a] *Cynicorum nationem totam eiiciendam esse* statuit, *eo quod inimica verecundiae esset, sine qua nihil rectum esse possit, nihil honestum.* Caesarum vero temporibus graui oratione passim in pessimos Cynicorum mores declamauit LVCIANVS [b]. Is enim in *fugitiuis* [c] accurata imagine Pseudo-Cynicos istos descripturus, „scelestum quoddam „hominum genus esse dicit, et vt plurimum seruile et mercenarium, cum „philosophia non conuersatum a pueris, sed seruitutem seruiens, aut sub „mercede operam locans, aut alias artes exercens. Hos homines, cum „reuerentiam, quae philosophiae exhibeatur, conspexerint, et toleran„tiam libertatis loquendi, hanc tyrannidem haud exiguam iudicasse, ve„rum artes huc facientes discere non posse, artificia autem, et seruitu„tem molestam et intolerandam iudicasse. Re igitur diligenter perpensa „ad socordiam declinasse, audaciamque et ignorantiam ac impudentiam „in auxilium aduocasse, conuicia vero noua excogitasse, et externum „philosophorum habitum, vt asinus Aesopi leonem in eius pelle, assum„sisse, vestem detritam sibi circumdedisse, peram collo suspendisse, „lignum in manibus gestasse, latrasse omnibusque maledixisse, securita-

„tem

a) De offic. L. I.

b) In Diogenes et Crates, vitarum auctione in Diog. et Antisthene, in Demonacte, in Peregrino et in Cynico, dialogis.

c) T. IV. p. m. 321.

„tem vero, quod ob talia nihil paſſuri eſſent, formae reuerentiam prae-
„ſtare; libertatem vero, inuito etiam domino promtam baculi expertam
„violentiam. Caeterum farinam non amplius paucam, neque placentam
„vt antea, tenuem, obſonia vero nequaquam ſolita, cepeue agreſte,
„ſed carnes omnifariam, et vinum ſuauiſſimum, quin et aurum, cum
„velint, paratum: etenim circumerrantes tributum colligere, multosque
„dare exiſtimare, vel habitus veneratione, aut metu ne male audire co-
„gantur. - - Tali impoſtura ciuitatem repletam eſſe vniuerſam, et ma-
„xime ſub Diogenis, Antiſthenis et Cratetis titulo, nec non canum prae-
„textu: Ceterum quod natura optimum eſt in canibus, eos non imitari,
„ſed gulofitate, latratu, rapina, venereis, adulationibus dantium, men-
„ſarum denique frequentatione, his perquam diligenter elaborare. - -
„Nonnullos et hoſpitum ſuorum adulterantes vxores abducere, Ilienſis il-
„lius iuuenis inſtar, tanquam et ipſae philoſophaturae eſſent: quae vero in
„conuiuiis agant, quemadmodum inebrientur, longum fore recenſere, et
„haec facere, dum ipſi ebrietatem, adulteria, luxuriam, et auaritiam re-
„prehendunt. Ipſos vehementia irae leuiſſimarumque rerum perturba-
„tione, nec non indignandi facilitate etiam nuper genitos infantulos ſu-
„perare: non paruum igitur riſum ſpectatoribus mouere, cum quouis
„etiam fortuito caſu adeo illis ira ebulliat: colore autem liuidos videri,
„impudens aliquid et abominabile prae ſe ferentes &c.„ Plura eiusmodi et hoc loco, et alibi paſſim de Cynicis queritur Lucianus. Qui licet ad ridendos omnes philoſophos ſtudium fere omne ſuum contuliſſe videatur, tantum tamen abeſt, vt veros Cynicos contemſerit, riſeritque, vt potius in *Cynico*, inſtituti huius alumnum verum atque genuinum egregie depingat dilaudetque, et Demonactem Cynicum magnis laudibus extollat. Quod ſi nobis liceret eſſe prolixis, facili labore complura veterum colligi loca poſſent [d], quibus vita peſſima Cynicorum iſtis temporibus depingitur, hominesque hos, qui Antiſthenis ſe Diogenisque vel Cratetis exemplum ſequi, vel Herculis magis veſtigiis inſiſtere [e] et eclecticos practicos ſe eſſe iactabant [f], magnamque in rebus fere omnibus ἀδιαφορίαν affectabant, poſthabito omni virtutis et honeſtatis cultu, gulofitate, impudentia, ventris ſtudio, latratu maledicentiſſimo, et acerbiſſimis inuectiuis bonorum omnium odia et indignationem, populi vero ex veſtitu et profeſſione neſcio quam morum ſanctitatem colligentis plauſum meruiſſe, multis exemplis conficitur. Tanta vero maledicentiae impudentiſſima fuit audacia, vt ne principibus quidem viris, immo ipſis imperatoribus

d) Vid. ATHENAEVS Deipnoſ. p. 156. conf. GAVDENT. de phil. Rom. c. CXLVI. p. 149. Acta philoſ. Vol. II. p. 914. vbi Cynuleum Athenaei non nomen proprium philoſophi, ſed commune mali Cynici nomen eſſe ingenioſa coniectura traditur. Alias imagines Pſeudo-Cynicorum vide apud IVLIANVM Orat. VII. EPICTET. diſſ. 22. L. III. p. 299. alioſque, et eccleſiaſticos, IVSTINVM, TATIANVM, AVGVSTINVM.

e) IVLIAN. Orat. VI. p. 187. LVCIAN. in Demonacte T. I. p. m. 581. vit. auct. T. III. p. 107. EVSEB. praep. ev. L. XV. c. 3. et quae T. I. L. III. c. 8. de Cynicis diſſeruimus.

f) Oenomaus apud IVLIANVM l. c.

Digitized by Google

bus parcerent, quod ſuo malo feciſſe Diogenem poſtea narrabimus, et in Peregrino notat LVCIANVS [e], monens, *inſolentiſſimae linguae hominem in ipſum imperatorem audaciſſimis conuiciis debacchatum fuiſſe, quae cum ille neglexiſſet, neque ſupplicio afficere dignatus eſſet eos, qui rationem conuiciis impetendi alios artem ſibi peculiarem feciſſent, tantam dicendi licentiam non mediocrem Peregrino gloriam comparaſſe, donec is qui reipublicae procurationem obibat, ejectum eum ablegaſſet, cum praeter modum hac libertate abuteretur, dicentem, vrbi nihil opus eſſe tali philoſopho.* Iudicari ex his facile poteſt, auctoritatem, qua veteres Cynici inter omnes pollebant, horum hominum malis et deteſtandis moribus prorſus concidiſſe. Et vitae quidem durioris ſpecie, et victu atque amictu ab aliis ſe diſtinguebant, voluptatesque pedibus ſe calcare ſimulabant. Tunica vtebantur duplici ſiue abolla [h], immo ferarum pellibus tecti quidam incedebant, qualem depingit LVCIANVS [i], mendicorum affectabant ſupellectilem, nempe vt AVSONIVS [k] habet:

Pera, polenta, tribon, baculus, ſcyphus, arida ſupellex
Iſta fuit Cynici.

Barbam etiam alebant, vt maiorem inde venerationem caperent [l]. Vita tamen nequiſſima propudioſum hominum genus et boni cuiuslibet indignationi, et plebis expoſuit opprobrio, quae ignominia, immo verberibus nonnunquam ob linguae impudentiam eos male habebat [m], petulantesque adoleſcentes lapidibus impetebant. Tamque contemta tandem virtus Cynica reddita eſt, vt ſcortorum fieret lodibrium mulieresque publicato corpore infames illis illuderent. De quo illud PERSII [n]:

multum gaudere paratus
Si Cynico barbam petulans nonaria [o] vellat.

Non probabant haec viri graues et prudentes, qui ſeuerum inſtitutum, ſummum philoſophiae robur eſſe probe norant; aſt proſtitui philoſophiae ſanctitatem et venerabilem Cyniſmi auctoritatem peſſimorum hominum profanis et deteſtandis plane moribus indignabantur, virtutis ipſius intereſſe rati, ne pro hypocritica veſania cultus eius haberetur. Quae illis

e) T IV. p. m. 283.

b) Abolla a MARTIALE, τρίβων, ſiue pallium detritum a LVCIANO Cynicis obiectum.

i) In Demonacte T. II. p. m. 572. qui falſo quoque eos ridet in Peregrino T. IV. p. 288. qui peram et pallium facere Cynicum putabant.

k) In epigramm.

l) Hinc barbati magiſtri philoſophi Stoici et Cynici dicti PERSIO Sat. IV.

Barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutae.

IVVEN. Sat. XIV.

Barbatos licet admoneas mille inde magiſtros,

Conf. HORNIVS Hiſt. phil. L. VII. c. 13. p. 379. qui tamen more ſuo multa aliena admiſcet.

m) LVCIAN. in Demonacte T. II. p. 582. EPICTET. l. c. p. 308.

n) Sat. I. v. 133.

o) Nonaria, ſcortum, quod a nona hora proſtabat. Conf. GAVBERT. de phil. Rom. c. LXIX. p. 243.

cauſſa fuit, vt veram Cynici imaginem deſcriberent, et qua ratione ſapientiae miniſter eſſe deberet, oſtenderent. In qua re valde diligentes fuere philoſophi acuti, IVLIANVS [p], MAXIMVS TYRIVS [q], DIO PRVSAEENSIS [r], LVCIANVS [s], et imprimis EPICTETVS [t], qui prolixe de vita Cynica diſſeruit, cuius haec Cynici veri imago eſt: *Primum tuis in rebus non amplius te tui ſimilem eſſe oportet, nec quicquam eorum facere, quae nunc facis. Non incuſandus Deus, non homo, appetitus plane tibi auferendus eſt, auerſatio ad ea ſola, quae noſtri arbitrii ſunt, transferenda, non te iracundum eſſe decet, non indignabundum, non inuidum, non miſericordem, puella pulchra tibi videri non debet, non gloriola, non puellus, non placentula. Cynico parietum loco eſt verecundia, haec domus illi eſt, haec ianua, hi cubicularii, hae tenebrae, neque enim debet ſuarum rerum quicquam occultare. - - Primum tuus animus tibi purgandus, et illud vitae inſtitutum, corpuſculum nihil ad te, mors nihil ad te, quocunque in exilium abieris, ibi erit ſol, ibi luna, ibi ſtellae, ſomnia, auguria, colloquia cum Deo. Vbi autem ſe ita parauerit verus Cynicus, his contentus eſſe nequit, ſed ſcire debet, ſe a Ioue legatum eſſe, vt hominibus, quae bona, quae mala ſint, nuntiet: vt, quantis in erroribus verſentur, demonſtret, vtque alio in loco bonorum malorumque naturam, quam vbi ſunt, quaerant, vbi vero ſunt, non cogitent. Reuera explorator eſt Cynicus, quaenam hominibus iucunda ſint, quae inuiſa, ſpeculatur, quae vbi accurate indagarit, vera renuntianda ſunt, nec metu oportet perculſum eſſe, vt eos, qui hoſtes non ſunt, pro hoſtibus oſtendat.* Sed reliqua quoque legenda ſunt, prolixiora, quam quae huc transſcribi poſſunt, in quibus examinandas prius vires, conſulendum Deum, parandamque patientiam, vt tanquam aſinus vapulet, formandam ad eandem virtutem familiam, praeſtandumque ſe praeconem Deorum immortalium hortatur. Multa in his eſſe a prima Cynicorum imagine deſumta, inficiandum non eſt, aſt vitam quoque aſcetarum reſpexiſſe illos, qui has Cynico virtutes imperant, vel ad miniſtrorum eccleſiae Chriſtianae officia, quae praeſcribunt ſacrae paginae, attendiſſe, dubium non eſt, nobisque alio oſtenſum loco [u]. Ab hac perfectae virtutis regula plerique, qui poſt Chriſtum natum viuebant, Cynici deuiabant, et, quod IVLIANVS Heraclio Cynico obiicit, *vagi vbique diſcurrebant, comitatui principis importuni, vrbes circumibant, optimis quibusque conuiciabantur, peſſimis adulabantur, vitamque agebant vagam et inhumanam.* Qua in re cum monachis eos non ſine calumnia

p) Orat. VI. VII.
q) Diſſert. XXL
r) Orat. XIV.
s) In Cynico.
t) ARRIAN. diſſert. Epict. L. III. c. 22. p. m. 299. Apud quem memoria repetendum, Cynicos a Stoicis runica tantum diſtare, principiis fere conuenire: vt tomo primo demonſtratum.
u) Diſſ. de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus, Tempe Helu. T. II. p. 260.

Digitized by Google

lumnia comparauit Iulianus *. Fecit haec degenerans a virtute anteceſſorum Cynicorum vita, vt et vehementer inſtitutum Cynicum contemneretur, et honeſtos viros eius puderet, vnde mature decrementa cepit. Ad quae attuliſſe multum impudentiam caninam, qua ne principibus quidem viris ipſisque imperatoribus pepercerunt, et exilia paſſim meruerunt, Muſonii, Demetrii, Peregrini exempla probant. Certe quod ſub Antoninis Platonicae quidem, Stoicae, Peripateticae et Epicureae ſectae mentio fit, quibus publica auctoritate philoſophari conceſſum fuit, non vero Cynicae, argumento eſt, Cynicum inſtitutum iam tum euiluiſſe. Id quod tantopere SIDONII ' aetate, qui medio ſeculo V. floruit, factum, vt de iis canat:

Excluſi prope iam Cynici vix limine reſtant.

Sane ab eo tempore vix vnus et alter in philoſophica hiſtoria occurrit *. Intelligemus haec omnia, ſi vitas Muſonii Babylonii, Demetrii, Oenomai, Demonactis, Creſcentis, Peregrini et Salluſtii examinauerimus, qui inter Cynicos complures, quorum fere nomina tantum nouimus, vel virtutibus vel vitiis illuſtres fuerunt.

§. II. MVSONIVS teſte PHILOSTRATO *, Babylonius fuit, a Muſonio Tyrrheno ſiue Thuſco probe diſtinguendus; qui et patria et ſectae profeſſione, (Stoicus enim fuit, vt infra dicemus) a Cynico differt, licet eodem tempore Romae inclaruerit. Quin nec plures Muſonii, apud veteres memorati, inter ſe et cum noſtro confundendi ſunt, quod tamen viris doctis aliquoties accidit. Praeſertim Stoicum Muſonium cum Cynico confundendi occaſionem dedit, et locus, vbi vterque ſimul vixit, et tempus et fatorum quaedam ſimilitudo. Vterque enim ſub Nerone Romae vixit et exilium paſſus eſt. Collegit hinc SVIDAS *, Muſonium Thuſcum et Babylonium vnum eundem eſſe philoſophum, id quod tamen nemo mirabitur, qui cogitauerit, multis nos negligentiae ſpeciminibus et maxime homonymorum confuſione ſaepius iam Suidam notaſſe. Qui tamen recentiores quosdam viros doctos ſeduxit, vt Muſonium Stoicum cum Cynico eundem eſſe, coniicerent. Id quod poſt GAVDENTIVM ' πολυμαθέστατος GOTTFRIDVS OLEARIVS ' verſimile rationibus multis reddere docte laborauit. Summa vero earum haec eſt: Prodere nomen Muſonii, Babylonium illum non fuiſſe, eſſe enim nomen hoc ex Latio; quod vero Philoſtratus Babylonium vo-

Muſonius Babylonius.

x) Habet hoc cum aliis philoſophis gentilibus Iulianus commune, qui monachos maxime proſequebantur odio, vt vel ex vno EVNAPIO in Aedeſio p. 78. diſci poteſt. Valde his indignatur GAVDENTIVS de philoſ. Rom. c. LXXII. attamen IVSTVS LIPSIVS manud. ad philoſoph. Stoicam Cynicos comparauit cum Cappucinis L. I. diſſ. XIII. p. m. 79.

y) Carm. 8.

z) E. g. Salluſtius, de quo infra.

a) Vit. Apollon. L. IV. c. 35. p. 176.

b) In Muſonius T. II. p. 579.

c) De philoſoph. Romana c. LXXIX. p. 574 ſeq.

d) Ad L. c. Philoſtrati.

cat, non de patria, sed de professione esse intelligendum, idemque significare, quod Chaldaeus, nempe magum vel diuinum, quae vitae et doctrinae professio ei Apollonii amicitiam conciliauerit, carceremque apud Neronem meruerit. Prouocat etiam vir praestantissimus ad Suidam, qui Tyrrhenum e Volsinia dicit, filium Capitonis, et philosophum Stoicum atque dialecticum discipulumque Apollonii vocat. Dialecticum autem intelligit sensu Platonico, quo doctrina de spiritibus et theurgia ad dialecticam pertinet, vnde magiae suspectus factus. Vrget etiam, conuenire tempus, indolem, conditionem, maxime vero relegationem, quam passum esse Musonium patria Tyrrhenum ipse fateatur PHILOSTRATVS [e]. Vnde pleraque etiam cum N. TILLEMONTIO [f] ad *hunc* Musonium loca referenda putat, quae de T. Musonio Rufo apud Plinium, Tacitum, Dionem, Themistium, Iustinum, Iulianum aliosque occurrunt; licet fateatur tandem, difficile esse dicere, de quibusdam locorum allegatorum, vtrum ad Stoicum Musonium, an ad Rufum Musonium pertineant. Et haec quidem docte disputari a viro clarissimo, non negamus, assensum tamen vt praebeamus dictis, a nobis impetrare nequimus, sed adhaerendum putamus accuratissimis in homonymis discernendis iudicibus Io. IONSIO [g] et Io. ALBERTO FABRICIO [h], qui Stoicum Musonium a Cynico distinguendum esse recte monuerunt. Rationes eius rei ab his viris doctis non allatae hae sunt, quae rem extra dubitationem ponere videntur: 1. Philostrati testimonium luculentum est, et sole meridiano clarius, vocatur enim isto loco diserte ἀνὴρ Βαβυλώνιος, homo Babylonius, quod patriam innuere nemo non videt. Quae enim doctissimus editor affert, Babylonium idem dici ac magum, valde contortum est, et verbis Philostrati vim affert vix tolerandam, nec demonstrauit is, Chaldaeum et Babylonium hoc sensu, vt magum significent, esse synonyma; de solo enim Chaldaei nomine verum est, quod cum mago in edictis imperatorum coniungatur. 2. Differre vero Musonium vtrumque, virum optimum satis docere poterat sectae professio, quae diuersa in vtroque fuit. Et Thuscum quidem Stoicum fuisse, nec ipse Olearius negat; Babylonium autem Cynicum fuisse et vitae eius historia probat, et EVNAPII [i] testimonium euincit, quod clarissimum est. De Apollonii enim tempore locutus addit: *Καρνεάδης δὲ ἦν κατὰ τούτους τοὺς χρόνους, καὶ τῶν κατὰ Κυνισμὸν ἐκ ἀφανῆς, εἴ τινες καὶ κυνισμοῦ χρὴ λόγον ποιεῖσθαι, ἐν οἷς ἦν Μουσώνιος καὶ Δημήτριος καὶ Μένιππος καὶ ἕτεροί γε τινὲς πλείους. Ea tempestate fuit Carneades non obscuri inter Cynicos nominis, si modo haberi ratio vlla sectae Cynicae debet, inter quos erant Musonius, Demetrius, Menippus aliique nonnulli.* Sed et alio loco Cynismum Musonii ipse testatur PHILOSTRATVS [k], episto-

e) L. VII. c. 16.
f) In Ner. p. 502.
g) De Scr. Hist. phil. L. III. c. 7. p. 248.
h) Bibl. Graec. Vol. II. p. 865.
i) In prooem. p. 7.
k) L. IV. c. 46. p. 137.

Digitized by Google

epiſtolam adducens Apollonii ad Muſonium, quae haec eſt: *Cupio ad te venire, et ſermonum ac tecti frui communione, vt aliquo modo te adiuuem, modo ne dubites, quod Herculer quoque ab inferno Theſeum liberauerit, ſcribe quid fieri cupias, vale.* Reuocat hac epiſtola Muſonio in memoriam Apollonius exemplum Herculis: aſt hunc ſectae ſuae conditorem, huius ſe imitatores eſſe Cynici profitebantur, vt ſupra probatum. Falſum autem eſt, Muſonium propter magiam in carcerem detruſum et in exilium fuiſſe actum; docet enim nos vitae eius hiſtoria, oris potius libertatem prorſus Cynicam hanc poenam meruiſſe. Teſtem volumus ipſum, quem ducem ſequitur Olearius, SVIDAM [l], qui diſerte: *Hic ob linguae libertatem, et arguendi ſtudium, et immodicam libertatem a Nerone ſublatus eſt.* Cynicus itaque cum fuerit, a Stoico neceſſario diſtinguendus eſt. Sed et 3. Cynicum vlli muneri publico admotum eſſe, nemo dicit veterum; aſt ſplendidis praefuiſſe muneribus Stoicum infra demonſtrabimus. 4. Quin nec locus exilii vtriusque Muſonii conuenit; Cynicus enim in Graeciam miſſus eſt, ad fodiendum Iſthmum; Stoicus, teſte PHILOSTRATO [m] in Giaras, quae Cycladum vna fuit, relegatus fuit. 5 Parum vero ponderis habent, quae pro ſua opinione affert Olearius. Quod ſi enim concedimus, Muſonii nomen Latinum eſſe, inſolitum tamen non fuit barbaris hominibus, ingratum Latinorum auribus aſperumque quod in patria habuere, nomen, cum Latino, vel Graeco commutare, qua ratione Malchi nomen cum Porphyrii commutatum fuiſſe appellatione ſupra diximus, vt alia exempla taceamus. Magum vero fuiſſe Muſonium non alio ex loco probat vir eruditus, niſi ex falſa interpretatione eius, ad quem prouocat, quemque diſtinctione prorſus non admittenda euertit; nihil enim alibi de magia Muſonio obiecta occurrit, quod vel leuem habeat ſpeciem, Suidas autem ipſe contradicit, qui non magiae ſuſpicionem, ſed canlnam dicacitatem orisque libertatem nimiam cauſſam illi exilii extitiſſe, narrat. Prorſus vero inuſitatum et vix vllo exemplo probandum eſt, quod Philoſtrati editor putat, dialecticum idem eſſe ac Theurgum; et doctrinam quidem de Deo et ſpiritibus ad dialecticam retuliſſe Platonem certum eſt, de Platonicis autem huius temporis prius demonſtrandum. Quod ſi hoc damus, euinci tamen nunquam poteſt, in dialectica Stoicorum, quam is agnoſcit, vnquam de ſpiritibus vel arte theurgica fuiſſe praeceptum. Tantum etiam abeſt, vt has nugas curauerint Stoici, vt potius Pythagoreos Platonicosque ea de re riſerint. Suidae vero auctoritas eo minus ponderis habet, quo magis in confundendis homonymis eum frequenter fuiſſe lapſum omnibus notum eſt. Tandem nec poena ſimilis, eundem fuiſſe vtrumque Muſonium, probat, cum et locus exilii differat, [illegible] quoque tempore plures philoſophos idem fatum ſortitos, eandemque poenam paſſos fuiſſe conſtet. Verum ipſe tandem deſideratiſſimus OLEARIVS, Tillemontium,

l) loc. cit. m) L. VII. c. 16.

Digitized by Google

tium, Philoſtrati relationem ſuſpectam facientem ex eo, quod ex Tacito et Dione pateat, Muſonium relegatum fuiſſe, non in carcerem coniectum, refutaturus cum Scaligero ſtatuendum eſſe putat, Muſonium Rufum alium eſſe a Muſonio noſtro. Quibus rationibus omnibus accurate expenſis, dubium nobis reſtat nullum, Cynicum hunc Muſonium a Stoico diſtinguendum, nec cum eo, vt cum aliis, praeſertim cum Muſonio iuniori, de quo EVNAPIVS [t] videndus, confundendum, vt accidit H. VALESIO [u] et L. KVSTERO [x]. Pauca vero de hoc Cynico Muſonio nobis conſtant, monuitque iam ſua aetate EVNAPIVS [y] *Cynicorum recentiorum*, quos ſupra nominauimus, et inter quos primum fere locum obtinuit Muſonius, *certam et exploratam actae vitae cognitionem, prodente, quod equidem conſtet, nemine, haberi non poſſe, vitae tamen locum abunde ſupplere eorum libros, tanta eruditione refertos, tantaque obſeruationum, in ſcientiis, quae mores entiumque naturam inueſtigant, copia ſcatentes, vt ex illorum animis, qui ſectari eos cupiant, ignorationem ceu caliginem quandam facile expellere valeant.* Hos vero libros cum hodie quoque deſideremus, pauca nobis ſufficere oportet, quae paſſim legimus, quaeque inter praecipuos Cynicos, fama illuſtriores Muſonium fuiſſe, confirmant. Ex adducto PHILOSTRATI loco patet, eum ſapientia proximum ab Apollonio habitum fuiſſe, qui cum fere diuinus crederetur, Muſonii famam et exiſtimationem haud exiguam fuiſſe, inde coniici poteſt. Quin alio loco [z] *maxime mortalium philoſophia excelluiſſe* ſcribit. Cynicos vero eum mores, maxime intrepida oris libertate et reprehendendi audacia, qua ne Neroni quidem pepercit, ſecutum fuiſſe, monſtrisque his debellandis Herculem imitari voluiſſe, ſupra iam diximus, iram vero et indignationem imperatoris eam ob cauſſam meruiſſe, ex Suida narrauimus. Ea enim παῤῥησίᾳ adeo crabrones irritauit Muſonius, vt in carcerem coniiceretur, inque eo in magno periculo eſſet, mortuusque eſſet, quantum ad eum, cuius iuſſu in vinculis erat, niſi valido robuſtoque corpore extitiſſet [a]. In hoc vero carcere cum Apollonio Tyaneo amicitiam iniit et literarum commercium, cuius aliquot epiſtolas nobis ſeruauit PHILOSTRATVS [b]. Tandem in Graeciam in exilium miſſus eſt, vbi eum vidit Demetrius vinculis conſtrictum, et, vt apud Iſthmum foderet, adactum; qua de cauſſa cum Demetrius lamentatus eſſet, ille ligonem tenuit, et valide terrae impegit, ſublatisque in coelum oculis dixit: moerore te afficio Demetri, quod Iſthmum effodiam? quid vero paſſurus eſſes, ſi me quoque, ſicut Neronem, cithara canentem videres [c]? Quo vero fati genere obierit, incertum.

t) In Protereſio p. 159. fuit discipulus Euſebii Myndii eiusque in cathedra Sophiſtarum ſucceſſor, vixitque ſub Iuliano, Valente et Valentiniano Imp. adeoque a noſtro diſtinguendus, conf. IONS. l. c. l. III. c. 7. p. 242.
u) Ad AMM. MARC. L. XXVII. p. 348.
x) Ad l. c. SVIDAE.
y) Prooem. p. 6.
z) L. V. c. 19.
a) PHILOSTRAT. l. c. p. 176.
b) c. 46. p. 187.
c) L. V. c. 19.

Digitized by Google

tum. Etsi enim SVIDAS [x] de eo dicit, ὅτι ἐπὶ Νέρωνος ἀνῃρέθη, quod interpres vertit, *a Nerone caesus est:* recte tamen obseruauit OLEARIVS, τὸ ἀνῃρεθῆναι generali sensu significare: *e medio tollere*, et ad relegatum etiam pertinere posse, qui ἐκ τῆς πόλεως ἀνῃρέθη, quemadmodum SVIDAS τὸν Κορνήτον σὺν τῷ Μουσωνίῳ ἀνῃρεθέντα, *Cornutum simul cum Musonio vrbe exactum et sublatum dixit.* Virum fuisse magnum, gestaque eius fuisse plurima et maxima, testatur quidem PHILOSTRATVS [y], sed qualia fuerint, se praetermittere dicit. Laudat in eo iniuriarum tolerantiam et animum philosophicum IVLIANVS [z] imperator. Orationes vero et epistolae eius interciderunt.

§. III Musonio gloria inter Cynicos non par modo, sed superior fere fuit DEMETRIVS, philosophus [a] antiquae virtutis vereque Cynicae fortitudinis, qui quam Epictetus nobis depinxit Cynici faciem viuendo exprimere tentauit. Dolendum itaque pauca et exigua esse, quae de magno philosopho nobis reliquere veteres, in describendis Cynicorum vitis valde incurii. Accedit, Demetrii nomen peruulgatum inter Graecos fuisse, multosque philosophos nomen illud gessisse, quo factum, vt veterum narrationes non potuerint non confundi, nec via satis tuta pateat, Demetrios hos inter se accurate distinguendi. LAERTIVS [b] viginti enumerat, quibus addunt alios MENAGIVS [c] et VOSSIVS [d]: quinquaginta duos notant IONSIVS [e] et FABRICIVS [f]. Ex his plerique aetate quidem a Cynico Demetrio facile distinguuntur, cum vel eum tempore superent, vel infra eius aetatem sint, vitae quoque genere et professione a philosopho Cynico diuersi esse cognoscantur. E. g. Demetrius Alexandrinus Cynicus philosophus, Theombroti discipulus [g], ante C. N. viuens, quem cum nostro confudit MENAGIUS [h], recte ab eo distinguitur, quia Apollonio coaeuus fuit, et sub imperatoribus Caligula, Claudio, Nerone, Vespasianis et Domitiano floruit. Alium Demetrium Alexandrinum, cui Chytras cognomen fuit, Cynicumque institutum secutus est, tempus etiam a nostro distinguit; vixit enim teste AMMIANO MARCELLINO [i] sub Constantio, et coniurationis in imperatorem suspectus tormentisque exploratus innocentiam probauit suam. Ast non aeque certum, vtrum a nostro Demetrio distinguendus sit Demetrius Cynicus, quem Sunium patriam habuisse, Rhodiumque sophistam praeceptorem, cum Antiphilo vero medico amicitiam sanctissime coluisse, ex LVCIANO [k] discimus. Cum enim ille

Demetrius Cynicus.

x) loc. citat.
y) loc. cit.
z) Epist. ad Themist. p. 262. SVIDAS l.c.
a) EVNAP. vit. Sophist. p. 7.
b) L. V. §. 84.
c) Ad h. l.
d) De histor. Graec. L. III. p. 352.
e) De Scr. Hist. phil. L. II. c. 18. p. 39. 210.
f) Bibl. Graec. Vol. II. p. 294. IV. p. 482. VI. p. 350. X. p. 390.
g) LAERT. L. VI. §. 94. Dictum de eo Tomo primo, L. II. c. 8.
h) l. c. et ad L. VI. §. 94.
i) L. XIX. c. 12. IVLIAN. Orat. VII. VALES. ad l. c. Amm.
k) In Toxari T. I. p. m. 624.

ille Demetrius, de quo nobis ſermo in praeſenti eſt, Corinthi vixerit, Sunium vero Corinthiis paruerit, colligit inde G. OLEARIVS [l], Demetrios hos inter ſe non eſſe diſtinguendos. Aliter vero viſum MENAGIO [m], qui ſerius, ſub Vero ſcilicet, vixiſſe coniicit, quas etiam partes ſequitur ὁ πάνυ FABRICIVS [n], ſui enim temporis hiſtoriam de incredibili Demetrii erga Antiphilum fide ſe narrare Lucianus ait. Opponit his Olearius, paulo ante Luciani tempora haec fieri potuiſſe. Aſt his obſtat, quod diſerte LVCIANVS [o] ſcribit: *Antiphilum etiam nunc quidem in Aegypto eſſe, Demetrium relicta amico pecunia conceſſiſſe in Indiam profectum ad Brachmanas:* ex quibus recte colligitur, Luciani tempore vtrumque vixiſſe. Addimus his, Demetrium Sunio oriundum viginti drachmarum millia a iudice ob toleratas iniurias dono accepiſſe: Aſt SENECA [p] auctore pauperrimum fuiſſe Demetrium Cynicum: nimis etiam diſtare tempora Neronis, quibus hic floruit, a Veri aetate, vt tantae ſenectutis hominem iter ad Indos ſuſcepiſſe, veriſimile ſiat; niſi dicamus, Lucianum tempora ex ingenio finxiſſe, vt argumento, more ſophiſtarum, inſeruiret, quod vero nodum ſecat, non ſoluit. Meminit et alio loco Demetrii Cynici LVCIANVS [q], narrans, eum, cum Corinthi conſpexiſſet ineruditum quendam pulcherrimum librum legentem, arreptum codicem laceraſſe, ſatius eſſe dicendo, ſemel a ſe, quam ab illo toties dilacerari. Hoc vero vtrum ad ſeniorem Demetrium Cynicum, vel ad iuniorem Sunienſem referendum ſit, dici non poteſt. Sed et PHILOSTRATVS [r] Demetrium Corinthium cum Alexandrino quodam Demetrio Fauorini familiari [s] miſcere videtur. Adeo incerta et confuſa ſatis eſt Demetrii Cynici hiſtoria! Enarrabimus tamen quae paulo certiora de eo conſtant. Et Corinthi quidem vixiſſe, Cynicae profeſſioni ſe dedentem Demetrium, ex PHILOSTRATO [t] conſtat, Romae tamen aliquandiu vixiſſe quoque, ex Apollonii hiſtoria liquet, qui eum Romae vidit, ſub Nerone. Aſt iam ſub Caligula vixiſſe Demetrium tradit GAVDENTIVS [u], ſed more ſuo, ſine teſte et ſine veriſimilitudine; quia enim ſub Tito adhuc ſuperfuit Demetrius, extremam illum ſenectutem attigiſſe neceſſe eſſet, quam tamen veteres tacent. Romae quibus fatis vſus fuerit narrat PHILOSTRATVS [x], tradens: *Demetrium ſe ipſum cum Nerone commiſiſſe, maxime poſtquam gymnaſium Nero abſoluiſſet, omnium quae Romae eſſent, plurimum admirandum, feſtumque diem ſacrificiis in eo peractis celebraui ſſet. Gymnaſium enim ingreſſum Demetrium orationem habuiſſe aduerſus eos,* qui

l) Ad PHILOSTRAT. vit. Apoll. L. IV. c. 25. p. 164.
m) loc. cit.
n) Bibl. Gr. Vol. II. p. 364.
o) l. c. p. m. 632.
p) De vita beata c. 18.
q) Adu. indoctum T. II. p. m. 776.
r) l. c. L. IV. c. 25. p. 165.
s) GALENVS de praecognit. IONSIVS l. c. p. 211.
t) loc. cit.
u) De philoſ. Roman. c. LXI. p. 341.
x) L. IV. c. 42. p. 188.

Digitized by Google

qui balneis vtebantur, tanquam imbelles et ſeipſos inquinantes, inanesque eſſe iſtas impenſas oſtendiſſe. Quibus dictis, quo minus ſtatim capite plecteretur, ei profuiſſe, quod cantus ſuauitate ſe ipſum eo die ſuperaſſet Nero. Nec tamen effugiſſe Demetrium, quo minus magnum ob ea, quae dixerat, periculum ſubiret. Tigellinum enim praefectum praetorio Neronis Roma illum expuliſſe, non ſecus ac ſi balneum verbis ſuis eſſet demolitus. Supra tamen in Apollonii hiſtoria iam expoſuimus, vix veriſimile eſſe, Demetrium, omnis philoſophiae robur complexum, vt ipſe ait Philoſtratus, cantu cum Nerone certaſſe, vel eo tempore Cynicam παῤῥησίαν adhibuiſſe, quo plerique philoſophi ab imperatore in exilium eſſent eiecti. Roma pulſus Athenas commigrauit, *forti adeo*, vt iterum PHILOSTRATVS [y] ſcribit, *animo, vt ne eo quidem tempore, quo Nero in certaminibus indecenter ſe gerebat, e Graecia exceſſerit.* Ex quo liquet, oris iſtam, quam Cynici affectabant, libertatem ſtudioſe magnoque animo conſectatum fuiſſe Demetrium, cuius exemplum memorabile illa eſſe poſſunt, quae Neroni mortem illi minitanti reſpondiſſe ait Epictetus [z]. Apollonii vero amicitiam cum Corinthi iniiſſet, eam ſancte coluit, diſcipulosque ad colendum hunc virum adduxit [a]. Sub Veſpaſiano iterata vice Cynicae libertatis damna ſenſit, aſt vere canem ſe demonſtrauit. Damnatus enim et in inſulam in exilium miſſus Veſpaſianum in itinere obuium habuit; ac neque aſſurgere neque ſalutare imperatorem dignatus eſt, ſed oblatrauit: Caeſar tamen ſatis habuit canem appellare [b]. Libertatem tamen ei procurauit, et commendationem poſtea apud Titum addidit Apollonius. Ille enim redeunti ab Hieroſolymarum oppugnatione, Tito Demetrium iungendum ſibi ſuaſit, vt haberet, qui ipſum, quae facienda eſſent, edoceret. In eo enim eſſe libertatem loquendi, et intrepiditatem, et veritatem, valereque cum Cynico robore [c]. Cumque Titus audito Cynici nomine turbatus eſſet, hunc dixit illi canem adfore, qui pro ipſo aduerſus alios, et contra ipſum quoque, ſi quando peccauerit, ſapienter tamen et non ſine ratione latraturus ſit. Tum vero temporis Romae erat Demetrius, ad quem Apollonius epiſtolam ſcripſit, *ſeque praefeciſſe illum Tito* monuit, *vt inſtitueret eum in moribus principem decentibus. Velle itaque vt faciat, vt illi vera dixerit, et ipſi ſit omnia, ſepoſita duntaxat iracundia* [d]. Sub Domitiano vero, cum omnes philoſophi Roma exire et Italia excedere iuberentur [e], Demetrius quoque exulare iuſſus eſt; qui tamen cum animo fortiori vteretur, Puteolos tantum ſeceſſit, vbi Apollonium cum ſociis eum conueniſſe, illique cum ex dicaſterio diſparuiſſet, ibi ſe reddidiſſe, *ſectione tertia* narrauimus, quaque ratione vtriusque animus arctiori vinculo coaluerit,

y) L. V. c. 19. p. 202.
z) ARRIAN. diſſert. Epict. Lib. I. c. 26. p. m. 92.
a) PHILOSTRAT. L. V. c. 19. p. 202.
b) SVETON. in Veſpaſ. c. 13. DIO L. LXI.
c) PHILOSTR. L. VI. c. 30. p. 270. ſeq.
d) Ibid. c. 313. p. 211.
e) GELLIVS L. XV. c. 11.

Digitized by Google

erit, oſtendimus. Multa hac occaſione nobis narrat colloquia Demetrii et Apollonii PHILOSTRATVS [f], aſt quae in cerebro tantum ſophiſtae enata fuiſſe, nemo non videt. Adeo enim tenuia et exilia ſunt, et omni philoſophiae robore deſtituta, timiditatem quoque ſummam prodentia, quae Demetrio tribuuntur [g], vt a viro omne Cynicum robur complexo, animique ſupra modum intrepidi, qui ne imperatorum quidem ira flecti potuit, profecta fuiſſe nemo ſanus cogitare queat, et palpari poſſit, haec Philoſtratum eo tantum fini confinxiſſe, vt Apollonii fortitudinem Cynicam virtutem ſuperantem extolleret. Fuit enim Demetrius moribus vere Cynicis, auſteramque virtutem et imperterritum animum exprimentibus. Et paupertatem quidem ſummam pertuliſſe, SENECA [h] teſtis eſt αὐτόπτης, quem Demetrium familiariter nouiſſe, dubium non eſt. Ait enim plenus admiratione virtutis eius: *Demetrium virorum optimum, mecum circumfero, et relictis conchyliatis, cum illo ſeminudo loquor, illum admiror. Quidni admirer? vidi nihil ei deeſſe.* Et alio loco [i] non minus eleganter et cum laude eius: *Ego certe aliter audio, quae dicit Demetrius noſter, cum illum vidi nudum, quanto minus, quam ſtramentis incubantem? tunc enim non praeceptor veri, ſed teſtis eſt.* Aſt habuiſſe in ſumma paupertate animum tranquillum, et praeſentibus contentum idem SENECA fatetur [k]. Qui vt philoſophum conſummatae prorſus et exactiſſimae virtutis nobis oſtendat, *hunc*, ait [l], *mihi videtur rerum natura noſtris tuliſſe temporibus, vt oſtenderet, nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi poſſe: virum exactae, licet ipſe neget, ſapientiae, firmaeque in his, quae propoſuit, conſtantiae, eloquentiae vero eius, quae res fortiſſimas deceat, non concinnatae, nec in verba ſollicitae, ſed ingenti animo prout impetus tulit, res ſuas proſequentis. Huic non dubito quin prouidentia et talem vitam et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum ſeculo noſtro, aut conuicium deeſſet.* Similia paſſim [m] de magno viro pronuntiat, quae inſuperabile pectus, animi fortitudinem omni periculo, minisque et promiſſionibus flecti ſuperarique neſciam, ingenium excelſum, eloquentiam maſculam et Cynicae virtuti decoram, plenamque ardore et magnitudine animi, iudicii rectitudinem, voluntatisque in recto verſantis ſinceritatem laudare ſatis non poſſunt. Hanc enim ſibi regulam conſtituit Demetrius [n]: *plus prodeſſe, ſi pauca praecepta ſapientiae teneas, ſed illa in promtu tibi et in vſu ſint, quam ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.* Hac vero virtute Cynica cum auctoritatem ſibi parauiſſet ſummam, liberrimo ore in ſcelera atque ſeculi flagitia inuectus eſt, ſaleque Cynico vitiorum ſeruos perfricuit, id quod hominum

f) L. VII. c. 11. ſeqq.
g) Hoc magis etiam apparebit, ſi philoſophiae Demetrii ſpecimina cum Philoſtrato comparentur, quae exhibet SENECA ep. 67. 91. Qq. nat. L. IV. praef. de prou. c. 4. 5. conf. STOLLIVS Hiſt. phil. mor. gent. §. CCXXII. p. 508.
h) De vita beat. c. 25.
i) Epiſt. 62.
k) Ep. 20.
l) De benefic. L. VII. c. 1.
m) Ibid. c. 8.
n) Ibid. c. 1. 9. 11.

Digitized by Google

minum malorum, ipſorumque etiam imperatorum, quibus more Cynico non pepercit, illi ſummum conciliauit odium, virorum vero bonorum, qui virtutis doctrinam ſeueriorem atque emendatiorem ſequebantur, tantam peperit reuerentiam, vt eum *virum magnum, etiamſi cum maximis comparetur*, appellarent, eumque putarent, quem et priſcis ſeculis opponerent, et ſui temporis perfectiſſimum exemplum, quid natura poſſit, haberent, eumque in rebus arduis conſultatorem et adiutorem ſibi eligerent. Cuius exemplum Thraſeas Paetus eſt, qui ſpiritum redditurus, Demetrium ſecum habuit, et de rebus maximis cum eo collocutus eſt. Qua de re digna eſt, quae legatur TACITI [o] relatio. Habuit diſcipulum Menippum, Lycium, inter eius temporis Cynicos, teſte EVNAPIO [p] non incelebrem, quem ab empuſae inſidiis liberaſſe Apollonium, ſupra in eius vita, nugantem audiuimus PHILOSTRATVM [q], qui haec ſomnia Cynico affinxit, quae tamen ſecta eiusmodi delirantis ingenii commenta ridere ſolita eſt. Eum vero a Menippo ſeniore, cuius *tomo primo* mentio facta eſt, diſtinguendum eſſe, tempora diuerſa docent. Et hunc quoque Menippum colloquentem inducere LVCIANVS videtur [r], tempore ſibi magis, quam ſeniorem illum, propinquum [s].

§. IV. Referri etiam inter Cynicos ſolet, a veteribus [t] pariter, et recentioribus OENOMAVS [u]. Aſt locum ei inter Cynicos deberi, negauit praeſtantiſſimus HEVMANNVS [x]. Qui has potiſſimum opinionis iſtius rationes affert: Tradere IVLIANVM [y], traduxiſſe vehementer Oenomaum Cynicam ſectam, eiusque impietatem et flagitia eleganter depinxiſſe: opponi etiam a Iuliano Oenomaum Cynicis, maxime Diogeni. SOCRATEM [z] etiam ſimili ratione illum Cynico Diogeni opponere, et philoſophi tantum appellare nomine; nec Euſebio vnquam audire Cynicum et non ſine veriſimilitudine coniici ex irriſis ab eo oraculis, quod Epicuri ſectae fuerit addictus. Dicacitatem vero Cynicam, quam ei tribuit EVSEBIVS [a], impudentiam quidem calumniandi, non vero Cyniſmi profeſſionem innuere. Non deſtitui veriſimilitudine quadam doctiſſimi nobisque amiciſſimi viri opinionem non negamus, praeſertim cum Oenomai ſcripta hodie non ſuperſint, vt certiori coniectura inde rationes hauriri queant. Sunt tamen, quae huic ſententiae non immerito obiiciuntur. Et 1. quidem SVIDAE teſtimonium, qui ex Cynicorum eum

Oenomaus.

o) Annal. L. XV. c. vlt. dolendum, hoc loco quaedam deſiderari.
p) Prooem. p. 7.
q) L. IV. c. 25. p. 167.
r) Hoc placet quoque OLEARIO ad Phil. l. c. ſeniorem tamen praefert FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. II. p. 364. quem etiam apud Eunapium intelligi putat. Aſt huic obſtat, quod Muſonio et Demetrio, qui aequales Apollonio fuere, iungatur, id quod iuniori tantum conuenit.
s) Menippos plures enumerat LAERT. L. VI. p. 101. et MENAG. ad h. l.
t) SVID. in Oenomaus T. II. p. 667.
u) FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 365. IONS. de Script. hiſt. phil. L. III. c. 6. p. 246.
x) Act. philoſ. Vol. II. p. 901.
y) Orat. VI. p. 199. Orat. VII. p. 209. 212.
z) Hiſt. eccleſ. L. III. c. 23. p. 202.
a) Hiſt. eccleſ. L. V. c. 21.

grege fuiſſe dicit, non plane reſpuendum eſſe putamus, eo quod veriſimile eſt, Suidam Oenomai ſcripta vidiſſe et legiſſe, Cynicumque inde agnouiſſe: ſane cum fortius contra eum teſtimonium adduci nequeat, merito eius auctoritate hactenus ſtandum eſſe putamus. Nam quae contra eum adducuntur, firmo ſatis talo ſtare non videntur. Et 2. Cynicos quidem valde exagitaſſe Oenomaum, ex adducto a viro celeberrimo Iuliani loco manifeſtum eſt, aſt deficientibus Oenomai ſcriptis dici non poteſt, vtrum de tota Cynicorum ſecta, an de Pſeudo-Cynicis tantum ea Oenomaus intellexerit? Immo, ſi verum fatendum, poſterius probabilius nobis videtur, eo quod ex ſupra allatis Luciani, Iuliani, Epicteti, locis manifeſtum eſt, adeo turpem improbamque fuiſſe Cynicorum plerorumque vitam, vt eius viros bonos et honeſtos, licet Cyniſmo maxime fauerint, vehementer puduerit, eamque ipſi graui oratione improbauerint. Id vero cum non Cynici tantum inſtituti laudatores fecerint, ſed et ex ipſa Cynicorum ſecta viri graues et virtuti verae litantes ſuſceperint, qui intolerabile Pſeudo-Cynicorum pecus exſecrare, immo ridere etiam atque more ſuo mordere non ſunt veriti, colligi inde facile poteſt, Oenomaum potuiſſe eſſe Cynicum, licet in Pſeudo-Cynicos graui oratione inueheretur. Ita enim Demonactem quoque Cynicum feciſſe conſtat, qui Cynicum impudentem Diogenis exemplum iactantem falſe irriſit, aliumque canina dicacitate virum quendam clariſſimum allatrantem, exagitauit. Eundem vero in modum Oenomaum animatum fuiſſe, eo magis credibile eſt, quia dicacitatem Cynicam ei diſerto teſtimonio tribuit Euſebius, eaque illuſtrem maxime locum meruit, quod ne ſectae quidem ſuae hominibus vitam turpem et flagitioſam ſectantibus pepercerit. Dicacitatem enim iſtam maxime proprium Cynicae ſectae characterem ſemper fuiſſe, ex allatis hactenus luce meridiana clarius eſt. 3. Socrates vero licet Oenomaum philoſophum tantum appellet, eo tamen nomine Diogeni Cynico non opponit, ſed potius iungit, ſcribens: *ob quod oraculum Diogenes Cynicus et Oenomaus philoſophus Apollinem Pythium condemnarunt.* Philoſophi enim nomen Cynici appellationi non opponi poſſe, niſi addito ſectae nomine quilibet intelligit. Etſi vero vix ratio danda poſtulari poteſt, cur Diogenes Cynicus, Oenomaus eiusdem ſectae homo, philoſophus a Socrate vocetur, non ſine veriſimilitudine tamen coniici poteſt, ea propter placuiſſe hanc appellationem Socrati, quod Diogenes vitae magis dicacitate, Oenomaus meditationibus philoſophicis et diſſertationibus Cynicas rationes contra ſuperſtitionem excoluerint. Ita enim eo fortius videtur Socrates fuiſſe argumentatus, qui non ad Cynicum tantum dicterium, ſed ad philoſophicam etiam ſententiam prouocauit. Rationibus enim hac in re philoſophicis vſum fuiſſe Oenomaum, ex fragmentis eius conſtat, quae nobis ſeruauit Euſebius. 4. Eadem vero cauſſa quoque eſſe videtur, cur Euſebius, licet Cynicam dicacitatem Oeno-

mao

mao tribuat, eum tamen Cynici nomine numquam appellauerit, quod scilicet, non tam vitae Cynicae quam rationum Cynicarum studiosus fuerit. 5. Quod vero oracula riserit Oenomaus, tantum abest vt eum Cynicum fuisse neget, vt potius affirmet. Ex adducto enim Socratis loco clarum est, Diogenem Cynicum eadem in haeresi fuisse, nec ignotum esse potest veterum doctrinarum peritis, Cynicos et Epicureos eandem in hac caussa tenuisse sententiam, easdemque partes Peripateticos et Academicos fuisse secutos [b]. Qua de re insignis locus EVSEBII [c] expendi meretur, quem adduxit etiam ANTONIVS van DALEN [d]. Quae tam luculenta et certa visa sunt FRANCISCO BALTO, contra Fontenellii historiam oraculorum disputanti [e], vt cum omnibus quidem Peripateticis hanc opinionem tribui non posse contenderet, Cynicos tamen eam fouisse, negare nequiuerit, ideoque Oenomaum inter Cynicos referendum esse iudicauerit, quod oraculorum fidem negasset, et impostiurae ea accusasset, id modo, vt aduersarium refellat, addens: tantum abesse, vt Cynici philosophi fuerint, vt omnes potius scientias reiecerint, ne ipsa quidem philosophia excepta. Id quod frigidum esse, nec satis cum huius sectae historia conuenire, eius peritos latere non potest, et datum a Socrate Oenomao philosophi nomen refutat. Vnde argumentum inuertimus, et ex hac oraculorum irrisione pro Cynismo Oenomai rationes potius petimus, nec caussam videmus satis grauem, cur ex Cynicorum albo sit delendus, licet Pseudo-Cynicorum mores, ignauiam, proteruiam, dicacitatem, sine virtute vlla canina impudentia se efferentem falsse traduxerit. De Cynica vero secta scripsisse testes sunt IVLIANVS atque SVIDAS [f]. Quae vero, vt ea, quae de oraculorum impostiuris atque dolis reliquit, magna historiae philosophicae veteris iactura interciderunt [g], quemadmodum ea quoque hodie desiderantur, quae de Homeri philosophia scripsit [h]. Fuit Gadarenus [i], ac sub Hadriano floruit [k].

§. V. Illustrem etiam inter veros Cynicos, virtutis laude inclytos locum meruit DEMONAX, inter optimos suae aetatis philosophos numerandus. Cuius vitae historiam debemus LVCIANO [l], qui cum ridere alias saleque satyrico perfricare philosophos soleat, sepositа hoc loco ridendi et exagitandi licentia, egregiam vitae eius depinxit imaginem. Qui licet solus et vnus tantum hic testis audiendus sit, fidem tamen omnino meretur. Nam et tempore ei proximus fuit, adeoque ex viris fide *Demonax.*

b) ORIGEN. contra Cels. L. VII. p. m. 343.
c) Praep. euang. L. IV. c. 1.
d) De oraculis gentil. diss. II. p. m. 217.
e) P. II. c. 1. p. 63.
f) II. cc. conf. HEVMANN. l. c. FABRICIVS l. c.
g) Pauca fragmenta nobis seruauit EVSEBIVS de praep. L. II. c. 19. L. VI. c. 6. 7. Conferri vero de hac Oenomai opinione de oraculis possunt SOCRATES l. c. et qui eum excripsit NICEPHORVS L. X. c. 36. THEODORIT. therapeut. L. VI. p. 86. L. X. p. 141. ex recentioribus ANT. van DALEN et FR. BALTVS II. cc.
h) SVIDAS l. c. IONSIVS l. c. p. 245.
i) SVIDAS l. c.
k) SYNCELLVS p. 349. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 365.
l) In Demonacte T. II. p. m. 560.

Digitized by Google

fide dignis Demonactis vitae hiſtoriam diſcere potuit, et in tanta optimi philoſophi fama, vndequaque nota mentiri vel ei tribuere, de quo falſitatis facile coargui poſſet, auſus fuiſſe praeſumi non poteſt; et laudator virtutis eo magis audiendus eſt, quo magis acerbum vitiorum laruataeque virtutis in philoſophis reprehenſorem fuiſſe conſtat. Qui et ipſe *duarum rerum gratia ſe de Demonacte nonnihil in lucem edere* dicit, *vt et illius memores ſint viri ſuae aetatis praeſtantiſſimi, et iuuenes quique generoſiſſimi animum ad philoſophiam applicantes non neceſſe habeant ad vetera tantum exempla ſemet ipſos componere, ſed ex huius quoque viri vita habeant, quem ſibi pro viuendi regula imitandum proponant, quem ipſe omnium optimum ex philoſophis cognouerit.* Ad hos teſtes cum prouocet Lucianus, fides ei deneganda non eſt. Fuit autem Demonax Cyprius, haud obſcuris parentibus natus [m], quippe qui et dignitate et facultatibus eminebant. Aſt is omnibus naturae muneribus excelſior atque ſuperior, pulcherrimis et praeſtantiſſimis tantum rebus animum dignum iudicauit, eumque in finem ad philoſophiae ſtudium ſe contulit; quam animi alacritatem magnis paſſibus ad excelſa quaeuis graſſantem non Agathobulus [n] tantum et Demetrius, et imprimis Epictetus [o] calcari quaſi addito, excitarunt, ſed et naturalis inclinatio conuerſatione horum philoſophorum confirmata et aucta egregie promouit. Praecipue vero Timocratis Heracleotis, viri ſapientiſſimi et eloquentia pariter atque eruditione maxime ornati familiaritate vſus eſt. Neque vero tantum in adoleſcente valuit optimorum atque praeſtantiſſimorum virorum exemplum, quantum innatus philoſophiae amor et ſingularis, quo rapiebatur ad res praeclaras, impetus, quo a puero ſtatim permotus omnia humana bona ſibi contemnenda eſſe, generoſo prorſus pectore, ſtatuit. Neque tamen animo non praeparato ad philoſophiae acceſſit ſtudia, ſed poëtarum lectioni innutritus multos tenebat memoria, dicendique artes non mediocri exercebat ſtudio. Philoſophiae vero vbi operam admouit, non ſummo tantum eam delibauit digito, ſed totam ex fundamentis prorſus ſuis hauſtam imbibit [p]: cumque totum ei ſe tradidiſſet, libertatem proſecutus in id maxime incubuit, vt et ipſe rectam ac ſanam inculpatamque vitam viueret, et videntibus et audientibus ſuam ipſius mentem exemplum exhiberet, veritatemque libero dicendi genere vbique profiteretur. Qua in re praeter ſcientiam vitae quoque vſum requiri edoctus, omnibus viribus ſategit, vt et animum firmum redderet, et corpus exerceret, et ad tolerantiam variis laboribus aſſuefaceret. Et vt ſumma quadam rem comprehendamus, in eo ſumma cura ſtudioque elaborauit, ne alicuius alterius egens eſſet, ſed in ſe animique ſui diuitiis veram poſſideret vitae felicitatem. Fuit autem longe ſuperior animi eius virtus et acerrimi ingenii

m) Excidit in Ven. REIMMANNI Hiſt. atheiſmi c. XXXII. p. 238. particula, *non*.

n) Agathobulum Epicureum memorat PLVTARCHVS, quod non ſuau. viu. ſec. Epicurum T. V. p. m. 89. aſt paulo ſenior videtur fuiſſe hoc Demonactis praeceptore.

o) p. 562.

p) p. 563.

by Google

genii felicitas, opinioni illi quae sectariae philosophiae studio ad hanc animi beatitatem peruenire posse sperat, adeoque sectariam quidem philosophiam reiiciebat, nec vnius philosophi familiae nomen addicebat suum, ea vero eligebat, quibus se potissimum oblectari posse credebat [q]. Et Socrati quidem se maxime addixisse apparebat [r], habitu tamen vitaeque frugalitate Diogenem aemulari videbatur, Cynicumque institutum eligebat, quod Diogenem ex Socratis discipulis omnium maxime Socraticam disciplinam secutum, vitaeque integritatem et virtutis actionem expressisse videret, cum reliqui Socratici ad inanes speculationes sine fruge essent delapsi. Ex quibus patet, eum inter Cynicos hoc potissimum nomine referri, quod Cynicam virtutem sine apparatu et fastu demonstrandam in ipsa vita sibi elegisset. Adeo vero tristem Cynicorum eiurabat austeritatem singularem, vt nec ambitiose adulteraret ea, quae ad victum pertinebant, admirationis popularis emerendae gratia, vel vt oculos in eum coniicerent homines, verum communi cum aliis viuendi ratione vteretur; nec tantillum quidem philosophico fastu intumesceret, et cum aliis iunctam consuetudinem exerceret, et communibus reipublicae legibus lubens pareret. Qualis cum esset, non potuit non Pseudo-Cynicorum ineptos et agrestes mores contemnere et reiicere [s]. Sed in aliis quoque Cynicorum affectatam virtutem euitauit, veram animo verbisque expressit. Cuius exemplum luculentum est euitata imperiosa et proterua Cynicorum dicacitas, quam, etsi summa dicendi libertate vtebatur, tantum tamen abest vt excoluerit, vt humanitatem potius et leporem summopere in eo laudet LVCIANVS [t]. Nam ne ironiam quidem Socratis probabat, sed Attico sermone et gratia commendabilis plenus erat in disputationibus, nec obscurus, et in corripiendo adeo humanus, vt eius in obiurgando seueritatem atque acerbitatem discipuli non subterfugerent, sed orationis magis amabili laetitia multo modestiores redditi, de futuris praecipiendis optimam spem animo conciperent. Itaque nunquam visus est vociferari, aut mira pertinacitate contendere, aut indignari, et si aliquis esset increpandus, ipsa quidem peccata reprehendebat, ceterum peccantibus benigne ignoscebat. Existimabat enim, hominis esse peccare, Dei vero, aut viri Diis proximi ignoscere atque errata emendare. Ad hunc ergo modum cum vitam instituisset suam, et nullo vnquam auxilio in rebus vllis opus habuit, et amicis in iis, quae fas erat, vtilissimam praestans operam, et aut insolentiores fortuna secunda factos submonefaciens, aut animo deiectos in aduersa cum risu consolans, nemini quoque vnquam facessendis negotiis molestiam creans aut in ius productum accusans, nullum vnquam hostem habuit, ipse hostis nemini [u], et tanta omnium

q) Ita p. 585. Aristippum laudat, a quo lectum, quem ad vitae finem seruauit, animum didicisse videtur.
r) p. 563.
s) Exempla habes p. 581.
t) p. 564.
u) p. 565.

Digitized by Google

omnium amicitia gauiſus eſt, vt, cum aetate ſupra modum ingraueſcente conſenuiſſet, inuocatus in quamcunque domum fortuito incidiſſet, in ea cibum ſumens ac dormiens, Deus illi familiae viſus ſit oſtenſus, aut aliquis bonus genius, qui in domum intrauiſſet: tantum de eius praeſentia omnes ſibi gratulabantur [x]. Quae ἀδιαφορία Cynica, modeſta ratione vſurpata eo facilius exercebatur a Demonacte, quo ſtudioſius is in id conniſus erat, vt nulla alia re indigeret, quam non a ſe ipſo poſſet petere. Cynicum vero inſtitutum eloquentiae argutae, ſententiarum et acuminis luminibus diſtinctae, ſtudio feliciter expreſſit, euitata acerba illa dicacitate, qua eo tempore vniuerſa fere Cynica familia exoſam ſe reddebat, quamque Demonax in ipſis Pſeudo-Cynicis non ſine aculeo damnabat. Qua de re acute pariter et vrbane dicta ab eo plurima congeſſit LVCIANVS [y], quae apum more et pungunt et vngunt, et mel pariter habent atque aculeum; cuius generis multa hic exempla referre inſtitutum vetat, digna vero ſunt, quae apud ipſum Lucianum legantur, iucunditatem atque vtilitatem allatura non exiguam. Maxime vero Cynicae ſectae profeſſionem ad emendandos hominum mores, debellanda ſcelerum monſtra, ducendosque manu quaſi ad felicitatem animos adhibebat, neque tamen acerbitate paedagogica, qua ſe tanquam magiſtros Cynici obtrudere ſolebant, vtebatur, ſed ita corripiebat peccantes, vt humanitate et lepore deliniti, ipſam medicinam ſibi ducerent non vtiliſſimam modo ſed et iucundiſſimam. Cum enim amicus eſſet omnibus, nec eſſet quisquam, quem non familiarem compellaſſet, qui quidem homo erat; et alacritatem animi ſemper prae ſe ferret vel maiorem vel minorem, prout obſequii ſpem ipſi exhiberent, quos peccantes corripiebat, tanta in his omnibus eius fuit gratia, eaque tanta verborum Venere dixit fecitque, vt ſuadelam labiis eius inſediſſe quilibet iudicauerit [z]. Cumque Socratis et Diogenis exemplo in philoſophia vteretur, ad id potiſſimum reſpexit, in quo veram Cyniſmi rationem poſitam eſſe, acuti viri dixerunt, vt ſapientiae miniſter eſſet, et ad eam homines adduceret. Curae itaque illi erat, fratres inter ſe diſſidentes atque diſcordes ad priſtinam concordiam reducere, ac mulieribus cum maritis reconciliatis illorum animis pacem componere [a]. Immo populum ſeditionibus exulceratum ſcite et vtiliter differendo compeſcuit, multisque eorum perſuaſit, vt patriae modeſte et tranquille inſeruirent [b]. Qua in re ita verſatus eſt, vt amicum ſe omnibus oſtenderet, talemque, cui pacis et concordiae et communis vtilitatis cura eſſet potiſſima, quique fidem et dexteritatem amicis accurate demonſtraret, illisque vtilem et officioſum ſe praeberet [c]. Quare, cum animum ſemper laetum ſeruaret, ſolum amici aut morte aut morbo diſcruciabatur, inque eo omnem collocabat operam atque laborem, vt labentes erigeret, triſtes conſolaretur, deficientes iuuaret, contra fortunae inſultus et iniurias ani-

x) p. 585. z) p. 569. ſqq. a) p. 565. b) p. 565. 586.
y) p. 566. c) p. 585.

Digitized by

amicos muniret, animumque eum oſtenderet, qui rem omnium maximam et praeſtantiſſimam in rebus humanis, amicitiam et voluntatum coniunctionem eſſe exiſtimaret [d]. Quin nec more Cynico reipublicae ſe ſubtraxit, ſed in eius procurationibus obeundis verſatus multorum prauis et nefariis conatibus reſtitit [e]; magno etiam atque implacabili odio ſemper aduerſus eos pugnauit, quos non iuxta veritatis ductum, ſed ad oſtentationem philoſophari animaduerteret. Quo odio excitatus acumen eloquentiae ad mordendos hos philoſophaſtros adhibuit, nullique ſectae, ne Cynicae quidem pepercit. Cynicum enim cum vidiſſet, pallium quidem et peram habentem, ceterum pro baculo ſupra modum faſtuoſe et arroganter vociferantem, dicentemque Antiſthenis et Cratetis atque Diogenis ſe eſſe aemulum; *caue*, inquit, *impudenter mentiaris, ſiquidem tu Hyperidae [f] diſcipulus exiſtis.* Eadem mordacitate Agathoclem Peripateticum, cum ſuperbe et inſolenter ſe ferret, et arroganter iactaret dialecticorum ſe ſolum et vnum eſſe, repreſſit, *atqui*, dicens, *o Agathocles, ſi primus, non ſolus; ſi vero ſolus, non primus* [g]. Cumque aliquando vidiſſet duos philoſophos egregie rudes et indoctos de quaeſtione quadam ſatis ridicule diſceptantes, et alterum quidem abſurde quaerentem, alterum inepte reſpondentem, nihilque ad rem afferentem, *nonne videatur vobis*, inquit, *o amici, alter illorum hircum mulgere, alter autem illi cribrum ſupponere?* Alia huius generis, quae narrat Lucianus, digna licet ſint quae legantur et iucunda, breuitatis cauſſa omittimus. Facile ex his intelligi poteſt, amicos Demonactem habuiſſe plurimos, hoſtesque aut nullos, aut illos modo, quorum prauis conatibus fibulam iniecciſſet. Tantusque apud omnes eius amor fuit, vt cum ipſi Athenienſes, tum vniuerſa Graecia eum maxime faceret, et praetereunti honoris gratia etiam illi, qui magiſtratus muneribus fungebantur, aſſurgerent, magnumque illo, praeſente, omnes agerent ſilentium: praetereuntem autem, cum vbique cibum caperet, piſtrices certatim ad ſe traherent, vnaquaeque cupiens, vt a ſe panem acceptaret: ac magnam ſibi datam eſſe felicitatem diceret, a qua panem accepiſſet. Quin etiam pueri poma illi afferebant, patrem honorifice compellantes [h]. Etſi vero ita non rectum tantum atque bonum, ſed vtilem quoque et iucundum ſe praebebat omnibus, non potuit tamen tantam virtutem ferre inuidia. In magiſtratu enim conſtitutus, cum malorum conſilia ſubuertiſſet, non mediocre ſibi multitudinis conflauit odium, tum propter imperterritam dicendi fiduciam et libertatem, tum propter recti amorem. Vnde factum, vt Socratica fere fata fuiſſet expertus, niſi inexpugnabile pectus et familiarem ſibi virtutem populo obieciſſet. Inſurrexere enim in illum quidam, accuſantes, quod nunquam viſus ſit ſacrificans, quodque ſolus omnium nunquam ſit Eleuſiniis initiatus. Ad quae magno animo, corona redimitus et nitida veſte

d) p. 566. e) p. 580. p. m. 597. ſeqq. vnde lux huic dicterio effulgebit.
f) Celebris oratoris, ſed contaminatae vitae hiſtoriam habet PLVTARCH. vit. X. Orat. T. V. g) p. 575. h) p. 585.

ſte amictus in concionem progreſſus, ſcite quidem atque dextre, aſperius tamen, quam ſolebat, reſpondit: Mineruae ſe non ſacrificaſſe, eo quod ſacris ab ipſo oblatis eam non egere exiſtimauerit. Myſteria vero ideo neglexiſſe, quod, ſi myſteria praua et friuola comperiſſet, apud nondum initiatos non tacuiſſet, ſed ipſos ab orgiis celebrandis auocaſſet: ſin bona, rurſus humanitate adductus, omnibus expoſuiſſet. His dictis, cum prius lapides aduerſus illum ſuſtuliſſent Athenienſes, actutum placidum erga eum animum induerunt, atque ex illo tempore maioribus habitis honoribus reuereri atque colere, poſtremum vero admiratione etiam proſequi coeperunt, licet mox in ipſo orationis prooemio aſperiori initio fuiſſet vſus [i]. Quae, quanta in viro maximo et philoſophiae ſanae auctoritas et virtutis reuerentia apud ſuperſtitioſos Athenienſes fuerit, luculenter manifeſtant, remque nobis narrant prorſus ſingularem, contemta tanta cum libertate oris animique fiducia ſacra non impunita tantum manſiſſe, ſed honorem quoque meruiſſe in ea vrbe, quae optimum Socratem propter eandem cauſſam veneno ſuſtulit, et grauiſſime in philoſophiam peccauit. Ceterum et hoc quoque inter virtutes eius tacendum non eſt, ad intricatas et captioſas quaeſtiunculas, quibus ingenium et eruditionem eo tempore complures pſeudo-philoſophi oſtentabant, acute inſtructum fuiſſe, cuius exempla aliquot iucunda exponit LVCIANVS [k], expertique ſunt philoſophi haud obſcuri nominis Herminus Peripateticus, Fauorinus Academicus, Peregrinus Cynicus aliique; qua ratione effecit, vt haud facile quisquam in illum auderet inſurgere, eique inſultare. Veri autem candoris philoſophis cum eſſet addictiſſimus, tum viuus ſummam apud eos exiſtimationem meruit, tum ſublatus e viuis is habitus eſt, qui maximis antiquitatis exemplis iure poſſet opponi atque aequiparari. Vitam ſemper duxit coelibem, ſine dubio, vt eo melius inſtitutum, quod amplexus erat, et ἀδιαφορίαν Cynicam proſequi poſſet; qua in re cum Epictetus aliquando obiurgans ei conſuleret, vt vxore domum adducta liberis procreandis daret operam, affirmans et hoc viro philoſopho non indecorum eſſe, alterum videlicet ſui loco naturae relinquere: feſtiue illi, qui et ipſe coelebs erat, reſpondit: *Da mihi igitur vnam filiarum tuarum* [l]. Vixit annos fere centum, quem ſenectutis extremae gradum vt attingeret, effecit ſine dubio, et ſumma, cui ſtudebat, temperantia, et animus nunquam vlla aegritudine turbatus, et ab affectuum tempeſtatibus liber, quod tantopere eius ſanitatem confirmauit, vt nulli vnquam morbo implicaretur [m]. Et veriſimile quoque eſt, diutius vitam prorogaturum fuiſſe, cum in hac extrema ſenecta viribus adhuc vſus ſit ſatis firmis, niſi exeundum ſibi ex hac vita eſſe laetiſſimo animo ſtatuiſſet, eo quod haud obſcure perſentiſceret, ſe ſibi amplius auxilio eſſe non poſſe, nec ciues ſana conſilia, quae in ſeditione exorta ſuppedi-

i) p. 567. k) p. 589. l) p. 583. m) p. 585.

peditabat, admittere. Discedens itaque ab omnibus hilari vultu diem suum obiit, quali semper obuiam venientibus conspectus est *. Sepulturae vero curam nullam habuit, sic vt de ea rogatus, foetorem sepulturae caussam fore, nec curare se, si laniatus a canibus vtilitatem aliquam illis allaturus sit, diceret *. Quod vtrum profectum sit a Demonacte, decori nulla ratione negligente, et annon ex Diogenis historia huc translatum, lectoris iudicio definiendum relinquimus. Sane amplissimo funere elatus est et magnifice ab Athenienſibus sepultus, qui multo quoque tempore eius obitum luxerunt, ac sedem illam lapideam, super qua lassus quiescere solebat adorarunt, sertis coronantes, tanquam lapidem sacrum *. Circa funeris vero curationem nemo erat, qui non accurrisset, maxime vero ex philosophis. Illi enim suppositis feretro humeris vsque ad sepulcrum mortuum efferebant. Vixisse sub Hadriano eiusque successoribus, ex Epicteti, Peregrini aliorumque, qui cum eo vixere, tempore colligitur, natalis vero dies, tempusque obitus ignorantur.

§. VI. Alius longe commatis Cynicus fuit CRESCENS, vt enim veri Cynici imaginem eleganter expressit Demonax, ita Pseudo-Cynici mores accurate Crescens retulit. Megalopolitanum fuisse, TATIANVS ' testatur, quod de Arcadiae vrbe Megalopoli intelligendum, non de Romana vrbe, ex alio eius loco " satis luculenter euincitur; licet Crescentis nomen Romanum quibusdam persuaserit, Megalopolin hanc magnam illam vrbem sedem Romani imperii innuere '. Nomina enim Romana illis quoque haud raro data esse, qui in prouinciis Romanis, licet Graeco vterentur sermone, habitabant, multis exemplis constat *. Cynicum fuisse S. IVSTINVS " testatur, sed talem, qui honestae professionis nomen turpiter pollueret, et ἀδιαφορίαν Cynicam, quam affectabat, minime eo adhiberet, vt opes et voluptates contemneret. Teste enim TATIANO *, qui Iustini discipulus fuit, maxime omnium incesto puerorum amori deditus et pecuniae studio addictissimus erat; et quamuis φιλέκομπος esset, quo nomine eum notat IVSTINVS ', multaque more Cynicorum populariter de animi robore, morteque contemnenda, hisque similibus iactaret ', testibus tamen scriptoribus ecclesiasticis " plenus fuit malo animo, mendaciis, et vita turpi. Vnde *gulosum, et mortis timidum, luxuriaeque et libidinum sectatorem* vocat

Crescens.

a) p. 586. b) p. 585.
c) p. 587.
d) Or. adu. Graec. p. m. 157. seq.
e) p. 167. vbi templum Dianae Hymniae memorat, quod Megalopoli Arcadiae fuisse testatur PAVSANIAS.
f) Conf. BVDDEVS de V. R. C. gentilium philos. obtrectat. confirmata §. 3. Synt. diss. theol. p. 461.
g) Ita S. Paulus Tarsensis Romano nomine vsus est.
h) Apolog. I. vel potius II. p. m. 46.
i) loc. cit
k) l. c. Id est, strepitus popularis et insolentis arrogantiae sectator, conf. E. GRABE Spicil. PP. Sec. II. p. 139. 140.
l) TATIANVS l. c.
m) EVSEB. Histor. eccles. L. IV. c. 16. SYNCELLVS p. 351. PHOTIVS Cod. CXXV. p. 162. ex recentioribus fere omnes, qui Iustini vitam et acta martyrum tetigere, alibi nominandi

Digitized by

cat HIERONYMVS [b]. Quam animi malitiam in calumniis et obtrectationibus, quas contra Christianam religionem euomuit, luculenter probauit, et IVSTINO conquerente [c], Christianos atheos esse, prorsusque sine Deo atque impios asseuerauit, in gratiam et libidinem eorum, qui seducti sunt, id faciens. Quem cum tanquam voluptuosum et impostorem Iustinus redargueret, ostenderetque nec lectam ei Christianam professionem, et inita cum homine profana disputatione eum in ruborem daret, ac coram omnibus confunderet, adeo efferbuit ira rabidi canis animus, vt quod Iustinus praeuiderat et praedixerat, eum quod Christianus esset atque atheus, apud magistratus deferret, qua accusatione effectum, vt Christiani nominis gloriam sanguinis effusione atque martyrio Iustinus capite plexus, coronauerit, detestabili vero Pseudo-Cynici nomini aeternae infamiae notam attraxerit [d].

Peregrinus. §. VII. Celebris quoque circa haec tempora inter Cynicos fama fuit PEREGRINI siue Protei, cuius vitam ita nobis descriptam reliquit LVCIANVS [e], vt facile intelligi queat, huius potissimum viri non tam vita quam morte illustris historiam illum ideo elegisse, vt haberet, quibus philosophis si non omnibus, certe Cynicis, grauem dicam scriberet, et imprimis Cynicos more suo false rideret. Ita enim depingit Peregrinum, vt eum vitae non minus turpitudine, fastu, moribusque iis, quos in Pseudo-Cynicis sani omnes damnabant, contemnendum, quam insolito mortis genere famosum fuisse ostenderet. Ast multa in hac narratione scenae, quam instruendam sibi sumserat, ornandae causa illum confinxisse, et retulisse haud pauca, de quibus merito dubitari potest, scriptorum aliorum Peregrino aequalium testimonia, quae Peregrinum tam malae notae hominem non fuisse innuunt, satis euincunt. Audiendus itaque Lucianus quidem est, sed examinandus et cum reliquis testibus conferendus, vt aliquo modo, quid in Peregrini historia verisimile, quid non, appareat. Fuit Peregrinus Parianus ex Ponto [f], qui Protei nomen cum professione Cynica suscepit: qui vbi firmata iam aetate in virum adolescere incepisset, multis in Armenia vitiatis mulierculis verbera haud semel accepit plurima: denique per tectum exiliens et elapsus turpissima et obscoena fuga salutem quaesiuit. Incolumitatem etiam, cum formosum puerum per vim constupraſſet, pecunia redemit. Addit et hoc Lucianus: Peregrinum parentem senem praefocauisse, nequaquam sustinentem

b) Cat. Script. eccles. c. 23.

c) loc. cit.

d) *Menaeum Graecorum ad Cal. Iun.* apud PETR. HALLOIX. vit. illustr. eccl. orient. script. Sec. II. p. 262. vbi notandum, Crescentem tantum dici philosophum, etsi Cynicus erat, vt supra Oenomaum a Socrate philosophum dictum esse notauimus. Etsi vero pleraque de Crescente solius Iustini et Tatiani auctoritate nituntur, fidem tamen iis facit et sancti martyris integritas, et in apologia ad imperatorem eius facta mentio, vbi mendacio locus non erat. Conf. VALES. ad EVSEBII Hist. eccl. L. IV. c. 17. et Cynicorum eius temporis mores perululgati. Stoicum vero Crescentem perperam nominat GAVDENT. de philos. Romanorum c. CXI. p. 18.

e) De morte Peregrini T. IV. p. m. 268.

f) Ibid. p. 274. ATHENAGOR. legat. pro Christianis c. 23.

Digitized by Google

tem eum iam vltra ſexaginta annos iam ſeneſcentem. Poſtea vero quam tanti ſceleris fama diuulgata eſſet, arreptaque fuga ſe ipſum condemnaſſet, incertis ſedibus vagantem oberraſſe, terram terra commutando. Ea in peregrinatione admirabilem illam Chriſtianorum ſapientiam perdidiciſſe, in Palaeſtina cum ſacerdotibus et ſcribis eorum conuerſatum. Ac ſane non multo in tempore pueros omnes illos prae ſe eſſe oſtendiſſe, prophetam ac ſacrificiorum principem, et ſynagogae ſocium, verbo omnia exiſtentem. Praeterea librorum nonnullos expoſuiſſe, nonnullos vero ſua quoque induſtria conſcripſiſſe. Inde quaſi eum Deum illos habuiſſe, et eo legislatore vſos fuiſſe et praefectum declarauiſſe: magnumque eos etiamnum colere reuerenter hominem, qui in Palaeſtina crucifixus eſt, quod nouum cultus et theologiae genus introduxerit. Haec Lucianus, quae, antequam in Peregrini hiſtoria progredimur, ſine animaduerſione et cenſura dimittere non poſſumus. Et primo quidem intolerabile prorſus eſt, quod tradit, Chriſtianos Peregrinum pro Deo habuiſſe, et legislatoria inſtructum poteſtate praefectum ſibi feciſſe. Adeone vero inſaniuiſſe videri queat Lucianus eo tempore, quo contra πολυθεότητα tot apologiis ſcripſerant Chriſtiani doctores, vt hominem Chriſtianos vagabundum, et infando facinore per omnes terras infamem Deum ſibi et legislatorem conſtituiſſe, ſcribere auſus ſit, cuius contrarium pueris quoque notum eſſe poterat. Fatemur tantam impudentiam alienam nobis videri a Luciano maligni quidem animi, ſed callidi et ad res ſuas attenti ſcriptore, et non recte aſſecutos eſſe interpretes ſenſum verborum Luciani, quae hic Graece damus: *Καὶ τῶν βίβλων τὰς μὲν ἐξηγεῖτο καὶ διεσάφει, πολλὰις δὲ αὐτὸις καὶ ξυνέγραφε, καὶ ὡς Θεὸν αὐτὸν ἐκεῖνοι ἐσηγεῖντο, καὶ νομοθέτη ἐχρῶντο, καὶ προστάτην ἐπέγραφεν. Τὸν μέγαν γὲν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσιν ἄνθρωπον τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν πάντην τελετὴν εἰσεκαγεν εἰς τὸν βίον.* Facile animaduerſurum eſſe putamus cautum et attentum lectorem, falſo retuliſſe interpretes ea ad Proteum, quae ad Ieſum Chriſtum ex Luciani mente referenda ſunt, nempe ad magnum illum hominem in Palaeſtina crucifixum, cum ambigua pronominis *αὐτὸν* relatione deciperentur. Niſi enim nos omnia fallunt, hoc dicere vult Lucianus: Proteum ad Chriſtianorum ſacra progreſſum non ſacros tantum eorum libros enarrauiſſe, ſed et propria de rebus Chriſtianorum commentaria conſcripſiſſe, egiſſeque in illis de eo viro, quem Deum Chriſtiani declarant, et cuius legibus et inſtitutis parent g), quemque ſibi ducem elegerunt. Hunc eſſe magnum illum virum, quem adhuc colunt, qui palo ideo affixus ſit in Palaeſtina, quod nouam cultus diuini rationem et philoſophiam (id enim τελετὰς velle ex iis, quae alio loco diximus, notum eſt) introduxiſſet. Ita quidem melius cohaerere verba Luciani nemo non videt. Aſt ne ſic quidem a magno impudentiae et mendacii crimine,

g) Pertinere haec ad Chriſtum ex p. 877. manifeſtum eſſe putamus. Vbi eum Sophiſtam crucifixum vocat.

ne, saltem a pudendae ignorantiae opprobrio liberari satis Lucianus potest. Nam qui vel primis labris Christianae ciuitatis historiam degustarunt, satis norunt, inter Christianos prophetarum, thysiarcharum, et scribarum nomina non fuisse recepta, sed Iudaicae genti fuisse propria. Quod in eam cogitationem deduxit quosdam, vt non ad Christianos, sed ad Iudaeos transiisse Peregrinum, Lucianum autem, more inter gentiles non insolito, Iudaeos cum Christianis confudisse coniicerent. Neque vero, licet haec supponamus, (quae tamen diserte satis ad Christum crucifixum relata vix constare cum verborum serie possunt) causam Luciani ea magnopere iuuant, aut mendacii vel ignorantiae non excusandae notam auferunt. Vixit enim Peregrinus post Vespasianorum tempora. Ast deleta Iudaeorum vrbe et incenso templo nec legi peculiaris auctoritas, nec sacrificium vllum, nec pontifex, nec propheta inter Iudaeos fuit. Quin nec hoc inter Iudaeos et Christianos receptum, vt homini proselyto et ex vaga vita ad eorum societatem transeunti vel summi sacerdotis vel episcopi munus fuerit datum, quod conferre nonnisi post diuturnam vitae explorationem licebat [h]. Dubium itaque non est, Lucianum, quem Christianos tanquam impostores, Apollonii vel Alexandri sectatoribus similes habuisse ex aliis quoque locis constat [i], confusis inter se Iudaeorum et Christianorum sacris, cum eiusdem generis, quo Pythagorei fecerant, cultum nouum et mysteria Iesum introduxisse crederet, more suo non sine bile et amaritudine Christianis labem affricare voluisse fingendo, quod ipse de Christianis suspicabatur, homines hos ἰδιώτας et simplices a Peregrino deceptos locum ei inter sacri muneris antistites fecisse eumque martyrii affectandi occasionem ita fuisse nactum. Quod quam prorsus ab omni verisimilitudine abhorreat, quamque suspectam Luciani fidem faciat, quemuis vel mediocriter attentum manibus palpare posse putamus. Et coniicit quidem Cl. Clericvs [k], Peregrinum Christianae fidei nomen daturum inter catechumenos forte receptum fuisse, mature vero animi propositum mutasse, hincque fabulam Luciani enatam. Ast cum omnia inter se misceat, et diserte tradat Lucianus, scripsisse libros Christianos Peregrinum, quorum ne leuissimum quidem vestigium inter libros apocryphos ab haereticis malisque hominibus suppositos occurrit, rectius rem omnem negari putamus, cunctaque partim ex incerto rumore, partim ex maleuolo Luciani calamo profluxisse credimus. Miramur itaque merito magnum Pearsonivm [l], vt hypothesi inseruiret, Peregrinum ad Ignatii imitationem, antequam igni se traderet, epistolas ad diuersas ciuitates dedisse, et viros quosdam legatos misisse, haecque probare, quod epistolae Ignatii iam Sec. II. genuinae habitae fuerint, in eam opinionem descendisse, Peregrinum Christianam religionem

b) Conf. Lamprid. in Alex. Seu. c. 45. Orig. contra Cels. L. III. p. 140. conf. Cleric. Hist. eccles. Sec. II. p. 696.
i) p. 277.
k) loc. citat.
l) Vindic. Ignat. P. I. c. 1. p. 46

Digitized by Google

nem sub Hadriano professum esse, et non mediocrem inter Christianos auctoritatem sibi comparauisse, inde in vincula coniectum factum esse confessorem nobilem, et ad eum subleuandum quamplurimos, etiam τὰς ἀπ' ἄλλης, presbyteros episcoposque vndique conuolasse: martyriumque subire maxime voluisse, proconsulem vero Syriae, cum intelligeret, quod mori cuperet, vt inde famam posteris relinqueret, eum poenae subduxisse et carcere liberauisse: et quidem postea glorioſum hunc confessorem ex ecclesia electum et a philosophis receptum esse, tandemque mori quidem tanquam philosophum, famam autem eodem modo acquirere voluisse, quo Ignatium, cuius res nosset, acquisiuisse putauerit. Dici haec sine omni verisimilitudine, et, concidente vnius Luciani fide subleſta, concidere omnia, quilibet videt praeiudicio non occupatus. Cui enim persuadebitur, Peregrinum Cynico habitu ad Christianos digressum tanto mox applausu exceptum esse; tamque glorioſum subito factum esse confessorem, vt presbyteri et episcopi eum inuiserent? quis tam illustrem confessorem ob leuem culpam ex ecclesia electum et sanctae fidei mox apostatam factum esse credat? Quod si tantam famam fidei Christianae confessione consecutus est Peregrinus, cur tacent rem scriptores ecclesiastici? cur non hominis ad tantam inter Christianos auctoritatem euecti conseruata est memoria? cur non acriter notata apostasia? quod in aliis factum esse nouimus. Tacemus male cohaerente haec omnia niti Luciani narratione, nec habere eam testem alium, adeoque suspecti scriptoris malum in Christianos animum aperte prodentis fide stari non posse. Falsum autem est, quod supponit, non probat vir eruditissimus, Peregrinum imitatum fuisse Ignatium. Aliud enim vitae exemplum, Herculis nimirum, quem Cynici parentem ducemque sibi vindicabant, eum sibi constituisse, ne Lucianus quidem negat, et ipse Pearsonius largitur. Neque magis certum est, quod addit: nunquam alii philosopho in mentem veniisse, moriturus vt epistolas ad ciuitates mitteret. Aliud enim nos docent Apollonii epistolae ad ciuitates passim missae, quas seruauit Philostratus. Cuius viri cum tunc recens adhuc esset memoria et fama maxima, cur non Apollonii magis exemplum inter gentiles celebratissimum, quam obscurum iisque ignotum Ignatii morem fuisse imitatum credemus? Non inuiti igitur in eam descendimus opinionem, totam de Peregrini Christianismo fabulam ex historia sacra et philosophica eiiciendam esse; nec magis verum esse, quod Lucianus addit: Christianos omnem impendisse operam et mouisse omnia, vt eum furtim carcere eriperent [m]: cumque hunc conatum esse frustraneum viderent, omnia captiuo cum magna fide et obsequio praestitisse, viduasque anus et puerulos orbos ei mini-

m) Et hoc falsum, Christianos suos furtim eripere ex carcere tentare solitos. Ipse enim Lucianus paulo ante dixerat, sponte multos occidendos se offerre, et Peregrinum martyrii gloriam affectasse. Cur itaque furtim eum eriperent?

niſtraſſe, et ſomnum cum eo cepiſſe, omnis vero generis coenam intuliſſe variam [n], ac ſacros ſermones cum eo habuiſſe, nouumque eum Socratem [o] vocauiſſe. Quin etiam in Aſia plerasque vrbes fuiſſe, a quibus venerint quidam laturi auxilium, Chriſtianis mittentibus ex publico, neque non collocuturi et virum conſolaturi [p]. Eſſe enim hunc Chriſtianorum morem, vt ſi quis praeſtigiator aut alioquin homo promtus et verſutus ad eos veniat, breui opulentus efficiatur, quippe qui hominum idiotarum ſimplicitate callide queat abuti. Peregrinum autem a Syriae praeſide, philoſophiae non mediocriter dedito liberum dimiſſum eſſe, eo quod arrogantiam, qua mortem oppetere ſtatuiſſet, et per hoc gloriam ad poſteros transmittere cogitaret, ſubolfeciſſet. Digna haec omnia ſunt nugatoris calamo, et tam miſere cohaerent, vt veterum rerum Chriſtianarum prorſus imperitum eſſe oporteat, cui maledicentiſſima in ſacram Chriſti ciuitatem ipſumque Dei filium narratio vel micam veriſimilitudinis habere videri queat [q].

Peregrini vita philoſophica et mors.

§. VIII. Dimiſſus ex carcere Peregrinus, ſi Luciani narrationem ſequimur, in patriam rediit, comperit autem paternae caedis memoriam nondum ita exoleuiſſe apud omnes, vt non accuſationem eius quidam meditarentur. Cum itaque paternas facultates fere omnes peregrinationibus exhauſiſſet, atque populus Parianus accuſationem in eum intentaret, aſſumto Cynici habitu, pallio et pera atque baculo ſubſtantiam a patre relictam ſe publicam dimittere velle edixit, hacque ratione effecit, vt ab egenis et inopibus pro vero philoſopho, Cratetis et Diogenis aemulo haberetur, inimici autem quieſcerent, ne, ſi paternae caedis refricarent memoriam, lapidibus obruerentur. Viatico itaque Chriſtianorum nixus nouam ſuſcepit peregrinationem, et vbique ſatis abundanter alebatur. Ita quidem pro comperto affirmat Lucianus [r], exigua tamen veriſimilitudine, cum exemplum afferri nequeat, ex Chriſtianis aliquem ad Cynicam ſectam ſalua fidei profeſſione, et aſſumto tamen habitu Cynico tranſiiſſe, licet Cynicos fidem Chriſtianam amplexos fuiſſe, negari non debeat. Tandem admiſſo aliquo flagitio, nempe, vt Lucianus opinatur, quod aliquid ex interdictis comediſſet, a Chriſtianis amplius non receptus eſt. Vbi mire iterum omnia miſcet Lucianus, et Iudaeos, vt videtur, cum Chriſtianis confundit. Niſi dicamus Peregrinum, aliquandiu inter Chri-

n) Et hoc mendacium eſſe, captiuitatis ſeueritas, qua Chriſtianos premebant gentiles, probat.

o) Quaſi Socrates ex ſanctis Chriſtianorum fuiſſet. Scilicet talis habebatur inter gentiles Socrates, hinc ad Chriſtianos concludebat Lucianus, rerum ad eos pertinentium ignariſſimus.

p) Imprudenter hic Chriſtianorum veterum laudes decantare Lucianum recte notat HVETIVS demonſtr. euang. Prop. VII. §. 20. pag. 41.

q) Deeſſe hic aliquid calumniarum, a Chriſtianis ſublatarum, coniicit TANAQVIL FABER in not. ad Luc. c. 2 quam coniecturam non reiiciunt CLERICVS l. c. et Cel. BVDDEVS diſſ. de verit. R. C. gentil. phil. obtrectationibus confirmata §. 6. Synt. diſſ. theol. p. 477. eo quod totus dialogus in quibusdam Codd. omiſſus ſit. De quo lectoris eſto iudicium.

r) p. 876.

Digitized by Google

Christianos versantem, ob malam turpemque vitam et praecipue idolothytorum esum e coetu Christiano eiectum esse, quod verisimile iudicarunt Io. Clericvs [t] et Io. Alb. Fabricivs [t]: quanquam tutissimum videtur, soli Luciano, testi suspecto et nullius, hac quidem in re, fidei, non credere, fidei Christianae professionem Peregrino tribuenti. Exclusus a Christianorum consortio Peregrinus, cum magna rerum inopia et difficultate premeretur, paternas opes a ciuitate repeturus, iussu imperatoris datis literis eas reposcit. Ast ciues missa legatione docebant, vi non compulsum sua fuisse dilargitum; quare stare rebus semel ab se constitutis iussus est [u]. Post id tertiam in Aegyptum peregrinationem instituit, ad Agathobulum iter faciens, vt se exercitationi philosophicae daret, admirationem magis merituae. Tendens itaque capitis dimidium, ac vultum limo oblinens, in magna circumstantis populi corona virilia tractauit, vt impudentiam et ἀδιαφορίαν Cynicam demonstraret, verberabat etiam et verberabatur ferula circa nates, et aliis quoque iuuenilibus ineptiis mira praestare tentabat. In qua Luciani narratione merito iterum verisimilitudinem desideramus, cum subolfacere quilibet Cynicae historiae non ignarus possit, haec ideo commentum fuisse Lucianum, quod fabellas de indifferentia Cynicorum circa res naturales supra detectas pro veris haberet; probabile autem non sit, eiusmodi turpitudine admirandorum operum famam Peregrinum in Aegypto fuisse consecutum. Ex Aegypto in Italiam soluit, egressusque naui statim Cynica insolentia omnes homines allatrauit, maxime imperatorem, quem natura nouerat placidissimum et mansuetissimum, nec vlli Cynicorum ob conuiciandi artem poenam irrogantem. Id quod magnam Cynicae virtutis gloriam Peregrino comparabat [x]. Tandem a praetore vrbis exire iussus est, quod tali philosopho vrbi opus non esse iudicaret. Exactus vrbe cum Musonio ac Dione et Epicteto consuetudinem habuit, cumque aliis, quotquot pari fato mulctatos esse nouerat. Nodos hic quoque in narratione sua nectit Lucianus, facilius secandos, quam soluendos. Imperatorem enim, quem natura placidissimum fuisse, et tamen philosophos vrbe eiecisse dicit, non nominat, sed patientiam tantum eius in Cynicorum dicacitate perferenda laudat. Vespasianum autem fuisse, non immerito colligimus ex exilio, Xiphilino et Zonara testibus, philosophis indicto. Hunc enim imperatorem proteruiam Cynicorum contemsisse, supra Demetrii exemplo, Dionisque et Suetonii testimonio probauimus. Ast his obstat, tum quod Musonius eo quidem tempore ex vrbe relegatus haud est, tum quod Epictetum sub Domitiano tantum in exilium ire iussum esse, Svetonivs [y] asserit, Dio autem Chrysostomus sub eodem imperatore spontaneo consilio in exilium abierit, vt in *sequenti sectione* probabitur. Ast Domitianum natura placidissimum et mansuetissimum fuisse, cui quae-

t) l. c. p. 701.
t) Bibl. Graec. Vol. III. p. 500.
u) p. 181. x) p. 182.
y) In Domitiano c. 10.

Digitized by Google

ſo, hiſtoriae Romanae mediocriter perito perſuadebitur? Accedit his noua difficultas. Epictetus enim vrbe eiectus Nicopolin feceſſit, Dio in Thraciam ignotus profugit. Qua itaque ratione cum Epicteto, et Dione conuerſari potuit Peregrinus vrbe ſubmotus? Cumque praeſtantiſſimi hi Stoici virtutem veram et ſeueram maxime coluerint, pſeudo-Cynicorum vero moribus eſſent infenſiſſimi, quis credet, cum Peregrino [a], impudentiſſimae vitae Cynico, eos familiariter vixiſſe? Fatemur itaque, in hac quoque hiſtoriae Peregrini parte valde nutare Luciani fidem, nobisque ſuſpicionem enaſci, condidiſſe eum hanc fabulam, non vt lectorem accurata rei expoſitione erudiret, ſed vt iucunda aliqua narratione eum recrearet, et Cynicos ſimul pungeret: qua ratione ſophiſtas ſaepius, neglectis veris temporum circumſtantiis, hiſtorias ſuas inſtruxiſſe, ſicque philoſophicam hiſtoriam multis fabulis contaminaſſe, multis hactenus exemplis demonſtrauimus. Tandem regreſſus in Graeciam Peregrinus modo dictis probroſis Elienſes impetebat, modo Graecos, vt aduerſus Romanos arma ſumerent, ſollicitabat, modo viros bene meritos laceſſebat, quod mortem illi aliquando attraxiſſet, niſi ad Iouis ſtatuam in Olympicis confugiſſet [a]. Quam infamiam cum in ſequentibus ludis oratione in laudem eius, quem vituperauerat, recitata emendare vellet, certatim ab omnibus contemtus eſt, cum exoleta eſſent omnia, quae excogitabat. Vt itaque famae ſuae conſuleret et admirationem, cui inſanum in modum inhiabat, ſibi pararet, priſtinas martyrii glorioſi cogitationes repetens, in publica Graecorum panegyri ſe flammis comburendi conſilium cepit, vt in hac quoque re Herculem, Cynicorum parentem, imitaretur. Sperabat enim, hoc ſibi glorioſum fore, ſacro in loco comburi, vbi ne ſepelire quidem alios morientes per religionem licebat [b]. Sparſis itaque de conſilii ſui ratione rumoribus, cum ingens eſſet hominum frequentia, conſtructo pyro et foſſa, varia fuit ſpectantium ſententia, maiorque erat multitudo Proteum accuſantium, quam eius incepta laudantium, donec magna hominum frequentia deductus habitis de vitae ſuae periculis et exantlatis pro philoſophia laboribus, auream ſe aureae vitae imponere coronam velle, dixit, Herculeumque vitae finem facturum promiſit, vt oſtenderet, qua ratione et mentis conſtantia mortis acerbitas reſpuenda ſit. Ad quae dicta qui molliori erant animo, lachrymabundi, ſeruaret ſe Graeciae, inclamabant, cordatiores ad perficienda cogitata excitabant. Cum itaque videret, non euenire, quae ſperauerat, nempe fore, vt inuitus et nolens, illis reſiſtentibus, in vita ſeruaretur, vehementer expalluit, et ſubtrepidauit etiam, admirantium tamen ſpectaculo elatus, finitis Olympicis certaminibus, noctem demum poſtremum tempus ei rei deſtinauit, quando ſe ipſum eſſet concrematurus [c]. Quae cum

a) Demonactis etiam Peregrinum vſum eſſe conuerſatione, ex Demonacte T. II. p. m. 573. patet.

a) Narrat rem prolixe p. 283.
b) p. 286. vbi longa diſſertatione de amentia huius conſilii Lucianus diſſerit. c) p. 297.

Digitized by Google

cum media apparuiſſet, ſurgente luna Cynicis ille ſtipatus prodiit, face cum reliquis armatus. Cumque rogum omnes ſimul accenderent, depoſitis ille pera ac pallio ac baculo in ſordido amiculo adſtitit, thureque in ignem coniecto, invocatisque paternis et maternis daemonibus actutum in ignem inſiluit, nec amplius, a flamma quae multa erat, circumfuſus apparuit; Cynici autem rogum circumſtantes nullas profundebant lachrymas, ſilentio tamen perturbati animi haud obſcura ſigna edebant. Addit his fabulae incruſtator, quem vidiſſe tragoediam Lucianus narrat [d], ſimplicioribus rudibusque magnificis ſe et tragicis verbis, vt eos deciperet, illisque inſultaret, narrauiſſe, coniecto in ignem Proteo, factoque ſub initium ingenti motu cum horrendo terrae concuſſae mugitu vulturem e flamma ſubuolantem recta in coelum iuiſſe, magna voce humana clamantem: Reliqui terram, in Olympium commigro: recitauiſſe etiam virum quendam poſtea, in quem is inciderat, vidiſſe ſe Proteum hilarem in porticu Heptaphono oleaginis ſertis coronatum ambulantem, et ſancte deierantem eum aſſeuerauiſſe, vidiſſe ſe vulturem e pyra euolantem. Quae adieciſſe Lucianum, vt elegantius ſuperſtitioni illuderet, quilibet deprehendit. Haec totius vitae tragoediaeque Peregrini hiſtoria eſt, qualem nobis deſcripſit Lucianus. Qui licet ſpectatorem eius narrantem inducat, ſeque ex Parianis fide dignis reliqua accepiſſe dicat, oſtendimus tamen haud vno ſpecimine, cur fides eius hac in re ſubleſta ſit, quaeque valde nobis perſuadeant, more ſophiſtarum multa finxiſſe Lucianum. Et Peregrinum quidem philoſophum Cynicum fuiſſe dubitari non poteſt. Talem enim non Lucianus modo, ſed TATIANVS [e] quoque nobis deſcribunt, et PHILOSTRATVS [f] narrat, Cynicum hunc adeo audacter philoſophantem, vt ſe igni traderet, Herodem ſophiſtam canina dicacitate conuiciis fuiſſe infectatum. Audiendus itaque VINCENTIVS OBSOPAEVS [g] haud eſt, qui *αὐτοχειρίᾳ* Peregrini forte ſeductus, ex Cynico Stoicum nobis exſculpit. Cynicorum vero in morem acerbis reprehenſionibus et obiurgationibus vſum eſſe, GELLIVS [h] teſtatur, et adductus probat locus Philoſtrati. Quin concremationem eius vere contigiſſe, adducta haec loca et teſtimonia veterum, quibus EVSEBIVS [i] addi poteſt, dubitare nos non ſinunt; vnde audiendus non eſt nuperus *hiſtoriae philoſophicae* ſcriptor Gallus [k], qui eam in contumeliam martyrum excogitatam fuiſſe fabulam pronuntiat. Aſt quae de vita eius turpi et flagitiis plena narrat Lucianus, eum tantum in finem ab illo excogitata eſſe, vt et Chriſtianis et Cynicis aegre faceret, adductae ſupra rationes luculenter probant, rectequeque illis opponitur, non communis tantum eius aetatis fama, quae inter celeberrimos philoſophos eum numerauit, ſed GELLII [l] quoque teſtimonium, qui

d) p. 302.
e) Or. ad Graec. c. 41.
f) Vit. Sophiſt. L. II. c. 1. §. 13. p. 563.
g) In argumento dialogo huic praemiſſo.
h) L. VIII. c. 3.
i) In Chron. ad Olymp. CCXXXVI.
k) Hiſt. crit. de la phil. T. II. p. 186.
l) L. XII. c. 11.

philoſophum nomine Peregrinum, cui poſtea cognomentum Proteus factum eſt, virum grauem ac conſtantem ſe vidiſſe ait, cum Athenis eſſet, diuerſantem in quodam tugurio extra vrbem. Cumque ad eum frequenter ventitaret, multa eum dicere vtiliter et honeſte audiuiſſe; in quibus id fuerit, quod praecipue auditum meminerit: virum quidem ſapientem non peccaturum eſſe, etiamſi peccaſſe eum Dii atque homines ignoraturi forent. Non enim poenae aut infamiae metu non eſſe peccandum, ſed iuſti honeſtique ſtudio et officio. Si qui tamen non eſſent tali vel ingenio vel diſciplina praediti, vti ſe vi ſua, ac ſponte facile a peccando tenerent: eos omnes tunc peccare procliuius, cum latere poſſe id peccatum putarent, impunitatemque ex ea latebra ſperarent. At ſi ſciant, homines nihil omnium rerum diutius poſſe celari, ſuppreſſius prudentiusque peccaturos. Deſcripſimus totum Gellii locum, cum vt pateat, quanta inter philoſophantes fuerit Peregrini apud Athenienſes exiſtimatio, tum vt ſanam potiſſimum et egregiam fuiſſe eius doctrinam moralem cognoſcatur, et ſuſpectae inde Luciani narrationi opponatur teſtimonium fide dignius. Ceterum Luciani quoque narratio aetatem Peregrini fecit dubiam. ANTONIVS PAGI [m] enim et IOANNES CLERICVS [n] finem habuiſſe tragicum Peregrini vitam coniiciunt A. C. CLXV, EVSEBIVS [o] A. C. CLXVIII, FABRICIVS [p] A. C. CLXIX. Aſt non leues hic nodos conſpicias. Si enim Luciano fides, Peregrinus coaeuus fuit Muſonio, Epicteto, Demonacti; qui philoſophi ſub imperatoribus Nerone, Veſpaſianis, Domitiano et Traiano vixerunt. GELLIVS [q] autem ſe hominem vidiſſe, cum Athenis eſſet, teſtatur. Tempora autem Gellii incidunt in aetatem Antonini Pii, iudice H. DODWELLO [r] et I. A. FABRICIO [s], ex quo concluditur, adoleſcentem eum ſub Hadriano Athenis ſtudiis operam dediſſe, ibique, id eſt poſt A. C. CXVII, Peregrinum adhuc in viuis fuiſſe. His merito addimus, conſtare ex Philoſtrati loco ſupra adducto, Peregrinum Athenis adhuc floruiſſe, cum ibi magna nominis fama viueret Herodes Atticus, quod ſub Antoninis factum eſſe, ex ſupra dictis liquet. Quibus omnibus ſi EVSEBII teſtimonium iungimus, viuicomburium Peregrini ad A. C. CLXVIII referentis, ſequitur inde non incerta concluſione, ante tempora M. Aurelii Antonini tragoediam hanc euenire non potuiſſe. Aſt his obſtant et ATHENAGORAS [t] et Lucianus. Ille enim non combuſtionis tantum Peregrini mentionem facit, ſed et ſtatuam quoque eius memorat, quae in patria eius Paride, reſponſa dare perhibeatur, ex quibus colligimus, Athenagorae aetate, qui ſub Antoninis vixit, Peregrinum viuis iam ſubductum fuiſſe. Hic autem vti dictum, Peregrinum ait exilium paſſum fuiſſe cum reliquis phi-

m) Crit. Anti-Baron. ad A. C. 163. n. 3.
n) l. c. p. 695. o) loc. cit.
p) Bibl. Graec. Vol. III. p. 500.
q) loc. cit.
r) De peripl. mar. Eux. §. 10. T. I. Geograph. Graec. min. p. 117.
s) Biblioth. Lat. T. I. p. 508.
t) Legat. pro Chriſt. p. 30.

Digitized by Google

philoſophis Muſonio, Epicteto et Dione, id quod A. C. LXXIII accidiſſe oportet ſub Veſpaſiano. Quo tempore, cum iam iuuentutis annos ſuperaſſe Peregrinum neceſſe ſit, oportet eum ſub Hadriano LXX annos iam fere natum eſſe, et cum flammis conſumeretur, centenario maiorem obiiſſe, cum a Veſpaſiano vsque ad A. C. CLXIX integrum ſeculum effluxerit. Ex quibus omnibus hoc tandem euincitur, falſum eſſe Lucianum, qui hanc nobis Peregrini conuerſationem cum Stoicis iſtis obtruſit, ſeriusque, quam is prodit, vitae eius hiſtoriam eueniſſe.

§. IX. Vltimus, qui inter veteres Cynicos memoriae occurit, *Saluſtius.* SALVSTIVS eſt, cuius notitiam debemus Damaſcio, qui eum nouiſſe, et cum eo conuerſatus eſſe videtur, et memorabilia de eo quaedam *vitae Iſidori*, vel *hiſtoriae* potius *philoſophicae* inſeruit. Ex qua cum diuerſis in locis particulas excerpſerit SVIDAS [w], et PHOTIVS [x] quoque eiusdem nobis dederit compendium, ex vtroque hoc auctore philoſophi huius haurienda eſt cognitio. Duxit Saluſtius patrium genus ex Syria, maternum ex vrbe Emeſena, patre vero Baſilide, et matre Theoclea natus eſt. Et initio quidem, cum praeclaro eſſet ingenio, ad iuris prudentiae ſtudia ſe applicuit, iurisque notitiam vehementer expetiuit, eumque in finem eloquentiae quoque diligentem nauauit operam, cuius praecepta ab Eunoio ſophiſta, qui tunc Emeſae degebat, hauſit: quem tamen oratorem iuuenili inſolentia tumentem atque in orationibus turgidum fuiſſe, Damaſcius ait [y]. Nec alia forte cauſſa fuit, cur relicta forenſi eloquentia ad ſophiſticam Saluſtius transiuerit, et ad ſophiſticam vitam animum applicuerit, aſt meliori, quam praeceptor, iudicio. Cuius affectatam eloquentiam cum recte ſubterfugeret, veteres Oratores Atticos ſibi imitandos propoſuit, eumque in finem orationes Demoſthenis ſimul omnes edidicit, tantamque in his poſuit induſtriam, vt cum non minore induſtriae, quam ingenii admiratione antiquam illam differendi elegantiam aſſequeretur, eamque tanta felicitate exprimeret, vt orationes, quas ſcripſit, parum veteribus iſtis inferiores iudicarentur [z]. Cum autem Eunoium praeceptorem inſtitutioni non ſatis in dicendi arte parem iudicaret, Alexandriam abiit, et praeſtantiſſimorum, qui ibi eloquentiam docebant, magiſtrorum periculum fecit [a]. Qua in vrbe cum magna tum temporis eſſet philoſophorum frequentia, primum ibi philoſophiae amorem concepiſſe veriſimile eſt. Quem cum animo altius infixiſſet, Alexandrinis philoſophis non contentus, magnaque Athenienſis ſcholae, in qua tum Neſtorii diſcipuli ſumma cum laude docebant, fama permotus Athenas adiit, Proclumque in Platonica cathedra ſumma cum admiratione philoſophiam reformatam docentem audiuit. Quem praeceptorem licet admirarentur diſcipuli fere omnes, vt ſupra dictum, effecit tamen Zeno quidam,

w) In Saluſtius T. III. p. 276. 277. aliisque locis infra nominandis.
x) Cod. CCXLII. p. 556. ſeqq.
y) PHOTIVS l. c.
z) SVIDAS l. c.
a) Ibid.

quidam [b], vt a Proclo diuortium faceret (διάστασιν) et tum eius ſchola excederet, tum receptam in ea philoſophandi methodum, quam nugas parere tantum, parum vero ſolidi in tanta ſapientiae iactantia tradere, viderat, relinqueret. Dimiſſo itaque et neglecto chao philoſophiae Alexandrinae, quam eo tempore ad ſummas ineptias aſſurrexiſſe *ſectione quarta* probauimus, Cynicum philoſophandi genus, iam tum quidem prorſus fere neglectum, elegit [c]; et non tam otioſis ſpeculationibus de rebus diuinis et coeleſtibus, quibus Platonica ſchola tota in nugas difficiles ſe transformauerat, quam humanae ſocietati conuenienter et vtiliter philoſophandum ſibi eſſe ſtatuit. Quem in finem ἀδιαφορίαν Cynicam exprimere multo labore ſategit, vtque dolorem contemnere diſceret, ardentes femori prunas imponi ſibi ſufflarique paſſus [d]; longo etiam tempore cibis crudis nec igne coctis vſus eſt [e]. Odio vero in philoſophos ducebatur magno, quorum amentiam et vitam ſaepe malam Cynica libertate taxabat, ſtatuens philoſophari non tam facile eſſe, quam plerique iactabant, ſed impoſſibile [f], nempe ſi mores ſui temporis (ad quos ſine dubio reſpexit) conſiderentur. Eandem ob cauſſam iuuenes quoque a philoſophiae ſtudio dehortabatur, tum vt philoſophorum ſcholas et congreſſus in contemtum adduceret, odiumque exerceret, quod in eos conceperat, tum vt oſtenderet, conſiderata amplitudine ſtudii illius, eos, qui ſe tanto titulo iactarent, indignos prorſus eſſe. Neque caruiſſe effectu hanc Saluſtii, quam philoſophis ſcripſit, dicam, alio loco [g] teſtatur SVIDAS narrans: fuiſſe tum inter philoſophos eo tempore, quo Proclus viuebat, Athenodorum quendam longe clariſſimum, omnibusque ad philoſophiam ſubſidiis tam ab ingenio, quam recta animi voluntate inſtructum, dilucideque philoſophiam diſcipulis explicuiſſe; ipſum etiam Saluſtium hunc ob ſtudium admiratum, cum igne comparauiſſe, omnia propinqua incendente: et tamen huic Athenodoro perſuaſiſſe Saluſtium ne philoſopharetur. Facile ex his iudicium fieri poteſt, et odia philoſophorum preſſiſſe hominem illis nimis acerbum, et loci inde taedium illum cepiſſe. Relictis itaque Athenis cum Iſidoro, quem diſceſſiſſe ex Platonica ſchola *ſectione quarta* diximus, Alexandriam ſeceſſit [h], ibi-

b) Duos nobis Zenones enarrat SVIDAS in Zeno Alex. T. II. p. 9. Vnus Iudaeus fuit, cui genti cum nuntium miſiſſet, per ipſorum ſynagogam aſinum album traduxit. Id quod mirum videri non debet, cum afflictis per Cyrillum patriarcham rebus Iudaeorum Alexandrinorum, inulta fere manſerit plebis iniuria. Hic Zeno natura quidem aequus et bonus fuit, teſte, quem hic quoque ſine dubio Suidas exſcripſit, Damaſcio, ſed in eloquentia et diſciplinis tardior, ſemper quidem diſcere aliquid cupiens et rogitans, quod ignorarer, ſed omnia propemodum ignorans. Etenim erat tardiſſimus ad percipiendum, et quae tandem aliquando percepiſſet, eorum faciſſime obliuiſcebatur. Fuit et alius Zeno, Pergamenus, Procli aequalis, et ipſe natura tardiore ad diſcendum, bonus tamen et moribus compoſitis. Vter vero feceſſum a Proclo ſuaſerit Saluſtio, dicere ſe non poſſe ait Damaſcius.

c) SVIDAS l. c.

d) Sua id aetate factum eſſe ait SIMPLICIVS Comm. in Epictet. p. m. 63.

e) SVIDAS in χυτρόπους T. III. p. 698.

f) IDEM T. III. p. 277.

g) In Athenodorus T. I. p. 77. vbi tamen Stoicus cum Platonico hoc deſcribentium vitio confunditur. Etiam haec ex Damaſcio ſine dubio hauſit Suidas.

h) SVIDAS T. III. p. 277.

Digitized by G

ibique Cynicum inſtitutum proſecutus, non ipſe tantum imperterritum et ad quaeuis occurrentia indifferentem oſtendit animum, ſed ad corripiendos quoque hominum mores magna dicendi libertate vſus eſt. Qua in re et ingenio ſupra modum natura vrbano, et ad deridendum ingenioſiſſimo et promtiſſimo, quod facile inueniebat, quod e re nata eſſet, vſus eſt, et has orationis Veneres, quibus eximie praeditus erat, e familia ſua accepit, et dicendi arte confirmauit [i]. Cumque natura oſor eſſet improborum, Heracliti [k] more inſectator turbae, omnes increpabat delinquentes, et quouis modo, quauis occaſione quoslibet arguebat, et falſe perſtringebat, interdum ſerio, ſed plerumque ridiculis dicteriis et argutis ſententiis, quibus plerosque magna ingenii felicitate pungebat. Qua in arte excelluiſſe Cynicos ſupra monuimus. Ita vero nec amicis ſatis feciſſe, et inimicos ſibi excitaſſe plurimos facile credi poteſt: vnde eum, qui tamen familiariter eum nouit, Damaſcius auerſatus eſt [l]. Nunquam autem infirmo fere corpore viſus eſt, nec animo aeger [m]. Ait etiam Damaſcius, inſpicientem occurrentium oculos, praedixiſſe frequenter mortis genus maxime violentum, licet cauſſam, vnde id praenoſceret, ne ipſe quidem dicere poſſet, praetendens ſolummodo oculorum obſcuritatem et tenebras et humore plenos eſſe, quae in luctu pupillis ipſis oculorum continerentur [n]. Quamuis autem ſeuera admodum eſſet virtus Saluſtii, impietatis tamen valde ſuſpectus factus eſt; *veram* enim *de Diis opinionem* dixit *eſſe quintam virtutem, qua ne improbiſſimi quidem interdum carere videantur* [o]. Quae ſanum quidem ſenſum admittunt, ad iſtorum vero temporum dogmata applicata, impia ſatis ſunt atque profana. Tota enim philoſophantium natio dispertiebat virtutes in quatuor claſſes cardinales, quibus reliquae omnes ſubordinarentur. Quinta igitur virtus inter non-entia referenda eſt, talisque quae apud improbos quosque inuenitur, adeoque vera de Diis opinio nullum inter veras virtutes locum obtinet. Nec dici poteſt, Saluſtium haec ſerio pronuntiaſſe, et ad anticipatam de Diis notionem, qua nec improbi carent, reſpexiſſe, quam, cum reliquis virtutibus prior ſit, quintam virtutem cardinalem eſſe pronuntiauerit. Contrarium enim Damaſcium innuere, et ridendi cauſſa haec Saluſtium dixiſſe, SVIDAE verba clare ſatis docent. Non tacebimus tamen, quid pro Saluſtio hac in re non ſine veriſimilitudine dici poſſe putemus. Nempe valde irriſiſſe philoſophos, maxime Platonicos, a quibus defecerat, Saluſtium, ſupra monuimus. Hi vero cum opiniones de Diis fanaticas nugisque meris conſtantes ſummum eſſe philoſophiae apicem contenderent, ad Pla-

i) Ibid.
k) Diogenis, forte ſcribere volebat Damaſcius, licet Heraclitum quoque plebem contemſiſſe certum ſit.
l) loc. cit.
m) PHOTIVS l. c.
n) Ibid.
o) SVIDAS l. c. Addi igitur debet atheiſmi inſimulatorum catalogo apud Cl. REIMMANNVM.

Platonicorum reformatorum affanias et inutiles ſpeculationes reſpexiſſe videtur, quas quintam virtutis conſtituere claſſem eo magis cum aculeo dixit, quo magis principi in ſua ſchola dogmati locum inter quatuor virtutum claſſes vix relinquebant. Aſt hanc de Diis opinionem et doctrinam, quam tantopere iactabat Procli, ex qua Saluſtius erat egreſſus, ſchola, etiam improbis ineſſe, exemplis ſine dubio ex hac ipſa ſecta demonſtrauit, adeoque non in veram Dei notitiam, ſed fanaticam theologiam haec dicta ſunt. Quae tamen cautius omnino erant ſtatuenda, ne impii haberent, quod pro omni religionis et pietatis eiuratione dicerent. Ex his vero iudicium de dicteriis eius fieri poteſt, quae coniecturam noſtram mirifice confirmant [p]. Aliquando enim peregrinis quibusdam, cetera quidem eum laudantibus, vnum vero ei deeſſe dicentibus, quod non ita de Diis, vt alii multi ſentiret, *Sinite*, inquit, *ſaltem propter Nemeſin hoc mihi adeſſe.* Cumque Pamprepium magna iam dignitate conſpicuum adiiſſet, isque, qui elegans atque feſtiuus videri volebat, dixiſſet: *Quid Dii ad homines?* reſpondit: *Quis vero ignorat, neque me vnquam Deum, neque hominem te fuiſſe?* Haec enim ad ridenda communia de Diis praeiudicia, maxime Platonicorum Alexandrinorum, e quorum numero Pamprepium fuiſſe ex ſupra de eo dictis conſtat, ſpectare, ex allatis, niſi fallimur, non inepte iudicatur. Ex quibus non ſine veriſimilitudine diſputatis colligi porro poteſt, fruſtra eos eſſe, qui libellum Saluſtii *de Diis* a GALEO [q] editum, huic Cynico [r] vindicant, magisque audiendos illos eſſe, qui Saluſtium Platonicum reformatum, Iuliani apoſtatae temporibus viuentem parentem libelli Stoicis et Platonicis ſententiis inter ſe mixtis et male ſociatis referti agnoſcunt [s]. Familiarem habuit Saluſtius Marcellinum principem Dalmatiae et Illyriorum in Epiro habitantium, virum bonum et generoſum et Romanis diſciplinis inſtitutum, diuinationis quoque peritiſſimum, et praeterea eruditionis amantiſſimum. In quo prudentiam ciuilem non exiguam, et fortitudinem admirandam, et rei militaris peritiam inſignem fuiſſe ait Damaſcius [t]. Saluſtios complures cum Cynico non confundendos quaere apud FABRICIVM [u]; noſtrum Sec. VI. ineunte vixiſſe, Iſidori, Damaſcii, Simplicii, aetas euincit.

p) Ibid.

q) In opuſc. mythologicis. Primam editionem debemus G. NAVDAEO cum L. ALLATII verſione et notis L. HOLSTENII Rom. 1632. 12. conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 643.

r) CONRING. de Herm. med. L. I. c. 12. p. 123. REINES. Inſcr. L. I. c. 2. 4.

s) GAVDENT. de Pythag. tranſmigr. c. 21. FABRIC. l. c. p. 644. qui plura de hoc Saluſtio dabit. Conf. ST. VITVS Bibl. Brem. T. VI. p. 424.

t) SVIDAS in Marcell. T. II. p. 498.

u) loc. cit.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

DE SECTA STOICA.

§. I.

Fata ſecti Stoicae ſub imperatoribus.

Floruiſſe mature ſectam Stoicam durante republica Romana, principibusque viris ſe commendaſſe, in antecedentibus demonſtrauimus. Eadem vero fortuna quoque Romae vſa eſt, poſtquam ciuitatis libertas in vnius degenerauit imperium. Nam apud imperatores quoque occaſio data eſt Stoicis, eorum gratia ita fruendi, vt non poſſet non lecta inde ſecta ipſa capere incrementa. Quorum nouum quaſi fundamentum iecit Athenodorus Tarſenſis, Auguſto valde charus atque gratioſus, ex quo ſibi in philoſophia ducem illum elegerat; is enim Stoicae ſectae conciliauit eius animum, valde erga philoſophos pronum. Quae licet fortuna ſub imperatoribus ſequentibus Tiberio, Caligula atque Claudio, a quibus nullus fere philoſophiae honos habitus eſt, obſcurari videretur, rediit tamen lux priſtina ſub Nerone, Seneca, huic familiae addictiſſimo, ad iuuentutem principis regendam, moderandumque conſiliis ſuis ipſum imperium, adſcito. Quinimmo laetioribus effulſit illa radiis, cum Marcus Aurelius Antoninus Stoicum habitum ſumeret, et perceptis eius ſectae placitis magnum eius familiae ornamentum euaderet. Neque porro parum adiuuit incrementa philoſophiae ſtudium iurisperitorum Romanorum. Nam quod republica adhuc ſtante factum eſſe, ſupra oſtendimus, vt ICti Stoicam philoſophiam ad rempublicam adplicarent, iurisque normam eligerent, id ſub imperatoribus quoque factum eſſe, dudum a viris doctiſſimis [a], qui Romani iuris hiſtoriam ſcripſerunt, obſeruatum eſt, cauſſaeque facile detegi poſſunt. Semel enim in republica iactis, ex Stoica doctrina, fundamentis iurisprudentiae Romanae, haud facile fuit iuſtitiae antiſtitibus ab incepta ſemel via in aliam prorſus deflectere, ſicque confuſione miſcere omnia; praeſertim cum non exigua Stoici apud imperii moderatores fruerentur gratia, et inter ciues ſanctiſſima haberetur haec ſecta; quae doctrinam de officiis ab aliis ſectis neglectam diligenter inculcauit, ſicque praetorum edictis, neſcio quod arbitrarium ſaepe ius condentibus, regulam praeſcripſit philoſophicam. Neque vero ſolis iurisperitis arriſit Stoica philoſophia, ſed et inter alios ſapientiae ſtudioſos reperti ſunt plurimi, qui meteoris Stoicis decepti, et magniloquentia barbatorum philoſophorum illecti, vel nomen prorſus darent ſectae Stoicae, vel eius tamen doctrinam reliquarum ſectarum placitis

a) Io. Schilter Manud. phil. mor. ad iurisprud. c. l. Vinc. Gravina Orig. iuris ciu. L. I. §. 44. Euer. Otto de Stoica veterum ICtorum philoſophia, aliique Tomo primo laudati.

Digitized by Google

citis praeferrent. Et deceptos quidem esse admiratores doctrinae Stoicae, in aprico est. Cum enim verba audirent magniloqua, virtutemque viderent commendatam talem, ad cuius perfectionem ne adspirare quidem licebat, quae vero supra humanam conditionem Stoicum perfectum euehebat, non cogitarunt, inanem hanc esse arrogantiam, quae turbidos et negotiorum appetentes tantum faceret, quod Rubellio Plauto apud TACITVM [b] obiectum; sed verbis capti magnum quid sonantibus, thesauros sibi promiserunt inanes. Quod facile intelligere potuissent, si ad id attendissent, quod FABIVS [c] monet: *Minus indulserunt eloquentiae Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque plurimum valuerunt, rebus tamen magis quam (id quod sane non quaesiuerunt) oratione magnifici*, indeque didicissent magnificentiam Stoicorum recentiorum magis in verbis, quam in re fuisse. Ast neglecta hac grandiloquentiae Stoicae, quam frustra negat IVSTVS LIPSIVS [d], consideratione, incauti in retia callidissimorum philosophorum inciderunt, et meliora atque longe praestantiora apud Stoicos, quam apud ceteros philosophos se inuenturos sibi polliciti sunt, id quod non potuit non sectam hanc vehementer augere. Multo tamen illustrior facta est Secta Stoica, ex quo subdolo conatu Christianorum vitulis arandi occasionem nacta est. Cum enim doctrinae Christianae, praecipue, quae mores hominum format animumque dirigit, per omnem mundum ampliſſima esset gloria, et philosophi quoque ad eam amplectendam animum aduerterent, hominumque innumera fere multitudo Christianis sacris accederet, quod sanctiora longe atque pulchriora tradere crederentur; non tulit tantam gloriam sectae Stoicae inuidia, nec sanctitatis laude, qua hactenus cluebat, superari se a Christi sectatoribus passa est. Vt itaque in suis quoque scholis talia doceri ostenderet secta tristis atque tetrica, lectis Christianorum doctorum, et forte ipsorum sacrorum oraculorum libris, et verba et doctrinam ipsam ita callide imitata est, vt tamen salua atque illaesa maneret systematis semel electi constitutio, in alienum scilicet sensum iis deprauatis flexisque, quae ita furtim furripuerat. Cuius rei fidem vt faciamus, vel ad ipsa Senecae, Epicteti, Antonini scripta lectorem abire, et cum sacris Christianorum libris ea comparare iubemus, vel illa legere cum attentione et considerare, si tanti videbuntur, quae alio loco [e] prolixe satis et copiose ea de re differuimus, exemplisque plurimis subdolam hanc Christianorum imitationem a Stoicis susceptam confirmauimus. Neque mirum videri queat, libros Christianorum in manus Stoicorum peruenisse et ab iis lectos esse. Id Neronis et postea M. Antonini tempore facile euenire potuit. Cum enim nouae superstitionis instar apud imperatores deferretur Christiana doctrina, scriptis

b) Annal. L. XIV. conf. LIPSII manud. ad phil. Stoic. L. I. diss. XIV. p. 84.

c) Instit. Orat. L. X. c. 1

d) l. c. p. 88 conf. WERENFELS. de meteoris orationis Opp. p. 509.

e) In diss. de Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus, Tempe Helu. T. III. sect. 2. p. 260.

Digitized by Google

ſcriptis vero apologiis, et publicis quoque coram praeſidum tribunalibus confeſſionibus de eius innocentia et ſanctitate teſtimonium dicerent ſanctiſſimi martyres et glorioſi confeſſores, impoſſibile fuit, vt res tanta, quae totum fere Romanum orbem commouebat, imperatorum oculos effugere, vel eorum notitiam latere poſſet, qui rebus ſummis moderandis adhibebantur. Ex quo numero cum Seneca imprimis fuerit, qui, impetii habenas capeſſente Nerone, cum Burrho de imperii quoque negotiis proſpexit [f], dubium non eſt, virum prudentem, excitatum fama pariter et infamia Chriſtianae religionis, qua a plerisque gentilibus aduerſariis premebatur, ad ipſa cognoſcenda praecepta Chriſtianorum animum applicuiſſe, licet non negemus, ſine fundamento commercium aliquod literarum inter D. Paulum et Senecam comminiſci aliquos. Idem de M. Aurelio Antonino dicendum, quem non credibile eſt, tanto fauore, quanto infra dicemus, erga Chriſtianos vſum fuiſſe, ſi nihil ſcriptorum eorum legiſſet, vel doctrinam imprimis moralem eorum non percepiſſet. Vtrumque vero non verba tantum et phraſeologiam, ſed et doctrinae capita ſumma a Chriſtianis mutuum accepiſſe, exempla plurima loquuntur, aſt, corrupta et Stoicis erroribus ab illis infecta fuiſſe, docent. Ita vero non inter ſuae tantum ſuperſtitionis homines nouos gloriae et ſanctitatis ſpargebat radios ſecta Stoica, ſed et inter Chriſtianos non deerant, qui fuco illo decepti magnifica decreta vocesque magnas porticus admirarentur, et maximopere laudarent, naeuos autem ex admiſtis erroribus et attemperato illis decretis ſyſtemate oriundos non ſatis perſpicerent, turpiterque laberentur, qua de re Tertulliani, Pantaeni, Clementis Alexandrini aliorumque exempla ſuo tempore et loco enarranda, documento nobis eſſe poſſunt luculento, quae nec ipſe LIPSIVS [g] ſtrenuus Stoicorum patronus, negare potuit. Viderunt tamen latentem in herba anguem viri perſpicaces inter Chriſtianos haud pauci, vt ſuo loco probabimus, grauemque cenſuram in Stoicos exercuerunt. Cuius licet interiorem cauſſam putet LIPSIVS [h], quod plures fuerint qui Stoicam ſectam ſectarentur, quam qui aliam quamcunque, quodque et hac multitudine Chriſtianos vrſerint, et auctoritate atque vita eos preſſerint, abſit tamen tanta inuidia a viris ſanctis, vt exiguam, ſi cum Chriſtiani nominis cultoribus comparetur, frequentiam inepta aemulatione illis inuiderint, vel hypocritica vita, quam Stoici affectabant, tantis ignibus eos aduſſerit. Eſſe enim longe alia et maiora, ex ipſis eorum obiectionibus clare cognoſcitur; nec tam pulchre picta fuit larua virtutis Stoicae, vt non latens deformitas protraheretur in lucem, et hypocriſis fucataque virtus eis ab ipſis gentilibus obiiceretur; qua de re ea relegenda ſunt, quae *tomo primo* [i] de hac ſecta diximus. Magnam tamen ſectae huic iſtis temporibus, qui-

f) Plura hac de re dicemus infra.
g) l. c. p. 101. conf. IAC. THOMASIVS de exuſt. mundi Stoica diſſ. X.
h) l. c. p. 100.
i) L. II. c. 9.

quibus in viros optimos saepissime tyrannis saeuiit, gloriam addidere viri summi Stoicis praeceptis innutriti feminaeque illustres, quae excelso animo contemta morte pro libertate et virtute fortiter obierunt, quales fuisse Caecinae Paeti, Thraseae et Heluidii vxores, Arriam vtramque et Fanniam TACITVS [k] narrat. Et ex his iam caussis magna illa incrementa orta sunt, quae Antoninorum aetate illa secta habuit, quaeque aliarum sectarum fortunam superauisse veteres testantur [l]. Certe IVVENALE [m] haut obscuro interprete, per omnem fere orbem Romanum philosophia Stoica cum reliquis eruditionis partibus inualuit. Ita enim:

Melius nos
Zenonis praecepta monent, nec enim omnia quaedam
Pro vita facienda putat, sed Cantaber vnde
Stoicus, antiqui praesertim aetate Metelli?
Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas.

Quae fortuna eo magis splendida fuit, quo magis SENECAE [n] tempore multae familiae philosophorum sine successore deficere coepere. Nacta vero sub Antonino Pio locum in cathedra publica honorem et stipendium etiam meruit [o], hocque testimonio multa auctoritatis atque dignitatis acquisitae incrementa vidit. Nempe testatus hoc ipso, quod stipendio auxisset Stoicos, imperator, habere se hanc sectam pro vtili reipublicae minimeque otiosa, cum *salaria* teste CAPITVLINO [p], *subtraxisset multis, quos otiosos videbat accipere, dicens, nihil esse sordidius, immo crudelius, quam si rempublicam ii arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent: vnde etiam Mesomedi lyrico salarium subtraxit.* His itaque artibus ad summam felicitatem surgens philosophia Stoica, in plerisque, quae in orbe Romano erant, Musarum artiumque liberalium emporiis publice iuuentuti tradita est. Et Athenis quidem atque Alexandriae Stoicae philosophiae decreta personasse [q], demonstratione in re nota opus haud habet: Romae autem vtrum publice doceri coepta sit, ambigit PAG. GAVDENTIVS [r]. Cuius quidem rei disquisitionem hic breuitatis caussa omittimus, addimus tamen, quod CAPITOLINVS [s] tradit: *tantum in M. Antonino philosophiae studium fuisse, vt adscitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii Stoici discendi caussa veniret.* Ex quo loco colligitur, Stoicae philosophiae ludos Romae tum, annuente imperatore, in aedibus suis aperuisse Stoicos phi-

k) Legendus MENAGIVS histor. mulier. philosophant. §. 75. p. 499.
l) Conf. LIPS. l. c. VOSS. de sectis c. XIX. §. 13. IONS. de Script. hist. phil. L. I. c. 20. p. 107. HORN. hist. phil. L. IV. c. 6. p. 255.
m) Sat. XV. v. 108. seqq.
n) Qq. natur. L. VII. c. 32.
o) LVCIANVS in Eunucho T. IV. p. m. 160. CAPITOLINVS in Antonino Pio c. 11. XIPHILINVS in Ant. Pio.
p) Ibid.
q) STRABO L. XIV. p. 673.
r) De philosophis Rom. c. XLVIII. p. 206.
s) in M. Aurelio Anton. c. 10.

philoſophos. Sic Tarſi quoque Ciliciae Stoicae philoſophiae praecepta tradita fuiſſe, STRABO [t] auctor eſt, qui Tarſum ideo Alexandriae Athenisque iungit: teſtesque ſunt cultae Tarſi philoſophiae Stoicae philoſophi aliquot ex hac familia haud incelebres Antipater, Archidemus, Athenodori duo, Heraclides, Neſtor, Zeno, Diogenes etiam dictus, aliique partim ſuo loco iam dicti, partim infra nominandi, qui Tarſum patriam habuere [u]. Sed fuiſſe quoque ibi peculiares conuictus a celebrioribus Stoicis nomen ſortitos, ATHENAEVS [x] auctor eſt. Multum tamen ad obſcurandam hanc Stoicae ſectae gloriam contulere contradictiones et diſſidia reliquarum ſectarum, quae ſubtilitates porticus valde eneruabant. De quibus luculentum extat EVSEBII [y] teſtimonium, narrantis: *acres illas ac ſubtiles argutias Stoicorum illudi a ceteris ac derideri, omnesque undique cum vicino quemque ſuo puluere conſperſos pugnam ſtremue luctamque conſerere; quaſi manibus iamiam atque lingua, ſeu calamo potius et atramento mutuum in ſeſe bellum inſtruerent, atque alios alii, quibusdam quaſi diſputationum iaculis atque omni armorum genere vulnerarent.* Id quod Alexandriae quoque euenisſe, Hieroclis ſcimus teſtimonio [z]: imprimis autem Scepticos in exagitandis explodendisque Stoicis decretis ingenioſos fuiſſe atque induſtrios, ſexti Empirici exemplum nos dubitare non ſinit. Et medicinam quidem afferre malo huic conatus eſt poſt Potamonem Ammonius Saccas, iis veſtigiis inſiſtendo, quae Antiochum Aſcalonitam et Ammonium Plutarchi Chaeronenſis praeceptorem preſſiſſe viderat; quem in concordiam ire coëgiſſe Platonis, Ariſtotelis et Zenonis decreta, ſupra copioſe explicuimus. Aſt morbo medicina euaſit peſtilentior. Syncretiſmo enim illo turbata pura et genuina ſectarum harum dogmata tantum non omnia, ſectae autem Stoicae ita ſucciſi nerui ſunt, vt prorſus contabeſceret, et AVGVSTINI [a] aetate non niſi Cynici, Peripatetici et Platonici viderentur: qui vero dogmata Stoica, praecipue in morali doctrina, diligerent, ſcholae eclecticae adhaererent, quales fuere Simplicius, Damaſcius aliique. Illuſtriores itaque Stoici ad ſeculi tantum tertii poſt C. N. initia pertingunt, vbi ducentorum annorum ſpatio multi viri magni et doctrina celebres huic ſectae adhaeſerunt. Ex quibus alii fuere iureconſulti et optimates, in quibus *ſectione prima* Thraſeam, Heluidium Priſcum, Iunium Ruſticum, Caecinam Paetum aliosque memorauimus; quibus addi deberet M. Aurelius Antoninus imperator, niſi philoſophum profeſſione et inſtituto talem ipſe affectaſſet. Alii ſtrictiori vocabuli ſenſu Stoicae philoſophiae ſectaeque ſe aſſeclas profeſſi ſunt, quorum indicem poſt extemporaneam LEONHARDI COZZANDI [b] diligentiam conſtruxere Io. IONSIVS [c] et

t) loc. cit.
u) Conf. Act. philoſ. Vol. III. p. 141. ſeqq.
x) L. IV. p. 185.
y) Praepar. L. XIV. c. 2. p. 718.
z) PHOTIVS Cod. CXXIV. p. 283.
a) Adu. Academicos L. III. c. 18.
b) De magiſterio antiq. philoſ. L. III. c. 4.
c) l. c. L. II. c. 18. p. 208.

Digitized by Google

et imprimis Io. ALBERTVS FABRICIVS [d]. Nos eos tantum enarrabimus, quorum fama in porticu fuit circa ista tempora illustrior. Ast sunt isti: Athenodorus Tarsensis, Annaeus Cornutus, Musonius Rufus, Chaeremon Alexandrinus, L. Annaeus Seneca, Dio Prusaeensis, Euphrates Tyrius, Epictetus Phryx, Sextus Cheronaeus, et, qui dignitate omnibus anteiuit, M. Aurelius Antoninus imperator.

Athenodorus. §. II. Valde res Stoicorum sub imperatore Augusto promouit ATHENODORVS, Tarso Ciliciae oriundus, patre Sandone natus [e]: ab Athenodoro Tarsensi, qui Pergamo accitus a M. Catone, in eius contubernio vixit [f], diuersus; hic enim Cordylionis cognomen tulit. Glycae, Cedreno aliisque Alexandrinus dicitur [g], sed hoc falsum esse, ex veterum testimoniis, qui Tarsensem faciunt, patet. Dictus etiam a pago quodam Cananites [h]. Magna is et gratia et auctoritate apud Augustum valuit, tum ob animi singularem prorsus aequitatem, tum ob eruditionem, cuius laetissimus is effectus fuit, quod saniora et mitiora eius consilia Caesar Augustus prorsus probauit et secutus est, testaturque ZOSIMVS [i], mitius fuisse Augusti imperium, ex quo Athenodori maxime consiliis aurem praebuisset. Id quod Tarso prorsus salutare euenit. Narrat enim LVCIANVS [k]: Athenodori Tarsensis Augusti praeceptoris, precibus apud imperatorem, Tarsensium ciuitatem vectigalibus leuatam esse, ideoque populum quotannis ei, vt heroi solennes honores persoluisse. Tanta etiam Augusti erga illum fiducia fuit, vt Claudium postea, imperatorem, in contubernium illi traderet, isque et institutione et conuictu eius vteretur [l]. Eo vero tempore iam aetate grauis fuit Athenodorus, vnde eo melius iuuenis ambigua inclinatione suspecti mores firmare illum posse Augustus sperauit. Contubernio vero philosophorum iuuenes etiam principes credere, non insolitum Romae fuit, ipseque Augustus, Sphaeri et Arei philosophi contubernium iniit [m]. Quem Areum, qui aliis Stoicus, aliis Pythagoreus dicitur [n], cum Theone Alexandrino, Stoico, aliisque philosophis maxime Athenodorum commendasse, nulli dubitamus [o]. Valde senex, octoginta duos annos natus in patria occubit [p], relicto de Tarso libro [q], quem hodie desideramus. Cum Athenodoris vero aliis, de quibus suo loco dictum, confundendus non est, vt a SVIDA [r] factum.

§. III. Se-

d) Bibl. Graec. Vol. II. p. 586. quosdam ex hoc albo deleuit HERMANNVS Act. philol. Vol. III. p. 110.

e) LVCIAN. in Macrob. T. II. p. m. 829.

f) Dictum de eo supra c. I.

g) FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 391.

h) FABRIC. l. c.

i) L. I. c. 6. Qui locus apud SVIDAM in Athenodorus T. I. p. 72. plane euertitur et contrarius sensus exsculpitur. Conf. KVSTERVS ad h. l.

k) loc. cit.

l) SVETON. in Claudio c. 4.

m) IDEM in Aug. c. 89.

n) Dictum de eo Sect. I.

o) SVIDAS in Theon. T. II. p. 182.

p) LVCIANVS loc. cit.

q) STEPHANVS in Ἀγχιάλη.

r) Vide quae in fine superioris Sect. diximus.

Digitized by Google

§. III. Serius, ante et ſub Nerone vixit Romae atque docuit Annaeus Cornutus, haud ignobile in familia Stoica nomen. Fuit is Leptitanus Afer, et non philoſophiae tantum cognitione, ſed Grammaticae quoque, Rhetoricae atque Poëticae vſu ſingulari praeſtitit [s]. Et meminit quidem GELLIVS [t] Cornuti grammatici, quem *haud fane indoctum et ignobilem*, et alibi *hominem pleraque alia non indoctum, nec imprudentem* vocat, eiusque commentarium in Virgilium laudat: Aſt hunc a Cornuto philoſopho diuerſum eſſe contendit CASP. BARTHIVS [u]. Quod quamquam certo definiri non poteſt, cauſſa tamen grauis haud eſt, duos hic Cornutos exſculpendi. Qui enim in dicendi arte ita excelluit, vt libros quoque rhetoricos conſcriberet [x], et pangendi carminis felicitate vſus eſt, eum in Grammatica quoque verſatum ſatis fuiſſe, quis eſt qui dubitet? Nec inſolitum in veteri hiſtoria literata vel inauditum, philoſophos in Grammaticis excelluiſſe Cuius exempla multa occurrunt, et inter ea maxime Porphyrius et Proclus, vt alios taceamus. Nec obſtat, quod vrgetur, Cornutum philoſophum Graece ſcripſiſſe, grammaticum Latine: ſatis enim notum eſt, multos ea aetate vtraque lingua, Graeca et Latina, libros exaraſſe. Quare veriſimile putamus, eundem eſſe Cornutum philoſophum et grammaticum [y], praeſertim cum in omni eruditionis genere illum fuiſſe ornatiſſimum Dio teſtetur. Tragicum vero dum vocat auctor vitae Perſii, in poëtica quoque eum arte fuiſſe verſatum inde colligitur. Maxime tamen philoſophiae Stoicae ſe dedit, eamque profeſſus Romae iuuentuti ad ſapientiae ſtudium praeiuit, moreque philoſophorum Romae tum commorantium conuictum philoſophantium aluit; memoratque auctor vitae Perſii, quem plerique SVETONIVM [z] eſſe volunt, *vſum fuiſſe* Perſium praeter Lucanum poëtam *apud Cornutum conuictu duorum doctiſſimorum et ſanctiſſimorum virorum, acriter tunc philoſophantium, Claudii Agaternii medici Lacedaemonii, et Petronii Ariſtocratis Magnetis, quos vnice miratus ſit et aemulatus, cum aequales eſſent, et Cornuto minores:* Tantusque fuit philoſophantium, Cornuto duce, amor in praeceptorem, vt et maxime eius eruditionem et fidem extollerent, et remunerari quoque eius diligentiam ſtuderent. Inter eos omnium praeclariſſime de Cornuto ſenſit Perſius [a], qui virtutem Cornuti extollere in ſermonibus ſuis non neglexit, ſatisque oſtendit, qualis vir fuerit. Ita enim inter alia multa [b]:

A. Cornutus.

Cumque iter ambiguum eſt, et vitae neſcius error
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes,

Me

s) SVIDAS in Cornutus T. II. p. 350.
t) L. II. c. 6. L. IX. c. 10. u) Ad Claud. p. 128.
x) SVIDAS l. c. Porphyr. Simplic. conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 400.
y) Ita etiam VOSSIVS de hiſtor. Latin. L. I. c. 25. p. 136.
z) Ideo SVETONII Caeſaribus plerumque ſolet adiici. a) Satyra V. b) v. 34. ſeqq.

Digitized by Google

Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu, tunc fallere ſolers
Appoſita intortos extendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes;
Vnum opus et requiem pariter diſponimus ambo,
Atque verecunda laxamus ſeria menſa.

Et paulo infra:

At te nocturnis iuuat impalleſcere chartis.
Cultor enim iuuenum purgatas inſeris aures
Fruge Cleanthea. Pitite hinc inanesque ſenesque
Finem animo certum, miſerisque viatica canis.

Sed tota ſatyra legenda eſt, laudum Cornuti plena, vt quam ſobrie diſcipulos docuerit, quamque grato illi agnouerint animo, diſcamus. Tanta etiam Perſii fuit erga praeceptorem grati animi ſignificatio [c], vt moriens ſcriptis ad matrem codicillis rogaret eam, vt daret Cornuto feſtertia, vt quidam dicunt, centies, vt alii volunt, plus, et argenti facti pondera viginti, et libros circa ſeptingentos Chryſippi, ſiue bibliothecam ſuam omnem. Verum Cornutus ſublatis libris pecuniam ſororibus, quas frater haeredes fecerat, reliquit. Ceterum ſi SVIDAE [d] fidendum, noſter etiam in Romanae hiſtoriae monumentis condendis verſatus eſt. Ita enim lexicographus: *Duo Romani hiſtorici fuerunt, T. Liuius, cuius celebre et illuſtre eſt nomen, et Cornutus. Hunc autem audio diuitem quidem fuiſſe, et liberorum expertem, nihil vero praeclari habuiſſe. Tantum autem fuit auditorum diſcrimen in his viris audiendis, vt Cornutum quidem quam plurimi audirent, obſequii et aſſentationis cauſſa ad hunc virum confluentes, et propter haereditatis ſpem, quod nullos liberos haberet; Liuium vero pauci: ſed quorum aliquis erat vſus, et qui animi elegantia et eloquentia praeſtabant. Et haec quidem tunc ita fiebant. Tempus vero et veritas - - hunc tanquam occultum theſaurum et multa eaque bona continentem demonſtrarunt, T. Liuium nempe. Alteri vero illi diuiti et pecuniis circumfluenti Cornuto obliuionem offuderunt. Quare vel vnus vel potius nullus eum nouit.* Haec Suidas, qui Leptiten Africanum quidem eum fuiſſe aſſerit, ſi tamen rem recte aeſtimauerimus, more ſuo homonymos confundit. Vt taceamus enim, Cornuti non ita periiſſe memoriam, vt ne vnus quidem eum norit, tempora non concordant. Liuium enim L. annis prius obiiſſe, quam in exilium

c) Vita Perſii l. c. d) loc. cit.

Digitized by Google

exilium missus est Cornutus, ex EVSEBII *Chronico* recte demonstrauit G. I. VOSSIVS [e]. Nec qui Cornuti meminere, huius rei mentionem faciunt. Recte itaque, hunc Cornutum obscurum historicum a philosopho Stoico discernendum esse, iudicarunt viri docti [f], licet incertum prorsus sit, quod ex tempore coniicit VOSSIVS [g], fuisse eum philosophi patrem. Sed nec ex aliis Cornuti iisque indubitatis scriptis aliquid supereſt, praeter libellum *de natura Deorum* sub Phurnuti nomine [h] primo quidem editum, postea vero recte Cornuto Stoico vindicatum, in quo mythologia Graecae Stoicae physiologiae, allegoriae in Stoicorum scholis receptae opera attemperatur, et theologia Stoica eleganti enarratur compendio. De cuius libelli historia consulendus est, qui diligenter eam enarrauit IO. ALB. FABRICIVS [i]. Aliter quidem visum veterum doctrinarum callentissimo viro THOM. GALEO [k], cui nitidam libelli editionem [l] debemus. Qui postquam de diuersis Cornutis docte egit, et hunc Stoicum ob humaniores literas et philosophiam magnum nomen in scriptis veterum obtinuisse ostendit, alium quoque Cornutum nobis enarrat Platonicum, Stobaeo et Proclo laudatum. Hunc vero Platonicum huiusce libri *de natura Deorum* auctorem esse coniicit, eumque esse putat, quem toties Porphyrius laudat, et cuius *μεταληπτικὴν* scribendi modum Origenes et Proclus imitati sunt. Ast falli virum *κριτικώτατον* facile deprehendent, qui ipsum libellum attente legerint, in quo nihil est, quod non cum Stoica physiologia, animaque mundi per omnes partes diuisa exacte conueniat; sunt quaedam, quae a Platonica doctrina prorsus abhorrent. Quod vt vno alteroue tantum ex multis exemplo roboremus, en germanissimum Stoicum [m]: *Ἦν δέ ποτε, ὦ παῖ, πῦρ τὸ πᾶν, καὶ γενήσεται πάλιν ἐν περιόδῳ. Hoc autem vniuersum quondam o puer ignis fuit et certa quadam mundi reuolutione peracta, omnia in ignem denuo conuertentur.* Quibus in verbis Stoam non agnouisse, sed vidisse Platonicum aliquid virum in his literis summum, merito miramur. Tacemus etymologias et modum mythologiam veterem ad naturam rerum explicandam trahendi, in Stoica schola maxime receptum, et ab his tandem ad Platonicos Alexandrinos transeuntem. Alia, breuitatis caussa hic omittenda facile inuenient, qui auctoris opinionem, de Ioue siue anima mundi [n] a Platonica mundi anima longe diuersa, de *ἁδῆ* [o], de mundi generatione [p], de anima mundum permeante [q], et his similibus expendent. Addimus tantum, maioris euidentiae caussa fati descriptionem, totam a Chrysippo desumtam et Platonis doctrinae contrariam, qua *sempiternam* dicit [r] *fatum esse, et indeclinabilem quandam rerum seriem*

e) l. c. p. 137.
f) CASAVBON. ad l. c. Persii, FABRIC. l. c. p. 401. VOSSIVS l. c.
g) Ibid.
h) Idem quod Cornutus, vid. GALE praef. ad Opusc. mythol.
i) loc. cit. k) loc. cit.
l) Inter opuscula mythologica p. 139. seq. ed. Amstelod.
m) p. 176. conf. MOSHEM. ad CVDWORTH p. 625. n) c. 2. p. 141.
o) c. 5. p. 145.
p) c. 7. p. 149.
q) c. 11. p. 153. r) c. 13. p. 155.

volùentem ſemetipſam ſeſe atque implicantem per aeternos conſequentiae ordines, ex quibus apta nexaque eſt. Qui vnicus locus libellum Stoico Cornuto vindicat. Sunt enim ipſa Chryſippi placita, a GELLIO [s] relata, ſatisque hinc probatur, Cornutum hunc Chryſippi libros habuiſſe et legiſſe, quos teſtamento a Perſio acceperat. Vtrum vero ab hoc Cornuto allegoriae methodum acceperit Origenes, vt viſum Galeo, qui in eo praeeuntem habet EVSEBIVM [t], iudicium erit penes eos, qui in Aegypto diu ante Cornutum hanc methodum inualuiſſe, Alexandriae autem literarum ſtudiis innutritum eſſe Origenem, cogitare volunt. Exilium tandem paſſus eſt doctiſſimus philoſophus ſub Nerone, quod oris libertate imperatorem offendiſſet. Refert enim Dio [u], a Nerone in inſulam relegatum, et prope occiſum fuiſſe, quod, cum Nero plurimos iam libros verſibus ſcripſiſſet de rebus geſtis Romanorum, et adulatoribus ſuadentibus quadringentos adhuc eſſet compoſiturus, monitus eſſet a Cornuto, nimios fore, neque a quoquam legendos: cumque neſcio quis obiiceret, Chryſippum, quem ipſe laudibus eueheret, et cuius ſectator eſſet Cornutus, etiam plurima volumina, ſcripſiſſe, reſponſum ferret, illa vtilia vitae hominum eſſe, haec autem inutilia nulliusque pretii. Et Suidas quidem *ἀναιρεθέντα σὺν τῷ Μουσωνίῳ* dicit, quod cum ita intelligerent viri docti, *interfectum eſſe cum Muſonio*, fides ideo Suidae vapulauit doctiſſimo IONSIO [x]. Aſt licet ſupinam Suidae negligentiam multoties accuſauerimus ipſi, eum tamen heic loci ſine cenſura dimittendum putamus, eo quod *τὸ ἀναιρεῖσθαι* non ad mortem tantum, ſed exilium quoque referri poſſe, ſupra demonſtrauimus. Ceterum cum plures Cornuti apud veteres occurrant [y], Stoicus a reliquis accurate diſtinguendus eſt. Quod leuiori forte labore fieret, ſi hodie legeretur *Cornuti hiſtoria*, quam ſcripſiſſe Lacharem ſophiſtam tradit SVIDAS [z].

C. Muſonius. §. IV. CAIVS MVSONIVS RVFVS, de cuius memorabilibus dictis factisque libellum ſcripſit Pollio Valerius Alexandrinus [a], Tyrrhenus fuit, ſi PHILOSTRATVM [b] audimus, Volſinius, ſi SVIDAM [c], Tuſcum vocat TACITVS [d]. Parentem habuit Capitonem, vixitque ſub Nerone, Domitiano, Vitellio et Veſpaſiano imperatoribus [e]. Equeſtri ordine natum fuiſſe TACITVS [f] auctor eſt; hinc muneribus admotus publicis munitionibus praefectus eſt. Iuuenis bona-

r) L. VI. c. 2. Ab eo hanc Latinam definitionem verſioni ſuae intulit C. CLAVSERVS, quod non vidiſſe Galeum merito mireris.
s) Hiſt. eccleſ. L. VI. c. 19.
t) L. LXII. p. 715.
u) De Scr. Hiſt. phil. L. III. c. 7. p. 247.
x) Vid. IONS. l. c. FABRIC. l. c.
y) In Lachares T. II. p. 419.
z) SVIDAS in Pollio T. III. p. 164. qui tamen Pollionem antiquiorem ſub Pompeio M. viuentem, cum Alexandrino, ſub Hadriano florente more ſuo turpiter confudit, vid. IONS. de Script. Hiſt. phil. L. III. c. 7. p. 246. Id etiam in Cl. STOLLII Hiſt. phil. mor. gent. § CCXXXIV. p. 503. emendandum, et apud FABRICIVM Bibl. Gr. Vol. II. p. 406. pro Trallicano reponendum Alexandrinus.
a) Vit. Apollon. L. VII. c. 16. p. 297.
b) In Muſonius T. II. p. 579.
c) Annal. L. XIV. c. 60.
d) Ibid. c. 59. hiſtor. L. IV. c. 10.
e) Equeſtris ordinis ſtudium philoſophiae et placita Stoicorum aemulatum eſſe, ait TACITVS Hiſtor. L. III. c. 81.

Digitized by Google

bonarum artium ſtudiis vehementer ſe dedit, aitque SVIDAS [f], audiuiſſe Muſonium Hermogenem iuniorem ſophiſtam. In quo tamen in SVIDA accurationem merito deſideramus. Aut enim Muſonios, aut Hermogenes inter ſe confudit, temporum plane negligens. Hermogenes enim ſophiſta ſub imperatore M. Aurelio Antonino inclaruit, integroque ſeculo iunior Muſonio, huius praeceptor eſſe non potuit. Maxime vero ad philoſophiam Stoicam animum Muſonius applicuit: quod enim SVIDAS habet, fuiſſe eum diſcipulum Apollonii Tyanei, falſum eſt, et ex confuſione Muſonii Cynici, cum Stoico Muſonio enatum, vt ſupra iam notatum: nec familiaritas et conſuetudo quaedam ſectatorem et diſcipulum conſtituit, quemadmodum Muſonius quoque Cynicus, familiaritate iunctus Apollonio, Cynicus manſit, nec ad Pythagoreos tranſiit. Munitionibus vero praefectum Muſonium Stoicum fuiſſe, principia Stoica, quae ſecutus eſt, aliisque commendauit, ſatis demonſtrant. Quo pertinet, quod, TACITO [h] teſte, Plauto conſtantiam opperiendae mortis pro incerta et trepida vita ſuaſerit, id enim doctrinae Stoicae conuenienter dictum. Non audiendus itaque eſt Scaliger, qui Muſonium munitionibus praefectum a philoſopho Stoico diſtinguendum eſſe putat, quod recte reiecit IONSIVS [i], qui et ratiunculas Scaligeri profligauit. Magno vero animo diffeminaſſe Romae praecepta Stoica non inter iuuenes modo, verum etiam inter ciues, quin et inter milites TACITVS [k] narrat, qui male hoc eueniſſe illi apud hos tradit, cum ſeditionem militum ſedare fuiſſet aggreſſus. Nec alia forte ratio eſt, quam imprudenter adhibita philoſophiae correptio apud Neronem, cur ab eo prope occiſus fuerit, et vir praeſtans ad Gyaras in exilium ire iuſſus ſit. Quod enim SVIDAS habet, Muſonium cum Cornuto ἀναιρεθῆναι, quod ita accepere viri quidam docti, occiſum eſſe a Nerone, ita intelligendum eſt, vt ſublatum e ciuitate, hominumque oculis dicat, vt ſupra in Cornuto iam obſeruatum. Certe exilio tantum a Nerone mulctatum eſſe, veteres conſtanter tradunt [l]. Ex eo vero, annuente Veſpaſiano iterum reuocatus Romam venit, malorumque conſiliis inſolita animi magnitudine reſtitit, Egnatiumque Celerem, hominem bonis omnibus inuiſum ex vrbe ſemouit [m]. Quibus moribus tantam apud Veſpaſianum iniit gratiam, vt, cum Mucianus philoſophorum aduerſarius Veſpaſiano auctor eſſet, vt philoſophi Roma eiicerentur, omnes quidem philoſophi pulſi fuerint, ſolus autem Muſonius manſerit [n]. Nec dubium eſt, ſeruauiſſe ſub Veſpaſiano et Tito priſtinos honores, ſi verum eſt, quod Iudaeorum magiſtri tradunt, Muſonium Tyrrhenum, quem Turanum Rufum vocant, munitionibus praefectum Hieroſolymis ſolo aequatis aratrum ad teſtandam perpetuam deſolatio-

f) In Hermogenes T. I. p. 860.
g) Annal. l. XIV. c. 59.
i) De Script. hiſt. phil. L. III. c. 7. p. 847.
k) Hiſtor. L. III. c. 81.
l) PHILOSTRAT. l. c. SVIDAS l. c. Auctor deſcript. Olymp. CCXI. an. 2. XIPHILIN. in Nerone.
m) TACITVS Annal. L. IV. c. 10. 40. Scholiaſtes Iuuenalis.
n) XIPHIL. et ZONARAS in Veſpaſ.

nem impreſſiſſe [o]. Fuiſſe autem Muſonium ex illorum Stoicorum numero, qui non docendo modo, verum etiam viuendo philoſophati ſunt, ORIGENES [p] teſtatur, qui cum Socrate eum inter illos numerat, qui in philoſophiae ſectis mutata vita in melius adeo profecerunt, vt exemplo eſſe queant ceteris. Quod ſi ſupereſſent dicta et facta eius a Pollione, vti dictum, collecta, elegantiſſima certe doctrinae moralis, quam tradidit Muſonius, facies pulchre eniteret. Eximia enim ſunt, quae ſparſim apud veteres, praecipue apud STOBAEVM, ei tribuuntur, dicta atque praecepta, quae more Stoico perfectam virtutem poſtulant, quorum ſummam nobis exhibet collectam ex Stobaeo Cl. STOLLIVS [q]. Pleraque huc redeunt: Quemlibet diem reputandum pro ultimo, temperantiam voluptatem eſſe rationi conformem, et inter initia verae ſapientiae numerandam. Vti vero eam victu tenui, abſtinere a carnibus, quae beſtias magis, quam homines decent, viuere iis cibis, quos natura ſuppeditat, puri ſunt, et Deorum commercio non indigni, ſiccam vero animam praeſtant, tanquam optimam. Magno et excelſo animo eſſe excipiendas iniurias, facilique perferendas patientia: exilium fortiter ferendum, cum nec ſolis, lunae, ſiderum, nec hominum vſus eripiatur: regi omnium maxime eſſe philoſophandum: agriculturam cum philoſophia coniungendam, vitandaque ſophiſtarum vrbana, quae ſectentur, otia: non obſtare matrimonium philoſophanti, eligendos autem eſſe ad id animos, qui et laboris patientes ſint, et temperantiae, iuſtitiae aliisque virtutibus ſtudeant, et concordiam ament, corpus autem ſanum habeant. Praeſtandum parenti obſequium, verum non in iis, quae iniuſta ſunt et turpia. Supellectili vtendum facile parabili, nec pretioſa: diuitem eum eſſe, qui nulla quidem re indigeat. Optimum ſenectutis pariter atque iuuentutis viaticum eſſe, naturae conuenienter viuere, id eſt virtutem ſequi &c. Maxime vero commendari meretur fragmentum, quod ex libro eius *de exercitatione* nobis ſeruauit STOBAEVS [r], quod integrum ab omnibus illis legi optamus, qui veram philoſophiae indolem exoptatumque fructum aſſequi cupiunt. Monet hic inter egregia multa: „Virtutem non eſſe ſcien„tiam tantum contemplatiuam, ſed etiam actiuam, ſicut et medicinam „et muſicam; virum enim bonum eum eſſe futurum, qui non praecepta „tantum ad virtutem pertinentia edidicerit, ſed ſecundum eam quoque „enixe exerceatur atque quam diligentiſſime. Atqui tanto magis conue„nire, exerceri futurum philoſophum, quanto maior atque difficilior eſt „philoſophia quouis alio ſtudio. Siquidem ad alias quidem artes ipſarum „cupidos accedere animis non prius corruptis, quique contraria his, quae „diſcenda ſunt, antea non didicerint: philoſophaturos autem prius mul„tis correptos modis impietosque malitia, ſic ad virtutem ſe conferre, „hanc-

o) Vid. IONSIVS l. c.

p) Adu. Celſum L. III. p. m. 156.

q) Hiſt. phil. mor. gentil. §. CCXXXIV. p. 803. ſeqq.

r) Serm. CXVII. p. 368, ſeqq. ed, Wechel.

Digitized by Google

„hancque ob cauſſam quoque maius exercitium requiri. Quoniam au„tem homo non anima ſolum, nec ſolo corpore conſtet, ſed compoſitum „quiddam exiſtat ex vtroque, ideo neceſſe eſſe exercentem ſe vtriusque „curam habere, magis quidem praeſtantioris partis, vt decet, animae, „alteram tamen non negligere, corpusque philoſophantis ad officia recte „conſtituere; eſſe enim exercitium aliquod animae ſimul et corporis „commune, idque fieri, ſi nos aſſuefaciamus ad rigorem, calorem, „ſitim, famem, victus tenuitatem, cubilis duritiem, abſtinentiam rerum „ſuauium, et moleſtarum tolerantiam, quoniam hiſce et corpus robore„tur, et anima ad fortitudinem exerceatur. Animae autem ſolius exer„citationes eſſe, faciles ſibi et in promtu demonſtrationes parare, quibus, „quae in ſpeciem bona videantur, talia non eſſe, nec mala eſſe, quae ita „videantur, quae vero reuera bona et mala ſint, cognoſcatur; deinde et „mala fugere et bona proſequi omni ſtudio. Oportere vero exercentem „ſe conari, vt vincat ſe ipſum, adeo ne voluptati applaudat, neque la„borem auerſetur, et vitae non nimis cupidus ſit, nec mortem metuat: „et pecuniam accipere non maioris faciat, quam erogare.“ Eſſe in his quaedam, quae *μετεωρολογίαν* Stoicam ſapiunt, adque ſapientis perfecti ideam philoſophum effingunt, naturam ipſam exuentem, non negamus. Laudandum tamen ſummopere, quod virtutis exercitationem, tanquam praeſtantiſſimam philoſophiae partem philoſopho commendauerit, cum eo tempore philoſophi plurimi fuerint, quos *μέχρι τῦ λέγειν ἄνευ πράττειν* philoſophari, indignatus eſt Epictetus. Forte et tributa ſunt Stoico Muſonio quaedam, quae a Cynico dicta ſunt, quos inter ſe frequenter confudiſſe veteres, in *praecedente ſectione* oſtendimus. Cum enim eodem vterque tempore eodemque loco philoſophatus ſit, animum quoque ingentem orisque libertatem ſolito maiorem expreſſerit, facile potuit vni adſcribi, quod ab altero dictum eſt. Quamquam, ſi verum fatendum, ea, quae imprimis de temperantiae victusque ratione dura admodum, et ab omni conſuetudine abhorrentia Muſonio tribuuntur, rectius forte ad Cynicum, quam Stoicum, referuntur: qua in re tamen certum nihil eo magis definiri poteſt, quo magis Cynici a Stoicis ſola toga diſtabant, et conueniebat fere vtriusque philoſophia moralis. Muſonium ſub Iouiano et Valentiniano viuentem *s*, quem veteres paſſim appellant, Stoicum item Muſonium a Longino memoratum *t* ab hoc noſtro aetas diſtinguit.

§. V. CHAEREMON Aegyptius fuit, patria potiſſimum erudi- *Chaeremon.*
tione clarus, *ἱερογραμματεὺς* enim a Porphyrio *u* vocatur, ſcripſitque *hieroglyphica* et *res Aegyptiacas* *x*: extatque hodie inſignis eius locus de

s) SVIDAS in Muſonius T. II. p. 379. PHOTIVS Cod. CCXLIII. p. 608. AMMIAN. MARC. L. XXVII. c. 8. EVNAPIVS in Proaereſio p. 161.

t) Apud PORPHYR. vit. Plotini c. 16. f. 6. p. 129.
u) Apud EVSEB. Praep. L. XI. c. 57. L. V. c. 10.
x) Conf. VOSSIVS de hiſt. Graec. L. II. c. 1. p. 164. VALESIVS ad EVSEB. p. 183.

Digitized by Google

de sacerdotibus Aegyptiis apud PORPHYRIVM [y]. Sed philosophiae quoque Graecae, more Alexandrinorum daturus operam, sectae, quae illo tempore reliquos antecellebat, Stoicae nomen dedit, et philosophiae quoque naturali operam impendit, vt ex libro *de Cometis* patet, ad quem prouocat ORIGENES [z], quemque sine dubio laudat quoque SENECA [a], apud quem pro Charimandro Chaeremonem legendum esse, viris doctis [b] visum est. Memorat quoque Chaeremonem Stoicum MARTIALIS [c], pauperrimum vitae genus sectantem, his verbis:

Quod nimium laudas, Chaeremon Stoice, mortem,
Vis animum mirer suspiciamque tuum?
Hanc tibi virtutem facta facit vrceus ansa,
Et tristis, nullo qui tepet igne, focus,
Et teges et cimex, et nudi sponda grabati,
Et breuis atque eadem nocte dieque toga.
O quam magnus homo es, qui faece rubentis aceti
Et stipula et nigro pane carere potes &c.

Sed poni hic Chaeremonem pro Stoico quouis, in summa inopia rerum huius vitae mortis contemtum affectante, vix dubium videtur [d]. Tanta enim paupertate hunc Chaeremonem Alexandrinum fuisse pressum, nullo modo verisimile est, cum satis splendidis praefuerit muneribus. Alexandrinae enim bibliothecae praefectum fuisse testatur SVIDAS [e], qui et alio loco [f] tradit, fuisse eum praeceptorem Neronis cum Alexandro Aegeo; Dionysio discipulo eius, in cura bibliothecae gerenda eum sequente. Qui tamen cum ei successerit in aula quoque Neronis, cui ab epistolis, legationibus et responsis fuit, et ad Traianum vsque vixit [g], recte inde colligitur, non diu in aula Neronis Chaeremonem vixisse, et senecta annisque grauem decessisse. Narrat alium Chaeremonem, qui astronomiae peritus videri cupiens cum Aelio Gallo Alexandria iter fecit, turpiterque se dedit STRABO [h], quem cum Stoico eundem esse putat VOSSIVS [i]. Ast nec hominis inepti mores, nec tempora nimis a Neronis aetate remota, cum praeceptore imperatoris principis conueniunt [k].

Scriptores vitae L. Ann. Senecae.

§. VI. Nemo tamen inter Stoicos maiori vel naturae donorum, vel munerum splendoris vel eruditionis philosophicae claritatis vel vitae mortisque circumstantiarum plane singularium luce coruscauit, quam LVCIVS

y) περὶ ἀποχῆς L. IV. p. 360. seq.
z) L. I. p. 46. edu. Cels. Ostendit in eo, cometas interdum laetos quoque habuisse euentus.
a) Qq. nat. L. VII. c. 5.
b) VOSSIVS et VALESIVS ll. cc.
c) L. XI. ep. 57.
d) Idem visum FABRICIO Bibl. Graec. Vol. II. p. 392.
e) In Dionys. Alex. T. I. p. 598. conf. IONSIVS de Script. hist. phil. L. I. c. 18. p. 101.
f) In Alex. Aegeus T. I. p. 105.
g) SVID. in Dionys. l. c.
h) L. XV. p. 806.
i) loc. cit.
k) Distinguit etiam vtrumque FABRICIVS loc. cit.

Digitized by Google

CIVS ANNAEVS SENECA, in cuius ſcriptis magna nobis ſapientiae Stoicae pars ad noſtram vsque aetatem integra ſeruata eſt, dignus propterea, cuius hiſtoria paulo curatius enarretur. Quod inter veteres neminem praeſtitiſſe, quamuis magna inter eos Senecae fama fuerit, merito miramur. Recentiorum e contrario diligentia in eo valde occupata fuit, vt res nobis Senecae vel generales vel ſpeciales exponerent. Inter quos palmam merito, reliquis praeripuiſſe cenſendus eſt IVSTVS LIPSIVS, Stoicae philoſophiae admirator nouus, qui cum ſcriptis Senecae multam lucem affundere cogitaret, non tantum philoſophiam Senecae eleganti tractatione *de philoſophia et phyſiologia Stoica* illuſtrauit, ſed ſcriptis quoque *eius vitam* praepoſuit [l]. Quem campum cum occupatum a Lipſio videret vir doctus, ANDREAS SCHOTTVS, ne inutilem nauaret circa Senecae hiſtoriam operam, vitam eius, editioni ſcriptorum Senecae praemittendam [m] ita enarrauit, vt non tam fatorum eius, quam ſcriptorum enarraret hiſtoriam, et qua occaſione quibusque circumſtantiis ſingula conſtruxerit, exponeret: qua ratione multa dicta ſunt, quae Senecae hiſtoriae librisque haud contemnendam lucem foenerantur. Idem porro ſaxum quoque voluit M. ANTONIVS DELRIO, qui *prolegomenis ad ſyntagma tragoediae Latinae* [n] vitam Senecae inſeruit. His addi poſſent alii, enarrarique FRANCISCI SALVATORIS [o], IO. SCHILDII, FR. PETRARCHAE aliorumque labores, niſi pleraque occupaſſet laudabilis induſtria et eruditio praeſtantiſſimorum virorum IO. ALBERTI FABRICII [p] et SEVERINI LINTRVPII [q], quibus iungenda, quae de Seneca collegit NICOLAVS ANTONIVS [r]. Nos ipſos maxime conſulemus fontes, ſcripta nempe Senecae et Taciti, ad ea potiſſimum reflexuri, quae ad hiſtoriam philoſophicam pertinent, et nobis Senecam ſuis coloribus depictum ſiſtent philoſophum.

§. VII. LVCIVS ANNAEVS SENECA patriam habuit Cordubam, veterem florentemque Romanorum coloniam in Hiſpania Baetica, vnde nobilitas eius originem cepit. Eam enim, Marcelli opus, gloria et potentia auctam eſſe, regionis bonitate, et amplitudine et fluminis Baetis vſu iuuante ait STRABO [s]. Qui et porro addit: habitaſſe hanc Cordubam ab initio ſelectos Romanorum et indigenarum; vnde etiam colonia Patricia, teſte PLINIO [t] dicta eſt, vel quod patricii generis homines eo commigraſſent, vel quod ſplendida et diues patres etiam reipubli- *Senecae vita.*

l) Vtimur nos editione Lugd. Batau. 1619. 8. edita.

m) Eſt nobis ad manus editio Geneuenſis, 1665. 8. vbi T. II. haec vita vel potius hiſtoria literaria Senecae legitur.

n) L. II.

o) Vid. Giornali de letterati 1674. p. 18.

p) Biblioth. Lat. T. III. p. 496. ſeqq.

q) In praef. ad SVAXINGI theologiam Senecae 1710. 4. conf. Act. philoſoph. Vol. III. p. 485. ſeqq.

r) Biblioth. Hiſpan. vet. T. I. p. 88. ſeqq.

s) L. III.

t) L. III. c. 1. hiſt. nat.

Digitized by Google

publicae Romanae daret, quos Auguſti tempore ex prouinciis quoque adſcitos fuiſſe conſtat [a]. Patrem habuit Marcum Annaeum Senecam, equeſtri et prouinciali loco ortum [x], et declamatorio orationis genere celebrem, qui declamatoris nomine a filio philoſopho diſtingui ſolet, famamque et propria et filiorum eruditione ſibi comparauit, cuius declamationes ab ipſo collectae et ab illo praeloquiis interſtinctae hodie leguntur. De quo tamen in hiſtoria eloquentiae Romanae pluribus agendum [y]. Matre genitus eſt Heluia, ad quam conſolatoriam miſit, cum in Corſicam eſſet relegatus [z], ex qua magni animi atque ingenii feminam fuiſſe, liquet. Natum fuiſſe ſub Auguſto, recte inde colligitur, quod ſe circa diui Auguſti receſſum vidiſſe in aëre flammam ingentis pilae ſpecie memorat [a], quae tamen in ipſo curſu ſuo diſſipata eſt. Puerulus natus Cordubae, materterae manibus Romam perlatus eſt, illius pio maternoque nutricio per longum tempus aeger conualuit [b]. Eueniſſe hoc colligit LIPSIVS [c] decimo quinto, aut circiter, anno ante Auguſti exceſſum, argumento ab adoleſcentia Senecae in Tiberio principatum incidente, vt ipſe ait [d], ſumto, idque eo tempore, quo aliena ſacra mouebantur, quem annum fuiſſe Tiberii quintum, ex TACITO [e] inferri poteſt. Fratres habuit duos, ſorores nullas, trium enim liberorum matrem Heluiam vocat [f]. Fuere hi tres praeter Lucium Annaeum, M. Annaeus Nouatus, et L. Annaeus Mela, vt ex controuerſiarum inſcriptionibus liquet. Maximus fratrum a Iunio Gallione adoptatus nomen Gallionis ſuſcepit, et egregii declamatoris titulum meruit [g]. Frater minimus equeſtri tantum dignitate conſpicuus, Lucanum filium genuit, grande adiumentum claritudinis, vt TACITO audit, de cuius vita et carmine epico, ſtudioque philoſophiae Stoicae in Cornuti conuictu *vita eius* ad SVETONIVM auctorem referri ſolita videnda [h]. Vbi ex diuturno morbo, quo cum conflictatus eſt diu, conualuit, mature ad diſcendas literas adductus eſt, et in elegantiſſimarum artium ſtudiis ingenium optimum adoleuit. Et in eloquentia quidem ipſum parentem praeceptorem habuit, vt ex *controuerſiarum praefatione* ad filios, docta ſane bonaeque frugis plena, poteſt colligi, ex ea enim patet, Marcum Annaeum filiis iuuenibus elo-quen-

a) Hoc LIPSIO l. c. c. 1. p. m. 17. placet, ſed dubium, an non ante hoc tempus iam nomen coloniae Patriciae obtinuerit, et an non ibi conſederint milites patricii Hiſpanis foeminis mixti?

x) Generis ſui meminit in oratione ad Neronem, quam exhibet TACITVS Ann. L. XIV. c. 54. vbi ait: „Egone equeſtri et prouinciali „loco ortus proceribus ciuitatis annumeror? „inter nobiles et longa decora praeferentes mea „nouitas enituit.„ Haec ad patrem equeſtri ordine demum auctum referri putat LIPSIVS l. c. aſt pertinere ad ipſum Senecam patriciis viris in aula Neronis praelatum, ſeries verborum oſtendit.

y) Conf. LIPS. l. c. c. 1. p. 19. Elect. L. I. c. 1. ANDR. SCHOTTVS in dedicatione editioni declamationum, quam is curauit, praemiſſa. NIC. ANTON. Bibl. Hiſp. vet. L. I. c. 4. aliique.

z) Conf. SCHOTTVS vit. Senec. p. m. 11.

a) Qq. nat. L. I. c. 1.

b) Conſol. ad Helu. c. 16.

c) l. c. c. 2. p. 19.

d) Epiſt. 108.

e) Annal. II. fin.

f) cap. 2.

g) EVSEBIVS in chronic.

h) Dictum de eo Sect. I. quantum ad noſtrum inſtitutum pertinet.

Digitized by Google

quentiae ſpecimina ex optimis auctoribus collecta imitanda exhibuiſſe. Etſi vero eloquentia forte ſuperabatur a Gallione fratre, cuius eloquentiam adeo ſuauem fuiſſe, STATIVS indicat, vt canat:

Hoc plus, quam Senecam dediſſe terris
Et dulcem generaſſe Gallionem,

Auctorque *dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae* tinnitus Gallionis memoret; ingenio tamen ad ſublimiora elato magno ſe impetu philoſophiae dedit ſtudio, caſſasque ſine re et virtute voces, licet ſonantes et pulchras, horruit. Id quod patri, eloquentiae fama filiis nomen quaerere cupienti, et natura auerſo a philoſophia animo, diſplicuit, impedire is in feruentis ingenii adoleſcente non potuit, cum animi indoles maxime feria ad ardua quaeuis et ſeuera ferretur. Sotionem itaque praeceptorem elegit, hominem quidem Pythagoreum inſtitutum ſequentem, philoſophiam tamen, quae mores format, ad Stoicorum ſimul placita attemperantem, vt ſupra *ſectione ſecunda* [i] de eo dictum. Sub hoc praeceptore *maiori ſe impetu ad philoſophiam iuuenem acceſſiſſe quam ſenex pergat*, fatetur, et ipſe narrat [k], quem ſibi amorem Pythagorae iniecerit Sotion. Qua de re tamen cum prolixe ſatis ſupra actum ſit, ibi dicta otioſe repetere noluimus. Aſt vel diſciplinae auſteritate, vel deferueſcente adoleſcentiae impetu, vel Attali philoſophi Stoici haud incelebris diſciplina commotus ad Stoicos tranſiit, ita tamen, vt aliis quoque philoſophis operam locaret, ſtatueretque pretium. Nam et Papirium Fabianum audiuit [l], et Demetrium Cynicum admiratus eſt atque ita coluit, vt iam in aula verſatus cum eo conuerſaretur. Quin nec ſcripta philoſophorum omnium ſectarum neglexit, ſed ad caſtra eorum, non vt transfuga, ſed vt explorator acceſſit, adeo vt nec Epicurum, tantopere quidem Stoicis inuiſum, negligeret, et quae bene dicta ab eo eſſent, probaret reciperetque. Ex quibus de quaeſtione iam iudicium fieri poteſt: vtrum Seneca philoſophis ſectariis, an eclecticis ſit adnumerandus? Qua de re, vt diſtincte rem exponamus, primo quidem notandum monemus, abhorruiſſe Senecam ab eo ſectariae philoſophiae genere, quod ſeruili quaſi iugo vni ita ſectae adhaeret, vt ex nulla alia veritatem, licet manifeſtam, recipere patiatur, nec ſibi iudicium ſeruet vllum. Egregie prorſus noſter [m]: *Qualescunque ſunt* (libri mei) *tu illos ſic lege, tanquam verum quaeram, adhuc non ſciam, et contumaciter quaeram. Non enim me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero: multum*

i) §. V. k) Ep. 108.

l) Epiſt. 100. vbi Lucilio, compoſitionem Fabiani Papirii reprehendenti, reſpondet, hunc-que philoſophum vehementer laudat. Imprimis laude digna ſunt, quae de illo affert: „Ad pro-„fectum omnia tendunt et ad bonam mentem, „non quaeritur plauſus. Cum audirem certe „illum talia mihi videbantur, non ſolida, ſed „plena, quae adoleſcentem indolis bonae attol-„lerent, et ad imitationem ſui vocarent, ſine de-„ſperatione vincendi. Quae mihi adhortatio vi-„detur efficaciſſima. Deterret enim, qui imitan-„di cupiditatem modo fecit, ſpem abſtulit.„ Egregie hoc dictum ad vitandam meteorologiam Stoicam.

m) Ep. 45.

magnorum virorum iudicio credo, aliquid et meo vindico. Nam illa quaque non inuenta ſed quaerenda nobis reliquerunt. Et alibi luculentius [a]: *Sed ne te per circuitus traham, aliorum quidem opiniones praeteribo, nam et enumerare illas, longum eſt et coarguere, noſtram accipe. Noſtram vero cum dico, non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus. Eſt et mihi cenſendi ius. Itaque aliquem ſequar, aliquem iubebo ſententiam diuidere. Fortaſſe et poſt omnes citatus nihil improbabo ex his, quae priores decreuerint, et dicam: hoc amplius cenſeo. Interim, quod inter omnes Stoicos conuenit, rerum naturae aſſentior: ab illa non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari, ſapientia eſt.* Feciſſe haec Senecam, quae faſſus eſt ſe facere, paſſim oſtendit, et ſe Stoicorum decretis ſuperſtitione coeca non addictum eſſe relictis eorum placitis [o] demonſtrauit. Nec obſtat, quod Stoicos noſtros vocat [p], Chryſippum noſtrum [q], Cleanthem noſtrum [r], Poſidonium noſtrum [s]; nam haec non ad deſignandam ſectam dixiſſe, ex illo patet, quod et Epicurum noſtrum [t] et Demetrium noſtrum [u] nominat, quamuis nec Epicureae ſectae, nec Cynicae eſſet addictus, videturque ſuos dixiſſe eos philoſophos, quos prae aliis legit amauitque, licet totum eorum ſyſtema non ſemper eſſet amplexus. Et haec quidem ita ſe habere, dicta ſatis probant. Non tamen haec obſtant, quo minus Stoicum ſyſtema ſecutum eſſe Senecam, Zenonisque adhaeſiſſe placitis, dici poſſit, ſi de tota philoſophia Senecae iudicandum. Cuncta enim Stoicis nituntur principiis, doctrinamque porticus, quoad dogmata primaria, exacte referunt. Ita v. g. Deum et materiam vnum eſſe totum dicit, ex quo res omnes partes ſint atque membra [x]; Totum illud diuidit in partem agentem et patientem [y]; Deum corpus eſſe aſſerit [z]; et tamen ſpiritum dicit infinitae potentiae et perfectionis [a]. Mundum porro, Deum, naturam, idem eſſe ſtatuit [b]; Deumque mundi eſſe animam agnoſcit, quae vbique praeſens ſit [c]. Quin et Deum fato ſubiicit [d], et ex nexu fati, decretoque Dei prouidentiam deriuat [e]. Genios etiam ex anima mundi ponit [f], eosque in Deum reductum iri tradit [g]. Materiam porro aeternam, et perpetuo fluentem admittit [h], exundationesque et incendia mundo finem allatura inducit [i]. Quibus parca manu datis addi poſſent longe plura, niſi actum iam id eſſet *tomo primo* [k], vbi Stoicae philoſophiae, quod exſtruximus, aedificium, Senecae paſſim aſſertis inaedificauimus. Quo labore defunctus quoque eſt I. L. IPSIVS, qui in conſtruenda explicatione *phyſiologiae Stoicae* ad Senecam potiſſimum

a) De vita beata c. 3.
o) Vid. Ep. 33. 48. 58. 94. de vita beata paſſim, Qq. nat. L. VII. c. 22. alibi.
p) Ep. 117.
q) De benefic. L. II. c. 17.
r) Epiſt. 107. s) Epiſt. 113.
t) Epiſt. 107.
u) De benefic. L. VII. c. 2.
x) Ep. 97.
y) Ep. 65. z) Ep. 89.
a) De benefic. L. IV. c. 7.
b) Ibid. c) Ep. 41.
d) De prouid. c. 5.
e) Ep. 75. f) Ep. 111.
g) Ep. 9.
h) Conſolat. ad Marciam c. vlt. ep. 58.
i) Qq. nat. L. III. c. 29.
k) L. II. c. 9.

Digitized b

tiſſimum reſpexit. Ex his vero de Senecae philoſophia iudicium fieri ſine magno labore poteſt. Quae enim de ea dicta ſunt, apertum faciunt, a Stoica eum quidem doctrina totoque, quod porticus exhibuit, ſyſtemate non receſſiſſe, et hinc recte inter Stoicos referri, aſt ſuo tamen iudicio vſum eſſe, nec ita auctoritati Zenonis adhaeſiſſe, vt vnquam ab eo recedere, vel propriis etiam rationibus vti non auderet: inclinaſſe etiam ad ſyncretiſmum philoſophicum, qui cum caput ſemel in Aegypto extuliſſet, totum fere Romanum orbem magnis paſſibus peragrauit, et iam tum Romae quoque manifeſtare ſe coepit: aequo praeterea fuiſſe animo, nec ita reliquas ſectas condemnauiſſe omnes, vt non multa ab earum philoſophis praeclare vereque dicta eſſe crederet, adeoque abiecto ſectario odio ſine praeiudicio, quae ab aliis familiis in philoſophia dicta erant, expenderet, quaeque vera eſſe deprehenderat, admitteret. Quo imprimis animo Senecam erga Epicurum vſum eſſe, vidiſſeque multa in hortis Epicuri non contemnenda, quae porticus reiecerat et traduxerat, in Epicuri hiſtoria demonſtrauimus [i]. Nec alia forte ratio eſt, cur Seneca, quem tamen acerrimum Stoicum vocat LACTANTIVS [ii], FABIO [m] audiat in philoſophia parum diligens, niſi quod ſyſtematis, cui adhaerebat, rationem non ſemper habuiſſet et ab eo pauliſper interdum receſſiſſet. His igitur ſtudiis intentus Seneca puer apud Stoicum philoſophum, vt ipſe ait, ſedit; pater tamen conſilium interuertit cauſſasque agere iuſſit, quas diu actitaſſe et Caii etiam temporibus magna eloquii gratia et fama, putat LIPSIVS [n]. Quod an veriſimile ſit, iudicet lector ex his SENECAE [o]: *Quid enim non modo eſt, ſi recorderis? modo apud Stoicum philoſophum puer ſedi, modo cauſſas agere coepi, modo deſii velle agere, modo deſii poſſe: infinita eſt velocitas temporis.* Illud probabile, hecticum corporis habitum ad perferendos orationis forenſis impetus vires ei denegaſſe. Gloriam tamen haud exiguam ſibi comparaſſe eloquentia ſua, dubium non eſt, quae licet diſpliceret auribus delicatis, *vim tamen mentis, pectusque, quod diſertos*, Quintiliano iudice, *facit*, probauit, hisque artibus ſe commendauit maxime.

§. VIII. Eruditione ita clarus Seneca, et dicendi quoque peritia celebris, cum latum clauum ſumſiſſet, ad honores in republica adſpirauit. Quaeſturam itaque primo nactus eſt [p], incertum quo tempore, ſicque honoribus auctus vxorem quoque duxit. Et bis quidem nupſiſſe, recte inde infertur, quod ante ductam Paullinam filios pariter atque vxorem memorat [q]. Paullinae vero coniugium poſt exilium demum iniit, *Fata Senecae.*

i) Vid. ep. 18. 21.
ii) L. I. c. 5.
m) Inſtit. orat. L. X. c. 1. conf. de Senecae philoſophia LIPS. manud. ad phil. Stoic. L. I. diſſ. 18. 108. et poſt hunc multi alii.
n) l. c. c. 3. p. 21.
o) Ep. 100. coll. ep. 49.
p) Conſol. ad Helu. c. 16.
q) Ep. 13. de ira L. II. c. 36. qui liber ante exilium ſcriptus eſt.

quam nobilem ſenex iam duxit et potens in aula, quamque fidam ſibi [r] in morte quoque ſociam expertus eſt. Qualem vero poſthaec vitam vixerit, nec ipſe prodidit, nec vllus alius, meritis tamen atque eruditione ſe in aula imperatoris commendaſſe dubium non eſt; gratioſum etiam inter principes viros atque feminas fuiſſe, inuidia, quae ob id ipſum illi conflata eſt, maxima dubitare non ſinit. Claudio enim imperii habenas tenente, cum Meſſalina vxor, concepto grauiſſimo in familiam Caeſarum odio ferre non poſſet, reuocatam ex exilio Iuliam, Germanici filiam, M. Vinicii coniugem, impudicae et intolerabilis ſuperbiae feminae ſe non ſubiicientem, animum attollere, Caeſarisque frui gratia, confictis criminibus, denuo in exilium eam exegit, in quo periit [s]. Cui violentiae cum varii quaererentur praetextus, cauſſaeque ſpeciem habentes veri excogitarentur, accuſata illa adulterii, Seneca quoque, tanquam inter adulteros deprehenſus in Corſicam inſulam relegatus eſt, tanta ſuſpicione criminis, vt adulterii facinus tanquam rem notam exiliumque ea de cauſſa illi indictum ei exprobrauerit Suilius apud TACITVM [t]. In hoc exilio vixit annos circiter octo, ſi ipſum audis, ſatis feliciter et tranquille philoſophiae literisque elegantioribus totus deditus. Ita enim de ſtatu vitaque ſua ad matrem [u] ex Corſica: *Qualem me cogites, accipe: laetum et alacrem, velut optimis rebus. Sunt autem optimae, cum animus omnis cogitationis expers, vacat operibus ſuis, et modo ſe leuioribus ſtudiis oblectat, modo ad conſiderandam ſui vniuerſique naturam, veri auidus, inſurgit.* Qua de re pulchre differentem introduxit auctor Octauiae tragoediae [x], quae perperam noſtro tribui ſolet:

Melius latebam procul ab inuidiae malis
Remotus inter Corſici rupes maris,
Vbi liber animus, et ſui iuris mihi
Semper vacabat, ſtudia recolenti mea.
O quam iuuabat (quo nihil maius parens
Natura genuit operis immenſi artifex)
Coelum intueri ſolis et currus ſacros.

Talem vero non fuiſſe, qualem Stoica iactantia et hypocriſi vſus ſe ſimulauit, haud obſcure in *conſolatione ad Polybium* [y] prodidit, plena humili adulatione Caeſaris, indigna tanto philoſopho, qui, *ſi triſtitia quicquam profecturus ſit, non recuſare ſe ait, quicquid lacrymarum fortunae ſuae ſuperfuerit, amici affundere fortunae.* Quae cum abiecte nimis et demiſſe ſcribantur, dubium fecere LIPSIVM [z], an non ſcriptum illud penitus abiiciendum, et Senecae abiudicandum. Quaſi vero

r) Ep. 104.
s) SVET. in Calig. c. 19. in Claud. c. 29. DIOD. IX. DE SERVIES femmes des douze Ceſars P. II. p. 294.
t) L. XIII. Ann. c. 42.
u) cap. 4.
x) Act. II. Sc. I. v. 381. ſeqq.
y) c. 21. ſeqq.
z) l. c. p. 85.

Digitized by Google

ro Stoicae virtutis inconſtantia et ſimulata tantum fortitudo multis exemplis non conſtaret, vel a Seneca, humanum aliquid ea in re pati, fuiſſet alienum. Sane hoc in tanto philoſopho probare nemo ſanus poterit, quod quem dicto loco in exilio poſitus eiusque gratiae indigens tantis laudibus extollit, Claudium, poſt mortem ceſſante eius potentia acerbiſſima ἀπεκολακευθώσεως ſatyra traduxerit, et conuiciis proſciderit. Non caruere tamen effectu blanditiae Agrippinae, quae in Meſſalinae locum in thoro imperatoris ſucceſſerat, operam interponentis ſuam. Ea enim narrante TACITO [a] *exilii veniam pro Annaeo Seneca, ſimul praeturam a marito impetrauit, laetum in publicum rata, ob claritudinem ſtudiorum eius, vtque Domitii pueritia tali magiſtro adoleſceret, et conſiliis eiusdem ad ſpem dominationis vteretur.* Qua in re arcanas quoque, ad quas reſpexit Agrippina, valuiſſe rationes, idem non negat, quod tanto beneficio memoria iniuriae ſibi deuinctum, et implacabili in Claudium odio ductum Senecam fidum ſibi filioque fore crederet. Applaudiſſe populum reuocationi tanti viri, ſtudiorum claritudo, quam ei Tacitus tribuit, ſatis prodit, ſpeque ſine dubio enutritum fuadet fore, vt in optimos mores ſub tanto magiſtro Domitius adoleſceret, conſiliisque eius nixa olim potentia felicitatem imperii promqueret. Nec decipi paſſus eſt hanc populi Romani ſpem Seneca, qui tanto praefectus regendi principis muneri in id philoſophiae atque prudentiae artes intendit omnes, vt, quem ſatis nouerat lubricum et voluptatibus deditum, ac ad magnos impetus pronum principis animum, vinculis quaſi conſtringeret, et temperamento in vitiorum ſtudia ruenti ſe eo modo opponeret, quo nec principis animus exaſperaretur, nec malis, quae aula ſuppeditabat, exemplis corrumperetur. Quod feliciter initio ceſſit, Afranio Burrho, praetorio praefecto, ſociam cum Seneca manum iungente. *Hi enim*, teſte TACITO [b], *rectores imperatoriae iuuentae, et pari in ſocietate potentiae concordes, diuerſa arte ex aequo pollebant: Burrhus militaribus curis et ſeueritate morum: Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honeſta; iuuantes inuicem, quo facilius lubricam principis aetatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent.* Et hoc tanta felicitate factum, vt quamdiu vterque operi manus admouiſſet, a recto tramite non deflecteret Nero; quod vero Burrho mortuo, Senecaeque auctoritate apud principem poſt haec valde imminuta factum eſſe notat TACITVS [c]. Tam propinquus autem cum ſummis rerum gubernaculis fuerit Seneca, nec honores nec opes ei defuiſſe, facile intelligitur. Et conſulatu quidem fuiſſe functum veteres teſtantur, ſed extraordinario, conſulibus ſuffectis A. V. DCCCXV. ſi faſtis credimus, quem tamen annum falſum eſſe vidit LIPSIVS [d]. Maxime vero ab exilio reuerſus in ſplendore ſtatim eſſe, et ampliſſimis opibus affluere coepit, cum

a) Annal. L. XII. c. 8.
b) Ann. XIII. c. 2.
c) L. XIV. c. 52.
d) L. c. c. 4. p. 22.

cum iam pater locupletes filios reliquiſſet, quam ob rem matrem ipſe laudat[e]. In aula vero poſitus, immenſis diuitiis potitus eſt, Nerone eum facultatibus ſupra modum augente. Ita enim ipſe ad principem[f]: *Tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam dediſti, adeo vt plerumque intra me ipſe voluam: vbi eſt animus ille, modicis contentus? Tales hortos inſtruit, et per haec ſuburbana incedit, et tantis agrorum ſpatiis et tam lato foenore exuberat.* Id quod inimicis et obtrectatoribus largam criminandi Senecam occaſionem dedit, tanquam ingentes et priuatum ſupra modum euectas opes adhuc augeret, quodque ſtudia ciuium in ſe verteret[g]: hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia, quaſi principem ſupergrederetur. Suilius ei etiam obiecit[h], qua ſapientia, quibus philoſophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter millies HSS[i] parauiſſet. Ita vero et imperatoris fauor, et foenus, quod ex elocata pecunia receperat[k], eum ditabant. Verum et alia magnificentiae in Stoico philoſopho prorſus inſolitae ſpecimina narrant veteres, villas regio ſplendore conſpicuas, domum in vrbe, quae nomen apud poſteros tenuit, quingentas menſas e cedro cum eburneis pedibus ſimiles omnes et aequales[l], et quae alia fuerunt immenſarum diuitiarum Senecae teſtimonia, vnde IVVENALIS[m]

Senecae praediuitis hortos

memorat. Sed ex Paullinae quoque facultatibus multum ei acceſſiſſe dubitandum non eſt. Valde haec exacuiſſe inimicorum inuidiam, iudicabit, nobis non monentibus, quicunque aulae nouit mores, rerumque ſub Nerone non plane ignarus eſt. Hinc obiecta ei apud principem potentia nimia, euectaeque ſupra modum priuatum opes, ſtudia ciuium in ſe conuerſa, magnificentia villarum principem quaſi ſupergreſſa, Italia et prouinciae foenore eius exhauſtae, eruditio principis contemta, et quae alia fuerunt, enarrata a TACITO[n], nec Senecae ignota, qui vt ab his obtrectationibus ſe liberaret, non tantum librum *de vita beata* ſcripſit, ſed miſſionem quoque flagitauit quidem, non vero impetrauit. Alienaſſe haec animum Neronis a Seneca, cuius tamen conſiliis et opera haud exiguam imperii partem debebat, veriſimile, maxime tamen obiecta libidini et ſaeuitiae imperatoris repagula, animum monitori aſperum in Senecam armauerunt. Quo magis enim incrementa capiebat furentis libidinis infrunita apud Neronem licentia, eo magis moderatori ſuo inimicum factum eſſe illius animum, diſciplinae amplius non patientem, neceſſe erat. Mature id ſenſit Seneca, et praeuidit, quanta ex eo in illius caput inſurgere tempeſtas poſſet. Vt itaque inuidiae cederet, non tantum dimitti ſe ab aula et reddi philoſophiae ſuae imperatorem rogauit,

e) Conſol. ad Helu. c. 2.
f) Ann. XIV. c. 53.
g) Ibid.
h) Ann. L. XIII. c. 42.
i) Septuagies quinquies centena millia Philippicorum, LIPS. l. c.
k) Ep. 67.
l) DIO l. c.
m) Satyr. IX.
n) l. c. c. 52. 53.

Digitized by Google

uit, ſed et immenſas, quas poſſidebat, facultates illi obtulit, opesque refuſurum, ſi commeatum accepiſſet, eſt pollicitus o. Non admiſit hoc quidem Nero, et gratiam, quantum poterat, ſimulauit, animum tamen Senecae futuri prouidum capere non potuit. Qui quidem ab eo tempore, tradente CORNELIO p, *inſtituta prioris potentiae commutauit, prohibuit ſalutantium coetus, vitauit comitantes, rarus per vrbem, quaſi valetudine infirma, aut ſapientiae ſtudiis domi attineretur;* licet certiſſimum fauoris ſui eum Nero eſſe iuſſiſſet. Nec immerito praeſenſiſſe malum euentum apud principem malum et ſuſpicionibus totum occupatum Seneca cenſendus eſt, qui prima, quae ſe imperatori obtulerat, occaſione perfidiam eius ſatis eſt expertus. Cum enim Poppaeae Auguſtae, et Tigellino praefecto praetorio maxime ſe reddidiſſet exoſum, eo conſiliis ſuis impulerunt principem, vt de caede Senecae cogitaret. Cui cum praetextum in Piſonis coniuratione quaeſiuiſſet, miſſus tandem tribunus eſt ad Senecam in villa degentem, qui neceſſitatem vltimam ei denuntiaret. Quem nuntium eo accepit animo, qui Stoicum prorſus decebat philoſophum. Quod eleganter enarrans TACITVS q ipſe audiendus eſt, cum haec pulcherrima vitae Senecae pars ſit. „Ille, inquit, popoſcit „teſtamenti tabulas, ac denegante centurione, conuerſus ad amicos, „quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam „tamen et pulcherrimum habebat, imaginem vitae ſuae relinquere teſta„tur, cuius ſi memores eſſent, bonarum artium famam tam conſtantis „amicitiae laturos. Simul lacrymas eorum, modo ſermone, modo in„tentior in modum coërcentis ad firmitudinem reuocat, rogitans: vbi „praecepta ſapientiae? vbi per tot annos meditata ratio aduerſus immi„nentia? cui enim ignaram fuiſſe ſaeuitiam Neronis, neque aliud ſuper„eſſe poſt matrem fratremque interfectos, quam vt educatoris praeceptо„risque necem adiiceret. Vbi haec atque talia velut in commune diſſe„ruit, complectitur vxorem: et paululum aduerſus praeſentem formidi„nem mollitus, rogat oratque temperaret dolori, ne aeternum ſuſcipe„ret, ſed in contemplatione vitae per virtutem actae deſiderium mariti „honeſtis ſolatiis toleraret. Illa contra ſibi quoque deſtinatam mortem „adſeuerat, manumque percuſſoris expoſcit. Tum Seneca gloriae eius „non aduerſus, ſimul amore, ne ſibi vnice dilectam relinqueret iniuriae: „vitae, inquit, delinimenta monſtraueram tibi, tu mortis decus mauis: „non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus conſtantia penes „vtrosque par, claritudinis plus in tuo fine. Poſt quae eodem ictu brachia „ferro exſoluunt. Seneca, quoniam ſenile corpus et paruo victu tenua„tum, lenta effugia ſanguini praebebat: crurum quoque et poplitum ve„nas abrumpit. Saeuisque cruciatibus defeſſus, ne dolore ſuo animum „vxoris infringeret, atque ipſe viſendo tormenta eius ad impatientiam „dela-

o) Ibid. p) c. 56. conf. SVETON. in Ner. c. 35. q) L. XV. Ann. cap. 62.

„delaberetur, ſuadet in aliud cubiculum abſcederet. Et nouiſſimo quo„que momento ſuppeditante eloquentia, aduocatis ſcriptoribus, pleraque „tradidit, quae in vulgus edita eius verbis inuertere ſuperſedeo. At Ne„ro nulloin Paullinam proprio odio, ac ne gliſceret inuidia erudelitatis, „inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, ſerui libertique obli„gant brachia, premunt ſanguinem, incertum an ignarae. Nam vt eſt „vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec impla„cabilem Neronem timuerit, famam ſociatae cum marito mortis petiuiſſe; „deinde oblata mitiore ſpe blandimentis vitae euictam: cui addidit pau„cos poſtea annos laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in „eum pallorem albentibus, vt oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritus fuiſ„ſe egeſtum. Seneca interim durante tractu et lentitudine mortis Statium „Annaeum, diu ſibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat pro„uiſum pridem venenum, quo damnati publico Athenienſium iudicio „exſtinguerentur, promeret, allatumque hauſit fruſtra, frigidis iam artu„bus et clauſo corpore aduerſus vim veneni. Poſtremo ſtagnum calidae „aquae introiit, reſpergens proximos ſeruorum, addita voce: libare ſe „liquorem illum Ioui liberatori. Exin balneo illatus, et vapore eius „exanimatus, ſine vllo funeris ſollenni crematur. Ita codicillis praeſcri„pſerat, cum etiam tum praediues et praepotens, ſupremis ſuis conſuleret. Hunc finem habuit Seneca, Stoicorum principiis, ſi non prorſus in vita, in morte tamen vſus, in qua licet naturam non prorſus vicerit, quod ei exprobrat SAINT-EVREMONTIVS [r], doloris impatiens, fortitudinem tamen demonſtrauit, ſectae ſuae profeſſione non indignam [s].

Animi et corporis qualitas in Seneca.

§. IX. Corpore fuiſſe Senecam admodum infirmo et a puero morbis vexato [t] ſupra iam ſubinnuimus, adeo *vt omnia corporis aut incommoda, aut pericula per ipſum tranſiſſe*, dicat [u]. Et in iuuentute quidem *crebris deſtillationibus ac febriculis impetitus eſt, quas initio quidem contemſerat, et aduerſus morbum*, vt ipſe ait [x], *contumaciter ſe geſſerat; deinde ſuccubuit, et eo perductus eſt, vt ipſe deſtillaret, et ad ſummam maciem deductus ſaepe impetum ceperit abrumpendae vitae, niſi patris eum indulgentiſſimi ſenectus retinuiſſet.* Quae tabeſcentis corporis imago ſaluti aliquando Senecae fuit. DIO [y] enim narrat: cum cauſſam quandam in Senatu egregie et feliciter Seneca egiſſet, liuore ſuffuſum principem Caligulam, qui ſolus eloquens videri volebat, cogitaſſe de eo tollendo: et facturum fuiſſe, niſi vna e concubinis monuiſſet, fruſtra mortem parari iam morituro: tabe quippe laborare. Sed aetate quoque annisque prouectior vno ſe morbo allignatum queritur [z], quem aſthma Graeci vocant. Quod vero virium reliquum fecerunt morbi, victus tenuitate plane exhauſtum fuit, victu enim paruo extenuatum habuiſſe

r) Opp. T. II. p. 80.
s) Conf. STOLLIVS Hiſt. phil. mor. gentil. §. CCXXIII. p. 454. 457.
t) Conſol. ad Heluiam c. 16.
u) Epiſt. 54.
x) Ep. 78. y) loc. citat. z) Ep. 54.

Digitized by Google

buiſſe corpus, in antecedentibus ex Tacito diximus. Formoſum itaque non fuiſſe, ex his intelligitur, et ipſe alicubi [a] tangit. Etſi vero corpus ei contigerat valde tenue et ſiccum, eam tamen temperantiam inque cibo capiendo abſtinentiam in tanta rerum omnium affluentia adhibebat, quam inter voluptates Romanas eo tempore rariſſimam fuiſſe, illius aetatis mores noſcenti fatendum eſt. Ita enim de ſe ipſo [b]: *Inde mihi ab Attali ſchola quaedam permanſere. Inde oſtreis boletisque in omnem vitam renunciatum eſt; inde in omnem vitam vnguentis abſtinemus; inde vino caret ſtomachus; inde in omnem vitam balneum fugimus.* Et alibi auſteritatem vitae, quam ſectabatur, his indicat [c]: *Culcita in terra iacet, ego in culcita. Ex duabus penulis altera ſtragulum eſt, altera opertorium.* Sed et TACITVS [d] teſtis eſt, *Simplici victu et agreſtibus pomis, ac ſi ſitis admoneret, profluente aqua vitam toleraſſe.* Corpus autem tenue et infirmum exercitiis durioribus, et cultu agri, et foſſione vinearum, maxime vero hortorum, quod artificium ſuum dicit [e], firmauit [f], hacque ratione aetatem ad ſexageſimum tertium vsque annum, vt veriſimili coniectura ſupputat LIPSIVS [g], produxit, diutius etiam victurus, niſi filum abrupiſſet Neronis ſaeuitia. Tranquillitatem enim mentis cum ſtudioſe quaeſiuerit, et temperantiae iunxerit, certam inde contra morbos ſibi medicinam parauit. Aſt quam corpori denegauit natura elegantiam, animo ſupra modum attribuit. Ingenium enim nactus erat elegantiſſimum, artibusque liberalibus aptiſſimum, quod *amoenum* TACITVS [h], *excellens* COLVMELLA [i], *facile et copioſum* QVINCTILIANVS [k] nominat. Cui cum tanquam agro fertili contigiſſet cultura diligens, parentisque cura praeceptores, vt ſupra dictum, optimos adhibuiſſet, ad eam eruditionis maturitatem peruenit, quam ſummis laudibus extulere veteres et recentiores viri doctiſſimi. Quorum elogia cum collegerint IVSTVS LIPSIVS [l] et THOMAS POPE-BLVNTIVS [m], vterque ipſe adeundus eſt. Certatim ibi mox doctrinae excellentiam et copiam, mox ſtudiorum claritudinem, mox multarum rerum experientiam, mox lectionis immenſum theſaurum, mox doctrinae moralis abundantiam omnibus ſuperiorem, mox facundiae acumen laudari videas, adeo vt principem tum eruditionis vocet PLINIVS [n]. Et dictio quidem vt ſingularis prorſus eſt, et a Ciceronis imagine deflectit, ita breuitate et acumine, et ſententiarum abundantia plurimos cepit, et in admirationem rapuit, quosdam vero ſeueros iudices et cenſores nacta eſt. Refert enim QVINCTILIANVS [o]: *Suo tempore ſolum fere Senecam in manibus adoleſcentium fuiſſe, et amaſſe eum magis, quam imitatos fuiſſe, et placuiſſe propter*

a) Epiſt. 45. b) Ep. 108.
c) Ep. 87.
d) Annal. L. XV. c. 63.
e) Epiſt. 112.
f) Ep. 104. Qq. nat. L. III. c. 7.
g) loc. cit. h) Annal. L. XIII. c. 3.
i) De re ruſtica L. III. c. 3.
k) L. X. c. 1.
l) In limine operum Senecae a ſe editorum p. m. 37. ſeqq.
m) Conf. celebr. audt. p. 109.
n) L. IV. c. 14. o) loc. cit.

pter ſola vitia. Recentiori vero aetate, quis furor eloquentiae ſtudioſos occupauerit, ex quo, Lipſio duce, breue et conciſum argutumque dicendi genus inualuerat, ex dicendi artis hiſtoria, rerum literariarum noſtri temporis non plane imperito ſatis notum eſſe exiſtimamus *p*. Fuere tamen viri acuti et *κριτικώτατοι*, quibus tota dicendi ratio a Seneca adhibita prorſus diſplicuit. Inter quos imprimis QVINCTILIANVS *q* audiendus eſt, qui ſobrie admodum de eo pronuntiat, licet vulgatam de ſe falſo opinionem dicat, qua damnare eum et inuiſum quoque habere, ſit creditus: quod accidit illi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus reuocare ad ſeueriora iudicia contenderat. Huc vero eius redit iudicium: *Multas alioqui et magnas virtutes Senecae fuiſſe, ingenium facile et copioſum, plurimum ſtudii, multarum rerum cognitionem; tractaſſe etiam omnem fere ſtudiorum materiam; nam et orationes eius et poëmata et epiſtolas ferri: in philoſophia parum diligentem eſſe; egregium tamen vitiorum inſectatorem fuiſſe. Multas in eo clarasque ſententias, multa etiam morum gratia legenda, ſed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosiſſima, quod abundent dulcibus vitiis.* Duriora ſunt et iniquiora, quae refert GELLIVS *r* veterum iudicia. Ita enim: *De Annaeo Seneca partim exiſtimant, vt de ſcriptore minime vtili: Cuius libros attingere nullum pretium operae ſit, quod oratio eius vulgaris videatur, et protrita: res atque ſententiae, aut inepto inanique impetu ſint, aut leui et quaſi dicaci argutia: eruditio autem vernacula et plebeia nihilque ex veterum ſcriptis habens neque gratiae neque dignitatis. Alii vero elegantiae quidem in verbis parum eſſe non inficias eunt, ſed et rerum, quas dicat, ſcientiam doctrinamque ei non deeſſe dicunt, et in vitiis morum obiurgandis ſeueritatem grauitatemque non inuenuſtam.* Ex recentioribus vero nemo grauiorem Senecae dicam ſcripſit, et acerbius de eius et eruditione et dicendi ratione iudicium tulit NICOLAO MALEBRANCHIO *s*, qui acutiſſimi ingenii neruos tantum non omnes eo intendit, vt oſtenderet, totam Senecae philoſophiam et diſſertationes externo ornatu neſcio quas Veneres gratiasque promittentes eſſe calcem ſine arena, nec cohaerentem inter ſe, nec ſolidi quid praeter verba caſſa et inania exhibentem, imaginandi vero vim fines ſuos atque limites ſupergreſſam vagabundo errore ita omnia corrupiſſe, vt, vbi pondera rerum dare videatur, nihil plane afferat, quod veri ſitientem vel mediocriter ſatiare poſſit. Alia doctorum virorum noſtrae aetatis iudicia non minus acerba breuitatis cauſſa praetermittimus *ſſ*. Nos in definienda certa quadam atque ſtabili de Senecae dicendi genere ſententia eo magis caute incedendum eſſe exiſtimamus, quo magis in conſtituenda vera dicendi elegantia iudicioque de ea re formando in diuerſa prorſus flectere iudi-

p) Dicetur ea de re T. IV. hiſtoriam l. Lipſii enarraturis.
q) loc. cit.
r) L. XII. c. 2.
s) De la recherche de la verité P. I. L. II. c. 4. p. m. 258.
ſſ) Conf. quae affert Io. GEORG. PASCHIVS de variis modis tradendi moralia c. III. §. 17. p. 643.

Digitized by Google

iudicantes cogit et patriae, et generis et temperamenti et ſeculi ratio, quibus vni placet et formoſum videtur, quod diſplicet alteri: id quod in Seneca vel laudando vel vituperando euenisſe, adducta ſatis euincunt. Quod ſi ex ea eloquentiae imagine, quae exſpirante republica Romana obtinuit, quaeque non immerito omnibus placuit, quotquot grauitatem eloquentiae cum decore coniunctam intellexere, iudicandum, non potuit non differendi ratio a Seneca adhibita, tota improbari: adeo breuis eſt, et elumbis, et affectato ſententiarum pondere moleſta magis quam grauis, quaeque obtundat potius animum, quam capiat vel ſatiet. Quod licet legentium auribus ad ipſas ratiocinantis argumentationes non ſatis attentorum dulci quodam fluxu ſe inſinuet, examinatae tamen diſſertationes plerumque inanes dimittunt lectores, maſculaque dicendi virtute priuatae ſeducunt, et imaginibus quibusdam atque ſimilitudinibus captos ad ipſum rerum neruum attendere, et in nexus eius penetrare non permittunt. Cuius cauſſas ſi pauliſper expendere libet, facile quis deprehendere poterit. Scilicet expectari alia vix poterant ab homine et temperamenti ratione ſanguineo, atque ad imaginandi vires excitatiori, quam ad iudicandi, et gentis quoque ſuae vitio ad meteorologiam iſti quidem nationi olim iam innatam prono [r], et in his ſermonis vitiis dulcibus et elegantibus tanquam inter Charites educato. His acceſſit eloquentia Stoica, turgidam virtutem verbis magnificis poſtulans, et in *μετέωρα* nihil ſignificantia valde inclinans, vt ſupra oſtenſum; quae naturalem animi indolem in Seneca valde adiuuit. Multa quoque dicta a viro inter aulae negotia, ſummasque curas, et effuſa magis, quam elaborata, hinc ſine ordine plurima, et prout ſcribendi impetus protruſit; multa quoque vitae magis, quam ſcholae dicta et ad amicos ſcripta, quae negligentiam quandam produnt. Aſt eſſe tamen in Senecae ſcriptis non ſummam tantum eruditionis varietatem, ſed vitiorum quoque cenſuram liberam et philoſopho dignam, ſententias quoque pulchras et argutas, et neſcio quam venerem, quae acerbitatem philoſophiae moralis Stoicae dulci quaſi nectare temperat, fatebitur, quisquis ſine praeiudicio magni viri ſcripta legerit. Ex quibus conſtare putamus, non eſſe quidem Senecae ſcripta commendanda adoleſcentibus, aſt legenda viris, qui ſi iudicium et attentionem cum Stoicae philoſophiae cognitione attulerint, multum inde capient lucis et vtilitatis. Placet QVINCTILIANI [s] ſententia: *Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno iudicio. Nam ſi aliqua contemſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet, conſenſu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum ſic quoque iam robuſtis et ſeueriori*

r) Eleganter Io. BARCLAIVS Icon. animor. c. 7. p. m. 485. „In Hiſpanica gente pompa verborum geſtuumque ideo minus ingrata eſt, „quod non aſciſcitia aut extorta, ſed veluti ex „naturae praecepto intumeſcit, cuius omnis impetus, etiam in vitia declinans, neſcio quo genio decet.„

s) loc. cit.

Digitized by Google

riori genere iam firmatis legendus, vel ideo, quod exercere vtrinque poteſt iudicium. Multa enim, vt dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda ſunt; eligere modo curae ſit, quod vtinam ipſe feciſſet. Digna enim fuit illi natura, quae meliora vellet, quae, quod voluit, effecit. Ceterum ex dictis etiam de tota eruditione Senecae iudicium fieri rectum facile poteſt. Verſatum enim fuiſſe in omni doctrinae genere, eiusque magnam poſſediſſe copiam, negari non poteſt, ſcriptis eius ſatis de illa re teſtantibus. Attigiſſe etiam poeticam ex adductis liquet, et tragoedias ſcripſiſſe, ex Quinctiliani loco allato conſtat; quae vero hodie ſub Senecae nomine exſtant Comoediae an omnes illi denegandae, nec ne, noſtri heic loci decernere non eſt arbitrii, videnda vero, quae viri docti [x] paſſim ea de re monuerunt. Maxime vero laudandam putamus Senecae doctrinam, quod haud vulgarem in cognoſcendis veterum philoſophorum dogmatibus operam poſuerit, elegantemque hiſtoriae philoſophicae cognitionem prodiderit, quamquam, obſeruante QVINCTILIANO [y], in ea aliquando ab illis, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus eſt: vnde auctoritas eius in veteris doctrinae enarratione non ſine examine et attentione ſequenda eſt. In philoſophia vero quas partes ſecutus ſit, ſupra iam docuimus. Qui ſi in aliam aetatem incidiſſet, nec animi gentisque indoles Stoicam philoſophiam commendaſſet, dubium non eſt, quin egregia multa in ſapientiae ſtudio praeſtitiſſet: veri enim ſtudioſum ſe, quantum ſectae patiebatur praeiudicium, ſatis probauit, adeo vt haud raro a Stoicis ſuis diſceſſum faceret. Aſt Stoicorum doctrinis innutritus, iisdem ſcatet erroribus, quibus totum ſyſtema laborare ſuo loco demonſtrauimus. Vitae vero et philoſophiae ad actionem translatae rationem ſi habeamus, magnorum eum ingeniorum habuiſſe fata, fatendum eſt, quae magnis ſaepe virtutibus illuſtria, non minoribus premuntur vitiis. Quare in vtraque parte in extrema excurriſſe putamus, vel qui nihil inuenere in Seneca, quod non ſummopere extollerent; vel qui non niſi vitia viderunt turpemque hypocriſin. Et inter laudatores quidem Senecae inſanos merito IVSTVM LIPSIVM [z] numeramus, cui in eo diuina ſunt tantum non omnia, quem ſecuti ſunt minoris famae luminisque plurimi. His laudatur eximie eius abſtinentia, qua neglecto aulae Romanae inter immenſas opes et voluptatum inſtrumenta luxu, faſtu, pompa, frugalitatem naturae paucis contentae leges ſequentem excoluit [a]. Vita porro ſeria et ſeuera et Zenonis diſcipulo digna, quam nec aula corrupit, nec ad cognatum et familiare vitium, adulationem flexit, adeo, vt ſe malle veris offendere, quam placere adulando Neroni profeſſus ſit: quem ſaepius liber-

x) Conf. SCHOTTVS l. c. et quos prolixe laudat FABRICIVS Bibl. Lat. T. I. p. 372.

y) loc. cit.

z) Manud. ad philoſ. Stoic. L. I. diſſ. 8. p. 108. ſeqq. Vit. Senecae c. 7. p. 23. ſeqq.

a) Ep. 108. TACITVS Ann. L. XV. c. 45.

Digitized by Google

libertatem Senecae, quam ſeruitium, expertum fuiſſe, in vltimo vitae halitu pronuntiauit [b]. Maxime vero extollitur pietas in Deum et voluntatis ſubmiſſio, de qua praeclare prorſus [c], licet Stoico fundamento nixus: *Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi cum maxime detego: in omnibus quae aſpera videntur et dura, ſic formatus ſum: non pareo Deo ſed aſſentior; ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor: nihil vnquam mihi incidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu, nullum tributum inuitus conferam.* Iungitur his laudibus conſuetudo examinis conſcientiae ſingulis veſperis, cum cubitum iret, ſuſcepti, quam ex Sotionis Pythagorei ſchola retinuerat [d]; animus porro ingenuus atque candidus et non vxoris tantum amantiſſimus, ſed amicis quoque fidiſſimus, et in ipſa quoque morte luculenter probatus. Studium item Deum in omnibus ſequendi, affectus extirpandi, virtutem conſectandi, et non verbis ſed re ipſa exprimendi; magnus porro animus mortis contemtor [e], enataque inde ſumma fortitudo, ſpesque magna futurae poſt hanc vitam felicitatis et beatarum ſedium, quam magnis vocibus paſſim [f] teſtatus eſt. Quin et ſacer his adiicitur ſpiritus ab eo admiſſus, bonorum malorumque obſeruator et cuſtos, ſancte cuſtodiendus [g]. Et abundare etiam praeclaris eiusmodi praeceptis ſcripta Senecae, nemini ignotum eſſe exiſtimamus, qui ea vel per tranſennam inſpexit; vnde factum, vt non *Romae* tantum *agitatum, vt traderetur imperium Senecae, quaſi inſonti, claritudine virtutum ad ſummum faſtigium delecto* [h]; ſed et inter Chriſtianos inuenirentur, qui Chriſtiano nomine non indignum reputarent, adeo vt SARISBERIENSIS [i] non erubuerit profiteri: *Senecam ſic vniuerſos exterminare errores, vt aurea videatur ſecula reformare, et Deos ab humano genere exulantes eius opera reuocatos hominibus contracta ſocietate miſceri.* Cuius generis plura a noſtrorum quoque temporum viris eruditis prolata paſſim inuenias [k]. Verum ex altera quoque parte non defuere viri acres et ſupra modum oculati, qui vitam quoque Senecae valde criminati ſunt, et viuo etiam atque praeſenti ſcelera obiecerunt, quod imprimis Suilium feciſſe TACITVS [l] prodidit, contra quos librum *de vita beata* ſcripſiſſe ſupra iam monitum [m]; in quo naeuos ſibi eſſe non negat, aſt ſcabiem propriam non videre inimicos oſtendit. Pulchra ſunt, quae inter alia profert [n]: *Quare hic philoſophus laxius habitat? quare hic lautius coenat? papulas obſeruatis alienas, obſiti pluribus vlceribus. Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum naeuos aut verrucas derideat, quem foeda*

b) Ibid. c) Epiſt. 96.
d) De ira L. III. c. 34.
e) Epiſt. 78.
f) In conſolatione ad Marciam c. 19. 25. Dictum de eo in diſſ. de ſecta Elpiſtica Miſc. Berolin. T. V. obſ. vlt.
g) Epiſt. 41.
h) TACITVS l. c.
i) In Policrat. L. III. c. 13. p. m. 601.
k) Vide etiam LIPSIVM cent. I. Ep. ad Belgas, ep. 42.
l) l. c. vid. etiam DIO l. c. cuius obiecta Senecae aduerſariorum ſermones eſſe iudicat LIPSIVS loco ſupra citato.
m) Conf. SCHVTTVS l. c. p. m. 13.
n) cap. 27.

Digitized by Google

foeda ſcabies depaſcitur. Maxime vero obiectum ei adulterium cum Iulia, et adulatio humilis et abiecta Claudii, in exilio cum eſſet, quem tamen acerbiſſima poſtea ſatyra proſciderat, qua animum a vindictae imperio nondum liberatum prodiderit: tum inſatiabile ſtudium regias prorſus congerendi opes, et exacta foenore non Italia modo, ſed Britannia quoque et Aegyptus. Tum vana aulae pompa, et magnificentia villarum, Stoicum prorſus indecens, et animum a ſeculi luxu et vanitate nondum vacuum ſatis manifeſtans. Sed et flagitia in Neronem admiſſa, et neglectus principis animus, atque voluptatibus ſtudio quodam immerſus adiicitur, et ſuſpicione premitur philoſophus, non puras plane manus a ſanguine Agrippinae a filio profuſae eum ſeruauiſſe o). Nec multum hos, qui ita in Senecam inſurgunt, mouent egregiae, quas in ſcriptis ſuis effudit, ſententiae. Eas enim grandiloquum et barbatum philoſophiae magiſtrum ſapere aſſerunt, qui cum oculis arenam obieciſſet, nebulam pro Iunone fingat, et verba grande quid ſonantia, nihil tamen recti ſignificantia vendere ſatagat. Quibus illi plerique ſyſtematis Stoici errores adiiciuntur, quos ſuo loco notauimus, nempe cuncta vel ad perfectionis alicuius cerebrinae et impoſſibilis ſuperbiam, vel ad turpem hypocriſin, vel ad enthuſiaſmum atheiſmo affinem redire, Deumque et animam eiusdem eſſentiae et vniuerſi partem fato ineuitabili ipſique Deo impetituro ſubiectam ſupponere: et ſi quosdam audis, in Spinozae caſtris eum militare p). Qualia multa et his affinia paſſim occurrunt, ſuis locis videnda. Non defuere quidem Senecae, qui partes eius ſuſciperent, et ad graues has criminationes reſponderent q): obiectum adulterium, ſed a Meſſalina, ſcorto impudiciſſimo: exprobratus luxus et auaritia, ſed oppoſita et honeſta acquirendi conditio, et animus opum negligens, et Neroni eas refundens, liberalitas quoque publica fama nota: impietatis ſpecies molliori ſententiarum explicatione lenita, et quae his ſunt ſimilia, heic loci propter breuitatem non proſequenda. Melius famae Senecae conſulturi alii, familiaritatem Senecae cum apoſtolo Paulo inter praetorianos in aula Neronis amicos ſeruantis r) commenti ſunt, et vt dictorum ſpecioſorum

o) Dio L. LXI. vel Xiphilin. potius, Tacitvs Ann. L. XIV. c. 7. dubius eſt, conf. De Seruiis femmes de douze Ceſars l. c. Alia Senecae obiecta vide apud Avgvstin. de C. D. L. VI. c. 10. confer. Otium Vind. Mel. I. p. 99. Io. Henr. Meibom. in vita Maecen. c. 22. Basnage ad A. C. 58. n. 4.

p) Atheiſmi culpam Senecae iam obiecit Arnoldus Fabius, contra quem eum defendit Io. Petrus Hunterus, vid. Act. philoſ. Vol. I. p. 143. Eandem viam ingreſſi ſunt P. Bayle, N. Hier. Gvndlingivs et Io. Franc. Byddevs, quorum loca adduxit Reimmannvs Hiſt. atheiſmi c. 39. §. 3. p. 285. qui tamen laudato Senecae libro de prouidentia, eum abſoluit. Hoc ad ſyſtema Stoicum hic attendendum, nec verba Senecae extra eius nexum conſideranda monemus. Eandem enim theologiam ipſe ſecutus eſt, nec verba ſplendida alio ſenſu capi poſſunt, quam ſyſtematis admittit ratio: quae itaque de atheiſmo Stoicorum dicta ſunt, huc quoque pertinent. Quam orthodoxus autem Seneca in doctrina de Deo fuerit, ex vno loco Qq. nat. L. II. c. 45. diſce, conf. Byddevs de error. Stoicorum, Stollivs Hiſt. phil. mor. gent. §. CCXXX. p. 496. Otium Vindel. Mel. II. §. 5. p. 146.

q) Lipsivs Manud. ad phil. Stoic. l. c.

r) Phil. IV. 22. conf. Witsivs Meletem. Leidenſ. Sect. XII. de vita Pauli §. 36. p. 212. Cremivs Animadu. philolog. P. X. c. 3. p. 242.

Digitized by Google

ſorum ſanum quendam et a Stoica impietate remotiorem ſenſum elicerent, ex ſacris Chriſtianorum ſana multa illi recepta ſtatuerunt [r], quin et epiſtolas inter Senecam atque Paulum proferunt [s], quas tamen ab impoſtoris manu profectas eſſe, nemo non videt. Quod licet non negent viri critico acumine celebres, ſunt tamen, qui HIERONYMI [t] et AVGVSTINI [u] auctoritate moti [x], negare non audent, commercium literarum inter vtrumque interceſſiſſe. Ex quibus iam in ſummam collectis enata diſputatio de Chriſtianiſmo Senecae, quam recte tamen reiecerunt viri docti [y], qui et deceptos antiqua fabula doctores pios viderunt, et ſpecioſa dicta ſenſus Stoicos eosque impios et deteſtabiles fundere obſeruarunt. Quamquam a vero non prorſus abhorrere putamus, peruenisſe ad manus Senecae [z], ſummam rerum moderantis, libros quosdam Chriſtianorum, quorum cauſſa tunc magni motus ciebantur, captumque Senecam Chriſtianae ethicae pulchritudine ſurripuiſſe formulas quasdam et ſyſtemati ſuo, malisque et impiis doctrinis ſubdola imitatione attemperauiſſe, qua de re alibi dictum [a]. Nos, ſi in tanto diſſenſu, aliquod in gratiam lectoris interponendum iudicium, nec magni faciendam magnopere philoſophiam et virtutem Senecae, nec adeo vituperandam putamus. Cum enim in plerisque, principibus ſane, dogmatibus Stoicos ſecutus ſit, non alia virtus fuit, quam vel commendauit, vel exhibuit, quam Stoica, quam falſam eſſe et ineptam, ſuo loco euidenter demonſtrauimus. Quaecunque itaque peccata in doctrina morali Senecae ſunt, non illi ſed Stoae imputanda. Porro hominem fuiſſe, et in tam corrupto ſeculo inque tam contaminata aula non prorſus illibatum ſeruauiſſe animum, excuſari facilius poteſt, quam negari, id quod nec Tacitus nec Lipſius auſi ſunt. Fatendum tamen et hoc eſt, magno Senecam animo fuiſſe philoſophatum et non verbis tantum, ſed re ipſa doctrinam ſaepenumero expreſſiſſe. Qui cum corruptum malumque Neronis animum, prout vellet,

r) Videndi qui de theologia Senecae ſcripſere, laudati FABRICIO Bibl. Lat. T. II. p. 513. et HEVMANNO Act. phil. Vol. I. p. 743. Vol. III. p. 486.

s) Exhibet illas Codex apocryphus N. T. FABRICII T. I. p. 880. ſeqq. vbi hiſtoriam harum epiſtolarum literariam habes totam.

t) Cat. Script. eccleſ. c. 12. p. 66. Bibl. eccl. Fabr.

u) Epiſt. 56. (103. ed. Ben.)

x) LIPSIVS vit. Sen. c. 10. p. 35. TILLEMONT. Hiſt. imperat. T. I. p. 560. SARISBERIENSIS Policrat. L. VIII. c. 13. NATALIS ALEXANDER Hiſt. eccl. Sec. I. p. 91. CYPRIANVS ad l. c. Hieronymi, aliique FABRICIO ll. cc. laudati.

y) Loca complura recentiorum, qui in hac ſententia ſunt, notat FABRICIVS Bibl. Lat. T. II. p. 513. LINTRVPIVS praef. ad SVANINGII theologiam Senecae, Act. phil. Vol. I. p. 743. Otium Vindel. l. c. quibus addi poſſunt, quos in Germanico Hiſtoriae philoſ. opere T. III. p. 1139. his magno numero adiecimus.

z) Praeclare celeberrimus CYPRIANVS l. c. „Neſcio an quisquam in Neronis aula magis cu„rioſus et probitati vitae (certe philoſophiae „eam inculcanti) addictior fuit, quam Seneca. „Itaque cum Paulo Romam abducto eius res ge„ſtae omnium ore narrarentur, et ſententia de „eo in Caeſaris aula ferenda eſſet, probabile eſt, „Senecam inter proceres facile principem, eum „conueniendi copiam non neglexiſſe, aut literis „cum eo fuiſſe collocutum." Poſterioris nullam videmus neceſſitatem, prius vero munus Senecae, cui praeerat, et varia eruditio facit probabile.

a) In diſſ. de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus: ex qua patebit etiam fruſtra eſſe eos, qui ſana a Chriſtianis ſumſiſſe Senecam putant.

let, emendare non poſſet, in eo elaborauit, vt a faeuitia contineret, et iuuante Burrho lubricam principis aetatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retineret, ſicque maius malum minori impediret. Illud ſane inter omnes conuenit, digna eſſe elegantiſſimi philoſophi ſcripta [c], quorum magna pars nobis ſeruata lucem a LIPSII diligentia accepit, quae ab omnibus legantur, ſed non ſine adhibita cenſura et iudicio.

Dio Pruſaeenſis.

§. X. Neronis quoque aetate inter Stoicos pariter atque Sophiſtas inclaruit DIO, a patria Bithyniae vrbe PRVSAEENSIS dictus, a Cocceio vero Nerua, cuius gratia florebat [d], Cocceianus, et ab eloquentiae dulcedine Chryſoſtomus [e] appellatus, quibus nominibus a Dione Caſſio hiſtorico [f] facile diſtingui poteſt. Eius vitam et eloquentiae imaginem deſcripſit PHILOSTRATVS [g], quae eleganti doctoque commentario illuſtrauit, et Philoſtratum paſſim emendauit SYNESIVS [h], veram eloquentiae rationem ſimul delineaturus. Addi his poſſunt, quae PHOTIVS [i] de Dione habet, et SVIDAS [k]. Patrem habuit Paſicratem [l], a quo cura potiſſimum habita, vt filius ad eloquentiam, cuius eo tempore magna erat dignitas, formaretur, cui cum accederent ingenium optimum, dotesque animi praeclarae [m], mature in dicendo valuit. Et initio quidem totum ſe eloquentiae tradidit, temporibusque Neronis et Veſpaſiani Sophiſtae munere functus [n], leuia quidem argumenta declamatorio ac luxurioſo ſtilo tractauit, more vero ſophiſtarum in philoſophos omnes, etiam magnos et virtute commendabiles calamum exercuit, et nec Homero, nec Socrati, nec Zenoni, nec Muſonio pepercit. Id quod non dicis tantum gratia, ſed ſerio animi conſilio feciſſe teſtatur SYNESIVS [o]. Sed nec ſophiſtarum meliorem rationem cum habuiſſet, crabrones valde irritauit, eorumque inuidiam ita exacuit, vt quacunque occaſione poſſent, eius exiſtimationi detraherent [p]. Qua re effectum eſt, vt vix vnum alterumque diſcipulum Dio nanciſceretur [q]. Vt igitur et odio cederet, et eruditionis theſauros ſibi compararet, iter literarium in Aegyptum ſuſcepit [r]; maxime vero mutato conſilio profeſſionem ſophiſticam abiecit, et omiſſo declamatorio dicendi genere ciuile et

c) Eorum hiſtoria quaerenda apud SCHOTTVM l. c. NIC. ANTON. l. c. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 32. qui commentatores Senecae quoque enumerat.

d) Id vero per coniecturam tantum dicitur.

e) Citandi EVNAP. in prooem. p. 7. Perperam itaque in Bibliotheca Bodleiana Dionem a Chryſoſtomo diſtingui, recte notauit MORHOFIVS Polyhiſt. lit. T. I. L. VI. c. 2. p. 965.

f) Videndus de eo VOSSIVS de hiſt. Graec. L. II. c. 15. p. 273. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 319. et ſi tanti videbuntur, quae ad DE SERVIES vitas vxorum Caeſarum Romanorum praefati ſumus.

g) De vitis Sophiſtarum L. I. c. 7. p. 487.

h) Opp. p. 35. edit. Petauii.

i) Cod. CCIX. p. 278.

k) In DIO T. I. p. 607.

l) SVIDAS l. c.

m) SYNESIVS l. c. p. 37.

n) Orat. XXI. p. 270. XXXI. p. 344. 355. SYNESIVS l. c.

o) loc. cit.

p) Orat. XII. p. 197. XXII. p. 276.

q) Fauorimum tamen diſcipulum habuiſſe teſtatur PHILOSTRAT. L. I. vit. Sophiſt. c. 8. §. 2. p. 490. licet incerto rumore nitatur. Sic et Polemonem ei adhaeſiſſe IDEM dicit c. 25. §. 8 p. 593.

r) Orat. XI. p. 162.

Digitized by Google

et philoſophicum magis probauit *t*. Quem in finem cum maxime placeret ſecta Stoica, quae omnium diligentiſſime circa mores verſabatur, ei adhaeſit, ita tamen, vt libertatem ſeruaret philoſophicam *u*. Huius itaque philoſophiae praeſidiis munitus ad eiusdem praecepta eloquentiam reformauit ſuam, et ad formandos ſuadendosque mores emendatos dicendi genus perſpicuum atque facile, ſermonemque amoenum adhibuit, et ſententias frequenter Stoicas immiſcuit. Vnde *Amaltheae eum cornu fuiſſe* ait PHILOSTRATVS *x*, *quod, ad dicendi facultatem quod attinet, ex ſententiis elegantioribus totus eſſet compoſitus, Platonisque atque Demoſthenis ſonoram imitatus ſit orationem, quibus, vt lyris calamus, cum ſimplicitate exacte ſonum reddente voce ſuccinerit ſua.* Quae tamen copioſa dicendi ratio adeo diſplicuit Apollonio Tyanaeo, breuitatem Pythagoricam ſupra modum affectanti, vt eius philoſophiam rhetoricam magis eſſe, ad audientium voluptatem accommodatam diceret, ſaepiusque in epiſtolis ad illum has ad populum phaleras reprehenderet, eumque tibia et lyra potius, quam oratione demulcere homines iuberet *y*. Effecit etiam hic, quem in philoſophiam conceperat, amor, vt amicitiam philoſophorum ea aetate celebrium quaereret, ſibique conciliaret, maxime vero Apollonii Tyanenſis et Euphratis Tyrii familiaritate vteretur *z*, a quibus in ſeueritate doctrinae, quae de moribus praecipit, valde confirmatus eſt, quam etiam in orationibus, quas hodie non ſine iucunditate legimus, vehementer inculcauit. Eo enim totus eloquentiae dulcis et virilis tamen vigor aſſurgit, vt virtutem Stoicam commendaret, eiusque actionem ſuaderet. Ita diſputat *a*, exilium non eſſe malum, et plerosque homines neglecta virtute addiſcere ea, quae nullius ſint vſus in vita. Libertatem conſiſtere in recte agendo, et fortes bonosque ac ſapientes liberos eſſe et nobiles, malos contra et ignauos eſſe ignobiles ac ſeruos *b*. Res notiſſimas etiam atque etiam inculcare debere philoſophos, quia a ſcientibus quoque bona praecepta raro obſeruentur *c*. Hominem ſapientem, qui bono genio obſequitur, eundem quoque eſſe felicem, malis autem nullum eſſe animal miſerius *d*. Vitam hominis conferri poſſe cum conuiuio, in quo Deorum nos excipit bonitas, conuiuarum vero ſtoliditas multos miſeros facit, bonos per mortem Deus ad ſe vocat potandos nectare *e*. Philoſophiam non conſiſtere in ſplendidis ſermonibus, ſed in vita et actione ſerioque ſapientiae ſtudio *f*. Philoſophum eſſe, qui antecellat reliquos homines cognitione et vſu rerum non quarumcunque, ſed praeclararum et vtilium ad vitam felicem atque honeſtam *g*. Habitum philoſophi multos, rem ipſam paucos habere,

t) Prolixe de hac mutatione, quae dicendi quoque genus Dionis immutauit, differit SYNESIVS l. c. p. 36. et haec omiſiſſe Philoſtratum improbat.
u) Ibid. *x*) loc. cit.
y) Vit. Apollon. L. V. c. 40. p. 224.
z) Ibid. L. V. c. 51. p. 213. vit. Sophiſt. l. c. p. 288.
a) Orat. XII.
b) Orat. XVII.
c) Orat. XXX.
d) Orat. LXXI.
e) Orat. XIV. XV.
f) Orat. XXIII.
g) Orat. XXXI.

Digitized by Google

licet ob σχῆμα illud vulgus ad eos, velut ceterae aues ad noctuam aduolitent *f*. Plerosque de libertate gloriari, qui voluptatis, auaritiae aut ambitionis compedibus vincti seruitutem seruiant *g*. Haec et alia ita tradit Dio, vt Stoicum facile agnoscas, licet se omnium fere hominum notionibus quodammodo attemperare studuerit. Vt vero, qualem philosophum esse debere postulabat, talem se praestaret, vitae seueritatem vehementer prosecutus est, eousque, vt Cynicorum fere in morem leonina pelle indutus prodiret *h*, vitiorumque acerrimus censor nulli parceret, et ne imperatori quidem Domitiano assentiri auderet *i*: Id quod illi exitio tandem cessit. Exasperato enim imperatoris in illum animo dicendi libertate, ex amicitia viri honesti a Domitiano interemti *k* suspectus redditus de vita periclitatus est. Quod periculum ille tamen mature praeuidit, consultoque oraculo profugus Romani imperii fines excessit *l*, idque tanta cautione, vt non tantum fugam nemo sentiret, sed et tempus illi non suppeteret, de necessario commeatu sibi prospiciendi, nec auferret secum aliquid praeter Platonis *Phaedonem* et Demosthenis orationem *de falsa legatione*: intra Romani quoque imperii fines comparere non sustineret, sed ad Getas, Thracas, Mysosque exulatum abiret *m*. Etsi enim exilium non esse contendit PHILOSTRATVS *n*, quod nullo decreto adactus fugeret, necessitate tamen metuque coactus clanculum disparuit, seseque hominum oculis atque auribus subduxit, alia in aliis regionibus agens, vt idem testatur. Nec alia, quam exulis vita fuit: cum enim necessariis destitueretur, arbores serens, aut fodiens, aut hauriendae ad balnea hortosque aquae operam locans, aliaque eiusmodi suscipiens victum sibi misera conditione quaerebat: studia tamen literarum non neglexit, sed duobus istis libellis, quos secum attulerat, cum elegantem orationis in vtroque haberet imaginem, dicendi virtutem conseruauit *o*. Postea ad castra Romana conuersus misero habitu vitaeque conditione vitam aegre sustentauit *p*. Interfecto vero Domitiano cum animaduerteret, milites ob eandem caedem ad res nouas pronos tumultuari, depositis laceris vestibus nudus in aram insiluit sublimem, et orationem auspicatus, mendicum sub laceris panniculis non latuisse, sed Dionem philosophum ostendit, magnoque animo tyranni accusationem instituit, et ita dicendi suauitate ferocientium animos compescuit, vt rectius saperent, et saniora Romanorum consilia sequerentur *q*. Ab eo tempore reuocatus a Nerua, ad quem summa rerum erat deuoluta, magna apud ipsum gratia floruit, Neruaeque exemplum secutus est Traianus, qui se illum diligere non minus, quam se ipsum confitebatur, et in aureum quoque eum currum, quo triumphantes vehi solebant, assumebat, simul-

f) Orat. LXXII. *g*) Orat. LXXX. *h*) PHOTIVS, SVIDAS ll. cc. *i*) Orat. III. p. 38. *k*) Orat. XIII. p. 219. forte Apollonii amicitia illi quoque nocuit. *l*) Ibid. p. 221. *m*) Orat. XII. p. 198. XIV. p. 233. PHOTIVS loc. cit. *n*) loc. cit. *o*) PHILOSTRAT. l. c. *p*) Ibid.

ſimulque cum eo vehebatur [q]. Sed et magiſtratum in patria geſſiſſe, et liberos habuiſſe non degeneres, ex orationibus eius conſtat [r], itemque ſenium attigiſſe; quando vero vel vbi obierit, non liquet. Gracilis erat et corpore haud quaquam vaſto, voce placida et firma, inceſſu minime quidem incitato, ſed non ideo ſegni aut fracto, a quo nec reliqui motus corporis diſcrepabant [s]: animo vero magno, iudicio firmo, eloquentia viua et dulci, et oratione vtente luculenta, licet plena imaginibus, et rebus, de quibus agebat, conueniente, cui ſententias paſſim interſerebat optimas ex variis ſcriptoribus collectas, qua ex ratione cornu copiae eum dixiſſe Philoſtratum recte vidit OLEARIVS [t], maximeque in eo laudat SYNESIVS [u]. Cuius luculentum exemplum ſunt orationes octoginta ad nos transmiſſae [x], in quo rhetorem philoſophum, ſapientiae praecepta ſumma facundia commendantem facile agnoſcas, virumque ſummum fuiſſe Dionem fatearis.

§. XI. Eodem tempore vixit amicitiamque cum Dione coluit EVPHRATES natione Aegyptius [y], patria Alexandrinus, qui tamen multo tempore in Syria degit, vbi eum Plinius iunior praeceptorem habuit [z]. Apollonio Tyaneo cum innotuiſſet, tantus illius in hunc amor primo fuit, vt et amicitiam ſanctiſſimis inter ſe vinculis necterent, et Apollonius Euphratem cum Dione Veſpaſiano, quantum poſſet, commendaret, eo effectu, vt ſe nunquam clauſas viris ſapientibus, qualis Euphrates eſſet, fores praebere diceret, et de bene ordinando imperio cum eo atque Dione ſermones miſceret, conſiliumque expoſceret [a]. Qua occaſione cum et Apollonium imperator conſuluiſſet, isque in longe alia abiret, quam Euphrates ſuaſerat, princeps autem ei ſoli fere adhaereret, grauis inde inimicitiae inter Apollonium et Euphratem obortae, et non ſine iniuria poſtea geſtae initia enata eſſe, ait PHILOSTRATVS [b]. Hunc ſi audimus, fidemque ei tribuimus, indignis modis Apollonium laceſſiuit traduxitque Euphrates. Narrat enim [c]: ad Aethiopes profecto Apollonio praemiſiſſe Euphratem, qui illum apud gymnoſophiſtas criminaretur, et inuiſum redderet, difficilesque illi praeſtaret ſapientes Libyae. Miſiſſe quoque ſeruum delatorem, cum pecunia, vt apud Domitianum accuſatorem contra Apollonium inſtrueret eorum, quae in Ionia aduerſus imperatorem differuerat [d]. Aſt ne huic quoque peperciſſe Apollonium, ait, literasque Apollonii affert, in quibus tanquam pſeudo-ſophiſtam philoſophi indignum nomine accuſat. Inter ſophiſtas enim et grammaticos, improbumque hominum genus numerat, quo cum

Euphrates.

q) SVIDAS, PHOTIVS, PHILOSTRATVS II. cc
r) Orat. XL. XLI.
s) PHOTIVS l. c.
t) Ad l. c. Philoſtrat.
u) loc. cit.
x) Vid. PHOTIVS l. c. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. III. p. 307.
y) EVNAP. in prooem. p. 7.
z) L. I. ep. 10.
a) PHILOSTRAT. vit. Apoll. L. V. c. 28. p. 211. ſeqq.
b) c. 33. p. 219.
c) L. VI. c. 7. p. 235. c. 13. p. 250.
d) L. VIII. c. 3. p. 324.
e) Ep. I. II. III. V. VI. VII. Apollonii p. 385. ſqq.

amicitiam colere reſpuat, eo quod inuideat aliis, cum tamen ſenectus ipſi vicina ſit, et mors. Reprehendit porro eum, quod ſophiſticam exerceat, et pecuniam a diſcentibus accipiat: quod obierit gentes a Syria ad Italiam vsque, oſtentare ſe in duplicata veſte, quam regiam vocant: cum pallium illi olim fuerit et maxima barba, praetereaque nihil: reuertaturque iam mari adducens nauem onerariam plenam argento, auro, variis vaſis, pictis veſtibus et reliquo ornatu, faſtu item et ſuperbia atque improbitate. Obiicit, in ipſa Stoa hortorum Epicuri patrocinium ſuſcepiſſe, deterioremque Epicuro eſſe, quod ab imperatore dona iterum atque iterum accepiſſet, ſicque cum animi damno et paupertate diues factus eſſet, adſentari eum lucri cauſſa hominibus quibusque, ſenibus, vetulis, orbis, diuitibus, delicatis, Midis, Getis. Paria paſſim apud PHILOSTRATVM [d] occurrunt, grauiſſimae, quae vtrumque philoſophum exercuit inimicitiae, teſtimonium luculentum exhibentia. Aſt vel finxiſſe multa Philoſtratum, vel animo tantae famae philoſopho indigno conuiciis proſcidiſſe Apollonium Tyaneum Euphratem fatendum eſt, ſi vel ipſius Philoſtrati hiſtoriam vel veterum de Euphrate narrationes conſulimus. Ex illa enim patet, tantae virtutis philoſophum viſum fuiſſe Euphratem Apollonio, vt vix haberet, quem ei praeferret, quamdiu ipſi ſuperior eſſet Apollonius eiusque gloriam et auctoritatem non timeret: aduſtum inuidia et aemulatione grauiſſime in eum inuectum fuiſſe, quod vitae paedagogicae et ſcholaſticam ſuperbiam redolentis veſtigia, quae calcabat Apollonius, non preſſiſſet. Id quod vidit EVSEBIVS [e], qui praeclare de hac re: *Certe Euphratem, aditus ad imperatoris palatium participem reddens, poſtea tamen, ob intercedens diſſidium talia de eo proferens, nonne, ipſa ſuadente mihi ratione, Euphratis egiſſe Sycophantam arguitur? philoſophorum ſuae aetatis clariſſimi, qui hodie etiam ab iis, qui philoſophiae imbuti ſunt ſtudiis, celebratur. Quod ipſum vel illuſtriſſimum alicui, ſi velit, reprehenſionis Apollonii exemplum praebeat. Si Euphrates enim omnium conſenſu philoſophiae ſtudiis clariſſimus habeatur, intempeſtiuum minime fuerit, illius eo euincere aduerſus improbitatem odium, quod mala Apollonii facta fuerit inſectatus. Hunc vero, qui ab eo arguebatur, concludere, mala fama oppreſſiſſe eum, quaſi vitam ageret philoſophiae minime conſentaneam.* Calculum eſſe adiiciendum Euſebio pro Euphrate contra Apollonium dicenti, veterum de illius virtute, eruditione, philoſophia, eloquentia teſtimonia poſtulant. Ex quibus omnium maxime audiendus eſt PLINIVS [f], qui eum et nouit, et in eius diſciplina fuit. Ita enim de eo: *Si quando vrbs noſtra liberalibus ſtudiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla ſunt: ſuffecerit vnum, Euphrates philoſophus. Hunc ego in Syria cum adoleſcentulus militarem, penitus et domi inſpexi, ama-*

d) Vit. Apollon. L. VIII. c. 7. ſ. 3. p. 332. ſ. 11. p. 344.
e) Adu. Hieroclem c. 33. p. 456.
f) loc. cit.

Digitized by Google

amarique ab eo laborauí, etſi non erat laborandum. Eſt enim obuius et expoſitus plenusque humanitate, quam praecipit - - Quantum mihi cernere datur, multa in Euphrate ſic eminent et elucent, vt mediocriter quoque doctos aduertant et afficiant. Diſputat ſubtiliter, grauiter, ornate, frequenter etiam Platonicam illam ſublimitatem et latitudinem effingit[a]*. Sermo eſt copioſus et varius, dulcis imprimis et qui repugnantes quoque ducat et impellat. Adhaec proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens et cana barba. Quae licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. Nullus horror in cultu, nulla triſtitia, multum ſeueritatis, reuerearis occurſum, non reformides. Vitae ſanctitas ſumma, comitas par. Infectatur vitia, non homines, nec caſtigat errantes, ſed emendat. Sequaris monentem attentus et pendens et perſuaderi tibi, etiam quum perſtaſerit, cupias. Iam vero illi liberi tres, duo mares, quos diligentiſſime inſtituit. Socer Pomponius Iulianus cum cetera vita, tum vel hoc vno magnus et clarus, quod prouinciae princeps inter altiſſimas conditiones, generum non honoribus principem, ſed ſapientia elegit.* Deſcripſimus totum Plinii locum, cum luculentam nobis exhibeat Euphratis imaginem, et de rebus eius quaedam narret. Aſt ne ab amico vel diſcipulo laudari obiiciatur, ecce Epicteti teſtimonium, philoſophi, quo integriorem virtutisque haud fucatae iuſtiorem arbitrum porticus vix vnquam habuit: quod eo magis audiendum eſt, quo magis commendabile philoſophi exemplum exhibet[b]: *Recte dicebat Euphrates, ſe longo tempore diſſimulaſſe philoſophiae ſtudium, eamque diſſimulationem ſibi profuiſſe. Primum enim ſciuiſſe ſe, quae recte faceret, ea ſe non facere propter ſpectatores, ſed propter ſemet ipſum: ſe ſibi ipſi recte comediſſe, compoſitis fuiſſe oculis: in deambulationibus ſeruaſſe modum: omnia ſibi et Deo praeſtitiſſe: et ſicut ſolus certaſſet, ita ſolum quoque eſſe periclitatum. Si quid turpe aut indecorum feciſſet, philoſophiam non fuiſſe periclitatam: neque ſe nocuiſſe vulgo, ſi vt philoſophus peccaſſet. Quapropter eos, qui ſuum ſtudium ignorarent, fuiſſe nũratos, qui fieret, cum omnium philoſophorum conſuetudine et doctrina vteretur, ipſum tamen non philoſophari? Quid vero, inquit, mali fuit in eo, ſi philoſophus e factis cognoſcebar, non autem ex inſignibus? Vide quomodo edam, quomodo bibam, quomodo dormiam, quomodo tolerem, quomodo abſtineam, quomodo rem geram, quomodo appetitione vtar, quomodo auerſatione, quomodo affectiones naturales et accerſitas tuear, vt absque perturbatione et impedimentis viuam? inde me iudica ſi potes.* Haec de Euphrate Epictetus, haec Plinius, haec Euſebius, quos impoſtori Apollonio mendacique Philoſtrato praeferendos eſſe, nemo dubitabit, cui ſanum caput eſt. His vero artibus Hadriano quoque valde ſe commendauit Eu-

a) Hoc de dicendi ſublimitate, non de philoſophia Platonis intelligendum: perperam itaque Euphratem aliquos inter Platonicos referre monuit FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 53.

b) ARRIAN. L. IV. c. 8. p. m. 427. ſeqq.

Euphrates; a quo veniam ſtoice emigrandi ex hac vita accepiſſe dicitur, cum morbo et ſenecta eſſet attritus. Dio [i] enim narrat, obiiſſe Euphratem mortem voluntariam, cum ei Hadrianus propter morbum et ſenectutem cicutam bibere conceſſiſſet. Cuius veniam petiuiſſe a principe miratur PAGAN. GAVDENTIVS [k], eo quod licitum Romae fuerit, ob vitae taedium vel morbum deſperatum, vitam abrumpere, nec bona eorum in fiſcum abierint, nec eorum memoria damnata ſit: ſed illi tantum, qui conſcientia ſceleris ſe occidiſſent, ne damnarentur a magiſtratu, habiti fuerint pro confeſſis, nec bona eorum, ad haeredes tranſierint. Putat autem, id factum ideo, forte quod adſcriptus eſſet familiaribus imperatoris, et Hadrianus valde eius ſermonibus delectaretur. Faciendum itaque ſibi putaſſe, vt quaſi miles obtineret miſſionem, ne iratus imperator, quod ſe inſcio atque ideo inuito hauſiſſet venenatam potionem, corpus vetaret ſepeliri, et bona in fiſcum ire iuberet. Quam coniecturam lectoris relinquimus arbitrio.

Epictetus.

§. XII. Maxima porro inter Stoicos huius temporis exiſtimatione vixit EPICTETVS, cuius vitam et obitum prolixis [l] libris proſecutum fuiſſe Arrianum ſcribit SIMPLICIVS, quos vero intercidiſſe temporis iniuria eo magis dolemus, quo magis Arrianum Epicteti fuiſſe ſtudioſiſſimum, conſtat: vitae itaque eius hiſtoria in veterum monumentis paſſim diſperſa colligenda eſt, qua in re diligentem quorundam recentiorum doctorum virorum labor praeſtitit operam [m]. Hierapolitanum Phrygem fuiſſe, SVIDAS teſtatur; pauperibus parentibus natus adeo fortunae bonis deſtitutus fuit, vt in ſeruilem conditionem deiiceretur, quam tamen miſeriam animi bona praeſtantiſſima penſarunt. Hinc GELLIVS Epictetum inter eos numerat, qui vitae conditione ſerui fuerunt, et Epicteto hoc diſtichon tribuit:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην κατὰ σῶμα ἀνάπηρος
Καὶ Πενίην Ἶρις καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Natus Epictetus claudo cum corpore ſeruus
Iro pauperior, Diis in amore fui.

Non profectum quidem ab Epicteto fuiſſe, praeter SALMASIVM [n] contendunt ANT. THYSIVS [o], et HIERONYM. WOLFIVS [p], qui Leonidae, M. PLANVDE [q] auctore, tribuit. Aſt hoc Graeculi ſomni-

i) L. LXIX.
k) De philoſoph. Romanor. c. 100. p. 330.
l) Prooem. comm. in Epicteti enchirid.
m) Praefixit vitam Epicteti HIERON. WOLFIVS editioni Epicteteorum Simplicii et Arriani: BELLEGARDIVS quoque vitam Epicteti, a BOILEAVIO conſcriptam praemiſit, characteribus Epicteti Gallice, Trivolt. 1701. editis. Multa quoque huc pertinentia dedere doctiſſimi viri Io ALB. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. III. p. 259. ſeqq. et CHR. AVG. HEVMANNVS diſſ. de philoſophia Epicteti.
n) Ad Simplicium.
o) Ad l. c. GELLII.
p) In limine enchiridii.
q) Anthol. L. III. p. 427.

Digitized by Google

omnium esse, ex aetate Leonidae, Epicteto senioris, constat, illud GELLII refragatur auctoritati, ex quo descripsit MACROBIVS [r]. Deceptum tamen forte Gellium esse, qui se ex rumore hos versus adscribere Epicteto non obscure prodit, modestia Epicteti se viuum Deorum familiae adscribere non passa suadere videtur. Seruum autem fuisse Epaphroditi cuiusdam liberti et cubicularii Neronis, SVIDAS [s] testis est, quem caue cum quibusdam cum συνέργῳ Pauli Apostoli [t] confundas. Claudum crure fuisse, veteres fere omnes concordant, de caussa dissentiunt. SVIDAS [u] ob defluxionem altero crure mutilatum esse ait; SIMPLICIVS [x] a teneris claudicasse vult; Celsus apud ORIGENEM [y], cum herus, refert, torqueret crus, subridentem imperterrite dixisse: *perfringes.* Cumque ille fregisset, *non praedicebam,* respondisse, *quod perfringes?* Alii fractum crus a vinculis, quibus constringi eum tyrannus quidam iusserit, asserunt [z]. In quibus narrationibus Suidae relatio et simplicior et verisimilior est. Manumissus ab hero propter philosophiam [a], paupertatem adeo non refugit, vt vix esset Romae, qui pauperior viueret, adeo vt eius domuncula nullis vnquam clausstris eguerit, vt in qua nihil esset praeter lectulum et culcitram, in quibus dormiret [b]. Et eandem quoque ob caussam magnam aetatis partem solus exegit, fero tandem mulierculam nutricem asciuit puero, quem ab amico quodam suo propter inopiam exponendum ipse susceptum educauit. Cuius caussam hanc fuisse ait SIMPLICIVS [c], quod ex philosophiae suae praeceptis statueret, *superuacanea vbique esse repudianda. Duo autem superuacaneorum genera constituisse, delicias et popularem opinionem, haec enim duo in caussa esse, cur necessarium vsum transiliamus.* Quanta vero paupertas fuit Epicteti, tantae fuere animi diuitiae, ingenium acre et excellens, et diiudicandis hominum moribus aptissimum, philosophiae cognitio tanta, quanta in homine acutissimo quaeri, et ex indefesso Stoicae philosophiae studio, grauisque magistri institutione acquiri potuit, vnde Stoicorum maximum appellare non dubitat GELLIVS [d]. Vsus est praeceptore Ruso, cuius in dicendo vim corripiendique libertatem praedicat, narrans sic dixisse de moribus, vt quisque eorum, qui assideret, putaret, se ab aliquo criminis cuiusdam reum peragi: sic reprehendisse ea, quae fiebant, sic mala posuisse ob oculos, vt dolorem incuteret, et emendationis voluntatem excitaret [e]. Et hoc quidem praeceptore graue illud dictionis genus, vimque dicendi istam didicit, quam tantam habuisse efficaciam testatur ARRIA-

r) Saturn. L. I. c. 11. conf. FABRIC. l. c. p. 257. not. b.
s) l. c. mentio eius etiam apud TACITVM Annal. L. XV. p. 55. ARRIAN. L. I. c. 1. §. 19. p. 76. c. 26. p. 95.
t) Philip. II. 25. Col. I. 7.
u) loc. cit. x) Ad enchir. p. m. 70.
y) Adu. Celf. L. VII. p. 378.
z) Conf. laudatos FABRICIO l. c. p. 238. not. c. d. ARRIAN. L. I. c. 8. 12. p. 39. seqq.
a) ORIG. l. c. L. III. p. 119.
b) SIMPLICIVS l. c. p. 70.
c) Ibid. p. 180. d) L. I. c. 2.
e) ARRIAN. L. I. c. 9. L. III. c. 15. c. 3.

Digitized by Google

RIANVS [f], vt auditores, quocunque vellet, permoueret, SIMPLICIO [g] vero *homines, qui illa non afficiantur, vix ac ne vix quidem apud inferos corrigi posse* visi sint. Nihil hic arti studio quaesitae datum, vel affectatam elegantiam sapiens, sed naturalis grauitas visque quaedam ineffabilis, simplicitati admixta, et in animum latissime penetrans, atque conuincens [h]. Quo nomine simplicitatem illam tam stilo quam doctrina ad captum hominum se attemperantem in Epicteto iure suo laudat, et ideo Platonem, licet eloquentissimum, *doctorum tantum teri manibus, Epictetum, vulgo quoque lectorum admirabilem esse, vtilitatis nomine, quod se praeceptis illius monitos proficere sentiant*, recte asseruit ORIGENES [i]. Genus enim orationis, quod sectatur Epictetus, neruosum est, et acre, vt qui omnino mortui non sunt, eo velut stimulo quodam pungantur, et suas passiones tum intelligant, tum ad eas corrigendas excitentur. Addidit vero robur vimque summam exhortationibus Epicteti vitae integritas, quanta a Stoico postulari potest a diuini spiritus agitatione nondum emendato, maxima, dignaque quae aliis exempli loco praeluceat [k]. Quam tanti fecit Celsus ille, Origenis aduersarius, vt praeferre patientiam Epicteti sanctissimo Saluatori non dubitauerit, recte ideo ab ORIGENE [l] refutatus, et ad patientiam Iesu infinitis modis Epicteta superiorem remissus. Id extra controuersiam positum existimamus, animi recti et virtutis amantis magnitudine, et nobilitate, contemtu humanae vanitatis, et infracto ad quaeuis aduersa pectore in tota Zenonis schola non fuisse, qui Epictetum superauerit, de quo eximio Stoicae sapientiae charactere, legi velimus, quae pro Epicteto ex vero differuerunt DAN. HEINSIVS [m] et IVSTVS LIPSIVS [n]. Superauit hac virtutis seueritate Epictetus Cynicos sui temporis plerosque, nec alia causa est, cur Cynicorum familiae eum adscripserint quidam [o], licet familiaritas quoque cum Demonacte et Musonio Cynicis, laudesque Cynismo ab Epicteto appositae, dicta etiam quaedam apertius ab illo et *κυνικωτέρως* prolata ostendant, Cynismo eum quam maxime fauisse. Tantae vero et doctrinae et virtutis philosophum quamuis se praestaret Epictetus, non potuit tamen tam nobile Romanae sapientiae sidus tolerare monstrum illud Romani orbis, Domitianus, qui cum philosophos omnes vrbe et Italia excedere iuberet [p], ne Epicteto quidem pepercit. Propter id senatus consultum, quod Domitianus extorserat, Epictetus Nicopolin, vrbem non ita pridem prope Actium excitatam, GELLIO [q] et ARRIANO [r] testibus

f) In praefat.
g) loc. cit.
h) Conf. omnino Cel. FABRICIVS dissert. de eloquentia Epicteti inserta Fasciculo dissertt.
i) l. c. L. VI. p. m. 283.
k) Conf. BVDDEVS diss. de moribus philosophorum p. 103.
l) l. c. L. VII. p. 378.
m) De philosophia Stoica Orat. p. m. 301. seq.
n) Manud. ad phil. Stoic. L. I. diss. 9. p. 113. seqq.
o) Adagior. p. m. 544. ed. Froben. nisi calami potius errorem hic agnoscas.
p) GELLIVS L. XVII. c. 19.
q) GELLIVS L. XV. c. 11. SVETON. in Domit. c. 10. LVCIAN. in Peregr. T. IV. p. m. 283.
r) loc. c. s) L. IV. c. 1.

Digitized by Google

ſtibus ſeceſſit [r], magnoque exilium tulit animo, patriam ſibi fortunarumque ſuarum ſedem vbique eſſe, qui ciuis totius mundi eſſet, diuitiasque ſuas et fortunam ſecum ferret omnem, ratus. In hac vero vrbe philoſophiae ope animos hominum emendandi ſtudium non depoſuit, ſed et iuuenes et ſenes ad mentis felicitatem rite parandam et conſeruandam philoſophiam edocuit, et quoscunque auditores nactus eſſet, inter ambulandum, in conſeſſibus hominum, et quacunque licebat occaſione, de moribus ita diſſeruit, vt ſapientiae, quam poſſidebat, praeſtantia, et dicendi, qua vtebatur, libertas omnes in admirationem raperet, et magna cupiditate hos ſermones ſcriptis annotarent philoſophiae ſtudioſi [s]. Domitiano e viuis ſublato quamuis redeundi poteſtas philoſophis eſſet facta, remanſit tamen Epictetus Nicopoli [t], dicendique libertate et praeceptorum ſapientia omnium in ſe conuertit animos et ſtudium, neminemque habuit, qui eloquentiae eius, naturali quidem at efficaciſſimae, reſiſtere poſſet [u]. Romam vero vtrum ſub Hadriano reuerſus fuerit Epictetus, dici quidem, tacentibus veteribus ſcriptoribus, non poteſt, certum tamen, et a SPARTIANO [x] traditum, ſumma familiaritate huic imperatori notum fuiſſe Epictetum, id quod veriſimile facit, Romam iterum veniſſe Epictetum, ibique cum imperatore fuiſſe philoſophatum [a]. Cuius familiaritatis cum Hadriano philoſophicae hodie adhuc monumentum circumfertur, nempe *altercatio Hadriani cum Epicteto*, quae duabus partibus apud quosdam conſtans, reuera vna eſt [b]. Hanc genuinam eſſe et ab Epicteto profectam Io. SCHEFFERO [c] aliisque haud obeſae alias naris viris doctis viſum eſt. Aſt opus hoc eſſe otioſi hominis, vel monachi cuiusdam, cui, cum audiuiſſet, quaeſtionibus vexaſſe Hadrianum philoſophos, Epictetum quoque gratioſum apud hunc imperatorem fuiſſe, in mentem venit tale quid comminiſci, recte viri docti iudicarunt [d]. Certe qui vel vnam diſſertationum Epictetearum apud Arrianum legerit, et cum hac altercatione contulerit, manibus quaſi palpabit, nec acumen, nec grauitatem, nec philoſophiam Epicteti in ea inueniri, et prodiiſſe foetum adulterinum ex ingenio ſcioli cuiusdam Chriſtiani, qui Epicteti nomine ad obtrudendas hominibus nugas ſuas abuſus eſt. Quod vel vno exemplo luculenter oſtendit Cl. HEVMANNVS, ad quaeſtionem, *quid eſt fides?* prouocans, ad quam reſpondetur, *ignotae rei admirandam eſſe certitudinem.* Fidei

r) Errant itaque WOLFIVS in vita Epicteti et HOFMANNVS in Lexico, qui Hierapolin ponunt, et patriam cum loco exilii confundunt.

s) Vid. ARRIAN. praef.

t) Id ex variis diſſertationum locis patet.

u) ARRIANVS et SIMPLICIVS ll. cc.

x) In Hadriano c. 16.

a) Conf. FABRIC. l. c. Contrarium quidem ex ſilentio diſſertationum concludunt SALMASIVS ad Epictet. H. DODWELLVS de aet. Peripl. Pont. Eux. p. 116. HEVMANNVS de philoſ. Epict. p. 8. Aſt ſilentium hoc nihil euincere, quilibet videt, cum poſt habitas has diſſertationes Romam reuerti potuerit, vixque veriſimile ſit in exiguo illo tempore, quo Hadrianus in Graeciam excurrit, eum Epictetum tam familiariter nouiſſe, neque tamen ad ſe vocaſſe principem philoſophorum amantiſſimum.

b) Editiones enumerat, ipſamque altercationem exhibet FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. I. p. 502. Vol. XIII. p. 557.

c) De phil. Ital. c. 10. p. 85.

d) FABRIC. Bibl. Gr. Vol. III. p. 865. HEVMANN. Act. phil. Vol. I. p. 734.

autem vocabulum, hoc quidem ſenſu, eccleſiaſticum eſt, et dignior quaeſtio Pipini et Albini ſcholaſtici aeuo, quo nomine eadem vere altercatio ſiue diſputatio occurrit, quam Epicteti temporibus. Philoſophiam autem Stoicam adeo non expreſſit auctor altercationis huius, vt Platonicum magis quam Stoicum agnoſcas [e]. Nec a veriſimilitudine abludere videtur, Secundi diſputationem cum Hadriano, quam, licet hodie valde interpolatam, non tamen totam velut ſpuriam reiiciendam eſſe ſupra oſtendimus, occaſionem dediſſe nugatori cuidam, ſimile quid de Epicteto fingendi, quod non potuit ita tegere altercationis huius artifex, vt non quaeſtiones pariter et reſponſiones ex illis Secundi ſententiis ſuis quaeſtionibus interſereret. Recte itaque abiicitur foetus adulterinus Epicteti doctrina et acumine indignus: quamuis philoſophatum illum cum Hadriano eſſe, certum ſit. Ex his vero manifeſtum quoque eſt, vixiſſe Epictetum adhuc ſub Hadriano, nec a vero prorſus abludere eos, qui ſub huius imperio finiuiſſe vitam Epictetum coniiciunt, licet incertum ſit, Romae an Nicopoli obierit [f]. Vixiſſe enim iam ſub Nerone Epictetum dubio caret, ſi etiam LIPSIO [g] concedamus, nondum eo tempore philoſophatum fuiſſe; aſt cum ſub Hadriano adhuc floruerit, vix annis iam decrepitus ſenex vitam vltra prorogaſſe videtur. Aliter quidem ſtatuendum eſſe viris quibusdam doctis [h] placuit, qui THEMISTII [i] et SVIDAE [k] auctoritate moti ad Antoninorum vsque tempora vixiſſe Epictetum contenderunt. Ille enim in *oratione ad Iouianum, anteceſſores eius in imperio philoſophos habuiſſe chariſſimos, Auguſtum Arium, Tiberium Thraſyllum, magnum Traianum, Dionem Chryſoſtomum, Antoninos duos Epictetum*, aſſerit. Hic, Themiſtii ſine dubio auctoritate nixus, Epictetum vsque ad Marci Aurelii imperatoris tempora duraſſe ſcribit. Aſt his recte opponitur: intercedere a Neronis aetate, quo vixiſſe Epictetum conſtat, tempus centum, et quod excurrit, annorum, et exinde ſequi centenario longe maiorem obiiſſe Epictetum. Sed nec valetudinis, qua premebatur philoſophus, infirmae ratio [l], nec Luciani ſilentium, inter tot longaeuos Epictetum ſibi aetate proximum omnibusque celebratiſſimum non enumerantis, id admittere videtur. Nec veriſimile vllo modo, M. Aurelium, qui praeceptores ſectarum fere omnium primariae eruditionis viros ſibi elegit, omiſſo Epicteto, qui prima Stoae gloria fuit, diſcipulum eius Iunium Ruſticum adhibuiſſe, cuius ſe diſciplinae traderet, cum tamen magnam Iunius apud eum gratiam inierit, quod Epicteti commentariorum illi fecerit copiam [m]: quorum neutrum feciſſet, ſi viuum Epictetum aetate attigiſſet. Et haec quidem Themiſtii teſtimonium, quod abs-

que

e) Hoc vel ex prima reſponſione, *quid mandus ſit*, liquere putamus.

f) Perperam ad GELLIVM L. XV. c. 11. LYDVS l. c. p. 114. prouocat, teſtantem, Nicopoli obiiſſe. Nihil enim ibi de morte Epicteti.

g) MANUD. ad philoſ. Stoic. L. III. diſſ. 6.

g) RAPH. VOLATERRANVS, LVDOV. VIVES, ISAAC. CASAVB. ad Spartiani l. c.

h) Orat. V. p. 63. ed. Harduini.

i) In Epictet. T. I. p. 817.

k) SIMPLIC. in praef.

l) ANTONIN. de ſe ipſo L. I. §. 7.

Digitized by Google

que dubio Suidas ſecutus eſt, valde ſuſpectum reddunt. Aſt conuellit penitus GELLIVS [m] Antoninorum tempore ſcribens, qui de Epicteto, tanquam fatis iam erepto loquitur. Ita enim de illo: *De Epicteto philoſopho nobili, quod is quoque ſeruus fuit, recentius eſt memoria, quam vt ſcribi quaſi obliteratum debuerit* [n]. Quibus verbis nuper quidem demortuum Epictetum innui, quilibet videt. Addimus aliud teſtimonium non minus luculentum ipſius M. AVRELII imperatoris, qui diſerte: Πόσους ἤδη ὁ αἰὼν Χρυσίππους, πόσους Σωκράτεις, πόσους Ἐπικτήτους κατεπόσωκεν; *Quot Chryſippos, quot Socrates, quot Epictetos iam dudum abſorpſit aeuum iſtud?* Quibus rite ponderatis Themiſtium aut memoria fuiſſe deceptum fatendum eſt, aut dicendum more oratorum fuiſſe locutum et de ſcriptis tantum Epicteti Antoninis caris eſſe intelligendum, quos ea magni feciſſe conſtat. Suidam autem cur non moremur, ſupra iam dictum. Deferenda itaque virorum doctorum ſententia [o], qui ad Antoninos vsque aetatem Epicteti prorogant; certe tam diu contrarium ſtatuendum, donec melioribus rationibus ea probetur, quod promiſit quidem, ſed non praeſtitit MENAGIVS [p], quem ſecutus eſt HARDVINVS [q]: Themiſtium enim pro Hadriano memoriae vel calami lapſu Antoninos poſuiſſe, an ab homine oratore alienum? Quanta vero in exiſtimatione vixerit Epictetus, ex diſcipulis conſtat, inter quos fuere Arrianus [r], Iunius Ruſticus [s] et Fauorinus [t], quem tamen a praeceptore deſciuiſſe ex eo patet, quod Epictetum contra Fauorinum defendit GALENVS [u], magnus doctrinae illius admirator. Poſt mortem vero ſancte cultam eſſe eius memoriam, LVCIANVS [x] tradit, narrans: fuiſſe inuentum, qui demortui Epicteti lucernam fictilem pretio ter mille drachmarum, ſibi comparauerit, ſperans vero ita ſibi ſapientiam Epicteti ad hanc lucernam

m) L. II. §. 18. n) L. VII. §. 19.

o) Sine cauſſa itaque dubius haeret LIPSIVS l. c. recte enim vidit longum interuallum inter Neronem et Antoninum philoſophum.

p) Comm. in Laert. p. 2.

q) Ad l. c. Themiſt.

r) PHOTIVS Cod. LVIII. SIMPLIC. praef. Fuit Flauius Arrianus Nicomedienſis ex Bithynia, vir eruditiſſimus, et philoſophiam Stoicam ab Epicteto doctus, literarum autem elegantiorum ita peritus, vt ob eruditionem Romae et Athenis ciuitate donaretur, quam ob cauſſam hunc Epicteti diſcipulum virum inter Romanos cumprimis laudatum, ac per omnem vitam in literarum ſtudio verſatum vocat LVCIANVS in Pſeudomante T. I. p. m. 524. His meritis ad varios dignitates et Hadriani gratiam progreſſus, Cappadociae prouinciae praefectus eſt, vbi et arte et marte conſpicuus Xenophontis imitatione contra Romani nominis hoſtes pugnauit, et philoſophiam pariter atque hiſtoriam diligentia ſua valde adiuuit, tandemque Senatorio axiomate ipſiusque conſulatus honore auctus eſt. De eius ſcriptis poſt PHOTIVM et SVIDAM in Arriano T. I. p. 320. videndi VOSSIVS de hiſtor. Graec. L. II. c. 11. p. 214. ſeqq. IONSIVS de Scr. Hiſt. phil. L. III. c. 7. p. 243. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 269. Praeter vitam Epicteti deperditam, quae prooemium forte diſſertationum Epicteti fuit, ſermones eius, quanta potuit accuratione conſcripſit, quorum hodie libri exſtant quatuor, de quorum editionibus conſulendus eſt FABRICIVS loc. cit. p. 246. ſeqq. Maxime vero celeberrimum illud Stoicae ethicae compendium, quod ſub Epicteti enchiridii nomine ambulat, ex eius dogmatibus compilauit, in quod SIMPLICIVS commentatus eſt. Valde commendebant Stoici eiusmodi πράγματα βοηθήματα, ſiue manualia, vid. ARRIAN. L. I. c. 27. L. III. c. 10. SENECA de benefic. L. VII. c. 1. epiſt. 94. ANTONINVS L. III. §. 13. GATAKER. ad h. l.

s) ANTONIN. L. I. §. 7.

t) GELLIVS L. XVII. c. 19.

u) Conf. dicta ſupra de Fauorino et Galeno Sect. III.

x) Adu. indoctum libros ementem T. II. p. m. 767.

laboranti per ſomnum oblatum iri. Niſi haec ex feſtiuo ingenio per iocum finxiſſe Lucianum ſuſpiceris, quam ſuſpicionem firmat aetas Luciani ſub Commodo florentis, et a morte Epicteti nimis remota, vt tamdiu lucernam fictilem ſeruatam fuiſſe integram credibile ſit. Aſt ad homines tamen eius rei teſtes Lucianus prouocat, vnde narrationem hanc in medio relinquimus. Nihil ipſe ſcripſit Epictetus, quae enim ſcripſiſſe dicit SVIDAS, de annotatis diſcipulorum ex ore praeceptoris intelligenda ſunt. Ex illis vero non *enchiridion* tantum collectum, ſed et congeſtae ab ARRIANO *diſſertationes Epicteteae*, quas SIMPLICIVM *commentario* ſyncretiſtico explicuiſſe, *ſectione quarta et quinta* diximus [y]. In his Stoicae ethicae praecepta tanta dicendi virtute et libertate commendauit, vt quid pulchrius in toto porticu ſit, non inuenias. Addi his poſſunt ſententiae et praecepta ſapientiae varia, apud M. Antoninum, Gellium, Auguſtinum, Stobaeum aliosque diſperſa, quae poſt BLANCARDVM [z] collegit Cl. STOLLIVS [a]. In his vero doctrinae moralis Stoicae praeceptis dicta occurrunt, non phraſeologiam tantum Chriſtianam mire referentia, ſed et doctrinam ſacram haud obſcure imitantia, quae occaſionem dedere viris quibusdam doctis, Epictetum inter latentes Chriſtianos, vel Semi-Chriſtianos referendi [b], quod tamen rectius inficiati ſunt alii [c]. Etſi enim negari non poteſt, ſobrie magis philoſophatum ſuiſſe Epictetum, quam Stoicos ceteros, et virilem magis eſſe doctrinam eius, quam reliquorum huius familiae philoſophorum, maſculam quoque eſſe dictionem et naturae humanae conuenientiorem argutiis Senecae, et meteoris Antonini, cuncta tamen, ſi recte ponderentur, a Stoico ſyſtemate non recedunt, et eo tendunt omnia, vt voluntati Dei, id eſt, ineuitabili ordini totius, quae illius prouidentia eſt, animus nullo rei externae deſiderio turbatus vel affectione quacunque motus, ſe ſubiiciat, ſicque ex Deo Stoico et animo omni affectu priuato vera tranquillitas et felicitas exoriatur, et homo toti huic, cuius pars eſt, ſe attemperet. Quae ſplendida quidem ſunt, aſt intus et in cute conſiderata ἄσοφα καὶ ὑπέρσοφα Stoica plurima continent [d]. Quae vero elegantius ſonant, ex ſubdola Chriſtianorum imitatione eſſe profecta, alibi probauimus [e], oſtendimusque, niſi fallimur, luculenter, fruſtra quosdam ex iis Chriſtianae religionis admiſſionem exſculpere. Philoſophiae vero eius ſumma haec veteribus [f] viſa eſt: *ἀνέχου καὶ ἀπέχου, ſuſtine et abſtine.*

§. XIII.

y) Vtimur nos editione WOLFII Col. 1595. 8. de reliquis videndus FABRICIVS l. c.
z) Ad calcem enchiridii a ſe editi.
a) Hiſt. phil. mor. gentil. §. CCXXXVII. p. 512. ſeqq. conf. FABRIC. l. c. p. 268.
b) Vid. Cel. Io. GOTTL. HEINECCII diſſ. de philoſophis Semi-Chriſtianis §. 15. p. 32.
c) Vid. MICH. ROSSAL diſquiſitio de Epicteto, qua probatur, eum non fuiſſe Chriſtianum, Act. erud. Suppl. T. IV. p. 309.
d) Legendae eruditae diſſertationes V. C. LVDOV. CHRIST. CRELLII de ὑπερσόφοις et ἀσόφοις Epicteti, Lipſ. 1711. 1716.
e) In diſſ. de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus, Temp. Helu. T. III. ſect. 2. p. 260.
f) GELLIVS L. XVII. c. 19.

Digitized by Google

§. XIII. Poſt hunc SEXTVS enarrandus eſt, Chaeronea Boeotiae oriundus [g], Plutarchi ex Sorore nepos [h]. Philoſophiam didicit Stoicam, Herodoto Philadelphienſi praeceptore vſus [i], quem ab Herodoto Tarſenſi, praeceptore Sexti Empirici, diſtinguendum eſſe, ex dicendis conſtabit, patebitque, non audiendum eſſe MENAGIVM [k], qui ex vno Herodoto duos exſculptos eſſe, et Philadelphienſem apud SVIDAM ex gloſſemate imperiti lectoris vel audaci quadam manu in textum irrepſiſſe, putat. Hoc vero praeceptore tantam ſibi comparauit Stoicae philoſophiae notitiam, vt dignus videretur, cui inter praeceptores Marci Aurelii locum faceret Antonini Pii cura et ſedulitas [l]. Quanta vero induſtria et dexteritate animi, quamque recto iudicio et egregia voluntate hanc prouinciam Sextus ornauerit, luculento diſcipuli ipſius imperatoris M. Aurelii teſtimonio diſcimus, digno quod totum apponamus, vt quantus praeceptor tanto diſcipulo contigerit, innoteſcat [m]. *A Sexto*, ait, *accepiſſe agnoſco, beneuolum erga alios affectum, familiaeque affectu paterno adminiſtratae ſpecimen: ac de vita naturae conuenienter inſtituenda cogitationem; grauitatem item neutiquam perſonatam, et ſedulam amicorum obſeruationem, et imperitorum eorumque, qui citra conſiderationem opinione mera ducuntur, tolerationem, et mores quibuſuis accommodatos, ita vt, quamuis conſuetudo ipſius adulationem omnem ſuauitate vicerit, in veneratione tamen eisdem ipſis eodem ipſo tempore non minus extiterit, ad haec dilucidam ac methodicam cum inuentionem, tum diſpoſitionem decretorum eiusmodi, quae ad vitam recte inſtituendam conducerent, quodque nec iracundiae, nec perturbationis alicuius indicium exhiberem; ſed quum affectibus immunis prorſus exiſterem, ad affectum tamen genuinum eſſem propenſiſſimus; fauere promtus, ſed ſine ſtrepitu, varieque, citra oſtentationem eruditus.* Mirum itaque non eſt, ad tantum talemque praeceptorem ſtudioſe in aedes Romano more commigraſſe M. Aurelium, ſed et adultum atque iam imperii axiomate condecoratum Sextum frequentaſſe [n]. Aſt impetrare a nobis non poſſumus, vt credamus, vera eſſe, quae narrat PHILOSTRATVS [o]: Lucium ſophiſtam, qui Romam modo aduenisſet, imperatorem Marcum domo egreſſum rogauiſſe, quo pergeret, et ad quod negotium? Tum Marcum reſpondiſſe: *Seni etiam diſcere decorum eſt, ideo ad Sextum philoſophum vado, vt diſcam, quae nondum ſcio.* Lucium igitur, manu in coelum ſublata dixiſſe: *O Iupiter! Romanorum imperator, iam ſeneſcens, tabellis e zona ſuſpenſis, ad ludi magiſtrum pergit, vt pueri: Alexander vero, rex meus, triceſimo ſecundo aetatis anno*

Sextus Chaeronenſis.

g) SVIDAS in Sextus T. III. p. 299. CAPITOLIN. in Marco c. 3.
h) Ibid. APVLEIVS metam. c. 1. EVTROP. L. VIII. p. m. 525. DIO L. LXXI. THEMIST. Orat. II. p. 145.
i) SVIDAS l. c.
k) Ad LAERT. L. IX. §. 116.
l) citati.
m) De ſe ipſo L. I. §. 9.
n) Ibid.
o) Vit. Sophiſt. L. II. c. 1. §. 9. p. 557. ex quo repetiit SVIDAS in Marcus T. II. p. 501.

interiit. Itane vero Romanorum imperatorem iam ſenem δέλτον ἐξαψάμενον, id eſt ſuſpenſis e laeuo lacerto tabellis, quod pueri Romani in ludum prodeuntes literarium ſolebant [p], ad ſcholam Sexti properaſſe, ſanus quis crediderit? Et annon iocus hic eſt illorum egregie mordens, qui indignati, Antoninum philoſophi habitum induiſſe, paedagogicos ipſi et ſcholaſticos mores obiicere voluerunt? Magis veriſimile eſt, quod SVIDAS [q] refert: in tanto honore Sextum apud imperatorem fuiſſe, vt vna cum eo ius diceret. Additur et hoc apud Suidam: *Poſt Commodi mortem quendam ſe Sextum dicere auſum eſſe, facultatesque et dignitatem eius ſibi vindicare, eumque a multis ſaepe interrogatum ſcite reſpondiſſe. Sed cum Pertinax nonnulla ad eruditionem Graecam, cuius ille rudis erat, pertinentia ex eo quaereret, longe a ſcopo aberrauiſſe, cum quid diceret, ne intelligere quidem poſſet. Adeo natura quidem vultum ei ſimilem habuiſſe, ceteriſque in rebus arte eum retuliſſe, doctrina vero eadem excultum non fuiſſe.* Aſt fallit nos more ſuo Suidas, qui homines inter ſe diuerſiſſimos confudit, et exſcriptorum ſuorum, ſuaque negligentia, quae ex DIONE [r] transtulerat, ad Sextum philoſophum retulit, quae de Sexto alio, Maximi filio, Romano intelligenda ſunt; qui vt inſidias et ſaeuitiam Commodi euitaret, ex lapſu equi ſe periiſſe ſimulauit, cumque id innotuiſſet, fruſtra ab imperatore, multis etiam interfectis, qui eius ſimilitudinem quandam referebant, quaeſitus eſt: id quod impoſtori huic occaſionem dedit ſub Pertinace perſonam Sexti fingendi, quem tamen ex Graecae linguae ignorantia falſum eſſe detexit Pertinax, cum eam in Syria didiciſſet Sextus. Verum homonymorum confuſionem in Suida frequentiſſimam eſſe, nemo ignorat, nosque innumeris iam exemplis probauimus, vnde eum non moramur. Aſt monendus lector eſt, caueat aliam confuſionem, quae Sextum Chaeronenſem et Sextum Empiricum inter ſe miſcuit, quaeque viros etiam ſummos et ſatis alias accuratos, IS. CASAVBONVM [s], PETRVM GASSENDVM [t], FRANC. PATRICIVM [u], aliosque non minoris eruditionis viros [x] decepit, quos non vidiſſe diuerſitatem inter vtrumque philoſophum merito miramur, cum ſatis perſpicuae ſint circumſtantiae, quae eos inter ſe diſtinguunt, et ſolus fere SVIDAS ſcriptor valde inaccuratus et negligens huius confuſionis cauſſa ſit. Qui tamen Sextum Chaeronenſem, quem Scepticum inepte vocat, a Sexto Empirico ipſe poſtea diſtinguit, et ſupinam, quam admiſit, negligentiam in prima verborum eius inſpectione prodit.

p) Noluit in Flaui ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti
Laeuo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto
Ibant. HORAT. L. I. ſat. 6.

q) In Sextus l. c.
r) L. LXXIII.
s) Ad Laërt. l. c.
t) In epiſt. ad Valeſ. p. 139.
u) Diſcuſſ. Peripat. p. 139.
x) GEN. HERVETVS praef. ad Sext. Emp. VOSSIVS de philoſoph. p 99. IAC. SPONIVS autem Miſc. erud. antiq. p. 140. et M. MEIBOMIVS ad Laërt. L. IX. itemque GRONOVIVS T. III. theſ. antiq. Graec. Sexti Chaeronenſis imaginem cum vultu Sexti Empirici confuderunt.

Digitized by Google

prodit. Nec difficile, ipſo Suida vti ad oſtendendum vtriusque philoſophi diſcrimen. Sextus enim Empiricus, eo tradente, Afer fuit; Plutarchi ex ſorore nepos Chaeronenſis ex Boeotia. Illum Pyrrhonium fuiſſe, ex Suida et ipſis illius ſcriptis conſtat, ex quibus etiam diſcimus, more Scepticorum vbique infenſum Stoicis ſe praebere eosque refellere. Sextum autem Chaeronenſem Stoicam philoſophiam doctrina et vita expreſſiſſe, vel ex vno Antonini loco ſupra adducto ad oculum patet, Stoicumque fuiſſe diſerte tradit CAPITOLINVS [a]. Sed praeceptores quoque vtriusque differunt, Tarſenſem enim Herodotum audiuit Scepticus, Philadelphienſem Stoicus, teſte Suida. Quin et tempora non ſatis congruunt. Sextum Empiricum enim ſerius, forteque poſt Galenum, vixiſſe, infra probabimus, Chaeronenſem autem ante Galenum vixiſſe oportet: Galenus enim vltimis demum Marci imperatoris annis Romam venit. Recte itaque opinionem hanc ipſe deſeruit CASAVBONVS [b], quem viri docti paſſim ſecuti ſunt [c]. Neque tanti eſſe, quae pro ea adſtruenda attulit illuſtris HVETIVS [d], vt eam nobis perſuadeant, infra in Sexti Empirici hiſtoria oſtendemus. Ceterum de Sexto Chaeroneo nihil hodie legimus, niſi diſputationes Antiſcepticas, quae Sexti Empirici operibus adiungi ſolent, ad eum referamus, quod ſatis veriſimiliter fecit Cel. FABRICIVS [e]. Eorum enim argumentum tale eſt, vt Stoico omnino conueniat. Cum enim contra porticum maxime pugnauerit Sextus Empiricus, quae ſcilicet comprehenſionem quam maxime vrgebat, conueniens fuit homini Stoico, eodem argumenti genere, quo vſus eſt Empiricus ad ἀκαταληψίαν demonſtrandam, contrarium euincere, et καταληπτικὰ illa eſſe, quae comprehendi non poſſe is clamauerat, oſtendere, ſicque Zenonis placita defendere. Aſt cum Sextum hunc Chaeronenſem in eiusmodi philoſophandi genere verſatum fuiſſe ex verbis Antonini ſupra adductis manifeſtum ſit, quibus imperatorem didiciſſe ab eo τὸ καταληπτικῶς καὶ ἐδῶ ἐξεργαστικόν τε καὶ τακτικὸν τῶν εἰς βίον ἀναγκαίων δογμάτων dicitur, non ſine veriſimilitudine coniicimus, hanc Sexti Chaeronenſis demonſtrationem καταλήψιας, occaſionem dediſſe Empirico, eodem modo contrarium aſſerendi, ideoque vtriusque Sexti ſcripta iunxiſſe veteres, vt occaſio Empirico enata ſcribendi pateret, id quod poſtea anſam vtrumque confundendi Sextum exhibuit. Sed in re prorſus incerta nihil definimus, ſed ad diſcipulum Sexti, purpuratum philoſophum M. Aurelium Antoninum properamus.

§. XIV.

a) loc. cit.
b) Ad l. c. Capitolini.
c) Commentatores ad Laert. IX. ſ. 116. GATAKER. ad l. c. Antonini, Io. RVALDVS in vita Plutarch. c. 5. IONSIVS de S. H. phil. L. III. c. 12. p. 275. KVSTER. ad l. c. Suidae OLEAR. ad l. c. Philoſtrati, FABRIC. ad Sext. in proleg. TILLEMONT. Hiſt. imperat. in Aurel. art. 32.
d) De la foibleſſe de l'eſprit humain L. I. c. 14.
e) Bibl. Gr. Vol. XII. p. 617. H. STEPHANVS Pythagoreo cuidam ſine probabilitate tribuit.

M. Aurelius Antoninus.

§. XIV. Vitam vero magni imperatoris enarraturis animus non eſt, totam geſtarum ab eo rerum hiſtoriam, imperiique, cuius habenas ille rexit, fata exponere: haec enim et prolixa nimis ſunt, et aliena a noſtro inſtituto, quod philoſophorum tantum et philoſophiae hiſtoriam ediſſerit. Quare eos, qui haec ſitiunt, Romanae hiſtoriae ſcriptores adire oportet, quos alibi [c] recenſuimus, iudiciumque de eorum fide interpoſuimus. Nos ad eas tantum Antonini circumſtantias reſpiciemus, quae ad priuatam eius vitam pertinent, quaeque nobis Stoicum philoſophum, cuius perſonam tuendam ſuſceperat, ſiſtunt. Cui fini tamen inſeruiunt non leuiter vitae eius deſcriptiones, quae paſſim apud veteres [e], et recentiores [f] occurunt, eae enim illa quoque tangunt, quae propius ad ſcopum noſtrum collineant. Marcus Aurelius Antoninus, princeps virtute, prudentia, doctrina et pacis bellique artibus plerisque Romanorum imperatoribus anteponendus, et generis vetuſtate et maiorum gloria parem ſuo tempore non habuit. Paternam enim originem a Numa Pompilio, maternam a Salentino rege pependiſſe ait EVTROPIVS [ff]. Proauum vero, auumque et patrem ſummis in republica honoribus perfunctos eſſe tradit CAPITOLINVS. Pater in praetura decedens vnicam reliquit filiam Anniam Cornificiam, filiumque vnicum Annium Verum, qui M. Aurelii poſtea nomen aſſumſit. Editus eſt in lucem Romae A. V. C. IↃCCCLXXII. qui cum A. C. CXXI. coincidit, initioque aui ſui, Catilii Seueri nomen accepit. Poſt obitum vero patris ob veritatis ſingularem prorſus amorem Annii Veriſſimi nomen, iubente ita Hadriano, retulit: quod tamen ſumta virili toga, cum genitoris Annii Veri nomine iterum commutauit, tandemque in Aureliam gentem adoptionis iure aſcitus M. Aurelius dictus eſt. Patre mature illi erepto in domo aui ſui, Veri educatus eſt, qui puerum natura grauem, teſte CAPITOLINO [g], vbi egreſſus erat annos, qui nutricum fouentur auxilio, illis doctrinis artibusque imbui ſedulo curauit, quibus tenera aetas ad magna quaeuis formari initio ſolet. Quam inſtitutionem praeceptorum eruditiſſimorum ſummeque fidelium ipſe Marcus magnopere praedicat, Deorumque fauorem in naturae et doctrinae muneribus largiendis

d) In praef. ad DE SERVIIS vitas vxorum imperat. a nobis Germanice verſas.

e) Praeter Xiphilinum, Herodianum, Victorem vtrumque, Eutropium et Zonaram, inaxime conſulendus IVLIVS CAPITOLINVS, cui pleraque de M. Antonino et L. Vero debemus, quorum vitas expoſuit. Ipſe vero Antoninus, ſtudiorum ſuorum hiſtoriam egregiam in prooemio commentariorum ſuorum nobis tradidit, quam doctis obſeruationibus illuſtrauit THOMAS GATAKERVS.

f) Euolui non ſine fructu de M. Aurelii Antonini hiſtoria poſſunt NANVS TILLEMONTIVS in hiſtoria imperatorum, et GVIL. WOTTONVS in Hiſtoria Romani imperii, quarum illa Gallico, haec Anglico idiomate exarata eſt. Vitam vero ipſam imperatoris prolixe expoſuit et verſioni Gallicae commentariorum Antonini praefixit ANDREAS DACIERIVS, quam auxit emendauitque et Latinam fecit GEORGIVS STANHOPE, praemiſſam Londinenſi comm. Ant. editioni 1707. 4. Huius exemplum ſecutus eſt Io. ADOLPHVS HOFMANNVS in Germanica verſione, et Cl. CHR. WOLLIVS in noua Lipſienſi editione Graeco-Latin. 1729. 8. Alios vbique occurrentes tacemus.

ff) L. VIII. p. m. 524. XIPHILIN. in Anton. CAPITOLINVS l. c.

g) c. 2.

Digitized by Google

giendis maxime extollit [h], et concurriſſe omnia, quae animum ipſius ad pulchra quaeuis formare poſſent, grato in ſuperos animo agnoſcit atque fatetur. Ait enim [i]: *Accepiſſe ſe ab auo mores candidos et ab iracundia alienos, a fama genitoris modeſtam ac maſculam indolem, a matre pietatis ſtudium et largiendi promtitudinem, continentiamque a malo patrando et cogitando, victus item ſimplicitatem, a proauo, quod bonis praeceptoribus priuatim ſit vſus cum impenſa, ab educatore, vt labores ſuſtineret, minimo contentus ageret, operi manus admoueret, negotiis alienis ſe nequaquam immiſceret, nec delationem vllam facile admitteret.* Et ſimilia quoque de praeceptoribus praedicat, quae poſtea enarrabimus. Tantis itaque naturae beneficiis et virtutis exemplis cum inſtructus eſſet Marcus Aurelius, non potuere non praeceptores tanquam in agrum foecundum, eruditionis et virtutis ſemina ſpargere laetiſſima. Elegit vero aui prudentia ad perpoliendum eius animum viros eius aetatis doctiſſimos et in arte ſua celebres. Vſus enim eſt magiſtris ad prima elementa Euphorione literatore ſiue grammatico [k], Gemino comoedo eius temporis famigeratiſſimo ad venuſte pronunciandi morem, Androne ad muſicam et geometriam diſcendam. Grammaticae Graecae praecepta illi tradidit Alexander [l], Latinae Troſius, Aper, Pollio [m], et Eutychius Proculus Africanus: Oratoribus vſus eſt, Annio Marco, Caninio Celere, et Herode Attico, qui, quanta libertate dicendi apud imperatorem valuerit, quoque erga eum animo vſus ſit Marcus, memorabili exemplo narrat PHILOSTRATVS [n]. Eo auctore [o], quem ſequitur SVIDAS [p], Marcus etiam Hermogenem audiuit; quindecim enim annos natus, eo vsque prouectus eſt eloquentiae gloria, vt etiam imperatori Marco deſiderium excitauerit audiendi

h) Pulchre L. I. §. 17. „Diis acceptum fero, „quod bonos auos, bonos parentes, bonam ſo„rorem, bonos praeceptores, bonos familiares, „neceſſarios, amicos, bona omnia fere habue„rim.„ Ira et porro bona quaeuis in vita ad Deos gratiſſimus refert.

i) L. I. §. 1. ſeq.

k) Euphorionis grammatici meminit etymologicus, et ex eo FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. VII. p. 61. verum vero Antonini praeceptor is fuerit, incertum.

l) Ex optimis et doctiſſimis grammaticis Graecis Alexander fuit, Cotyaeo Phrygiae oppido oriundus, clarusque diſcipuli Ariſtidis eloquentia, quam formauit, qui eius quoque laudes poſt mortem publica oratione, quae hodie T. I. Orat. XII. p. 142. exstat, depraedicauit, communemque Graeciae praeceptorem, et vberrimum atque omnibus patens eruditionis gazophylacium appellare non dubitauit. Didiciſſe ſe ab eo ait ANTONINVS L. I. §. 10. increpationibus abſtinere, nec probroſe excipere, ſi quis barbarum quid vel ſoloecum vel abſonum protulerit, ſed illud tantum, quod dici debuerat, recte proponere, et de errore oblique commonefacere. Alius Alexander Grammaticus Mileſius Cornelius dictus, qui Syllae temporibus vixit.

m) Hic Pollio eſt, quem de Muſonii dictis et factis memorabilibus ſcripſiſſe ſupra diximus. Conf. SVIDAS in Pollio T. III. p. 164. IOANNES de Script. hiſtor. philoſ. L. III. c. 7. p. 246.

n) De vit. Sophiſt. L. II. c. 1. p. 561.

o) c. 7. p. 577.

p) In Hermogenes T. I. p. 861. Dedit excerpta de vita Hermogenis ex ſcholiis eius inſc. in c. 1. libri περὶ εὑρέσεως, Ce. OLEARIVS ad l. c. Philoſtrati, ex quo patet, frequenter eius exercitiis interfuiſſe Marcum. XVII annos natus illum librum exarauerat, et XXIII anno de ideis ſcripſit, anno vero aetatis XXV artis oblitus eſt, nullo comparente morbo. Hinc dictum Antiochi Sophiſtae: *Hermogenes in pueritia ſenex, in ſenectute puer.* Plura de eo dabunt hiſtoriae rhetoricae ſcriptores, et qui ſcripta eius enumerat Cl. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. p. 428.

Hermogenem, isque perrexerit ad illum auſcultandum illoque delectatus ſit differente, eumque ex tempore declamantem ſit admiratus et ingentia munera largitus. Romanae vero eloquentiae praeceptorem et ducem habuit Cornelium Frontonem [q], inter maximos ſui temporis oratores numeratum [r], quem ob grauitatem valde laudat HIERONYMVS [s] et SIDONIVS [t], auctor autem panegyrici Maximiniano dicti, *Romanae eloquentiae non ſecundum ſed alterum decus*, nominat, vt Ciceroni parem eſſe diceret: cuius tamen orationis genus ſiccum fuiſſe ait Euſebius apud MACROBIVM [u]. Huic ex praeceptoribus multum detuliſſe ait CAPITOLINVS [x], et ſtatuam ipſi in ſenatu petiiſſe: dignitate vero conſulari a Marco fuiſſe ornatum AVSONIVS [y] auctor eſt. Aſt Frontonem hunc non ob eloquentiam tantum ſibi commendatum habuiſſe imperatorem, ſed ob vitae quoque imaginem, quam is exhibebat, ipſe non negat, faſſus [z] „didiciſſe ſe a Frontone vt ſciret, quae inuidentia, „verſutia, ſimulatio tyrannidem conſequatur, quodque vt plurimum, qui „patricii nuncupentur, a pietate et affectu naturali alieniores ſint.„ His doctoribus quamuis ad egregia quaeuis in ſcientiarum, quae ab humanitate nomen ſortiuntur, ſtudio eſſet formatus, ad altiora tamen adſpirauit adoleſcentis ingenium ad excelſa natum, et naturali propenſione grauitatem eruditionis ſectans, hincque philoſophiae ſe dicauit, quam in republica moderanda muneribusque cum laude gerendis valere plurimum intelligebat. Quam cum Stoica familia poſſidere eo tempore crederetur, cui ſe plerique viri magni, qui feliciter reipublicae praefuerant, addixerant, huius potiſſimum ſectae decreta diſcenda ſibi propoſuit, praeceptoresque in hunc finem ſibi elegit Stoicos. Cuius rei ſibi ſtudium primum excitauiſſe Diognetum ipſe ANTONINVS [a] ſcribit, cui ſe debere ait, „quod philoſophiae ſe addixerit, quodque Bacchium primum, tum Tan„dafidem et Marcianum audiuerit [b], quod dialogos, puer adhuc, con„ſcripſerit, quodque pro ſtratis grabatulum ac pellem expetiuerit, cete„raque inſtitutionis Graecanicae adminicula.„ His ducibus in Stoica ſapientia paulum prouectior Sexto Chaeroneo [c], Iunio Ruſtico, Claudio Maximo, et Cinnae Catullo Stoicis in diſciplinam ſe tradidit. Inter quos prae-

q) l. c. DIO L. LXXI.
r) DIO L. LXIX.
s) Epiſt. ad Ruſticum.
t) L. IV. epiſt. 3.
u) Saturnal. L. V. c. 1.
x) loc. cit.
y) in grat. act. ad Gratian.
z) L. I. §. 11. conf. GATAKER. ad h. l.
a) L. I. §. 6.
b) Valde incertos hic locus tenuit viros doctos, qui iſti philoſophi fuerint, cum nec in Capitolino nec alibi eorum fiat mentio. Vnde in eam deſcendere ſententiam critici acuti Is. CASAVBONVS ad l. c. Capit. et TH. GATAKER. ad l. c. Antonini, corrupta eſſe haec nomina, et pro Tandafide ponendum, Androne, pro Marciano Moecianum. Alii Baſilidem ſubſtituunt, quem Marco praeceptorem extitiſſe ait EVSEBIVS ad Olymp. CCXXXI. vbi ait: Apollonium Chalcidenum, et Baſilidem Syropolytanum (pro quo Scythopolitanum legendum, vid. RELAND. Palaeſt. L. III. p. 998.) Marci praeceptores fuiſſe, quem ſequitur Georgius Syncellus et Marianus Scotus, ad quos prouocant GATAKERVS l. c. et FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. II. p. 62. Aſt hic quoque Baſilides adeo ignotus eſt, vt, an fuerit vnquam, ferme dubitauerit HERMANNVS act. phil. Vol. III. p. 115.
c) Dictum de eo §. antecedente.

praecipue Iunium Ruſticum, cum Iunio Ruſtico ſeniore, (quem ob vitam Thraſeae Paeti interfectum eſſe ſupra monuimus, quemque huius parentem fuiſſe coniicit IONSIVS [d]) non confundendum, maxime reueritus eſt atque ſectatus, teſteque CAPITOLINO [e], quod domi militiaeque polleret, et Stoicae diſciplinae peritiſſimus eſſet, cum eo omnia communicauit publica priuataque conſilia, eique etiam ante praefectos praetorio ſemper oſculum dedit, et conſulem iterum deſignauit, et poſt obitum a ſenatu ſtatuas poſtulauit. Dignum vero his honoribus fuiſſe, ipſe ſatis prodit, talem nobis in Iunio philoſophum delineans [f], qualem exoptauerit ſibi quilibet, qui philoſophiam vitae cauſſa addiſcendam ſtatuerit. „Ait enim: Accepiſſe ſe a Ruſtico, quod in eam cogitationem deueneerit, correctione et emendatione indigere ſe, quodque ad aemulationem „ambitionemque ſophiſticam nullus declinauerit, quod item rhetoricae, „poeticae, et dictionis elegantioris ſtudiis abſtinuerit: ne togatus intra „aedes obambularet, neue eiusmodi alia, quae faſtum ſaperent, faceret: „epiſtolas etiam ſimpliciter ſcriberet: ad haec vt placabilis et reconcilia„tu facilis eſſet aduerſus eos, qui offenſionis cauſſam dederint, aut deli„querint aliquid, ſimulatque illi in gratiam redire voluerint: porro vt ac„curate legeret, nec comprehenſione ſummaria contentus eſſet, nec gar„rulis quibusue temere aſſentiretur. Tandem debere ſe huic, quod Epi„cteti commentarios legerit, quorum is e domo ſua copiam ſibi fecerit. „Eiusdem fere generis philoſophum Maximum fuiſſe prodit; accepiſſe ſe „enim ab eo, ſui compotem eſſe, ait [g], nec vlla in re transuerſum abripi, „ſed et animo bono eſſe, cum in morbis, tum in aliis caſibus aduerſis; „moribus eſſe probe temperatis, ſuauibus, verendis, negotia obiecta ci„tra quiritationem conficere. Laudat etiam eum, quod ita ſe geſſerit, vt „fidem quibusuis faceret, quaecunque diceret, ex animi ſententia dixiſſe, „quaecunque faceret, animo haud malo feciſſe. Didiciſſe porro ab eo, „nihil admirari, ad nihil obſtupeſcere, nusquam feſtinum aut ſegnem eſſe, „nusquam perplexum aut deiectum, aut ringi ſolitum, nec rurſus iracun„diae aut ſuſpicionibus deditum, adhaec benefacere promptum et igno„ſcere, veracem item eſſe et peruerti neſcium, nec qui corrigi opus ha„beret. Quin et hoc inter laudes eius refert, quod nemo quisquam in„uentus ſit, qui vel contemtui ab illo ſe haberi exiſtimaret, vel praeſtan„tiorem ſe illo opinaretur; quodque vrbanitatis laudem nunquam affecta„uerit.„ Ex qua Maximi imagine facile iudicari poſſe putamus, recte feciſſe Capitolinum, qui Maximum inter Stoicos retulit, fallique eos [h], qui hunc Maximum, Tyrium illum fuiſſe autumant, de quo ſupra inter Platonicos mentio facta eſt: praeſertim cum tempora non concordent: Maximum enim Tyrium ſub Commodo Romam veniſſe [i] ſupra demonſtra-

d) l. c. p. 371.
e) l. c. c. 3.
f) l. l. §. 7.
g) loc. cit.
h) Praeiuit in errore EVSEBIVS in Chron. quem exſcripſere Syncellus et Marianus Scotus; ſecuti ſunt Ios. SCALIGER. ad Euſeb. et IAC. CAPELLVS Cent. II. Hiſt. eccleſ.
i) Vid. SVIDAS in Max. T. II. conf. GATAKER. ad Ant. l. 15. p. m. 25.

uimus. In eandem vero morum probitatem maximi ingenii rectaeque voluntatis adolescenti inspirandam ceteros quoque philosophiae magistros conspirauisse, ipse non negat. Habere se enim, ait [k], a Catulo, ne in„super haberet amicorum querimonias, etiamsi ratio earum nulla subes„set, sed in statum ipsos priſtinum restituere anniteretur, vt praeceptores „promte impensequc praedicaret, liberosque suos affectu sincero prose„queretur.„ Tantis ducibus vsus Antoninus philosophus, mirum non est, mature puerum vix duodecennem Stoicum philosophum expressisse. Quamuis vero, animi propensione praeter modum graui et seuera Stoicam potissimum disciplinam sequendam sibi statuisset, non recusauit tamen, more seculi sui, aliarum quoque sectarum audire philosophos, vt, quae illi philosophiae praecepta traderent, cognosceret. Peripateticae itaque doctrinae callentissimum, Claudium Seuerum [l] praeceptorem habuit, et in Platonica philosophia Alexandrum [m], quem ipse quoque laudat, quod „ab eo acceperit, ne crebro neue necessitatibus adactus, aut dicto aut scri„pto significaret alicui, non vacare se: neue hoc modo sub negotiorum „distinentium praetextu officia ea, quae vitae huius necessitas a nobis „exigunt, solens desereret.„ Stoicae vero philosophiae manuductione ad iurisprudentiam Romanam vsus, praestantissimum iuris Romani interpretem Lucium Volusianum Moecianum [n] audiuit. Sed et operam pingendo, teste CAPITOLINO [o], sub magistro Diogneto dedit. „Laudat „hunc Diognetum imperator, quod ab eo didicerit, ne rebus inanibus „studium impenderet, neue eis fidem adhiberet, quae a praestigiatoribus „magisque de daemonibus auerruncandis, de incantationibus aliisque eius„modi impostoris dicuntur: ne coturnices ad pugnam aleret, neue rebus „eius-

k) L. I. §. 13.

l) Seueri praeceptoris non meminit Antoninus, sed fratris Seueri, L. I. §. 13. ast fratrem Marci adoptione, non genere Verum fuisse DIO et CAPITOLINVS testantur. Vnde pro Seuero Verum reponendum esse iudicat IOS. SCALIGER ad Euseb. et Cl. SALMASIVS ad l. c. Capitolini. Acute vero monuit GATAKERVS, cum Verus ille vitae impurissimae et flagitiosissimae fuerit, moribusque perditissimis et profligatissimis, non videre se, qui potuerit in tam foetido faeculentoque sterquilinio virtutum istiusmodi seges vlla, nedum tam ampla quam istic depingitur, deprehendi. Mauult itaque, intelligi hic Claudium Seuerum, Peripatericae philosophiae διαδόχον, praesertim cum nullibi eius alio loco mentionem faciat. Ast cur ἀδελφὸν vocat? et cur ita infra hoc nomen reperit? Pro desperato itaque hunc locum habet criticus acutus. Nec acu rem tangit DACIERIVS, qui fratris instar Marcum amauisse Seuerum putat: hoc enim verbis Antonini non satisfacit.

l) Cum inter philosophos multi Alexandri fuerint, difficile statui potest, quis ille Alexander fuerit? Alexandri cuiusdam Platonici, qui Peloplcton dictus est, et de quo memorabilia quaedam tradit PHILOSTRATVS de vit. Soph. L. II. c. 5. p. 570. supra meminimus. Hunc inter praeceptores Marci reponendum esse putat GATAKERVS ad l. c. Ant. Ast inuito hoc fit Philostrato. Is enim narrat: „Virilem aetatem cum „attigisset, legationem obiisse pro Seleuciae pa„triae emolumentis ad Antoninum primum,' sed „ob ornatum femineum contemtum esse, Marcum „vero postea inter Pannonicas gentes versatum, „eum ad se demum vocasse, vt ipsi ab epistolis „Graecis esset.„ Ita vero Marco iam regnanti demum innotuit, aliusque fuit Alexander Platonicus ab illo Sophista, qui in philosophia parum excellebat, quamuis esset orator disertissimus. Addi vero Platonicorum catalogo Alexander Marci praeceptor potest apud FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. II. p. 52.

m) De eius libro: de asse eiusque partibus, quem suis notis illustratum cum HOTTOMANNO de re nummaria edidit ELVINETVS, Par. 1565. et GRONOVIVS libro de sestertiis et GRAEVIVS thes. antiqq. Rom. T. XI. inseruit, vid. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 817. de ICto hoc ipso MENAG. amoen. iur. c. 5.

n) L. I. §. 6.

Digitized by Google

„eiusmodi animum adiiceret, vtque libere dicta aequanimiter sustineret, „eidemque debere se, quod philosophiae animum adiecerit.“ Conuenire haec magis philosopho, quam pictori, quilibet videt, id quod maximos viros IOSEPHVM SCALIGERVM et CLAVDIVM SALMASIVM[o] commouit, vt inter Diognetum philosophum et pictorem distinguerent. Recte vero, nisi fallimur, monuit GATAKERVS[p], Marcum philosophum Diognetum nullum appellare, et potuisse pictorem eum ad philosophiae studium impellere, monitaque eiusmodi illi suggerere, etiam qui philosophiam non esset professus: sed nec pingendi artificium quicquam impedire, quo minus et philosophiam profiteretur, eadem saltem imbutus fuerit, cum inter disciplinas liberales pictura quoque olim haberetur. Nec his obstat, quod VOSSIVS[q] vult, apud Romanos exiguum pingendi arti honorem fuisse, vt mirandum non sit, si pauciſſimi eam exercuerint: nam hoc non inde profectum, quod Romani putauerint, infra suam dignitatem esse, si pingerent; sed quod cum armorum studiis prudentiaeque ciuilis atque eloquentiae artibus id commode stare non posse crederent, quippe quae tantum otii, quantum ad pingendi artem requiritur, non relinquant, quodque aliis studiis vtendum esse statuerent, quibus ad dignitates liceret grassari. Neque tamen vel seruilem fuisse, vel sine honore iacuisse inter nobilitatem Romanam artem pingendi, vel vnius C. Fabii, Marci filii exemplo constat[r], qui cum patricia gente ortus esset, teste PLINIO aedem Salutis pinxit, indeque Pictoris cognomen familiae intulit primus. Nec aliis quoque exemplis destituimur, quibus constat, homines ingenuos et philosophiae simul et arti pictoriae vacauisse: cuius exemplum cum ex Eunapio supra retulerimus[s], longius ab instituto nostro hoc in argumento digredi opus haud est. Diognetum itaque *πρὸς τῷ καθαρῷ τῆς ἄλλης παιδείας κατὰ γραφικὴν φιλοσοφῆσαι*, vt EVNAPII[ſſ] phrasi vtamur, id est, *philosophiae studio, quod mentem purgat, artem quoque pingendi adiecisse*, nulli dubitamus. Ita vero culturae animi vbi prospectum erat, ad corpus quoque exercendum artes adhibitae, venationes, palaestrae reliquaque iuuentutis exercitia, inter Graecos pariter et Romanos vsu recepta, pugilatus, cursus, pilae lusus[t]. Addit DIO[u] apros etiam venatum iuisse, atque cum his saepe ferociſſimis conflixisse non sine admiratione omnium, scribit. Eiusmodi enim exercitationibus non robur tantum corporis acquiri, sed id ad tolerantiam quoque, quam Stoica philosophia maxime commendabat, idoneum firmumque reddi, statuebat. Veritatis tamen et virtutis studium cum rebus omnibus anteponeret, facile ab his omnibus eum abduxit philosophia, quam adamare coeperat Stoica, quam animi contentionem valde augebat natu-

o) II. cc.
p) Ad l. c. Antonini.
q) De quatuor artibus popular. c. V. §. 56. p. 83. seqq.
r) L. XXXV. c. 4.
s) Sect. IV. in Prisco, Hilarium in vtroque genere excelluisse ait EVNAPIVS l. c.
ſſ) Ibid.
t) CAPITOLIN. c. 4.
u) loc. cit.

naturalis conſtantia et grauitas, quae puero adhuc inerat [v]. Duodecimum itaque ingreſſus annum, relictis, quibus patriciae gentis adoleſcentes tenebantur, voluptatibus habitum Stoici philoſophi ſumſit [w], et pallium indutus humi cubuit, vixque a matre eo perductus eſt, vt inſtrato pellibus lectulo accubaret [x]. Qua ratione oſtendit, tolerantiam Stoicam, et auſteritatem diſciplinae Zenonianae illi vehementer arriſiſſe [y]. Et diligentiorem quidem attentioremque ad ſapientiae praecepta diſcipulum porticum habuiſſe nunquam in confeſſo eſt, in cuius laudibus id potiſſimum ponendum, quod non tantum ad acquirendam philoſophiae cognitionem omnem, quam potuit, adhibuit operam laboremque, ſed praeceptoribus etiam vſus praeſtantiſſimis, cuncta, quae vel ex praeceptis eorum vel exemplis didicerat, in eum collineare ſcopum iuſſit, vt in vita optimos mores virtutemque viuam exprimeret: quod qua ratione a praeceptoribus acceperit, ipſum iam confitentem audiuimus. Quam animi non ſcholae vel oſtentationi, ſed vitae et emendationi philoſophantis praeſtantiam iure ſuo laudibus extulerunt veteres [z] et recentiores [a] docti bonique omnes. Quanti vero eruditionem atque ſapientiam optimis praeceptoribus ducibus hauſtam fecerit, nulla re magis prodidit, quam honoribus, quibus praeceptores proſecutus eſt Iunium enim Ruſticum et Frontonem ad Conſulatus dignitatem euexiſſe, et poſt mortem ſtatuis honoraſſe, ſupra ex Capitolino retulimus, qui addit: tantum honoris magiſtris ſuis detuliſſe, vt imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulchra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper ornaret. Tantis vero et naturae dotibus et artium atque philoſophiae ornamentis cum condecoratum haberet iuuenis optimus animum, et, vt nobilitate alios ſuperabat, ita literarum optimarum cognitione, artiumque et ſcientiarum praeſtantia omnes anteiret, commouit praeclara virtutis in adoleſcente lucentis indoles Hadrianum imperatorem, vt eum acerime diligeret, ſibique iungi et a ſe pendere iuberet, adeo vt in gremio Hadriani educatum dicat CAPITOLINVS [b]. Cuius tanta in eum fuit gratia, vt per omnes honorum gradus eum extolleret, et honore atque publicis

v) CAPITOLINVS c. 2. EVTROPIVS L. VIII. p. m. 585. SVIDAS in Marcus T. II. p. 501. Aſt valuiſſe ſemper hanc naturalem indolem ſeueram ad amplectendam Stoicam diſciplinam, Zenonis, Catonis Vticenſis, aliorumque exempla demonſtrant.

w) Ibid.

x) De lectulis lucubratoriis hoc intelligendum, quibus pelle inſtratis philoſophi ſtudebant, SVETONIVS in Aug. c. 78. SENECA ep. 72. OVIDIVS Triſt. L. I. eleg. 10.

Non haec in noſtris, vt quondam, ſcribimus horris,
Nec conſuete meum lectule corpus habes.

Scilicet in illis lectulis ſcribebant, ſuper femore collocata charta, non vt nos in pluteis vel menſis, conf. CASAVBON. ad l. c. Sueton. Verus autem, Diogneto auctore, pro ſtratis grabatulum et pellem Graecanico Stoicorum inſtituto commendauit, vt ait ipſe L. I. §. 7. De eiusmodi ſcimpodio Graecienſi vide etiam GELLIVM L. XIX. c. 10.

y) Duriter habitos fuiſſe apud Stoicos iuuenes philoſophiae operam nauantes, ex PERSIO conſtat, qui Sat. III. v. 52. ſ. qq.

Quaeque docet ſupiens braccatis illita Medis
Porticus inſomnis quibus et detonſa iuuentus
Inuigilat, ſiliquis et grandi paſta polenta.

conf. CASAVBON. ad h. l.

z) CAPITOLINVS c. l. EVTROPIVS l. c. VICTOR. in M. Ant. p. m. 354. DIO l. c. SVIDAS l. c. HERODIANVS L. I. et veteres fere omnes, qui de eo ſcripſere.

a) Vid. quae collegit THOM. POPE-BLOVNT. Cenſur. cel. auct. p. 169.

b) c. 4.

Digitized by Google

publicis Xeniis ei deferret. Octauo enim aetatis anno in collegium Saliorum eum retulit, in quo sacerdotio praesul et vates et magister factus est; vbi vero XV aetatis anno virilem togam sumsit, ei L. Ceionii Commodi filiam desponsauit, quem sibi successorem destinauerat [c]: vrbi etiam in Latinis feriis ex eius voluntate praefectus est, in quo honore praeclarissime se gessit. Quibus artibus ita Hadriano se commendauit Marcus, vt decrescentibus principis viribus, illum collegam et successorem sibi elegisset, nisi immatura obstitisset aetas. Ast, vt de hoc sibi iuuene, in quo Romani imperii salutem vertere probe videbat, certius prospiceret, Ceionio Commodo fatis erepto Antoninum quidem Pium in adoptionem elegit, ast ea conditione, vt sibi M. Aurelium adoptaret successoremque destinaret, et hic Lucium Verum, Ceionii filium eligeret [d]. Qua imperatoris voluntate ad summum honorum et dignitatum apicem Marco Aurelio via patefacta est. Qui splendor quamuis summus esset, tantum tamen abest, vt oculos Marci Aurelii fascinauerit, quo minus onus latens cernerent, vt potius, teste CAPITOLINO [e], vbi comperit, se ab Hadriano esse adoptatum, magis esset deterritus, quam laetatus: iussusque Hadriani priuatam domum migrare, inuitus de maternis hortis recesserit, cumque ab eo domestici quaererent, cur tristis in adoptionem regiam transiret, disputaret, quae mala in se contineret imperium. Scilicet iuuenem philosophiae praeceptis accurate imbutum natura regni latere non potuit, nec is ignorare, quam fortes humeri tanto oneri ferendo pares requirantur. Verisimile quoque est metuisse philosophum iuuenem, ne imperii cura meditationi obesset, cui tamen totum se addixerat, neue imperii Romani conditio tum non admodum laeta, et curis innumeris grauis, aliquid postularet, quod philosopho indignum iudicare posset. Ab eo tempore Aurelii Antonini nomen sumsit, quod in Aureliani Antonini familiam adoptionis iure transiisset, et mox quaestor factus est. Neque tamen honores maximi philosophi animum mutauerunt, vt a pristina virtutis via quicquam recederet, cuius laudabile exemplum dedit, quod, narrante CAPITOLINO [f], adoptatus in aulicam domum omnibus parentibus suis tantam reuerentiam, quantam priuatus, exhibuit, fuitque haud secus rei suae, quam in priuata domo parcus ac diligens, pro instituto patris volens agere, dicere, cogitare. Post excessum Hadriani dissolutis per Antoninum Pium sponsalibus, quae cum L. Ceionii Commodi filia inierat, filiam ille Faustinam ei destinauit, quae L. Vero desponsata erat, ast quam ducere is propter aetatis immaturitatem non poterat. Quaestoris adhuc atque consulis secum dignitatem contulit, et Caesaris appellatione donauit, aulico fastigio inuitum licet ornauit, honores ei cumulauit, quos enumerare hic omnes opus non esse putamus. Id vero non

c) SPARTIAN. in Hadr. c. 23.
d) IDEM c. 24. CAPITOL. c. 5. DIO L. LXXI.
e) cap. 6.
f) Ibid.

non negligendum, tantis ita circumſeptum Marcum Aurelium laboribus fuiſſe concatenatis, vt qui totum ſe antea philoſophiae ſtudio dederat, magna inde inſtituti ſibi cariſſimi ſentiret impedimenta. Quibus tamen non obſtantibus, cum tantis honoribus occuparetur, cum formandus ad regendum, vt ſcribit CAPITOLINVS [f], ſtatus reipublicae patris actibus intereſſet, ſtudia tamen cupidiſſime frequentauit. Nec refragatus eſt Antoninus Pius, qui cum probe intelligeret, nihil reipublicae Romanae feliciter gubernandae aptius eſſe philoſophia Stoica, et ſponte alacriter currenti calcar voce et exemplo addidit, et Apollonium Chalcidenum [g], magnae famae philoſophum ex Zenonis familia Athenis arceſſi iuſſit. Cuius doctoris inſtitutione ad ſummam Stoicae doctrinae cognitionem peruenit, tanta aſſiduitate in philoſophiae ſtudium incumbens, vt, licet iam in imperatoriam dignitatem eſſet aſcitus, tamen ad domum Apollonii diſcendi cauſſa veniret. Tum Fauſtinam Antonini Pii filiam vxorem duxit, in qua amplam exercendi philoſophiam Stoicam palaeſtram inuenit. Etſi enim magnis naturae dotibus erat conſpicua, animi tamen leuitate formae pulchritudinem ſuperans, cum matris veſtigia ſequeretur, maluit thorum imperatoris polluere, et indigna tanto faſtigio vita colendam ſe procis exponere, quam caſto amore maritum reuereri. In quo malo perferendo animum iniuriae tantae patientem, nec commotum ideo ita Marcus probauit, et tranquillitatem mentis in tantis coniugii fluctibus ita immotam ſeruauit, vt non deeſſent, qui negligentiam Marci accuſarent, qui ſine animaduerſione illa pertulerit, quae indecora ſibi faſtigioque Romani imperii turpia eſſe probe intellexerit [h]. Aſt non reſpexerunt Marci cenſores ad Stoae praecepta, quae ea omnia, quae extra nos, neque in noſtra poteſtate ſita ſunt, curanda non eſſe iubent, eo quod ad noſtram felicitatem non pertineant. Quamuis autem honoribus cumularetur Marcus, et a ſummo faſtigio parum

[f] Ibid.

[g] Fuit Apollonius Chalcidenus, alii Chalcedonium vocant, ex Bithynia, DIO l. c. Nicomedienſem dicit, veterum ſuffragiis deſtitutus. Hominem fuiſſe Stoicae quidem philoſophiae cognitione praeſtantiſſimum, ſed ſcholaſticos ſequentem mores, ex eo diſce, quod narrat CAPITOLINVS in Antonino Pio c. 10. cum Apollonium Chalcide (Athenis ait LVCIANVS in Demonacte T. II. p. m. 576.) acciuiſſet, et ad domum Tiberinam, in qua habitabat imperator, vocaſſet, vt ei M. Antoninum traderet, atque ille dixiſſet, „non magiſter ad diſcipulum „debet venire, ſed diſcipulus ad magiſtrum, eum riſit dicens: „facilius fuit Apollonio e „Chalcide Romam venire, quam e domo ſua in „palatium. Addit Capitolinus, imperatorem eius auaritiam, quam Demonactem quoque acute riſiſſe teſtatur LVCIANVS l. c. mercedibus notaſſe. Laudat tamen Apollonium Marcus, „quod ab eo didicerit, vt liber eſſet, firmumque ac certum citra fluctuationem omnem „conſilii ingenique tenorem retineret; neque „aliud quidquam vel minimum, praeter ratio„nem ſolam intueretur, vt idem ſemper eſſet, „in doloribus acerrimis, in liberorum amiſſo„ne, in morbis diuturnis, ad haec quod in ipſo „tanquam in exemplari viuo conſpexerit eui„denter, poſſe eundem, prout occaſiones ſe da„bant, et vehementiſſimum, et remiſſum eſſe, „ſed et quod in diſciplinis tradendis neutiquam „moroſe ſe gereret, quodque hominem viderit, „qui peritiam ſuam, et in theorematibus tra„dendis ſolertiam, bonorum ſuorum minimum „exiſtimare ſe palam faceret: quod didicerit ab „eo, et quomodo beneficia ab amicis accipere „oporteret, vt nec acceptis obnoxius fieret, „nec citra ſenſum tamen omnem tranſmitteret.“ Talem cum ſe Marco praeberet Apollonius, mirum non eſt, ad domum eius diſcendi cauſſa acceſſiſſe Caeſarem iam deſignatum.

[h] Fuſe et eleganter Fauſtinae Marcique hiſtoriam perſequitur DE SERVIAS hiſt. des femmes des empereurs T. III. p. 128. ſeqq. qui legendus.

Digitized by Google

parum abeſſet, tanta tamen in eo virtus valuit, vt, quam accepiſſet dignitatem et poteſtatem, ad amplificandam reipublicae felicitatem et emolumenta imperii ciuiumque ſalutem tantum adhiberet, ſicque luculento exemplo oſtenderet, quid inſtitutio prudens et philoſophiae praeceptis nixa in principe valeret: quibus artibus ita Antonino Pio commendatus eſt, vt nihil fere ſine illo in imperio faceret, Marcus autem induſtriam, probitatem, fidelitatem et amorem ei luculenter probaret. Et his quoque munimentis aduerſus obtrectatorum calumnias [i], qui clanculum auocare patris ab eo animum tentabant, ſe tegebat et cuſtodiebat, ſic vt integra Antonini Pii illi ad mortem vsque ſeruaretur gratia, et cum aduerſa valetudine corriperetur, ſpesque ſanitatis recuperandae omnis decollaſſet, vocatis ad ſe amicis ac praefectis ſucceſſorem ſibi in imperio ſolum Marcum Aurelium deſignaret, nulla L. Veri iniecta mentione, et ita ſe placidiſſime mori luculentis ſignis oſtenderet [k]. Ita viuis erepto Pio A. V. C. IↃCCCCXIV. A. C. CLXI, a ſenatu imperii habenas capeſſere Marcus, inuitus licet, coactus eſt. Quem campum ingreſſus, cum philoſophiam vbique ſibi comitem haberet, aequanimitatis philoſopho digniſſimae exemplum infrequens et admirandum edidit, quidque in formandis animis ſapientiae ſtudium valeat, non ſine omnium ſtupore demonſtrauit. Solus enim regnare cum poſſet, idque ſibi vni dignitatis faſtigium ſeruare, quod ab Auguſti aetate non niſi vnus tenuerat, maluit tamen generoſi animi et philoſophiae cura atque emendatione feliciter ſubacti impulſu Lucium Verum inſolita prorſus ratione collegam in imperio aſciſcere, et vt firmum eſſet ſocietatis tantae vinculum, Lucillam filiam ei deſpondere [l]. Quamuis autem diuerſa longe a Marci animo indole Verus eſſet, quae philoſophiae munere nunquam rite purgata in alia omnia abibat, tanta tamen fuit Marci Aurelii Antonini prudentia, tamque accurata aequi rectique cuſtodia, vt nunquam Verus aliquid ſuſciperet, ex quo respublica detrimentum capere poſſet, vt non vigili Marci cura ad rectos fines emendaretur. Quo factum eſt, vt *adepti imperium*, teſte CAPITOLINO [ii], *ita ciuiliter ſe ambo agerent, vt lenitatem Pii nemo deſideraret, cum ſe Marcus totum philoſophiae in imperio exercendae, daret, amoremque ciuium imperii aequitate et lenitate affectaret.* Cuius memorabile prorſus exemplum edidit imperator optimus erga Chriſtianos. Hi ex omnibus prouinciis innumeris praeſidum ac magiſtratuum epiſtolis accuſabantur, et nouae ſuperſtitionis poſcebantur repagula. His malorum publicorum, quibus eo tempore valde premebatur Romanum imperium, cauſſa inſcribebatur omnis, quod iram Deorum ob neglectam in ſui cultus contemtores vindictam in imperio Romano excitaſſent: hi grauiſſimorum criminum poſtulabantur, contra hos perſecutiones infligendae petebantur. Et dubium non eſt,

i) Omuli obtrectationes clandeſtinas narrat CAPITOLINVS l. c. k) IDEM c. 7. l) Ibid. conf. SALMASIVS ad h. l. ii) cap. 8.

prouinciarum praeſides a ſacerdotibus inſtigatos eo maiorem obtinendi contra Chriſtianos quod flagitabant, concepiſſe fiduciam, quo magis imperatorem philoſophiae addictiſſimum abhorrere ab eiusmodi placitis credebant, quae Stoica quoque principia, Deorum cultum confirmantia, euerterent. Verum longe aliter res cecidit, memorque Marcus quod a Diogneto didicerat, vt a ſuperſtitione cauſſas praeternaturales rebus naturalibus aſſignante ſibi caueret, Pii quoque lenitatem, et aequitatem, quam philoſophia commendabat, ſibi imitandam ratus, iniuſtis conatibus fibulam impoſuit, data ad publica Aſiae comitia, quae Epheſi tum habebantur, epiſtola, qua laudata religionis Chriſtianorum conſtantia, quae immortalem illum Deum veneretur, ſtatuit, *eos nulla moleſtia afficiendos eſſe, niſi forte contra ſtatum imperii Romani aliquid moliri videantur; et ſi quis pergat cuiquam illorum negotium faceſſere ex eo, quod Chriſtianus ſit, delatum quidem crimine abſoluendum, tametſi conſtet, eum reipſa Chriſtianum eſſe, delatori autem ipſi poenam luendam eſſe* [m]. Peruenisſe hac occaſione in manus Marci libros quosdam Chriſtianorum, quos inſpexit, eo magis veriſimile putamus, quo magis contra tam atroces accuſationes a prouinciarum rectoribus perſcriptas non inique de Chriſtiana religione iudicat, eosque vnum immortalem Deum colere ſtatuit. Nec dubitamus aſſerere, tranſtuliſſe ex ſcriptis Chriſtianorum in ſuam rem quaedam Antoninum, quae cum placitis porticus conſpirare credebat: id enim loca quaedam eius in commentariis ad ſe ipſum occurrentia valde ſuadent [n]. Ceterum mox primo imperii anno natus ei eſt Commodus, quem cum vtero gereret mater Fauſtina, portenta dira ſignificauiſſe, quale monſtrum editura eſſet imperatoris vxor, narrat LAMPRIDIVS [o], euentu triſtiſſimo rem comprobante, et ſuſpicionem eorum firmante, qui conceptum ex gladiatore quodam a Fauſtina coniecerunt. Adeo etiam in philoſophiae aruis non deſunt infelicitatis naturalis exempla, nec penes parentes prudentes, probosque ſemper eſt, ſui habere et educare ſimiles filios. Nihil enim in ſe deſiderari paſſus eſt Antoninus, vt filius, cui ſpes imperii deſtinabatur, praeclare et ſecundum ſapientiae praecepta educaretur, praeceptores enim, teſte HERODIANO [p], ei optimos adhibuit, et vt lubricam formaret filii indolem, vehementer laborauit: aſt impedire non potuit, vt non tam bono patre genitus (niſi alienus ſanguis thoro eius illatus fuerit) peſſime degeneraret, monſtrumque euaderet, quale vix vidit orbis Romanus. Ean-

m) Edictum imperatoris Apologiae ſuae adiecit IVSTINVS, ſeruauit etiam EVSEBIVS Hiſt. eccl. L. IV. c. 13. qui tamen perperam ad Antoninum Pium refert, VALES. ad l. c. Inde recentiores repetierunt, vid. FRANC. BALDVINVS ad edicta imperat. in Chriſtianos p. 87. DACIER. vit. Anton. p. m. 8. et Oxonienſis Comment. Antonini de ſe ipſo editio.

n) Vid. L. III. §. 11. L. VIII. §. 15. L. IV. §. 23. L. XI. §. 8. L. VIII. §. 10. Plura diximus ea de re in Tempe Heluet. T. III. Sect. II. p. 260. ſeqq.

o) In Commodo c. I. vbi fabula quoque narratur, qua adulterium Fauſtinae et illatus domui imperatoris ſanguis adulterinus tegebatur. Conf. DE SERVIES Hiſt. des femmes des empereurs T. III. p. 140.

p) Lib. I.

Digitized by Google

Eandem prudentiam philoſopho dignam erga Verum exercuit, quem aduerſus irruptiones hoſtium imperii cum exercitu miſerat, Lucillamque filiam ei deſponſauerat. Oculis enim Antonini, cuius reuerentia latentem in Vero vitiorum ſegetem aliquantiſper repreſſerat, ſubmotus, ampliſſimumque, effundendi in ſcelera quaeuis animum, nactus campum, ita turpiſſimis voluptatibus ſe immerſit, dum interea per duces cruenta cum barbaris bella gererentur, vt ad Canuſium in grauem et fere deſperatum morbum incideret. Ex quo ereptus vbi in Syriam perrexit, in voluptatis horto, Daphne, quod ſuburbium erat Antiochiae foediſſimis voluptatibus ita infame, vt qui famae ſuae et honori conſulere vellent, id non accederent, totum ſe obſcoenis et abiectiſſimis voluptatibus immerſit, ducibus Parthicum interim bellum magnis victoriis conficientibus, quorum gloriam ſibi vindicauit princeps ineptiſſimus [e]. Quid ad haec Marcus philoſophus? Ille nihil temere, nihil inconſiderate acturus, vitia Veri, quaſi neſciens, diſſimulabat, et vt corruptum voluptatibus animum dulci remedio corrigeret, Lucillam ei filiam in matrimonium dabat, ratus ita amorem ei figi melius, et a turpibus ſcortis auocari poſſe. Eam itaque ad Verum miſit, ad praeſides prouinciarum ſcribens, ne quis filiae occurreret, indeque ciuibus incommoda exorirentur. Verus acceptam coniugem Antiochiam deduxit, eamque non meliorem, quam ipſe erat, expertus eſt, ſtrenue impudicae matris veſtigia calcantem, et parentis famam vita turpi polluentem [f]. Duces vero confectis ex voto bellis, ad pacem et incolumitatem prouincias reduxerunt, qua victoria modeſte, vt philoſophum decebat, vſus eſt Antoninus, praeſertim cum communem laetitiam graues calamitates turbarent, Vero peſtilentiam ſecum ex orientis prouinciis Romam deferente, Germanis cis Rhenum ſeditionem concitantibus, et ita omnibus in Italia bellis ardentibus, quibus ſuperuenit Marcomannorum et Quadorum defectio, quae terrore totum Romanum imperium repleuit. Quibus repellendis ſacra et profana omnia mouerunt imperatores, et ad ſuperſtitionem, quod in Antonino mireris, delapſi, vndique ſacerdotes Romam arceſſiuerunt, peregrinis etiam ritibus, luſtrationibus et ſacrificiis totam vrbem repleuerunt [g]. Ambo vero hoſtibus obuiam euntes, prima contra eos pericula felici ſucceſſu fecerunt, Alpesque, inuito licet Vero, transgreſſi, ſeparatis proeliis hoſtes fuderunt, poſtea Aquileiam reuerſi ſunt. Vnde Romam cum redire cogitaſſent, Verus apoplexia correptus obiit: quem peſtilentia alii extinctum volunt, aut veneno ab vxore Lucilla, pellicem Fabiam iniquo animo ferente, exhibito [h]. Ita quidem collega, qui oneri magis quam honori erat imperio, Marcus liberabatur, calamitates vero publicae vehementer

e) Multis hanc infamiam Veri proſequuntur ſcriptores hiſtoriae Auguſtae, ex quibus omnia eleganter enarrauit DE SERVIES l. c. p. 179. ſeqq. qui videndus. Vbi etiam nos quaedam, quae lucem poſtulabant, ad eum in verſione Germanica adiecimus.

f) CAPITOLINVS in Marco cap. 15. in Vero cap. 7. DIO L. LXXI. DE SERVIES l. c.

g) CAPIT. ll. cc.

h) IDEM in Marco c. 14. in Vero c. 9.

eum vrgebant, et angebat publicus de iis luctus. Qui tantus fuit, vt, quae tot calamitatibus inſuperabilis hactenus fuerat, virtus Stoica ſuccumberet, et communis vox populi, quae nouam Chriſtianorum religionem accuſabat, quod ob Deorum contemtum, raritatemque in templis, deriſas ceremonias, occidentesque veterum ritus religionum nouarum ſuperſtitionibus eiusmodi calamitates publicae immitterentur, victoriam de aequiſſimo imperatore reportaret. Nam et delatoribus, quod alias nunquam fecerat, credidit, et praeſidibus prouinciarum ſuppliciis excruciare Chriſtianos permiſit, vt populum ſeditionem minantem aliquo modo compeſceret, et ita perſecutionem illam permiſit, qua eo imperante eccleſiae Chriſtianae, maxime Gallicae, graui clade affectae ſunt *f*. Quod cum ab aequitate et lenitate Marci expectari non potuerit, occaſionem dedit viris doctis quaerendi, quae cauſſa Antoninum permouerit, vt contra philoſophiae ſuae, animique rationes tam triſtia in Chriſtianos ſtatueret? Et illi quidem, qui culpandum nihil in Antonino, laudanda omnia, inueniunt, inter quos eſt DACIERIVS *t*, in praeſides rectoresque prouinciarum, et tumultuantem plebem culpam fere omnem coniiciunt. Alii turpiter ſe dediſſe, et oblitum principia, quae olim ſecutus eſt, Antoninum fuiſſe, non negant. Nos, ab omni quidem hac in re culpa liberari non poſſe Marcum, opinamur. Nam quod Dacierius cauſſam omnem in prouinciarum rectores reiicit, qui edicto Caeſaris, vt illi tantum tollerentur, qui faſſi fuerint, ceteri continuo liberarentur, abuſi, in quoscunque promiſcue ſaeuierint, cumque imperator criminum conuictos ſupplicis afficere iuſſiſſet, falſis vſi teſtibus publicam inter Chriſtianos ſtragem ediderint, id inuitis veterum teſtimoniis dici rerum Chriſtianarum circa haec tempora peritos latere non poteſt. Nihil vero in tota re eſt, quod ab Antonino cetera optimo principe expectari non potuerit, modo ſupponamus, quod veteres teſtantur, calumniatores apud imperatorem detuliſſe, adeo atros eſſe homines Chriſtianos, omnique ſana ratione carentes, vt peccaturus non ſit, ſi eos e medio tolleret. Non denegamus vel lenitatis vel aequitatis laudem Antonino, nec faciendum eſſe putamus cum AMMIANO MARCELLINO *u*, qui ſuperſtitionem ei obiicit, cum ipſe hoſtem ſe illius profiteatur, ita a Diogneto edoctus. Etſi enim, more

f) Pluribus de hac perſecutione hiſtoriae ſacrae enarratores, EVSEBIVS praeſertim, H. E. L. V. c. 1. et ex recentioribus illi quoque conſulendi ſunt, qui hiſtoriam martyrii Chriſtianorum excuſſerunt, vbi etiam H. DODWELLI ſententia diſſ. Cyprian. XI. §. 53. examinari ſolet de paucitate martyrum huius perſecutionis. De tempore autem huius vexationis erudite diſputauit Ven. MVSHEMIVS Obſ. hiſt. crit. L. I. c. 3. §. 10. p. 172. Synt. diſſ. H. E. p. 315.

t) In vita Antonini, quem tamen in Latina verſione caſtigauit STANHOPIVS.

u) L. XXV. c. 4. vbi ſuperſtitioſum eum magis, quam ſacrorum legitimum obſeruatorem fuiſſe ait. Pluribus hanc δεισιδαιμονίαν Antonini probare ſatagit Cl. CHR. WOLLIVS in vita Antonini Comm. de ſe ipſo Lipſ. editionis praefixa. Qui tamen in erudita diſſ. de δεισιδαιμονίᾳ M. Antonini ad politicam haec ſuperſtitionem tantum referenda eſſe, contendit. Quod licet negari in totum nequeat, inſediſſe hanc imperatoris animo opinionem, poſſe ſe prudentem, immo debere ad aliorum ingenia *ἐν τοῖς μέσοις* demittere, vid. L. V. §. 36. habenda tamen ſimul Stoicae phyſiologiae, cui adhaerebat, ratio, quae popularem ſuperſtitionem non tollebat, ſed emendabat, vt ex Cornuti et Salluſtii libellis videri poteſt.

more Stoico, communem patriae religionem conſtanter ſequebatur, eosque errare putabat, qui Deos reiicerent et ab eorum cultu deficerent, Stoico tamen, id eſt philoſophico ſenſu Deorum cultui adhaeſit, quo diuina anima per mundum vniuerſum diffuſa omnesque eius partes agitans, omnibus praeſens eſt, atque viuificat, hincque tot numina conſtituit, quot elementa partesque mundi ſunt. Quibus ex Stoicorum latifundiis admiſſis non potuit non aegre ferre Antoninus, omnem Deorum cultum contumelioſe, quod accuſabantur, reiicere Chriſtianos, quamuis ipſe popularem ſuperſtitionem damnaret. His acceſſit, quod tanta perſuaſione de veritate theologiae Stoicae eſſet certus Antoninus, vt, qui alia ſentirent, in graui verſari errore non potuerit non opinari. Aſt Chriſtianos iſtis familiae Zenonianae rationibus non duci, leueque illis pondus adiicere animaduertebat, et non ratiocinationum nexibus, ſed fidei ſimplicitate et obſequio vti ad firmandam praeceptorum ſuorum veritatem videbat, et indignabatur, adeo eſſe irrationales, vt pro ſuperſtitione ſua mortem oppetere, quam philoſophiam ſequi, mallent: vnde iis ψιλὴν παρατάξιν *meram obſtinationem* in morte obeunda obiicit [w]. Qua in re communi praeiudicio de Chriſtianis ductus eſt philoſophorum gentilium, inter quos ipſe PLINIVS [x], grauis ceteroquin innocentiae eorum teſtis, *non dubitandum* dixit, *qualecunque eſſet, quod dicerent, peruicaciam certe et obſtinationem inflexibilem debere puniri.* Qua de calumnia, ne nimii ſimus, legi velimus, quae ex veterum ſcriptis docta manu collegerunt triumuiri in veterum lectione verſatiſſimi, IOANNES SCHILTERVS, THOMAS GATAKERVS, et Io. LAVRENTIVS MOSHEMIVS [y]. Hanc obſtinationem pro ſuperſtitione habuiſſe Antoninum, eo minus dubium eſt, quo magis a rationibus, quas ille ſequebatur, philoſophicis deflectebat Chriſtiana religio, neque cum illis, vt aliarum forte gentium placita, in concordiam redigi poterat. Neque alia ſunt, quibus iudicium ſuum de Chriſtianis in *prima epiſtola* inaedificauit. Aſt tum negotium illis faceſſere prohibebat, quod apertum erat, homines innocentiſſimos, quibus praeter obſtinationem quandam crimen vllum obiicere non poterat, nulla in re ſaluti imperii Romani obeſſe. Verum cum iam mala publica eſſent cumulatiſſima, tantumque inualeſcerent calamitates publicae, vt qua ratione obuiam iis eundum eſſet, ipſe non ſatis perſpiceret, parum autem a ſeditione abeſſet plebis furor, qui cauſſam tantorum malorum in imperatoris lenitatem erga Chriſtianos, Deorum contemtores omnisque calamitatis fontes coniiciebat, ne malum malo augeretur, ad religionem, quam potiſſimum populus inuocabat, recurrendum ratus, non tantum ſacris, etiam peregrinis, Vrbem repleuit, ſed in prouinciis quoque caedi Chriſtianos, quos obſtinatione mereri mortem, nec indignos eſſe ob ſuperſtitionem

w) L. XI. §. 3. x) L. X. ep. 97. Manud. phil. mor. ad Iurisprud. c. II. §. 5. 6. p. 44. ſeqq. MOSHEM. ll. cc.
y) GATAKER. ad l. c. Io. SCHILTER.

nem suppliciis, credebat, passus est, idque eo magis, quod ita mortem oppetere, non ignoraret eos sibi ducere longe optabilissimum. Ex quibus iam, nisi fallimur, luculenter dispalescit, neque saeuitiam, neque superstitionem Antonini hic magnopere accusandam esse, sed prudentiae falsam quandam rationem, qua mederi malo maiori admisso minore facileque excusando, statuit [a]. Dici enim non potest, in ea Antoninum haesisse sententia, qua plerique haerebant, ob Christianos toleratos iram Deorum in imperium Romanum exarsisse, cum Stoicorum philosophia cuncta ad ineuitabilem quandam fatorum necessitatem reuocet, illique sine murmure parendum esse moneat, sic vt contra philosophiam peccasset suam Antoninus, si ob eam rem tolli Christianos iussisset. Ast cum nescio quibus sceleribus depictos sibi Christianos intueretur, quibus irritari populos credebat, facile illi fuit, ea permittere, quae ad crudelitatem exercendam magnopere auxisse prouinciarum praesides et praefectos verisimile est. Qua tamen in re, licet contra Stoae praecepta peccasse dici vix queat, adeo tamen rationis violauit dictamina, vt singulari nobis exemplo esse queat, ad quae falsa quaedam philosophiae species peccata erroresque viros etiam cetera prudentes et sobrios, sed non satis cautos, seducere queat. Sed vt ex diuerticulo in viam et ad Marci philosophi historiam redeamus, Lucillam viduam Cl. Pompeiano, viro quidem nobili et virtutum gloria exsplendescenti, sed infra principis tamen dignitatem constituto desponsauit, et in eo quoque philosophum, virtutis splendorem generis nobilitati praeferentem, se testatus est [b]. Ast displicuit impar matrimonium et matri Faustinae et ipsi Lucillae, quae tamen mox mutata, ad nutus obsequiosum se habiturum maritum sperauit, et frena eo maiori laxauit licentia impudicitiae [b]. Nouam vero curam iniecere imperatori philosopho Quadi, Sarmatae, Vandali, qui eo tempore hostiliter se efferebant, contra quos atrocia bella gessit, quorum tamen historia alibi enarranda est. Silentio tamen praetereundum haud est, quod nobis de Alexandro impostore narrat LVCIANVS [c]: „Parauisse sibi hominem vaferrimum aditum in au„lam Caesaream, belloque cum Marcomannis et Quadis flagrante, oracu„lum diuulgauisse, quo iusserit, duos leones viuos in Danubium immitti „cum variis aromatibus ac sacris quibusdam magnificis, et mox victoriam, „pacem et decus ingens promisisse. Leones autem barbaros fusti„bus arcuisse, cum ea facta essent; ast Caesareanorum magnam stragem „viginti millium hominum consecutam esse.„ Qua in re aut abfuisse ex castris Marcum dicendum est, cuius tamen contrarium suadet Luciani narratio, aut vergentem ad senectutem virum valde seuerum, ad superstitionem, quam in iuuentute detestatus fuerat, inclinasse, maxime vbi peri-

a) Alia haec mire illustrantia dat Cl. WOLFIVS diss. laudata §. 25. p. 55. seqq.

b) Indignae tanto patre filiae vitam in secundo coniugio eleganter ex veteribus depingit DE SERVIES l. c. p. 196. seqq.

c) In Pseudomante T. I. p. m. 571. seqq.

Digitized by Google

periculis premeretur, ſtatuendum, praeſertim cum fatorum ſeriem oraculis detegi poſſe Stoici crediderint, et ingentem ſibi auctoritatem pepererit Alexander ille impoſtor. Rebus tandem ex voto, licet non ſine ſudore et ſanguine, compoſitis, Romam Antoninus reuerſus eſt, vbi et principem laude dignum et philoſophum re talem ſe praeſtitit. Eo enim curam vertit omnem, vt hoc caput imperii incolume praeſtaret ſaluumque, et tranquillitatem etiam publicam promoueret, eo vero ſubiectos ſibi populos dirigeret, vt officiorum memores, ſaluti vniuerſi imperii proſpicerent, ſicque re ipſa viuendo, pulchre philoſopharentur. Iuſtitiae itaque exſequendae totum ſe tradidit, leges aut rogauit nouas, aut veteres emendauit, litibus diſceptandis terminos praeſcripſit, conſanguineorum vetuit matrimonia, cauit ſumtibus publicis, vias publicas diligenter curauit, antiquatas leges bonas renouauit, resque ciuitatum vel minimas curae ſuae habuit commendatas. Pauperes mortuos publicis ſumtibus iuſſit efferri, mores matronarum et iuuenum diffluentes compoſuit, ſalaria otioſis, quorum nullus in republica erat vſus, detraxit, inopes ſuis facultatibus iuuit, reorum cauſſas ſumma aequitate cognoſci curauit, et vt audirentur, mandauit. Poenas illis tantum irrogauit, quos plecti, reipublicae ſecuritatis ciuiumque exempli, legumque ſanctitatis intererat. Litium patronos admiſit, et quaecunque poſſent, ad iuuandam cauſſam afferendi veniam conceſſit [d]: Verbo cum vitam philoſophia dignam ſeruare contenderet, in id omnibus viribus conniteba-tur, vt et ſubiectis ſibi exemplo eſſet, et ad eandem viuendi regulam eos componeret. Tempus vero ita diligenter collocauit, vt nunquam otioſus inueniretur, ſic vt in Circenſium ſpectacula nunquam iret, quam aut legeret aliquid, aut ſcriberet, aut ad animi emendationem aliquid referret. Quibus factum eſt, vt inter principes tantum non omnes non reperiatur, qui philoſophum vita talem magis expreſſerit egeritque. Ex his vero intelligi ſine labore poteſt, tanto philoſopho imperante latiſſime extendiſſe pomoeria ſua philoſophiam, inuentosque eſſe plurimos, qui, vt tanti principis gratiam aucuparentur, philoſophiae ſua transcripſerint nomina; fuiſſe autem multos inter eos, *homines ignaua opera philoſopha ſententia*, et imperatoris philoſophi moribus prorſus diſſimiles. Quos non ferens Antoninus barbam et pallium quidem oſtentantes, indigne tamen philoſophiae nomine viuentes, ventres pigros, et turpiſſima mendicabula ſtipendiis priuauit, ignauumque fucorum pecus ab aula arcuit: viros doctos et bonos gratia multa fouit et ſalariis auxit [e]. Qualem in imperio ſe praebuit Antoninus, talem etiam in vita priuata philoſophum ſe praeſtitit. Subciſiuas enim horas non voluptatibus, more maiorum tribuit, non otio triuit, ſed ad philoſophicas meditationes adhibuit, non tantum in aula, verum etiam in caſtris, vbi horulas ſuf-

d) Diligenter haec omnia enarrat CAPITOLINVS. e) Ibid.

ſuffuratus ea conſcripſit ſapientiae praecepta, quae Stoica ei philoſophia ad ſui emendationem ſuppeditauit. Nihil enim contemplationi deditus attento obſeruauit animo, ſiue domi, ſiue militiae verſaretur, quod non chartis inſcriberet, et ad firmandum animum et ad caſus vitae dubios inopinatosque viriliter perferendos, quaſi in horreum quoddam, reponeret, cui induſtriae libros *εἰς ἑαυτὸν* debemus. Sed nec modeſtia eius ſilentio praetereunda eſt, quae fructus quoque fuit philoſophiae pulcherrimus. Paſſus enim non eſt, vt ſibi templa et arae exſtruerentur, recuſauit etiam ſuperbos titulos ex bellis quaeſitos, et in fratrem, nihil eorum merentem transtulit, adulationem populi et ſenatus, quae in immenſum eo tempore excreuerat, contemſit, ratus virtutem propria nitere gloria ſuisque praeſidiis fultam ſibi abunde ſufficere, nec emendicatis honoribus opus habere [f]. Tantum autem abeſt, vt immenſos ſibi familiaeque ſuae theſauros cogitauerit corradere, vt potius delationes, quibus fiſcus augeretur, contemneret, et cum nouum cum Marcomannis bellum inſtaret, et exercitum ipſe vndique conquireret, ne tamen prouincialibus moleſtiam crearet, mallet in foro Traiani quasuis res aulicas, veſtes, pocula, vaſa aurea et argentea, imagines etiam praeſtantiſſimas publica praeconis voce vendere [g], ex quibus cum pecunia bello feliciter confecto abundaret, reddito pretio multa poſtea redemit iterum, ſpectacula abrogauit, indignante quidem, et ſeueritatem philoſophicam inique ferente populo [h], ſicque magno animo munitus contra hoſtes profectus eſt, et ſub ipſis profectionis diebus filium ſeptennem Verum Caeſarem, intempeſtiua tuberis ſectione amiſit, quod vulnus adeo fortiter tulit, vt medicos quoque de artis infelici ſucceſſu lugentes ſolaretur [i]. Ita enim Stoicum decebat philoſophum, qui fato ſe ſubtrahere non poſſe credebat, et in omnibus tranquillitatem mentis ſeruare cupiebat. Quam tantam fuiſſe ait CAPITOLINVS, *vt vultum nunquam mutauerit, moerore vel gaudio, philoſophiae deditus Stoicae, quam et per optimos quoſque magiſtros acquiſiuerat, et vndique ipſe collegerat.* In hoc bello cum hoſtes in ipſo Danubii tranſitu deleuiſſet, Romani milites nimia victoriae ſpe elati dum concitatius Quados perſequuntur, ruunt in loca ſicca, montiumque clauſtris includuntur. Quos cum hoſtes pugnam detrectantes ſine ſanguine ad deditionem loci ſiccitate compulſum iri ſperarent, resque in ſummum diſcrimen eſſet perducta, effuſus ſubito imber, mira numinis prouidentia et hoſtes terruit, et Romanum exercitum ab interitu liberauit. Precibus hoc Chriſtianorum, qui in exercitu Antonini militabant, effectum eſſe, multi veterum aſſeruerunt [k], et circumlata epiſtola Antonini [l], id fatentis; legionis etiam fulminatricis nomen inde originem cepiſſe contenderunt quidam, pro cuius miraculi veri-

f) Ibid. c. 12.
g) Ibid. c. 17 EVTROPIVS L. VIII. p. m. 526.
h) CAPITOLIN. c. 23.
i) c. 21. ſollicitant tamen lectionem huius loci vulgarem Caſaubonus et Salmaſius.
k) Scriptores veteres et recentiores de hac re prolixe enumerat THOM. ITTIGIVS Sel. cap. hiſtor. eccl. Sec. II. c. 6. §. 28. p. 293. quem vide.
l) Adiecta eſt editionibus Comm. de ſe ipſo Oxonienſi et Lipſienſi p. 279. a Graeculo quodam confictam eſſe recte contendit SCALIGER ad EVSEB. Chron. A. MMCLXXXIX.

veritate diſputauit eleganter HERMANNVS WITSIVS [m], aſt non minori diligentia et veriſimilitudine ſuſpectam narrationem reddidit DANIEL LARROQVANVS [n], qui cum aliis, qui eam rem tetigere, conſulendi ſunt; nobis enim prolixius illi inhaerere, cum ad noſtrum Inſtitutum non pertineat, non licet. Vltra vero arma victricia hoſtibus intuliſſet Antoninus, niſi A. Caſſius, dux Romanus, ſpe potiundi imperii, vulgata Antonini morte in Syria rebellaſſet, qui hoſtis patriae iudicatus et proſcriptus temeritatis poenas luit [o]. Cuius interfecti caput cum ad Antoninum perlatum eſſet, non elatus eſt ideo, et indignanti cuidam miten imperatoris animum, et dicente: *Quid ſi ille viciſſet?* Stoica prorſus animi magnitudine reſpondet: *Non ſic Deos coluimus, nec ſic viximus, vt ille nos vinceret:* addens, *interemtos principes omnes meruiſſe interimi, eo quod viam non calcaſſent, quam debebant.* Caput itaque Caſſii etiam cum ſigno doloris terris mandari curauit [p], ſeditioſos ad ſanitatem reuocauit, eisque ignouit, maxime Aegyptiis, apud quos philoſophum egiſſe omnibus in locis, ſtudiis, templis ait CAPITOLINVS [q]. Orientis rebus pacatis Athenas delatus eſt, et Cereris initiatus myſteriis, vt vitae inculpatam rationem morumque innocentiam probaret. Cumque in itinere vbique ad emendationem morum, eruditionis incrementa, virorumque doctorum praemia reſpexiſſet, nec in hac Muſarum ſede gratiam ſuam amoremque in literas et philoſophiam deſiderari paſſus eſt, academiae enim publicos doctores praefecit, ſalaria conſtituit, doctos honorauit, omnes liberalitate recreauit [r]. Romam redux, actoque triumpho Lauinium ſeceſſit, inque eo ſeceſſu philoſophiae vacauit ſtudio, in tantum dignum ſe imperio reputans, quantum philoſophia duce vteretur: gratiae vero animique boni ſpecimina vbique edidit luculentiſſima. Smyrnam incendio et terrae motu euerſam reſtituit [s], precibus Ariſtidis rhetoris [t] commotus, vt fidem, quam ipſi vrbis ciues praeſtiterant, remuneraretur. Quam imperatoris clementiam ſtatua honorarunt Smyrnaei. Eandem liberalitatem principis optimi populus haud vno exemplo expertus eſt. Cum autem deuiantis a parentis moribus filii animum dolens obſeruaſſet, Criſpinam ei, Brutii Praeſentis, viri conſularis, filiam matrimonio iunxit, fibulam ita currenti ad vitia iuueni iniecturus [u].

m) In diſſ. de legione fulminatrice Chriſtianorum, ad calc. Aegyptiac. p. m. 427. ſeqq.

n) In diſſ. de legione fulminatrice adiecta parentis Aduerſariis ſacris p. 553. ſeqq. Falſitatem rei hoc maxime euincit, quod poſt hanc demum de Quadis victoriam Marcus conceſſit, vt Chriſtiani affligerentur.

o) Vid. CAPITOLIN. c. 24. VVLCATIVS GALLICANVS in Caſſio, DACIER. vit. Ant. pag. 30

p) CAPIT. c. 25. 26. VVLCAT. c. 11.

q) c. 26.

r) PHILOSTRAT. L. II. c. 1. §. 18. p. 563. c. 20. §. 4. p. 598. coll. p. 566. DIO L. LXXI. MEURSIVS de fortuna Attica c. VIII. p. 71. ſeqq.

s) DIO, PHILOSTRAT. ll. cc.

t) Vitam celeberrimi oratoris enarrat PHILOSTRAT. vit. Sophiſt. L. II. c. 9. p. 583. conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. IV. p. 374. Ex tempore coram Marco diſſerere recuſauit, teſte EVNAPIO in Proaereſio p. 143. tantum autem eius eloquentia apud Antoninum valuit, vt lacrymas ei prouocaret, vid. PHILOSTRAT. l. c. conf. TILLEMONT. hiſt. des empereurs T. II. p. 686. ſeqq. Legi hic poſſunt ex ARISTIDIS orationibus, quae hodie extant XX. XXI. XLI.

u) Hiſtoriam feminae huius eleganter enarrat DE SERVIES hiſt. des femmes des Empereurs p. 207. ſeqq.

Interim nouam irruptionem fecere in Romanum imperium Scythae, vna cum aliis ſeptentrionis populis: contra quos ipſe cum filio mouit, commiſſoque proelio victor diſceſſit [t]. Tandem morbo occupatus eſt grauiſſimo Viennae Auſtriae, vel, vt alii volunt, Syrmii, cuius incrementa promouiſſe medicos a filio inductos non inanis tum multorum ſuſpicio fuit. Is enim adeo belluinam et perditiſſimam vitam viuebat, vt mori mallet optimus imperator, quem ſimilem futurum Neroni, Caligulae, Domitiano videbat: graui tamen eum oratione amicis commendauit [u], ridensque res humanas, mortem autem contemnens [v], ad Stoicae philoſophiae regulas compoſitus animam efflauit ſexagenarius, ad quam aetatem, licet curis, ſtudiorum aſſiduitate, itineribus et bellis valde vires attriuiſſet, perduxit eum temperantiae et tranquillitatis perpetuo habita ratio, vſusque theriacae quotidianus. Ex hac vero vitae philoſophicae Marci Aurelii Antonini hiſtoria, vera eius imago facile depingi poteſt [w]. Fuiſſe enim non imperatorem tantum magnum atque optimum, ſed philoſophum quoque illuſtrem, qui et ſuorum temporum honores et laudes meruit [x], et ſequentis aetatis admirationem retulit, interque maxima virtutis et prudentiae exempla merito numeratus eſt, nemo temere dubitauerit. De virtute autem eius accurate et cum circumſpectione iudicandum eſſe, recte quis exiſtimauerit. Nam naturae maxime indolem, quam ad grauitatem et ſeueritatem propendiſſe ſupra oſtendimus, at quae inſita quadam beneuolentia temperata, auſteritatem temperamenti mitigauit, multum ad has vitae philoſophicae circumſtantias attuliſſe, dubium non eſt. Illa naturae inclinatione cum ad Stoicae philoſophiae amorem impelleretur, exemplisque maiorum, parentumque maximis incitaretur, nactus praeceptores inter Stoicos praecipuos, et rigidae ſectae non doctrina tantum, ſed et vita adhaerentes, tantum ad Stoicae vitae amorem impulſus eſt, vt in puero duodecenni magnorum virorum ex hac familia vita moresque relucerent. Quibus cum accederet naturalis animi bonitas, natura, educatione, exemplis ita formatus eſt, vt Stoicae philoſophiae ſapientem vere admirabilem facile agnoſcas, iſque merito inter illuſtria porticus ornamenta referatur. Laudemque omnino meretur, quod CAPITOLINVS [y] de eo tradit: *Fuiſſe per omnia moderatiſſimum, in hominibus deterrendis a malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: feciſſeque ex malis bonos, ex bonis optimos.* Non confundenda tamen virtus Stoica et naturalis Antonini, cum Chriſtiana, ex diuini ſpiritus gratia profecta, quacum comparata illa valde deficit, nec ab hypocriſeos oblectione liberari in totum poteſt, negarique profecta multa ex famae cupiditate; nihil enim

t) DIO, CAPITOLINVS ll. cc.
u) HERODIAN. l. 1. c. 4. 5.
v) CAPITOLINVS c. 28.
w) Imago Gatakerianis editionibus Comment. Antonini praepoſita non Marci eſt, ſed Commodi filii, conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. pag. 27.
x) Omnium inſtar erunt ſcriptores hiſtoriae Auguſtae, qui non ſine magna laude eum memorant
y) loc. cit.

enim magis deprecatum esse quam auaritiae famam, nominis etiam sui ita studiosum fuisse, vt semper hominum de se iudicia perquireret, emendaretque ea, quae reprehenderentur, CAPITOLINVS refert. Nec caruit in tanta virtutum laude obtrectationibus, vitioque ei datum, *quod adulteros vxoris promouerit, patientia vsus illaudabili, quod non tam simplex esset, quam videretur, aut quam vel Pius vel Verus fuisset, quod aulicam arrogantiam confirmauerit, submouendo amicos a societate communi et conuiuiis* [a], et quae alia fuere, quae si vera in quibusdam, et non praeter eius animi intentionem illi crimini data, hominem fuisse ostendunt, ad sapientis quidem perfecti felicitatem nondum enixum, strenue tamen viuendo ita philosophantem, vt ad eam pertingeret. Talem vero se esse in commentariis *ad se ipsum* [b] demonstrauit, in quibus non cohaerens quidem philosophiae Stoicae aedificium excitauit, at quae vitae sibi formandae variisque casibus regendae profutura passim meditatione detexerat, conscripsit, et vbicunque esset, annotauit. Eiusmodi enim meditationes, quas partim domi, partim militiae semotus paulisper a publicis curis animus produxit, in commentarios hos retulit, et prout cogitationibus se offerrent, in chartam coniecit, vnde sine dubio falluntur, qui ex tractatione quadam pleniore fuisse excerpta coniiciunt [b]. De philosophia autem M. Antonini [c] ex Stoico systemate iudicium ferendum est, nec dissolutae et inter se non cohaerentes assertiones, quae splendida multa promittunt, in se considerandae, sed ad totius aedificii Stoici συναφειαν referendae, vt, quibus principiis suppositis, tam praeclare praeceperit Antoninus, liqueat. Quod vbi fit, clare satis innotescet, non recessisse Antoninum ab erroribus porticus, multaque pulchra videri, quae fundamento satis impio et detestando nituntur. Cuius exempla quidem hic afferre, vbi in tanta rerum copia breuitas sectanda est, impossibile, euolui tamen cum fructu possunt, quae vir summus et laude nostra superior B. Io. FRANCISCVS BVDDEVS in introductione ad philosophiam Stoicam ex mente sententiaque M. Aurelii Antonini philosophi fuse et erudite differuit [d], quibus, si tanti

a) CAPITOLINVS c. vlt.

b) πρὸς ἑαυτὸν, quod aliis idem est, ac de officiis suis, aliis institutiones vitae suae, aliis de se ipso ad se ipsum. Eleganter post Casaubonum LEIENITZIVS in Theodicea soliloquia appellauit. Dicas etiam Commentarium philosophicum de rebus ad eum pertinentibus.

b) Hoc post Xylandrum et Barthium coniecere IONSIVS de Scr. hist. phil. L. III. c. 10. p. 262. VOSSIVS de hist. Graec. L. II. c. 16. licet hic dubitans. THOMAM GATAKERVM luculento doctoque commentario has institutiones morales Stoicas illustrasse notum est, quemadmodum ANDREAS DACIERIVS eas Gallice, I. ADOLF. HOFFMANNVS Germanice nobis dedidit. De editionibus vero videndus FABRICIVS Bibl. Graec. Vol IV. p. 25. seqq. Vtimur nos Gatakeriana G. STANHOPII opera Londini 1707. 4. edita, et Oxoniensi 1704. 8. quam recusam dedere Lipsienses 1730. 8. auctam vita Antonini a Cl. WOLLIO conscripta, et Introductione I. Fr. BVDDEI in philos. moral. Anton.

c) Praeter laudatam introductionem Buddeanam legi non sine emolumento potest erudita dissertatio Cel. DAVID. KOELERI de philosophia M. Aurelii Antonini in philosophia et praxi.

d) Addi potest eius diss. de erroribus Stoicorum, quae in Analectis historiae philosophicae extat.

videbuntur, addi illa poſſunt, quae nos alibi ex imperatoris huius mente de philoſophiae eius fundamentis et principiis luculenter diſputauimus [e]. Illud recte affirmari putamus, non eſſe inter omnes principes, qui philoſophi nomen meliori iure retulerit: licet coniiciamus, accepiſſe eum hanc appellationem initio non in laudem ſtudii, quod proſequebatur, philoſophici, ſed vt ei affectatus philoſophi habitus et profeſſio faſtigium imperatoris dedecens obiiceretur. Etſi enim philoſophi nomen a Iuſtino iam Antonino datum eſſe ex EVSEBIO [f] apparet, recte tamen obſeruauit FABRICIVS [g], appellationem hanc Antonino ab hiſtoricis non tribui. Quod licet negari nequeat, vix tamen perſuadere nobis poſſumus, viro in omni vita philoſophanti, vt diſerte ait CAPITOLINVS, habituque Stoico incedenti, philoſophi nomen non fuiſſe tributum. Silentii itaque hiſtoricorum non aliam cauſſam eſſe coniicimus, niſi quod conuicii ergo nomen hoc Marco additum ſit, eoque eius memoriam violare nefas illi duxerint. Certe exprobratum Marco nimium philoſophiae amorem fuiſſe, veteres non negant. Refert enim VVLCATIVS GALLICANVS [h], Caſſium conuiciantem Antoninum appellaſſe *philoſophum aniculum*, CAPITOLINVS [i] autem narrat, *fuiſſe populi hunc ſermonem, cum ſuſtuliſſet ad bellum gladiatores, quod populum ſublatis voluptatibus vellet cogere ad philoſophiam.* Quibus merito additur, quod ſupra ex PHILOSTRATO [k] retulimus, Lucium ſophiſtam vehementer riſiſſe imperatorem ad Sexti domum philoſophiae cauſſa properantem, quod ſe pueris ad ludum literarium euntibus aſſimilaret. Ex quibus teſtimoniis luculenter patere exiſtimamus, philoſophi nomen eo tempore honorificum Antonino non fuiſſe, eo quod infra eius dignitatem eſſe iudicaretur. Quemadmodum Hadrianus quoque imperator ob ſimilem cauſſam, eadem fere ſignificatione dictus eſt ſcholaſticus, quod noſtro tempore barbara voce paedantam vocamus, id eſt hominem ſcholaſticis vel paedagogicis moribus deformem. Verum de coniectura hac lectoris eſto iudicium.

Stoici alii.

§. XV. Et hi quidem illuſtris nominis atque famae Stoici Sec. I. et II. poſt natum ſaluatorem ab initiis monarchiae Romanae fuerunt. Fuiſſe alios quoque multos et his et ſequentibus temporibus, ex eo colligi poteſt, quod de fatis ſectae Stoicae initio ſectionis huius diximus. Aſt hi obſcuri plerique ſunt, et vix nomine noti, et in catalogis Stoicorum paſſim obuii. Cumque ſecta Stoica, vt ſupra quoque dictum, mature euiluerit, et, qui magnopere poſt Antoninorum aetatem inualuit, ſyncretiſmus, Platonica et Peripatetica cum Stoicis confuderit, mirum non eſt, poſt Alexandri Seueri aetatem, qua Stoici publice Athenis et Alexandriae docebant, paucos reperiri Stoicos, qui purum atque genuinum Zenonis ſyſtema

e) Amoenit. literar. T. VIII. p. 443. et Temp. Heluet. l. c.
f) Hiſt. eccl. L. IV. c. 12. conf. G. HORNIVS hiſtor. philoſ. L. IV. c. 6. p. 258. ſeqq.
g) Bibl. Graec. Vol. IV. p. 21.
h) In Caſſio c. 1.
i) cap. 23.
k) Vit. Sophiſt. L. II. c. 1. §. 9. p. 557.

Digitized by Google

ſtema ſequerentur, et pleraque Stoica corrupta valde et adulterata inter diſcipulos Ammonii eſſe quaerenda. Tales fuere, vt ſuo loco dictum, Damaſcius et Theoſebius, homines Platonici, ſiue conciliatores Alexandrini; Caſaubonum enim a SVIDAE [f] confuſione, Theoſebium et Epictetum miſcente, ſeductum, perperam per hunc Theoſebium intellexiſſe M. Antoninum, ex iis, quae ſupra de Theoſebio ex *vita Iſidori* dicta ſunt, manifeſtum eſt. Nec alio ſenſu admittendi, qui Simplicium inter Stoicos referunt. Addunt quidam albo Stoicorum DIONYSIVM CATONEM, diſtichorum moralium auctorem [m]. Aſt ignotus eſt veteribus hic Cato, ſine quorum calculo definire nihil licet, quamuis non ineptum ſit, quod monet Cl. STOLLIVS [n], potuiſſe ita philoſophum quendam vocari, ſed obſcurum et ignotum aliis. Sed veriſimile eſt, diſticha haec nomini Catonis eſſe ſuppoſita, quod et Auſonio et Senecae factum. Omitti vero ex philoſophiae hiſtoria poſſunt, eo quod ἐξωτερικῶς tantum philoſophantur [o]. *Dionyſius Cato.*

SECTIO OCTAVA.

DE SECTA EPICVREA.

§. I.

Poſt Stoicos magna quoque in imperio Romano auctoritate floruit ſecta Epicurea, non minus laetos nacta ſucceſſus diuque poſt magiſtrum durans. Id quod ſuae potiſſimum indoli et conſtitutioni debuit, vinculo amicitiae et fidei conſtricta, quod ſectae parens, Epicurus vafidiſſimum nexuerat, quodque internae lites et diſſidia, quae pleriſque ſectis interitum attulerunt, ſoluere non potuerant. Cum enim et viuo Epicuro, et ſtatim poſt eius ex hac vita diſceſſum, tanta fuiſſet in Epicuri hortis concordia, vt SENECA [a] teſte, *apud eos quicquid diceret Hermachus, quicquid Metrodorus, ad vnum referretur, et omnia, quae quisquam in illo contubernio locutus eſſet, vnius ductu et auſpiciis dicta eſſent;* manſit inuiolabilis haec ſectae Epicureae in eadem placita eandemque mentem vnanimiter conſpirantis conſtantia, adeo vt nec a conditoris ſui doctrina vel latum vnguem deficeret, nec diſſidio vllo vincula contubernii ſui ſolueret, ſed, quod THEMISTIVS [b] teſtatur, ea, quae ab Epicuro conſtituta erant, non ſecus quam Solonis leges Athenis, vel Lycurgi Lacedaemone, ſeruarentur. Qua de re, cauſſaque durantis diu ſectae Epicureae dignus eſt, qui audiatur Numenius [c], qui *Fata ſectae Epicureae.*

f) In Epictetus T. I. p. 817. Is vero Damaſcium quoque Stoicum perperam facit, vt ſupra dictum.
m) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 682. ſeqq.
n) Hiſt. phil. mor. gentil. §. CCLVII. p. 579.
o) Conf. Acta philoſoph. Vol. I. p. 732.
a) Epiſt. 33. b) Orat. IV.
c) Apud EVSEB. praep. L. XIV. c. 5. p. 727.

Digitized by Google

qui hanc Platonicis felicitatem non obtigiſſe dolens, *nulla* ait, *in re vnquam Epicureos ab Epicuro diſſidere viſos eſſe, ſed potius eadem omnino cum ſapiente ſuo ſentire profeſſos, iure propterea id nomen habuiſſe. Quin etiam, qui longiſſimo deinceps interuallo conſecuti Epicurei ſint, eos nec ab ſeſe mutuo, nec ab eodem Epicuro tantillum, quod quidem meminiſſe attineat, diſceſſiſſe. Immo ſceleris apud eos, vel potius impietatis, eum damnari, qui noui quippiam inuexerit, ideoque neminem prorſus id audere: ſed eorum dogmata ob conſtantem illam omnium inter ſe perpetuamque concordiam in altiſſima quadam et tranquilliſſima pace, verſari: eſſeque hanc Epicuri ſectam verae cuidam reipublicae perſimilem, quam ab omni ſeditione remotiſſimam mens quaedam vna communis vnaque ſententia moderetur. Hancque eos diſciplinam et antea ſecutos eſſe multos perlibenter, et ſequi etiammum, atque adeo, vt ſimillimum veri, in poſterum quoque ſecuturos.* In tanta ſectae concordia cum tenaciter adhaereret Epicuri placitis, veriſimile omnino eſt, multos eam ſectam habuiſſe aſſeclas, cum talis eſſet doctrina Epicuri, vt recte intellecta et tradita non ratiocinationum tantum perſpicuitatem, ſed et humanae mentis indolem motusque voluntatis naturales ſequeretur, ſicque naturae ſuae inclinatione ad amplectendam Epicuri philoſophiam homines impelleret, eosque non meteoris quibusdam ſuperbos magis quam ſapientes, Stoicorum more, faceret, ſed ex animi ſui voto atque deſiderio felices redderet, voluptatem quidem commendando, aſt talem, quae dulciſſima viſa amaros ſapientiae fructus pia quadam fraude exhiberet. Addi his alia ratio debet non minus luculenta, quae viris etiam grauibus et circumſpectis hanc philoſophandi viam commendauit. Nempe ab eo tempore, quo DEI filius in his terris muneris auctoritatem miraculis confirmauerat, et a legatis eius nomine illa quoque erant edita, non deſtitit infernalis genius, cuius regna vehementer turbabantur, id cogitare, vt hanc Chriſtiano nomini gloriam eriperet, ſibique vindicaret. Quod cum re facere non poſſet, aſtu et fraude perfecit, et impoſtores armauit plurimos, qui magiae gloriam iactantes praeſtigiis credulum populum deceperunt miſere: quales homines per omnem fere terrarum orbem eo tempore circumuagatos eſſe, humanoque generi in eiusmodi argumento plerumque male curioſo et pueriliter credulo impoſuiſſe, veteres innumeris teſtantur locis *d*). Ab his erronibus et impoſtoribus decipi ſe, facile peruidebant viri acuti et philoſophiae ſtudiis innutriti, hincque Chaldaeos, Magos, huiusque furfuris alios a ſe arcebant, et perſuadebant principi ſummo, vt excedere vrbe et orbe Romano iuberentur: aſt cum nouis ita inſultibus turbarentur artes τῆ μυριοτέχνῳ, aliter rem aggrediendam ratus ipſum philoſophorum genus armauit, ſectamque Pythagoreo-Platonicam, in ſpirituum deorumque cum hominibus commercio valde induſtriam inſtigauit, vt et doctrinam ſuam huic fini adaptaret, et miraculorum euentuum

d) Hoc vel vnius Apollonii hiſtoria probat, totaque eclectica ſecta exemplo eſt.

Digitized by Google

tiumque diuinorum ſibi vindicaret gloriam. Qua ratione innumeram hominum multitudinem deceptam fuiſſe, ea, quam ſupra dedimus, ſectae Pythagoricae, Platonicae, Eclecticae, hiſtoria, luculentis demonſtrat ſpeciminibus [e]. Neque vero ita faſcinari poterant prudentiorum oculi, vt nefandas impoſturas et vana artis praecepta non perſpicerent, qui ne ad vera Chriſti miracula lumina attollerent, commendauit iis daemonis impuri aſtutia philoſophiam Epicuream, quae cum ab omni cum hominibus conſortio Deos auocaret, et in intermundia ſecuros et minime curioſos rerum humanarum relegaret, totam hanc Magorum, Chaldaeorum, Pythagoreorum, Platonicorum diſciplinam tanquam turpiſſimae fraudis gymnaſium aliquod deteſtata eſt, virosque acutos permouit, vt armis Epicureis inſtructi eam philoſophiam tanquam prudentiorum religionem atque philoſophiam amplexi, non ſuperſtitioni tantum omni bellum indicerent, ſed Chriſtianam quoque religionem, velut in eodem luto haerentem, auerſarentur, ſicque oculos contra diuinae virtutis in miraculis relucentis animosque valde perſtringentis radios clauderent. Qua ratione ciuitatis Chriſtianae hoſtis haud parum rem ſuam iuuit, et nutantia ruinamque minantia regni ſui fundamenta nouis firmauit repagulis. Ita enim viri magni et acutius cernere ſibi viſi, dum ſuperſtitionem vitabant, Epicuri ſectam amplexi, reuera religionem omnem ridebant, et coeleſtis quoque doctrinae vehemens induebant odium, vt vel ex vno LVCIANO eſt apertiſſimum. Ita vero nunquam fere deerant ſectae Epicuri aſſeclae, quae fautores multos nacta valde commendabatur. His accedebat ex moribus Epicureorum magna ſectae commendatio. Quia enim et veritatis amorem abiectis praeiudiciis omnibus prae ſe ferebant, et morum ſuauitatem ac moderationem affectabant prorſus ſingularem, vitae quoque tranquillitas, quam ſectabantur, philoſophiae nomine potiſſimum digna videbatur, poſtremo comitas atque humanitas erga quosuis illos maxime ornabat [f], non potuit non iucundum videri Epicureorum contubernium, valdeque iuuari ſectae huius rationes. Et hinc laeta illa incrementa orta ſunt, quibus floruiſſe Epicuream ſectam veteres teſtantur. Auctore enim LAERTIO [g] *illius ſcholae perpetua fere fuit ſucceſſio, quae ceteris fere omnibus deficientibus ſola perſtitit, perpetuis vicibus diſcipulis ſuccedentibus.* Publicas vero cathedras quoque Epicureos occupaſſe, paſſim veteres memorant, ſupra enim in Apollonii Tyanei hiſtoria narrauimus, Epicuri philoſophiam Aegis publica docentis voce perſonaſſe; LVCIANO [h] vero teſte, Athenis Epicurei non tantum publice docuerunt, ſed ſtipendiis quoque aucti ſunt: ipſa vero diſciplina, ſi fides LACTANTIO [i], multo celebrior ſemper fuit, quam ceterorum. Aſt

e) Teſtem habemus LVCIANI Pſeudomanten, et quae ſupra in Peregrino de eius mente erga Chriſtianos diximus.

f) LVCIAN. l. c. T. I. p. m. 584.

g) L. X. ſ. 9.

h) In Eunucho T. IV. p. m. 160.

i) Inſt. diu. L. III. c. 17.

Aſt non defuere quoque obtrectatores et inimici, qui atrocibus eam ſectam conuiciis et criminationibus traduxerunt. Inter quos, praeter Stoicos, iuratos Epicurei nominis hoſtes, fuere etiam Pythagorico-Platonici, qui cum philoſophiae ſyſtema eſſent amplexi, quod e diametro Epicureo repugnat, et ferre minime poſſent, rideri et ſuperſtitionis fraudisque nomine traduci totam gentis ſuae theologiam, magiam, ceremonias, cultumque diuinum, id quod Celſus Epicureus fecit in libro *de impoſtorum artibus*, armauerunt in Epicuri ſequaces non tantum ora et calamum, ſed plebem quoque, quam naſo, quo volebant, ducebant, et in Epicureos, tanquam impietatis fautores, Deorumque contemtores incitabant. Cuius memorabile exemplum eſſe poteſt Alexander ille impoſtor, homo Pythagoreus, cuius fraudes ex Apollonii ſchola prodeuntes magno acumine et feſtiua iucunditate depinxit LVCIANVS [k]. Qui cum ab Epicureis, quique eis adhaerebant, fraudis et praeſtigiarum eſſet poſtulatus, horrendum quid, teſte EODEM, contra eos edidit, dicens, „impiis et Chriſtianis impleri Pontum, qui non vererentur in ſe turpiſſi„me maledicere. Hinc iuſſit eos lapidibus pellere, ſi modo vellent propi„tium habere Deum. Edidit etiam de Epicuro oraculum, et ſciſcitanti „cuipiam, quid ageret apud inferos Epicurus? plumbeis, inquit, com„pedibus vinctus in coeno deſidet. Modis etiam omnibus bellum illi „fuit cum Epicuro ſaeuum et irreconciliabile, quem intractabilem appella„bat, eo quod illa omnia ridicula et ludicra haberent eius aſſeclae, quae „is mira ediderat". Eamque ob cauſſam inter vrbes Ponticas Amaſtrim imprimis habebat exoſam, eo quod acceperat, eos, qui cum Lepido Epicureo erant, eiusque ſimiles quamplurimos in ea ciuitate verſari. Ex dictis iam de fortuna Epicureae ſectae iudicium fieri poteſt, quam non niſi cum omni gentilium philoſophia exſpiraſſe veriſimile eſt. Inter Chriſtianos enim impietatis nomine tituloque adeo inuiſa fuit, vt plane ex reipublicae Chriſtianae finibus pelleretur, de quo ſuo loco plura dicemus.

Epicurei poſt C. N.

§. II. Facile ex dictis colligi poteſt, non defuiſſe ſectae Epicureae, ſucceſſionem ſuam laeta propagine extendenti, et doctrinam magiſtri in cathedra publica exponenti, viros celebres et doctiſſimos. Aſt eorum nomina nos fugiunt, nec de iis quicquam memorabile reliquerunt veteres. Quamuis enim ex hortis Epicuri etiam ſub imperatoribus non deſint viri graues et eruditi, qui philoſophiae ſuae fama vitaeque commendatione veteribus celebrati ſunt [l], qui ex catalogis Epicureorum, quos

k) In Alexandro T. I. p. m. 542. ſeqq.

l) Celſum aliquem Epicureum, eo, quocum diſputauit antiquiorem memorat ORIGENES contra Celſ. L. I. p. m. 8. additque, fuiſſe eum Neronis aetate. Porro SENECA Diodori Epicurei meminit, „qui intra paucos dies contra „decretum Epicuri finem vitae ſuae manu ſua „impoſuit, ſibique gulam praeſecuit, et beatus „plenusque bona conſcientia, reddidit ſibi teſti„monium vita excedens, laudauitque aetatis in „portu et ad ancoram actae quietem," de vit. beat. c. 19. Et alio loco, ep. 30. Baſſum Auſidium laudat impenſe, „virum optimum quaſ„ſum aetati obluctantem, cui magno ſenectus „pondere incubuerat, adeo vt corpori infirmo „et effucco ſuccurrere amplius non poſſet, qui „tamen

quos poſt proletariam LEONARDI COZZANDI [m] induſtriam contexuere magni viri PETRVS GASSENDVS [n] et IO. ALBERTVS FABRICIVS [o], peti poſſunt, ſcriptis tamen editis, philoſophiae ſuae monumenta non reliquerunt. Quidam etiam apud veteres Epicurei memorantur, qui nunquam extiterunt, quales ſine dubio ſunt Epicurei illi, quos colloquentes inducunt PLVTARCHVS, ATHENAEVS, LVCIANVS, aliique, quosque in gratiam tantum dialogorum confictos eſſe, valde eſt veriſimile, licet a viuentibus aliquando philoſophis nomina transſumta ſint. Etſi vero mirum videri poteſt, in tanta celebritate, quam Epicuri ſchola conſecuta eſt, vbi publici quoque doctores huius ſectae placita tradidere, non inueniri, qui nomina ſua mortalitati et obliuioni eripuerint, non id tamen fatum alienum ab huius ſcholae indole putandum eſt. In id enim minime incumbebat grex Epicureus, vt conditis doctrinae ſuae monumentis aeternitatem nominis conſequeretur, quae cauſſa quoque eſt, cur oppido pauca de Epicureorum poſt C. N. ſcriptis apud veteres legantur. Rationem vero huius rei facile detegemus, ſi modo conſtitutionem ſcholae Epicuri recte expenderimus. Quamuis enim in ſcribendis philoſophiae praeceptis adeo diligens eſſet Epicurus, vt inter πολυγεάφους merito referatur, tam ſuperſtitioſa tamen fuit ſectatorum veneratio eius, vt addere aliquid de ſuo, ab eo traditis, non auderent, nec ingenio ſuo vterentur ad ea illuſtranda, quae magiſter reliquerat, ſed quae ille praeceperat, tam ſancte ad poſteros transmitterent, vt plane nihil, quod memoratu dignum eſſet, adiicerent, et piaculum haberetur damnandum, ſi quidpiam fuiſſet innouatum. Ita vero pura quidem et a peregrinis dogmatibus illibata manſit Epicuri doctrina, aſt vel nihil de ea ſcriptum, cum ſufficerent Epicuri eiusque diſcipulorum monumenta, vel ſi ſcriptum aliquid, parum id curatum vel ſeruatum ad poſteros, cum nihil plane noui in iis afferretur. Ex quo fieri potuit, vt nominis quidem celebritate ſuo tempore quidam inter Epicureos inclaruerint, eorum tamen obliteraretur tandem obliuione memoria. Non tacuiſſe tamen Epicureos, ſi alia ſcribenda eſſent, Celſi Epicurei exemplum probat, de quo ſtrictim veterum memorias repetemus.

„tamen philoſophiae ſuae beneficio alacer animo „fuit, et in quocunque corporis habitu fortem „in conſpectu mortis hilarem laetumque nec de„ficientem, quamuis deficeret, ſe praeſtitit, et eo „animo vultuque finem ſuum ſpectauit, quo alie„num ſpectare nimis ſecuri quis eſſe puteret. Id„que Epicureae philoſophiae beneficio, ſecundum „quam vel ſenſum nullum eſſe mortis dicebat, „vel dolorem, vel habere ſe in breuitate aliquid „ſolatii, cum nullus dolor longus ſit, qui ma„gnus. „ Sed Lucilium quoque Senecae ipſum in Epicureorum numerum recipiendum eſſe, tantum non affirmat GASSENDVS de vita Epic. L. II. c. 6. p. m. 74. eo quod SENECA ep. 23. ad eum ſcribit: „Poſſum vocem tibi Epicuri tui reddere. „ Aſt nec Lucilius nec Seneca, qui ſaepe Epicurum ſuum dicit, huc pertinent, ſed inter eos, qui cum Stoici eſſent, ſobrie magis de Epicuro ſenſerunt, multaque ſane dicta receperunt et probarunt. De qua re ſupra.

m) De magiſt. antiquor. philoſ. L. VI. c. 2. p. 415. ſeqq.

n) loc. cit.

o) Bibl. Graec. Vol. II. p. 308. ſeqq.

Celſus an Epicureus?

§. III. CELSVM Epicuri caſtra ſecutum fuiſſe ORIGENES [p], qui contra eum ſcripſit, luculenter teſtatur, qui *duos* ait *fuiſſe Celſos Epicureos, alterum antiquiorem Neronis aetate, hunc autem Hadriani et poſterioribus temporibus.* Quod ſi, antiquiorem aliquem Celſum Neronis aetate floruiſſe admittimus, idem hic iunior eſſe videtur, ad quem LVCIANVS iucundam *de Alexandro impoſtore* narrationem conſcripſit, tertium enim Celſum Epicureum veteres ignorant. Aſt hunc Lucianus amicum ſuum praeter mores Epicuri ſchola dignos ideo ſibi maxime commendatum eſſe dicit [q], quod Epicuro eſſet addictiſſimus, adeo vt praeter Celſum ſeniorem, iuniorem etiam aliquem, Epicureum fuiſſe dubitandum non ſit. Hic vero intercedunt viri docti, qui, cum ex Origenis diſputatione animaduertiſſent, vſum fuiſſe Celſum aduerſus Chriſtianos principiis non Epicureis, quibus ridere magis doctrinam ſacram, quam contrariam theologiam opponere licuiſſet, ſed Platonicis et Stoicis, in eam ingreſſi ſunt ſententiam, Origenem Celſos duos Platonicum vel Stoicum et Epicureum inter ſe confudiſſe. Ita G. HORNIVS [r] Celſum Stoicorum adſcripſit catalogo, quem ideo profundiſſimi ſomni accuſauit IO. SPENCERVS [s]. RADVLPHVS CVDWORTHVS [t] autem Platonici perſonam Celſum aſciuiſſe perſpicuum eſſe, ait, probatque hanc eius ſententiam Ven. MOSHEMIVS [u], contendens, Origenem ex duobus Celſis vnum conflauiſſe, et Epicureum Celſum cum Platonico confudiſſe. Nos, haec non ſine magna veriſimilitudine dici, fatemur. Origenis enim commentarios legenti paſſim Stoica et Platonica dogmata occurrunt. Obſeruauit enim iam ὁ πάνυ IACOBVS THOMASIVS [x], in quibusdam Celſum in caſtra Stoicorum profugiſſe, cum ipſe ORIGENES [y] id fateatur his verbis: *Quid opus eſt recenſere haec Stoicorum dogmata, adeo non irriſa Celſo, vt ea veneretur etiam, et Zenonem Ieſu ſapientiorem iudicet.* Hinc aſſertas quoque a Celſo circulationes Stoicas ſiue periodicas rerum omnium viciſſitudines exagitat [z]. Eadem prorſus ratione Platonica ſaepius Chriſtianis oppoſuiſſe Celſum, negari non poteſt, et ipſe ORIGENES [a] in eo reprehendit, *quod cum deprehendatur in aliis ſcriptis ſuis Epicureus, hic, quo probabilior fiat accuſatio, Epicuri placita non profitens, prae ſe ferat, ac ſi ſentiat, ineſſe in homine quiddam terrena natura praeſtantius, quod cum Deo cognationem habeat, id eſt, animam.* Alias hypotheſes Platonicas paſſim notat ORIGENES, e. c. laudata oracula [b], quae Epicurei ridebant, et his ſimilia [c]. Aſt licet haec ita ſe habeant, non-

p) L. I. p. m. 8. eadem ratione Epicuro adſcribit p. 10. 16. et alibi paſſim.
q) T. I. p. m. 583.
r) Hiſt. philoſ. L. V. c. 4. p. 271.
s) Annot. ad ORIG. contra Celſ. p. 4.
t) Syſt. intell. c. IV. §. 36. p. 654.
u) In not. ad h. l.
x) De exuſtione mundi Stoica diſſ. X. §. 15. ſqq. p. 159. ſeqq.
y) L. V. p. m. 249.
z) L. IV. p. m. 215.
a) L. I. p. m. 8.
b) L. VII. p. 342.
c) Ita Timaeum Platonis exſcripſit Celſus, vid. L. IV. p. m. 204. vbi eum velut Platonicum refutat. Ita transmigrationem et alia aſſeruit Celſus.

Digitized by Google

nondum tamen a nobis impetrare possumus, vt ex Epicureorum albo Celsum deleamus, cuius nobis rei rationes hae sunt: I. Origenis auctoritatem insuper habendam non esse putamus, qui, et prope ab eius tempore abfuit, et libros eius alios quoque legit [d], et quod Epicureus alias esset, scire potuit. Nec verisimile est, Origenem, virum in philosophiae historia versatissimum, cum aduersus Christiani nominis hostem manifestum notumque scribere vellet, errasse in secta, cui ille se addixerat, definienda, et hanc ei inconstantiam tam audacter obiecisse, cum ita turpi facileque praeuidendo lapsu, totam caussam contaminasset [e]. Vix enim tanta fiducia potuisset haec scribere Origenes, quae ei obiecit, nisi certus aliunde fuisset, de secta eius: *Si dicet, nihil daemonium, deorumue ibi esse, saltem nunc fateatur suam sententiam, cum sit Epicureus, nec eadem, quae Graeci, sapiat, quippe qui nec daemonas agnoscat, nec Deos veneretur Graecanicos, et apparebit, eum frustra verbis extulisse, quae am dixit, vt vera, quaeque inde conatur intelligere.* II. Valde receptam opinionem de Epicureismo Celsi confirmat Lucianus: quem Celso cuidam Epicureo *Alexandrum* suum inscripsisse, ex prima eius inspectione patet, finisque libelli luculenter docet. Ast hunc Celsum Luciani cum Origenis Celso eundem esse, vel ex eo recte colligunt viri doctissimi Io. Spencervs [f] et Io. Alb. Fabricivs [ff], quod ad eos libros *contra magos*, quos laudat Lucianus, prouocet etiam Origenes [g], qui ei obiicit, *concedere eum pene, esse magiam, cum is forte sit, qui multis libris scripsit contra magiam.* Qua in re, licet dubitabundus loquatur Origenes, patet tamen ex prooemio libri, contra Christianos scripti, quod affert Origenes, non destitui fundamento hanc coniecturam. Refert enim Origenes [h]: *Adhortari eum, vt rationis ductum sequendo accipiamus dogmata, alioqui omnino fore, vt decipiamur, si assentiamur temere: et eos, qui sine ratione sint credituli, similes esse his, qui delectentur circulatoribus, praestigiatoribusque mithriacisque et Sabadiis, aut quibuscunque Hecates spectris aliorumue daemonum.* III. Haec vero genuinam Epicurei philosophi indolem sapere, nemo est, qui ignoret; nec haec proficisci potuerunt a Platonico philosopho, quod hominum genus in sacrorum publicorum et sacerdotum auctoritate confirmanda multum desudasse, vel ex vno Eunapio, vel, si mauis, Apuleii *metamorphosi* intelligi, vel Apollonii Tyanei exemplo confirmari potest. Quamuis enim γοήτας reiecerint, sacra tamen mithriaca, et Hecates mysteria hisque similia exagitasse non leguntur. IV. Neque hoc omittendum, Celsum Platonicum, Origenis aetate superiorem inter varios Celsos veteribus memoratos, non re-

d) Sola itaque dissimulatio sectae Celsi caussa fuit, quae induxit Origenem, vt L. IV. p. m. 206. dubius de auctore loquatur, et vel dissimulatorem sectae, vel in melius mutatum, vel, vt fieri potest, Epicureo cognominem dicat.

e) L. III. p. m. 136.
f) loc. cit.
ff) Bibl. Graec. Vol. III. p. 809.
g) L. I. p. m. 54.
h) p. m. 10.

Digitized by Google

periri, ignotumque nomen esse. Celsus enim Cilix, Libanii discipulus [f] hoc Celso multo iunior est. V. Quod si Platonicum fuisse Celsum supponamus, ratio dari vix potest alia, cur Stoica quoque dogmata, et talia quidem, quae Platonicis displicuere, Christianis opposuerit, quam haec: ea arripuisse hominem, quibus fortissime pungi et κατ' ἄνθρωπον debellari Christianos posse credebat, licet ad sectae suae dogmata non pertinerent: alias enim solis Platonicis inhaesisset. Ast hoc si admittimus, cur non cum Platonicis eadem, qua cum Stoicis, ratione illum egisse, et gentilia, licet non sua, Christianis obiecisse, dicamus? VI. Ast obiicient contrariae sententiae assertores tot Platonica a Celso Christianis opposita, nec ab Origene negata. Ad ea vero malumus ipsius Cudworthi, quam nostris respondere verbis, ita enim vir doctissimus [g]: *Celsum quidem Epicureum suspicor fuisse, sed perspicuum tamen est, Platonici saltim personam hominem induisse. Caussam huius rei duplicem opinor esse, primo enim familia haec, quae in Pythagorae et Platonis verba iurauerat, reliquis omnibus religiosior erat, proximeque ideo ad Christianam disciplinam veritatemque diuinam accedebat* (vel accedere potius quibusdam videbatur), *hominum licet contingere posset vitio, vt, quemadmodum res optimae, deterrimae, si corrumpantur, fiunt, ita melior haec philosophia in pessimam omnium commutaretur. Quamobrem etiam maiori fiducia et fortitudine, quam reliquae sectae, opes Christianorum inuadere ac debellare poterant. Deinde Platonicorum praeceptis et dogmatibus, vt vulgo intelligebantur, nulla erant aptiora et magis idonea ad multitudinem Deorum cultumque, quem tot Diis afferebant gentes, tuendum et defendendum.* Sunt in his quaedam, quae castigatius a viro magno dicta fuisse velimus, quaeque ei expressit nimius philosophiae Platonicae amor; hoc autem verum est, nullam aptiorem fuisse sectam ad Christianos oppugnandos Platonica, quae gentilibus ea continere augustius multo et pulchrius videbatur, quibus Christiana enitebat religio, quae vel sola caussa sufficere potuit, vt disputaturus contra Christianos κατ' ἄνθρωπον eius vestigia premeret Celsus. Addit his Cel. MOSHEMIVS: *Caussam, cur soli fere Platonici Christianis se opposuerint, fuisse, quod haec sola fere secta, reliquis tantum non neglectis in imperio Romano regnaret.* Ast hoc ad ea tempora tantum pertinet, quae infra Celsi aetatem sunt. Sub Antoninis enim in Romano imperio non Platonicam tantum, sed Peripateticam quoque, Stoicam et Epicuream philosophiam publica imperantium auctoritate floruisse, suo loco demonstrauimus. VII. Ast instabunt contrariae sententiae patroni, vero prorsus esse dissimile, hominem Epicureum, cui tantopere Platonica inuisa fuere, quique contrarium prorsus systema secutus est, Platonica dogma adhibuisse, ad demonstrandam religionis Christianae falsitatem, quod domesticis principiis vsus melius facere

f) Vid. VALESIVS ad AMM. MARCELLIN. L. XXII. c. 9.

g) loc. cit.

Digitized by Google

facere poterat. Non negamus, haec in ſe vera eſſe, ſed ne hoc quidem nobis vero diſſimile facit, Celſum Epicureum Platonici et Stoici quoque interdum perſonam ſuſcepiſſe, ſed habuiſſe putamus Celſum rationes ſuas, cur has potiſſimum partes ſequeretur. Scilicet propter populum diſputabat Celſus, quem a Chriſtiana religione auocare tentabat. Hunc finem non fuiſſet aſſecutus, ſi Epicureis principiis inſtare voluiſſet, quae religionis omnis contemtum prae ſe ferebant, et exoſa erant plerisque. Eam igitur ſectam ſimulauit, quam religione ſe commendare nouerat, quamque euertere paribus dogmatibus Chriſtianam doctrinam credebat. Neque vero ita ſuperſtitioni ne frigidam ſuffunderet, metuebat, ſed credebat, ſi oſtendiſſet, Platonica Chriſtianis eſſe meliora, fore, vt qui haec quoque pro inanibus nugis, vt ſolebant Epicurei, haberent, multo magis Chriſtiana placita, his longe inferiora, et, vt ipſe putabat, multo minus rationis dictamen ſequentia contemnerent. Cui fini obtinendo qualemcunque etiam dogmatum rhapſodiam Platonico-Stoicam, qualem eum exhibuiſſe deprehendimus [i], ſufficere ſperabat. VIII. Quin et hoc addendum eſt, adhibuiſſe multa Platonica et Stoica hominem verſipellem, quae ſenſum Epicureum apud rerum intelligentes ſuſciperent. Cuius luculentum exemplum eſſe poſſunt periodicae illae reuolutiones, quas a Stoicis transſumſit, aſt quae ſenſum quoque Epicureum admittere poſſe, huius phyſiologiae gnaros non latet. His itaque rationibus omnibus ſimul ſumtis et expenſis cauſſam hactenus grauem non videmus, cur ſententia a veteribus et recentioribus viris doctis plerisque recepta deſerenda ſit, Celſum fuiſſe philoſophum Epicureum, etiam vbi concedimus, eum Platonice et Stoice magis, quam Epicureorum in morem contra Chriſtianos diſputaſſe. Certe tamdiu ei opinioni inhaerere licebit, donec meliora et certiora nobis ea de re dabit praeſtantiſſimi MOSHEMII eruditio, qui Platoniſmum Celſi in noua Origenis editione, quam auidiſſime expectamus, demonſtraturum in ſe recepit [ii].

§. IV. Sed vt reliqua, quae ad Celſi hiſtoriam pertinent, pertexamus, ex dictis de tempore, quo Celſus hic floruit, iudicium ſine labore fieri poteſt. Sub Hadriano enim et poſt eum floruiſſe, ORIGENES [iii] diſerte teſtatur. Cumque veriſimillimum eſſe oſtenderimus, hunc Celſum eundem eſſe, ad quem Alexandri impoſtoris hiſtoriam perſcripſit Lucianus, clarum ex eo quoque, duraſſe eum vsque ad illius tempora, adeoque ſerius adhuc vixiſſe. Lucianum enim non, quod Suidas vult, ſub Traiano et Hadriano floruiſſe, ſed ad Commodi vsque aetatem perduraſſe, ex ipſius ſcriptis luculenter ſatis demonſtrari poteſt. In illa enim de Alexandro narratione Lucianus praeſtigias eius enarrat, quibus deceptus M. Aurelius Antoninus, magnam cladem a barbaris paſſus eſt, vt ſupra *Celſi vita.*

i) Hinc mox Stoicos, mox Platonicos deſerit, mox ſyncretiſtam agit, vid. L. l. p. m. 33. Quae argumento ſunt ex aliis ſab eo rationibus de ſecta eius non tuto ſatis nos iudicare poſſe.

ii) loc. cit.

iii) L. l. p. m. 8.

pra in Marci vita expoſitum: alio etiam loco [n] Aurelium Diuum appellat, ex quo ſequitur, Commodi eum tempore adhuc vixiſſe. Aſt ab imperii Traiani initiis A. C. XCVIII, ad mortem vsque M. Aurelii A. CLXXX, effluxere anni LXXXII, qui numerus ſatis euincit, Lucianum, qui ſub Commodo ſolita ingenii viuaciſſimi alacritate adhuc ſcribebat, ſub Traiano nondum viguiſſe, vt in ſequentibus dicemus. Celſus autem et Lucianus cum coaeui fuerint, recte inde infertur, nimis properare GASSENDVM [o], CAVEVM [p] aliosque, qui ſub Hadriano Celſum collocant, niſi iuuentutem eius ſub extrema Hadriani tempora ponamus, quod ſi ſequimur, ſeptuagenario maior fuit Celſus, cum ad eum Lucianus ſcriberet. Rectius igitur ſtatuit H. VALESIVS [q], cuius partes ſequuntur SPENCERVS [r] et Io. FR. BVDDEVS [s] qui ſub M. Aurelio Antonino Celſum collocant, eundemque cum Celſo Luciani ἑτάιρῳ faciunt. Nec his obſtant ORIGENIS verba, fuiſſe hunc Celſum κατὰ Ἀδριανὸν, καὶ κατωτέρω. Nam haec quoque ſignificare poſſunt, *vixiſſe eum poſt Hadrianum vel extremis Hadriani annis et diu infra*, adeoque cum his temporum notationibus amice conſpirant. Quo vero animi charactere fuerit Celſus, ex Luciano diſcimus, qui veri amorem, morumque candorem et iucunditatem, et ſuperſtitionis odium in eo laudat, quod poſtremum ex Origenis quoque refutatione paſſim intelligi poteſt, ex quibus patet, eum a praeſtigiatorum artibus, qualia eſſe Ieſu miracula homo ineptiſſimus putabat, homines auocare voluiſſe; et vbi miracula Aegyptiacorum circulatorum laudat, recte notante ORIGENE [t], id dicis tantum gratia, et ad tenebras gloriae Ieſu Chriſti offundendas, facere. Eundem vero animum fouiſſe Celſum, qualem geſſit Lucianus, ſuperba et acerba irriſione ſacra omnia, quae cum Epicureis non conſentiebant, dogmatibus irridentem, luculenter demonſtrauit Origenes [u], planumque fecit, hominem eruditionis quidem et lectionis copia non deſtitutum in λόγῳ φιλαλήθει, quem contra Iudaeos et Chriſtianos ſcripſerat, iudicii ſanioris defectum et praeiudiciorum quandam cateruam prodidiſſe, longeque a verae philoſophiae dogmatibus aberraſſe, malum quoque veritatisque minime amantem animum prodidiſſe, malitia deteſtabili contra veritatem diuinam inflammatum. Quam hominis inſaniam docta et eleganti tractatione repreſſit ORIGENES [x], eumque haud raro propriis armis iugulauit [y]. Verum haec ab Epicuri ſectatore expectari aliter non poterant, odiumque Epicureorum in omnem religionem poſtulabat. Scripſit librum quoque *de bene viuendi praeceptis*, et *contra magiam*, librum-

n) T. I. p. m. 571.
o) Vit. Epicuri L. II. c. 6. p. 78.
p) Hiſt. liter. Script. eccleſ. p. 57.
q) Ad EVSEB. hiſt. eccl. L. VI. c. 35. et in pec. epiſtola ad Sarrauium, quam annotationibus ſuis inſeruit SPENCERVS L. VII. p. 85. 86.
r) loc. cit.
s) Syntagm. diſſ. theol. p. 463. DODWELL. ad Irenaeum p. 32. 500.
t) L. I. p. m. 54.
u) Conf. SPENCERVS ad Orig. p. 5.
x) Conſulendi de hiſtoria apologiae Origenis contra Celſum ſcriptores hiſtoriae literariae eccleſiaſticae, CAVEVS, DVPINVS, OVDINVS, FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. V. p. 219. Syllab. Script. de V. R. C. c. I. §. 14. p. 63. HVETIVS Origen. L. III. c. 3. ſect. II. §. 5. p. 267.
y) Conf. BVDDEVS l. c. p. 469. ſeqq.

Digitized by Google

librumque alium *contra Christianos*, Origeni memoratos omnes, qui vero interciderunt. Fuere alii quoque Celsi viris doctis memorati [z], ex quibus A. C. Celsum cum Epicureo nonnemo [a] confudit. Scripsisse quoque Celsum quendam historiam philosophicam, AVGVSTINVS [b] tradit, quam ad Epicureorum vnum refert IONSIVS [c], FABRICIVS [d] A. Cornelio Celso tribuit, cuius *sexta pars libri de artibus* veteribus memoratur. Etiam GALENVS [e] Celsi meminit, quem cum nostro pro eodem habet GASSENDVS [f], nos, seniorem Celsum esse, sub Nerone viuentem, FABRICIO [g] assentimur.

§. V. Alios, qui libris scriptis ingeniique monumentis relictis nominis immortalitatem consecuti sunt, Epicureos hodie ignoramus. Sunt tamen inter viros eruditione celeberrimos apud veteres quidam, qui Epicuri gregi annumerantur, eo quod magni fecere Epicurum, et in multis eius partes secuti sunt, reuera autem eclectice philosophandi viam ingressi, nulli se proprie sectae addixere; quos quoniam nec omittere plane indictos, nec commodiore loco enarrare potuimus, huc referre maluimus, quam meritissima de philosophiae historia nomina intacta dimittere. Plinium Seniorem intelligimus, Lucianum Samosatenum et Diogenem Laërtium, quos toties in enarrandis veterum doctrinis rebusque duces habuimus. *Alii Epicurei ignoti.*

§. VI. CAII PLINII SECVNDI, qui senioris nomine a fratris filio C. Plinio Caecilio distinguitur, res praeter scriptorem *vitarum* quae SVETONIO tribuuntur, tetigit Plinius iunior, qui et educationem literariam auunculi, et finem tragicum duabus epistolis [h] enarrauit; quibus, vt et locis quibusdam in historia mundi Pliniana occurrentibus adiutus MASSONIVS *Plinii vitam* expossuit, vt eos taceamus, qui scriptores classicos Latinos enumerantes, Plinii quoque res non omiserunt. Natus autem est Plinius, vir sui temporis eruditissimus atque literatissimus, Tiberio imperante in Italia. De patria eius valde disputatum est inter viros doctos: qui enim vitam eius enarrauit vetus auctor Nouiocomensem facit, quo, et duarum inscriptionum praesidio freti doctissimi Nouiocomenses ciues BENEDICTVS IOVIVS [i] et PAVLVS CIGALINVS [k] patriae suae Plinium vindicarunt, quorum sententiae calculum adiecit illustris EZECHIEL SPANHEMIVS [l]. Ast Veronae asseruit contra Cigalinum Plinium POLYCARPVS PALER- *Plinius iunior.*

z) Vid. SPENCER. l. c. p. 3. IONSIVS de Script. hist. phil. L. IV. p. 332. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 323.
a) Continuator VOSSII de sectis philos. c. V. §. 2. p. 158.
b) Praef. de haeres. ad Q. V. D.
c) loc. cit.
d) l. c. p. 325. not. d.
e) De libris propriis T. IV. p. 368.
f) l. c. p. 76.
g) Bibl. Graec. Vol. II. p. 809.
h) L. III. ep. 5. L. VI. ep. 16.
i) In historia Nouocomensi p. 213.
k) Duabus lectionibus de patria Plinii adiectis editioni Plinii Wechelianae p. 1061. seqq.
l) In orbe Romano p. 62.

LERMVS[m] duces ſecutus Alexandrum Benedictum, Torellum Saranam, Onuphrium Panuinium et Antonium Pantheam Veronenſes eruditiſſimos, quorum litem noſtram non facimus, nec tamen HARDVINO[n] credendum putamus, qui ex eo, quod Romam *vrbem noſtram* Plinius vocat, non Veronenſem, ſed Romanum facit, recte ideo notatus deſideratiſſimo CROSAEO[o]. In iuuentute equeſtribus militiis induſtrie perfunctum fuiſſe, ait *vitae eius auctor*, nepos autem ex fratre praefectum alae militaſſe, eoque tempore *de iaculatione equeſtri* ſcripſiſſe, etiam Germanico bello interfuiſſe, tradit. Sed et togatis artibus egregie ſe commendauit, quibus cum iungeret inſolitam eruditionem et lectionis copiam, elegantiſſimum ſe praebuit, ſed Neronis tempore ob metum ſaeuitiae caute ſatis doctrina ſua vſus eſt. Refert enim PLINIVS iunior[p], *dubii ſermonis octo ſcripſiſſe ſub Nerone libros vltimis annis, quum omne ſtudiorum genus paulo liberius et erectius periculoſum ſeruitus feciſſet.* Qui tamen libri dubia grammatica continuerunt, et loquendi ambiguitates enarrarunt, ſi veteribus grammaticis credendum, cum in maioribus occupari praeclara ingenia, eo tempore periculoſae res aleae eſſet: adeoque ſcepticae meditationes in iis non quaerendae ſunt[q]. Quod vero ſub Nerone et Domitiano non poterat, indulſit Veſpaſiani clementia, apud quem gratioſum fuiſſe nepos refert, addens, noctibus etiam eum ſecum habuiſſe. Hinc muneribus ſplendidiſſimis auctus procurationes quoque continuas ſumma induſtria adminiſtrauit, diſtentus occupatusque non officiis tantum maximis, ſed et amicitia principum[r]. Edi vero ſummam laudem meruit ingens et inexhauſta viri lectio, et eruditio copioſiſſima, multo tamen magis admirationi fuit induſtria ſumma et incomparabilis, qua inter fori cauſſarumque ſtrepitus, et armorum fragores, inque muneribus grauiſſimis atque maximis et in aula infinita legit, excerpſit, ſcripſit. Qua de re dignus omnino eſt, qui audiatur PLINIVS iunior, ita ad Macronem ſcribens[s]: „Miraris quod tot volumina, „multaque in his tam ſcrupuloſa homo occupatus abſoluerit? magis mi„raberis, ſi ſcieris, illum aliquandiu cauſſas actitaſſe, deceſſiſſe anno „LVI, medium tempus diſtentum impeditumque, qua officiis maximis, „qua amicitia principum, egiſſe. Sed erat acre ingenium, incredibile „ſtudium, ſumma vigilantia: Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non „auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi, aeſtate ſtatim a nocte multa, hieme „vero ab hora ſeptima, vel cum tardiſſime, hora octaua, ſaepe ſexta. „Erat ſane ſomni parciſſimi, nonnunquam etiam inter ſtudia inſtantis et „deferentis. Ante lucem ibat ad Veſpaſianum imperatorem, nam ille „quo-

m) Libris III. de vera Plinii patria Verona contra Pauli Cigalini aliorumque ſententiam, Veron. 1608 4.
n) Chronolog. V. T. p. 212.
o) M. VEISS. LA CROZE Vindic. veter. Scriptor. p. 146. conf. ONVPH. PANVIN. Comm. ad faſt. 1351. VOSSIVS de hiſt. Lat. L. I. c. 29. p. 153.
p) L. III. ep. 5.
q) Conf. VOSSIVS l. c. Inſtit. orat. L. V. c. 7. §. 7. p. 353.
r) Vitae Plin. auctor, PLINIVS iun. II. cc.
s) loc. cit.

ized by Google

„quoque noctibus vtebatur, inde ad delegatum ſibi officium: reuerſus „domum, quod reliquum erat tempus, ſtudiis reddebat. Poſt cibum „ſaepe, quem interdiu leuem et facilem veterum more ſumebat, aeſtate, „ſi quid otii, iacebat in ſole, liber legebatur, adnotabat excerpebatque. „Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere enim ſolebat, nullum „eſſe librum tam malum, vt non aliqua parte prodeſſet. Poſt ſolem ple„rumque frigida lauabatur, deinde guſtabat, dormiebatque minimum. „Mox quaſi alio die ſtudebat in coenae tempus: ſuper hanc liber legeba„tur, adnotabatur, et quidem curſim, ob parſimoniam temporis. Surge„bat aeſtate a coena luce, hieme intra primam noctis, et tanquam aliqua „lege cogente. Haec inter medios labores urbisque fremitum. In ſe„ceſſu ſolum balinei tempus ſtudiis eximebatur. Quum dico balinei, de „interioribus loquor: nam dum diſtringitur tergiturque, audiebat aliquid, „aut dictabat. In itinere, quaſi ſolutus ceteris curis, huic vni vacabat. „Ad latus notarius cum libro et pugillaribus, cuius manus hieme manicis „muniebantur, vt ne coeli quidem aſperitas vllum ſtudii tempus eripe„ret: qua ex cauſſa Romae quoque ſella vehebatur. Repeto, me corre„ptum ab eo, cum ambularem? Poteras, inquit, has horas non perdere. „Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur. „Hac intentione tot iſta volumina peregit electorumque commentarios „centum ſexaginta mihi reliquit, Opiſtographos quidem et minutiſſimis „ſcriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipſe, po„tuiſſe ſe, quum procuraret in Hiſpania, vendere hos commentarios Lar„gio Licinio quadringentis millibus nummum, et tunc aliquanto paucio„res erant.„ Hactenus de auunculo Plinius, qui eam nobis induſtriam ſtudiorumque ardorem enarrat, qualem rariſſime inuenias alibi. Luculentus rei huius fides eluceſceret, ſi extarent adhuc libri eius [t], quos nobis idem enumerat Plinius, et in quibus hiſtoriam pariter atque dicendi artem luminibus illuſtrauit ſuis. Quibus nobis ereptis magno tamen eruditorum commodo ſuperſunt hodie *hiſtoriae mundi libri XXXVII*, quibus hiſtoriam nobis dogmaticam naturalem exhibuit, opus arduum, difficileque, et eruditionis, lectionisque atque patientiae Plinii teſtimonium luculentiſſimum, quod Amaltheae cornu veteris doctrinae recte dixeris [u]. In quinque primis enim libris coſmographiam et geographiam, in ſequentibus ad decimum vsque naturam animalium, a decimo ad decimum nonum plantas, agrorum, pratorum, hortorum culturam, a vigeſimo ad trigeſimum ſecundum medicinam ex animalibus et plantis, a trigeſimo tertio ad finem metalla, lapides, artificesque, pictores, ſtatuarios aliosque

t) Conf. VOSSIVS l. c. FABRICIVS Bibl. Lat. T. I. p. 401. T. II. p. 562. ſeqq.

u) Editionum hiſtoriam enarrat FABRICIVS l. c. p. 405. inter quas poſt DALECHAMPII et GRONOVIO recoctam eminet Io. HARDVINI nitida editio. De illa vid. Io. FABRIC. hiſtor. Bibl. ſuae T. VI. p. 568. de hac CLERIC. Bibl. vniu. T. V. p. 7. T. XV. p. 247. T. XXI. P. I. p. 132. eam nitide recudendam expectamus ab elegantiſſimi viri Io. MATTH. GESNERI diligentia.

ita enumerat, vt ex infinita lectionis copia inexhauſtos fere veteris doctrinae theſauros nobis exhibeat, et innumera pandat, quae obliuione ſepulta manſiſſent, niſi e puluere et ſqualore in lucem produxiſſet Plinii diligentia. Variis tamen iudiciis exceptum opus immenſi ſtupendique laboris; aliis in coelum extollentibus, aliis exiguum ei pretium ſtatuentibus, vt ex ſententiis virorum doctorum, a THOMA POPE-BLOVNTIO [x] de Plinio collectis, videre eſt. Nos ineſſe magno corpori naeuos magnos negandum quidem non eſſe putamus. Inter quos hic potiſſimum notari meretur, quod nec ſatis ad ſcriptorum, quos ſecutus eſt, fidem attenderit, hincque ſexcentas fabulas nobis obtruſerit, nec ſemper feliciter in aſſequendo ſcriptorum Graecorum, quos plerumque ſequitur, ſenſu verſatus ſit. Quemadmodum vero illud amanuenſium inſcitiae atque negligentiae potiſſimum tribuendum eſt, qui excerpta ex auctoribus ad eum deferebant, vt ab eo in ordinem redigerentur; ita omnino venia danda eſt Plinio, eam in praefatione [y] ad Veſpaſianum verecunde exoranti, vbi eleganter et ex vero: *Praeterea iter eſt, non trita auctoribus via, nec qua peregrinari animus expetat. Nemo apud nos, qui idem tentauerit, nemo apud Graecos, qui vnus omnia ea tractauerit. Magna pars ſtudiorum amoenitates quaerimus, quae vero tractata ab aliis dicuntur immenſae ſubtilitatis obſcuris rerum tenebris premuntur. Iam omnia attingenda quae Graeci ἐγκυκλοπαιδείας vocant, et tamen ignota aut incerta ingeniis facta. Alia vero ita multis prodita, vt in faſtidium ſint adducta. Res ardua vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae ſuae omnia. Itaque etiam non aſſecutis voluiſſe abunde pulchrum atque magnificum eſt.* Et paulo poſt: *Nec dubitamus, multa eſſe, quae et nos praeterierint. Homines enim ſumus, et occupati officiis, fucciſuisque temporibus iſta curamus, id eſt, nocturnis.* Hac aequitate frui Plinium virum ſummum aequum eſt, nec ad noſtrorum temporum lumina, quibus naturae hiſtoria poſt mille et ſexcentos annos illuſtrata eſt, Plinianum exigendum crepuſculum [z]. Multa quoque exſcriptoribus imputanda [a], qui adeo immenſi laboris opus lacerarunt corruperuntque, vt de vero eius ſenſu ſaepe vix coniecturis ſtatui queat. Quae tamen omnia non obſtant, quo minus aequiſſima conditione ſubſcribamus iunioris Plinii iudicio, vocantis *opus diffuſum, eruditum, nec minus varium, quam ipſa natura:* licet nimia lectionis copia haud raro vim ſuppreſſerit iudicii. In philoſophiae vero dogmatibus non vni ſuperſtitioſe ſectae adhaeſiſſe Plinium, ſed ex aliarum quoque ſectarum placitis, vt mos inoleuerat eo tempore quo ſcribebat, paſſim quaedam in rem ſuam transtuliſſe, ex hiſtoria naturali facili inductione probari poteſt, quae ſine dubio cauſſa fuit, cur eum

x) Cenſ. celebr. auctor. p. 128.

y) Suppoſitam hanc praefationem eſſe Plinio contendit HARDVINVS l. c. ſed nulla veriſimilitudine.

z) Conf. MARVILLE melanges de literat. T. III. p. 438. edit. recent.

a) Id. item SYMMACHO obſeruatum L. I. ep. 24.

eum inter Epicureos non recenſuerint GASSENDVS et FABRICIVS [b]. Nam non tantum Epicureum de mundis innumerabilibus dogma, furorem vocat [c], ſed in rebus etiam magnis ad ſcepticorum aciem digreditur [d]; Pythagoreum quoque de harmonia et ſonitu circulorum mundi aſſidua vertigine rotatorum non improbat [e]; et hunc mundum quacunque in parte totum eſſe ſenſum, totum viſum, totum auditum, totum animae, totum animi, totum ſui, id eſt Deum, cum Stoicis dicit [f]. His vero non obſtantibus in multis Epicurum quoque ſequitur, et ignem ſummum elementum eſſe ait [g], et prouidentiam Dei irridet [h], et alia ex hortis Epicuri admittit. Id quod anſam dedit viris doctis [i], Plinium inter Epicureos connumerandi. Nos, ſi quid videmus, eadem prorſus ratione, qua alii viri magni apud Romanos vſi ſunt, Plinium in Graecorum philoſophia verſatum fuiſſe, iudicamus, vt nulli ſectae adhaerens, eas ſibi opiniones paſſim deligeret, quas tractationi ſuae maxime inſeruire, et aptas eſſe argumento ſuo iudicaret. Hinc mox Scepticus eſt, mox Epicureus, mox Stoicus, prout occaſio ferebat. Ex his vero atheiſmi obiectio enata eſt, quam notam complures [k] Plinio inſſerunt. Cum enim varia ratione de diuinis differeret, et mox diuinam prouidentiam irrideret, mox naturam Deum faceret, non potuit non impietatis fieri ſuſpectus. Magis tamen Stoicos, quam Epicureos in doctrina de Deo ſequitur, ita enim vere Stoice [l]: *Mundum, et hoc, quod nomine alio coelum appellare libuit, cuius circumfluxu regumtur cuncta, numen credi par eſt, aeternum, immenſum neque genitum, neque interiturum vnquam. Sacer eſt, aeternus, immenſus, totus in toto, immo vero ipſum totum, finitus et infinito ſimilis, omnium rerum certus et ſimilis incerto, extra, intra, cuncta complexus in ſe: idemque naturae rerum opus et rerum ipſa natura.* Eadem enim ratione, et iisdem fere verbis SENECA [m] quoque decreuit. Aſt ſi ita cum Zenone de Deo ſtatuit Plinius, cur *irridendum* pronuntiat, *agere curam rerum humanarum illud, quicquid eſt ſummum*, cur *tam triſti atque multiplici miniſterio pollui illud* non dubitat? cur Epicurea Stoicis, quadrata adaptat rotundis? Annon haec luculento teſtimonio ſunt, Plinium de certo et cohaerente ſyſtemate non cogitaſſe, et hiſtoricum magis naturalem, quam philoſophum ſe praeſtitiſſe? de Deo vero incertum haeſiſſe, vtrum haec vniuerſi compages pro Deo habenda, vel vis quaedam diuina in illa latens admittenda? Ex quibus quid de crimine illi imputato ſtatuendum ſit, liquet. Quod enim poſt Zwingerum vrget FABRICIVS [n], ad-

b) locis ſupra citatis.
c) L. II. c. 5.
d) L. II. c. 7.
e) L. II. c. 5.
f) L. II. c. 7
g) L. II. c. 5.
h) L. II. c. 7.
i) Vid. ex multis SAM. PARKERVM de Deo diſp. I. p. 63. IAC. THOMAS. praef. T. II. p. 1. REIMMANN. hiſt. ath. c. 28. p. 201. FABRICIVM Bibl. Lat. T. I. p. 402. STOLLE hiſtor. liter. P. II. pag. 533. hiſtor. philoſ. moral. gent. p. 350.
k) Plerosque nominauit REIMMANNVS l. c. add. STOLLIVS l. c. Hiſt. de la phil. payenne p. 72. Otium Viadelicum Mel. II. §. 6. p. 149. ſeqq.
l) L. II. c. 1.
m) Praef. Qq. natur.
n) Bibl. Lat. T. II. p. 364.

ſpergere paſſim grauiſſimas ſententias et iudicium de vanitate rerum humanarum, mortaliumque ſtultitia, ſpeciatim de perditis Romanorum per opes moribus, nec minus de mira ſapientia ac prouida arte, fidemque omnem ſuperante vi naturae, parum ad eum abſoluendum habet ponderis, cum talia ex athei quoque calamo proficiſci queant, certe Epicureus quisque ea praecipere poſſit, ipſeque Epicurus praeceperit, licet ab huius mundi cura et influxu Numen totum remouerit. Tanta vero cum ineſſet Plinio cupiditas naturae opera et miracula cognoſcendi, attulit tandem viro doctiſſimo laudabilis curioſitas fatale exitium, quod iunior PLINIVS *) ita narrat: „Erat Miſeni, „claſſemque imperio praeſens regebat: cum nunciaretur ei, apparere „nubem inuſitata et magnitudine et ſpecie, quam e Veſuuio exortam „poſtea cognitum eſt. Magnum propiusque noſcendum id eruditiſ„ſimo viro viſum. Iubet Liburnicam aptari. Retinae claſſiarii imminen„ti periculo exterriti, vt ſe tanto diſcrimini eriperet, orabant. Non ver„tit conſilium, ſed quod ſtudioſo animo inchoauerat, obit maximo. De„ducit quadriremes, aſcendit ipſe, non Retinae modo, ſed multis latu„rus auxilium. Properat illuc, vnde alii fugiunt, rectumque curſum, „recta gubernacula in periculum tenet, adeo ſolutus metu, vt omnes il„lius mali motus, omnes figuras, vt deprehenderat oculis, dictaret, eno„taretque. Iam nauibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior „et denſior; iam pumices etiam nigrique et ambuſti et fracti igne lapides; „iam vadum ſubitum, ruinaque montis litora obſtantia, cunctatusque „paulo an retro flecteret, mox gubernatori, vt ita faceret, monenti, „fortes inquit, fortuna iuuat: Pomponianum pete. Stabiis is erat; ibi „quanquam nondum periculo appropinquante, conſpicuo tamen, et quum „creſceret, proximo, ſarcinas contulerat in naues, certus fugae, ſi con„trarius ventus reſediſſet. Quo tunc inuectus ſecundiſſimo, trepidantem „conſolatur, hortatur, vtque timorem eius ſua ſecuritate leniret, defer„ri ſe in balineum iubet, lotus accubat, coenat, atque hilaris, aut, quod „aeque magnum, hilari ſimilis. Interim e Veſuuio monte pluribus locis „latiſſimae flammae atque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas „tenebris noctis excitabatur. Ille agreſtium trepidatione igni relictas de„ſertasque villas per ſolitudinem ardere in formidinis remedium dictitabat, „tum quieti ſe dedit, et veriſſimo quidem ſomno. Sed area, ex qua diae„ta adibatur, ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta ſurrexerat, vt, „ſi longior in cubiculo mora eſſet, exitus negaretur. Excitatus procedit „ſeque Pomponiano, ceterisque, qui peruigilarant, reddit. In commu„ne conſultant, an intra tecta ſubſiſtant, an in aperto vagentur. Nam „crebris vaſtisque tremoribus tecta nutabant, et quaſi emota ſedibus ſuis,

„nunc

*) L. VI. epiſt. 16. adſcripſimus elegantiſſimam Plinii narrationem fere totam, cum pulchram particulam hiſtoriae celeberrimi phaenomeni contineat, et inſint ei quaedam, quae characterem Plinii ſenioris egregie detegunt.

Digitized by Google

„nunc huc nunc illuc abire aut referri videbantur; ſub dio rurſus, quan-
„quam leuium exeſorumque pumicum caſus metuebantur. Quod tamen
„periculorum collatio elegit, et apud illum quidem ratio rationem, apud
„alios timor timorem vicit. Ceruicalia capitibus impoſita linteis conſtrin-
„gunt: id munimentum aduerſus decidentia fuit. Iam dies alibi, illic
„nox omnibus noctibus nigrior denſiorque, quam tamen faces multae
„variaque lumina ſoluebant. Placuit egredi in littus, et e proximo aſpi-
„cere, ecquid iam mare admitteret, quod adhuc vaſtum et aduerſum
permanebat. Ibi ſuper abiectum linteum recubans ſemel atque iterum
„frigidam popoſcit hauſitque; deinde flammae, flammaeque praenuntius
„odor ſulfuris alios in fugam vertunt, excitant illum. Innixus ſeruis
„duobus aſſurrexit, et ſtatim concidit. Vbi dies redditus, corpus inuen-
„tum eſt integrum, illaeſum opertumque, vt fuerat indutus, habitus cor-
„poris quieſcenti quam defuncto ſimilior“ [p]. Hunc finem habuit naturae interpres et indagator ſolertiſſimus, diutius victurus, niſi curioſus nimis in naturae arcana penetrare cupiuiſſet.

§. VII. LVCIANVS pleraque, quae ad vitae ſuae hiſtoriam perti- *Lucianus.*
nent, dialogis ſuis paſſim immiſcuit, et imprimis partem eius in ſomnio enarrauit, pauca quoque de eo attigit SVIDAS [q], ex recentioribus vero in exponenda Luciani vita poſt GILBERTVM COGNATVM [r] deſudarunt IACOBVS ZWINGERVS [s], et IOANNES BOVRDELOTIVS [t], quam annotationibus auxit FABRICIVS [u]. Fuit natione Syrus Samoſata, vrbe ad Euphratem ſita, oriundus, et ſi SVIDAS [x] admittendus eſt, qui ſub Traiano eum fuiſſe ait, ſub hoc tantum imperatore natus eſt, cum ad Antoninorum et Commodi tempora proprie pertineat, vt ex ſcriptis eius ſatis luculenter conſtat. Meminit enim Seueriani [y], Titiani, Vologeſi, Frontonis, virorum ſub Antoninis viuentium; ſcripſit ad Celſum pſeudomanten; narrat Peregrini finem tragicum, quem contigiſſe imperante M. Aurelio Antonino A. C. CLXVIII, ſupra euicimus. Vocat etiam, vt ſupra quoque monitum, M. Aurelium imperatorem diuum. Auidium Caſſium quoque tangit [z], et quae alia ſunt, ad Aurelii et Commodi tempora pertinentia. Quod ſi ſub Commodo adhuc vixit Lucianus, qui A. C. CXCI, interfectus eſt, vix potuit Lucianus, licet grandaeuum obiiſſe ſupponamus, naſcendo Traiani tempora attigiſſe. Ex quibus recte concluditur, errare eos, qui a Suida ſeducti ſub Traiano et Hadriano eum floruiſſe dicunt [a], longiusque a vero diſcedere

p) Refert vitae eius auctor: „Exiſtimare „quosdam a ſeruo ſuo occiſum, quem deficiens „aeſtu, vt necem ſibi maturaret, orauerit.“

q) In Lucianus T. II. p. 457. ſeqq.

r) Additum elogium Luciani editioni ab eo curatae.

s) Eiſdem haec vita Luciani, ſcholaſtica methodo adornata, adiecta eſt editioni operum Luciani Baſileenſi.

t) Praefixit is vitam Luciani operibus eius a ſe Pariſiis editis.

u) Bibl. Graec. Vol. III. p. 485. ſeqq.

x) loc. cit.

y) Quomodo hiſt. ſcrib. T. II. p. 343. z) Ibid.

a) COGNATVS et ZWINGERVS ll. cc.

dere LVDOVICVM VIVEM [a], coniicientem, gratiam qua Plutarchus Chaeronenſis apud Traianum floruit, ità inuidia aduſliſſe Lucianum, vt amare philoſophos traduceret. Si itaque non totus deferendus eſt Suidas, ſcriptor in notationibus temporum maxime inaccuratus, ſtatuendum, extremis Traiani temporibus natum poſtea floruiſſe, et ad Commodum vsque perduraſſe [b]. Id quod Suidae verba facile admittunt, qui Lucianum fuiſſe ait ἐπὶ τῦ Καίσαρος Τραϊανῦ καὶ ἐπέκεινα. Patris nomen ob obſcuritatem ſine dubio et paupertatem ignoratur [c]. Educationem ipſe deſcripſit, ex quo patet, parum facultatum filio patrem reliquiſſe. Cum deſiiſſet in ludum ire, paulo plenius eo adoleſcente, de vitae genere eligendo pater cum amicis pro filio conſultauit. Recuſabant plerique literarum ſtudia, eo quod et labore multo, et tempore longo et ſumtu non exiguo, et fortuna quadam opus haberent, quae apud ipſos non inuenirentur: ars autem quaedam mechanica vitae ſuſtentandae ſufficeret: eumque haberet auunculum, qui tum ſtatuarius habebatur optimus, illi in diſciplinam traditus eſt, eo quod natura ad fingendum aptus videretur. Felici haec ſuſcepta credebantur genio, quod et arti idoneus videbatur, et ipſi apud aequales laudi et oſtentationi ceſſurum exiſtimabatur, verum aliter res cecidit. Cum enim artis periculum facturo lapideam tabulam auunculus exhibuiſſet, durius eo impingente, tabula rumpebatur, cui rei indignatus ille ſcuticam quandam prope iacentem corripiens, duriſſimis plagis eum excepit et quaſi initiauit, largiſſimosque lacrimarum imbres illi prouocauit. Cum eiulatu itaque auſugiens domum properauit. vibices oſtendit, apud matrem fratris eius crudelitatem accuſauit, moeroreque oppletus graui tandem, cum nox ſuperueniſſet, ſomno obdormiuit. Ea in nocte diuina ſe ſomnia habuiſſe narrat: Duas illi per ſomnium apparuiſſe mulieres, ſcribit, qui manibus eum corripientes in diuerſum traherent, et quaelibet violenter eum ſibi vindicaret. Alteram fuiſſe operariam marmoreo puluere oppletam, alteram honeſtam faciem prae ſe ferentem, veſtesque mundas indutam. Illam, ait, cum ſtatuaria eſſet, optione ipſi facta, artem hanc a maioribus exercitam valde commendaſſe, artificesque in ea arte inclytos illi collaudaſſe, et enumeraſſe honores atque nominis celebritatem, ad quam illi fuerint eniſi. Hanc, Humanitatis ſtudium ſe prae ſe ferre, dixiſſe, et contemta arte populari, ex qua nec diuitiae, nec honores, nec amicitiae magnae prouenturae ſint, expoſuiſſe virtutes et praeſtantiam, qua ornatus animo, et diuina et humana omnia breui ſpatio edocendus ſit, et laudibus euehendus ſummis, et diuitiis ornandus atque honoribus augendus praecipuis. Attuliſſe etiam exempla virorum magnorum, eruditionis claritate immortale nomen conſecutorum, et imprimis dicendi gloriam ei maxime commendauiſſe. Quibus auditis

a) De verit. relig. Chriſt. L. II. p. 11. 220.

b) Conf. VOSSIVS de rhetor. c. 18. p. 98. de hiſtor. Graec. L. II. c. 15. p. 232. IONSIVS de Script. hiſt. phil. L. III. c. 10. p. 266.

c) Iuniorem adhuc Lucianum facit HENR. DODWELLVS de Iſidoro Characeno c. 5. Geograph. minor. T. II. quod ex dictis facile diiudicari poteſt

auditis relicta statuaria transisse se ad humanitatem, eo quod scutica semper in memoria haereret. Haec vere quidem obtigisse sibi nobis persuadere vult Lucianus, ast accuratius attendenti verisimile prorsus est, oratorum more haec finxisse Lucianum, et eleganti imagine vsum eam decertationem ostendisse, quam post derelictam statuarii officinam anceps de eligendo vitae genere excitabat mens, de futuris sollicita. Quidquid vero illud fuerit, hoc certum, bonis, quod aiunt, auibus Lucianum ex puluere lapidicinae ad Musarum ianuas transfugisse. Quamuis autem paupertate valde premeretur, ea tamen magistra vsus ex patria Antiochiam secessit, studiis, quibus imbutus fuerat in patria, leuioribus grauiora et meliora additurus[d]: naturalique eloquentiae dono fortunam in dicendis caussis experturus [e]. Neque tamen propitiam in eo consilio exequendo Mineruam expertus est. Cum enim intelligeret, *quam improbae res*, vt ipse scribit [f], *caussidicos necessario comitarentur, nimirum fraus, mendacium, temeritas, vociferatio, conflictatio aliaque infinita*, adeo ab hoc vitae genere abhorruit, vt in eo versari amplius recusaret, et ad philosophiam se conferret, ei potissimum eloquentiam suam addicturus. Hunc finem vt obtineret, et nominis quoque aliquam sibi celebritatem conciliaret, per varias terras atque regiones peregrinatus eloquentiae sibi laudem peperit, iuuenisque per Hispaniam Galliamque in solennibus conuentibus inter oratores magna mercede conductos cum applausu audientium numeratus est [g]. Ex Gallia in Graeciam profectus Macedoniam petiit, in Ionia quoque et Achaia uersatus masculum dicendi genus et virile quoddam robur excoluit, cuius aliquot hodie specimina superstant [h]: Neque vero diutius ei placere potuit sophistarum conditio, eo quod rhetores fallis et inanibus artibus mercedem et diuitias quaerere, non vero seruire virtuti, videbat [i]. Procul itaque ire iussa dicendi exercitatione totus philosophiae se tradidit, non, quae vanis speculationibus ambitionem pasceret, sed quae mores emendaret, felicitatique humani generis inseruiret. Probe enim perspiciebat, parum vtilitatis afferre disciplinas, nisi quis vitam ex iis haberet doctrinae consentaneam, et in melius se emendantem. Neque ex solis libris hauriendam philosophiam esse statuit, sed adeundam virorum proborum conuersationem, et vtendum, tanquam gymnasio quodam, eorum consuetudine, eruditionem autem a recto sensu bonisque institutis abducere istos, qui ad solos libros eorumque argumenta et sensus respicerent. Neque esse operae pretium, si quis disciplinas per-

d) Coniecturam ex LVCIANI Hercule facit COGNATVS in elogio Luciani, adolescentem eum in Gallia et aliis in locis, Rhetoricam publice professum esse. Nihil vero horum in isto dialogo dicitur, sed id tantum, fuisse adolescentem in Gallia, vbi Druidum vnus eloquentiam sub Herculis imagine ei commendauerit.

e) In reuiuisc. T. III. p. m. 156.

f) Ibid.

g) Apolog. pro mercede conductis T. I. p. m. 385.

h) Herodot. T. III. p. m. 219. quomodo confer. histor. T. II. p. m. 379.

i) Reuiuisc. T. III. p. 156.

Digitized by Google

perdiſcat, ni ſimul et vitae rationes ad id quod eſt optimum, accommodet atque componat, ſaepe enim videri alios verbis excellentes, qui factis ipſis riſui aliorum ſe exponerent. Quas cogitationes valde confirmabat exemplis eorum philoſophorum, qui indigne philoſophiae nomine viuentes, in libidinem ferebantur, et conuiciis certabant, et ſupra modum ſe cibis potuque ingurgitabant, et a vociferationibus ad conſerendas vsque manus pergebant, et turpia quaeuis atque indecora perpetrabant [k]. Quae et alia, quae magno numero et pondere paſſim tradit, ſatis produnt, rectas ſanasque de philoſophia notiones inſediſſe Luciani animo, nec illotis, quod aiunt, manibus ad eius ſtudium eum acceſſiſſe. Id quod fauentioribus etiam Muſis facere potuit, cum eum ſe praeſtare contenderet, qui arrogantiae, impoſturae, mendacii, et faſtus oſor eſſet, veritatem autem, honeſtatem ſinceritatemque, et quaecunque amore digna ſunt, vehementer diligeret [l]. Talis cum eſſet, ſectariae ſe philoſophiae tradere totum non potuit, et quaecunque vero maxime conformia iudicabat, ex omnibus ſectis excoluit, cuius exempla quamplurima in dialogis eius, qui ad philoſophiam eiusque hiſtoriam pertinent, occurrunt: in quibus ſale quidem amaro et ſatyrico perfundit ſaepiſſime falſos philoſophos, et Pſeudo-philoſophiam ludibrio exponit atque riſu feſtiuiſſimo excipit; haud raro tamen doctrinas quoque morales proponit vtiliſſimas, et eloquentiae melle condit dulciſſimo, ſicque rhetorem agit philoſophum, qualem ſupra in Dione, Maximo Tyrio, Themiſtio aliisque huius aetatis viris ſummis, qui dicendi artes cum philoſophiae praeceptis coniunxerunt, deprehendimus. Fateturque ipſe, *ſe, poſteaquam ad philoſophiam transgreſſus eſſet, prout neceſſarium erat, omnes omnino vitae optimae legislatores admiratum fuiſſe, tanquam qui manus ad eos feſtinantibus porrigerent, ad optimaque et vtiliſſima adhortarentur, modo quis ad has regulas vitam componere vellet* [m]. Qua in re plerisque aliis, qui ſectariam philoſophiam faſtidientes in ſyncretiſmum delapſi ſunt, philoſophatus eſt melius atque magis ſobrie, et veram quandam philoſophiam eclecticam excoluit. Hac via ſemel inita non poterat non vir ſupra modum argutus et ad ridendum quaſi factus ea ludibrio exponere, quae in ſectaria philoſophia Graecorum ipſi merito diſplicebant, et de quorum vanitate ipſe eo fortius iudicabat, quo magis mutuis inter ſe telis confoſſos ſectarios philoſophos cadere videbat. Quae occaſio fuit PHOTIO [n] et recentioribus nonnullis [o] Lucianum inter ſcepticos numerandi; aſt perperam, cum Socraticus potius dicendus ſit, cuius luculentum ipſe exem-

k) Eleganter prorſus et viuis imaginibus eloquentiam philoſophiae ſobriae inogit, et characteres verae falſaeque eruditionis et philoſophiae depingit in conuiuio T. IV p. 366. Qui dialogus non tantum ad cognoſcendos illius temporis mores, ſed et ad mentis emendationem veramque philoſophiae hauriendam notionem ab omnibus legi meretur.

l) Reuiuiſcent. l. c.

m) Ibid. p. 366.

n) Cod. CXXVIII. p. 165. conf. epigramma vetus infra dandum.

o) Continuator VOSSII de ſectis c. V. §. 2. p. 158. c. XIII. §. 3 p. 214. c. XIV. §. 6. p. 216. HUETIVS de imbecill. intell. hum. L. I. c. 14. §. 51. p. 160. ſeqq.

Digitized by Google

exemplum exhibuit [p]. Nulli tamen magis ſectae fauit, quam Epicuri, cuius partes valde commendauit. Illius enim gregis homines laudat, velut impoſturae proditores acutiſſimos [q], Epicurum vocat virum, qui rerum naturam perſpectam haberet, quique vnus, quid in his eſſet verum, videret [r]: in eo laudandum ducit, quod quae Pythagorici, Stoici, Platonici, de ſpiritibus eorumque in rebus naturalibus operationibus tradunt, ille haec omnia ridicula ac ludicra duceret [s]. Epicurei porro inter tam multos inſanientes vni illi ſani videntur [t]; Epicuri ratas ſententias librum ait eſſe longe pulcherrimum, qui ingens afferat commoditatum pondus iis, qui in eo legendo verſentur, quique inſignem ex eo quietem, tranquillitatem, libertatem accipiant, eo quod a pauoribus, a ſpectris ac prodigiis eos liberaret, tum ſpes inanes atque immodicas cupiditates adimeret, mentem ſanam ac veritatem inſereret, et luſtraret animum non taeda quidem aut ſquilla, ſed recta ratione atque veritate [u]. Sed et ipſum ſe inter Epicureos numerat, qui arma contra Alexandri praeſtigias ceperunt, et contra quos ille implacabile ſuſcepit odium [x]. Celſum vero Epicureum, propter ſapientiam ſingularem et amorem veri ac morum manſuetudinem omnium maxime vnum ſuſpicere fatetur [y], et feſtiuiſſimam de Alexandri impoſturis narrationem ſe compoſuiſſe dicit [z], vt Epicurum vleiſceretur, virum vere ſacrum, ingenioque diuino, quique ſolus, quae vere ſunt honeſta, et nouerit et tradiderit, quique ſolus extiterit, qui liberos reddere ſolitus ſit eos, qui ſecum haberent conſuetudinem. Ex quibus omnibus larga manu datis manifeſtum eſſe putamus, valde ad ſectam Epicuream, praecipue quoad naturalem eius partem, inclinaſſe Lucianum, licet aliarum quoque ſectarum capita non plane contemneret, nec erraſſe hoc ſenſu viros doctos, qui poſt veterem ſcholiaſten eum inter Epicureae ſectae addictos retulerunt [a]. Quamuis autem haec omnia ita ſe habeant, vt magnam inter philoſophos laudem nactus ſuo iure videatur Lucianus, nec potuerit non animus acute videns, ingeniumque feſtiuum errores, lapſus et vitia philoſophorum, quibus eam aetatem ſcatuiſſe, nec ſeuera Epicteti frons ferre potuit, ſalſe ridere, et natiuo quodam lepore traducere, ſicque iucundam aliquam malo grandi et intolerabili, medicinam afferre; improbandum tamen omnino in eo eſt, quod exemplis quibusdam philoſophorum, circumforanea impoſtura incautos decipientium inductus, quicquid fere placitis ſuis, magnam partem ex Epicuri ſchola hauſtis non conſentiebat, in eandem claſſem retulerit, et tantum non omnem philoſophorum gentem, ſolo Epicuro excepto, inter impoſtores numerauerit, cuius exempla quamplurima occurrunt, maxime vero in *vitarum auctione*, in quo dialogo veneranda atque cana

p) In Hermotimo T. II. p. m. 170.
q) In Alex. T. I. p. m. 549.
r) pag. 550.
s) pag. 551. t) p. 569.
u) pag. 570. x) p. 576. 581.
y) pag. 583. z) p. 584.
a) GASSEND. vit. Epic. L. II. c. 6. p. 76. VOSSIVS de ſectis c. VI. §. 24. GVIL. CAVE Hiſt. liter. ſcript. eccleſ. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 486.

Digitized by Google

Graeciae capita tantum non omnia acerbiſſime traduxit. Quod cum magnam ei inuidiam conflaſſet, in *piſcatore* quidem apologiam quandam pro ſe dixit, et ſe eos tantum ridendos propinaſſe faſſus eſt, *qui egregias eorum doctrinas mercede docent, et diuites admirantur, et argento inhiant, vitiisque riſum aliis mouent, circa ianuas diuitum ſe conculcantes, coenasque diuerſas appetentes, et in illis ipſis moleſte laudantes ac vltra honeſtatem ſe ingurgitantes, cuncta reprehendentes, et inter calices illepida et abſona philoſophantes.* Veros autem philoſophos, et in his maxime Demonactem eximie laudauit. Neque tamen ita omnem reprehenſionem euitaſſe cenſendus eſt. Quid enim ad ſui temporis philoſophos attinebat [b], Pythagorae aureum femur, ex fabula enatum, tanquam propudioſam impoſturam traduci? Ariſtippo temulentiam exprobrari? Diogenis Cynici mores canibus, quam philoſopho digniores, depingi? Democritum et Heraclitum ex fabulis vulgi derideri? Socratem *παιδερασίας* criminis ſuſpectum fieri? ideasque male intellectas nec ad eum pertinentes illi ridicule affingi? Chryſippum velut nugatorem contemtui exponi? Ariſtotelem velut inepte argutum ſubſannari? Pyrrhoni, tanquam rerum omnium ignoranti illudi? Et, quod mireris, ipſam Epicuri voluptatem reprehendi? Non ſcripſiſſe haec omnia Lucianum ex vera animi ſententia, et perſpexiſſe fabulas vulgi de philoſophis multa pulcherrime mentientis, facile pro Luciano dicenti credemus [c]; aſt indigna ea ratio, de viris bonis et aeternitati nominis traditis ea corradere, quae, vera, falſane ſint, dicuntur tamen et ridentur. Verum cum naturali ad ſatyram propenſione ferretur Lucianus, eaque eſſet ingenii viuaciſſimi amoenitas, quae *τὸ γελασὸν* in actionibus hominum, et in doctrinis quoque feſtiua oratione et iucundiſſima quadam ſatyra traducere poſſet [d], non potuit non in hac ipſa ridendi arte excedere, et quaecunque aliis admiranda et pulchra videbantur, habere ridicula. Qua de re vetus epigramma [e] non inepte:

Scripſi haec Lucianus, priſci ſtultique peritus,
Stulta etenim, vulgo credita docta tamen.
Ergo nil hominum certi mens concipit vnquam,
Aſt, quod miraris, ridiculum eſt aliis.

Quam nimiam ridendi quaeuis licentiam etiam contra diuinum ſalutis humanae reſtauratorem exercuit, et Dei filium pro impoſtore quodam habuit, Chriſtianam quoque religionem indigniſſimis ſarcaſmis excepit, qua de re cum lapſus Luciani ſupra in Peregrini hiſtoria manifeſtauerimus, dicta hic nolumus repetere. Hac vero ſacra atque profana quaeuis ridendi

b) Ibid. T. III. p. 105. 108. 111. 113. 114. 115. 117. 118. 120. 126. 128.

c) Prolixe id ipſe in piſcatore profecutus eſt.

d) Ita characterem Luciani delineat PHOTIVS l. c. quocum conferendus VAVASSOR de dict. ludicra Sect. I. c. 3. opp. p. 25.

e) Apud PHOTIVM l. c. damus verſionem SCHOTTI conf. LACT. de vera rel. c. 9. VIVES de V. R. C. L. II. p. m. 208. ſeqq.

Digitized by Google

di licentia meruit Lucianus, vt inter apertos numinis hoſtes numeraretur, quod praeeunte SVIDA [f] a multis recentioribus factum eſt [g]. Neque tamen defuere viri docti [h], qui in eam ingreſſi ſunt ſententiam, graue hoc ἔγκλημα tantum excogitaſſe ſuperſtitionem, pſeudo-philoſophiam, impoſturam, quibus grauem ille dicam ſcripſerat, et qua crabrones Lucianus in ſe irritauerat, quod opprobrium repetitum a Chriſtianis, ſanctiſſimum Saluatorem inter impoſtores ab eo referri indignantibus. Nos hic nihil affectui dandum, fauoreque vel odio duce definiendum, ſed cuncta accurate expendenda, et ſic demum de Luciani impietate pronuntiandum putamus. Et quod ad ſcommata quidem attinet, quae effudit in Chriſtianos, ea nec a malitiae nec ab ignorantiae culpa liberari poſſe ſupra luculenter, niſi fallimur, demonſtrauimus: certumque eſſe putamus, habuiſſe Lucianum Chriſtum pro eiusmodi ſophiſta, ſiue philoſopho, qualis Apollonius Tyaneus, Alexander, huiusque furfuris alii fuerant, et qualem forte Pythagoram ipſum fuiſſe credebat: adeoque ab hac quidem impietatis labe liber pronuntiari non poteſt. Id vero illi cum reliquis ſanctiſſimae religionis hoſtibus commune fuit, qui tamen ideo inter apertos Numinis hoſtes numerati haud ſunt, ſed transſcripti in catalogum aduerſariorum Chriſtiani nominis. Neque vero ſolam Chriſtianam religionem deridendam propinauit, ſed et alias omnes, nec meliore loco Iudaeorum ipſorumque gentilium ſacra habuit [i]. Quod eo minus mirandum, quo magis ex dialogo *de ſacrificiis* [k] conſtat, eum ideo ſacra omnia exploſiſſe, quod more Epicureo crederet, abſurda et amentia eſſe ea omnia, eo quod ſupponerent, numen ipſum rem vsque adeo humilem atque abiectam eſſe, vt humanis egeat obſequiis, vtque adulatione capiatur, ac gaudeat rurſum, vt ſtomachetur, atque iracunde ferat, ſi negligatur. Ex his enim manifeſtum eſt, Lucianum Deos rerum humanarum prorſus incurios cum Epicuro concepiſſe, adeoque theologiam Lucianeam ex Epicurea diiudicandam eſſe. Negari tamen nec hoc poteſt, ſaepe aliorum nomine loqui Lucianum et audacioribus verbis de rebus ſacris pronuntiare, effeciſſe etiam fraudes ſacrificulorum et philoſophaſtrorum, quas detegendi ſaepe occaſionem habuit, vt, quicunque inter homines vigerent, cultus diuini modos inter ingenii humani, populum decipientis, tricas reponeret, ſicque in ea quoque re Epicureorum veſtigia premeret, nec fidem haberet narrationi vlli, quam non ſenſibus perceperit [l]. Ea vero quae in Philopatride contra Chriſtianos dicuntur, cum Luciani non ſint, licet nomen eius in fronte gerant, nec eam abiudicet Luciano doctiſſimus FABRICIVS [m]; quoniam aperta ſatis tempo-

f) loc. cit.
g) Vide quae de Luciano collegit iudicia TH. POPE-BLOVNT. Cenſ. cel. auct. p. 173.
h) ERASMVS L. XXX. ep. 5. ALCIAT. par. Iur. Lib. IV. c. 5. VOSSIVS de ſectis c. VII. §. 24. Io. PHIL. TREVNER. diſſert. de theologia Athei ſeu Luciani.
i) Recte id obſeruatum VIVI l. c.
k) T. III. p. 81.
l) Conf. REIMMANNVS hiſt. atheiſm. c. XXXII. §. 3. p. 224.
m) l. c. p. 309.

ris recentioris Luciani aetate in eo deprehenduntur veſtigia, quae erudite oſtendit V. C. Io. MATTHIAS GESNERVS [n], obiici quoque ei ad euincendam eius impietatem non poſſunt. Sed vt ad Luciani redeamus hiſtoriam, is, ſub M. Aurelio Antonino Aegypti procurationi praepoſitus, et ſtipendio inſigni auctus eſt [o]. Quidam a Chriſtianis defeciſſe, et ad ſacra gentilia transfugiſſe ſomniant [p], nullo argumento ſano nixi: nec certior fabula eſt, laceratum a canibus fuiſſe, ob eructatas in nomen Chriſti iniurias [q], quam ſine dubio atrox Chriſtianorum ſacra ſua vindicantium odium, quod plerumque horrenda mortis genera de iis, qui religionem impugnaſſent, commentum eſt, produxit. Podagrae vero, cuius laudes cecinit [r], cruciatibus vexatum fuiſſe, ipſe alicubi prodidit [s]: mortuum ex illo morbo fuiſſe, quod vitae eius auctores COGNATVS, ZWINGERVS et BOVRDELOTIVS [t] aſſerunt, incertum, nec certius octogeſimo, vel nonageſimo aetatis anno obiiſſe. Extremam tamen ſenectutem attigiſſe eum oportet, ſi Traiani tempora naſcendo attigit. Non confundendus autem eſt Lucianus, cum alio Luciano Samoſateno Chriſtiano, Arianorum partibus addicto, a quo Lucianiſtae quidam dicti ſunt [u]. Errant etiam, qui Lucianum cum Philoſtrato confundunt, illique vitam Apollonii craſſo ſatis errore tribuunt [x]. Habuiſſe eum filium cognominem ſophiſtam, ad quem ſcripſit Iulianus ὁ παραβάτης, coniicit BOVRDELOTIVS [y], recte vero monuit Cl. FABRICIVS [z], tempora id non pati, cum a morte Marci Aurelii, ad annum primum Iuliani imperantis effluxerint anni CLXXX, ſic vt nepos magis vel pronepos fuerit, ſi modo vlla ratione ex ſolo nomine cognationem quandam interceſſiſſe inter vtrumque coniicere liceat.

Diogenes Laërtius.

§. VIII. Tandem nec DIOGENES LAERTIVS nobis heic loci indictus dimittendus eſt, qui quamuis philoſophum ſe non praeſtiterit, immortali tamen hiſtoriae philoſophiae Graecanicae opere, cui maximam partem debemus, quicquid de philoſophiae inter Graecos fatis nouimus, meruit, vt inter philoſophos numeraretur, cum ſine philoſophiae cognitione opus arduum et graue ſuſcipere non potuerit. Saltem ſilere eum nefas putamus, a quo toties de philoſophorum vita atque fatis loquendi copia nobis facta eſt. Fuit autem Diogenes Laërtius, ſi pleroſque viros doctos audimus, Laërte Ciliciae vrbe oriundus, vnde nomen hau-

n) Duabus de hoc dialogo diſſertationibus: ei etiam caſtigatiſſimam Philopatridis editionem debemus.

o) De mercede conductis T. I. p. 382.

p) Scholiaſtes vetus, quem ſequitur Volateranus, conf. TILLEMONT. hiſt. imp. T. II. p. 709.

q) SVIDAS l. c. quem ſecutus eſt HOFMANNVS in Lexico.

r) In Tragopodagra T. III. p. 672. in Ocyp. p. 722. ſeqq.

s) In Hercule Gallico T. I. p. 811.

t) Prius Cognatus, poſterius Bourdelotius ſtatuunt.

u) VALESIVS ad Theod. p. 6. FABRICIVS loc. cit.

x) Recte ideo Guil. Philandrum notauit COGNATVS l. c. et ad Alex. T. I. p. 585. conf. FABRIC. l. c. p. 5. VOSSIVS de hiſt. Graec. L. II. c. 15.

y) loc. cit.

z) Ibid. p. 488.

Digitized by Google

hauſiſſe plerique ſtatuunt [a]. Paulo aliter acutiſſimus HEVMANNVS [b], qui non ipſum quidem Diogenem, maiores tamen eius Laërte oriundos putat, indeque Laërtii nomen ei haeſiſſe ſtatuit, cuius rationem in eo potiſſimum quaerit, quod articulo addito dicatur Διογένης ὁ Λαέρτιος, cuius generis cognomina a maiorum patria deſumta et ad poſteros propagata vbiuis fere in eruditi orbis occurrunt hiſtoria [c]. Additur his merito: patere ex veteribus inſcriptionibus, quod Laërtii nomen inter familiarum cognomina fuerit, vnde nulli dubitamus, eleganti huic viri praeſtantiſſimi coniecturae ſubſcribere, hacque potiſſimum ratione ducti ad Diogenem toties prouocantes ſolius Laërtii nomine vſi ſumus. Alii quidem, et in his eruditiſſimus VALESIVS [d], a patre Laërtio nomen accepiſſe putant. Aſt haec Graeci ſermonis indoli repugnant, ſecundum quem non ὁ Λαέρτιος, ſed τῷ Λαερτίῳ dicendus eſſet. Nec veteribus inuſitatum [e], vt ὁ Λαέρτης dicatur, quod a patre deſumtum eſſe non poteſt. Potamum vero Atticae vicum Laërtii patriam fuiſſe, viſum eſt IAC. SPONIO [f], mirante MENAGIO [g], vnde haec hauſerit? Sed caret hoc omni prorſus fundamento, nec diſplicet coniectura FABRICII [h], qui non recte aſſecutum fuiſſe Sponium locum quendam PHOTII [i], vbi Laërtius allegatur, coniicit, et nomen appellatiuum περὶ Ποταμῶ pro patria Diogenis eum habuiſſe putat. Nec certiora ſunt, quae de eius aetate viri docti diſputant. Vixiſſe eum ſub M. Aurelio Antonino, LIPSIO [k], VOSSIO [l], MENAGIO [m] viſum, ea potiſſimum ratione ductis, quod non omiſiſſe videatur Epicteti vitam, quem ſub Marco adhuc vixiſſe coniiciunt, niſi adhuc viuum Laërtii aetate magnum illud Stoicae familiae ornamentum extitiſſet. Aſt recte his opponimus, Stoicorum hiſtoriam, cum Graecis, poſitis ſibi his limitibus, finiuiſſe Diogenem, et omiſiſſe ideo quoque alios, quos ſine contradictione ante eum vixiſſe conſtat, e. g. praeter Cratippum Peripateticum, Senecam aliosque. Paulo aliter THOMAS REINESIVS [n], qui ſub Marco eiusque filio Commodo eum floruiſſe contendit. Aſt is ſolo libro GALENI [o] *de theriaca ad Piſonem* ſpurio nititur, adeoque audiendus haud eſt. Sub Seueri tempora ponit doctiſſimus IONSIVS [p], qui diligens in definienda Laërtii aetate fuit, quem ſequitur ὁ πάνυ FABRICIVS [q]. Monent hi viri docti: vixiſſe eum ante tempora Iuſtiniani, quibus vixere Stephanus et Heſychius Mileſius, qui eum exſcripſere:

a) MENAG. ad Laërt. L. I. §. 1. IONS. de S. H. P. L. III. c. 12. p. 271. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 600.
b) Act. philoſoph. Vol. I. p. 323. ſeqq. ſuboluit id ipſum IONSIO l. c.
c) Vid. GRVTERVS p. 299. FABRETTVS p. 251.
d) Ad excerpt. Peireſc. p. 41.
e) STEPH. BYZ. in Laërt.
f) In itinerar. T. II. eum ſecutus eſt HARDVINVS ad Plinium T. I. p. 424.
g) loc. cit.
h) l. c. p. 600. not. g.
i) Cod. CLXI.
k) Manud. ad phil. Stoic. L. I. differt. 5. p. m. 22.
l) De ſectis c. XXI. §. 2.
m) loc. cit.
n) Var. lection. L. II. c. 12. p. 284.
o) Conf. Act. philoſ. Vol. I. p. 328.
p) loc. cit.
q) loc. cit.

pſere; porro cum PHOTIVS teſtetur, Sopatrum excerptorum ſuorum librum ſextum ex Diogenis Laërtii libris compilaſſe, hic vero Conſtantini M. temporibus floruerit, vt nos quoque *ſectione V.* monuimus, ſequi inde, Conſtantini M. aetate quoque ſuperiorem eſſe Laërtium. Memorare etiam eundem Plutarchum, qui ſub Traiano vixit, Fauorinum, eius apud hunc imperatorem aemulum, Sabinum ſophiſtam, ſub Hadriano clarum, Sextum Empiricum eiusque diſcipulum Saturninum; adeoque ex dictis colligendum eſſe, vixiſſe Laërtium paulo poſt Galenum, aut eo iam ſene, et ita temporibus Seueri imperatoris et deinceps floruiſſe. Diligenter et acute haec dici non negamus, aſt magis indicant, quo tempore non vixerit, quam veram eius aetatem definiunt. Accuratius de Laërtii aetate diſputaturus Cel. Heumannus [r] ad eclecticae philoſophiae origines reſpicit, quas haud ita pridem obtigiſſe Laërtius narrat. Eas vero Sec. III. initia non anteuertere, laborioſa doctaque induſtria contendit, et contra obiectiones Cl. HASAEI roborat, de qua controuerſia cum nos ſupra ex inſtituto egerimus, et noua luce ſententiam Heumannianam perfuderimus, nihil hic repetimus, ſed dictis inſiſtentes ex iis veriſimile putamus, Diogenem Laërtium ante ſeculum tertium poſt C. N. medium non ſcripſiſſe, adeoque Galieni forte temporibus floruiſſe, Plotino, Longino aliisque *σύγχρονον*. Certiora tamen, praeter coniecturas, dare non audemus. Illud certum nobis videtur, non audiendum eſſe H. DODWELLVM [s], qui ad Conſtantini M. aetatem eum reiicit. De vitae vero eius circumſtantiis nec ipſe ſcripſit quicquam, nec aliquis ex veteribus, et delituiſſet forte aeterna nocte Laërtii nomen, niſi nobis libros eius decem *de vita, dogmatibus, et apophthegmatibus clarorum philoſophorum* ſeruaſſet prouidentia, quos, *vnicum fere columen philoſophicae hiſtoriae, ſine quo rudera tantum ſupereſſent atque caementa difficulter in plerisque coniungenda* recte pronuntiat IONSIVS [t]. Hiſtoriam eius libri literariam ita diligenter enarrauit FABRICIVS [u], vt non habeamus, quod addamus, niſi quod hoc vnum monendum e re lectoris eſſe putamus, caſtigatiſſimam M. MEIBOMII editionem prelo Wetſteniano elegantiſſime curatam [x], omnes quidem reliquas accuratione longe ſuperare, vanam tamen fuiſſe bibliopolae gloriam, ne tantillam quidem occaſionem ſupereſſe, de erratis typographicis conquerendi [y]. Dicauit hanc philoſophicam hiſtoriam, quo nomine STE-

r) loc. cit.
s) De aetate Pythagorae §. 22.
t) loc. citat.
u) l. c. vbi de editionibus Ambroſii, Aldobrandini, Stephani queque diſſerit. Aeternum de Laërtio meritus eſt MENAGIVS, vir πολυμαθέστατος, ſed vndicunque a viris doctis adiutus.
x) Amſtelodam. 1693. 4. quam vbique adhibuimus.
y) Commodo lectoris inſeruituri breuem hic errorum typographicorum, quos obſeruauimus, catalogum damus ad hanc editionem, vt pateat, nihil eſſe in humanis ab omni parte perfectum. Pag. 70. l. 46. Com. Menag. omiſſus poſt. cap. n. 56. p. 116. l. 53. pro Chryſonis l. *Bryſonis*. p. 109. col. a. l. 17. pro Parseo l. *Parao*, vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 380. p. 126. in marg. pro ſ. 12. l. *ſ.* 112. p. 137. in marg. l. 46. pro 5. l. 6. p. 174. l. 6. a fin. pro valedali.

Digitized by Google

STEPHANVS BYZANTINVS recte eam appellat, feminae cuidam illuſtri et doctiſſimae [a], quae Platonis ſtudioſiſſima fuit, quam fuiſſe Arriam, ſub Seuero et Caracalla Platonicae philoſophiae addictiſſimam poſt REINESIVM [a] coniiciunt IONSIVS [b], MENAGIVS [c], et FABRICIVS [d]. Recte vero monuit Cel. HEVMANNVS [e], male concludi ex amore philoſophiae Platonicae, intelligi hic Arriam, cum eo tempore plures fuerint feminae Platonicae philoſophiae deditae, vt taceamus, Galieni temporibus Arriam fuiſſe ſuperiorem. Nos ſi coniecturis, vbi alia haberi non poſſunt, locus dandus eſt, hanc feminam Platonicam ex Plotiniano contubernio fuiſſe ſuſpicamur, in quo feminas quoque Platonicam philoſophiam didiciſſe PORPHYRIVS [f] teſtatur. Hoc et cum temporum notationibus congruit ſupra poſitis, et conſilium ſcribendi Laërtianum illuſtrat, qui feminae ex multis ſectis concordiam quandam philoſophorum meditanti diuerſas eorum opiniones expoſuit. Nec alia forte ratio, cur in libro, quem Platonicae mulieri dicauit, Epicurum commendauerit, quam quod exoſum Ammonianae et Plotinianae ſcholae nomen gratum ita reddere et liberare ſuo modo ab inuidia voluerit. Lectori tamen iudicium de ea re plenum relinquimus, nihilque pro certo definimus. Licet vero immortaliter meruiſſe Laërtium de philoſophica hiſtoria fatendum ſit, cum innumeros veterum ſcriptorum hodie deperditorum locos nobis ſeruauerit, et in horreum quaſi aliquod philoſophicae hiſtoriae contulerit, dolemus tamen, iudicii et attentionis non tantas fuiſſe in hoc conſcribendae hiſtoriae philoſophicae opere partes, quam laboris improbi et ampliſſimae voluntatis, quae ſi adhibuiſſet, nae monumentum philoſophiae veteris condidiſſet, omni theſauro praeſtantius. Aſt a iudicii et profundae philoſophiae veteris cognitionis, artisque item criticae praeſidiis cum inſtructus non fuerit, grauiſſimis naeuis atque maculis opus inſigne deformatum eſt, lectoremque requirit et ad omnia attenten-

dalidum l. *validum*. p. 183. l. 43. pro ſella l. *cella*. p. 193. l. 2. pro non l. *vno*. p. 259. l. 8. 2 fin. pro ante. II. 13. l. *II*. 15. p. 320. l. 10. 2 fin. in marg pro 48. l. 148. p. 438. l. 7. 2 fin. pro mille l. *decem mille*, vid. SEXT. EMP. adu. gramm. L. I. c. 13. f. 283. FABRIC. ad h. l. p. 441. l. 11. pro Phliaſii, l. *Phliaſii*. p. 478. numeri ſegmentorum corrupti ſunt, pro 181. l. 180. et ſic porro p. 488. l. 1. pro L. VII. l. *L. VIII*. Haec in Comm. MENAGII, in Tomo I. pauciora occurrunt, emendanda tamen p. 492. not 26. l. 8. pro II. 9. l. *XX*. 9. p. 637. pro retrimenta l. *detrimenta*. p. 336. Graeca inuerſo lateri impoſita. In indicibus quoque emendanda: indice IV. v. daemon pro M VII. 15. l. *VII*. 151. v. Democritus l. 2. pro borum l. *bonorum*. v. Polemo et Crates l. *Genus* pro Demus. v. Speuſippus pro Socrate l. *Iſocrate*. v. Stoici pro different l. *differunt*. ib. pro f. 103. l. *f*. 104. In indice primo articulus ſaepe omiſſus v. g. *Ἀνδρῶν Ἐφέσιος*, vid. Act. phil. Vol. I. p. 325. Haec non eo fine notamus, vt nitoris et elegantiae laudem editioni optimae denegemus, ſed vt diſcat lector, quam nihil ſit perfectum etiam in hac re, et vt huic quoque libro ſphalmata typotheratum, quae nobis abſentibus irrepſerunt, ignoſcat.

a) L. III. f. 47. L. X. f. 89.

a) loc. citat.

b) De Script. hiſt. phil. L. III. c. 12. p. 877.

c) Prooem. Comm. in Laërt. et Hiſt. mul. philoſ. §. 47.

d) loc. cit. not. f.

e) l. c. p. 337.

f) In vita Plot. c. 9. p. 108. vbi quasdam nominat.

tentum, et nihil ſine artis criticae lapide admittentem, quod innumeris hactenus exemplis docuimus [f]. Toties enim veteres ſine delectu exſcribit, contraria conſarcinat, fabulas in ſophiſtarum ſcholis enatas pro veris hiſtoriis obtrudit, libris, teſtamentisque ſuppoſititiis fidit, et quadrata miſcet rotundis, ordinis inſuper ſaepe plane incurius [h], vt conſarcinatorem potius ψευδῶδον, quam hiſtoricum agnoſcas. Ceterum exploratorem veteris doctrinae et ſententiarum fuiſſe philoſophicarum, opus ipſum loquitur, vtrum vero certae cuidam ſectae ſe addixerit, definiri non poteſt. Et fauiſſe quidem Epicuro, eiusque hiſtoriam paulo accuratius, quam ceterorum philoſophorum enarrauiſſe, ſeruatis etiam monumentis eius praecipuis, αὐτοψία loquitur. Ex quo collegere viri magni nominis ISAACVS CASAVBONVS [i], AEG. MENAGIVS [k], G. I. VOSSIVS [l] et Io. ALB. FABRICIVS [m], non ſeparandum eum eſſe a partibus Epicuri, ad quas mire propenderit. SAMVEL PARCKERVS [n] vero eum Epicureae ſectae immodice addictum pronuntiat. Qua in re eum falli recte vidit Cl. HEVMANNVS [o], qui et ad rationes reſpondet, quibus inter Epicureos eum eſſe referendum viri docti contendunt. Nam nec inde ſequitur, a parte Epicuri ſtetiſſe Laërtium, quoniam eum ſuo modo defendit, illud enim Seneca quoque fecit, homo Stoicus, et de aliis quoque philoſophis praeſtitit Laërtius: nec vllo loco prodidit, ſe Epicuri ſententiam ſequi, non ſatis quoque eius ſe doctrinas aſſequi ſperare dicit [p], et alio loco perſtringit diuinae prouidentiae hoſtes [q]. Certe ſi huic argumento vis ineſſe quaedam poteſt, eadem ratione Platonicus vel Scepticus iudicari poteſt, cum non minus Platonem extulerit [r], quam Epicurum, et Sextum Empiricum [s] laudauerit. Tutiſſimum itaque exiſtimamus, eum nulli ſectae adſcribere, ſed inter ſyncretiſtas eos referre, quorum ea aetate plena erant omnia, hoc tantum diſcrimine, vt more Senecae, ne Epicurum quidem ex philoſophiae adytis excluſerit [t]. Chriſtianum qui Laërtium fuiſſe contendunt, phraſin eccleſiaſticam ἐλεημοσύνην διδόναι male ad textum Laërtianum applicant [x].

f) Conſentiunt iudicia eruditorum, collecta a TH. POPE-BLOVNT. Cenſ. cel. auct. p. 158. Act. philoſ. l. c. p. 349. ſeqq.

g) Maxime haec ἀταξία magno hiſt. philoſ. malo regnat in dogmatibus philoſophorum expoſitis, conf. BAYLE Dict. T. I. art. Anaxag. not. C. p. 209.

h) Praef. ad Laërt. et ad L. I. ſ. 97. p. 138.

i) loc. cit.

k) De ſectis c. IV. §. 21.

l) Bibl. Graec. Vol. III. p. 601.

m) De Deo diſp. I. ſ. 15. p. 39.

n) l. c. p. 339.

o) L. X. ſ. 29.

p) L. IV. ſ. 55.

q) Fatetur id GASSENDVS ad L. X. Laërt. p. 113.

r) L. IX. ſ. 116.

s) Ita et Britannus, qui Anglicae verſioni vitam Laërtii praefixit, cuius verba affert POPE-BLOVNT. l. c. p. 159.

t) L. V. ſ. 17.

x) Significat enim miſericordiam praeſtare, conf. FABRIC. l. c. p. 601. not. b. qui et alios Laërtios enumerat.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO NONA.

DE SECTA SCEPTICA.

§. I.

Omnium poſtremi nos Sceptici vel Pyrrhonii vocant, exigua, ſi cum ceteris ſectis comparentur, fortuna vſi. Eos enim non tantum inuidia, qua philoſophandi ratio iſta preſſa fuit, et doctorum ſuorum negligentia parum extendiſſe pomoeria ſua *tomo primo* docuimus, ſed et Romae parum inualuiſſe, cum ab Academica ſecta, elegantiori habitu ſceptice philoſophari viſa, in exilium quaſi ageretur, in ipſo huius tractationis limine oſtendimus. Breuis itaque atque curta admodum huius ſectae eſt hiſtoria, nec qui ei illuſtrandae operam adhibuerunt, poſt Ciceronis tempora inuenerunt, quod paulo memorabilius adiicerent. FOVCHERIVS [a] enim, qui primus in huius ſectae limitibus amplificandis laborem ſuum atque induſtriam poſuit, poſt Varronem et Ciceronem mox ad Auguſtinum, et ab eo ad Carteſium progreditur; illuſtriſſimus autem HVETIVS [b], qui totam fere philoſophorum veterum cohortem in ſcholam Pyrrhonis deduxit, praeter Cornelium Celſum, Fauorinum, Sextum Empiricum, Lucianum et Vranium non habet, quos Scepticis profeſſione talibus adiungat, et coactus eſt, dogmaticos quosdam ἴσχοντας ἄσχοντας in has partes pertrahere. Etſi vero cauſſae modo dictae per ſe ſufficere videntur, aliae tamen addi merentur, quae incrementa ſcholae Pyrrhoniae valde ſufflaminarunt, et obſtiterunt, quo minus laetiores, quam quas habuit, propagines extenderet. Inter eas vitam philoſophis haud ſatis dignam, quam in Scepticis quibusdam magni nominis deprehendimus, recte referri, Timonis et Eurylochi exempla ſuo loco expoſita ſatis probant, nec dubitandum in ſchola ea, quae ἀδιαφορίαν non logicam tantum et phyſicam, ſed moralem quoque, veram ad tranquillitatem et felicitatem viam eſſe docuit, plures inuentos eſſe, qui eidem viae inſiſterent, id quod non potuit non dogmaticos philoſophos nouis contra eos armare telis, easque illis contra Pyrrhonios obiectiones ſuppeditare, quae magnum ſectae iſti contemtum et inuidiam parerent, et ab ea amplectenda plurimos auocarent. Quis enim ſectam iſtam amplecteretur, quae decori rationem et honeſtatem inter res indifferentes habendam eſſe, quicquid etiam prudentiores et modeſtiores dicerent, exemplo ſuo confirmaret? Etſi enim honeſtius et philoſopho dignius viuere Scepticos dogmaticis clamitauerint Sextus Empiricus et ei ſimiles, illis tamen exem-

Fortuna Sectae Scepticae ſub Imp. Rom.

a) Diſſ. ſur la philoſophie des Academiciens, L. 1. c. 11. p. 59. c. 12. p. 61. c. 13. p. 67. c. 14. p. 68.

b) De la foibleſſe de l'eſprit humain L. 1. c. 14. p. 154. ſeqq.

Digitized by Google

plis, qualia quidem inter omnes sectas inueniebantur plurima, vti dogmatici, praecipue Stoici, iurati Pyrrhoniorum hostes, odio et inuidia ipsam sectam vehementer cumulabant, et stultorum instar atque malorum hominum eos habebant, sicque multos ab ea secta amplectenda auocabant, quam mala fama premi, etiamsi non indecenter viuerent affeclae, videbant. Aliam porro causſam impeditorum incrementorum huius sectae illud ipsum esse putamus, quod laetissimos initio Romae successus ei comparauit, eloquentiae forensis studium. Eius enim, enata monarchia Romana, cum disceptationum forensium tantus, quantus prius, vsus non esset, mutata facies est, et in scholasticum quendam translata habitum, qui artis magis studium coloresque quaereret, quam natiuam differendi et disceptandi formam teneret. Ita vero Academica et Pyrrhonia disputandi ratio, quae Ciceronis tempore oratoribus arma subministrabat, neruo suo in foro Romano, certe in scholis rhetorum, spoliata est, et vix locum in eloquentia illa sophistica inuenit, adeoque paulo magis neglecta est. Addi his potest, fortunam dogmaticae philosophiae, in aula Romanorum imperatorum multum Pyrrhoniae philosophiae obstitisse, summisque eam imperantibus suspectam fecisse atque exosam, cum contrarias ipsi partes sequerentur, eosque tuerentur, quos Sceptici oppugnabant. Cum enim Augustus Stoicis et Peripateticis faueret, Epicureos amici in aula commendarent, Tiberius Pythagoricos diuinandi peritos amaret, sub Caio, Claudio, et Nerone exiguum philosophis omnibus pretium statueretur, Vespasiani Titique temporibus Pythagorici, Stoicique in aula florerent, Traianus et Hadrianus omnis generis philosophos colerent, Fauorinus autem in huius gratiam ab Academica differendi ratione et statuendi modo deflecteret, Antonini, praecipue Marcus, dogmaticos summo loco ponerent, et publicas ei cathedras committerent, Platonici autem in aula Seueri, Iulia fauente, inualescerent, et quae sequebantur tempora, eclecticos, id est, syncretistas Alexandrinos gignerent, qui omnes sectas quasi deuorarent, ratio inde patet luculentissima, cur tam modico successu vsa fuerit secta Pyrrhonia. Nec audiendus est Hvetivs [c], qui omnem mouit lapidem, vt demonstraret, Sextum Chaeroneum M. Aurelii praeceptorem fuisse eundem cum Sexto Empirico, eumque ita quoque Marci patrocinium philosophiae conciliasse Pyrrhoniae. Falli enim virum illustrem nimis Scepticorum partibus fauentem, supra in Sexti Chaeronensis historia demonstrauimus, et in Sexti Empirici historia mox enarranda ostendemus; neque fauisse etiam Scepticismo Marcum, vel ex Stoicae philosophiae studio, quod constanter secutus est, liquet, et verisimile haud est, eum Pyrrhoniis publice docendi facultatem non tribuisse, si eorum partibus fauisset, quod reliquis sectis apud eum contigisse ex Luciano probauimus. Eas vero cum non honoribus tantum, sed et salariis auxisset imperator, quorum vtrumque frustra in Pyrrhoniorum schola

c) l. c. p. 155.

Digitized by Google

expectabatur, mirum non eſt, valde tenuem fuiſſe eorum numerum, qui has vitae humanae ſpes atque commoda philoſophiae odio et inuidia cumulatae, artemque nihil ſciendi profeſſae poſtponerent.

§. II. Etſi autem pauci erant, qui hanc philoſophandi viam ingrederentur, inuenti tamen ſunt viri docti et acuti, licet numero exiguo, qui humani intellectus imbecillitate faſtuque philoſophiae dogmaticae inducti ſecundum Pyrrhonem philoſophari inſtituerunt. Inter quos celeberrimum aſtronomum CLAVDIVM PTOLOMAEVM refert HVETIVS [a], eo quod obſcuritatem et imbecillitatem humani intellectus accuſaſſet. Aſt non pertinere huc magnum virum, et a Pyrrhoniis diſſentire, ex libello eius *περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ de iudicandi facultate et animi principatu*, quem ISMAEL BVLIALDVS edidit [b], diſcimus. Porro AVLVM quoque CORNELIVM CELSVM in eundem cenſum refert idem vir illuſtris [c], idemque praeſtitiſſe inter Romanos pro Sceptica philoſophia aſſerit, quod Aeneſidemus Alexandriae, quem e puluere et ſqualore protraxiſſe philoſophiam Scepticam nouaque luce commentariis ſuis illuſtraſſe, ſuo loco diximus. Cuius rei licet teſtimonium Huetius adducat nullum, reſpexit tamen ſine dubio ad verba QVINTILIANI [d], qui, *ſcripſiſſe*, ait, *non parum multa Cornelium Celſum, Scepticos ſecutum non ſine cultu ac nitore.* Ex quibus recte quidem concluditur, non diſplicuiſſe Celſo, homini literatiſſimo [e], Scepticam philoſophandi viam, qua ratione autem eam excoluerit, et an tantum praeſtiterit, quantum Aeneſidemus, non liquet, poſtquam deperditi ſunt libri eius *de artibus*, ex quibus ſextus tantum hodie *de arte medica* ſupereſt [f], et dictionis nitore et obſeruationum medicarum atque chirurgicarum praeſtantia commendabilis, de quo tamen heic differere locus non eſt [g], adeundique ſunt viri docti, qui hiſtoriam artis medicae enarrarunt [h]. Quod ſi Celſus ille, quem hiſtoriam philoſophicam ſcripſiſſe ſupra ex AVGVSTINO [i] retulimus, cum noſtro idem eſſe videatur, quod placet Cl. FABRICIO [k], colligi inde poſſet, eum more Romanorum plurimo-

Sceptici quidam celebriores.

Kk kk 3 rum

[a] l. c. p. 154. Hiſtoria celeberrimi mathematici alibi enarranda eſt. Conſuli autem cum fructu poſſunt praeter SVIDAM in Ptolomaeus T. III. p. 224. MEVRSIVS ad Nicomachi Man. L. II. VOSSIVS de hiſt. Graec. L. IV. c. 13. p. 483. de ſcient. mathemat. c. XVII. p. 76. c. XXI. p. 94. c. XXVI. p. 109. c. XXXVII. p. 225. et qui literariam eius hiſtoriam diligenter enarrat FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. III. p. 413. ſeqq. Vixit ſub M. Aurelio Antonino maximam partem Alexandriae. Non confundendus eſt cum Ptolomaeo Cyrenaeo, Stoico, cuius meminit LAERTIVS L. IX. ſ. 110.

[b] Pariſ. et Hag. Com. 1663. 4.

[c] l. c. p. 154.

[d] Inſt. orat. L. X. c. 1.

[e] „Quid plura? cum etiam C. Celſus, me„diocris vir ingenii, non ſolum de his omnibus „conſcripſerit artibus, ſed amplius rei militaris, „et ruſticae etiam et medicinae praecepta reli„querit, dignus vel illo propoſito, vt illum ſciſſe „omnia illa credamus,„ QVINT. l. c. L. XII. c. 11. COLVMELLA de re ruſt. L. I. c. 1. *virum vniuerſae naturae prudentem* vocat, et L. III. c. 17. *celeberrimum aetatis noſtrae auctorem.*

[f] Hiſtoriam huius libri vide apud FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 324. T. II. p. 448.

[g] Vita Celſi a Io. RHODIO ſcripta, et alibi excuſa, et Celſi editioni Almeloueennianae praefixa eſt.

[h] DAN. CLERIC. hiſt. medic. P. II. L. IV. ſ. II. c. 4. p. 517. ſeqq. IO. CONR. BARCHVSEN hiſt. medic. p. 265.

[i] Praef. de haereſibus. [k] l. c. p. 315

rum nulli prorſus ſectae prae aliis fauiſſe, nam hunc Celſum hiſtoricorum more nihil laudaſſe vel reprehendiſſe teſtatur Auguſtinus; aſt antiquiorem hunc Celſum, qui teſte COLVMELLA [o] ſub Tiberio et Claudio vixit, eſſe, quam vt liber iſte ad eum referri queat, coniicit doctiſſimus IONSIVS [p], nec in re incerta definiri aliquid poteſt. Neque ex ipſis *de medicina* libris Scepticum agnoſcimus, licet nec methodicae ſectae nec dogmaticae per omnia addictus fuerit: ex quibus patet, de Scepticiſmo eius parum certi poſſe dici. Verum non Scepticos tantum paſſim inuentos fuiſſe, ſed habuiſſe quoque ſucceſſionem doctorum, LAERTII [q] teſtimonio nouimus, quo teſte, Aeneſidemo, circa tempora Ciceronis Scepticam philoſophiam Alexandriae reformanti, ſucceſſit Zeuxippus, Zeuxippo Zeuxis, Zeuxi Antiochus Laodicenus, Antiocho Menodotus Empiricus, Menodoto Herodotus Tarſenſis, Herodoto Sextus Empiricus, Sexto Saturninus. Caute itaque accipienda ſunt verba SENECAE [r]: *Academici et veteres et minores nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt qui tradat praecepta Pyrrhonis?* et vel de publica docentis voce intelligenda, vel coniiciendum, latuiſſe Scepticos tanquam ſtellas quasdam nebuloſas, nec ad iubar ſectae Stoicae comparere potuiſſe. Id quod ex hac ipſa, quam ex Diogene deſcripſimus, ſucceſſione Pyrrhonica veriſimile fit, in qua pauci ſunt, qui praeter nomen res quoque ſuas poſteritatis memoriae commendauerunt. Quod ſi Zeuxis ille, quem Zeuxippi ſucceſſorem facit Laërtius, idem Zeuxis Tarentinus eſt, qui ex ſchola Herophili medicus magna eam luce colluſtrauit [s], quod ex eo coniicit MENAGIVS [t], quod medici ad Pyrrhoniam ſectam animo propenderunt, vt Timonis, Menodoti, Sexti et Saturnini exemplis conſtat, non defuiſſe illi ſectae viros celebres ſtatuendum eſt. Sic et Menodotus Nicomedienſis ſucceſſor et diſcipulus Antiochi Laodiceni, et empiricae ſectae patrocinio et Scepticiſmi dicacitate, et in dogmaticos vehementia et iniquitate GALENO [u] notatus, nomen tulit. Eum enim Aſclepiadem inuicte confutaſſe, IDEM teſtis eſt. De Herodoto vero Tarſenſi ſupra pauca in Sexto Chaeronenſi tetigimus. SVIDAS [x] enim Philadelphienſem facit, et nos monuimus, non ſine veriſimili coniectura poſſe Herodotum Tarſenſem ab Herodoto Philadelphienſi diſtingui [y], illumque Sexti Empirici, hunc Sexti Chaeronenſis praeceptorem dici. Suidas enim, quam facile homonymos confundat, notiſſimum eſt. Patrem is habuit Areum medicum ex Aſclepiadeorum ſecta. Nec caruiſſe hunc Herodotum fama aliqua nominis ex Galeno colligi poteſt, qui eius aliquo-

o) l. c. Auguſto imperante natum eſſe coniicit CLERICVS l. c. p. 517.
p) De Scr. hiſt. phil. L. IV. p. 332.
q) L. IX. ſ. 116.
r) Q. nat. L. VII. c. 32.
s) STRABO l. XII. p. 580. conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 455.
t) Ad LAERT. L. IX. ſ. 106.
u) De natural. faculr. L. I. c. 14. conf. MENAG. l. c. FABRIC l. c. p. 335.
x) In Sextus T III p. 300.
y) Eundem facit HVETIVS l. c. diuerſum MENAGIVS l. c. qui vocem Philadelphienſis, intruſum in textum Suidae putat, vel Areum patrem Tarſenſem, filium Philadelphienſem fuiſſe coniicit.

Digitized by Google

quoties meminit. Sunt et alii Sceptici veteribus memorati, et inter hos Caſſius quidam a Galeno nominatus, et Theodas ſiue Theudas, Menodoti apud Antiochum condiſcipulus [z], ſed ignobile vtriusque nomen memoriam eorum, praeter nomen, deleuit.

§. III. Meliore fortuna vſus eſt SEXTVS EMPIRICVS, ex Scepticorum ſchola omnium confeſſione [a] vir doctiſſimus et celeberrimus, cuius tamen vitae circumſtantias tantum non omnes ignoramus. Gente fuiſſe Afrum SVIDAS [b] tradit, quem ſecuti ſunt recentiores quidam [c]: aſt Africam non habuiſſe patriam ipſe quodam loco [d] haud obſcure prodidit. Ait enim *apud Libyae gentes multas quemque habere mulieres, legem vero in patria ſua vnica vxore contentos eſſe iubere;* quibus verbis patriam ſuam a Libya ſatis manifeſte diſtinguit, vnde coniicimus, Suidam, qui more ſuo Sextos diuerſos inter ſe confudit, Sextum Iulium Africanum vel alium quendam Sextum ex Africa oriundum cum Sexto Empirico commiſcuiſſe [e]. Neque tamen certiora de patria ſua ipſe prodidit, licet prodat, ſe non eſſe Germanum, Romanum, Thebanum, Indum, Aegyptium, Sarmatam, Scytham, Perſam, Thracem, Syrum, Spartanum, Getulum, Cilicem, quarum regionum moribus opponit patriae ſuae conſuetudines. Empirici nomen, quod et operibus eius codices MSC. praefigunt, et LAERTIVS [f] tribuit, ſectam medicorum, cui addictus fuit, manifeſtat, vnde medicis a plerisque addi ſolet [g], et ipſe ſe fuiſſe ex horum numero memorat [h], ad *hypommemata medica* ſua prouocans [i]. Recte itaque in Empiricorum ſucceſſione nomen eius comparet, quod ſine graui ratione negant aliqui, methodicorum eum ſectae adſcribentes. Inter quos eſt eruditus hiſtoriae medicae conditor DANIEL CLERICVS [k], qui MARSILII CAGNATI [l] ſententiam ſecutus, ex eo potiſſimum ſectae Empiricae Sextum fuiſſe addictum negat, quod is in *inſtitutionibus Pyrrhonicis* [m] ad quaeſtionem, vtrum Sceptica philoſophia eadem ſit cum medicina Empirica, id neget, et ſtatuat, methodicos potius cum Scepticis affinitatem aliquam habere, quam Empiricos. Nulla igitur veriſimilitudine concludi poſſe putat, elegiſſe Sextum, quem Pyrrhonium fuiſſe certo conſtet, eam medicinae ſectam, quam contrariam eſſe philoſophiae ſuae ipſe profiteatur, fierique potuiſſe, vt vel ſectam methodicam cum Empirica

Sextus Empiricus.

z) LAERT. et MENAG. ll. cc.
a) Vid. LAERT. L. IX. ſ. 116. Auctor Iſagog. in hiſt. phil. c. 4. ex recentioribus GENT. HERVETVS praef. ad hypotyp. Pyrrh. HERVETIVS l. c. p. 155. MENAG. ad l. c. LAERT. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. III. p. 591. et viri docti paſſim.
b) In Sexto T. III. p. 300.
c) MARS. CAGNATVS var. Obſ. L. III. c. 18. DACIER. vit. Plut. p. 75.
d) Inſtit. Pyrrh. L. III. ſ. 213.
e) Pyrrh. inſt. L. III. ſ. 198. ſeqq. conf. IONSIVS L. III. c. 13. p. 274. FABRIC. l. c. p. 590. not. z.
f) loc. cit.
g) Auctor tabellae de ſectis medicorum, apud LAMBECIVM de bibliotheca Vindobon. L. VII. p. 152.
h) Adu. Grammat. ſ. 260.
i) Adu. Logicos L. II. ſ. 202.
k) Hiſt. med. P. II L. II. c. 8. p. 378.
l) loc. cit.
m) L. I. ſ. 236.

pirica confuderit Laërtius, vel duo fuerint Sexti, quorum vnus methodicae medicinae et Scepticae philoſophiae adhaeſerit, alter Empiricae [n]. Sed fruſtra fluctus in ſimpulo mouet vir eruditiſſimus, cum empiricae ſectae indoles Pyrrhoniam philoſophiam facile admittat, et non ipſe tantum ſe ἐμπειρικὰ ὑπομνήματα ſcripſiſſe teſtetur, ſed et praeter Laërtium PSEVDO-GALENVS [o] eum inter empiricos referat. Quemadmodum enim Sceptici in vitae negotio, ſceptin ſuam non ſequebantur, ita ipſo SEXTO teſte [p], Empirici cum Scepticis conſentiebant in principiis et a ſe ſigna obſcura comprehendi non poſſe ſtatuebant, et ſigna rationalia cum Pyrrhoniis negabant. Nec recordatus eſt vir doctus, fuiſſe complures medicos empiricos, qui Pyrrhoniſmo fuere addictiſſimi. Locus vero Sexti, qui praecipue vrgetur, id prorſus non vult, ſed, niſi nos omnia fallunt, contrarium probat: ſatis enim innuit, receptam ſui temporis opinionem eſſe, conuenire Sceptico empiricam medicinam, eo quod Empirici Pyrrhoniſmo nomen dederint. Cur vero empiricam medicinam Scepticis non quadrare putauerit Sextus, alio loco [q] luculenter prodidit, monens, empiricos obſcurarum cauſſarum demonſtrationem, quam dogmatici philoſophi et rationales medici iactent, negare, Scepticos autem de ea aſſenſum ſuſtinere. Diſcrimen itaque non in eo eſt, quod in praxi medica ſolebat reſpici, in eo enim et Empirici et Sceptici ſatis erant concordes, ſed in modo tantum, quo demonſtrationem ex cauſſis obſcuris et latentibus reiiciebant, cum empirici illam plane tollentes aliquid definirent, Sceptici ſolenni ἐποχῇ ſua vterentur: id quod minime impedire potuit, vt non Sceptici Empiricorum praxin ſequi potuerint [r]. Valde vero ieiuna ſunt, quae, vt his ſe extricent, viri docti confingunt. Laërtium enim duos Sextos medicos inter ſe confudiſſe, vnde probabitur? et qui Sextum hypomnemata empirica ſcripſiſſe dici poteſt, ſi huic ſectae addictus non fuit. Quod enim Cagnatus regerit: dici poſſe, licet empiricus non fuerit, eum tamen libros empiricos exaraſſe methodicum, eo quod in illis commentariis placita empiricorum ad diſquiſitionem reuocauerit, frigidum prorſus eſt, et ab omni veriſimilitudine alienum, nec ratione vlla probari poteſt. Recte itaque veterum teſtimoniis ſtamus, qui Sextum inter Empiricos numerant [s]. Alexandriae vixiſſe, ibique vel philoſophiam docuiſſe, vel medicinam feciſſe, ex eo veriſimile putat CAGNATVS [t], quia loco quodam [u] exempla affert Alexandriae, gymnaſii, ſcholae, quae a re ob oculos poſita deſumſiſſe credere

n) Adu. Grammat. f. 161.

o) In Iſagoge l. c. Alium quidem hunc Sextum empiricum eſſe contendit CAGNATVS l. c. quem nullo argumento ductum veterum teſtimoniis contradicere recte notauit FABRICIVS in prolegom. ad Sextum.

p) Adu. Logic. L. II. f. 191.

q) Adu. Logic. L. II. f. 327. 328.

r) Empiricorum ſecta quomodo a rationalium et methodicorum ſecta diſtinguatur, exponit CELSVS praef. de arte medica, qui hic omnino conſulendus, addendique recentiores hiſtoriae medicae enarratores fere omnes. Paucis rem perſpicue complexi ſunt HVETIVS l. c. c. 14. p. 159. FABRICIVS ad Sextum p. 61. not. G. quos vide. Acronem Agrigentinum ſectae huius principem fuiſſe ſcribit PLINIVS L. XXIX. cap. 1.

s) Conf. SALMAS ad CAPITOLINI Anton. t) loc. cit. u) Adu. Phyſic. L. II. f. 15. 45.

Digitized by Google

dere par ſit. Aſt decipi Cagnatum, ex alio SEXTI loco [x] eſt manifeſtiſſimum, vbi ſcribit: *felem Alexandriae ſacrificant: Horo et Thetidi blattam, quod apud nos nullus fecerit.* Et alibi [y] Alexandrinam dictionem ſuae non minus clare opponit. Recte quoque et eleganter Cel. FABRICIVS ad iſtum Sexti locum monuit, eum non ideo Alexandriam exemplum afferre, quod ibi viueret, ſed quod celeberrima eſſet, et quod Aeneſidemus, quem libenter ſequitur, docuiſſet Alexandriae, et quod praecipuae dogmaticorum, quos oppugnat, ſcholae tum temporis Alexandriae florerent. Vt taceamus, nondum ex allato de hac vrbe exemplo ſequi, eum ibi vixiſſe, cum et ad Rhodum aliaque loca prouocet, vbi eum triuiſſe tempus, nemo coniicit. Herodotum praeceptorem habuiſſe, LAERTII [z] teſtimonio, ſupra iam producto, conſtat. Valde vero miramur, CAGNATVM [a] ſcribere potuiſſe: cum de religione Sexti ex eius libris nihil intelligi poſſit, aſſequi ſe non valere, an idem fuerit, quem de reſurrectione ſcripſiſſe auctor eſt EVSEBIVS [b]. An vero unquam legiſſe Cagnatum libros Sexti *aduerſos phyſicos* credendum eſt, in quibus tam profana ratione de Diis agit, et ita vbique gentilem ſapit, vt coecum eſſe oporteat, qui eum a Chriſtiana pietate longiſſime abfuiſſe non videat? immo vel primus inſtitutionum Pyrrhonicarum liber adeo luculentus hac in re eſt, vt ne per ſomnium quidem veriſimile fieri poſſe credamus, ſcriptorem earum de reſurrectione ſcribere et dogma ſacrum explicare potuiſſe. Accuratiori examine opus habet doctiſſimi HVETII [c] opinio, qui eam, quam SALMASIO et CASAVBONO duce ſupra aſſeruimus ſententiam, diuerſum eſſe Sextum Chaeronenſem, M. Aurelii Antonini praeceptorem, a Sexto Empirico, multis rationibus nixus oppugnauit, et eundem intelligi Scepticum philoſophum demonſtrare conatus eſt. Cuius rationes cum nos hoc loco expendere promiſerimus, aequum eſt, vt virum magnae doctrinae, ſed hypotheſibus ſuis haud raro nimia fiducia et amore inhaerentem, audiamus. Vrget vero ille 1. vixiſſe vtrumque eodem tempore, habuiſſe idem nomen, eandemque philoſophiae profeſſionem, eodem vſum fuiſſe praeceptore Herodoto. 2. Reiiciendam eſſe Suidae, ſcriptoris negligentis, auctoritatem, qui vnum Afrum, alterum Chaeronenſem vocat, viderique ſimile, ideo Libyn dici Sextum Empiricum, quod forte diu Cyrenis Libyae vixerit, quemadmodum Pomponius Romanus a longa, quam Athenis fecit, mora Atticus dictus eſt. 3. Non obſtare, quod Sexti Chaeronenſis praeceptor dicatur Philadelphienſis, Empirici Tarſenſis, fuiſſe enim et Philadelphiam et Tarſum vrbes Ciliciae vicinas, quae facile commutari inter ſe potuerint. 4. Nec multum huic ſententiae refragari Capitolini teſtimonium,

x) Inſt. Pyrrh. L. III. f. 221.
y) Contra Grammat. f. 213.
z) L. IX. i. 116.
a) loc. cit.
b) H. E. L. V. c. 27. HIERONYMVS de Script. eccl. c. 50.
c) loc. cit.

monium, Sextum Chaeronenſem, Iunium Ruſticum, Claudium Maximum, Cinnam Catulum Antonini praeceptores Stoicos pronuncians. Hoc enim ad poſteriores hos pertinere, non ad primum, quem Pyrrhonium fuiſſe, ex Suida conſtet. 5. Licet Sexti Empirici nomini patronymicum non addatur in inſcriptionibus, vſitatum tamen hoc veteribus eſſe, vt illa omittant. 6. Quod vero ab Antonini teſtimonio deſumitur argumentum, quod καταληπτικὸς eum a Sexto philoſophari didiciſſe, ait, nihil euincere, eo quod a Sceptico id quoque fieri potuerit, quos de vita inſtituenda regulas non minus graues praeſcripſiſſe, quam alios philoſophos, conſtet, cum in vita dogmaticos ſe praebuerint. 7. Quamuis autem in iſagoge, quae Galeno tribuitur, Sextus nominetur, nondum tamen inde ſequi, fuiſſe eum Galeno coaeuum, potuiſſe enim ad antiquiores ſe prouocare auctorem: nec certum eſſe atque euictum, recte eam introductionem Galeno tribui. Haec doctiſſimus praeſul, vere Sceptice diſputans, vt ipſe fatetur [d], ingenium, quod habuit, foecundum probat, veritatem non item. Ita enim cum eius rationibus comparatum eſt, vt ad Lydium lapidem criticae artis examinatae aſſenſum non mereantur. Et vno quidem reſponſo omnes illae ratiunculae retundi poſſunt, demonſtrando, quod infra ſuſcipiemus, Sextum Empiricum Galeno ſi non iuniorem, certe coaeuum fuiſſe, nec ante Commodum vel Seuerum vixiſſe. Hoc vno enim poſito omnia concidunt, quae magno molimine exſtruxit Huetius, cum Sextus Aurelii imperatoris praeceptor dimidio fere ſeculo antiquior ſit. Sed nec quae affert digna ſunt praeſtantiſſimi viri eruditione, et in patrocinium ſcepticiſmi, cui pia quadam ratione ad deprimendam in rebus ſacris rationem vehementer fauebat, emendicata tantum et contorta. Etſi enim vno nomine Sexti duo appellati ſunt, diuerſo tamen vixere tempore, nec homonymia probat, eundem ſemper fuiſſe, qui idem nomen gerit. Philoſophiae vero profeſſionem ſecutus eſt Chaeronenſis Stoicam, Empiricus Pyrrhonicam, adeoque falſum eſt, eidem vtrumque inſtituto inhaeſiſſe, ſupponit etiam Huetius, de quo tamen quaeritur, vtrum eiusdem ſectae vterque fuerit? Accedit, Sextum Empiricum fuiſſe profeſſione medicum, quod de Chaeronenſi nemo veterum prodidit. Suidae vero negligentiam cum agnoſcat, cur ad eum prouocat? et cur non videt vir acutiſſimus, quod palpari poteſt, tres Sextos eum confudiſſe? Nec ambitioſe de patria Sexti Empirici diſputamus, credendum ſit Suidae, nec ne, in Libya natum eſſe contendenti. Sufficit, Empiricum a nemine veterum dici Chaeronenſem, nec ei Cyrenaicam aliquam moram adſcribi. Nec meliora ſunt, quae de praeceptoribus vtriusque afferuntur. Nam vnde probabit, duas Ciliciae vrbes fuiſſe inter ſe mixtas? Quod ſi vero id concedimus, vel, quod commode magis dici poteſt, Areum Tarſo, Herodotum eius filium Philadelphia fuiſſe oriundum, nihil tamen inde lucrabitur Huetii opinio, praeter illud, confudiſſe inter ſe veteres duos Sextos, et tribuiſſe Chaeronenſi,

d) p. 155.

ronenſi, quod ad Empiricum pertinebat. Aſt num ſupra omnem veriſimilitudinem eſt, duos philoſophos habuiſſe duos praeceptores homonymos, vicinis ex ciuitatibus oriundos vel ibi habitantes? praeſertim cum ex aetate Empirici Sexto Chaeronenſi dimidio ſeculo iunioris coniici poſſit, Herodotum Tarſenſem, huius praeceptorem, habuiſſe Herodotum vel filium, vel, quod malumus et ex nomine ſuſpicamur, nepotem, qui Tarſo Philadelphiam commigrarit, et cuius inſtitutione gauiſus fuerit Sextus medicus. Miramur autem, eruditiſſimum praeſulem Capitolini verbis adeo claris et luculentis vim inferre potuiſſe, praeſertim cum ipſe Suidam, teſtem quem aduocat, reiecerit. Etſi vero patronymica non ſemper a veteribus addi, certum eſt, veriſimile tamen non eſt, nunquam patriae Chaeroneae nomen Sexto Pyrrhonio fuiſſe additum, ſi is ex Boeotia fuiſſet oriundus, ex qua originem habuit Marci praeceptor. Nec minus contorta ſunt, quae ad eludendum, quod ab Antonino petitur, teſtimonium afferuntur. Non enim ibi ſermo eſt de argumento praeceptorum philoſophicorum, quae a Sexto accepit imperator, ſed de demonſtrandi exponendique modo, vt veritas rei oculos perſtringat. Quem ſenſum eſſe verborum Antonini, certe vidiſſet, qua fuit Graeci ſermonis peritia Huetius, niſi hypotheſi inſeruiuiſſet. Luculenter enim ait Marcus, didiciſſe ſe a Sexto τὸ καταληπτικῶς καὶ ὁδῷ ἐξερευτικόν τε καὶ τακτικὸν τῶν εἰς βίον ἀναγκαίων δογμάτων, quae Scepticiſmo directe opponi nemo non videt, et Pyrrhonio catalepſiam Stoicam tribui non poſſe palpat. Tandem quis credat, Antoninum, Stoicum acerrimum, iuratum ſectae ſuae hoſtem tantis laudibus extuliſſe? vel illam philoſophandi viam didiciſſe, quam vehementer exoſos fuiſſe dogmaticos omnes conſtat? Quibus omnibus cum reponi queat nihil quod momentum habeat, recte feciſſe eos, qui vtrumque Sextum diſtinxerunt, libere pronuntiamus. Ex his autem intelligi quoque poteſt, falſum eſſe FRANC. PHILELPHVM [e], qui ex Sexto Pyrrhonio Peripateticum exſculpſit. Totum enim fuiſſe Scepticum et de Pyrrhonia philoſophia omnium maxime meritum, luculentae *inſtitutiones Pyrrhoniae* ad oculum demonſtrant: ex quibus cum prolixe ſatis Scepticorum philoſophandi rationem *tomo primo* deſcripſerimus, lectorem illuc remittimus. Prolixiora ſunt, quae aduerſus *mathematicos* [f], id eſt, dogmaticos *vndecim libris* diſputauit, in quibus non

e) L. XXVI. ep. 1. p. 178.

f) Varia fuit apud veteres vocis huius ſignificatio. Pythagorae diſcipulos perfectos ita vocatos eſſe, Tomo primo oſtendimus. Interdum pro aſtrologis et genethliacis vox adhibita, vt apud ipſum SEXTVM adu. math. L. V. ſ. 1. 2. quo ſenſu inagi quoque mathematici dicuntur. Strictiori ſenſu etiam mathematici vocati ſunt, qui circa quantitates rerum, magnitudines, pondera et menſuras verſabantur, quo ſenſu hodie quoque vox in vſu eſt. Interdum pro humaniorum et liberalium diſciplinarum orbe vox ſumta eſt mathematicae. et μαθήματα dicta ἐγκύκλια παιδεύματα, quo ſenſu mathematicos appellat CEBES p. 69. et hoc quidem ſenſu ſumſiſſe Sextum vocem, recte obſeruauit FABRICIVS, qui in limine diſp. contra mathematicos de hac varia ſignificatione vocis mathematicus, erudite diſſerit. His ſubiunxit Sextus diſputationes aduerſus philoſophos, quas a diſputationibus contra mathematicos ſeiunxiſſe, ex fine Libri VI. contra muſicos eſt euidentiſſimum. Fallitur itaque commu

modo Pyrrhoniae philoſophiae notitiam haud leuem, ſed et magnam omnis veteris doctrinae cognitionem et eruditionem haud proletariam oſtendit, dignus qui ab eis attente legatur, qui veteres doctrinas noſſe cupiunt, praeſertim poſtquam magna luce hos commentarios colluſtrauit celeberrimi FABRICII [a] diligentia, de literis fere omnibus, praeſertim Graecis, immortaliter merita. De aetate vero Sexti Pyrrhonii vt aliquid adiiciamus, errare eos, ex dictis conſtat, qui ſub M. Aurelio Antonino eum ponunt. Vidit id iam CAGNATVS [b], ſed ratione infirma ductus ſuſpicatus eſt, fuiſſe eum Galeno poſteriorem, quoniam definitionem medicinae eandem, quam in libro *artis medicae* Galenus, attulit, *ſcientiam ſalubrium, non ſalubrium et neutrorum.* Nec firmior SALMASII ratio ad *iſagogen* GALENI prouocantis, in qua mentio fit Sexti, eam enim ſpuriam eſſe, nemo fere negat. Sed certiora et validiora ſunt, quae ex ſucceſſione Scepticorum a LAERTIO [c] memorata attulit IONSIVS [d]. Ea enim ſucceſſio talis fuit:

Antiochus Laodicenus,

Menodotus Nicomedienſis, Theodas Laodicenus,

Herodotus Arei Tarſenſis,

Sextus Empiricus

Saturninus.

Menodotus autem et Theodas ſiue Theudas tempore M. Aurelii Antonini inclaruerunt, vt ex GALENI libro *de hypotypoſi empirica* patet, quem, A. C. CC, aetatis LXX, Seueri VII, defunctus, Antonini philoſophi tempore anno aetatis XXXVII compoſuit, et in quo poſtremos ex Empiricis laudat Menodotum atque Theudam. Hunc Menodotum cum audiuerit Herodotus, et hunc demum Sextus, neceſſario inde ſequitur, ſerius, quam ſub Antonino philoſopho, Sextum vixiſſe. Cumque hos vltimos ſui temporis empiricos memoret Galenus, recte inde concluditur, Sextum Empiricum, Galeni tempore nondum innotuiſſe, ſicque eius tempus in Sec. III initia, vel ſenectutem etiam Galeni, aetatemque Seueri imperatoris eſſe reiiciendum. Cum enim verus iſagoges Galeno tributae auctor ignotus ſit, ex eo argumentum pro definienda Sexti aetate afferri non poteſt. Alios Sextos ſupra indicauimus.

§. IV. Poſt

communis virorum doctorum ſententia, quam nos quoque in Germ. Hiſt. phil. opere T. III. p. 1337. ſecuti ſumus, quae mathematum nomine omnes omnino ſcientias, etiam philoſophicas comprehendiſſe Sextum putat.

a) Nitidiſſima editione Lipſienſi 1718. fol. vid. Iourn. des Savans 1719. p. 669. Bibl. anc. et mod. T. XIV. p. 1. Act. erud. 1718. p. 337.

b) loc. cit.

c) l. c. ſ. 126.

d) De Scr. hiſt. philoſ. L. III. c. 12. p. 274. eum ſequitur FABRICIVS II. cc.

Digitized by Google

§. IV. Poſt Sexti aetatem non defuerunt, qui philoſophandi ratio- *Sceptici po-*
nem Scepticam excolerent, mox Pyrrhoniorum, mox Academicorum no- *ſteriores.*
mine minus inuiſo vſi. Ex illorum numero fuit Saturninus Cythenas, quem Sexti Empirici diſcipulum facit LAERTIVS [i], et Theodoſius Tripolites, vir eruditus et mathematicarum diſciplinarum hiſtoria clarus, qui, SVIDA teſte [ii], commentarios ſcripſit in Theudae Laodiceni Sceptici *capitula*. Meminit Theodoſii cuiusdam Bithyni, quem horologii ſolaris ad quodcunque clima apti inuentorem praedicat VITRVVIVS [m], et quem cum filio non ignobile inter mathematicos ſui temporis nomen conſecutum eſſe STRABO [n] teſtatur, huncque VOSSIVS [o], cum Theodoſio Tripolitano eundem fuiſſe, et ex Bithynia in Africam ſeceſſiſſe putat. Qua in opinione ducem habuit IOANNEM PENAM [p]. Sed merito a Voſſio diſceſſere viri κριτικώτατοι IO. IONSIVS [q], AEG. MENAGIVS [r] et IO. ALB. FABRICIVS [s]: ſi enim paulo attentius Suidae narrationem intuemur, palam fit, fuiſſe inter ſe Theodoſios hos diuerſiſſimos. Bithynus enim, Voſſio non negante, Pompeii M. tempore vixit, Tripolitanus commentarios ſcripſit in Theudam, qui aliquo ante Sextum tempore, Traiani forte vel Hadriani vel Antonini Pii aetate vixit, adeoque ille Sextum aetate ſuperare vix potuit, et duobus Seculis Bithyno eſt iunior. Et diſtinguit quidem Theodoſium, capitulorum Scepticorum auctorem Suidas a Theodoſio Tripolita, ſed confudiſſe eum more ſuo hic omnia ex illo patet, quod eadem vtrique ſcripta tribuit. Monet etiam FABRICIVS, nunquam Theodoſii meminiſſe, neque eius ſcripta euoluiſſe videri Ptolomaeum, licet hunc ex illis profeciſſe tradant Pena et Voſſius, ex quo confirmamur, Theodoſium poſt Ptolomaeum, qui Antoninorum tempore floruit, vixiſſe: alias enim ad eum prouocaſſe dubitandum non eſt, qui alios laudauit. Meminere vero Theodoſii poſterioris temporis mathematici Theo, Pappus, Proclus, et ante hos LAERTIVS [t], ex quibus recte coniicitur, vix errare eos, qui vel cum Sexto, vel paulo poſt eius tempora vixiſſe ſtatuunt. De modo vero eius philoſophandi σκεπτικῶς, ex fragmento illo ſpecimen cape, quod ex *capitulis* eius *Scepticis* ſeruauit SVIDAS [u]. Ait ibi: *Pyrrhonem non vocandum eſſe Scepticum: nam ſi quidem motus et agitatio mentis in alterutram partem comprehendi non poſſit, Pyrrho quo mentis habitu fuerit, nos ignoraturos eſſe. At ſi illum ignoremus, non recte vocatum iri Scepticos Pyrrhonios. Ad haec Pyrrhonem neque primum Sceptices auctorem fuiſſe, neque de vlla re certi quid ſtatuiſſe. Quare Pyrrhonium dicendum, qui moribus illi ſimilis fuerit.* Scilicet ſectae nomen omnino refugiebant Sceptici, et antiquiora Pyrrhone nomina in patrocinium opinionis vocabant. Hinc Homerus, Archilo-

i) L. IX. ſ. 116. ii) In Theodoſius T. II. p. 174. m) L. IX. c. 9. n) L. XII. p. 566. o) De ſcient. mathem. c. XVI. §. 6. p. 58. c. XXXIII. §. 8. p. 160. p) Praef. ad Sphaerica Theodoſii a ſe Pariſ. 1557. 4. edita. q) De Ser. hiſt. phil. L. III. c. 12. p. 275. r) Ad LAERT. L. IX. ſ. 70. s) Bibl. Graec. Vol. II. p. 91. t) L. IX. ſ. 70. u) In Pyrrhonii T. III. p. 256.

chus et Euripides huc aduocati, vt ex hoc Suidae loco liquet. Seculo vero tertio valde inclinaſſe res Scepticorum dubium non eſt, cum et ſecta eclectica reliquas fere omnes deprimeret, et Chriſtiani ſe Scepticiſmo vehementer opponerent, quod eius mala inter greges ſuos graſſari viderent doctores eccleſiae, qua de re conqueritur GREGORIVS NAZIANZENVS [x], et nota ſunt, quae contra Academicos diſputauit AVGVSTINVS [y]. Ex quibus veterum locis colligitur, acerrimas quidem, at abſurdas et impudentes ſatis fuiſſe diſputationes Scepticorum, et intolerabiles viſas [z], telis vero piorum doctorum vbique confoſſas [a]. Cum itaque exiguis iam ante luminibus vſa eſſet [b] ſecta Sceptica, tandem prorſus euiluit, et cum incrementis philoſophiae Alexandrinae atque doctrinae Chriſtianae huic ſectae maxime aduerſis, decreuit. Cuius ſpecimen eſſe poteſt, quod Sexti ſcripta, licet bonae frugis quoad veteris doctrinae copiam et eruditionem plena, plerisque veterum intacta manſerint [c], et de doctiſſimo medico non niſi pauca extent veterum loca [d]. Occurrit quidem Iuſtiniani imperatoris tempore Vranius quidam philoſophus, AGATHIAE [e] memoratus, ex quo ſua deſcripſit SVIDAS [f], homo Syrus, non Peripateticae tantum doctrinae, ſed et Pyrrhoniae addictus, qui Conſtantinopoli oberrabat, artem profitens medicam, quique nullum prorſus Ariſtotelis dogma recte tenebat, diſputando tamen in congreſſibus inanem prae ſe typhum ferebat, et ad palatii porticus atque in tabernis librariis ſedens de Deo et diuinis cum hominibus illiteratis diſputationes exercebat. Hunc ephecticam philoſophiam imitari cupientem, iuxta Pyrrhonem et Sextum reſponſiones feciſſe, finemque ſtatuiſſe vacuitatem perturbationis in animo, exiſtimando nimirum, nihil eſſe quod comprehendi poſſet intellectu, ait AGATHIAS, qui et addit, cum Areobindo legato ad Perſarum regem Choſroëm commigraſſe, magno ab eo in honore habitum. Aſt et vita talem deſcribit et eruditione, vt vix nomen inter philoſophos mereatur, et Chriſtianum fuiſſe ex Neſtorii ſecta, et ad controuerſias Eutychianas traxiſſe praecepta Ariſtotelis de paſſibilitate et impermixtibilitate Dei (τὸ παθητὸν καὶ ἀξύγχυτον) diſputando, obſeruauit Cel. MOSHEMIVS [g], adeoque et ſuo merito, et fidei profeſſione omitti hic poteſt. Nec alia ſunt, quae his addenda eſſe iudicamus; cum hoc vero tempore cum philoſophia Graeca gentilis plane exſpirauerit, eius quoque ſub imperatoribus Romanis hiſtoriae imponimus finem.

CAPVT.

x) Orat. XXI. in Athanaſ. p. 380.

y) Libris tribus contra Academicos, de quibus ſuo tempore dicendum. Conf. FOVCHER. ſur la philoſophie des Academiciens L. I. c. 13. p. 67. ſeqq.

z) AVGVSTIN. enchir. c. 20. de Trinit. L. XV. c. 12.

a) Vid. LACTANT. inſt. L. III. c. 5. 6. de ira Dei c. 1. b) Vid. Ariſtocles apud EVSEB. de praep. L. XIV. c. 18.

c) Obſeruauit id MENAGIVS ad Laërt. L. IX. ſ. 116.

d) Laërtii, Suidae, Iſagoges auctoris, Agathiae, Cedreni, auctoris tab. de ſectis medicorum, Scholiaſtis Luciani et Nazianzeni loca praefixit ſuae Sexti editioni FABRIC. e) L. II. p. 67.

f) In Vranius T. II. p. 740. hinc ſua hauſit MENAGIVS l. c. FABRICIVS l. c. HVETIVS l. c. p. 161. g) Initir. hiſt. Chriſt. antiq. Sec. VI. P. II. c. 1. §. 5. p. 434.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIA ORIENTALI.

§. I.

Hiſtoriae philoſophiae orientalis neceſſitas et momentum.

Abſoluta philoſophiae gentilis Graecanicae ſub imperatoribus Romanis hiſtoria ad Iudaeos iam, quod omnes hactenus fecerunt, qui philoſophiae fata enarrarunt, pedem promouere liceret, niſi reſtarent barbaricae philoſophiae reliquiae, hactenus fere nemini animaduerſae, ſaltem iuſta nunquam luce colluſtratae, quas nuper e tenebris reuocauit viri magni, Io. Lavr. Moshemii [a] induſtria. Qui cum vidiſſet, veterum in ciuitate Chriſtiana haereſium, quae rem Chriſtiani populi ſacram ſub initia naſcentis reipublicae ſacrae valde vaſtarunt, origines ex Platoniſmo, praeuiis quibusdam veteribus doctoribus, a plerisque qui hiſtoriam ciuitatis Chriſtianae enumerarunt [b], perperam et inuita veritate deriuari, de veris earum originibus ſollicitus, tandem eo, quo eſt animi acumine, et profunda in his rebus perſpicacitate, vidit et detexit, fuiſſe circa nati Saluatoris tempora in notioribus Aſiae atque Africae regionibus ſingulare quoddam philoſophiae genus, quod diuinarum rerum cognitionem ceteris praeſtantiorem ſibi vindicans, orientalis doctrinae a vetuſtiſſimis philoſophis ad ſe deriuatae gloriam ſibi vindicauit: exque ea ſecta plures cum ad Chriſtianam religionem ſe contuliſſent, praeceptaque ſua cum hac praepoſtere coniungere conati eſſent, exorta eſſe illa haereſium examina, quae Gnoſticorum nomine ſuperbientia, muſcarum inſtar per omnes Aſiae atque Africae eccleſias peruolitarunt, et nugis ineptiſſimis ſimplicitatem ſanctiſſimae religionis contaminarunt, ad Iudaeos quoque et ipſos gentiles progreſſae, domeſticam vtrorumque philoſophiam miſere corruperunt, ſententiarum monſtra excogitarunt, fanaticiſmum late regnantem confirmarunt et auxerunt, librorum ſpuriorum ſegetes diſſeminarunt, peſſimisque doctrinis totum commacularunt orbem. Quorum hominum hiſtoria, dici non poteſt, quantum lucis hiſtoriae ſacrae atque philoſophicae ſeculi poſt natum Saluatorem primi et ſecundi accendat, et quam multa perſpici queant, circa quae ſine ea merito in tenebris palpamus. Dolendum tantum eſt, non extare amplius horum hominum libros, et non niſi pauca et exigua fragmenta ſupereſſe, adeo quoque eccleſiae doctores variis cauſſis impeditos turbaſſe eorum notitiam, vt pauca hactenus de eo philoſophiae genere, cauſſis, et rationibus

a) In diſſ. de cauſſis ſuppoſitorum librorum inter Chriſtianos Sec. I. et II. Vol. diſſ. hiſtor. eccleſ. p. 217. In inſtitut. hiſt. Chriſt. antiq. Sec. I. P. II. c. 1. §. 4. ſeqq. p. 71. ſeqq. et in inſtitut. maior. Sec. I. p. 137. ſeqq.

b) Vid. Massvet. diſſ. I. in Irenaeum art. 1. ſect. V. §. 63. ſeqq. p. 93. ſeqq. C. Vitringa Obſ. SS. L. V. c. 13. p. 162. et innumeri alii, quibus exemplum praeiuere veteres doctores Irenaeus, Tertullianus, Epiphanius, alii.

Digitized by Google

bus veris dici poſſint, quae non inſuperabilibus difficultatibus circumſepta omni fere diligentia ſuperiora ſint. Tentabimus tamen, vtrum tanto viro duce, viae ſemel ab eo apertae inſiſtentes, afferre aliquid valeamus, quod non nudis coniecturis, ſed veterum etiam relationibus conſonet.

Exiſtentia eius probata.

§. II. Extitiſſe eiusmodi philoſophiam circa haec, de quibus loquimur, tempora, veterum de haereſibus in oriente natis narrationes dubitare non ſinunt. Eae enim certi teſtes ſunt, ad eiusmodi philoſophiam, a vetuſtiſſimis in oriente philoſophis acceptam iſtos homines prouocauiſſe. Qua de re imprimis PORPHYRII[c] teſtimonium audiendum eſt, eo minus ſuſpecti, quo minus res eccleſiae Chriſtianae ei curae erant cordique. Ita enim ille: γεγένασι δὲ κατ' αὐτὸν τῶν Χριστιανῶν πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι, αἱρετικοὶ δὲ ἐκ τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας ἀνηγμένοι, οἱ περὶ τὸν Ἀδελφιον καὶ Ἀκυλῖνον κ. τ. λ. *Erant Chriſtiani eo tempore multi, tum alii, tum haeretici ex antiqua philoſophia egreſſi, Adelphii Aquilinique ſectatores etc.* Quibus verbis clariſſime innuitur, haereticos eius temporis inter Chriſtianos, non tantum antiquae philoſophiae propaginem ſe iactauiſſe, ſed reuera inde ſemina opinionum concepiſſe ſuarum. De philoſophis enim loqui Porphyrium, ex ſequentibus manifeſtum eſt, quibus contemſiſſe eos Platonem, Zoroaſtris autem, Zoſtriani, Nicothei, Allogenis Meſi auctoritatem crepuiſſe, et tanquam ſectam aliquam philoſophicam confutatos eſſe, ait. Orientis autem ſapientiam eos homines oſtentauiſſe, fragmentum THEODOTI Valentiniani hominis, quod CLEMENTI ALEXANDRINO ſubiungi ſolet, quodque cum FR. COMBEFISII verſione exhibuit IO. ALB. FABRICIVS[d], demonſtrat, quod Valentinianis ſomniis refertum orientalis doctrinae titulum[e] prae ſe fert. Aſt talem hoc fragmentum philoſophiam nobis exhibet, qualem in ſequentibus producemus, quaeque veteres orientis doctrinas, quantum ex iis ad iſta quidem tempora peruenit, male ſana curioſitate ad Chriſtianae religionis traduxit myſteria. Addimus locis his tertium non minus luculentum, probeque notandum, quod ab eiusmodi philoſophi calamo profectus eſt, qui philoſophiae ſuae partem non contemnendam illi doctrinae orientali debuit. EVNAPIVM[f] innuimus, Alexandrinae philoſophiae innutritum, qui poſtquam Soſipatrae a geniis quibusdam, vt ipſe vult, philoſophiam edoctae hiſtoriam enarrauerat, patrem, dicit, orauiſſe peregrinos viros, ad genua aduolutum, ederent, qui-

c) In vita Plotini c. 16. p. 118. ed. Fabr.

d) Bibl. Graec. Vol. V. p. 335. Germanice idem fragmentum edidit G. ARNOLDVS haereſiolog. P. IV. p. 41. ſed cum vir doctus a veteris philoſophiae notitia plane non eſſet inſtructus, non poterat non theſauros vendere, qui carbones erant. Meliorem itaque verſionem dedit vir quidam eruditus Vlmae 1701. 4. qui nomen literis his I. G. W. E. M. praefixit. Quem fuiſſe IOANNEM GEORGIVM WACHTERVM, eccleſiaſten Memmingenſem, virum Graece doctiſſimum, nos docet Cl. IAC. ERHARDVS in miſcell. de lubilaeis p. 43.

e) Hunc enim titulum praeſcriptum habet: Ἐκ τῶν ΘΕΟΔΟΤΟΥ καὶ τῆς ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους ἱστορίαι.

f) In Aedeſio p. m. 61.

Digitized by Google

quinam eſſent: *εἰ δὲ μόλις καὶ βραδέως (δόξαν δὲ ἴσως οὕτω καὶ Θεῷ) παρέφηναν εἶναι τῆς Χαλδαϊκῆς καλουμένης σοφίας ἐκ ἀμύητοι, καὶ τοῦτο δι' ἀνώγματος καὶ κάτω νένευκεν.* *Illi cunctabundi*, ita pergit, *aegre poſt aliquam moram (forſan etiam, quod Deo ita viſum fuerit) ſe Chaldaicae philoſophiae, quae dicatur, initiatos eſſe prodiderunt, idque obſcurius et demiſſo vultu.* Quibus verbis ſatis clare innuitur, fuiſſe eo tempore ſectam quandam philoſophicam, quae Chaldaicam atque Orientalem ſapientiam iactauerit, eaque myſteria panderit, quae haud contemnendam partem philoſophiae Alexandrinae conſtituebant, licet moroſius refragari nolimus contendenti, pleraque in illa Soſipatrae hiſtoria fabulam redolere. Nobis enim heic loci ſufficit demonſtraſſe, inualuiſſe, primis a Chriſto nato ſeculis eiusmodi philoſophiae orientalis ſectam, quae diuinior et auguſtior reliquis habita fuerit, et dogmata multa ad Alexandrinos philoſophos propagauerit, ad quam prouocare potuerit Eunapius.

§. III. Vindicaſſe ſibi hanc ſectam Gnoſticorum nomen, eo quod ſublimiorem ceteris philoſophis de Deo deque poteſtatibus quibusdam ſiue emanationibus diuinis cognitionem ſe habere Sectatores eius gloriati ſint, doctiſſimus MOSHEMIVS [i] coniicit, nam, (quod ex ſequentibus quoque conſtabit,) circa diuina eiusmodi totam eorum doctrinam fuiſſe verſatam. Certumque ſe eſſe, ait, philoſophos hos nomine γνώσεως non tum demum doctrinam ſuam inſignire coepiſſe, poſtquam Chriſtianam religionem receperant, ſed iam antea honoris cauſſa eam ita nominaſſe. Tritum enim dudum fuiſſe inter philoſophos hoc vocabulum et ad cognitionem ſeu contemplationem rerum aeternarum ſublimiorem et ab omni ſenſu et materia ſecretarum deſignandam adhibitum: atqui harum rerum notitiam eximiam hoc genus hominum ſibi arrogaſſe. Recte haec quidem dici, nemo negauerit, qui vetuſtiſſimarum haereſium origines paulo curatius habet perſpectas. Quamuis enim Gnoſticorum appellationem certae tantum haereticorum ſectae propriam fuiſſe, eamque iſto nomine ab aliis haereticis ſe diſtinxiſſe tradant Epiphanius, Auguſtinus, Pſeudo-Hieronymus, Auctor Praedeſtinati et alii, quos magno numero ſequuntur recentiores [k], in veterum tamen ſcriptorum lectione verſatum fugere non poteſt, Gnoſticorum nomine omnes propemodum haereſes complexos fuiſſe veteres, qui ſublimiorem de Deo et diuinis ſcientiam iactarent, vnde et Menandrum Simonis diſcipulum IRENAEVS [l], et Baſilidem HIERONYMVS [k], Saturninum EPIPHANIVS [l], Nicolaum quoque PHILASTRIVS [m] Gnoſticorum parentem con-

Nomen Gnoſticorum ſibi vindicat.

g) loc. cit.
h) Vid. quos laudat THOM. ITTIGIVS de haereſiarchis aeui Apoſt. c. IX. p. 162. ſeqq.
i) L. III. c. 4.
k) Cat. Scr. eccl. c. 21. p. 87. ed. Fabr.
l) Haereſ. XXVII. ſect. 1. T. I. p. 102.
m) Haereſ. XXXIII. p. 71. ed. Fabr. idem facit IRENAEVS L. III. c. 11. EPIPHAN. haer. XXVI. ſ. 1.

Digitized by Google

conſtituunt. Dubitandum quoque non eſt, profluxiſſe hoc nomen non ex Chriſtiana ſed gentili diſciplina, conſiderantibus luculenta duo loca Diui PAVLI, quorum vno [n] diſcipulum Timotheum antitheſes τῆς ψευδωνύμου γνώσεως auerſari iubet, altero illam falſo iactatam ſublimiorem ſapientiam philoſophiam deceptricem et traditiones humanas atque elementa ſiue principia mundi vocat [o], quibus verbis clare ſatis origines non in ciuitate Chriſti, ſed inter ſeculares homines exortas tangit. Etſi vero haec ita ſe habere vix dubitandum ſit, non tamen id ita accipiendum eſt, ac ſi orientalis iſta philoſophia domeſticum hoc ſibi nomen adſciuerit. Γνώσεως nomen enim Graecum eſt et a Graecis philoſophis profectum, et in Pythagorae atque Platonis tantum ſchola ad res immateriales et intelligibiles, earumque notitiam, quam metaphyſicam dixit Ariſtoteles, translatum, vt nos alibi docuimus [p] docteque expoſuit IACOBVS THOMASIVS [q]. Ex quo colligimus, Gnoſticorum nomen orientales philoſophos tum demum ſibi vindicaſſe, cum Graeci ad orientalem philoſophiam Pythagorico-Platonicam transferrent, et ex vtraque mixtum metaphyſicae genus exſurgeret: quod non ita longo ante natum Chriſtum tempore eueniſſe, in ſequentibus dicemus. Gnoſticorum vero, id eſt haereticorum vetuſtiſſimorum placita ex hac ſecta profecta eſſe, et ſublimiorem eiusmodi de Deo et emanationibus diuinis atque earundem operibus doctrinam iactauiſſe, laudatum ſupra THEODOTI fragmentum διδασκαλίας ἀνατολικῆς luculenter euincit, et ex tota Gnoſticorum hiſtoria alibi enarranda manifeſtum eſſe putamus.

Origines ſectae Orientalis.

§. IV. Originem vnde haec ſecta ceperit, ex dictis et allatis etiam veterum locis definiendum eſt. Ex oriente enim profectam eſſe non nomen tantum, quod iactabat, oſtendit, ſed locus etiam regionesque orientis, in quibus illa γνῶσις ψευδώνυμος enata eſt, quam Chaldaeam, Perſiam, Syriam, Phoeniciam, Palaeſtinam fuiſſe, eos non latet, qui veterum rerum notitia delectantur. Ex his enim orientis regionibus ad Europaeos quosdam populos, maxime vero ad Aegyptios fuiſſe hanc philoſophiam propagatam, ex iis, quae in fine *primi tomi* de philoſophia Aegyptiaca tempore Graecorum ibi regnantium dicta ſunt, ſatis notum eſſe putamus. Maxime vero Chaldaeam et Perſiam, (quae nomina in philoſophiae hiſtoria idem dicere, et Chaldaicam philoſophiam eſſe, quae inter Perſas illo tempore floruit, ex dictis *tomo primo* de harum gentium philoſophia conſtat) patriam huius philoſophiae recte aſſignari, adducta ſupra Eunapii et Porphyrii loca probant, quorum ille Chaldaicam philoſophiam ſecretiorem initiationibus ſacram, vocat, hic ad Perſarum eos philoſophos prouocaſſe, eorumque auctoritatem, emendicatis

n) I. Tim. VI. 20.
o) Coloſſ. II. 8.
p) Hiſt. de ideis ſect. I. §. 6.
q) Orig. hiſt. phil. et eccleſ. §. 25. ſeqq. p. 21.

Digitized by Google

dicatis aliquot libris ſpuriis Zoroaſtris, Zoſtriani, Meſi aliorumque nomine ſuperbientibus venditaſſe prodit. Qua in opinione mire confirmamur conuenientia philoſophiae Zoroaſtreae cum hac orientali et Gnoſtica, cuius infra luculentum dabimus ſpecimen. Nulli itaque dubitamus aſſerere, fuiſſe eam propaginem quandam doctrinae Zoroaſtreae, at in peculiares opiniones et mira ſomnia degenerantem, adeoque inter ſectas illas referendam eſſe, quae Orientis incolas vltimis ante N. C. annis in plures opiniones diuiſerunt. Ex his vero clarum quoque eſſe putamus, errare eos, qui ex Platonis ſchola totam hanc Gnoſticorum inſaniam deriuant; cuius opinionis auctores ſunt veteres quidam eccleſiae doctores [r], qui in hos haereticos calamum ſtrinxerunt. Qui cum Platonicam potiſſimum doctrinam didiciſſent, vidiſſentque haud pauca orientalis philoſophiae capita a philoſophis Alexandriae Pythagorico-Platonicam philoſophiam tradentibus, vel ex hac Muſarum ſede per Aſiam ſe diffundentibus fuiſſe recepta, in eam inducti ſunt ſententiam, totam illam errorum foeturam ex Platonica philoſophia pullulauiſſe. Verum deceptos fuiſſe viros optimos, ex dictis ſatis conſtat: qui ſi Platonicam philoſophiam cum illorum decretis, quae notiora illis erant, quam nobis, comparauiſſent, vel hos homines ipſos audiuiſſent, facile intellexiſſent, multum inter eorum placita et ſcholae Pythagorico-Platonicae doctrinam eſſe diſcriminis. In quam licet multa poſtea eſſent recepta, tantum tamen abeſt, vt Platonem ſe ſequi philoſophi illi orientales putauerint, vt potius eum faſtidioſe reiecerint, quippe qui, diuinitatis profunditatem praecipiendo non attigiſſet. Teſte enim PORPHYRIO [s] praeceperunt, *Platonem in profunditatem intelligibilis eſſentiae non penetraſſe*, PLOTINVS [t] autem Alexandrino contra eos acumine diſputans, eis inanem obiicit iactantiam, ὡς αὐτοὶ μὲν τὴν νοητὴν φύσιν καταμεμηκότες, ἐκεῖνα δὲ (Πλάτωνος) καὶ τῶν ἄλλων τῶν μακαρίων ἀνδρῶν μή· *quaſi ipſi quidem intelligibilem naturam cognoſcendo attigerint, Plato autem reliquique beati viri minime.* Nec ad haec demonſtranda alio argumento opus eſt, quam lectione diſputationis illius a PLOTINO [u] contra hos homines ſcriptae, quam *contra Gnoſticos* Porphyrius inſcripſit, in qua luculenter oſtendit: *Eos Platonem non intelligentes, numen quoddam exiſtimaſſe, in quadam quiete in ſe omnia continere, etc. Multa praeterea in Platone interpretando mentiri opinionesque eius in deterius detorquere.* Graui etiam indignatione eos corripit, *quod diuinos viros cauillentur, et conuiciis in Graecos ſua dogmata audientibus confirment, quodque popularem approbationem aucupentur, viros illos vituperando, qui a viris non mediocribus iam multis ſint ſeculis comprobati. Ridiculum porro eſſe* ait, *profiteri, ſe illis eſſe praeſtantiores, cum pleraque corruperint* [x]; cuius a Platone diſſenſus exempla affert pluſcula, quae

r) Irenaeus, Tertullianus, Epiphanius, aliique.
s) loc. cit.
t) Ennead. II. L. IX. c. 6. p. 204.
u) loc. cit.
x) loc. cit.

nobis otium faciunt, ex collatione vtriusque doctrinae diſſenſum inter vtramque oſtendendi [w].

Cum phil. Pyth. Platonica coniuncta.

§. V. Haec licet ita ſe habeant, negandum tamen non eſt, acceſſiſſe quaedam ex philoſophia Pythagorico-Platonica ad hanc philoſophiam orientalem. Id enim non dogmata tantum oſtendunt varia, quae vtrique ſectae communia videntur, ſed PLOTINVS quoque iterum teſtis eſt, qui ita: ὅλως γὰρ αὐτοῖς τὰ μὲν παρὰ Πλάτωνος εἰλῆφθαι, τὰ δὲ ὅσα καινοτομοῦσιν, ἵνα ἰδίαν φιλοσοφίαν θῶνται, ταῦτα ἔξω τῆς ἀληθείας εὑρῆσθαι. *Certum enim, eos a Platone multa accepiſſe, quae vero noua adiecere, vt propriam philoſophiam conſtituerent, ea extra veritatem eſſe deprehenduntur.* Inter illa refert *dogmata de iudiciis et poenis apud inferos, fluminibus, transmigrationibus in corpora varia, item quod in mundo intelligibili multitudinem ponant, videlicet ipſum ens, et deinde intellectum et poſt haec opificem alium, ipſam ſcilicet animam ſibi ex Timaei verbis vſurpauerint.* Vidiſſe hic hominem Platonicum plus conuenientiae, quam reuera fuit, facile largimur, aſt fuiſſe tamen quaedam Pythagorico-Platonica infarta horum hominum ſyſtemati, ex dictis manifeſtum eſt. Quod qua occaſione euenerit, ex iis, quae in *epilogo tomi primi* de philoſophia Aegyptiaca dicta ſunt, diſci poteſt, quae hic omnino repetenda ſunt. Scilicet cum ad iſtum, qui Alexandriae florebat, bonarum literarum mercatum, eruditionis, maxime vero philoſophiae Graecanicae per omnem terrarum orbem celeberrimae cupidi vndique conuolaſſent, et illi quoque, qui de rebus ſacris diuinisque accuratius inſtrui cupiebant, ad hanc vrbem properarent, in qua pulcherrimam perſonare theologiam, teſte Geographo veteri [x], et AMMIANO MARCELLINO [y], conſtans fama erat, Aegyptii autem ad recipiendas omnium gentium doctrinas de Deo, easque cum ſua theologia coniungendas eſſent proniſſimi, ſcholae vero Pythagorico-Platonicae ea eſſet exiſtimatio, vt ſingulari ſapientia de diuinis differere crederetur, non potuere non homines Aſiatici, nouandis rebus et opinionibus leuiſſimis ingeniis intenti, Alexandriam deferri, vt et ipſi ſacra ibi dogmata diſcerent. Qui cum mirum doctrinarum diuiniorum chaos offenderent, quod canis Hermetis et ſimilibus nominibus turgebat, cumque accepiſſe Chaldaeos ab Aegyptiis ſapientiam ſuam Aegyptios iactantes audirent, domeſtica, ſaltem cognata valde et affinia fuiſſe inueniſſe viſi, manus dabant, et theologiam Alexandrinam ita patriis dogmatibus attemperabant, prout poterant, multa ita efformabant, vt nec Orientalia, nec Aegyptiaca, nec Pythagorico-Platonica manerent integra et incorrupta, ſed ex omnibus noua enaſcerentur placita. Et hac quidem ratione philoſophiam orientalem in Aegyptum peruenisſe, dubium non eſt. Quae cum magnifice de Deo diuinisque ſtatue-

w) Prolixe et ſolito iudicii acumine ex Plotino hoc demonſtrauit MOSHEIM. inſt. hiſt. Chriſt. maior. Sec. I. P. II. c. 2. §. 5. p. 5. p. 341. ſeqq.

x) p. 20. ed. Godofr.

y) L. XXI. c. vlt.

Digitized by Google

ſtatuere, et haud pauca veteribus patriisque, (quorum veros ſenſus nemo tenebat, ſed pro lubitu explicabat quilibet) affinia habere videretur, translata in illud religionum Πανδοχεῖον eſt, ex quo poſtea tantum malorum, velut ex Pandorae pyxide in orbem egreſſum. Certe non Aegyptiacam tantum et Platonicam, ſed et ipſam Iudaicam doctrinam corrupit. Ex hac enim philoſophia Alexandrina, quae ex veteri Aegyptiaca, Orientali, et Pythagorico-Platonica conflata fuit, Cabbalam Iudaeorum exortam et ſpuriam philoſophiam populo Dei obtruſam fuiſſe, in *ſequenti libro* demonſtrabimus. Haec vero nos non nuda coniectura ductos aſſerere, ſed rei veritatem teſtem habere, facile ille intelliget, qui IAMBLICHVM[s], diuiniorem Aegyptiorum theologiam exponentem cum philoſophiae orientalis placitis generalioribus comparauerit. Ex Aegypto vero paulo ante reparatae ſalutis tempora Ptolomaei Phyſconis tyrannide eiecti philoſophi Alexandrini cum in Aſia reſediſſent, ſcholasque aperuiſſent, noua inde occaſio enata eſt, philoſophiam orientalem cum Platonica commiſcendi, et hanc genuinam rationem eſſe putamus, cur in philoſophia Alexandrina tot philoſophiae orientalis veſtigia deprehendantur, quae non tam Platonicis, quam ſectae iſti orientali, ſecus, quam plerumque fit, adſcribi debent. Cum vero poſt Plotinum et Porphyrium, intermortuis Gnoſticorum ſectis, interciderat philoſophia orientalis, Alexandrini recipientes, quicquid diuinum in orbe reſonabat, reliquias quoque Chaldaicae iſtius philoſophiae receperunt in tutum, vt ex MARINI[t] teſtimonio eſt manifeſtiſſimum. Et cum hac quidem ſecta philoſophiam quoque iſtam orientalem et Chaldaicam exſpirauiſſe, veriſimile eſt.

§. VI. Fuiſſe hanc philoſophiam orientalem metaphyſicam quandam, ſiue theologiam, mediocriter ad Gnoſticorum deliria, quae illa pepererit, attendenti manifeſtum eſt. Quemadmodum enim illa fere omnia in emanationum diuinarum ſerie quadam conſtituenda et ad viſibilis mundi opera applicanda verſabantur, ita dubitandum quoque non eſt, philoſophiam illam orientalem eiusdem argumenti doctrinam exhibuiſſe. Ex iis enim, quae *tomo primo* de barbarica Aſiaticarum gentium philoſophia diſſeruimus, conſtare poteſt, ſyſtema emanatiuum vtramque in ea abſoluiſſe paginam, et rerum omnium ex infinito Deitatis fonte fluentium ſeriem et progreſſum atque alterationem exhibuiſſe. In hoc igitur argumento philoſophia orientalis ſine dubio occupata fuit, et progreſſionem quandam ſiue emanationem virtutum quarundam ſubſtantialium, ex inexhauſta et latente numinis abyſſo per varios ordines, gradus, perfectiones, et eſſentiarum atque virtutum communicationes, vsque ad extremam emanationis lineam, nempe materiam eiusque corticem et ſcorias, malos genios, originemque mali phyſici et moralis explicare anniſa eſt. In hoc enim argumento et Alexandrina philoſophia, et Cabbala Iudaica, et Gnoſtico-

Doctrina orientalis philoſophiae de Deo.

s) De myſter. Aegypt. Sect. VIII. c. 2. 3. p. 158. ſeqq. t) In vita Procli c. XXVI. p. 60.

Digitized by Google

ſticorum ſyſtemata multum defudarunt, quae cum ſuo modo et ratione ex hac ſcaturigine pullulauerint, licet ad alia quoque doctrinarum aedificia, Platonicum ſcilicet, Iudaicum et Chriſtianum eam adplicuerint et accommodauerint; recte inde colligitur, ipſam philoſophiam orientalem talia tradidiſſe. Non prouocabimus iam ad reliquias Gnoſticorum, inter quas THEODOTI eclogae nobis luculentum locum [b] exhibent, ſed teſtem tantum volumus PLOTINVM [c], in eo quidem cum illis conſentientem, quod iuxta ſummam ſyſtematis emanatiui *illuſtrata, lumenque poſſidentia ſempiternum, deinde ad inferiora id traducant*, improbantem vero, ὅτι αὐτῷ τῷ πλήθει τὴν νοητὴν φύσιν τῇ αἰσθητῇ καὶ ἐλάττονι εἰς ὁμοιότητα ἄγοντες, *quod ex ipſa multitudine intelligibilem materiam vſque ad ſenſibilis et deterioris ſimilitudinem deducant.* Quibus verbis demiurgi in hoc ſyſtemate malam quandam et a materia contaminatam naturam habentis opera, mundique productionem vna cum malo tum naturali tum morali exiſtentis tangit. Hunc enim errorem in iis ſibi maxime refutandum ſumſit. Ad ſyſtematis itaque emanatiui indolem reſpicientibus, facile coniici poteſt, quibus partibus ſyſtema hoc metaphyſicae orientalis abſolutum fuerit. Nempe ante omnia, et ante ipſos primos rerum omnium inenarrabiles fontes incomprehenſibilem et ineffabilem paternitatis ſiue deitatis abyſſum poſuerunt, quam cum nec cogitationibus aſſequi ſe poſſe ſperabant, nec profunditatem eius metiri quemquam aſſerebant, ſuper omnia diuina principia collocarunt, et quod infinita et ineffabili profunditate gauderet, abſtractionum ſuarum idolis decepti, mare quoddam fontium omnium diuinorum conſtituerunt. Hic ἄγνωστος πατὴρ THEODOTI [d]; hoc principium primo-prius, quod Alexandrinos ſtatuiſſe *ſectione quinta diximus*. Hic Θεὸς εἷς πρὸ τῶν ὄντως ὄντων καὶ τῶν ὅλων ἀρχῶν πρῶτος καὶ τῆ πρώτῃ Θεῷ καὶ βασιλέως ἀκίνητος ἐν μονότητι τῆς ἑαυτῆ ἑνότητος μένων, *Deus vnus ante principia reuera exiſtentia et ante principia vniuerſalium, prior etiam Deo primo, et rege, immobilis in ſolitudine vnitatis ſuae permanens*, quem praepoſuiſſe omnibus Hermetem mentitur IAMBLICHVS [e]; hoc lumen illud infinitum, Or haënſoph, ex quo principia Cabbaliſtarum Sephirothica effluxerunt; hoc ſilentium illud et profunditas inenarrabilis Menandri, Valentini et reliquorum Gnoſticorum; nam hos omnes eandem ſcholae orientalis diſciplinam ſuo modo recepiſſe, iſta ſatis conuincit nos conſenſio. Nec aliter veteres orientales Zoroaſtrem ſecuti, qui ante Oromasden et Arihmanium, Mithram poſuerunt, ex quo dogmate hanc philoſophiam orientalem fuiſſe exortam poſtea oſtendemus. Cum autem cum omni mundo philoſophante et a reuelatione non colluſtrato [f], ex nihilo nihil fieri haec ſecta ſtatueret, oſtendendum ei erat, qua ratione tum mundus ille inuiſibilis, tum viſibilis, affectuum ſiue paſſionum et malorum turbis repletus, emanatione qua-

b) l. c. p. 141.
c) l. c. p. 201. d) p. 139. e) loc. cit. f) Conf. DE BEAUSOBRE hiſt. des Manich, T. II. L. V. c. 2. p. 165. ſeqq.

Digitized by Google

quadam ita eſſet exortus, vt integra tamen maneret ſummi principii perfectio. Vtrique igitur mundo ſui ordines conſtituendi erant, qui emanationis legibus diſponerentur: illique in duas claſſes diſtribuendi, quarum vna illas virtutes ſubſtantiales, quae intra diuinae perfectionis et eſſentiae naturam comprehenderentur, exhiberet, et quibus plenitudo infinita naturae diuinae abſolueretur; altera extra infiniti πληρώματος naturam progreſſa, finitas res, vsque ad ipſas naturas malas productas, complecteretur. Indulſiſſe hos homines nugaces et otioſos ingenio, et mira ſibi entia imaginaria concepiſſe, ex abſtractionibus formata, dubitari non poteſt; aſt formaſſe tamen ſibi haec principia emanatiua, ex infinito Deitatis fonte progreſſa, tanquam res quasdam vel virtutes diuinas, non diuinitatem tantum, ſed et ſubſtantiam quandam in prima omnium οὐσίᾳ radicatam habentes, quaecunque de illis narrationes hodie ſuppetunt, confirmant. Quales enim Cabbaliſticae Sephiroth ſunt, qualia item Platonica principia diuinitatis, talia iſta principia diuina in hac philoſophia orientali fuiſſe, ex concordia harum doctrinarum iure quodam concludimus. Adhibita ab illis hominibus, cum Graeco idiomate myſteria ſua pandere coepiſſent, vox αἰών, vnde decantatiſſimae Gnoſticorum aeones in pleromate diuinitatis poſtea perſonuerunt. Huic voci quam poteſtatem philoſophi orientales ſubiecerint, in tanto monumentorum veterum defectu et iactura accurate quidem et ſine contradictionis metu definiri non poteſt; quae cauſſa fuit, cur in tot diuerſas de eius ſignificatione opiniones pertracti ſint ſcriptores [f]. Hoc tamen certum eſſe putamus, quaecunque demum vocis origo fuerit, deſignari ea illas virtutes ſubſtantiales, quae ex Deo egreſſae et emanantes diuinam quidem naturam et eſſentiam habent, at ſuo tamen modo et peculiari quadam exiſtendi ratione a ſuo fonte diuerſam; quas αἰώνων nomine indigitarunt, quod intellectualem immortalemque et temporis ex mutatione ſucceſſiui expertem naturam haberent [h]; in qua interpretatione vocis huius ἐμψύχους habemus viros celeberrimos Is. DE BEAVSOBRE [i] et Io. LAVR. MOSHEMIVM [k]. Nam plus velle hanc vocem, quam nuda attributa, ex inductione exemplorum huius vocis facile demonſtrari poteſt, licet fatendum, ad angelos quoque et finitos ſpiritus paſſim hanc vocem translatam fuiſſe [l]. Quod tamen factum eſſe tantum κατ' ἀναλογίαν ex eo manifeſtum eſt, quod aeones proprie intra pleromatis diuini naturam

g) Praecipuas vocabuli huius ſignificationes enarrat Io. DAMASCENVS de orthodoxa fide L. II. c. 1. T. I. p. 153. Ex recentioribus JAC. BASNAGE Hiſtor. Iud. L. III. c. 28. §. 13. p. 738. recte vidit, aeonas Gnoſticorum cum Sephiris Cabbaliſtarum idem eſſe, obſeruauitque in fragmento Sanchuniathonis hanc vocem iam adhibitam eſſe, ex quo tamen nondum ſequi putamus, fuiſſe hoc nomen Phoenicium, cum coniiciatur, non ſine veriſimilitudine, hoc fragmentum ex horum philoſophorum officina prodiiſſe.

h) Rationem hanc poteſtatemque vocis αἰών demonſtrauimus in Tempe Heluet. T. II. Sect. I. obſ. 4. p. 66.

i) l. c. p. 574.

k) Inſtit. hiſt. Chriſt. mai. Sec. I. P. II. c. 1. p. 143. ſeqq. add. SVICER. theſ. T. I. p. 141. PETAV. dogm. theol. L. III. c. 5. §. 6. ſeqq. MASSVETVS et GRABIVS ad Irenaeum.

l) GRABIVS l. c. p. 9.

ram in ſyſtemate orientali comprehendantur. Aeones itaque, et principia ſubſtantialia ex Deo emanantia et in plenitudine diuinitatis comprehenſa, idem ſunt, et plus volunt, quam ſimplices modi diuinae naturae, adeoque non probandi ſunt viri docti, qui ſupremi numinis perfectiones, decreta et actiones ab his hominibus perſonarum habitu deſcriptas coniiciunt, et notiones quasdam atque ideas Platonicas in intellectu diuino intelligi ſtatuunt [m]. Hi enim ex eo ſatis refutantur, quod ex his aeonibus progreſſus demiurgus, mundus, homo, materia dicatur. Deos melius dixeris, ſed ita cum primo fonte connexos, vt vnam plenitudinem conſtituant; qua ferme ratione Platonem et ſequaces multos in intellectu diuino ideas, velut *κοίας αὐτὰς καθ' αὐτὰς* poſuiſſe, ſuo loco euicimus. Quod ſi quis huic explicationi obiiciat, ne ſic quidem conſtare perſpicue, quid iſtis aeonibus hi homines ſibi voluerint, transſcribenda erit culpa in ingenia illorum hominum fanatica et delira, quae perſpicuis notionibus caruerunt, et contentos nos eſſe oportet eo, quod ſciamus, principia illa diuina ſignificari iſta voce, quae ex Deitatis fonte effluxere, et tamen in eius ambitu contenta ſuam peculiarem indolem, naturam et ordinem ſeruauerunt. Cum autem, vt mundus cum ſpiritualis tum materialis ex iſta emanatione fontis infiniti exſurgeret, virtutes duorum generum requirerentur, quarum illae agendo, hae recipiendo vel quaſi patiendo, ad prorogandam latiusque extendendam emanationis virtutem concurrerent, vti philoſophi hi ſuarum regionum methodo emblematica, ſexum maſculinum atque femininum in his aeonibus excogitarunt, ex quorum concurſu tandem mundus inuiſibilis et ſpiritualis conſtitutus eſſet.

Doctrina orientalis de mundo viſibili.

§. VII His poſitis de viſibilis quoque mundi origine, et naturis quae in illo eſſent, deque mali, quod in illo regnaret, ortu et fine, erat ediſſerendum, quas quaeſtiones ab antiquiſſimis temporibus barbararum gentium ingenia valde excruciaſſe, ex hiſtoria philoſophiae barbaricae ſuo loco enarrata notum eſt [n]. Cui nodo vel ſoluendo vel ſecando ratio ſyſtematis emanatiui adhibita, quam totam hanc deliram philoſophiam peperiſſe ſumus perſuaſiſſimi, nempe, axioma hoc: Quo magis emanans a fonte ſuo ſecedit, eo deterioris illud fieri atque impurioris naturae, eo craſſiori ſtipari congerie, vt lumen a ſplendidiſſimo igne in longinquum proiectum infirmius ſit, et tenebris magis ſemper miſcetur, donec vix luminis aliqua remaneant veſtigia. Hoc canone poſito, quem clauem quoque eſſe philoſophiae Cabbaliſticae in ſequentibus luculenter demonſtrabimus, porro ſtatuebant, aeonum vel virtutum eiusmodi ſiue vnam ſiue aliquas ex plenitudinis diuinae circulo longius progreſſas, a perfectione ſua deſciuiſſe, et ita deſtitutas diuinis perfectionibus de condendo nouo ſibi regno cogitaſſe: factumque eſſe ex iis demiurgum, qui cum ſpiritualia non haberet

m) Campeg. Vitringa Obſ. SS. L. I. c. 2. p. 130. Basnage l.c. Souverain. l. c. §. 8. p. 140. Plat. devoilé c. VIII. p. 68.

n) Conf. quae ex veteribus affert Mosheim.

Digitized by Google

ret pura, ſed coarctata magis et in materiam coëuntia, et infinitatem atque diuinitatem amittentia, ex his mundum hunc fabricauerit, illique alias potentias ſubſtantiales, ex reliquiis priſtinae originis ex ſe productas praefecerit. Qui demiurgus et miniſtri eius atque angeli, cum diuini pleromatis indolem et naturam amiſiſſent, et qui ab eis conditus erat mundus, materialis craſſusque factus eſſet, quin ex eius ſcoriis atque eluuie corticeque peſſimae quaedam virtutes ſiue mali quidam daemones exorti eſſent, repletum fuiſſe hunc mundum malo phyſico et morali, paſſionibus, et turbis atque infinitis calamitatibus plenum, hincque mali originem eſſe deriuandam, quod in animum quoque hominis redundauerit, licet ipſe meliorem quoque naturam a diuinis principiis, non vero ab iſtis conditoribus materiae accepiſſet. Ex quibus omnibus ſequebatur, relucere quidem in mundo magnam primi fontis imaginem et bonitatem ex ſupremo oceano effluentem, aſt cum nimis longe ab eo, emanationis conditione, remotus materialis factus eſſet, non potuiſſe non tot mala moralia et naturalia mundo ineſſe, nec potuiſſe ſupremi numinis benignitatem illis ſatis mederi, cum ineuitabilia prorſus ſint, et emanationis neceſſitate eueniant.

§. VIII. Vt vero ex hac miſeriarum catena hominem reuocarent, corporis odium ſapienti commendabant, et a ſentiendi eum facultate ad rationis vſum reuocabant, et per varios aſcenſionum ſpiritualium gradus ad Deum extollere ſe iubebant, vtque facilior fieret a malis iſtis poteſtatibus et fatali naſcendi in hoc mundo neceſſitate ad primum beatitatis et perfectionis diuinae atque ſummae fontem reditus, contemplationes, poenitentias, purgationes, cruciatus et exercitationes philoſophicas iniungebant [o], quibus a delictorum ſcabie et peccandi impuritate ad praeſtantiorem naturam animus extolleretur. Qui cum totus ita purgari non poſſet, varias poſt mortem purgationes neceſſarias eſſe, et non tantum reuolutionibus, ſed cruciatibus quoque ab illuuie inhaerente, eum eluendum dicebant, donec ad ſupremum fontem reductus plenis beatitatis praemiis potiatur. Eſſe porro hanc emanationum diuinarum ſeriem in variis potentiarum ſpiritualium ordinibus conſpicuam, quae quo longius recedant a fonte primo, eo deteriores fiant, et materiales magis atque concretae, ſed et inde peioris et malignae indolis, indeque et morbos, et tempeſtates et his ſimilia, quae mundum turbant, ab his poteſtatibus impuris oriri. Aſt et incantationibus, quibus ſuperiores poteſtates prouocentur, eas poſſe abigi [p], et fore tandem, vt vincente boni natura malum, et eluta quaſi mundi materialis colluuie et inquinamentis, tandem res omnes ad priſtinum, ex quo effluxerunt, infinitae plenitudinis circulum, redeant.

Doctrina moralis orientalium.

§. IX.

o) PLOTINVS l. c. p. 203.

p) Ibid. p. 212.

Digitized by Google

Discordia sectarum ex ea oriundarum.

§. IX. Fuisse haec primaria philosophiae orientalis capita, in quibus pleraeque, quae ex illa egressae sunt, sectae conspirauerint, facile ex inductione dogmatum eorum, quae in illis hodie inueniuntur, demonstrari posset, nisi limites nobis positi obsisterent. Certe omnium haeresium, quae Gnosticae dicuntur, hae communes doctrinae sunt, multa ex illis recepit Cabbalistica philosophia, multa Alexandrina. Verum in applicatione speciali infinitae ortae sunt discordiae. Quarum duae potissimum caussae assignari possunt. Prima in humani intellectus natura recte ponitur, qui cum de rebus abstractis et iudicandi tantum facultate definiendis cogitat, in praeceps abripitur, vbi imaginationis oestro, ingeniique foecunditate agitur in transuersum. Id his hominibus euenit: qui cum imperscrutabilia mundi spiritualis mysteria detegere cuperent, et de diuinis et abstractis notionibus differere auderent, imaginationis regimini more gentium orientalium se permittentes miscuerunt omnia, et prout quis ingenio erat foecundior, ita noua vocabula, nouum ordinem, nouas potestates excogitabat, et systemati friuolo et ratione sana destituto suppetias ferre tentabat, ita vero innumera opinionum diuersissimarum monstra introducebantur. Altera vero caussa ex applicatione philosophiae orientalis ad alia systemata deriuanda est. Scilicet multi ex his, qui hanc philosophandi viam latissime in oriente regnantem ingressi erant, cum religionem Christianam et doctrinae pulchritudine et miraculorum gloria radios vndiquaque spargentem cernerent, non inuiti quidem ad eam accedebant, suae vero philosophiae illam attemperabant, rati, Christum eiusmodi aeona fuisse, nec Paracletum aliud indicare, homines vero idiotas, quales Apostolos et doctores Christianos videbant, a literatura seculi imparatos, non recte intellexisse haec mysteria, adeoque ad perfectiorem γνῶσιν ea esse emendanda. Quo posito, quo quis erat ingeniosior, eo monstrosius systema produxit, qua in re exemplum praeiuisse reliquis Simonem Magum, ex hac secta orientali philosophum, veteres testantur. Inde horrenda illa doctrinarum aedificia conflata sunt, quae haereticis tribuunt Irenaeus, Epiphanius, Philastrius aliique, quanquam dubitandum non sit, nec pios doctores, huius philosophiae imperitos, satis ea intellexisse, nec sciuisse satis ipsos haereticos, quae vellent. Qua de re cum infinita fere dici possint, ea nobis, quibus alia sectanda sunt, ad historiae sacrae scriptores, et imprimis haeresiologos remittenda sunt. Eadem fere ratione factum, cum haec philosophia in Aegyptum perueniret, et ab Alexandrinis quoque philosophis ex parte reciperetur, vt systemati Pythagorico-Platonico infarta valde ab orientis doctrinis deficeret: Idem etiam accidit, vbi a Iudaeis ad dogmata sua applicata, Cabbalisticam philosophiam nouo iterum et peculiari habitu exornatam genuisset. Nec dubium est, alibi quoque idem euenisse, quod quidem, deficientibus veterum monumentis, hodie definiri non potest. Quantacunque vero illa discordia fuerit, patebit tamen ex col-

Digitized by Google

collatione omnium, ſublatis ſpecialibus et domeſticis, in illis, quae ſupra expoſuimus, capitibus vbique philoſophos hos conſpirauiſſe.

§. X. Ex dictis iam ſatis luculenter patere putamus, non erraſſe nos, quod philoſophiam hanc orientalem, quam Chaldaicam vocat Eunapius, quamque ad Zoroaſtrem prouocauiſſe Porphyrius teſtatur, eſſe propaginem theologiae Zoroaſtreae, in oriente circa ſecula Chriſtum natum proxime antecedentia et ſequentia late diffuſae, dixerimus. Nam vt taceamus, aliam cauſſam vix poſſe afferri, cur vetuſtiſſimorum philoſophorum Chaldaeorum, et Perſarum libros ſuppoſititiis foetibus ſibi vindicauerint, vt auctor eſt PORPHYRIVS [1] ipſe, Zoroaſtreae doctrinae ita comparatae ſunt, vt eandem fere nobis doctrinae efforment imaginem. Quam vt lectoris commodo, ex prolixa illa *ſuperioris tomi* tractatione hic in breuem contrahamus ſummam, vt cum data philoſophiae huius orientalis delineatione queat comparari, ecce tradidit Zoroaſtrea diſciplina, ex vno principio infinito et aeterno, principiis duobus ſummis priore, effluxiſſe omnia modo legeue emanationis, hancque emanationem eſſe perfectiſſimam, puram et actiuam, adeoque naturam ſummi fontis eſſe ignem intellectualem, perfectiſſimum, puriſſimum; ex eo igne emanaſſe omnia materialia atque immaterialia, ita tamen, vt duo quaſi mundi principiorum orti ſint, quorum vnus puram lucem ſeruauerit, alter longius a fonte luminis infiniti recedens, tenebras receperit, et materialis factus ſit. Illius emanationes particulares quo fonti propiores ſint, eo puriores eſſe et diuiniores, igneas, lucidas, adeoque ſpiritus et Deos ex ſe gignere, et diuerſis potentiis actiuis et paſſiuis producere, adeoque Deos igneae naturae eſſe, quae vi naturae ſuae omnia moueant. Quae vero a fonte lucis longius diſtent, ſemper magis inde tenebrarum naturam recipere, luceque, calore, et motu priuari, indeque ortam tandem emanationis lege materiam tenebrasque, et cum his malum, quod Arihmanio, non Oromaſdi, adſcribendum. Hinc vero et calamitatum et malorum originem deriuandam eſſe, indeque neceſſariam eſſe pugnam inter tenebras et lucem, vt perpetua agitatione materia reddita ſpiritualis, lucida et actiua, tandem in Mithram, igneum illum et puriſſimum lucis fontem redire, ſicque ſublato in terris malo felicitas exoptatiſſima hominibus reſtitui queat. Eſſe hunc philoſophicum ſenſum Zoroaſtreae theologiae demtis ſymbolis orientalibus, ſupra luculenter, niſi fallimur, demonſtrauimus. Idem doceri poſſet de animae reditu, purgatione et felicitate futura, niſi breues eſſe vellemus. Aſt eadem veſtigia in philoſophiae orientalis delineatione deprehendimus, quam cum ex Chaldaea atque Perſia egreſſam fuiſſe veteres teſtentur, quid porro dubitabimus, eam Zoroaſtreae diſciplinae typum quendam, licet valde adulteratum mutatumque exhibuiſſe?

Philoſophia orientalis ex Zoroaſtrea.

§. XI. Quamuis autem ea, quae hactenus de philoſophiae orientalis origine atque indole diximus, lucem multam veterum haereſium, item-

Difficultates in hiſt. or.

[1] loc. cit.

Digitized by Google

que ſectarum, quae cum orientis philoſophis congreſſae ſunt commixtaeque, hiſtoriae foenerantur, fatendum tamen, pauca ea eſſe et admodum obſcura, et nondum totam eam in luce ponere apta, idque optari magis poſſe quam ſperari. Certi enim fontes, ex quibus de horum philoſophorum ſententiis notitia hauriri queat, nobis deſunt, et deperditi libri eorum omnes, imprimis ſuppoſititii illi, quos ad Zoroaſtrem, Zoſtrianum, Meſum, Allogenem referebant, quosque placita eorum continuiſſe nulli dubitamus. Immo ſi ſuppeterent, coniiciendum tamen eſt, multa nos offenſuros eſſe obſcura, non intelligenda, vocesque ſine ſono et mente, ſymbola de rebus omnem imaginem fugientibus materialia, metaphyſicam ſymbolicam ſine claue, ſine interprete: quae mera nobis aenigmata polliceri, quilibet intelligit. Quo magis enim imaginationis extra orbitam vagantis ſomnia afferuntur, eo magis tenebrae cumulantur, et certa impeditur notitia. Dubium quoque non eſt, non ſatis intellexiſſe diſcipulos mentem magiſtrorum, ex orientis methodo impropria et ſymbolica dicendi ratione vtentium, et quae illi ſubtiliter et abſtractionibus adhibitis dixiſſent, in deteriorem et phyſicum quendam ſenſum traxiſſe. His accedunt formulae Aſiaticae, grandiloquae, ab uſu dicendi communi remotae, indeque obſcurae, ratio quoque philoſophandi a Graecanica, cui adſueti fuere omnes, qui de hac philoſophia diſſeruerunt, longe diſtans et remota, et inſueta mentibus hominum Europaeorum: transſumta multa in hoc ſyſtema ex aliis ſyſtematibus maleque applicata et conſarcinata, intruſa multa, quae prorſus non cohaerent, et inſuperabiles obſcuritates, niſi a genuinis et domeſticis ſeparentur, pariunt, in quibus vero aliena a propriis diſtinguere fere impoſſibile: diſcordiae porro haereticorum ex hac orientali philoſophia progreſſorum, et propria ſibi doctrinarum aedificia extruentium, quae impediunt, quo minus, quid commune fuerit omnibus, quid ſingulis innouatum, intelligamus. Nec a veteribus nec a recentioribus lux multa expectari poteſt. Qui enim contra haereticos huius philoſophiae ſectatores calamum ſtrinxerunt, cum orientalem philoſophiam non intelligerent, eam ex Graecanicae philoſophiae, maxime Platonicae, praeceptis explicantes falſos ſubinde ei attribuerunt ſenſus, ſane parum attulerunt, quod veri ſpeciem prae ſe ferat, etiamſi de fide eorum bona in referendis, odioque et inuidia non euertendis haereticorum opinionibus, non dubitemus, cuius tamen in vno alteroue dubitationis cauſſam ſatis grauem eſſe, norunt qui veteris eccleſiae doctorum chartas attenta et praeiudicio non occupata mentis acie euoluerunt. Parum vero auxilii a recentioribus tantum non omnibus expectandum eſt, qui Platonicam cum orientali philoſophia confundentes, vel praeconceptis opinionibus ſeruientes quadrata ſaepe miſcuere rotundis. Quare ſi in tantis tenebris nos quoque ceſpitauerimus, veniam nobis dabit lector, feliciorem Oedipum requirentibus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS
DE
PHILOSOPHIA IVDAEORVM.

CAPVT PRIMVM
DE PHILOSOPHIA IVDAICA A TEMPORE REDITVS EX CAPTIVITATE BABYLONICA VSQVE AD EXCIDIVM HIEROSOLYMARVM.

§. I.

Philosophia Hebraeorum post captiuitatem Babylonicam mixta.

Ex gentilium philosophorum scholis ad Iudaicae gentis in enarrandis philosophiae fatis progredimur cathedras, cuius initia eruditionis atque sapientiae in *tomo primo* ita enarrauimus, vt eius historia exponeretur, quamdiu in regione sua sibi viuens, αὐτοκρατεία peculiari gauisa est. Quam perduraſſe vsque ad captiuitatem Babylonicam, qua dispersa tota fere natio in peregrinas terras translocata est, et populus Hebraeus siue Israëliticus esse desiit, ex sacris oraculis [a], quae gentis huius nobis fata pandunt, notum est. Ex eo enim tempore, quo diuturna sede inter Chaldaeos Persasque detenti tandem ad patrios fumos redierunt, non Hebraeorum porro nomen illis datum est, sed Iudaeorum, eo quod dispersis decem tribubus, quae Israëlitarum populum constituebant, pauci ex iis cum tribu Iudae et Ephraimi in Palaestinam reducti fuerint. Hebraeorum itaque sapientiae vt locum porro in historia philosophiae quaeramus, causa nulla est: cum fata decem tribuum, loca, regimen, mores, studia nos plane lateant. Quicquid enim de his Israelitarum post dispersionem inter gentes rebus coniiciunt viri docti, incertum prorsus est, nec nos morari aptum, eo quod ad nostri instituti limites non pertineat. Quare adeundi sunt viri docti, qui Hebraeorum historiam exposuerunt, IAC. BASNAGIVS [b] et Io. FR. BVDDEVS [c], maxime vero HERMANNVS WITSIVS [d], iis, qui plura de hac re nosse cupiunt. Nos pro scopi nostri ratione hoc ex infinitis, quae dici possent, notamus, non posse euinci, vel leui etiam verisimilitudine ostendi, tribus decem ab Assyriae rege in captiuitatem deportatas, quibus sedes datae sunt Chalach, Chabor, fluuius Gozan et vr-

a) II Reg. XVII. 6.
b) Hist. Iud. L. VII. c. 4. p. 62. seqq. ed. sec.
c) Hist. eccles. V. T. T. II. p. 523. seqq.
d) In dissertat. Aegyptiacis addito.

Digitized by Google

bes Mediae, incerta hodie loca [e], peculiarem rempublicam constituisse, et seruauisse patrios mores, instituta et sapientiam, adeoque de eorum quoque placitis et doctrinis nihil posse statui. Cuius licet contrarium nobis persuaderi cupiat nugator, qui quartum ESRAE [f] librum supposuit, narrando: Decem tribus, a Salmanasare rege Assyriorum trans fluuium in alienam terram deductas, communi consilio decreuisse, se a vulgo gentium subducere, et proficisci in viteriorem regionem humano generi nunquam habitatam, et seruare ibi consuetudines legemque, quas in patria neglexissent, per angustos itaque introitus fluminis Euphratis ingressas, miraculo cohibitis, donec transiissent, vndis, confectoque longo anni vnius et dimidii itinere, in regionem Arsareth delatas esse ibique consedisse; fabulam tamen esse, ignotus locus, et affictum ab ineptiente Iudaeo miraculum satis prodit, indignaeque sunt nugae, quas prolixe refutemus, cum eas recitasse, sit refutasse [g]. Omnis enim harum coloniarum historia nos latet, dubiumque vix est, praeter paucos illos, ex fece vulgi, quos in terra sua reliquit victor, quique vel Samaritanis postea vel Iudaeis admixti sunt, et praeter eos, qui cum Iudaeis ex captiuitate redierunt, colonos hos Israëlitas inter gentes Assyriae Mediaeque dispersos eorumque ciuitatibus additos, tot passos esse mutationes, monarchiis Assyriorum, Medorum et Persarum magnis reuolutionibus concussis, vt origines pristinae plane perierint, nec possint hodie detegi, adeoque de eorum quoque doctrina non dari posse tractationem [h]. Nec nos mouent ea, quae ex recutitorum gente vir eruditus MENASSE BEN ISRAEL orbi de residuis decem tribubus, earumque legibus et placitis persuadere conatus est, vsus relatione Iudaei Lusitani R. AARONIS LEVITAE, qui ANTONII MONTEZINII nomine innotuit, et ex America redux Menassi se decem tribus inuenisse, narrauit. Quam *spem Israëlis* peculiari libello [i] genti suae praedicauit Menasses, praeter narrantis fidem ad conuenientiam legum, doctrinarum et consuetudinum populorum Americanorum cum Hebraeis prouocans [k]; quem fidem inuenisse, non apud leuis tantum ingenii contribules suos, sed et apud quosdam Christianorum, merito miramur [l]. Nam et falsitatis notas omnes in fronte gerit relatio Montezinana [m], et, quam crepat doctor Iudaeus, conuenientia inter doctrinas ritusque Americanos et Hebraeos, nulla prorsus est, resque habet, ab innumeris fere annis inter gentes receptas, nec ab Hebraeis trans-

e) Conf. BOCHART. Geogr. S. P. I. L. III. c. 14. p. m. 220.

f) c. XIII. 40. seq.

g) Conf. tamen WITSIVS l. c. c. 4. §. 7. p. 343.

h) Conf. quae docte monet IOAN. IACOB. SCHVDTIVS Memor. Iud. P. I. L. V. c. 15. p. 513.

i) Amstelod. 1650. 12.

k) p. 28. seqq.

l) Historiam controuersiae enarrant FABRICIVS Bibliograph. antiq. c. I. p. 17. seqq. IO. CHR. WOLFIVS Bibl. Hebr. P. I. p. 125. P. II. p. 1091. I. I. SCHVDT. l. c. p. 519.

m) Demonstrauit id TH. SPIZELIVS in eluatione relationis Montezinianae de repertis in America tribubus Israëliticis Bas. 1661. tota relatio ex fabula de fluuio Sabbathico conficta est, de qua vide NIC. FVLLERVM Miscell. L. I. c. 9. p. m. 57.

Digitized by Google

transſumtas, quales ſunt ignis ſacer a Mexicanis Peruanisque adhibitus, dies ſeptimus cultui diuino ſacer, reliquiaeque notitiae alicuius de creatione, diluuio, ſimilibusque. Populos enim complures, Hebraeorum commercio nunquam notos ignem ſacrum aluiſſe [n], Sabbathumque aliquod ſeruauiſſe [o], veterum rerum gnaros non latet. Creationis autem et diluuii aliquam traditionem apud eas quoque gentes ſuperfuiſſe, ad quas nunquam tribus Iſraëliticas acceſſiſſe conſtat, ex iis teſtimoniis liquet, quae collegere viri docti, vt conuenientiam traditionis vniuerſalis cum reuelatis doctrinis demonſtrarent [p]. Ex quibus ſatis conſtat, hiſtoriam doctrinae harum tribuum non poſſe a nobis poſtulari.

Philoſophia Iudaica quo ſenſu dicatur?

§. II. De philoſophia vero Iudaeorum tractaturis mox in limine lector monendus eſt, ne vocis in alienum a propria ſignificatione ſenſum detortae vſu decipiatur, attendendum ad id eſſe, quod *tomo primo* de philoſophia Hebraeorum monuimus, habuiſſe quidem gentem ſacram vates diuino lumine colluſtratos, politicaeque prudentiae inſtructos viros vere magnos, oeconomos optime inſtructos, virosque doctiſſimos, ea eruditione, quae in hac gente floruit, ornatos, non vero philoſophos eo ſenſu, quo vocem hactenus adhibuimus. Fere enim idem quoque in Iudaicae ſapientiae hiſtoria obſeruandum eſt, in qua qui philoſophos proprie dictos quaeret, oleum is perdet atque operam. Etſi enim non defuere inter Iudaeos viri, quibus ex meliore luto finxit praecordia Titan, gentis tamen conſuetudine, ingeniis moribusque effectum eſt, vt parum inter eos inueniatur, philoſophiae nomine dignum, et non res modo ipſae, circa quas verſata eſt eruditio Iudaica, neſcio quas nugas humani ingenii nulla ratione ſuffultas, nullo reuelationis teſtimonio commendabiles exhibeant, ſed modus quoque docendi traditiuus, et rationi prorſus inimicus omne examen philoſophicum reiiciat. Si itaque philoſophiae vocabulum arctis propriisque ſignificationis verae limitibus premitur, abiici et praetermitti tota de philoſophia Iudaica tractatio poſſet, lectorque ad eos ablegari, qui religionis, morum, conſuetudinum, traditionum Iudaicarum exponere ſolent hiſtoriam [q], ad ea fere omnia redeunt, quae in philoſophiae Iudaicae enarratione exponi ſolent. Verum recedendum pauliſper eſt a ſtrictiori vocis ſenſu, nec omittenda in hiſtoria philoſophica vniuerſali Iudaicae religionis et eruditionis hiſtoria, eo quod Iudaeorum, quae in Aegypto reſedit, coloniae res arcte cohaerent cum philoſophia illius religionis, et omitti non poſſunt, niſi magnam in philoſophica

n) Conf. Io. Gottl. Bornivs de igne gentilium ſacro in Iſraëlitarum ſacra iniurio.

o) Vid. B. I. I. Syrii diſſ. de Sabbatho gentili, nuper in Tempe Heluetica recuſa.

p) Auctores Britanni Hiſt. vniu. Intr. p. 3. ſeq. Hiſt. de la phil. payenne T. I. p. 231. Hvet. Qq. Alnet. L. I. c. 5. p. m. 109. Demonſtrat. Euang. Prop. IV. c. 10. §. 6. p. 154. ed. rec.

q) Pertinent huc Io. a Lent. moderna theologia Iudaica, Iac. Frid. Reimmanni introduct. in hiſt. theol. Iudaicae, Io. Bened. Carpzovii Introd. in theologiam Iudaicam, Eisenmengeri Iudaiſmus detectus, I. H. Maii theologia Iudaica et his ſimiles, qui doctrinam Iudaeorum ſacram enarrarunt, de quibus infra dicendum.

Digitized by Google

phica hiſtoria lacunam intactam praetermittamus, ſectae vero Iudaeorum in Palaeſtina obortae huc quodammodo pertinent, certe philoſophicae hiſtoriae multam lucem foenerantur, et ſapientiae atque ſtultitiae humani ingenii in hac gente hiſtoria non poteſt ſine earum cognitione detegi. Maxime vero Cabbaliſtica philoſophia huc referenda eſt, quae in Aegypto gentilibus originibus vſa, monſtrum illud philoſophicum, quod ex Aegyptiaca, orientali et Pythagorico-Platonica philoſophia enatum eſt, ad Iudaeorum colonias deduxit, cuius hiſtoria adeo arcte cohaeret cum fatis eruditionis Iudaicae, vt ſeparari neutiquam queant. Paulo itaque laxiori ambitu definiendus in hac tractatione campus ille eſt, quem emetiendum nobis proponimus, reſpiciendumque ad totam gentis recutitae eruditionem et doctrinam: quae cum fero ſatis Graecanicam philoſophiam deguſtauerit, ad noſtra vsque tempora hiſtoriae filum deducendum eſt, vt vna ſerie Iudaicae philoſophiae, vel, ſi mauis, eruditionis hiſtoriam, difficulter diuellendam, lector habeat. Sic enim in ſequentibus ad Saracenorum et Chriſtianorum philoſophiam inoffenſo magis pede progredi licebit, ſuaquae omnia ſede locoque inueniri poterunt. Ita vero in hoc ſaxo voluendo verſabimur, vt fata doctrinae Iudaicae a captiuitate Babylonica ad excidium Hieroſolymitanum, et ſolutam rempublicam; tum eius hiſtoriam a captis Hieroſolymis ad recentiora tempora enarremus, et placita Iudaeorum tum exoterica, tum eſoterica, quantum ex iis ad philoſophiam referri poteſt, exhibeamus et explicemus r.

Viri ſapientes inter Iudaeos poſt captiuitatem Babylonicam.

§. III. Redux ex captiuitate Babylonica populus Iudaicus cum reſcitandae ex cineribus atque ruderibus vrbis veniam a Perſarum monarcha accepiſſet, et in noua foedera coiret ſanctae gentis respublica, non caruit viris prudentibus et ſapientia domeſtica inclytis, quos diuina excitauit prouidentia, vt collapſum cultum diuinum reſtituerent, et ad reuelationis diuinae legisque normam, ad primam integritatem reuocarent, voluntatem Numinis ſummi reducto ex ſeruitute populo explicarent, prudentiaque ciuili nouam ciuitatem in diuerſam a priori faciem coituram ſapienter diſponerent, et ita felicitatem per tot annos exulantem Iudaeorum nationi redderent. Inter hos viros magnos maxime inclaruerunt Eſdras, Haggaeus, Zacharias, Malachias, et principes populi Zorobabel, Nehemias, Saalthiel aliique; quos partim reuelationis diuinae et vaticiniorum lumine illuſtres, partim prudentiae ciuilis perſpicacia ſapientiſſimos fuiſſe, nemo negabit, qui ſacrae hiſtoriae non plane eſt imperitus: philoſophorum vero eos choro intrudere non licet, quod nihil minus, quam philoſophia, ſcientiae habitu exornata illis curae fuit. Aliud enim vatem eſſe, aliud imperantem vel

r) Scriptores huc facientes magno numero enarrat Io. Chr. Wolfius Bibl. Hebr. P. II. L. IV. c. 12. p. 1074. ſeqq. Maxime huc pertinet viri ſummi Io. Fr. Buddei introd. ad hiſtoriam philoſophiae Hebraeorum cum additionibus et illuſtrationibus recuſa Hal. Sax. 1720. 8. Plus promittunt, quam praeſtant Io. Braunii exerc. II. de ſapientia vet. Hebraeor. SS. ſelect. Sect. V. p. 540. ſeqq.

Digitized by Google

vel magiſtratum, aliud philoſophum, facile quilibet intelligit. Sacri itaque annales illis adeundi ſunt, qui ſanctorum virorum hiſtoriam noſſe cupiunt [s]. Nec alio loco Eſdras ponendus eſt, quem eruditorum ſui temporis facile principem in gente ſua fuiſſe veterum Iudaeorum monumenta tradunt, *ſcribamque velocem in lege Moyſis* [t], id eſt, legis diuinae interpretem doctiſſimum vocant. Cuius in interpretatione diuinorum oraculorum tantam fuiſſe eruditionem Iudaei iactant, vt prophetis ſui temporis eum anteponant, et cum Moſe eum conferant, dignumque fuiſſe, perhibeant, vt lex per manum eius traderetur, niſi Moſes eum praeueniſſet [u]. Nec alia forte cauſſa eſt, cur confeſſui illi magno, qui ſynagoga magna Iudaeis dici ſolet, quemque a ſynedrio magno diſtinguunt, praefuiſſe dicatur [x], et cur fabulis et commentis Eſdrae hiſtoriam onerent [y]. Cui quidem teſtimonio fidem denegandam eſſe omnem non putamus, nec vocandam in dubium Eſdrae eruditionem credimus, quamuis non certo ſatis fundamento niti videantur, quae pro ſynagogae magnae veritate et auctoritate Maſorae, quam Eſdra duce confeciſſe dicitur BVXTORFIVS et aſſeclae diſputauerunt [z]: ex eo tamen criticum quidem, at non philoſophum exſculpi poſſe quilibet videt. Quare recte quidem faciunt, qui eruditis Iudaeorum Eſdram adſcribunt principem, perperam vero inſtituunt, qui auctoritatis et antiquitatis praeiudicio decepti, omnium fere ſcientiarum doctoribus anteſignanum praeferunt, et philoſophiae ei atque hiſtoriae eruditae cognitionem tribuunt ſummam. Hac enim ratione ad temporis noſtri circumſtantias veteres viri magni inepto conſilio exiguntur et comparantur [a].

§. IV. Aſt opponi his poteſt, quod *quarti libri*, qui ad ESDRAM refertur [b], Auctor narrat: Eſdram conſtituta republica, reparatoque cultu diuino, poſt emendatum Moſis librum et integritati ſuae reſtitutum canonem ſcriptorum diuinorum, cum probe agnoſceret, per exilia, caedes, fugas, captiuitatem gentis ſuae, traditionem veteris doctrinae, maiorum more oretenus hactenus propagatae, ſeruari non poſſe, ſicque arcanioris doctrinae myſteria tandem peritura eſſe, ad deſignandam literis philoſophiam eam arcanam, quam a traditionis oralis conſuetudine Cabbalam vocant, ſe accinxiſſe, et peculiari ad id opus diuino mandato fuiſſe excitatum. Cui vt obtemperaret, per quadraginta eum dies

Eſdras an philoſophiae Cabbaliſticae auctor?

s) Videndi praeter alios DAV. KNIBER Hiſt. prophet. L. II. c. 6. p. 540. BVDDEVS Hiſt. eccl. V. T. II. p. 942. ex quo loco ea emendanda, quae de his viris ſanctis in hiſt. phil. Hebr. §. 16. p. 48. dixerat.

t) ESDR. VII. 6.

u) Sanhedrin. c. 2.

x) Vid. BVXTORF. Tiberiad. c. X. p. m. 93. ſeq.

y) Somnia Iudaeorum de Eſdrae eruditione exponit BASNAGIVS Hiſt. Iud. L. III. c. 5. §. 1. 2. p. 112. ſeqq.

z) Controuerſiam enarrant BVDDEVS Iſag. Hiſt. theol. L. II. c. 8. §. 3. p. 1453. ſeqq. Io. CHR. WOLF. Bibl. Hebr. P. II. S. I. §. 2. p. 3. ſeqq. et plurimos alios nominant, quos vide.

a) Conf. HVNDEIVS. Hiſt. phil. mor. c. VII, §. 2. p. 30.

b) c. XIV. 46.

dies cum quinque ſcribis velociſſimis abſcondiſſe ſe in campo, exhauſtoque diuini luminis et ſapientiae, quod ei porrigebatur, poculo, ita repletum fuiſſe diuinorum myſteriorum abundantia, vt quinque viris dictare ea, quae ipſius animo ſuggerebantur, poſſet, illique per quadraginta dies libros ducentos et quatuor exararent. Ex his priores palam legendos proponere, ſeptuaginta poſteriores autem arcanos ſeruare dominum iuſſiſſe, quoniam iis ineſſet fons ſapientiae et ſcientiae flumen. Hos vero libros Eſdram Synedrio tradidiſſe ſanctiſſime cuſtodiendos, ſicque philoſophiam illam arcanam et ſapientiam traditiuam, cuius hiſtoriam infra *capite quarto* fuſe exponemus, ad poſteros propagatam fuiſſe. Huic narrationi tantam fidem adhibuit Io. Picvs, Mirandulae comes, vt cum libros quodam Cabbaliſticos non mediocri impenſa ſibi comparaſſet, qui Eſdrae nomen prae ſe ferebant, de magno, quo potitus eſſet, theſauro gloriaretur. „Hi ſunt libri, ita ſcribit [e], ſcientiae Cabbalae, „in quibus merito Eſdras veram intellectus, id eſt, ineffabilem de ſuper„ſubſtantiali Deitate theologiam; ſapientiae fontem, hoc eſt, de intelligibili„bus angelicisque formis exactam metaphyſicam; et ſcientiae flumen, id „eſt, de rebus naturalibus firmiſſimam philoſophiam eſſe, clara imprimis „voce pronunciauit. Hi libri, Sixtus IV. P. M. maxima cura ſtudioque „curauit, vt in publicam fidei noſtrae vtilitatem Latinis literis manda„rentur, iamque, cum ille deceſſit, tres peruenerant ad Latinos. Hi „libri apud Hebraeos hac tempeſtate tanta religione coluntur, vt nemi„nem liceat, niſi XL annos natum illos attingere. Hos ego libros „non mediocri impenſa cum mihi comparaſſem, ſumma diligentia, in„defeſſis laboribus cum perlegiſſem, vidi in illis (teſtis eſt Deus) religio„nem non tam Moſaicam, quam Chriſtianam: ibi trinitatis myſterium, ibi „verbi incarnatio, ibi Meſſiae diuinitas, ibi de peccato originali, de illius per „Chriſtum expiatione, de coeleſti Hieruſalem, de caſu daemonum, de ordi„nibus angelorum, de purgatoriis, de inferorum poenis, eadem legi, quae „apud Paulum et Dionyſium, apud Hieronymum et Auguſtinum quoti„die legimus". Verum quamuis haec non ſine quadam iactantia nugatores quidam iactauerint, coecum tamen omnino oportet eſſe, qui non otioſorum hominum fraudes, et laſciuientis ingenii extremam in fingendis et ſupponendis Eſdrae libris audaciam viderit, immo manibus palpauerit. Vt taceamus enim, quod infra prolixe et accurate demonſtrabimus, Cabbalam Iudaicam eos maiores ſuos, quos iactat, probare non poſſe, eſſeque Eſdrae aetate iuniorem; ipſe auctor libri, ex quo tota narratio hauſta eſt, adeo futilis et ineptus, et nulla prorſus fide dignus eſt, vt ſolius auctoris vanitate et futilitate res omnis concidat. Legentibus enim librum inſulſum et ad modum loquendi resque ipſas attendentibus manifeſtum erit, prodiiſſe librum ſuppoſititium ex officina Semi-Iudaei et Semi-

e) Apolog. p. 82. T. I. opp.

Digitized by Google

Semi-Christiani, Aegyptiacae philosophiae doctrinis innutriti [d], qui circa Seculi I. finem vel initia secundi vixit, orbique et ecclesiae eiusmodi foetu adulterino illusit. Nam quod Christianae religioni vel addictus fuerit, vel mysteria saltem eius potiora pro veris habuerit, ex variis eius locis [e] facili negotio colligi potest, proditque totius libri habitus, imitari voluisse auctorem vaticinia vel Danielis, vel Ioannis theologi, vt somniis suis Iudaeis per omnem terram dispersis animum adderet, eisque in patrias sedes redeundi spem confirmaret. Ast fuisse impostorem, inspiratio falso iactata, vaticinia vana nec vnquam impleta, et imprimis vestigia philosophiae impurissimae, quae eo tempore Aegyptum et orientis regiones multas peruasit, euidenter loquuntur, et suspicionem confirmant, eo potissimum fine Esdrae hunc librum imposuisse hominem impudentem et audacissimum, vt Cabbalisticae philosophiae ex nugis philosophorum Aegyptiorum, orientalium et Pythagorico-Platonicorum conflatae apud professionis gentisque suae homines fidem et auctoritatem conciliaret. Cui coniecturae verisimilitudinem haud exiguam conciliant vestigia manifesta philosophiae partim orientalis, partim Alexandrinae, tum vigentis, quae passim in isto libro occurrunt [f], quaeque, ex qua officina eo tempore, quo innumeri libri spurii protrudebantur, liber adulterinus prodierit, manifestant, rectequeque eos facere probant, qui impostoribus auctorem adscribunt, qua de re, ne nimii simus, viri docti consulendi sunt, qui librorum apocryphorum historiam exponunt, et hunc quoque librum enarrant [ff]. Merito igitur miramur, virum magnum et acutum IVL. CAESAREM SCALIGERVM [g], Pico alias longe oculatiorem, scribere potuisse: *Arcana multo plura contineri in libris Esdrae, atque potiora, quam quauis enarratione, eorumque librorum admirabile atque diuinum com-*

d) Iudaicam phraseologiam vidisse se putauit MARINVS exerc. Bibl. p. 225. sed falsum esse, vel vnius capitis lectio docebit.

e) Vid. c. II. 49. V. 5. VII. 28.

f) Vt exemplo res constet, ecce locum c. VII. comm. 12. 13. occurrentem: „Facti sunt introitus „huius seculi angusti et dolentes et laboriosi, „pauci autem et mali et periculorum pleni, et „labore magnopere fulti. Nam maioris seculi „introitus spatiosi et securi, et facientes immortalitatis fructum.„ Ipsa mox phraseologia peregrina nos hoc loco monet, non Iudaica hic nobis offerri: cogitantibus autem, tum quae de mundi huius conditione, laboribus et aerumnis pleni, tum de egressu, et aditu ad meliora loca orientales philosophi tradiderunt, tum, quae de duabus vitae portis Pythagorico-Platonici praeceperunt, dubium amplius non est, respexisse auctorem ad doctrinam eam Aegyptiacam, quae animas, postquam ex diuinae essentiae plenitudine delapsae essent, per laboris et miseriae portam ingredi in hunc mundum, solutas vero e carcere alia porta ad vitae immortalitatem liberas dimitti docuit, qua de re videnda sunt, quae PLOTINVS Enn. IV. L. IV. et PORPHYR. de antro Nymphar. p. m. 101. seqq. praecipiunt. Ex hac Alexandrinorum schola ad Iudaeos Cabbalistas transiit dogma illud, vt allatis Cabbalistarum testimoniis demonstrauit IAC. WINDSTVS de vita funct. statu Sect V. p. m. 96. edit. Lond. Luculentius vero ex R. ISAACI LORIENSIS tr. Cabbalistico de reuolutionibus animarum Cabb. denud. T. II. P. II. p. 244. seqq. disci potest. Conf. REVCHLIN. de arte Cabbalist. L. I. p. 614. Coll. Pistor. Talia multa in hoc libro occurrunt.

ff) FABRIC. Cod. apocryph. N. T. T. I. p. 930. WOLFIVS Biblioth. Hebr. P. I. p. 940. BVDDEVS Hist. eccles. V. T. T. II. p. 1019. G. SERPILII Personal. Esrae c. VI. p. 116. BASNAGE hist. des Juifs L. VII. c. 2. §. 7. p. 30. quique historiam decem tribuum exposuerunt.

g) Exercit. de subt. contra Card. CCCVIII. p. m. 999.

pendium apud ſe eſſe; inque iis libris longe praeſtantiores ſententias contineri, quam in concionibus ſordidiſſimi calumniatoris, atque impuriſſimi impoſtoris Emanuelis etc. Contrarium enim vir ſummus, qua erat eruditione et perſpicacia, facile vidiſſet, modo antiquitatis praeiudicium abieciſſet, vt ſuppoſita eſſe Eſdrae haec omnia videre potuiſſet. Quod vero ad Picum attinet, virum quidem diuini ingenii et inſolitae eruditionis, ſed minus iudicii acumine pollentem et philoſophiae Pythagorico-Cabbaliſticae cuiusdam inepto plane praeiudicio occoecatum, vel falſum fuiſſe, vel fefelliſſe, dubio caret; nuſpiam enim apud Iudaeos et Chriſtianos horum LXX librorum Eſdrae, quorum ipſi copiam factam eſſe dicit, fit mentio; id quod ſuſpicionem quibusdam excitauit, ipſum Picum lactantius talia finxiſſe [h]. Alii vero [i], de optimi iuuenis candore nulli dubitantes in impoſtorem quendam Iudaeum culpam coniiciunt, qui inſano, quo in has literas ferebatur Picus, deſiderio et credulitate abuſus, carbones ei pro theſauris vendiderit, eumque pecunia emunxerit. SCIPIO SGAMBATVS [k] vero Talmudis libros Picum pro Eſdrae libris habuiſſe coniicit; cui tamen coniecturae non immerito opponit deſideratiſſimus WOLFIVS [l]: neminem Iudaeorum Talmud vnquam ad Eſdram retuliſſe, nec eos iuuenes ab eius ſtudio arcere, cum ad hos Eſdrae libros legendos neminem niſi quadragenarium admitti ſcribat Picus, nec denique in Talmude inueniri ea Chriſtianae religionis capita, quae Eſdrae libris iſtis contineri is dicit. Omnium itaque rectiſſime calculos ſubducunt, qui impoſtores quosdam, cum viderent Picum ingenti veritatem Religionis Chriſtianae ex philoſophia quadam Pythagorico-Platonico-Cabbaliſtica demonſtrandi feruore ferri, Cabbaliſticos quosdam libros interpolaſſe, ſicque Pico Cabbalae, cuius tum obſcuriſſima et incertiſſima erat notitia, amore faſcinato fumos vendidiſſe. Eadem fere mens fuit REVCHLINO [m], qui eiusmodi libros ſupereſſe adhuc ſibi perſuaſit, quanquam diffidiſſe libris a Pico redemtis videatur.

Hiſtoriae Iudaicae vetus diuiſio.

§. V. Poſt Eſdrae tempora de Iudaicae gentis placitis et doctrina ſollicitis tempora probe diſtinguenda ſunt, et loca, in quibus ſedem fixerunt. Ex illis enim mutationibus, quae iis poſt captiuitatem Babylonicam obtigerunt, ingens quoque in doctrina ſecuta eſt conuerſio et mutatio. Maxime vero duo momenta in Iudaicae gentis hiſtoria ſunt, ad quae hic omnino attendendum eſt, eo quod inſignem in placita Iudaica habuere influxum. Quorum vnum diſſidium Samaritanorum eſt [n], quod ante Eſdrae

h) Conf. WOLF. Bibl. Hebr. T. I. p. 942.

i) RICH. SIMON. Biblioth. choiſie T. I. p. 323.

k) De archiuis V. T. p. 304

l) loc. cit.

m) De arte Cabb. L. I. p. 630. ed. Piſt.

n) Scriptores huc pertinentes indicat WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 433. et CARPZOV. Crit. S. V. T. P. II. c. 4. p. 585. inter quos eminet HADR. RELANDI diſſ. de Samaritanis, quae P. II. diſſertt. miſcell. extat.

Digitized by Google

Eſdrae quidem tempora coepit, poſt eius vero aetatem in apertum erupit diſcidium, et internecinum in religionis quoque negotio parauit odium. Alterum Iudaeorum coloniam tangit, ab Alexandro M. in Aegyptum deductam et ab eius ſucceſſoribus ita auctam, vt non minore numero et auctoritate Iudaei in Aegypto gauderent, quam in Iudaea. Vtriusque hiſtoria proprie ad Iudaicae gentis annales pertinet, et in illis quaerenda eſt, nobis vero eatenus tangenda, quatenus peculiaria inde dogmata enata ſunt, de quibus, vt diſpiciamus, tractatio noſtra poſtulat.

§. VI. De Samaritanorum doctrina diſpicientibus, occaſio ſchiſmatis, quod eos a Iudaeis ſeiunxit, expendenda eſt, et hiſtoria illius populi conſideranda, eo quod in religione placitisque eorum multa mutata ſunt, occaſione fatorum, quibus ille vſus eſt. Rem ab ouo, quod aiunt, orditur ſcriptor ſacer [o], narrans, diu ante Eſdrae aetatem (ducenti effluxere ab eo tempore ad Eſdram anni) cum decem tribus Iſraëlis in captiuitatem abduxiſſet Salmanaſſer, rex Aſſyriorum, nouos eum colonos ex Babylone, Chuta, Hawa, Chamata, et Sepharuaiim in Samariae vrbes et vicos incolis deſtitutos deduxiſſe, vt regionem eam incolerent. Hi a Chuta poſtea omnes denominati Chutaeorum inuiſum apud Iudaeos nomen illis pepererunt [p]. Qui cum verum Iſraëlis Deum colere nec poſſent nec vellent, immiſſis a Deo feris vexati ad colenda regionis numina animum adiicientes ex captiuis ſacerdotem a rege Aſſyriae impetrarunt, qui patriam eos religionem doceret. Aſt cum puro cultu illi ſeruire deberent, domeſticam religionem dimittere nolentes in nefandum religionis doctrinaeque ſacrae ſyncretiſmum delapſi ſunt, et fecit vnaquaeque gens Deos ſuos, collocauitque in vrbibus; Babylonii conſtituerunt Succoth-benoth, Chutaei Nergalem, Chamatenſes Aſimam, Hawaei Nibhchazum et Thartakum, Sepharuaiimaei igne adoleuerunt liberos ſuos Adrammelecho et Anammelecho Diis ſuis. Qui Dii quales fuerint, ſatis quidem compertum non eſt, coniecturas tamen eruditorum legeſis apud VOSSIVM [q], IVRIEVM [r], BVDDEVM [s] aliosque; haec enim ad noſtros limites non pertinent, ſed in hiſtoria theologiae naturalis et idololatriae ſpeciali excutienda ſunt. Illud certum eſt, turpiſſimam colendi hos Deos rationem fuiſſe, et legi diuinae prorſus aduerſam, et ſanae quoque rationi inimicam. Id quod valde exoſos fecit Samaritanos apud Iudaeos, qui cum ſimilem in ſua regione idololatriam excitaſſent, excidii et captiuitatis poenam ſibi contraxere. Non potuit itaque non apud Iudaeos ex Babylonia reduces magnum Samaritanorum oriri odium, praecipue cum reſuſcitan-

Samaritanorum hiſtoria.

o) II Reg. XVII. 24.

p) Samaritani Cuthim Iudaeis dicti per ignominiam, vt originem iis peregrinam obiicerent, vid. IOSEPHVS Antiq. Iud. L. IX. c. vlt. p. 326. BENIAM. TVDELENS. itiner. p. m. 37. BASNAGE hiſt. des Juifs L. II, c. 4. p. 84. De inuidia huius appellationis alibi dicendi erit occaſio.

q) De idololatr. gent. L. II. c. 22.

r) Hiſt. dogm. et cult. P. IV. c. 1.

s) Hiſt. eccleſ. V. T. T. II. p. 658. add. IO. SELDENVS de diis Syris Synt. II. c. 22. et interpretes ad h. l.

Digitized by Google

di Hierosolymis templi societatem hi appeterent, illi haereticis his denegarent. Inde enim in inimicas concertationes et magnos motus res deducta, vulnus, quod difficulter coire poterat, vehementer diduxit. Et Iudaei quidem anathemate ferire, et a sanctae gentis communione excludere Samaritanos non dubitarunt, id quod ab ipso Esdra et Serubabele solenni ratione factum esse, Iudaei narrant, quorum de hac re narrationes ipsae consulendae sunt, quae aqua et igni Cuthaeis interdixisse Iudaeos dicunt [t]. Samaritani autem odio incensi cum in aula apud regis amicos plurimum valerent, magna excitandi templi vrbisque restaurandae impedimenta Iudaeis iniecerunt; hi vt par pari referrent, interceſſione potentiorum apud regem Darium effecerunt, vt ex regiis reditibus sumtus in quotidiana sacrificia Hierosolymis faciendos Samaritani erogare cogerentur [u]. Et haec quidem durante Persarum monarchia contigerunt. Qua per Alexandrum M. euersa occasionem nacti sunt Samaritani res suas amplificandi, vtendique fauore illo, quem antiqua Iudaici nominis gloria conciliabat, quoque Alexandrum M. in partes pertrahere conati sunt. Narrante enim auctore Chronici Samaritani [x], cum per Samariam rex cum exercitu iter faceret, a summo sacerdote Ezechia benedictionis ritu exceptus, magna Samaritanis donaria misit, eo quod sacerdos in somnio oblatam sibi regis imaginem dixisset, eique victoriam ex Persis promisisset. Huic narrationi contradicunt Iudaei, et rem sibi suisque vindicant. Teste enim IOSEPHO [y], cum Alexander M. vniuersum debellaturus orbem, ipsam quoque vrbem sanctam expugnare statuisset, repressus impetus a Iaddone pontifice, qui obuiam illi processerat, cuius fulgentis obtutus venerabilis adeo mouit Alexandrum, vt, cum victoriam illi senex promisisset, diuinitus sibi ostensam, et vrbi parceret, et honoribus et praemiis templum cumularet. Definiri quoque vix potest, cui parti fides adhibenda sit. Samaritani enim chronici narrationem commendat admodum, quod Samaritani eo tempore ad Alexandrum M. defecerint, Iudaeis Darii partes sequentibus, Iosephus etiam ceterique Iudaeorum historici parti suae seruire plerumque soleant; leuitas autem dicti auctoris fabulis plurimis historiam sacram corrumpentis fidem ei adimit, vnde mirandum non est, in diuersas de ea re abire opiniones viros doctos [z], de quibus arbitrium nobis non sumimus. In eo tamen elaborabant Samaritani, vt meditatam diu vnionem cum Iudaeis perficerent, qua in re Sanuballati, viri magni, et in aula Darii atque Alexandri M. potentis consilio et auxilio

t) Loca Iudaeorum affert EISENMENGERVS Iudaismi detecti P. I. c. 2. p. 118. add. WALTON. apparat. bibl. Proleg. XI. §. 4. p. 365. BASNAGE Hist. Iud. L. II. c. 5. §. 1. p. 87. seqq.

u) IOSEPH. Antiq. Iud. L. XI. c. 4. p. 367.

x) De hoc chronico eiusque auctoritate consulendi Io. HENR. HOTTINGERVS Ex. Anti-Morin. p. 106. Act. erud. 1691. p. 167. BASNAGE l. c. c. 3. p. 36. FABRICIVS Cod. Pseudepigraph. V. T. T. I. p. 878. et quos laudat.

y) l. c. l. XI. c. 8. p. 385. Iuchasin p. 14. Zemach Dauid p. 26. Kabb. R. LEVI p. 26.

z) IOSEPHVM sequitur HOTTINGERVS et BASNAGIVS l. c. ABVLPETACHVM chronici auctorem Vers. REIMMANNVS hist. theol. Iud. c. XVII. p. 535. ex instituto quoque Iosephi narrationem in dubium vocat ANTON. VAN DALE diss. super Artist. de LXX. Interp. c. 10. p. 68.

Digitized by Google

lio vſi ſunt, ſed difficili et contrario euentu. IOSEPHI [a] enim teſtimonio diſcimus, dediſſe Sanneballatum, vt hanc inter vtrumque populum concordiam promoueret, filiam ſuam Manaſſi in matrimonium; qui cum Iaddi pontificis apud Iudaeos ſummi frater eſſet, ſperauiſſe eum, fore, vt facilius internecinum inter vtrumque populum odium tolleretur, et Menaſſe ad ſummi Pontificatus faſtigium promoto, homines hactenus religionis animorumque diſſidiis diſciſſi in vnum coaleſcerent; ſed contrarium eius rei euentum fuiſſe. Iudaeos enim indigne ferentes, Menaſſen profanum cum Chutaei hominis, Samariae praefecti filia matrimonium iniiſſe, excluſiſſe eum a ſucceſſione ſacerdotii, et vrbe pepuliſſe. Qui cum aegre id ferret, Sanneballatum ei promiſiſſe, ſe non ſacerdotium illi tantum ſeruaturum, ſed et pontificatum paraturum, et totius ſuae prouinciae principem eum facturum, aedificaturum quoque templum in monte Garizim, Hieroſolymitano haud abſimile, modo filiam retineret. Idque feciſſe etiam Sanballatum, multisque artibus effeciſſe, vt excitandi templi facultatem ab Alexandro impetraret, perſuadendo regi, multos e Iudaeis Menaſſen ſecuturos, ſicque diuiſis Iudaeorum animis, et faciliorem de eis victoriam fore, et non auſuros res contra regem nouas, quod alias conſueuiſſent, moliri. Haec et alia multa IOSEPHVS, quem more ſuo confinxiſſe multa, vt populum ſuum extolleret, deprimeret Samaritanos, legentibus eſt manifeſtiſſimum: quo et illud referendum putamus, quod alio loco [b] refert: exorta inter Iudaeos et Samaritanos Alexandriae, tempore Ptolomaei Philometoris, de vtriusque templi religione diſcordia, cum vterque populus ſuum eſſe legitimum contenderet, prouocatum eſſe ad regem et amicorum eius conſeſſum; regemque vtriusque partis rationibus, pro cauſſa ſua allatis, auditis, cum ex lege et pontificum ſucceſſione continua Iudaei templi Hieroſolymitani religionem et auctoritatem demonſtraſſent, decreuiſſe, Hieroſolymitanum ex ſententia Moſis eſſe conditum, Samaritanae vero cauſſae patronos ſupplicio addixiſſe. Haec enim luculenter nugantis Iudaei fabulam redolent [c]. Illud certum eſſe, recte colligitur, et auxiſſe res ſuas Samaritanos, multis cum Menaſſe ad eorum partes, quae fauore et gratia regis fruebantur, transeuntibus, et emendaſſe quoque doctrinam ſuam, vt eam ad Iudaicae religionis ſummam attemperantes haereſeos notam toties illis obiectam effugerent, ſine quo ea fortuna, quam habuerunt, vti non potuiſſent. Vnde vindicaſſe ſibi legis doctrinam in ſacra hiſtoria legimus. Neque tamen ita emolliri odium Iudaeorum potuit, qui Samaritanos velut haereticos et profanos homines execrabantur, ſibique veram religionem templique auctoritatem vindicabant, qua de re diſputaſſe in Aegypto Iudaeos cum Samaritanis, ab Alexandro M. et Ptolomaeo Lagi illuc traductis [d], ſupra paulo diximus.

a) L. XI. c. 8. p. 385. Caue vero hunc Sanneballatum cum alio, cuius mentio facta NEHEM. XIII. 28. confundas.

b) L. XIII. c. 6. p. 434.

c) Ita etiam BARNAGE l. c. L. II. c. 6. p. 113.

d) IOSEPH. L. XI. c. 8. p. 386. L. XII. c. 1. p. 388. qua occaſione id factum ſit, fenarrat.

mus. Tandem inuidia in rabiem verſa eſt, quae commouit Ioannem Hyrcanum, vt Samariam cum exercitu obſideret, et poſt longas moras expugnatam tandem vna cum templo ſolo aequaret [e]. Surrexit tamen Samaritanorum metropolis ex deſolationis puluere, Aulo Gabinio prouinciae praeſide Romano eam reſuſcitante, et ab Herode amplificata, et regiis operibus exornata, in Auguſti honorem Sebaſte dicta eſt [f], qua fortuna Samaritanorum, praecipue ſub Herodum imperio res eorum valde auctae ſunt.

Doctrina Samaritanorum.

§. VII. Colligi ex dictis poteſt, diſſenſiſſe quidem Samaritanorum doctrinam a Iudaica religione et placitis, ita tamen comparatam fuiſſe, vt ſperare potuerint, Iudaeos ad eam acceſſuros eſſe: hoc enim niſi ſupponamus, ratio dari nulla poteſt conſiliorum a Sanballato initorum, vt ſub genero ſacrorum communium praeſule religio vtriusque populi coaleſceret. Ex his vero ſequitur, abieciſſe Samaritanos priſtinam ſuperſtitionem, qua cum Deo Iſraëlis etiam idololatriae ſeruiuerunt, propiusque in iis doctrinae capitibus, quae ad Deum eiusque cultum ſpectant, ad legis ſententiam et rationis etiam praecepta acceſſiſſe. Certius aliquid ea de re ſtatuere liceret, ſi quam recentiori aetate Sichemiticae Synagogae praefectus Eleazarus ad Scaligerum miſit, fidei confeſſio [g] veteribus per omnia Samaritanis poſſet tribui. Ex ea enim conſtaret, articulos illos, in quibus a Iudaeis diſſederunt, traditionibus quidem Iudaeorum refragari eſſeque oppoſitos, nihil tamen continere, quod ſuperſtitionis veteris reos illos agat. Verum valde timemus, vt haec omnia a Samaritanis iſtis veteribus profecta ſint, et non multa mutata ſequentibus temporibus: de quo tamen hic iudicium interponere, partium noſtrarum non eſt. Ad haec igitur doctrinae Samaritanae capita cum prouocare tuto ſatis non liceat, veterum teſtimonia de eorum placitis exquirenda ſunt, vt, quid ſani vel inſani in eorum doctrina fuerit, iudicari queat. Verum hic quoque aquam nobis haerere non diffitemur. Si enim eorum, quorum tamen teſtimoniis omnis de Samaritana doctrina notitia conſtat, narrationes expendimus, valde probabile fit, multa dediſſe ſcriptores eos odio, quo Iudaei ducebantur, aduerſus hunc populum, internecino, multa diſſeminaſſe vanos vulgi rumores, peperiſſe quoque quorundam ſuſpicionem fanaticas ſectas, quarum capita ex Samaritanis exorta prodierunt, Simon, Doſitheus, Menander: quanquam praefracte negare nolimus, adhaeſiſſe populo quaedam ex gentilium ſcholis deſumta, vel aliunde ex erroneis hauſta fontibus, quae occaſionem dederunt Ieſu Chriſto [h] obiiciendi Samaritanis, neſcire eos, quid adorent. Certe odioſe magis, quam par erat, doctrinam eorum traductam

e) Ioseph. L. XIII. c. 18. p. 458.

f) Loca veterum lege apud Reland. Palaeſtin. L. III. p. 979. Basnage l. c. p. 99.

g) Vid. Basnage Hiſt. des Iuifs L. II. c. 2. p. 22. c. 11. p. 215. c. 12. p. 298. Rich. Simon Supplem. ad Leonh. Mutinenſ. de Ceremon. Iud. P. V. c. 1. Chr. Cellarius de Samaritanae gentis hiſtoria diſſ. Ac. P. I. diſſ. VI. p. 108. Reimmann. Hiſt. theol. Iud. L. II. c. 14. p. 804. ſeqq.

h) Io. IV. 22. conf. Basnage l. c. c. 18. §. 1. p. 258.

Digitized by Google

ductam fuiſſe, ea, quae de eorum cultu diuino referunt veteres, manifeſtum faciunt. Narrat enim EPIPHANIVS [i], idola eos colere per ignorantiam, quia ſub monte Garizim ſimulacra quatuor gentium ſint abſcondita. Sed profectam eſſe hanc fabulam a Iudaeorum inuidia, ex eo intelligitur, quod hi tradant, tempore R. Meir, praeceptoris R. Iehudae, qui Miſchnam compoſuit, columbam in monte Garizim reconditam deprehenſam eſſe, indeque Hebraeorum ſapientes iudicaſſe, Samaritanos idola colere; quodque, vt haec alia ratione incruſtent, ad Aſſyrios prouocent, a quibus Chutaei deſcendunt, qui in vexillis ſuis columbam habuerint. Hoc enim quam frigidum ſit, et recutitorum magiſtrorum ingenio dignum, quilibet intelligit, et eleganter obſeruatum a doctiſſimo RELANDO [k], peperiſſe hanc calumniam vaſa ſacra, belli tempore in ſpelunca montis Garizim abſcondita, quae deinde, cum repetere vellent, inuenire non potuerint, quod factum eſſe ex Ioſepho et Chronico manuſcripto Samaritano, vir eruditiſſimus confirmat. Ad hunc itaque montem, quem pro ſacro habebant, cum obuerſa facie Samaritani orarent, enata inde Iudaeis occaſio, ſuperſtitionis eos reos agendi. Alia non minus friuola et nugacia, quibus illos de Deo minus recte ſenſiſſe tradunt, cum huc non pertineant, omittimus. Nec certiora putamus eſſe, quae EPIPHANIVS [l] eis tribuit: nec ſcire, nec credere eos reſurrectionem. Contrarium enim ſuadet, qui ex Samaritanorum gremio prodiit, Menander, qui ad hanc vitae immortalitatem ex reſurrectione ſperandam totam fere philoſophiam ſuam reuocauit. Nec negauit alibi EPIPHANIVS [m], Doſitheos, ſectam Samaritanorum, reſurrectionem confiteri. Nihil enim in eo dogmate eſt, quod non a Iudaeis modo, ſed et ab orientalibus Samaritani accipere potuerint. Nec veriſimilitudine caret, errorem hunc inde originem cepiſſe, quod Sadducaei reſurrectionem negantes a Phariſaeis Chuttim, id eſt, haeretici, more ſuo vocati fuerint, ſicque Samaritanis adſcripta fuerit Sadducaeorum opinio. Certe eo tempore, quo Chronicon Samaritanum conſcriptum eſt, reſurrectionem eos non negaſſe, luculenter demonſtrauit RELANDVS [n]. Pari ratione angelorum eos exiſtentiam negaſſe, LEONTIVS [o] tradit. Cuius aſſertioni opponi poſſet EPIPHANIVS [p], qui in eo Sadducaeos a Samaritanis diſtinguit, quod illi angelos, contra quam Samaritani, repudient, niſi conſtaret, Epiphanium veterum ſectarum doctrinas inter ſe ſaepiſſime confudiſſe. Speciemque valde habet, quod doctiſſimus RELANDVS [q] diſputat, eos per angelos in lege Moſis, quam ex diuinis libris ſolam recipiebant, nihil aliud intellexiſſe, quam mandatum, efficaciam, virtutem, vimque Dei, id quod

i) Haeref. IX. T. I. opp. p. 25.
k) l. c. Diſſ. miſc. P. II. p. 57.
l) loc. cit.
m) Haer. XIII. p. 30.
n) loc. cit.
o) De ſectis c. 8.
p) Haer. XIV. p. 31.
q) l. c. p. 29.

Digitized by Google

quod magno conatu adſtruit, aſſenſum nactus BVDDEI [r], et BASNAGII [s], eo quod in Pentateucho Samaritano angelus Dei dicatur, quod in Hebraeo Deo ipſi tribuitur. Nos tantorum quidem virorum auctoritati nihil derogatum volumus, fatemur tamen, nondum allata nos mouere, vt negauiſſe angelos Samaritanos credamus, licet concedamus, in paraphraſibus Samaritanis angelos explicari per virtutes DEI. Has enim virtutes diuinas non inſtar modorum vel attributorum concepiſſe ſibi Samaritanos credendum eſt, ſed inſtar virtutum realium ex Dei natura et eſſentia emanantium, vt radii ſolis, lux, calor ex ſole quidem emanant, ab eo tamen diſtinguuntur, ibique praeſentes ſunt, vbi ſolis corpus non praeſens eſt. Ita quidem angeli virtutes, vel emanationes ſunt ex Dei eſſentia, ſed ſubſtantiales, certaque ratione et eſſentiae definitione modificatae. Quae explicatio, vt ſatis paraphraſibus Samaritanis conuenit, ſenſumque meliorem exhibet, quam illa, quam dedere viri laudati, ita eo maxime exemplo probatur, quo ipſe eruditiſſimus Relandus opinionem ſuam roborare aggreſſus eſt, ad Simonem Magum prouocans, qui ſe magnam Dei virtutem et nominauit ipſe, et a populo Samaritano nominari paſſus eſt. Ille enim, quod poſtea videbimus, non virtutem tantum moralem aliquam ſibi adeſſe iactauit, ſed eſſe ſe ex aeonibus illis ſiue virtutibus ſubſtantialibus, ex Deo certa ratione emanantibus, vnam dixit, adeoque, plus quam angelorum dignitatem ſibi vindicans, virtutem hanc diuinam certam eſſe a primo et ineffabili Deo ſeparatam ſubſtantiam innuit. Qui cum ex aeonum pleromate genitos fuiſſe archangelos, angelos, virtutes et poteſtates dixerit, vt infra trademus, eaque hominis fanatici deliria auidiſſime exceperit populus Samaritanus, nullo modo credibile eſt, eum angelos tamen negauiſſe, et contrario mox dogmati tantam adhibuiſſe fidem. Quod ſi vero ſtatuamus, intellexiſſe per angelos Samaritanos, non ſpiritus libere ex nulla praeexiſtente materia productos, vt Iudaei docebant, ſed ſubſtantias ſiue virtutes ſubſtantiales ex infinita Dei eſſentia emanantes, quae volente Deo in imperſcrutabili profunditate latente, eius voluntatem et efficaciam operibus ſuis manifeſtant, et ſic eſſentiae quidem ratione cum eo cohaereant, ſed diſtent tamen ab eo, vt riuuli a fonte, recte omnia cohaerent, et ratio euidens patet, cur a Iudaeis diſſenſerint, curque Simon, Doſitheus et Menander ex hoc populo ad ſimilia ſomnia fuerint delati. Nec dubitamus aſſerere, Samaritanos hanc doctrinam ab orientalibus [t] accepiſſe, multumque confirmatos in ea eſſe, cum philoſophia orientalis inter eos quoque nouas ſectas produceret. Magno enim applauſu Simonis partes profecutum fuiſſe populum Samaritanum, veteres vnanimi ore teſtantur. Alia, quae Samaritanis tribui ſolent, dogmata,

r) Hiſt. eccl. V.T. T. II. p. 1046. s) l. c. p. 26.

t) Aſſyrios multa de angelis tradidiſſe, hincque inter Iudaeos et vicinas gentes eorum opiniones delatas eſſe, paſſim viris doctis obſeruatum eſt. Id quod poſt captiuitatem Babylonicam euenſſe verſimile: ab eo enim tempore placita orientalia omnes Aſiae regiones peragrabant.

Digitized by Google

gmata, cum philoſophiae fines excedant, hic omittimus, quaerenda apud eos, qui hiſtoriam gentis Iudaicae et Samaritanae ſpecialem enarrarunt.

§. VIII. Propius ad hiſtoriae philoſophicae limites ſpectat SIMONIS MAGI hiſtoria, veteribus quidem et recentioribus decantatiſſima, verum ita obſcura et intricata, manca etiam et non ſatis cohaerens, vt citius quid diſplicere poſſit viderique reiiciendum, quam quid placeat eligendumque ſit, definire liceat: Adeo veterum narrationes incertae ſunt, quos non vbique affecutos fuiſſe ſenſus obſcuros hominis fanatici et in orientalium philoſophorum ſcholis educati, dubitandum non eſt: vnde iis non niſi adhibito examine fides adhibenda eſt. Pertinet vero famoſiſſimi hominis hiſtoria proprie ad ſacrae ciuitatis hiſtoriam, cuius ſucceſſus et propagationem cum imitari non poſſet, valde impedire conatus eſt hoſtis impudentiſſimus; vnde eius res a ſacrorum annalium conditoribus plerumque enarrari ſolent, qui tamen cum plerique eam hiſtoriam ſine accurata philoſophiae orientalis notitia conſiderauerint, non potuere non variis modis hallucinari, et praeſertim in explicandis Simonis dogmatibus varia ratione labi. Vnus vir in his literis ſummus Io. LAVRENTIVS MOSHEMIVS [w] accuratiora et veriſimiliora nobis de Simone mago exhibuit, et obſcuriſſimo argumento lucem haud contemnendam attulit. Cuius veſtigia ita, pace viri optimi nobisque fauentiſſimi, legemus, vt ea tantum ſtrictim enarremus, quae ad philoſophiae orientalis ſupra paucis explicatae, hiſtoriam, resque philoſophiae Iudaicae, et Samaritanae illuſtrandas lucem aliquam afferunt, et ab eo dicta plenius exponunt, nulli dubitantes, fore neminem, qui his literis delectatur, qui non ipſam quoque praeſtantiſſimi viri de hoc argumento tractationem perluſtraturus ſit. Et I. quidem, veterum nos traditioni communi iungere nulli dubitamus, qui vnum tantum nobis Simonem magum ſiſtunt, eundem cum Simone illo, quem congreſſum fuiſſe cum Apoſtolo Petro LVCAS [x] tradit. In alia quidem abierunt viri quidam doctiſſimi, magnaque veterum rerum notitia inſtructi, qui Simonem magum Lucae memoratum a Simone, homine philoſopho Gnoſticorum parente, ex Pythagorea diſciplina fanaticiſmum fouente diſtinguunt, et deceptos fuiſſe veteres nominum ſimilitudine, vt ex binis viris vnum conflarent, putant. In quam opinionem deſcendit CAMPEGIVS VITRINGA [y], quem ſecuti ſunt veneranda et amiciſſima nobis nomina CHR. AVG. HEVMANNVS [z] et ISAACVS DE BEAVSOBRE [a] noſtris iam ſedibus ereptus. Quorum tamen coniecturis cum abunde ſatisfecerint triumuiri celeberrimi Io. FRID. BVDDEVS [b], FRID. ADOLPH. LAMPIVS [c] et Io. LAVR.

Simon Magus.

Pp pp 2 Mos-

w) Hiſt. Chriſt. inſtit. mai. Sec. I. p. II. c. V. §. 12. p. 389. ſeqq.
x) Act. VIII. 9.
y) Obſeru. SS. L. V. c. 12. §. 9. p. 159.
z) In actis erudit. 1716. Apr. p. 179.
a) Diſſ. de Adamitis P. II. ſubiuncta hiſtoriae belli Huſſitici a Cel. LENFANTIO Gallico ſermone exaratae §. 1. p. 350. f. 35.
b) De eccleſia Apoſtolica c. V. §. 8. p. 518.
c) Proleg. Comm. in Iohann. L. I. c. 3. p. 40. ſq.

Digitized by Google

MOSHEMIVS [d], ad eas respondere necessarium non ducimus, sed sufficere putamus, si rationibus vndique conquisitis, nec satis cohaerentibus, vniuersalem fere antiquitatis consensum et concors in hac re testimonium opponamus; cuius certitudinem coniecturis et suspicionibus conuellere, idem est, ac omnis fidei historicae fundamenta euertere, praesertim cum quaedam sibi viri doctissimi sumant, quae negari et possunt et debent. II. Samaritanum fuisse Simonem, ex vico quodam Gitton, testatur IVSTINVS [e], cuius tamen fidem in dubium vocant viri quidam eruditi [f], IOSEPHI [g] auctoritate moti, qui Iudaei cuiusdam vaferrimi meminit ex Cypro insula oriundi, qui Felici, Iudaeae procuratori, nuptias Drusillae conciliauit, et Simonis nomine inter magos eius temporis innotuit. Nec diffitendum, ingeniosa esse, quae viri eruditi afferunt, ita tamen non comparata, vt Iustini antiquissimi testis, qui ipse ex Samaritanis oriundus erat, auctoritatem labefactare satis posse videantur. Cuius assertioni fidem abunde facit, quod praestigiis maxime suis, non Hierosolymis vel in alia Iudaeae vrbe, sed Samariae nomen sibi celebre et sectatores plurimos comparauerit Simon magus. Id enim homini Iudaeo nunquam euenturum fuisse, Vatinianum, quo se inuicem excipiebant Iudaei et Samaritani, odium satis probat: longeque alia fuisse hominis Cyprii ad potentium fauores sibi conciliandos destinata consilia, quam Samaritani popellum venari cupientis in aprico est. III. De parentibus et educatione Simonis quaedam tradit *Recognitionum Clementis* auctor, qui tamen, cum fabulis scateat, vix audiendus est; vnde quo loco habendum sit, quod is addit, fuisse eum praecipuum inter triginta discipulos Ioannis cuiusdam hemerobaptistae, qui ludum paulo ante aperuerat, et ex quo Dositheum quoque prodiisse dicit, liquet. Magis verisimile est descendisse Simonem in Aegyptum, vt artes ibi magicas disceret. Magno enim numero tum temporis Asiaticos homines Alexandriam confluxisse, vt non artes tantum humaniores, sed philosophiam quoque diuiniorem discerent, et magicis artibus imbuerentur, alio loco ostendimus. Nec aliunde Simonis deliria deriuanda sunt, quam ex scholis Aegyptiorum, qui, vbi philosophiam orientalem, vt supra dictum, receperunt, et chaos quoddam doctrinarum παραδοξοτάτων fuerunt commenti, eiusmodi somnia progenuerunt. Maxime vero magiae artes eo tempore in scholis Aegyptiacis personuisse, ex iis, quae suo loco de his hominibus diximus, notum est. Qui quamuis γοήτειαν reiicerent, Deorum tamen commercium arcanum magiae nomine iactabant, reuera praestigiis dolisque, speciem mirabilium prae se ferentibus, famam sibi et auctoritatem conciliantes, et philosophiae quendam colorem quaerentes, tradendo, magiae beneficio liberari animas a malorum daemonum malitia et insidiis, et ad eleuandos eos ad

d) l. c. p. 390. seqq.
e) Apolog. II. p. m. 69.
f) Vid. WOLF. Cur. phil. ad Act. VIII. 9. et quos laudat TILL. de haeres. aeui Apost. Sect. I. c. I. §. 5. p. 26. aliique.
g) Antiqq. Iud. L. XX. c. 7. p. 969.

Digitized by Google

ad ſuperos felicitatis gradus illam multum prodeſſe. Quam ſententiam in Platonicorum quoque in Aegypto ſcholis receptam fuiſſe, quamuis eam improbauerit Porphyrius, ſupra *ſectione quinta* tradidimus. Sane philoſophiae orientalis, in Aegypto quoque admiſſae, alumnos eiusmodi magiam exercuiſſe, vt immundos ſpiritus hominibus moleſtos pellerent, PLOTINVS [h] teſtis eſt, et IRENAEVS [i] quoque innuit. Hoc itaque doctrinae genus cum in Aegypto didiciſſet Simon, reuerſus in patriam, in qua Doſitheum ei primum locum ceſſiſſe, *Recognitionum Clementis* auctor tradit, ciues verbis et factis prodigioſis eo inducere ſategit, vt ſe ἔναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, *magnum quendam humani generis liberatorem atque vindicem* eſſe, teſte S. LVCA [k], crederent. IV. Obtinuiſſe etiam hominem fanaticum et vaferrimum, apud populum Samaritanum, quod quaerebat, idem ſacer tradit hiſtoricus, quem acclamauiſſe ſcribit: ἔστός ἐϛιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη, *hic eſt magna illa virtus Dei* [l]. Varia tum veterum, tum recentiorum de hac acclamatione, et iactata quoque ab ipſo Simone gloria, fuit opinio. Cum enim ſupremam Dei virtutem ſe diceret, in eam quidam ingreſſi ſunt ſententiam, Simonem ſe Deum ipſum eſſe manifeſtatum dixiſſe, eſſeque ſe patrem, filium et ſpiritum S. Tradunt id quidem veteres IRENAEVS, THEODORETVS aliique [m], et poſt hos recentiores multi, quibus nos quoque olim nos iunximus [n], ſed re accuratius conſiderata, deſerenda eſt haec opinio, cum veriſimillimum ſit, doctores iſtos philoſophiae orientalis, ex qua iſtae voces petitae ſunt, ignaros hanc Simoni opinionem fine fundamento veri tribuiſſe. Hoc enim clare ſatis ex eo euincitur, quod Deum Simon ſuper omnia prorſus entia in ſublimi et recondita luce latentem poſuit, vt infra dicemus. Nec forte alia tributae Simoni iactantiae origo fuit et occaſio, quam IVSTINI [o] auctoritas, qui ſtatuam Romanos Simoni tanquam Deo poſuiſſe in amne Tiberi inter duos pontes cum inſcriptione: SIMONI SANCTO DEO tradit. Aſt falſum fuiſſe Iuſtinum, properantius ſtatuae inſcriptionem legentem, poſtea innotuit, cum ſeculo XVI. ea ipſa ſtatua in illo loco Romae effoſſa hanc inſcriptionem exhiberet: SEMONI SANCO DEO FIDIO, vnde a plerisque, qui antiquitatis praeiudicio non laborant, et doctores eccleſiaſticos homines fuiſſe, qui errare potuerunt, recordantur, ea traditio rectiſſime reiecta eſt [p]. Cauſſa enim nulla dici poteſt vel mediocriter veriſimilis, cur hominem Samaritanum inter Deos retulerunt Romani. Quaecunque enim de virtutibus eius magicis a Petro

h) Enn. II. L. IX. c. 14. p. 212.
i) Adu. haeref. L. I. c. 23. §. 4. p. 100.
k) loc. cit.
l) Conf IRENAEVS l. c. p. 99.
m) IRENAEVS loc. cit. THEODORET. haeret. fab. L. I. c. 1. Tom. IV. p. 192. AVGVSTIN. de haer. c. 1. EPIPHAN. haer. XXI. et poſt hos alii multi.
n) In Germ. Hiſt. phil. opere T. IV. p. 40. liquocet iam cum ſuboluerimus, non valde certa eſſe teſtimonia veterum.
o) Apolog. II. p. 69. 91. quem magno numero veteres Irenaeus, Tertullianus, Theodoretus, Euſebius, Cyrillus ſequuntur.
p) Vid. AHT. VAN DALE pec. tract. ad calc. libri de orac. p. 579. Ven. DEVLING. Obſ. SS. L. I. obſ. 36. p. 140. et quos laudat ITTIG. l. c. et Sel. Cap. H. E. Sec. I. c. V. §. 13. p. 263.

quoque disiectis et de fine tragico Simonis narrantur, quem inde cepisse dicitur, quod per aërem volaturus Petri Paulique apostolorum precibus deturbatus sit, et ita proiectus, vt ex accepto vulnere moreretur, recte a viris doctis hodie exploduntur, cum nec testimonia veterum, quae pro ea narratione adducuntur, fidei debitae gradum tueantur, nec scriptores seculo tertio antiquiores hanc mortem narrent, non tacituri rem adeo illustrem, si vere contigisset; vt taceamus coniecturam virorum doctorum, suspicantium, hominis impostoris in aula Neronis viuentis et se volaturum promittentis, sed primo statim conatu decidentis [g] exemplum occasionem dedisse fabulae. Deferenda itaque ea iactantiae Simonianae, se magnam Dei virtutem esse, expositio, cum celeberrimis quibusdam viris, et conuenientior systemati Simoniano explicatio quaerenda. Ea vero non longe petenda est, sed adhibenda tantum philosophia Orientalis et Aegyptiaca, in qua educatum fuisse Simonem magum supra probauimus. Ea enim has nobis virtutes Dei magnas siue summas enarrat, quae ex infinito lucis diuinae et incorporeae oceano emanantes demittuntur ad inferiora, tanquam radii quidam infiniti luminis, vt ea diuina luce et beatitate collustrent; quas virtutes non sola attributa modosque Dei infiniti innuere, sed naturas diuinas, substantiales, perennes, ex ipsa DEI natura editas esse suo loco diximus, et has virtutes a tota fanaticorum orientalium caterua aeonas dictas esse, probauimus. Talem aeona, siue immortalem diuinamque naturam, virtutem diuinam emanationis lege in se continentem, Simon sine dubio se dixit esse, ast addidit, μεγάλην, valde magnam, Deoque, emanantium naturarum fonti, proximam; cum et aeon illa, quam ad mundi condendi opus ex pleromate diuino processisse nugatores somniarunt, cuiusque auulsione a fonte suo malorum principiorum cateruae exortae sunt, virtus Dei fuerit, cuius tamen effectus inordinatos vt in ordinem redigeret, et humanum genus a malis, quae ista principia deteriora et iniqua hominibus inferunt, liberaret, se in mundum missum esse iactauit Simon, cui ideo opus erat supra has potestates omnes se efferre. V. Ex his vero manifestum quoque est, errare eos, qui in haereticorum catalogo Simonem magum ponunt, immo haereticorum caput et parentem fuisse contendunt, quod post IRENAEVM [r] veteres plerique [s] et recentiores haud pauci fecerunt [t]. Solide docteque admodum, falli eos, demonstrauit eruditissimus MOSHEMIVS [u], dignus qui ipse legatur et expendatur. Nos instituti nostri memores, qui haereseologiam non scribimus, hoc vnum monemus, ipsam sectam Simonis, quam philosophicam et literatam fuisse, ex dictis est manifestissimum, Christo e diametro fuisse oppositam,

g) SVETON. in Ner. c. 12. conf. BEAVSOBRE Hist. de Manicheisme T. I. L. II. c. 4. p. 203. MOSHEMIVS l. c. p. 405. ITTIG. de haeresiarch. l. c.

r) ll. cc.

s) EPIPHAN. loc. cit. THEODORET. l. c. AVGVSTIN. l. c.

t) Conf. quos laudat ITTIG. ll. cc.

u) l. c. p. 394.

Digitized by Google

ſitam, ita vt non potuerit eius tantum doctrinae, quae ab illo tradita eſt, eſſe deprauatio [x]. Supra enim iam monuimus, illos haereticos, qui cum Chriſtianae doctrinae placitis philoſophiae orientalis deliramenta conſunxerunt, Chriſtum habuiſſe pro ea aeone, quae ex Deo emanans genitaque in humanum corpus deſcenderit, vt a malorum daemonum imperio et libidine mundum liberaret, id quod ex omnibus eorum ſyſtematibus demonſtrari poteſt. Aſt eundem ſibi locum vindicaſſe Simonem, ſupra diximus, vnde oportebat illum graues contra Chriſti nomen inimicitias ſuſcipere, eorumque ſe partibus addicere, qui bella contra Chriſtianos ſuſceperunt, et arma philoſophica contra diuinam doctrinam, a ſanctiſſimo Seruatore eiusque legatis propoſitam, arripuerunt. Chriſti etiam diſcipulum eo minus ſe dicere poterat Simon, quo magis ἑστῶτα, *ſtantem* ſe dixit, vt ex CLEMENTE ALEXANDRINO [y] et Clementinis [z] notum. Hac enim appellatione ἀιῶνες ſignificationem exprimere voluiſſe, quae naturam immutabilem et per ſe ſubſiſtentem ſine temporis mutatione innuit, ex doctrina veterum, de aeternis naturis per ſe ſubſiſtentibus, quas fluxae materiae opponebant, conſtat. Qua appellatione aeternam durationem ſiue immortalitatem hominem veſanum ſibi vindicaſſe, ex Recognitionibus PSEVDO-CLEMENTIS [a] demonſtrauit MOSHEMIVS [b]. Quod delirum quidem omnino eſt, at cum rationibus ſyſtematis vecordis exacte cohaeret; ſecundum quod materia nimis longe a primo rerum omnium fonte remota hincque coinquinata ſordibus, diuinarum emanationum coniugio ſpiritualis magis reddita fluxam illam conditionem amittit, tandemque reddita ſtabilis et duratura ad fontem primum redit. Id quod e Zoroaſtreae philoſophiae reliquiis ad philoſophos orientales fluxiſſe ſupra demonſtratum eſt. Nec aliud volult Simon, quando ſe Iouem, Helenam vero ſuam Mineruam apud gentiles dixit, vt AVGVSTINVS [c] auctor eſt. Aegyptiorum enim philoſophia, quam didicerat, duce, Iupiter non ille inacceſſibilis Deitatis fons, ſed prima emanatio eſt, vt diſerte teſtatur IAMBLICHVS [d], quae cum ſupra dictis mire concordant. VI. Sed et Helenae ſcorti ſomnia cum his cohaerent, quae mire torſere viros doctos [e], vt, quem locum ea in Simonis ſyſtemate habuerit, exponerent. Nam

x) Cauſſa huius opinionis eſt, quod inter ſyſtemata Gnoſticorum et Simonis magna ſit cognatio. Aſt inde inferre non licet, hoc illorum fontem fuiſſe, ſed id modo ſequitur, ex eadem ſcaturigine vtraque prouenille. Illi vero Chriſtianum ſyſtema ſubinterſerebant, Simon vero non item.

y) Strom. L. II. p. 383.

z) Homil. II. § 22. p. 633.

a) L. I. c. 72. p. 509.

b) l. c. p. 423. qui appoſite obſeruat, PHILONI de nom. mutat. Deum dici κατὰ ἀιῶνα ἑστῶτα, qua voce ſignificationem nominis ipsum

ſine dubio exprimere Iudaeus Pythagorizans voluit.

c) l. c. EPIPHAN. l. c. EVSEB. H. E. L. II. c. 13.

d) De myſter. Aegypt. Sect. VIII. c. 2. p. 158.

e) VITRINGA Obſ. SS. L. I. c. 2. p. 131. qui per hanc Helenam rationem rectam Simonem intellexiſſe, poëtico dicendi genere vſum putat, HENR. HORRIVS de vltima origine Simonis Magi c. I. §. 4. aeternam materiam intelligit, animarum ſcaturiginem Is. DE BEAVSOBRE Hiſt. Manich. T. I. L. I. c. 3. p. 36. 37. T. II. L. VI. c. 3. p. 320. mentem rationalem,

et

Nam ſi cuncta recte expendantur, nihil aliud voluit Simon, quam, reſediſſe diuinam quandam emanationem ſiue virtutem in corpore huius feminae, quam praeter ignota et barbara quaedam vocabula [f] ἔννοιαν nominaſſe IRENAEVS [g] teſtatur. Per hanc enim virtutem diuinam genitos fuiſſe angelos, ſiue naturas quasdam emanatiuas minores dicebat: hancque cum mundo condendo eſſet deſtinata, inmaturo conſilio extra Dei pleroma egreſſam, hos genios ſine patre genuiſſe, et ab iis ad patrem redire conantem detentam, et contumeliis affectam muliebri corpori incluſam eſſe, inque eo variis migrationibus, de quibus poëtae cecinerint, iniuriisque vexatam, cum vim dominorum orbis huius effugere non potuiſſet, poſtremo in lupanar Tyrium detruſam et a Simone liberatam eſſe, et hanc Spiritum S. eſſe, et gentilium Mineruam. Ita quidem de Helena narrationes EPIPHANII [h] referunt. Qui licet abſurda atque abſona tribuiſſe Simoni videri poſſit, nihil tamen in ea narratione eſt, quod non ingenio otioſo nugantique, et in Orientalium atque Aegyptiacorum philoſophorum ſcholis educato in mentem venire potuerit. Cum enim ille, vt ſupra dictum, aeonas generis ſequioris ſtatueret, ἔννοιαν vero, ſiue mentem ex Deo primo effluxiſſe, magna verborum pompa ſtatuerent philoſophi Alexandrini, facile potuit hanc ſecundam emanationem afferere Simon ex earum aeonum genere, quae recipiendis virtutibus diuinis deſtinatae ſunt [i], vt haberet, quam ſecum coniugio vniret, vt emanatio ſiue virtus ea actiua, quam ſe eſſe gloriatus eſt, in diuinae lucis pleromate iuncta et coniugata eſſet paſſiuae. Quia vero a mente diuina animam mundi, et ipſum mundum conditum in ſcholis Aegyptiacis audiuerat, creationis operi vel formandae materiae praefixit hanc virtutem femineam, eamque matrem fecit omnium, etiam animarum, et ſpirituum minorum, quorum cum immoderatus in materiam appetitus eſſet, detenta eſt ab iis, cum orbis rerum materialium fatalis, cui immiſſa erat propria culpa, reditum ad pleroma diuinum non admitteret, et ad propagandam materialis mundi faciem eius opera coniugiumque adhibitum. Nihil aliud enim velle apud orientales angelorum cum feminis concubitus, eos latere non poteſt, qui ſymbolicam orientalium philoſophorum methodum non ignorant. Nec alio forte conſilio apud gentiles Helenam ſuam Mineruam dixit, quam quod conſilio eius mundus factus ſit, et ſapientia diuina in ea enituerit. Cumque ex mente diuina animam quoque mundi effluxiſſe Alexandrini ſtatuerint, patet inde, non reiiciendum eſſe Epiphanii teſtimonium, tradentis, Simonem Helenam ſuam dixiſſe Spiritum S. Multos enim veterum per Spiritum S. intellexiſſe animam mundanam, fontem animarum, alio loco obſeruaui-

et L. VII. c. 6. p. 510. lunam innuiſſe putat. Sed parum ſatisfacere virorum doctiſſimorum explicationes narrationibus veterum, accurate demonſtrauit MOSHEMIVS l. c. p. 426. qui videndus.

f) EPIPHAN. l. c.
g) loc. cit.
h) p. 56. ſeq.
i) id eſt, feminini generis.

Digitized by Google

uauimus, et erudite demonſtrauit MOSHEMIVS [k]. VII. Cum hac igitur femina miſſum ſe teſte IRENAEO [l], ad liberandum a malarum poteſtatum principatuumque tyrannide mundum, purgandamque et emendandam rerum materialium compaginem Simon ſtatuit; ab his enim malis angelis bella et diſſidia, quorum tunc temporis plenus erat orbis terrarum, calamitatibus oppletus, excitari, et inuidia humani generis exitium afferri ſtatuebant veteres Orientales [m], Aegyptiaci aliique huius furfuris philoſophi, vt vel ex ſolo IAMBLICHO [n] diſci poteſt. Ab his liberationem ſine dubio pollicitus eſt, et, cum morbos quoque ab his daemonibus profectos curare ſe magiae ope poſſe, hi orientales philoſophi, teſte PLOTINO [o] promitterent, eorum quoque depulſionem in ſua poteſtate eſſe iactauit, animamque ex hoc miſeriarum carcere ad primigeniae lucis claritatem ſe extollere poſſe dixit, nempe ſi per Ennoiam ſuam ſalutarem reditus animarum viam aperiret. Hac ratione ſi connectitur Simonis hiſtoria, quemadmodum id philoſophia, quam ſequebatur, poſtulat, nihil eſt in tota hominis veſani et delirantis fabula, quod, licet abſurdiſſimum ſit, non tamen ſua ratione conſtet, lumenque capiat, et ſectae huius philoſophicae notitiam pandat ſolito clariorem. VIII. His ſuppoſitis, et repetitis iis, quae *ſuperioris libri capite vltimo* de philoſophiae orientalis metaphyſica diximus, lux quoque accendi poteſt nouae, quam condidit Simon, religioni, vel potius philoſophiae, quo loco iterum valde commendamus laudatiſſimi MOSHEMII [p] induſtriam. Pleraque, ſi veteres inter ſe comparentur, nexusque aſſertionum non recte ſemper ab iis intellectarum ex dicti ſyſtematis natura et emanationis legibus quaeratur, huc redeunt: α. Eſſe in infinita Deitatis plenitudine numen ſummum optimumque omnis eſſentiae, bonitatis et realitatis plenum, hancque plenitudinem lucem illam infinitam eſſe, quae ex Deo vndecunque radians, omnia incorporea quadam ratione repleat. Statuiſſe ita Simonem, ſi non alia ſuppeterent, ſatis euincerent philoſophiae Aegyptiacae ſpecies, Alexandrina et Cabbaliſtica: quarum illa eiusmodi lumen in excelſo in ſede puriſſima circa Deum et ex Deo ſtatuit [q], haec Or haënſoph rerum omnium et emanationum quoque diuinarum fontem agnoſcit, hocque lumen infinitum irradiare omnia docet, vt poſtea probabimus. Sed ſtatuiſſe ita quoque Simonem, *Recognitionum Clementinarum* auctor, huius philoſophiae peritiſſimus, luculenter teſtatur [r], qui *locum aliquem vltra mundum vel extra mundum eſſe* ait, *in quo neque coelum ſit, neque terra, ne vmbra horum etiam ibi tenebras operetur. Et ob hoc, cum neque*

k) Ad CVDWORTHI Syſt. int. p. 658. conf. loco ſupra cit. p. 430. Iudaeos eadem fere ratione inſanire ex Coſri P. II. c. 4. p. 80. patet; et infra pluribus dicetur.

l) l. c. p. 99.

m) Vid. EPIPHAN. haer. XXIV. p. 70.

n) l. c. Sect. III. c. 31. p. 102. ſeq.

o) loco ſupra cit. p) l. c. p. 410. ſeqq.

q) Vid. PLOTINVS Enn. VI. L. IX. c. 9. p. 769. plura de hac re in ſuperioris libri c. I. ſ. V. diximus.

r) L. II. c. 21. p. 582.

neque corpora aliqua in eo ſint, neque ex corporibus tenebrae, neceſſario eſſe lumen immenſum cui tenebrae nullae ſuccedunt, nempe incorporeum lumen et infinitum. Valde ignarum philoſophiae Zoroaſtrianae oportet eſſe, qui fontem, ex quo haec hauſta ſint, ignoret, Mithramque hoc lumen infinitum eſſe, neſciat. Quod licet a Deo, tanquam fonte, ſeparare videatur Recognitionum auctor [n], id tamen abſtractionis tantum beneficio facit, vt Deum in iſto lumine infinito reſidentem more orientali ſymbolice repraeſentet. Quemadmodum enim, quae ſolem circumfundit, lux, ab ipſo ſole reapſe et eſſentiae ſuae ratione diſtincta non eſt, ita nec haec lux infinita a ſummo et abſcondito Deo. Quae quoque ratio eſt, cur πλήρωμα Θεότητος vocauerint, non Simon modo, ſed quicunque etiam hanc philoſophandi viam ingreſſi ſunt. Etſi vero lumen hoc incorporeum dicitur, dubitandum tamen non eſt, dici hoc tantum reſpectu materiae craſſioris, cui tenebrae admixtae ſunt. Cum enim materiae conditio, vt poſtea dicemus, in tenebris et priuatione luminis conſiſtat, recte quidem de hoc lumine, quod tenebris caret, dicitur, quod incorporeum ſit: aſt quicquid tamen reale, eſſentialeque in materia eſt, ex hoc quoque lumine effluxiſſe cenſendum eſt: niſi ſtatuas, materiam vel ab aeterno coëxtitiſſe lumini, vel ex nihilo prodiiſſe, quorum vtrumque Zoroaſtris aſſeclis diſplicuit. Lumen itaque hoc infinitum illud emanationum aequor eſt, ex quo lucida omnia effluxerunt: nec aliud patitur ſyſtematis emanatiui ratio. β. Ex hoc fonte infinito optimoque, neceſſe eſt, ſi mundi inuiſibilis et viſibilis generatio conſiſtere debuerit, effluxiſſe naturas diuinas, immateriales, luminoſas, deitate plenas, immutabiles, et aeternum ſubſiſtentes, eo quod in primo rerum omnium fonte radicatae ſunt. Hinc aeones illae in pleromate diuino conſtitutae, maſculini et feminini generis, id eſt, tum producendis, tum recipiendis emanationum effectibus idoneae, quarum octo paria conſtituiſſe Simonem veteres tradunt. Vbi acute monet praeſtantiſſimus Mosheimivs [o], primum par aeonum βύθος καὶ σιγὴν, profunditatem et ſilentium ad ipſum ſummum Deum pertinere. Nihil enim aliud indigitaſſe Simon cenſendus eſt, quam ineffabilem, et omni ſilentio ſuperiorem eſſe diuinitatis profunditatem, ex qua reliquae aeones progenitae ſunt. Ex hac aeonum progenie, ceteram poteſtatum ſpiritualium, archangelorum, angelorumque cateruam Simonem deriuaſſe, recte Idem vir eruditiſſimus colligit: illud enim et ratio ſyſtematis emanatiui poſtulat, et conſenſus reliquorum, quae ex philoſophia hac orientali congeſta ſunt, ſyſtematum probat, licet veteres, hanc philoſophiam non ſatis aſſequentes, illa taceant. Statuiſſe autem has naturas coeleſtes intra diuini pleromatis parietes habitantes, id eſt, in luce illa diuina verſantes complures, iisque barbara impoſuiſſe nomina Epiphanivs [p] tradit, quae teſtimonii loco ſunt, ex barbarica philoſophia monſtroſam hanc philoſophiam eſſe deſum-

n) Epiphan. l. c. p. 58. 59. o) l. c. p. 412. p) loc. cit.

Digitized by Google

desumtam. γ. Cum autem ex harum naturarum angelicarum numero quaedam inclinatione in materiam extra plenitudinem lucis diuinae infinitae essent progressae, a fonte longius recedentes materiae se, inuito Deo, appropinquantes, rerum materialium dominium vsurparunt, cumque magnae virtutis essent, animam, quae et ipsa emanationis diuinae pars est, arctius materia compressserunt, immersamque corpori vinculis libidinum corporearum constrinxerunt, vnde lucis diuinae radiis magis coarctatis inductisque tenebris miseria omnis hominibus enata est. δ. Extra diuini pleromatis luce diuina coruscantis ambitum, materiam esse, tenebricosam, sordidam, maloque, priuatione, frigore, et vitiositate repletam, eiusque potestatis, vt emanationes lucidas ex Deo oriundas corrumpere posset, Simonem statuisse, locus satis luculentus Clementinorum [x] testatur, quo ὕλη dicitur Θεῷ σύγχρονος ἔσα καὶ ἰσοδύναμος ὡς ἐχθρὰ, προβάλλειν αὐτῷ ἡγεμόνας ἐμποδίζοντας αὐτῷ τοῖς βουλήμασιν, *materia ipsa tempore et potestate aequalis, proferre ei, vt quae sit inimica, principes decretis ipsius resistentes.* Magnae se hic difficultates ostendunt, quas nec ipse doctissimus systematis Simoniani interpres tetigit, vtrum materia absolute Deo opposita Simoni placuerit, nec ne? adeoque vtrum systema magorum Persarum, an Zoroastris Simon secutus sit? prius verba allata satis euidentia docere videntur, posterius systema emanatiuum, quale in philosophia orientali receptum et in omnibus, quae ex hac schola prodierunt, sectis, admissum fuit, postulat. Temerarium quoque putamus, nodum, qui soluendus est, secare, et fidem denegare Clementinorum auctori: nam et alii veteres [y] duo principia inter se diuersa posuisse Simonem testantur, et eiusmodi inter bonum et malum principium certamen in harum sectarum scholis personuisse, vel vnius Manetis somnia demonstrant. Recte quoque et ex aequo reprehendere veteres Cel. MOSHEMIVM [z] iudicamus, quod malum omne ad architectum mundi reiecisse Simonem statuant. Ita enim systematis prorsus sui oblitum fuisse Simonem dicendum erat, cum non dici possit, vnde demiurgo illa malitia insit, nisi inclinationem ad materiam in se malam supponamus. Vnde vero materia tenebricosa et mala, si omnia ex fonte lucido emanarunt? Dicamus, quod nobis videtur verisimillimum, si modo coniecturas nostras lector non dedignetur, quae in ipsius systematis emanatiui indole et natura paulo profundius considerata fundantur. Nempe originem cepisse hanc philosophiam Simonis, ex orientali, et hanc ex Zoroastriana Persarum Chaldaeorumque, supra probauimus. Eadem itaque ratione haec materia Simonis enata est emanationis lege, vt Arihmanius, Oromasdi oppositus tenebrarum et malitiae plenus, ex communi fonte Mithra emanauit, ortumque

x) Homil. XIX. §. 14. p. 754.

y) IRENAEVS l. I. c. 28. EPIPHAN. l. c. GREGOR. NAZIANZ. Or. in laudem Heron. p. 547. Zoroastrem hic secutum esse Simonem recte iam iudicauit IAC. THOMASIVS Sched. hist. §. 34. p. 22. Conf. HVET. Origen. p. 2.

z) l. c. p. 413.

accepit ſuum. Scilicet lumen immenſum illud, quod in Deo eſſe, tota fere antiquitas aſſeruit, incorporale quidem et ab his, quas in corporibus videmus, concretionibus immune orientales aſſerebant, at non eandem ſpiritualitatis notam, quam nos, diuinae naturae tribuebant, ſed tale quid ſibi concipiebant, vt lumen longe puriſſimum eſt, ſubtiliſſimum, et actiua vi ſumma praeditum, calore, motu, omnique inde bonorum origine et natura plenum. Hoſpitem in veterum doctrinarum hiſtoria oportet eſſe, qui haec plerisque veterum placuiſſe ignorat [a]. Illi enim metaphyſicis abſtractionibus ab omni imaginationis negotio et ſimulacris remotis minus aſſueti, ſpiritualia non plane ſine corpore ſibi concipiebant [b], ſatis eſſe opinati, ſi localem quandam extenſionem, et dimenſiones corporis grauioris Deo denegaſſent, eique lucem et actiuam operationem bonique radicem tribuiſſent. Quod cum toties in *tomo primo* in veterum ſyſtematibus oſtenderimus, actum hic repetendo dicta non agemus. Lumen hoc porro ſubtiliſſimum et diuinum infinita ratione radios ſuos ſpargere aſſerebant, et veriſimile prorſus eſt, hanc concipiendi Deum inſtar ignis luminisue rationem totum ſyſtema emanatiuum peperiſſe. Aſt ex natura lucis notum erat, oppoſitas eſſe luci priuatiua quadam ratione tenebras, easque cum mera priuatio lucis, caloris, actiuaeque virtutis ſint, non poſſe eſſe ex fonte hoc luminum omnium. Hinc quamuis omnia, quae realiter exiſtunt, vi ſyſtematis emanatiui ex vno emanauerint fonte, tenebrae tamen, et quae tenebras conſequuntur, frigus, inertia, vitae defectus, mors, et quae alia ſunt, luci bonoque oppoſita, ex hoc fonte eſſe non poterant, ſed oppoſita ratione ex priuatione luminis oriri dicebantur. Quia vero priuatio ſubiectum ſupponit, cui inducatur, ideo lumen illud immenſum, quo latius ſpargit radios, vt cuncta realitatibus, (veniam verbo deprecamur) repleat, eo minora lucis habere dicebatur femina, eoque magis induci tenebras, donec, quod omnium longiſſime a fonte lucis diſtat, quamuis ratione eſſentiae ſuae ſit ex Dei lumine, tamen propter infinitam emanationis diſtantiam naturam conſequatur contrariam, tenebricoſam, lumini inimicam, inertem, et refragantem bono. Et ita quidem materia, quam hanc naturam eſſe dicebant, ſecundum ſyſtema emanatiuum orta eſt, quod qui non ſatis et accurate intelligunt, nunquam dicent, qua ratione in ſyſtemate illo, quod emanaſſe cuncta ex Deo ſtatuit, materia Dei naturae oppoſita malique fomes exorta ſit. Dicent forte lectores nonnulli, nos ingenii quidem noſtri explicationes tradere, veterum vero opiniones non enarrare. Aſt hos rogamus, vt ad Zoroaſtris, vt ad Gnoſticorum, vt ad Cabbaliſtarum, vt ad Alexandrinorum philoſophorum de materiae origine opiniones paulo accuratius attendant, certi,

a) Conf. DE BEAVSOBRE Hiſt. de Manich. T. II. L. II. c. 2. §. 3. p. 172. ſeqq. qui tamen confuſione ſcriptorum Arabicorum impeditus lucem non ſatis perſpicuam rei huic attulit. Conferenda vero, quae Tomo I. L. I. de philoſophia Zoroaſtris diximus.

b) Conf. quae docte monet MOSHEMIVS ad CVDWORTH. Syſt. intell. c. I. §. 26. p. 36.

gitized by Google

certi, vifuros ea, quae nos, nifi omnia nos fallunt, luculenter detexi-mus. Ex data hac explicatione definitio Simonis de materia lucem egregie capit. Recte enim dicitur materia illi, lumini infinito coaeua, quia lux et tenebrae *σύγχρονοι* funt, et vi relatiuae oppofitionis fimul exiftunt: quae oppofitionis natura etiam in cauffa eft, cur non inimica tantum, fed et *ἰσοδύναμος* Deo dicatur, cum quae lucis virtus eft actiua, ea tenebrarum priuatiua fit, fi perfpicuitatis cauffa notionibus Graecanicae philofophiae, quibus nos magis affueti fumus, res fublimes et abftractas, fed corporeis imaginibus ab orientalibus gentibus delineatas declarare licet. Ad hanc itaque materiam, quae eſſentiam ex Deo, materialitatis rationem ex tenebrarum natura accepit, inclinans demiurgus, cum mundum materialem condere vellet, non potuit non tenebris, id eft malo, repletum facere; haecque ad materiam tenebricofam inclinatio, eum ipfum mali a boni fonte degenerantis femina habere, innuit, vnde originis mali cauffam ad demiurgum quoque Simonem retuliffe diximus. Ex his vero *e.* fequitur, mundum hunc, quamuis omnia, quae vere funt et exiftunt, ex Deitatis oceano effluxerint, fupremi tamen et optimi entis opus haud effe, cum, quae illud producit, lumine, calore, bonitate plena fint omnia; et licet illud bonitatis lucisque mare emanationum fuarum miniſterio vfurum mundum plenum bonitate condere voluiffet, illas tamen naturas, miniſterio huic deſtinatas, duce ex aeonibus virtute quadam diuina, fontis oblitas, naturae fuae limitatae magis et imperfectioris operationem interpofuiffe, quae cum tenebris ex materia pellendis maloque, quod a malis angelis inductum erat, tollendis non fufficeret, inde mundum miſeriis, calamitatibus et malitia redundantem ortum effe [c]. Nec alio fenfu, quod EPIPHANIVS [d] ei tribuit, dixit: *mundum factum a principibus et poteſtatibus malitiae*; nam conditores mundi, qui ex Deo orti funt, in fe mali non effe potuerunt, nifi quatenus fontem luminis infinitum relinquentes naturam fuam limitatam tantoque operi imparem, mundi producendi negotio interpofuerunt. Nec alia ratio fubeſſe videtur, cur ab his angelis reditum matris ad pleroma impeditum, et repletam eam effe contumelia dixerit Simon. Haec enim, fi *προσωποποιΐαν* ex orientali methodo adhibitam dementes, metaphyfica magis ratione nobis concipiamus, ineptam harum naturarum mundo imperantium ad materiam inclinationem, quam Alexandrini quoque philofophi mali in materia dominantis cauffam effe dicebant, innuunt, et impeditam ab iis agitationem materiae defecandae, et ad quandam fpiritualem et lucidam naturam reuocandae, cui illa aeon, mundi demiurgus, inhiabat, fignificant. Maxime vero hoc ad animam pertinere, materiae illecebris detentam et materialibus vinculis ab ipfis illis poteſtatibus impeditam ex eo intelligere eſt, quoniam animi ex hac quoque aeone orti funt, et hac captiuitate

c) Recognit. L. III. p. 528. Clement. Hom. III. p. 648. 649. XVIII. p. 744. Gnoſticis id in genere tribuit PLOTINVS loc, cit.

d) loc. cit.

uitate a primo fonte arcentur, et innato materiae deſiderio et malignorum ſpirituum imperio vna cum toto mundo in tenebris cohibentur, ne ad lumen illud infinitum, Deum, reſurgere, et felicitate intuitione illius frui queant. Quam cum Deus fons ſapientiae et luminis optimus quaerat, et, vt omnia, quae ex ſe effluxerunt, in ſe reuocet, laboret, opus inde ſapientia eſt, vt per γνῶσιν diuini luminis anima his malis erepta ſurſum ad primi fontis plenitudinem reducatur, ſicque ignorantia, affectus, morbi, et quaecunque alia homines vexant, materiae contagia, vinculaque malorum geniorum, ſoluantur, et fugentur. Quem vt Simonianae, ita omnis omnino Gnoſticae philoſophiae finem ſcopumque vnicum fuiſſe, adducta euidenter loquuntur. Et huius quidem finis obtinendi mediatorem et pararium ſe ipſum Simon cum Helena proſtibulo venditauit, in quibus emiſſiae ex Deo aeones illis malis poteſtatibus ſuperiores, vi diuina et magica homines a corporis et animi malis liberarent. 5. Ex his, quae de animae humanae origine, ſtatu, corruptione et reſtitutione Simon dixerit, facili coniectura colligi poſſunt. Et animam quidem ab iſta virtute diuina, quam architectum mundi eſſe dixit, originem cepiſſe neceſſario ſequitur, vnde originem ei diuinam adſcripſiſſe *Recognitionum* Auctor teſtatur [e]. Aſt corruptam et corporis ſarcina grauatam dici oportebat, cum idem, quod reliqua emanationum, longius a Deo remotarum, genera paſſa ſunt, tatum ſubierit. Corpus enim materiale, ex materiae conditione malum, et a prauis angelis opificibusque creatum afferere cogebatur, ſi integra ſibi et conſtans cohaerere tota eius doctrina debebat. Quare tenebras ex corpore offundi animae clamabat, quo minus ad fontis lucidi agnitionem veramque γνῶσιν peruenire poſſet [f]. A quibus corporis vinculis liberari, ſicque luci et felicitati ſuae reſtitui, praecipuum myſteriorum ſuorum finem ponebat. Quibus vero mediis vtendum ſit, quibus ſacris homines initiandi, quibus ſacrificiis placandi praepotentes illi mundi tyranni, vt liberiorem ad ſupremum luminis incorporei fontem aditum permittant, quae arcanae rationes huc faciant, de his multa quidem veteres ſcriptores, qui de haereſibus ſcripſerunt, tradunt, ſed incerta prorſus et dubia fide, multis ad inuidiam confictis, inter quae promiſcui concubitus, et humanarum carnium viſcerationes ſunt, quas ipſe IVSTINVS MARTYR [g] in dubium vocat. Quanquam impoſſibile haud eſſe, vt qui deteſtabilia omnia in alienam culpam retulerunt, legemque Moſis a fabricatoribus mundi latam animas diuiniori origine gaudentes non obligare dixerunt [h], ea permitterent, quae a virtutis verae cultoribus non admittuntur, ſyſtematis huius ratio permittat; noſtra quoque tempora, quae haud diſſimiles furores et abominabilia myſteria produxerunt, exempla nobis exhibuerint, ad extrema impudentiae et libidinis ſpecimina eos poſſe delabi, qui neſcio quos ex Deo ortus et emanationes

e) L. II. §. 57. p. 521.
f) Ibid. §. 58. p. 522.
g) Apol. II. p. 70.
h) IRENAEVS L. I. c. 25. p. 99. EPIPHAN. loc. cit.

gitized by Google

nes ſibi tribuunt. De quibus tamen hic dicere nihil attinet, cum ad eccleſiaſticam hiſtoriam ea magis pertinere videantur. Animarum tamen migrationem in alia corpora tanquam poenam ſtatuiſſe Simonem, TERTVLLIANVS [i] tradit, quod omnibus Gnoſticis adſcribit PLOTINVS [k]. Omnis vero labis a malo iſto mundi opere orti liberationem ſolutionem eius promittere, ſicque materiam tenebris ſolutam ad omnis realitatis et perfectionis fontem peruenturam, ex ipſo ſyſtemate ſequitur et haud obſcure Simoni tribuit IRENAEVS [l]. Ex quibus illud quoque ſequitur, reſuſcitationem corporis nullam eſſe, cum corpus in ſe malum ſit. Negaſſe autem reſurrectionem Simonem veteres teſtantur [m]. Praecipua haec ſunt, quae de homine Samaritano, philoſopho haeretico eiusque ſyſtemate differere paulo fuſius, quam inſtituti limites ferre videbantur, opus eſſe iudicauimus, vt quae ſupra de philoſophia orientali diximus, ampliorem lucem capiant, et de reliquis quoque haereſibus literatis, ex hoc fonte oriundis, iudicium fieri queat. In iis enim tangendis erimus in ſequentibus breuiores.

§. IX. Inter eandem Samaritanorum gentem noua doctrina turbas mouerunt DOSITHEVS et MENANDER, quorum vterque inter prima haereticorum literatorum ſiue philoſophicorum capita ab annalium Chriſtianorum conditoribus et haereſiologis numerari ſolet [n]. Quod num recte fiat, nec ne, noſtri hic non eſt diſputare [o], hoc tantum monendum, Doſitheum inter fanaticos Iudaeorum referendum eſſe, qui nouam ſectam excitauit, diuinamque ſibi auctoritatem arrogauit, nihil vero afferuit, quod ad hominem pertineat, Chriſti familiae ſe aggregantem, quicquid etiam de illis veterum locis ſtatuendum ſit, qui Doſitheum inter veteris eccleſiae haereticos numerant. Sed nec circumſtantiae hominis deliri, quae a veteribus memorantur, locum ei in philoſophiae hiſtoria faciunt. Qui enim Simonis magi vel praeceptorem vel diſcipulum conſtituunt, adeoque fanatici philoſophi parentem nobis eum proponunt, dignis fide teſtimoniis veterum deſtituuntur [p]. Et veriſimilius eſt, hominem auſtera vitae inſtitutione, et neſcio qua gentis ſuae arrogantia delirantem ex ſeueriori illorum Iudaeorum diſciplina prodiiſſe, quos vitatis vrbibus in agro et deſerto rigidora inſtituta ſecutos fuiſſe infra dicemus. Ea quoque, quae de illius doctrina traduntur, hominem nobis depingunt legis quidem, quod EPIPHANIVS [q] quoque teſtatur, et patriarum traditionum peritiſſimum, at minime philoſophum, ſed *Doſitheus.*

i) De anima c. XXXIV. p. 180.
k) loc. cit.
l) c. XXIII. p. 100.
m) Recogn. L. II. §. 58. p. 522. EPIPH. l. c. AVGVSTIN. l. c.
n) Vid. COTELER. ad Conſtit. Apoſt. L. VI. c. 8. BVDDEVS Hiſt. phil. Ebr. §. 29. p. 68. ITTIG. de haereſiarchis aeui apoſt. Sect. I. c. I. p. 1. conf. quos laudat MOSHEM. Inſt. hiſtor. Chriſt. maior. Sec. I. P. I. c. 5. §. 11. p. 376. ſeqq.
o) Poſterius acute tuetur MOSHEMIVS l. c.
p) Prius illi faciunt, qui a Doſitheo Simonis haereſin auſpicantur, poſterius Recognitionum Clementis auctor: neutrum valde probat.
q) Haer. XIII. p. 30.

Digitized by Google

ſed talem, qui magnam ſibi inter Iudaeos auctoritatem (Meſſiae vel noui prophetae) conciliaturus, cum ſpe ſua excideret, et factio deeſſet, ad Samaritanos defecit, eosque noua doctrina capere conatus eſt, ſed infelici fato et triſti ſucceſſu, qui et auctori ſectae mortem attulit, et ſectatores disiecit, quae latius narrant EPIPHANIVS et Chronici Samaritani auctor et ex his recentiores quidam [r]. Nam quae eius dogmata recitantur, dixiſſe ſe Meſſiam a Moſe praedictum, emendaſſe, vel corrupiſſe magis Moſis libros ad ſuae inſaniae regulam, negaſſe vates ſacros V. T. fuiſſe Θεοπνεύστους, corpus neglexiſſe, et inedia atque cruciatibus maceraſſe, animam vero corruptibilem mundumque incorruptibilem eſſe tradidiſſe, ſpirituum exiſtentiam negaſſe, ab animatis abſtinuiſſe, a coniuge poſt partum et ſuſceptos liberos ſe cohibuiſſe, ieiunia celebraſſe aſſidua, et quae alia ſunt, quae illi et ſectatoribus tribuuntur, non tam philoſophiam quandam ſectariam, quam inſtitutum illud Iudaicum ſapiunt, quod Eſſenorum nomine [s] infra contemplabimur, licet hos ex Aegyptiacorum philoſophorum Schola aliquid hauſiſſe ibi probandum. Non immerito itaque Doſitheum hic a noſtris limitibus arcemus, non curioſi, quod recentiores diſputant, vtrum duo Doſithei fuerint, qua de re illi adeundi ſunt, qui res ſacras Iudaeorum et Chriſtianorum enarrauerunt [t].

Menander. Meliori iure MENANDER huc refertur, homo Samaritanus, Simonis magi veſtigiis inſiſtens, quod plerosque permouit, vt eius diſcipulum fuiſſe aſſererent: ea tamen quae de eo referuntur, magis doctrinae et diſciplinae Simonianae aemulum quam ſectatorem fuiſſe ſuadent [u]. Nam hic quoque impoſtor magnam ſe Dei virtutem eſſe gloriatus eſt, quam ex infinito bonitatis oceano ad liberandum humanum genus miſſam eſſe praedicauit. Eo enim pauca illa, quae de eo referunt IRENAEVS, THEODORETVS [x], EVSEBIVS [y], EPIPHANIVS [z], TERTVLLIANVS [a] aliique, redeunt: Eſſe vnum ſummum Deum virtutemque hanc ſummam omnibus ignotam eſſe, vt vero cuncta ex ſe educeret, ſex naturas ſibi ſimiles ex ſe generaſſe, id eſt aeonas ſiue emanationes aeternas et per ſe ſubſiſtentes produxiſſe, ex quibus diuina ἔννοια ad generandos angelos progreſſa mundi huius architectos et corporum humanorum ex materia mala fabricatores genuerit: et ab his geniis lernam illam malorum deriuandam eſſe, quibus mundus repletus hominesque immerſi ſint. A quorum tyrannide vt liberaretur mundus, miſſum ſe ex aeonibus vnam, Deo licet minorem, eamque vindicem humani generis eſſe, quem Simon aliique illius temporis impoſtores ſe quoque eſſe iactabant. Liberationem iſtam et arcano quodam lauacro, et magiae ſcientia effici, ſicque liberari animos a materiae compedibus, vt ſuperatis malorum geniorum

r) MOSHEM. l. c. ITTIG. l. c. BASNAGE Hiſt. des Iuifs l. II. c. 3. §. 7. ſeqq. p. 312. ſeqq.
s) Fuit haec quoque coniectura MOSHEMII, l. c. p. 379.
t) COTELER. l. c. T. I. p. 338. LE MOYNE Var. SS. p. 1099. ITTIG. l. c. p. 33. SERARIVS in trihaereſio l. II. c. 19.
u) l. l. c. 23.
x) Haeret. fabul. l. I. c. II. p. 195.
y) Hiſt. eccl. l. III. c. 26.
z) Haeref. XXII. p. 61.
a) De reſurrect. c. 5.

Digitized by Google

orum illuſionibus et tyrannide, ad Deum aſcendant, et immortalitatem quandam diſciplina ſua conformem conſequantur. Quibus omnibus, ex quibus conſtabat Menandri ſyſtema, lucem vlteriorem, praeter ea, quae de Simonis doctrina fuſe diximus, affundere opus non eſt, cum a Simonianis nugis parum diſcrepent, et ex eodem fonte orta ſint, dubiumque non ſit, in ſcholis Aegyptiacis hominem delirum emotaeque mentis ea didiciſſe. Vnum illud difficultatem habet, quod Menandro tribuunt IRENAEVS [b] et TERTVLLIANVS [c], promiſiſſe hominem inſanienti ſimilem, eos, qui baptiſmo illius tincti forent, futuros eſſe immortales, et incorruptibiles, quamprimum hoc lauacro initiati fuerint, id eſt, ſublatam fore ex eo baptismo omnem corruptionis mortisque cauſſam modumque. In quo dogmate prout a ſcriptoribus eccleſiaſticis refertur, merito timere ſe fatetur doctiſſimus MOSHEMIVS [d], ne veteres verba Menandri, tumida fortaſſis, more Syrorum, et inflata, male acceperint, et de corporis immortalitate intellexerint, quae de animorum ille reſtitutione intelligi voluerit. Rationes, quas affert vir optimus, apud ipſum legi velimus, omnium veriſimillima ex IRENAEI [e] teſtimonio petitur, qui Gnoſticorum ſtilo *reſurrectionem eſſe agnitionem eius, quae ab illis dicitur veritatis* teſtatur [f], id quod etiam TERTVLLIANVS [g] aſſerit. Ingenioſa haec eſſe, et in obſcuro argumento veri admodum ſimilia, fatendum omnino eſt, praeſertim ſi expendatur, quod venerabilis Abbas addit: eiusmodi ſectam, quae ſuos eſſe morituros negat, diu incolumem ſtare non poſſe, et in ipſis initiis ſuis interire debere, nili forte ex paucis conſtet hominibus deliris et a ratione auerſis; Menandri vero factionem Iuſtini M. aetate totam nondum extinctam fuiſſe. Eſt tamen, vt ingenue hoc quoque fateamur, quod mentem retrahit, quo minus ex toto calculum huic opinioni adiiciamus. Nempe ad TERTVLLIANI teſtimonium prouocat vir longe doctiſſimus: at hoc teſte ſi ſtandum, non ad animorum ex errore et ignorantia eluctantium victoriam, ſed ad corporis aeternam ſine morte durationem pertinuit Menandri dogma. Ita enim is diſerte: *Publica totius generis humani ſententia mortem naturae debitum pronunciamus. Hoc ſtipulata Dei vox, hoc ſpopondit omne, quod naſcitur, vt iam hinc non Epicuri ſtupor ſuffundatur, negantis, debitum illud ad nos pertinere, ſed haeretici magi Menandri Samaritani furor conſpuatur, dicentis, mortem ad ſuos non modo non pertinere, verum nec peruenire. In hoc ſcilicet ſe a ſuprema et arcana poteſtate legatum, vt immortales et incorruptibiles, et ſtatim reſurrectionis compotes fiant, qui baptiſma eius induerint.* Ea in ſequentibus quoque vrget, negatque magiam tantum efficere poſſe, vt vitam aetate

b) loc. cit.
c) De anima c. 50. add EVSEB. Hiſt. eccl. L. III. c. 26.
d) l. c. p. 436.
e) L. II. c. 31. §. 3. p. 165.
f) De reſurr. c. 19.
g) De anima c. 50.

aetate renouata vitis inſtar repaſtinet, aut mortem eximat, quare eos quoque prouocat, quos Menander in Stygem ſuam merſit, vt perennes ſe ſiſtant. Quid itaque dicendum? an relinquendi veteres, accuſandique, quod diſciplinam Menandri non intellexerint, et ad corpus traxerint, quod ad animum quidem pertinebat? Ita quidem vir celeberrimus, et qui eum in ea ſententia anteceſſit RENATVS MASSVETVS [h]. Quorum doctrinae et acumini ingenii libenter aſſurgimus, aequitati tamen viri magni, et incertum, humanitate an eruditione maioris, conſili, paulo aliter coniicimus, ex parte quidem, non tamen ex toto accuſari poſſe ſcriptores eccleſiaſticos, quod non recte Menandri de hac immortalitate doctrinam retulerint. Et in eo quidem pollicem merito premimus viris laudatiſſimis, quod hanc reſurrectionem ad animi quoque ex materiae vinculis et ignorantiae tenebris liberationem referendam eſſe dixerint. Hoc enim et teſtimonia veterum euincunt, et ſyſtema orientale et Gnoſticum poſtulat. Sed corpus quoque ſimul eius beneficii capax ſtatuendum eſt, nec dubitamus Menandrum ſpopondiſſe ſuis, fore illorum corpus eius qualitatis particeps, ſi baptiſmate ſuo tingatur, vt immortalitatis naturam induat. Aſt his tamen non obſtantibus, non tam effrenem animo emotumque ab omni ratione Menandrum fuiſſe putamus, vt haec ita intelligeret, ſuos baptiſmate luſtratos morte naturali nunquam affectum iri. Ita enim paucis ſuorum exemplis omnem prorſus fidem amiſiſſet, et irriſus fuiſſet. Sed ſignificationem ſenſumque dogmati ex Orientali philoſophia hauſto petendum putamus ex eo ipſo fonte, ex quo dimanauit. Supra enim veriſimili, niſi fallimur, coniectura oſtendimus, philoſophiam orientalem ex Zoroaſtrianis dogmatibus id quoque recepiſſe, perpetuam eſſe inter lucem eiusque emanationes et inter tenebras materiam occupantes pugnam, emittique illas, vt pulſis tenebris, id quod in materia reale eſt et ex Deo effluxit, liberent, agitent, luceque perfundant et ſpirituali natura, ſicque ſublatis tenebrisque maloque omnia ad Deum in aeternam lucis diuinae abyſſum redeant. Gnoſticorum vero, vel haereticorum ex hac ſecta orientali oriundorum eandem mentem fuiſſe, oſtendimus, nec alia ratio patet, cur ſe impoſtores illi aeonas diuinas ad hunc finem miſſas venditauerint. In eodem vero luto haeſiſſe Menandrum, ex dictis manifeſtum eſſe putamus. Qui cum ſe humani generis liberatorem ex diuino pleromate miſſum diceret, non animis tantum, ſed corporibus quoque liberationem promiſiſſe recte creditur, aſt talem, quam experientia non refutaret et mendacii argueret, quaeque cum fanatico ſyſtemate cohaereret. Pollicitus itaque iis, qui ſecuriſſimo et tutiſſimo ſacramento, qua voce TERTVLLIANVS [i] baptiſmum Menandri ridet, vſi fuerint, corporis ſui talem liberationem, qua a tenebrarum obſeſſione malorumque illuuie purgati eam naturam induere debeant, quae immortalitatis ex primo emanationum omnium fonte oriundae capax, ipſam mortem

h) Diſſ. I. in Irenaeum art. III. §. 107. p. 58. i) loc. cit.

gitized by G

tem et omnimodam deſtructionem atque derelictionem non experiatur, qualem corporibus expectandam eſſe Simon tradidit, ſed quae, ſeparato licet ab anima corpore, hoc ad aeternum rerum omnium fontem deducat, ſpirituali lucidaque natura indutum. Hanc coniecturam ſi ſequimur, cuncta ſibi conſtant, et cum originibus nugarum Menandri conſonant, pollicerique potuit homo fanaticus etiam corporis immortalitatem, licet mori id omnes ſciant, eo quod immortalis, aeternaeque naturae, non in hoc mundo tenebrarum pleno, ſed in diuino pleromate particeps fore aſſerebat. Quo in dogmate imitatum fuiſſe ſtultiſſimum hominem Chriſtianam doctrinam, ex ſancti lauacri purgatione corporis quoque reſurrectionem et glorificationem promittentem, credibile eſt. Veteres vero doctores eccleſiaſtici cum horum hominum philoſophiam non ſatis aſſequerentur, Menandri promiſſiones de vita et immortalitate in hoc mundo extra plenitudinem diuinitatis intellexerunt, quas ille de corpore intra pleroma translato intelligi, ſicque a Simonianis, reſurrectionem negantibus, diſtinguere ſe voluit. Ceterum in tanta obſcuriſſimarum nugarum incertitudine et veterum diſſenſu coniecturis vti, et res ipſa quaſi poſtulat, et aequitas veniam promittit. Quare hanc quoque coniecturam noſtram lectoris relinquimus iudicio.

§. X. In ſequentium temporum hiſtoria Samaritana licet pauca occurrant, quae ad noſtrum inſtitutum pertineant, non omittendum tamen eſt, quod narrat ABVLPHETACH, Chronici Samaritani auctor [k], eo quod momentum aliquod in hiſtoria philoſophiae habet. Refert is: Commodo imperante exortam eſſe diſputationem inter Samaritanorum ſummum pontificem, Leuim, et Alexandrum Aphrodiſaeum philoſophum, de aeternitate mundi. Eam ſubminiſtraſſe occaſionem imperatori, ferro, igne et cruce Samaritanos perſequendi. Excitatum quoque perſuaſionibus medici ſui Galeni, Iudaeos et Chriſtianos odio perſequentis, carnem ſuillam eorum menſis adieciſſe, et coëgiſſe eos idolorum victimis paſci. Inter atheos ob hanc diſputationem Alexandrum referre non dubitauit Ven. REIMMANNVS [l], qui tamen praeclare de Deo dictis ab Alexandro motus, poſtea ab hac macula liberum pronunciauit [m]. Verum vehementer de fide conſarcinatoris Chronici Samaritani, quae ſaepius ſubleſta deprehenditur, dubitamus. Vt enim taceamus, Alexandrum mundum non dixiſſe Deum, quod fundamentum diſputationis fuiſſe Cl. REIMMANNVS putat, quia et contrarium ſcriptum reliquit, et ſyſtema Peripateticum aliud poſtulat: nihil in tota narratione eſt, quod eam magnopere credendam ſuadeat. Nam nec veriſimile eſt, Samaritanae gentis ſacrificulum ea aetate valde contemtum cum magni nominis philoſopho diſputauiſſe; nec ſub Commodo ille publici Alexandriae philoſophi perſonam

Diſputatio Samaritanorum contra Peripateticos.

k) Act. erud. 1691. p. 170. BASNAGE Hiſt. Res Iuifs L. II. c. 3. p. 49.

l) Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 17. §. 17. p. 553.

m) Hiſt. atheiſmi c. XXVII. §. 5. p. 190.

Digitized by Google

fuſtinuit, ſed ſub Seuero demum muneri doctoris admotus eſt: nec Commodus vnquam de philoſophia curioſus fuiſſe legitur, fauitque vnquam philoſophis: nec veriſimile eſt, ob oppugnatum ſyſtema Peripateticum, quod ab aliis quoque ſectis factum, adeo ſaeuiuiſſe imperatorem in Samaritanos, qui longe alias ſaeuitiae cauſſas habuit. Tacent quoque ſcriptores hanc diſputationem et perſecutionem Samaritanorum; quemadmodum etiam ab omni fide, et a Galeni quoque integritate alienum eſt, incitaſſe virum optimum, et tyranno minime velificantem, Commodum ad perſequendos Samaritanos, et ingerendam menſis eorum carnem ſuillam. Itaque haec fidei hominis Samaritani, multis nominibus ſuſpectae, relinquenda ſunt. Ab eo tempore ſemper anguſtiora fuere fata Samaritanorum, quae tamen cum ad hiſtoriam philoſophicam non pertineant, apud eos quaerenda ſunt, qui religionum hiſtoriam exponere ſuſceperunt; ex quibus de infelici populi huius ſtatu pleraque diſci poſſunt [n].

Colonia Iudaeorum Aegyptiaca.

§. XI. Maioris momenti in philoſophiae hiſtoria res ſunt Iudaeorum in Aegypto, quas paucis enarrabimus. Magna quidem inter vtramque, Iſraelitarum et Aegyptiorum, gentem ex priſtina ſeruitute flagrauit inuidia et haereditarium quaſi odium. Eo tamen non obſtante neceſſitas vtramque impulit, vt ad repellendos regum Aſſyriae impetus vires coniungerent, quod haud ſemel factum eſſe, ſacra gentis huius nos docet hiſtoria. Tandem, ex qua egreſſi ſunt Iſraelis poſteri, regio eos colonos recepit. Quorum primam transmigrationem factam eſſe, Ariſteas tradit, cum Iudaeorum opem imploraſſet Pſammetichus aduerſus Aethiopes, qui Aegyptum bello inuaſerant. Eo enim tempore magnam Iudaeorum manum, auxilium laturam Aegyptiorum regi, in Aegyptum commigraſſe tradit. Suſpecta tamen eſt ſcriptoris pſeudepigraphi narratio; teſte enim HERODOTO [o] et DIODORO [p], fuere hi milites Ioniae et Cariae, qui ad ferenda Pſammeticho auxilia ex Graecia acciti, ibi conſederunt. Quibus cum iungat quosdam ex Arabia Diodorus, veriſimile eſt, Ariſteam gentes vicinas inter ſe confudiſſe. Alias, quae huic narrationi repugnant, circumſtantias, cum huc non pertineant, omittimus, prolixe enarratas a IACOBO BASNAGIO [q]. Certiora itaque initia coloniae Iudaicae in Aegypto deducenda ſunt, duce ſacro hiſtorico [r], a prima Palaeſtinae et Hieroſolymarum deuaſtatione ab Aſſyriis facta, quo tempore cum praefectus regionis ab Aſſyriis Gedalias inſidiis Iſmaëlis cuiusdam eſſet interfectus, reliqui, qui in terra relicti erant incolae, refragante quidem et diſſuadente Ieremia vate, in Aegyptum metu Aſſyriorum aufugerunt, cala-

n) De ſtatu hodierno Samaritanorum videndae HVNTINGTONI epiſtolae Lond. 1704. et BASNAGII Hiſt. des Iuifs L. II. c. 9. p. 165. ſeqq. Epiſtolae de eo argumento ad Iobum Ludolfum ſcriptae, quas cum verſione ſua et notis edidit CHRISTOPH. CELLARIVS Cizae 1688. 8. Antiquitates eccleſ. Orientales, Lond. 1682. 12. editae, in quibus p. 118. ſeqq. duae epiſtolae de ſtatu Samaritanorum hodierno leguntur.

o) L. II. p. 154.

p) L. I. p. 48.

q) Hiſt. des Iuifs L. VII. c. 7. §. 1. p. 154.

r) IERem. XLII. 15. ſeqq. XLIII. 10. ſeqq. XLIV. 11. ſeqq.

Digitized by Google

calamitatem tamen a propheta praedictam effugere non potuerunt, sed impetum in Aegyptum faciente Nabuchodonosore, Amasinque Aegyptiorum regem praelio superante, cum Aegyptiis captiui Babylonem abducti sunt, paucique remanserunt, quorum posteri, vt est natio Iudaica foecundissima, valde aucti sunt. Nouam vero coloniae Iudaicae in Aegypto condendae occasionem dedit Alexander M., qui cum vrbem, quam excitauerat, nouam, incolis replere vellet, variarum gentium colonos eo deduxit, et in his quoque coloniam Iudaicam, quam Alexandriae constituit, iisdemque, quibus Macedones fruebantur, vti priuilegiis concessit [r]. Auxit hanc coloniam belli iure Ptolemaeus Lagi, Aegypto post Alexandri M. mortem potitus. Is enim cum Aegypto Syriam iungere, Iudaeamque ditioni, quam consecutus erat, adiicere vellet, Hierosolymam vrbem, religionis obtentu sabbathi die ingressus, vrbem ex improuiso oppressit, et editis crudelitatis speciminibus haud paucis, centum millia hominum ex Iudaeis et Samaritanis in captiuitatem in Aegyptum abduxit [s]. Quos tamen cum fideles et sacramenti obseruantes, bellicaque virtute conspicuos obseruasset, et praesidia ex illis per arces disposuit, et ius ciuitatis pari cum Macedonibus conditione dedit, et sacramento omnes sibi deuinxit, et liberalem se iis praestitit. Qua regis beneuolentia terraeque vbertate multi postea Iudaei inuitati sunt, vt sponte in Aegyptum commigrarent, qui Ptolemaei Lagidae liberalitatem atque gratiam, teste Iosephо [t], experti sunt magnam. Assuit his quaedam Aristeas, de quorum veritate disputant viri docti [u], quae tamen cum ad nostram tractationem non pertineant, hic praetermittimus: cum liberalis regis voluntas, qua erga Iudaeos vsus est, obiectam illi ab Aristea venditionem et dura alia seruitutis mala et calamitates si non omnes, multas tamen refellat. Quicquid tamen illud est, in eo conueniunt veteres, Ptolemaei filium successorem, Ptolemaeum Philadelphum, maiori adhuc quam patrem, beneuolentia Iudaeos fuisse complexum. Is enim, quos pater in seruitutem abduxerat, liberos fecit, ex quibus plurimi locorum fertilitate illecti, cum semel Aegypto assueuissent, ibi remanserunt, magnoque numero aucti numerosos coetus confecerunt, quibus cum religionis domesticae vsum concessisset rex prudens et literarum amantissimus, ex eo tempore disciplina et eruditio Iudaica secundum legis praecepta et patrum traditiones efflorescere coepit. Id quod occasionem dedit Iudaeis, Graecanica in Aegypto dialecto vsis, conficiendi celeberrimam illam versionem Graecam, quam regis iussu septuaginta duos interpretes ex Iudaea accersitos miris circumstantiis diuinae cuiusdam directionis et inspirationis conscripsisse, Pseudo-Aristeas, conficta quadam huius versionis historia, orbi persuadere conatus est, quae tamen versionis fata, a viris doctis passim disputata et excussa cum ad hos nostros

Versio LXX. interpretum.

r) Iosephvs Antiq. Iud. L. XII. c. 1. p. 380.
s) Idem L. XII. c. 1. p. 388.
t) l. c. c. 2. p. 389.
u) Vid. Hafnagii l. c. p. 387.

Digitized by Google

noſtros limites non pertineant, nec hic quoque enarranda, ſed alibi quaerenda ſunt *). Sunt tamen quaedam, quae in philoſophiae hiſtoria ex hoc argumento omitti non poſſunt, nec debent. Nempe Ariſtea impoſtore auctore, Demetrii Phalerei, quem Ptolemaeus Philadelphus bibliothecae, quam poſt patrem ingentem extruxerat et collegerat, praefecit, conſilio rex ipſe ad curandam hanc verſionem legis per orbem celeberrimae librorumque Iudaeis ſacrorum, ſe impelli paſſus ad pontificem Eleazarem legatos miſit, vt interpretes obtineret. Quam Iudaeorum narrationem tamquam veram non Iudaei tantum receperunt, ſed inter Chriſtianos quoque haud pauci; et veteres quidem eccleſiae doctores, apud quos magna erat verſionis huius auctoritas et exiſtimatio, plerique, inter recentiores vero poſt quosdam eccleſiae Romanae principes viros *), ISAACVS VOSSIVS, qui peculiarem de eo argumento tractationem nobis reliquit *). Ad cuius tamen rationes ANTONIVS VAN DALEN *) et HVMFREDVS HODY *) VV. CC. ita reſponderunt, vt Ariſteam falſitatis et ſuppoſitionis conuincerent, fabulamque a Iudaeis, qui priuata auctoritate hanc verſionem in gratiam Helleniſtarum ſuſceperint, eo fini excogitatam eſſe oſtenderent, vt Iudaeis Palaeſtinam inhabitantibus, quibus diſplicebat oraculorum domeſticorum in vulgus propalatio, auctoritas nouae verſionis probaretur. In hac controuerſia, quae alibi excutienda eſt, Pſeudo-Ariſteae maxime obiectum eſt LAERTII *) teſtimonium ex Hermippo narrantis, Demetrium Phalereum, eo quod Ptolemaeo Lagidi ſuaſiſſet, dare regnum Cerauno, adeo Ptolemaeo Philadelpho factum eſſe exoſum, vt mortuo patre regno potitus eum rure adſeruandum tradiderit, donec certius aliquid de eo ſtatueret: Demetrium vero vitae taedio admota aſpide vitae finem feciſſe: quam Demetrii hiſtoriam nos quoque *tomo primo* enarrauimus, et quas inde difficultates capiat Ariſteae hiſtoria, expoſuimus. Nodum hunc vt ſolueret VOSSIVS *) pater, verſionem eo tempore factam eſſe coniecit, quo ſimul regnarunt Ptolemaeus Lagi et filius Philadelphus, quo ſolo demum regnante Demetrius regis iram expertus ſit. Quae vt firmius demonſtraret VOSSIVS *) filius, id probare contendit, ſuſpectum erroris eſſe Hermippi teſtimonium, eo quod tempus integrum, quo fuit in Aegypto Demetrius Phalereus, annorum fuerit XXIV, ab Olymp. CXVIII. 2. vſque ad Olymp. CCXXIV. 2. quo nempe anno mortuo Lagida ſolus regnare coeperit Philadelphus. Oſtendimus vero ſuo loco in Demetrii hiſtoria, niti Voſſium

*) Hiſtoriam literariam ſcriptorum de LXX vi-reli verſione exponunt B. IOAN. FRICKIVS praef. edit. τῶν ὁ Lipſ. FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. II. p. 316. ſeqq. BVDDAEVS Hiſt. eccl. V. T. T. II. p. 1031. Iſagog. hiſt. theol. c. vlt. p. 1516. WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 440.

*) LE NOURRY appar. Bibl. PP. Diſſ. XII. c. 1. p. 234. HVET. demonſtr. Ev. Prop. IV. c. 12. p. 169.

*) De LXX interpp. eorumque chronol. Hag. Com. 1661. 4.

*) In diſſ. ſuper Ariſtea.

*) In diſſ. contra hiſt. Ariſteae Ox. 1684. 8. et de bibliorum textibus originalibus, verſionibus Graecis et vulgata Latina 1705. fol.

*) L. V. ſ. 75.

*) De hiſt. Graec. L. 1. c. 12. p. 73.

*) loc. cit.

Digitized by Google

fium coniecturis satis leuibus, nec dignis, quibus Aristeae historia tot momentis falsitatis et suppositionis suspecta fulciatur, vnde dicta ibi hic repetenda sunt, et conferenda, quae opposuit HODYVS [g]. Nos hoc loco id dictis adiicimus, non videri verisimile, quod doctissimus BASNAGIVS [h] coniicit, Demetrium apud Lagidem gratiosum eius consilii regi prima iniecisse semina, vt de tali versione cogitaret, filium autem, amplificandae bibliothecae patriae studiosissimum, id consilium perfecisse. Nam nec testimoniis aliis, quam Aristeae hominis impostoris, demonstrari potest, Aegypti regem ipsum hanc versionem confici iussisse, cuius falsae narrationi Iosephus, gloriae gentis suae velificans, fidem adhibuit, huius vero fide steterunt veteres ecclesiae doctores: nec credibile est, Demetrium Phalereum philosophum Peripateticum nationis valde contemtae, et imprimis propter philosophiae ignorantiam passim tractae, legi eum honorem habuisse, vt tanquam insignem sapientiae thesaurum eam in Graecam transferri linguam regi persuaderet, cum, quae in Mosis historia de mundi generatione et ortu traditur narratio, systema Peripateticum totum euertat, et non potuerit non displicere Demetrio, ab Aristotelis ore pendenti. Est et alia fabula, vetus quidem et passim recepta, quam in philosophiae historia explodendam esse, *tomo primo* in Platonis historia diximus, quae vero cum errores multos grauesque, etiam in ciuitatis et doctrinae Christianae historia, pepererit, hoc loco accurate excutienda et rationum configenda est telis. Nempe, iam ante τῶν ὁ versionem librorum V. T. aliam quandam extitisse solius Pentateuchi, eamque Pythagorae, Platoni aliisque Graecorum philosophorum lectam esse, auctor est Aristobulus apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM [i] et EVSEBIVM [k], quibus fidem conciliare quidam ex Demetrii Phalerei epistola ad Ptolemaeum Philadelphum, quam IOSEPHVS [l] affert, satagunt, eo quod versionis accuratioris concinnandae in ea mentio fiat. Quae occasionem dedere viris doctis P. P. potissimum, Pythagoricam et Platonicam philosophiam Hebraeis fontibus vindicantium, testimoniis permotis statuendi, ea quae in Pythagorae Platonisque doctrina occurrunt, legi diuinae propiora et magis affinia, ex hac versione ab illis philosophis, cum sapientiae a barbaris hauriendae causa in Aegypto peregrinarentur, depromta esse. Immo et hoc additur, inueniri in aliorum quoque philosophorum ante LXXviralem versionem florentium doctrina atque scriptis indubitata legis Hebreae vestigia, quae ex alio fonte ad gentiles philosophos dimanare non potuerint: idque gentilium quoque philosophorum Hermippi, Clearchi et Numenii confirmare testimonia. His rationibus inducti, viri multi doctissimi eiusmodi versionem legis Graecam LXX virali

g) l. c. L. I. c. 3. p. 9.
h) l. c. §. 8. p. 164.
i) Stromat. L. I. p. m. 348.
k) Praep. euang. L. XIII. c. 12.
l) L. XII. p. 391.

Digitized by Google

virali antiquiorem fuiſſe aſſeruerunt [m]. Viderunt vero alii [n] non minori perſpicacia, fallacia et dubia eſſe, quae de hac verſione dicuntur, omnia. Nos, quae *tomo primo* ad euertendam hanc fabulam multorum in ſacra et philoſophica hiſtoria praeiudiciorum matrem diximus, maximeque ad Platonis hiſtoriam pertinent, otioſa non repetemus prolixitate, ſed paucis tantum hoc loco, vbi rerum ſeries id poſtulat, momenta totius rei exponemus, vt lector iudicare ipſe queat. Et I. quidem id ante omnia monemus, vt in omni hiſtoria, ita maxime in ſuae gentis, valde diffitendum eſſe Iudaeis, nationi ambitioſae, gloriaeque valde cupidae, omnesque gentes alias ſapientiae opinione vehementer ſpernenti, et ſibi eruditionis omnis origines fontesque vindicanti. Quae cum Ptolemaeorum temporibus in Aegypto habitans videret, maximam eſſe Graecanicae eruditionis, praecipue autem philoſophiae famam atque exiſtimationem, id quidem perſuaderi ſibi paſſa eſt, vt hanc eſſe veram ſapientiam crederet, quam Graeci tradidiſſent: aſt cum profanae genti, quam ſapientiae poſſeſſionem ſeruare indignabantur, hunc honorem inuiderent, non erubuerunt aſſerere, ex ſuis potiſſimum fontibus arua irrigaſſe ſua philoſophos gentiles primarios, Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, et ex ſua gente ad omnes populos ſapientiam dimanaſſe. Quae popularis Iudaeorum arrogantia, hodie in illorum ſcriptis paſſim deprehenſa [o], quas nobis fabulas in laudatorum philoſophorum hiſtoria pepererit, ſuo loco ita expoſuimus, vt hic praeterire ſine taedioſa repetitione eas liceat. Maxime vero haec gentis ſuae ambitio Ioſephum corrupit, vt, cum Graecanicae eruditionis eſſet ſtudioſiſſimus, hanc Iudaeis gloriam, quacunque occaſione poſſet, vindicaret, nec fabulis parcens, nec ſuppoſititiis foetibus. Quo praeiudicio inducti veteris eccleſiae doctores [p], viri pii ſacroque defendendi doctrinam diuinam zelo incenſi, ſed artis criticae imperiti, cum hac ratione a gentilibus philoſophis victorias inſignes reportari poſſe crederent, ſi demonſtraretur, ea, quae pulchrius rectiusque gentiles philoſophi dixerint, ab Hebraeis ſiue barbaris ad eos dimanaſſe; in eo Iudaeorum iactantiae fidem adhibuerunt, nec ſatis cauti examinarunt, vtrum vel eiusmodi doctrinarum concordia vera intercederet, vel occaſiones, quibus ad gentiles Hebraica doctrina diffluere potuerit, fide dignae eſſent, nec ne. Quorum auctoritas cum plurimos ita detineat, vt nihil in dubium vocandum cenſeant, quod a meritiſſimis ceteroquin eccleſiae Chriſti luminibus dictum eſt, mirum non eſt, fuiſſe viros multos longe doctiſſimos, qui in eandem ſententiam conceſſerint [q]; licet ea animi perſpicacia et acumine fuerint praediti, vt falſi-

m) Vid. poſt WALTONVM appar. bibl. proleg. IX. §. 6. p. 313. FABRICIO et WOLFIO enumeratos l. c. et Io. GEORG. ENGELBACH. diſſ. de verſione Graeca LXXvirali antiquiore Vireb. 1706. Dubius haeret REIMMANNVS hiſt. theol. Iudaicae c. VII. §. 4. p. 110.

n) Vid. HODY l. c. L. I. c. 9. p. 48. L. IV. FABRIC. l. c. FRICKIVS l. c. BVDDEVS ll. cc. ENGELBACH l. c. aliique ab illis laudati.

o) Liber Coſri P. I. c. 63. p. 28. ſeq. et BVXTORFIVS ad h. l. qui plura Iudaeorum loca congeſſit.

p) CLEM. ALEX. l. c. EVSEB. praep. L. IX. c. 1. CYRILLVS contra Iul. L. II. aliique, conf. SELDEN. de I. N. G. L. I. c. 8.

q) Vid. BARONIVS ad a. CCXXXI. n. 10. 11.

LVD.

Digitized by Google

falsitatem huius opinionis nullo fere labore peruidissent, nisi antiquitatis et auctoritatis praeiudicio fuissent impediti. II. His praemissis facile est ad Aristobuli auctoritatem respondere: patebit enim ex iis, quae in sequentibus de eo dicemus, eodem praeiudicio Aristobulum vehemenˆter laborasse; vt taceamus, non deesse rationes viris doctis, quibus de scriptorum Aristobuli genuina veritate dubitent [r]. Nec melioris commatis sunt, quae ex Iosepho depromuntur; quam exigui enim ponderis testimonium eius hoc quidem loco sit, ex dictis liquet, et manifestum est, confictam esse illam, quam affert, Demetrii Phalerei epistolam. Quin si eam pro genuina admittamus, nihil tamen in illa est, quod antiquiorem LXXvirali versionem euincat. Nam quae IOSEPHVS habet verba: *συμβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέτερον ἢ ἔχει σεσημάνθαι* apud Aristeam ita leguntur: *τυγχάνει γὰρ ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα· ἀμελέτερον δὲ καὶ ἐχ ὡς ὑπάρχει σεσήμανται*, quae verba ad versionem quandam trahi non posse, quilibet videt: neglectas enim et non dignas attentione in thesauro regio habitas fuisse Hebraicas scripturas, tantum indicant. III. Quam vero vrgent viri docti conuenientiam doctrinarum gentilium cum Hebraeis, talem non esse, qualem iactant, suis locis luculenter demonstrauimus; potestque ea vel hoc vno argumento refelli: tanto studio arcana habuisse Iudaeos mysteria sua, vt credi non possit, eos illa in Graecorum philosophorum gratiam vulgasse [s]; fatente quoque IOSEPHO [t], sapientiae nomine contemtam prorsus fuisse Iudaeorum nationem, nec tanti factam, vt ab iis philosophiae arcana philosophos discere voluisse persuadere quis sibi possit. Sed et IV. pauca ea, quae tanquam vestigia Mosaicae doctrinae allegantur, aut communia rationis praecepta sunt, aut vetustissimae traditionis a patriarchis per varias terras dimanantis reliquiae, aut longe alia dicunt, et intolerabiliorem sensum fundunt, quam putant viri docti hypothesi suae inseruientes [u]. Nec V. magnam rei lucem afferre putamus mediam, quam illustrissimus Abrincensium praesul [x] excogitauit, opinionem: non totum pentateuchum, sed partes tantum quasdam [y] ante Alexandrum Graece redditas fuisse. Quod licet ad verba Aristobuli prouocans HVETIVS, in iis [z] clare dici putet, tantum tamen abest, vt versionem vnius vel alterius partis pentateuchi confectam ea dicant, vt potius enarrationem tantum quarundam historiae Iudaicae partium innuant. Quicquid vero dicat Aristobulus, indignum est, cui fidem tribuamus, eius testimonium, vt ex iis patebit, quae infra de hoc homine dicemus. Certum

LVD. CAPPELLVS Crit. S. L. IV. c. 1. HVETIVS l. c. c. 12. p. m. 166. SCIPIO SGAMBATVS de Archiu. V. T. L. III. §. 5. p. 444. VIVES ad AVG de C. D. L. VIII. c. 11.

r) HODY l. c. L. I. c. 9. p. 49.

s) IVSTINVS L. XXXVI. c. 2. loca Iosephi huc pertinentia vide apud HVETIVM l. c. p. 66.

t) Contra Appion. L. I. c. 4. 9.

u) Exemplum vide apud BASNAGIVM l. c. c. 4. p. 42. conf. BVDDEVS instit. theol. dogmat. L. II. c. 1. p. 438. Bibliotheque Germanique T. II. p. 124. VAN DALE l. c. c. 28. HODY l. c.

x) loc. cit.

y) Nempe quae historiam populi tangunt.

z) Apud EVSEB. praep. L. IX. c. 6. L. XIII. c. 12.

Digitized by Google

tum itaque putamus, oracula sacra gentilibus lingua Graeca ante LXX viralem versionem non innotuisse, idque factum esse indignantibus, qui in Palaestina post haec tempora vixere, Iudaeis. Qui tantopere hoc Iudaeorum Hellenistarum consilium detestati sunt, vt, si fides est veteri Iudaeorum traditioni [a], octauo Thebeth mensis die ieiunium instituerint, ideo *quod in eo scripta esset lex Graece, diebus Ptolemaei regis, et tenebrae venerint super mundum tribus diebus;* id est, per tres dies obnubilata tristitia fuerit facies Iudaeorum, vt appositе monuit CARPZOVIVS [b]. Id quod tamen a Iudaeis Talmudicis tantum recentiori aetate constitutum fuisse, viri docti coniiciunt [c], eo quod hoc ieiunium cum insignibus Iudaeorum de hac versione laudibus et iudiciis praeclaris non conueniat. Ast simpliciori modo non negata veteris traditionis fide responderi posse putamus, nempe si hoc ieiunium ad Iudaeos in Palaestina viuentes trahatur. Inter eos enim et Iudaeos in Aegypto viuentes, magnam interceſſisse aemulationem, nemini ignotum est. Itaque vt Hellenistarum in profananda lege diuina leuitatem notarent, facile fuit, indicto eiusmodi ieiunio eorum consilia et labores detestari. Certe dissidia et odia inter vtrosque ista versione et domesticae doctrinae propalatione valde aucta fuisse, admodum est verisimile [d].

Philosophiae gentilis inter Iudaeos initia.

§. XII. Peruenisse ab eo tempore et doctrinam Iudaeorum in Aegyptiorum aliarumque gentium notitiam, et philosophiam gentilem ad Iudaeos, dubium non est. Cum enim Alexandriae omnium fere nationum homines habitarent, et noua inprimis philosophiae Graecanicae, ex Aegyptiaca et Orientali corruptae facies in scholis Pythagorico-Platonicis compareret, quae famam sibi sublimiorIs de Deo rebusque diuinis sapientiae acquisiuerat, factum est, vt cum reliquis, qui ex omnibus fere nationibus hanc doctrinam degustabant, Iudaei quoque, inepta persuasione seducti, se apud Aegyptios eam sapientiam inuenturos, quae ex arcana Mosis disciplina ad eos peruenisset, ad illam doctrinam addiscendam, cognoscendaque philosophiae huius mysteria animum adiicerent [e]. Ad quam domesticae sapientiae corruptionem admissa symbolica Aegyptiorum methodus, quae in scholis quoque philosophorum recepta fuit, aditum parauit. A tempore enim Ptolemaei Philadelphi, vel Philometoris, allegoricam interpretandi scripturam affingendique oraculis sacris legique diuinae suas et doctorum suorum nugas, ex alienis fontibus in sua prata deriuatas, methodum inter Iudaeos obtinuisse, veterum testimoniis demonstrari potest luculentis. Aristeas enim, vel quisquis sub eo nomine latet, refert [f], *Eleazarum pontificem, qui Ptolemaei Lagidis et Philadelphi temporibus vixit, legatis ad sese ab rege missis Hebraicas literas Graeca lingua donan-*

a) Megillath Taanith. p. 50. ed. Bas.
b) Ad SCHICKARDI ius reg. c. II. th. 5. p 107.
c) WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 443. et quos nominat.
d) SCALIGER ad Chronic. Euseb. num. MDCCXXXIV.
e) Hoc vel vno Therapeutarum exemplo euinci potest, quam Iudaeorum sectam institutis Pythagorico-Platonicis manum dedisse infra demonstrabitur. Idem aliis exemplis in sequentibus roborabitur.
f) Apud EVSEB. praep. L. VIII. c. 9. p. 370.

Digitized by Google

donandi rationem informantem, de allegorica ſententia diuinarum legum verbis incluſa diſputationem eam inſtituiſſe, quam EVSEBIVS [g] exhibet. Quibus verbis falſo quidem ſupponi regis cum Eleazaro pontifice literarum commercium, facile largimur, rem tamen ipſam in dubium vocari non poſſe, ex hoc loco eſt manifeſtum, nempe allegoricam explicandi legem rationem inter Iudaeos Aegyptios tum obtinuiſſe, cuius methodi patrocinium, ne Palaeſtinam inhabitantibus ea diſpliceret Iudaeis, impoſtor ab hoc figmento accerſiuit, ipſum Pontificem Iudaeos Aegyptios eam edocuiſſe. Addimus his, quae alio loco tradit EVSEBIVS [h]: *Ab Ariſtobuli tempore, gentem Iudaeorum vniuerſam duas in partes ſectam ac diuiſam fuiſſe. Nam multitudinem quidem ritibus illis omnibus, quomodo legum ipſarum verbis concepti erant, obſtrictam Moſen tenere iuſſiſſe. At ceteros, quorum mens eſſet virtusque conſtantior, cum ea cortice liberatos eſſe, tum ad diuiniorem aliquam et hominum vulgo ſuperiorem philoſophiam aſſueſcere, atque in altiorem legum ſententiam mentis oculo penetrare voluiſſe. Atqui hanc fuiſſe Iudaeorum philoſophorum nationem, cuius vitae morumque rationes infinitos etiam alienigenas admiratione compleuerint.* Quae verba probe notari merentur, quoniam verum nobis tempus deſignant, quo ſub allegoriae pallio philoſophia gentilis apud Iudaeos irreplit. Nempe id Ptolemaei Philadelphi tempore factum eſt, quo vltimos Pythagoreos, et Platonicos etiam quosdam, in Aegypto vixiſſe, et inſtituta atque doctrinam ſuam philoſophicam propagaſſe, ſuo loco demonſtrauimus. Non intelligi enim aliam ſublimiorem philoſophiam, quam quae ex ſchola Pythagorico-Platonica, (quae mature ſe Aegyptiacae et orientali iunxit, vt ſupra dictum) ad Iudaeos tranſiit, Therapeutarum exemplum probat, quos illam philoſophandi rationem cum patriis traditionibus legeque coniunxiſſe, infra probabimus. Aſt hos intelligit Euſebius, qui *Iudaicorum philoſophorum clariſſimos Ioſephum et Philonem memoriae poſteritatis ſempiternae commendaſſe* ſcribit [i]; vterque enim hos philoſophos tetigit, vt ſuo loco dicendum, vbi etiam demonſtrabimus, eam ſocietatem philoſophicam hanc allegorice explicandi legem rationem tenuiſſe. Nec dubium eſt, inter Iudaeos hunc philoſophiae Pythagorico-Platonicae amorem, allegoriae fundamento innixum, ſequentibus temporibus ad alios quoque, qui extra illam ſocietatem philoſophicam conſtituti erant, ſe extendiſſe, certe adoleuiſſe iam hanc philoſophiam Platonico-Iudaicam Philonis tempore, ex eius ſcriptis, ea ipſa philoſophandi ratione turgentibus, eſt manifeſtiſſimum. Addi his poſſent alia, vt euincatur, modum hunc detorquendi allegoriarum machinis legem ad placita philoſophiae alicuius arcanioris, ex adytis Pythagorico-Platonicorum in Aegypto prorepſiſſe ad Iudaeos, niſi haec ſatis lucis rei foenerarentur, eamque extra dubitationem ponerent. Ex his vero, ſi cum iis comparentur, quae de philoſophiae Aegyptiacae Graecaeque

g) cap. 10. h) c. 10. p. 378. i) loc. cit.

Digitized by Google

et orientalis fatis in hac regione ſuis locis diximus, facili inductione colligi poteſt, arcanam hanc philoſophiam, quam Iudaei receperunt, multum a domeſtica gentis huius ſapientia deflexiſſe. Illi enim fontes, ex quibus arcanam doctrinam hauriebant Iudaei, fanatica de diuinis doctrina, maxime infauſto ſyſtemate emanatiuo abundabant: quorum latices cum in prata Iudaeorum deriuarentur, licet alia longe ſimpliciora et elegantiora exhiberet lex diuina, diſplicuit tamen ſancta doctrinae perfectiſſimae ſimplicitas, et deliramenta gentilium magnum quid ſonantia atque nugae difficiles, illi praelatae ſunt. Et dubium quidem haud eſt, aliarum quoque ſectarum doctrinam, quae Alexandriae perſonabat, Iudaeos quosdam philoſophiae Graecanicae cupidos attigiſſe. Infra enim Ariſtobulum, docebimus, Peripateticae quoque philoſophiae non mediocriter fuiſſe peritum. Aſt praeualuiſſe tamen philoſophiam Platonicam, Aegyptiacae et Orientali attemperatam, dubitare nos non ſinunt exempla Philonis, Cabbaliſtarum, Therapeutarum et ſimilium, qui Platoniſmo philoſophiam ſuam arcanam allegoriarum beneficio incruſtarunt. Cuius duplex cauſſa videtur fuiſſe. Vna in Therapeutarum conſortio quaerenda eſt. Cum enim vltimi Pythagoreorum, in Italia pulſi fugatique ſuppliciis enecatis ſociis in Aegyptum aufugiſſent, vt ab inuidia populi eſſent liberiores, in campeſtria et deſerta loca ſeceſſerunt, ibique priſtinis moribus et inſtitutis viuentes homines Iudaeos, ex regionis temperamento atra bile laborantes, vel in ſocietatem pertraxerunt ſuam, vel quod veriſimilius eſt, neceſſitate quadam compulſos in ſolitudines ſecedere, ad aemulationem doctrinae inſtitutorumque accenderunt, vt in Therapeutarum hiſtoria infra oſtendemus. Ita vero cum inſtituto Pythagorico doctrina quoque ea Platoniſmo attemperata ad Iudaeos tranſiit, quae allegoriae beneficio recepta et cum patriis placitis maleſano conatu conciliata, tandem prorſus a genuina facie degenerauit, vt ſuo loco erit manifeſtum. Quae ſocietatis philoſophicae conſtitutio cum mire Iudaeis placeret, qui ſe habere, quod gentibus opponerent et praeferrent, gloriati ſunt, vt ex Philone patet, non potuit non hominum, ſublimius philoſophari, quam ceteros, viſorum, exemplum aliis ex Iudaeis animum addere, vt cum ſolitarium viuendi genus amplecti nollent, philoſophiam tamen eandem ſequerentur. Quam rationem PHILONEM ad amplectendam Platonicam doctrinam allegoriis Moſaicae legi accommodatam permouiſſe, ipſe haud obſcure prodit. Altera ratio in ipſa philoſophiae Pythagorico-Platonicae indole, qualis in Aegypto viguit, quaerenda eſt. Cum enim reliquae Graecanicae ſectae a Iudaica theologia nimis diſtare crederentur, et nec Peripatetica mundi aeternitas, nec Stoica mundi anima cum placitis Moſaicis etiam allegoriarum ope ſatis conciliari poſſe videretur, ſola Pythagorico-Platonica doctrina ſaniora et digniora Moſaicis praeceptis afferre exiſtimata eſt, eo quod ſublimius de Deo diuinisque et ſpiritualibus ſubſtantiis philoſophari putabatur. Cumque et Pythagoram et Platonem diſciplinam

Digitized by Google

nam ſuam atque ſapientiam a barbaris accepiſſe conſtans fama eſſet, intumuit ſuperbus et aemulus Iudaeorum ſibi ſolis ſapientiae origines vindicantium animus, vt Pythagorica et Platonica a Moſe et vatibus Hebraeis ad hos philoſophos defluxiſſe ſibi perſuaderent. Ita enim ratiocinatos eſſe homines ineptos, Ioſephi et Philonis exempla nos dubitare non ſinunt. Aſt magnum cum eſſet inter Pythagorico-Platonica dogmata et legem Moſaicam diſcrimen, adhibita eſt regionis docendi methodus, et allegoriae beneficio in concordiam ire iuſſa ſunt praecepta longe diuerſiſſima. Quod eo facilius fieri potuit, quo magis et tota Aegyptus in recipiendis et vniendis cum patria religione et cultu omnis fere orbis doctrinis ea ipſa via inceſſit, et Pythagorico-Platonici Alexandrini non dubitarunt, allegoria duce, peregrina dogmata ſuo infarcire ſyſtemati, vt ſuo loco dedimus probatum. Certe ab eo tempore mos ille inualuit, vt et legis Moſaicae praecepta Platonico habitu induerentur, et ſanctis viris, ſapientiae nomine inter Hebraeos illuſtribus, Platonicae affingerentur ſententiae. Cuius rei ſpecimina ex Philone haurire poteſt, qui mediocrem in his cognoſcendis rebus induſtriam ponere cupit. Luculentum vero exemplum auctor libri ſapientiae Salomonis exhibet, qui Platonicae philoſophiae dogmata Salomoni ſupponere, et pro veteri Hebraea ſapientia venditare non erubuit. Qua de re paulo plenius diſſeremus.

§. XIII. Eſſe librum ſapientiae ab ipſo Salomone Hebraico idiomate conſcriptum, et poſterioribus temporibus a Salomoneae diſciplinae ſtudioſo in Graecam linguam conuerſum, praeter alios quosdam, qui inter libros ſacra regula pro diuinis habitos eum referunt [k], ea, qua pollebat, eruditione probatum iuit vir illuſtris et veterum doctrinarum apprime peritus NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS [l], alia ſine dubio, vt erat philoſophiae Alexandrinae callentiſſimus, daturus, niſi παραδοξοφιλία quaedam hanc ei opinionem perſuaſiſſet. Cuius rationes vt heic loci examinemus [m], eo minus opus eſt, quo magis tota hypotheſis ſua mole corruit, ſi haec vnica admoueatur machina, manifeſta in eo libro deprehendi Platoniſmi Alexandrini veſtigia. Quod cum alio loco ita demonſtrauerimus [n], vt certi ſimus, nihil eſſe, quod veritatis cupidum in hac veritate agnoſcenda remorari poſſit, rem, quantum licet, paucis tantum conficiemus. Neque vero praeſidium huic ſententiae quaerendum eſſe a ſcriptoris conditione putamus, quem Philonem alii [o], quidam non hunc, ſed ſeniorem eiusdem nominis [p], Platonicis quoque praeceptis imbutum, eſſe ſtatuunt: hos enim falli dubium non eſt, nec errant, qui

Liber ſapientiae Salomonis.

k) Vid. quos laudat I. MOLLERVS Homonymotcop. p. 255.

l) Obſ. Hal. T. V. obſ. 13. quam obſeruationem eius eſſe ipſe faſſus eſt, Hiſt. philoſ. mor. P. I. p. 73.

m) Conf. WERENSDORF. pec. diſſ. Wireb. 1702. et quos laudat WOLFIVS Bibl. Hebr. Vol. I. p. 974. Vol. II. p. 199.

n) Pec. diſſ. de veſtigiis philoſophiae Alexandrinae in libro ſapientiae, Miſc. Berolin. Tom. VI. p. 150. ſeqq. inſerta.

o) HIERONYM. praef. ad librum ſapient.

p) Vid. MOLLER l.c. KORTHOLT. de can. S. S. c. XIII. p. 278. ſeqq. B. BVDDEVS Hiſt. phil. Ebr. p. 76. VOSSIVS de LXX interpp. p. 396.

qui auctorem anonymum esse fatentur, at talem, qui Graecanicam sui temporis eruditionem et eloquentiam didicit. Illius enim vestigia adeo luculenta auctor expressit, quibus ad mores, consuetudines et dicendi rationem in scholis rhetorum Graecorum se attemperauit; vt merito mirandum sit, potuisse hunc librum viros doctos et acutos ad Salomonem auctorem referre, et pro foetu sapientiae Hebraeae, et argumento interno et cultu externo toto coelo diuersae, venditare. Quamuis enim Salomonea praecepta haud pauca scripto huic suo auctor interspersserit, eruditionem quoque eam adhibuerit, quae in domesticis quoque gentis Iudaicae monumentis cum laude erat versata, tantum tamen abest, vt a gentilis philosophiae, sensim eo tempore inter Iudaeos inualescentis dogmatibus recipiendis suaeque tractationi inserendis abstinuerit, vt luculenta potius eius vestigia reliquerit. Cuius vt exempla aliquot ex multis, quae alibi produximus, afferamus, ecce mox in limine libri [q]: *spiritum Domini terrarum orbem replere* dicit, *et omnia continere.* Vbi caue eam diuini spiritus omnipraesentiam intelligas, quam laudauit diuinus psaltes [r]; addit enim, hunc spiritum *συνέχειν τὰ πάντα*, quae Platonica vox est, ab anima mundi desumta, quae per omnem mundum se diffundit, eumque rationibus substantialibus continet, tanquam formale eius vinculum. Spiritum enim S. et animam mundi idem esse, ex eo tempore inter Iudaeos quoque inualuit, quo purissimis diuinae doctrinae fontibus turbidae gentilium errorum lacunae immissae sunt [s]. Hanc vero animam cuncta constituere et continere, TIMAEVS LOCRVS [t] Pythagoram secutus docuit, a cuius sectatoribus in Aegyptum delatum dogma inter Iudaeos tandem disseminatum est, vnde PHILO [u] quoque spiritum diuinum per omnem mundum diffusum implere omnia dixit. Hinc in describendis spiritus diuini attributis, adeo manifestis Pythagorico-Platonicorum phrasibus auctor vtitur, vt ignorare prorsus, quid sit Pythagoricum, quid Platonicum, censendus sit, qui non manibus palpat, ex hac schola eas hausstas esse. Dicit enim [x], esse spiritum illum sanctum, siue sapientiam illam, quae ex Deo progreditur, *πνεῦμα νοερὸν, μονογενὲς, πολυμερὲς, λεπτὸν, ἐυκίνητον, spiritum intelligibilem, vnius generis*, vel potius *vnigenitum, et tamen per multas partes se communicantem, subtilissimum, facileque mobilem.* An haec Spiritui S. Hebraeorum magis conueniant, quam animae mundanae Pythagoricorum et Platonicorum, lectoris relinquimus iudicio, id modo addentes, non posse vllo colore pro Salomoneo dogmate vendi, sed aperte gentilem scholam olere, quod addit: *Πάντων χωρῶν πνευμάτων νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων.* Ponere enim haec verba spiritum istum sanctum, siue sapientiam

q) c. I. 7.
r) Pſ. CXXXIX. 1.
s) Conf. MOSHEM. ad CVDW. Syst. int. c. IV. §. 36. p. 657. Inst. hist. Christ. mai. Sec. I. c. V. p. 430. seq.
t) Opusc. myth. GALE'I p. 545.
u) De gigant. opp. p. 287.
x) c. VII. 22.

Digitized by Google

entiam eſſentialem fontem ſpirituum omnium, ex eo emanantium, et in eo ſubſiſtentium, longe clariſſimum eſt, et ſpirituum quoque intellectualium, purorum, et leuiſſimo ſiue ſubtiliſſimo vehiculo amictorum doctrina, nunquam in ſcholis Hebraeorum, ante intruſa dogmata Pythagorico-Platonica innotuit. Quae cum ex orientali quoque philoſophia hanc de ſpiritibus ex primis Deitatis emanationibus effluentibus aſſertionem auxiſſet et comſiſſet, tandem Iudaeis, a ſimplicitate ſanctiori patriae philoſophiae deficientibus, hanc animam mundanam, commendauit: Aliud Platonicae philoſophiae ſpecimen deprehenditur his verbis [y]: *ἔκτισε Θεὸς εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τῷ κόσμῳ, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου, οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ τῆς γῆς, condidit Deus, vt reuera eſſent omnia, et ſalutares fecit generationes, neque eſt in iis venenum perniciei, nec inferni regnum in terra.* Opponi haec verba erroribus apud orientales recepto, et a Platonicis, vt ex PLOTINI *diſputationibus contra Gnoſticos* liquet, valde reiecto, ineſſe mundo ex naturali eius generatione et origine malum, quilibet videt. Aſt hunc rationibus oppugnat auctor prorſus Platonicis, et, mundum bonum factum eſſe, demonſtrat primo, quia mundus *εἰς τὸ εἶναι*, propter eſſentialia ſiue intelligibilia principia conditus iisque, vt reuera eſſet, ſuperſtructus eſt; ſecundo, quia in condendo mundo Deus rationibus vſus optimis, eum fecit bonum; tertio, quia mali et deſtructionis principium non in illo eſt, nec *ᾅδης* ſiue corruptionis locus in terra, ſed extra terrae complexum eius ſedes quaerenda. Vnum PLATONIS *Timaeum* [z], vel PLOTINI etiam diſputationem laudatam legere oportet eum, qui haec Platonice dici, vult intelligere. In illo enim eadem res diſertis verbis traditur; in his illa aduerſus orientalium errores luculenter defenditur. Vtrumque anteceſſit TIMAEVS [a] Pythagoricus philoſophus, idem dogma tradens, bonum eſſe, ex conſilio creatoris, mundum. Sed et tertium addimus locum, quo auctor ita manifeſta Platoniſmi veſtigia reliquit, vt omni contradictione euidentius ſit, eum Graecanicam philoſophiam fuiſſe ſecutum. Ita enim nobis Salomonem diuinae ſapientiae habitu *Θεοδότῳ* inſtructum inducit loquentem [b]: *αὐτὸς γάρ μοι ἔδωκε τῶν ὄντων γνῶσιν ἀψευδῆ, εἰδέναι σύστασιν κόσμου καὶ ἐνέργειαν στοιχείων, ἀρχὴν καὶ τέλος καὶ μεσότητα χρόνων, τροπῶν ἀποβολὰς καὶ μεταβολὰς καιρῶν, ἐνιαυτῶν κύκλους, καὶ ἀστέρων θέσεις, φύσεις ζώων καὶ θυμοὺς θηρίων, Πνευμάτων βίας καὶ διαλογισμοὺς ἀνθρώπων, διαφορὰς φυτῶν καὶ δυνάμεις ῥιζῶν.* Habes hic, lector, et voces ex intima philoſophia Graecanica, maxime Platonica, deſumtas, et encyclopaediae, qualis eo tempore Alexandriae obtinuit, breuem adumbrationem, et dogmata Graecanica, conſiſtere ſapientiam in earum rerum notitia, quae tum ſummo in Platonicorum ſcholis loco habebantur. In eo enim verſabatur auctor praeiudicio, Grae-

y) c. I. 14.
z) pag. m. 458.
a) Opuſc. myth. p. 545.
b) c. VII. 17.

Graecae philoſophiae circulum, qualis tunc obtinuit, eſſe verum ſapientiae compendium, adeoque Salomonis ſapientiam ad eandem ideam effingendam eſſe; hinc metaphyſicam ei ſiue dialecticam Platonicam circa notitiam τῶν ὄντων, id eſt, idearum verſantem, logicam, ratiocinationes hominum diiudicantem, phyſicam de natura animalium et virtutibus plantarum atque radicum ſollicitam, mundi etiam ſyſtema et harmoniam explicantem; porro aſtronomiam, ſiderum curſus et poſitiones enarrantem, et chronologiam annorum periodos dimetientem tribuit. Quod ſi quis Salomoneum eſſe putet, eum rogamus, vbi τῶν ὄντων γνῶσιν, idearum ſiue intelligibilium ſcientiam in ſcholis Pythagorico-Platonicis famoſiſſimam, rex ſapientiſſimus vnquam tradiderit? eamque primo in ſapientiae diuinae indice poſuerit loco, quod tamen PLATONEM [c] et ſequaces feciſſe eſt notiſſimum. Certe non intelligibilium ſcientia, ſed timor Domini Salomoni cardo omnis ſapientiae eſt. Poſſent his adiici plura, niſi inſtituti noſtri memores breues nos hoc loco eſſe deceat, quare illa legenda ſunt, ſi tanti videbuntur, quae alibi prolixe ſatis et ex inſtituto de hac re ſuimus commentati. Vnum tamen locum praeterire non poſſumus, eo quod momentum in hac noſtra tractatione aliquod habet. Ait ſcriptor ὑποβολιμαῖος de ſapientia diuina [d]: ἄτμις γάρ ἐϛι τῆς Θεῖ δυνάμεως, καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τῦ παντοκράτορος δόξης, ἀπαύγασμα γάρ ἐϛι φωτὸς ἀϊδίε. *Eſt ſpiratio diuinae virtutis et emanatio gloriae omnipotentis numinis, radius reſplendeſcens diuinae lucis.* Satis manifeſte hic locus prodit, conſcriptum fuiſſe hunc librum, poſtquam metaphyſica Cabbaliſtica ex orientalium et Platonicorum ſcholis inter Iudaeos caput extulit. Illa enim ex emanatione primogeniti, ex infinito diuinitatis lumine, ſiue ex Adam Kadmon per Sephiroth ex Haënſoph, cuncta deduxit. Aſt deſumta haec fuiſſe ex ſyſtemate emanatiuo philoſophiae orientalis, Pythagorico-Platonicis dogmatibus attemperato, infra luculenter docebimus. Hic id modo ad loci huius illuſtrationem notamus, manifeſta eſſe, gentilis huius philoſophiae, qualis in vtraque ſchola perſonuit, veſtigia. Orientales enim, vt *ſuperiori libro* demonſtratum, tradebant, ἔννοιαν ſiue ſapientiam diuinam, tanquam virtutem quandam ſubſtantialem, naturamque immutabilem et aeternam, quam αἰῶνας vocabant, ex omnipotentis numinis ſinu et pleromate diuinae lucis, velut radium e ſole, effluxiſſe, et huius infiniti luminis gloriam in emanationibus ex ſe productis referre, perque eam homines ad veram γνῶσιν eſſe reuocandos: Platonici autem Alexandrini ſyſtema illud aeonum ſiue emanationum intra trinitatis Platonicae cancellos reſtringentes, vt ex PLOTINO [e] patet, mentem diuinam ſiue ſapientiam ex infinito Deo, illo principio ſuperiore, tanquam radium ex ſole profluxiſſe et emanaſſe, ſuaque luce cuncta inferiora complere docebant. Qua de re PLOTINI [f], et IAMBLICHI [g] loca excutienda

c) Loca produximus in Hiſt. phil. de ideis Sect. I. §. 4. p. 35. § 6. p. 86. p. 115. d) Ib. v. 25. e) loc. cit. f) Enn. V. L. I. c. 6. p. 487. g) De myſt. Aegypt. Sect. VIII. c. 2. p. 158.

by Google

enda ſuademus. His cum et verbis et ſenſu omnino concinat libri ſapientiae Salomonis auctor, quis porro dubitabit, inepte ad ipſum Salomonem hunc librum referri, et prodiiſſe auctorem, Graecanicae eruditionis non ignarum, ex ſchola Pythagorico-Platonica, iam tum accommodatione ad orientalia placita adulterata, vel ex Cabbaliſtarum quoque ſomniis quaedam hauſiſſe? Quae omnia exemplo iam eſſe poſſunt, qua ratione philoſophia gentilis non tantum quoad methodum allegoricam, verum etiam quoad dogmata potiora in Iudaicam doctrinam irrepſerit.

Aegyptiaca philoſophia quomodo ad Iudaeos in Palaeſtinam traducta?

§. XIV. Ex dictis intelligi poteſt, qua ratione in Aegypto diuinioris doctrinae puritas ſenſim apud Iudaeos deprauari, et tritico admiſceri lolia coeperint, traditione quadam orali excogitata. Nempe poſtquam ſemel humani ingenii tricas Iudaei deguſtauerant, quae inſignes ſapientiae theſauros et arcanam quandam de Deo diuinisque rebus ſapientiam pollicebantur, facile fuit venerando traditionis nomine noua et peregrina dogmata introducere, et allegoriarum machinis ex legis litera, tanquam ex cortice ea placita deducere, de quibus nec Numen ſanctiſſimum, nec vates diuinus vnquam cogitauit. Non errant itaque, qui huius myſticae interpretationis legis, quae cuncta in arcanos detorquet ſenſus, origines ad ea tempora referunt, quibus allegoriae ſtudium inter Iudaeos innotuit, et ex ſacra et ſymbolica Aegyptiorum methodo ad hos peregrinos incolas transmigrauit. Id quod mature, et fortaſſe adhuc Ptolemaei Philadelphi tempore factum eſſe, ex ſupra dictis recte coniicitur, niſi fallant nos veterum narrationes. Quarum tamen quaecunque demum fides ſit, illud certum eſt, Therapeutarum ſocietatem eo tempore, quo eius hiſtoriam Philo conſcripſit, non tantum ſolitam fuiſſe legem ita ſymbolice explicare, ſed et conſtanter aſſeruiſſe, quod hunc interpretandi morem a maioribus ſuis acceperit: ex quo concludimus, cum ipſo ſocietatis huius ortu hunc quoque allegoriae adhibendae morem, et cum eo audaciam intrudendi in ſacra dogmata peregrina placita originem ſumſiſſe. Philonis autem aetate nouam hanc docendi rationem, quae Aegyptiorum methodum legi admouit, et philoſophiam exoticam domeſticis principiis immiſcuit, iam magnopere floruiſſe, ſcripta eius abunde teſtantur. Ex Aegypto vero hanc peruerſam docendi et philoſophandi rationem in Palaeſtinam quoque translatam fuiſſe, IOSEPHVS [b] teſtis omni exceptione maior eſt. Quo loco cum traditionis ſtudium eam aliquamdiu compeſcuiſſet, tandem poſt vrbis Hieroſolymae excidium gentisque diſperſionem, ſemper ad difficiliores nugas delabentibus Iudaeorum ingeniis, magis magisque fimbrias dilatauit, et arcanam ſimul illam metaphyſicam, iſto integumento quaſi munitam, mire propagauit. Qua de re, cum infra de origine et progreſſu philoſophiae Cabbaliſticae acturis ex inſtituto differendum

b) Prooem. antiq. Iudaic. p. m. 3.

dum fit, hic nihil amplius addimus. Ex dictis vero de virorum doctorum variis de Cabbalae inter Iudaeos Aegyptiacos origine sententiis iudicium ferri potest; ex quibus IACOBVS BASNAGIVS [f], Aegyptiacam mythologiam et symbolicam docendi rationem, quae in hieroglyphicis obtinuit, fontem eius esse dixit, aliorumque assensum meruit [g]; Ven. REIMMANNVS [h] autem philosophiam potius Orphicam et Pythagoricam matrem huius pulli dicendam esse contendit. Vtrumque enim virum eruditissimum recte statuere, nec sibi inuicem eos contradicere, ex allatis facile iudicari potest; praecipue cum Basnagius de docendi modo, Reimmannus de doctrina, illa methodo propagata, loquantur, quorum illum ab Aegyptiis, hanc ex Pythagoricorum schola, sed non tam Orphicis, quam Zoroastrianis siue orientalibus placitis adulteratam originem cepisse detegendae infra Cabbalisticae philosophiae origines planum facient.

Aristobulus.

§. XV. Postulat a nobis hic ordo dicendi, vt, cum ad Aristobuli tempora origines introductae inter Iudaeos Aegyptum inhabitantes philosophiae gentilis retulerimus, illius quoque hic historiam enarremus. Ea vero valde impedita et multis virorum doctorum disputationibus obnoxia est, ex quibus tamen, quae vero videntur propiora, paucis seligemus. Tradunt nempe veteres, vixisse Aristobulum sub Aegypti regibus Ptolemaeis vel Philometore vel Euergeta II. et vnius ex illis praeceptorem fuisse. Qua de re tamen post alios maxime dubitauit V. C. HVMFREDVS HODY [i]. Fuisse autem in Aegypto Aristobulum quendam, Ptolemaei praeceptorem, ex epistola Iudaeorum Palaestinae ad Iudaeos in Aegypto habitantes, quae *in secundo Maccabaeorum libro* [k] legitur, apertum est. Quam quidem suppositionis suspectam esse putat Cl. Hodyus, sed nulla idonea ratione suffultus. Cum vero ex veterum testimoniis pateat, vixisse Aristobulum in Aegypto, et apud regem fuisse gratiosum, non inepte EVSEBIVS [l] iudicasse censendus est, fuisse hunc Aristobulum illum, qui Ptolemaeo Philometori librum suum inscripsit. Ast his obiiciuntur temporum notationes, quae obstare videntur, quo minus, Aristobulum sub Ptolemaeo Philometore vixisse, dici queat. Nempe epistola illa scripta est anno CLXXXVIII, quo loco aeram Seleucidarum intelligi, qua Iudaei Graecorum sub imperio vsi sunt, notum est. Hanc si sequimur, annus is incidit in annum ante restitutam per Christum salutem CXXXIV. Ptolemaeus Philometor autem imperii habenas suscepit ante N. C. CLXXXI [m]. Ex his iam concludunt viri illi docti, aut aliun esse Aristobulum, cuius mentio fit in illa

f) Hist. des Iuifs L. III. c. 61. p. 393.

g) BVDDEVS diss. de moderamine inculpatae tutelae adiecta nouae editioni introd. in hist. phil Hebr. p. 521. conf. RICH. SIMON Hist. crit. V. T. L. I. c. 7. p. 44. seqq.

h) Hist. theol. Iud. L. I. c. 15. §. 4. p. 344. seqq.

i) De text. original. L. I. c. 10. qui ea in re SCALIGERI ad Euseb. dubitationibus commotus est.

k) c. I. 10. seqq.

l) Praep. eu. L. VIII. c. 9. p. 575.

m) Conf. PETAV. ration. temp. L. II. c. 9. p. m. 823.

by Google

illa Iudaeorum epiſtola, aut falſum eſſe, quod veteres dicunt, ſub Philometore vixiſſe Ariſtobulum, et ad recentiora eum tempora eſſe reiiciendum, eo quod a tempore illo, quo regnum ſuſcepit Philometor, ad epiſtolae illius tempus anni effluxere fere L, qua aetate Philometor iam fatis erat functus. Verum duplici ratione ad has difficultates tollendas, reſponderi poteſt. Aut enim dicendum eſt, vſum quidem fuiſſe Ptolemaeum Philometorem Ariſtobuli inſtitutione; illo vero fatis functo, honoris cauſſa eum regii praeceptoris titulum etiam ſub eius ſucceſſore retinuiſſe, et profecta iam aetate fuiſſe, cum illa epiſtola ad Iudaeos Aegypti incolas exararetur; qua ratione difficultates has tollit BASNAGIVS [f], aut cum FABRICIO [r] ſtatuendum, habuiſſe eum diſcipulum Ptolemaeum Euergetam II. qui Phyſcon a corpore obeſo dictus fuit, fratrem Ptolemaei Philometoris, eo tempore, quo regno nondum erat admotus, eo vero in ſolio regio collocato titulum regii praeceptoris fuiſſe conſecutum. Quamcunque ex his opinionem eligas, nulla erit neceſſitas ſtatuendi, quod laudati viri eruditi volunt, duos a veteribus confundi Ariſtobulos, Peripateticum et Iudaeum, et commentitiam eſſe dictam Iudaeorum epiſtolam. Veteres enim ſi audimus, legis Moſaicae explanationem conſcripſit, regique Ptolemaeo dedicauit. Ita quidem CYRILLVS [s], Chronicon paſchale [t], Anatolius apud EVSEBIVM [u], et HIERONYMVS [x]. Fuiſſe autem hunc Ptolemaeum Philometorem, dicti Chronici Paſchalis, et EVSEBII [y] atque CLEMENTIS ALEXANDRINI [z] teſtimoniis conficitur. Quae tamen tanti non videntur HODYO, vt non, ſuppoſita fuiſſe Sec. II. poſt C. N. Ariſtobulo ea ſcripta, quae ſub eius nomine ambulant, iudicandum eſſe cenſeat, quo tempore libros ſupponendi morem fuiſſe frequentiſſimum annales teſtantur. Vrget vir doctus, Ioſephum tam celebrem nationis ſui hominem non omiſſurum fuiſſe, ſi eius ſcripta ante ſua tempora innotuiſſent: ſuſpecta eſſe Euſebii et Clementis teſtimonia, eo quod parum accurationis prodant in huius hominis temporibus notandis. Clementem enim, qui ſub Philometore eum vixiſſe tradit, alio loco [a] Philadelphi temporibus adſcribere; vnde coniicit laudatus criticus, eos, cum librum vidiſſent Ariſtobuli nomine Ptolemaeo inſcriptum, exſculpſiſſe inde Ptolemaeum Philometorem, cum veriſimile ſit, ſub vltimis Ptolemaeis, et forte poſt Ioſephum, illum vixiſſe. Verum infirmas prorſus eſſe rationes viri celebris, et ad euertendum veterum teſtimoniorum concentum parum idoneas, quilibet videt. Quamuis enim apud Clementem Alexandrinum aut memoriae aut calami vitio, aut, quod veriſimilius ſuſpicamur, librariorum incuria pro Philometore vel Euergeta II, poſitus ſit

f) Hiſt. des Juifs L. III. c. 6. §. 5. p. 404.
r) Biblioth. Graec. Vol. II. p. 280.
s) Adu. Iulian. L. IV. p. 134.
t) Ad Olymp. CXLIV. p. 178.
u) Hiſt. eccleſ. L. VII. c. 32.
x) Chron. ad Olymp. CLI.
y) Praep. l. c.
z) Stromat. L. I. p. 342. a) l. c. L. V. p. 596.

Philadelphus, hoc tamen reliquorum fidem non euertit. Caeditque propria vineta Hodyus, qui ita concedit, vixiſſe tamen Ariſtobulum ſub Ptolemaeo quodam, non vero Seculo demum poſt C. N. ſecundo, quo tempore ipſe floruit Clemens, qui vix decipi potuit, vt ſcripta ſuo tempore demum enata ad antiquiora referret. Ea quoque, quae de Ariſtobulo tradunt veteres, qui allegoriarum ei ſtudium tribuunt, iſti aetati conuenire, ex iis, quae in antecedentibus diximus, manifeſtum eſt. Studium enim hoc allegoriarum Sec. II. ita iam adultum erat inter Iudaeos, vt ex hoc vno momento antiquiora eſſe Ariſtobuli, quam Hodyus putat, tempora, iudicari par ſit. Quae vero a Ioſephi ſilentio adducitur ratio eo minus valet, quo magis a negatiuo eiusmodi argumento raro firmam duci poſſe concluſionem conſtat, et eadem illatione ſequeretur, non vixiſſe alios viros celebres, quorum Ioſephus non meminit. Quod quam infirmum ſit atque frigidum, nemo non videt. Verum maxime obſtabat Hodyo Ariſtobuli teſtimonium, quod confectam LXX viralem verſionem Ptolemaei Philadelphi iuſſu et auctoritate tradit. Quod aliter remoueri non poſſe putabat vir doctus, quam ſi ſuppoſita eſſe, quae de Ariſtobulo dicuntur, omnia aſſereret. Secutus eſt eius opinionem Cel. LENFANTIVS [b]. Aſt, quod pace magnorum virorum, quorum poſt fata merito immortalis eſt memoria, dicimus, admodum falluntur, et concedi omnino poteſt atque debet, Ariſtobulum illo tempore vixiſſe, neque tamen inde inferendum eſt, vera eſſe, quae de illius verſionis auctoritate et origine regia dixit. Sufficit enim ad eleuandum eius teſtimonium et denegandam ei fidem, ſi moneatur, ſecutum fuiſſe Ariſtobulum, Graecanicorum in Aegypto Iudaeorum facile principem et anteſignanum, communem gentis ſuae iactantiam, et praeiudicio nationis occupatum, ſapientiam Graecam a Iudaeis deriuare voluiſſe, id quod de eo teſtatur CLEMENS ALEXANDRINVS [c]. Cui ſcopo vt inſeruiret, legem eiusque, quam Iudaei in Aegypto moliti ſunt, interpretationem, a Iudaeis ad gentes iuſſu et auctoritate regis Ptolemaei Philadelphi peruenisſe, in ſcriptis diſſeminauit, vt ita, cum gentis ſuae gloriae inſeruiret, tum verſionem hanc priuato Iudaeorum conſilio ſuſceptam et Iudaeis Palaeſtinam inhabitantibus exoſam tueretur, atque contribulibus ſuis commendaret. Ex hoc enim ſole meridiano clarius eſt, plane nihil valere Ariſtobuli teſtimonium ad confirmandam Ariſteae hiſtoriam, quamuis concedamus, eum inter Iudaeos in Aegypto ſub Ptolemaeo Philometore vixiſſe, et pro hac fabula teſtimonium dixiſſe. Etſi vero Ariſtobulum iſta aetate vixiſſe eſt veriſimillimum, falluntur tamen ſine dubio CLEMENS ALEXANDRINVS [d] et Anatolius apud EVSEBIVM [e], quorum ille ſub Philadelpho ponit, hic ex LXXII interpretum numero ab Eleazaro pontifice ad regem miſſorum fuiſſe tradit. Apud Clementem enim

b) Biblioth. German. T. II. p. 134. ſeq.
c) L. I. p. 305.
d) L. V. p. 595.
e) Praep. L. VIII. c. 32.

enim vel calami vel librariorum errorem esse supra iam innuimus, eo quod alio loco eum sub Ptolemaeo Philometore vixisse dicat. Anatolii vero testimonium vt in tuto ponant viri quidam docti [f], duos nobis Aristobulos propinant, quorum vnus sub Ptolemaeo Philadelpho viuens, ex LXX interpretum numero fuerit, licet in Aristeae historia eo nomine non occurrat, cuius caussam esse coniiciunt, quod more temporis illius praeter Graecum nomen Hebraicum quoque gesserit, et sub eo ab Aristea fuerit enumeratus: alter is sit, quem sub Ptolemaeo Philometore ponunt veteres. Nobis vero vnius Anatolii testimonium tantum non videtur, vt inuitis veteribus, quibus duo Aristobuli in regis Aegypti aula noti ignorantur, praeter hunc, de quo agimus, alius quoque Aristobulus excudatur: quae ratio soluendi difficultates et in concordiam redigendi veterum testimonia, multos nobis errores in historia literaria veterum peperit. Quare malumus simpliciter Anatolium erroris arguere, in quem ex temporum confusione, praesertim ex versionis illius commendatione ab Aristobulo facta, exque gratia, qua in aula Ptolemaeorum gauisus est, incidere potuit, quam duos sine necessitate Aristobulos effingere [g]. Fuisse autem Aristobulum ex eorum Iudaeorum genere, quibus in Aegypto philosophia Graeca placuit, veteres testantur. Teste enim EVSEBIO [h] ad domesticam philosophiam, qua mysticam illam siue Cabbalisticam et allegoricam intelligi, ex supra dictis notum est, Aristotelicae philosophiae studium adiunxit. Prius etiam ORIGENES [i], posterius CLEMENS ALEXANDRINVS [k] testatur. Quod vero HORNIVS [l] tradit, *Peripateticam eum philosophiam omnibus modis in Iudaea propagatam voluisse, tamen parum obtinuisse*, et veterum testimoniis caret, et eorum narrationibus contradicit, quae in Aegypto Aristobulum vixisse referunt: videturque seductus fuisse Hornius ab Anatolio, eumque inter interpretes ex Iudaea in Aegyptum missos retulisse: quo tamen quoque posito, verisimile esset, eum philosophiam Peripateticam in Aegypto demum didicisse. Verum illam Anatolii relationem inter fabulas referendam esse, iam monuimus. Ceterum refert ex Aristobuli opere ad regem Ptolemaeum exarato EVSEBIVS [m] versus quosdam Orphei, in quibus et Mosis et Abrahami fit mentio. Qui versus cum apud IVSTINVM M. quoque occurrant [n], at longe aliter, et multis, quae apud Eusebium occurrunt, deficientibus, recte inde coniecerunt viri docti, Iudaeum vel Christianum aliquem vetus illud carmen Orphicum interpolasse, vt suis auctoritatem apud gentiles ex Orphici carminis testimonio quaereret [o]. Ipsum vero Aristobu-

f) IVL. BARTOLOCCIVS Bibl. Rabb. T. I. p. 466. SCIPIO SGAMBATVS Archiu. V. T. p. 503. I. FR. BVDDEVS Hist. phil. Ebr. §. 18. p. 72. qui tamen in H. E. V. T. T. II. p. 1117. magis ad Hodyi partes inclinat.

g) Easdem rationes sequitur WOLFIVS Bibl. Hebr. P. I. p. 216.

h) Praep. ev. L. VIII. c. 9. p. 375.

i) Contra Cels. L. IV. p. m. 204.

k) loc. cit.

l) Hist. phil. L. IV. c. 2. p. 229.

m) Praep. L. XIII. c. 5. p. 664.

n) Cohort. ad gentes et apolog. II.

o) CVDWORTH. Syst. int. c. IV. §. 17. p. 347. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 171. Vol. II. p. 281.

ſtobulum huius fraudis auctorem fuiſſe coniecit V. C. ANDR. CHRISTIANVS ESCHENBACHIVS [p], quam tamen coniecturam improbat Cel. FABRICIVS [q]. Eruditiſſimus autem MOSHEMIVS [r], „non „diſplicere ſibi eam fatetur; eo quod nec ab ingenio nationis Iudaeae „haec fraus abhorreat, quam plurima eiusmodi auſam fuiſſe, praeſertim „in Aegypto, acceperimus, quo rebus ſuis apud alios populos conſuleret; „nec ab inſtituto Ariſtobuli remota ſit, et conſilio, quod totum eſſe frau„dulentum et ad Aegypti regem decipiendum accommodatum, res ipſa „doceat. Hoc enim ſumſiſſe ſibi eo loco probandum Ariſtobulum, quod „ipſe vix ignorare potuerit, falſum eſſe, Graecos philoſophos et poëtas a „Iudaeis accepiſſe omnia, quaecunque ſana et ſapientia haberent.„ Quas viri praeſtantiſſimi rationes verſimilem coniecturam facere, omnino ſatendum eſt, praeſertim cum ex ſupra dictis de Ariſtobuli teſtimonio de LXXvirali verſione conſtet, eiusmodi fraudis et mendacii non puduiſſe Ariſtobulum, vt nationis ſuae gloriam apud gentiles homines extolleret, vnde mutata, quam olim fouimus [s], opinione, nulli dubitamus Ariſtobulum inter doctos impoſtores probabili coniectura referre. Ceteras hominis docti circumſtantias ignoramus. Nam quod apud BVXTORFIVM [t] et BARTOLOCCIVM [u] legimus, qui R. GEDALIAM [x] ſequuntur, in bibliotheca Florentina et Mantuae apud fratres Benedictinos latere in membranis Ariſtobuli huius opus, Philonis Iudaei ſcripta longe ſuperans, tam mole quam doctrina et praeſtantia, recte hactenus inter incertas traditiones relatum eſt, et eo magis eſt ſuſpectum, quod Ptolemaeo Philadelpho id inſcriptum eſſe dicitur [y]. De patria vero Ariſtobuli vt hoc tandem eius hiſtoriae addamus, vetus hiſtoriae eccleſiaſticae EVSEBII [z] interpres, quem Ruffinum alii, alii Hieronymum faciunt, tradit fuiſſe ex Paneade, quae Syriae vrbs fuit [a]. Alt cum in Graecis legatur ὁ πάνυ Ἀριστόβουλος, coniecerunt inde viri docti [b], interpretem vim vocis non aſſecutum, ex ea vrbem confinxiſſe. Scaliger autem et poſt eum deſideratiſſimus nobis CROSAEVS [c] ex hac verſione veteri textum Graecum emendandum eſſe, cum is corruptionem paſſus ſit, putant. Qua de re certi quidem nihil definiri poteſt, cum omnia ad coniecturas redeant: aequum tamen nobis videtur, tamdiu textum Graecum ſequi, quamdiu vel ex codicibus mſc. vel ex aliis veterum locis Paneade ortum fuiſſe Ariſtobulum, non demonſtratur. Ceterum cum in veterum ſcriptis alii quoque Ariſtobuli occurrant, hic Iudaeus ab illis diſtinguendus eſt. Fuit enim

p) De poëſi Orphica p. 148.
q) loc. cit.
r) Ad l. c. CVDWORTHI.
s) In Germ. hiſt. phil. opere T. IV. p. 85. Ex his vero ſequitur etiam, Orphica carmina iam ante C. N. fuiſſe huic philoſopho tributa, et ex eius forte diſciplina mature collecta, qua de re Tom. I. L. II. plura diximus.
t) Ad Coſtri p. 33.
u) Bibl. Rabb. T. I. p. 468. conf. ESCHENBACH. l. c.
x) Schalſcheleth Hakkabbala p. 104.
y) Conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. II. p. 881. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 215.
z) L. VII. c. 32.
a) Ita et BARTOLOCCIVS l. c.
b) VALES. ad h. l. WOLF. l. c. BASNAGE l. c. p. 401.
c) Entretiens ſur divers ſujets.

Digitized by Google

enim inter ſcriptores rerum ab Alexandro M. geſtarum Ariſtobulus quidam [d], et Epicurus quoque eiusdem nominis fratrem habuit, vt ſuo loco dictum.

§. XVI. Ex Aegypto in Iudaeam progredimur, incolarum eius in ſapientiae et eruditionis ſtudio merita exploraturi, qui mature poſt reditum ex captiuitate Babylonica a priſtina ſimplicitate defecerunt, et poſt Esdrae, Zachariae, Malachiaeque, virorum Θεοπνεύστων tempora, quibus diuinis oraculis et ſanctiori, quae ex illis hauriebatur, doctrinae, honos ſuus habitus eſt, ad humani ingenii ſomnia digreſſi ſunt, cum hactenus puram ſeruauiſſent, quam a patribus acceperant, ſapientiam Hebraeam. Aliter quidem poſt FRANCISCVM IVNIVM [e] viſum GEORGIO HORNIO [f], qui ex eo iam tempore, quo Iudaei ab Aſſyriorum monarchis aliquoties in peregrinas terras iure belli tracti et peregrinae coloniae introductae ſunt, coepiſſe ſacram illam philoſophiam indelebilem maculam contrahere, populumque Aſſyriorum conuerſatione diuturna, praeſertim graui ſeruitutis tyrannide preſſum, paulatim patrios mores exuiſſe, et impietati nomen dediſſe ſtatuit, coniiciique, cum eo tempore apud Perſas et Medos praecipui nominis ſapientes Magi ab antiquiſſimis temporibus artes illicitas ſecretiſſima religione velaſſent, has praeter alia ab ipſis et Iudaeos hauſiſſe. Verum dici haec ſine ſolido fundamento, libros eos, qui poſt reditum populi ſcripti ſunt, eorumque hiſtoriam continent, legenti, eſt manifeſtum, in quibus nihil eſt, quod Iudaeos, commixtione tantum cum gentilibus et coniugiis ἀλλοφύλων notatos, eius corruptionis arguat, licet magnopere contendere nolimus, non haeſiſſe quasdam inter Iudaeos ceremonias, praeiudiciaque quaedam et opiniones exotericas apud paucos quosdam irrepſiſſe, ex Aſſyria in Palaeſtinam introductas. Ad has enim vulgi opiniones non pertinuiſſe magiam, ſed ſecretiſſima religione a magis velatam fuiſſe, ipſe Hornius recte innuit; ex quo intelligi non poteſt, quo modo hominibus patria et religione peregrinis ad haec myſteria aditus in Aſſyria patuerit. Nec meliora ſunt, quae viri quidam docti de Pythagorae et philoſophorum Graecorum aliorum conuerſatione cum Iudaeorum ſapientibus, praecipue Ezechiele et Daniele tradunt, ex qua ſuſpicari liceret, gentilem philoſophiam iam tum ad Iudaeos dimanaſſe. Quaecunque enim ea de re diſputata ſunt, nulla certitudine niti, et ne veriſimili quidem ratione valere, *tomo primo* luculenter, niſi fallimur, demonſtratum eſt, nec rerum intelligentes ſibi facile perſuaderi patientur, gentem obſtinatiſſimam, de qua Apollonius Molonis apud IOSEPHVM [ff] conqueſtus eſt, ἔτι μὴ παρεδέχοντο οἱ Ἰουδαῖοι τὰς ἄλλαις προκατειλημμένας δόξας περὶ θεῶν, μηδὲ κοινωνεῖν ἤθελον τοῖς καθ' ἑτέραν συνήθειαν βίον ζῆν προαιρουμένοις, *quod a Iudaeis non admittantur, quicunque diuerſis de Deo opinio-*

Philoſophiae fata in Iudaea.

[d] VOSSIVS de hiſt. Gr. L. I. p. 55. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. II. p. 210.
[e] Ad Tobiae c. I.
[f] Hiſt. phil. L. IV. c. 2. p. 527.
[ff] Contra Apion. L. II.

Digitized by Google

opinionibus eſſent impliciti, nec conſuetudo ineatur cum iis, qui aliam viuendi rationem eſſent amplexi; cum Graecis philoſophis ſuam doctrinam communicaſſe, eorumque ex parte recepiſſe placita. Sane Iudaicae hiſtoriae annales conſulentibus certum eſſe putamus, opiniones a lege deuiantes et vel a peregrinis acceptas, vel propria ingenii luxuriantis audacia et *καινοτομίαι* excogitatas, poſt captiuitatem demum Babylonicam inualuiſſe, et humana diuinis praetuliſſe, ſectis quoque et dogmatum diuortiis dediſſe occaſionem, ex quo nempe vaticinia deſierunt, et lux coeleſtis, qua hactenus per vates diuinos colluſtratus fuit, deſerere populum ingratum coepit. Tum enim et traditionis oralis praetextu nugae doctorum difficiles et inutiles introductae, et domeſticis placitis gentiles quoque errores et conſuetudines peregrinae admixtae ſunt. Id quod ab eo potiſſimum tempore accidit, quo poſt Alexandri M. mortem et diuiſum inter amicos eius imperium, cum hi acceptorum regnorum fines bellis dilatarent magnis et cruentis, Iudaica quoque gens, quae IVSTINO teſte, hactenus cauerat, ne cum peregrinis commiſceretur, hancque auerſionem a conuerſatione cum gentilibus in diſciplinam religionemque conuerterat, propius cum victoribus conſueſcere coacta eſt. Cumprimis id factum eſſe, cum Aegypti rex Ptolemaeus Lagi, et Syriae rex Seleucus Nicanor gentem hanc bello premerent vehementi et graui, libertatique eius inſidias ſtruerent, iugum quoque haud ſemel collo eius imponerent, annales Iudaeorum conqueruntur [a]. Tum enim, vt plerumque fieri ſolet, euenit, vt victores victos in conſuetudines, opinionesque ſuas transire manumque dare peregrinis ceremoniis cogerent, ſaltem attemperandi domeſtica ad victorum placita occaſionem exhiberent. Cuius teſtimonium auctor primi Maccabaeorum libri [b] affert, narrans, iuſſiſſe Antiochum Epiphanem, abrogatis omnibus legis diuinae ceremoniis cultuque domeſtico, *ἀπολέσαι πάντα τὰ δικαιώματα*, qua voce totam cultus et diuinioris doctrinae, cui ille innititur, rationem intelligi eiusque ad gentilis theologiae modum emendationem praecipi, res ipſa docet [c]. Qua in re licet et manu et ſanguine reſiſterent haud pauci, et mutatio legis ſanctae genti in ſe pertinaci, at diuinis praeceptis religione vinctae perſuaderi non poſſet, inuenti tamen ſunt quidam, qui ad aucupandam victoris gratiam patrios ritus, opiniones et traditiones ita gentilibus attemperauerunt placitis, vt non potuerit non inde magna exoriri corruptio. Quod cum in Aegypto dudum iam obtinuiſſet, illius autem regionis imperantes Iudaicum quoque populum in Iudaea ſubegiſſent, factum inde eſt, vt Aegypti placita et mores, quos Iudaei ibi habitantes induerant, contribulibus quoque eorum Palaeſtinam inhabitantibus ſe commendarent, maxime vero arcana illa diuina tractandi docendique methodus ſenſim quoque inualeſceret.

g) L. XXXVI. c. 2.
b) Legenda Maccabaeorum hiſtoria et IOSEPHVS antiq. Iudaic. L. XII. ſeqq.
i) c. I. 49.
k) Conf. IOSEPHVS. l. c. c. 7. p. 409.

d by Google

ſceret. Diſplicuit non ſine graui cauſſa res iſta ſenioribus populi, qui patriae legi atque inſtitutis ita derogari, et euerſionem minari iſtam contaminationem doctrinae domeſticae pulchre peruidebant: his acceſſit innatum genti erga peregrinos quosuis odium, et introducta atque in religionem verſa ſeparatio ab omnibus fere populis, ambitio quoque ſtulta, qua ſuam ſapientiam adeo omnis terrarum orbis eruditioni praetulit, vt non dubitauerit [l] eam *ſpicilegium et velut angulum in agro relictum a Iudaeorum ſapientibus* appellare [m]. Vt igitur gliſcenti malo, quod genuiſſe Aegyptiacas ſynagogas querebantur, obicem ponerent, eo tempore, quo Ariſtobulus et Hyrcanus inter ſe de regno diſceptabant, ſanxere, ארור אדם שלמד בנו חכמת יוונית *maledictus eſto, quisquis filium ſuum ſapientiam Graecanicam edocet* [n]. Occaſionem legis huius ita narrant Iudaei [o]: *Cum bellaret inter ſe familia Aſmonaea, Hyrcanus erat intra Hieroſolymas obſeſſus, atque Ariſtobulus erat extra. Obſeſſi indies in arcula fune demiſſa nummos dimiſerunt, atque ii qui extra erant, ſacrificia quotidiana inde coëmerunt, quae ſurſum ab iis intus ſunt retracta. Erat inter obſidentes quidam, doctrina Graeca inſtructus, qui dixit: quamdiu illi liturgiam templi ſic praeſtant, in manus veſtras non tradentur. Poſtero ergo die iſti nummos demiſerunt, atque hi porcum iis remiſerunt. Cum a porco iam ſurſum tracto peruentum eſſet ad medium muri, vngulas muro infixit, et quaſſata eſt terra Iſraëlitica. Eo tempore dixerunt: maledictus ſit, qui alit porcos, maledictus ſit, qui filium ſuum docet ſapientiam Graecanicam.* Fabulam autem eſſe, vel ex ſolo narratiunculae ineptae et nugacis argumento conſtare poteſt, nec ſiluiſſet, qui hanc obſidionem fuſe narrat IOSEPHVS [p] rem memorabilem, ſi ita contigiſſet. Vnde coniicimus, eam ad ignominiam parti alteri inurendam tanquam ſcomma aliquod Iudaeis inuiſum, excogitatam fuiſſe, vt hodie quoque fieri ſolet, vbi Iudaei porcorum opprobrio vexantur. Aliud etiam loquuntur ipſae Iudaeorum narrationes, quae iam inualuiſſe ſub Hyrcano eiusque filio Iannaeo Alexandro doctrinam Graecam, et philoſophiam illam arcanam ex gentilibus fontibus hauſtam tradunt. Dabimus lectori narrationem R. IEHVDAE LEVI, libri *Coſri* auctoris [q], eo quod rem admodum notabilem exponat, paulo-que luculentius metaphyſicae arcanae in Iudaea origines referat. Ita vero ille: „Poſt hunc inter Iudaeos eminuerunt Iehuda ben Tabbai, et Simeon „ben

l) Multa hic doctiſſime cumulauit B. ZELTNERVS in diſſ. I. de eruditis feminis ex gente Hebraea §. 16. p. 23. ſeqq. qui cum his conferri meretur.

m) Conf. Act. philoſ. Vol. I. p. 614.

n) Paſſim in Gemara Babylonica haec formula occurrit, in Menachoth f. 64. Baua Kamma f. 82. Sota f. 69. conf. WAGENSEIL. ad Sotae l. c. Otium Vindel. Meier. I. §. 4. not. l. p. 16.

o) Ex marg. add. libri Menachoth l. c. adducunt narratiunculam WAGENSEIL. l. c. p. 967. LIGHTFOOT. Hor. Hebr. ad Matth. VIII. 30. T. II. opp. p. 308. SCHVDT. memorab. Iudaic. L. VI. c. 15. §. 5. p. 260.

p) L. XIV. c. 8. p. 475.

q) P. III. p. 240. locum hunc quoque refert R. MARDOCHAI de Karaeis c. 3. p. 86. edit. Wolf.

„ben Schetach, eorumque collegae. Horum temporibus incepit secta „Karaeorum, propter quidpiam quod contigit inter sapientes et Iannaeum „regem, qui fuit e sacerdotibus (Hasmonaeorum), et matrem habuit su„spectam, quasi ex illegitimo coniugio nata esset q). Hoc ei quidam e „sapientibus tacite exprobans, dixit ad eum: Iammai rex sufficiat tibi co„rona regni, relinque coronam sacerdotii semini Aharonis. Vnde con„suluerunt ipsi socii et collegae eius, malis afficere sapientes, eos „perdere et in exilium relegare, et occidere. Quibus ille: quum sapi„entes perdiderimus, a quo discemus legem? illi regesserunt: ecce ha„betur lex scripta, qui vult, veniat et discat, neque est, quod sollicitus „sis de lege orali. Itaque assensit, et morem gessit verbis ipsorum in exi„lium relegando sapientes, inter quos etiam fuit Simeon filius Schetach, „qui fuit eius gener. Sic Rabbinorum dignitas destructa fuit ad tempus „aliquod, laboraruntque conseruare legem suo ingenio et suis ratiocina„tionibus, sed non potuerunt, donec ex Alexandria reuocatus fuit Si„meon ben Schetach, et eius discipuli, et cum eo Cabbala seu traditio „oralis pristinum suum vigorem recuperauit." Eadem alii quoque Iudaei Rabbanitae, quos nominat BVXTORFIVS r), et ex Karaeis R. MARDOCHAI s) narrarunt: adduntque dicti doctores Iudaici, dedisse hoc occasionem Karaeorum sectae, quod posterius tamen verisimile non esse ex dicendis constabit, eo quod isto tempore sectae Pharisaeorum et Sadducaeorum iam floruerint, quibus Karaeorum secta fuit opposita. Vnde hoc recte colligitur, hanc traditionem siue legem oralem, quam ex Aegypto redux restituit Simeon ben Schetach, non fuisse eam, quae in secta Pharisaeorum floruit; illam enim seruauerant Pharisaei, sed istam, quae in Aegypto inter Iudaeos culta philosophiam Alexandrinam cum allegorica legis explicatione coniunxit, et peculiari Cabbalae nomine innotuit, quam in Iudaea Simeonis illius studio restitutam fuisse, clare satis innuitur. Hoc vero admisso sequitur, iam ante illa tempora aliquam arcanae huius traditionis notitiam fuisse in Palaestina, nec alia ratio est, cur literali expositione legis non contenti, qui regis partes sequebantur, expulsis traditionis et Cabbalae fautoribus, ex ingenio et ratiocinationibus suis hoc philosophiae genus imitati fuerint, quo opus illis non fuisset, si de solis doctorum traditionibus, quales Scripturarii et Sadducaei reiiciebant, hoc esset intelligendum. Neque his obstat, quod supra narrauimus, interdictum fuisse Iudaeis, quo minus filios suos in philosophia Graecanica erudirent: vt enim taceamus, multo magis hoc interdictum pro-

q) Ex loco Mardochai adducto et rationibus a TRIGLANDIO diss. de Karaeis p. 85. allatis patet, matrem Iannaei non illegitimorum naturalium, sed vitii in captiuitate oblati arguisse sapientes. Ita etiam Ios. GORIONID. L. IV. c. 6. p. 272.

r) Ad l. c.

s) l. c. qui locum quoque R. Caleb ben Elish Karaei affert valde notabilem, licet proprie ad Karaeorum origines pertineat. Ex Christianis praeter Triglandium et Wolfium ll. cc. rem hanc tetigerunt BASNAGIVS Hist. des Iuifs L. II. c. 16. §. 3. p. 410. REIMMANN. Hist. theol. Iud. L. I. c. 16. §. 14. p. 467.

ed by Google

probare, quod Graecanica philoſophia, inter Iudaeos recipi coeperit, cum vetandi alias eandem rem nulla fuiſſet cauſſa vel occaſio; illud non omittendum, non tantum a priſtina huius ſtatuti origine exempla reperiri haud pauca, Iudaeis non inficiantibus plane contraria, ſed ex quorundam etiam opinione primum iſtud decretum promulgatum quidem, at non aeque ab omnibus receptum; ex aliorum vero ſententia, non tantam deteſtationem fuiſſe adiectam, poſtea vero abſolute prohibita fuiſſe Graecanica ſtudia in bello Titi Veſpaſiani decreto facto [t]. Ab his itaque temporibus praeter traditiones Rabbaniticas, in Phariſaeorum ſecta diligenter excultas, arcanam quoque iſtam et ſublimiorem traditionem, quae philoſophiam Aegyptiacam Hebraicae admiſcuit, quamque Cabbalam dixere, floruiſſe, dubitandum haud eſt; Karaei autem vt certiora originis ſuae ex ipſis Rabbanitarum ſcriptis teſtimonia haberent, ad traditiones illorum haec retuliſſe videntur. Alexandriae enim, vbi Simeon ille hanc traditionem excoluiſſe dicitur, longe alia eius facies fuit, quam in ſchola Hillelis vel Phariſaeorum aliorum. Veriſimile tamen eſt, ſeruauiſſe haec ſibi myſteria, quae latiſſime inter Iudaeos Aegypti incolas florebant, excitatiora quaedam in Palaeſtina ingenia, et plerosque patriis traditionibus circa ritus et ceremonias legis verſantes occupatos ad ſublimiorem illam philoſophiam non attendiſſe, ſane haec veriſimilis cauſſa videtur fuiſſe, cur de hac re ſileant plerique Iudaeorum magiſtri, tantopere Rabbaniticis ineptiis addicti, vt haec myſteria plane neglexerint, donec Sec. II. reſtitutum eſt eorum ſtudium, vt poſtea narrabimus. Fecit etiam commune tum metaphyſicae huic arcanae, tum ritualibus praeceptis nomen traditionis incertam prioris hiſtoriam, et dubium quoque non eſt, odium Graecorum coëgiſſe Iudaeos, vt quaecunque a gentilibus accepiſſent, ſe habere negarent, vt domeſticam ſuam ſapientiam extollerent: multos etiam illud odium retraxiſſe, quo minus eruditioni et philoſophiae Graecae operam darent. Quo tamen non obſtante, illam non plane exulaſſe ex Iudaea, exemplis conſtat indubitatis. Non prouocabimus iam ad R. Iochananis praeceptum [u], qui *licitum eſſe homini cuiuis, filiam* ſuam (multo magis filium, cum Iudaei feminas a literis arcere ſoliti fuerint) *in Graecis inſtituere, quia id ornamentum ei ſit*, docuiſſe dicitur, facile enim largimur B. ZELTNERO [x], hanc conceſſionem a priuato factam inter priuatas quoque et a tota gente nunquam rati habitas eſſe reponendam; ſolius Ioſephi exemplum contrarium docet, quem Graecam philoſophiam accurate fuiſſe edoctum, in ſequentibus dicemus. Poſſemus etiam cum THEOD. BEZA [y] et Io. DRVSIO [z] huc adducere חכמי מחקר *ſapientes inquiſitores*, eo quod ſtudium phyſicum illos excoluiſſe tempore templi ſecundi ſtantis viris doctis viſum eſt, qui huc etiam τὲς συζητητὰς

t) Conf. quae ex Iudaeorum ſcriptis attulere diligentiſſimi viri B. ZELTNERVS l. c. et Io. LIGHTFOOTVS opp. T. II. p. 706.

u) Quod refert R. Abhhu in Sota f. 14.

x) l. c. p. 25.

y) Ad Io. IX. 2.

z) Ad Ex. XLVI.

τῶ αἰῶνος τέτε D. PAVLO [a] memoratos pertinere, et illos designare putant, id quod etiam GVNDLINGIVS [b] ratum habuit. Aſt illi, incertum eſt, an Graecanicis principiis innixi de rebus mundanis differuerint, vox συζητητὴς autem a D. Paulo adhibita, diſputatorem magis, (cuiuscunque demum generis diſputationes tunc ſynagoga Iudaica fouerit) quam phyſicum innuit [c], nec contemnenda prorſus eſt CAMERONIS ſententia, qui hoc loco theologos Iudaeorum, qui myſtice et allegorice, id eſt Cabbaliſtice ſcripturas interpretabantur, intelligi coniicit [d]; eiusmodi enim Cabbaliſticos doctores, inter Iudaeos tum viguiſſe, ex dicendis conſtabit, eosque diſquiſiuiſſe de rerum omnium et ſeculi quoque huius origine et emanatione ex Deo, ex Cabbaliſticae philoſophiae delineatione erit manifeſtum; conuenit etiam haec explicatio cum loco IESAIAE [e], ad quem reſpexit apoſtolus, miraque elegantia in eo Cabbaliſtae dicuntur recenſitores turrium, ob metaphyſicas nugas alta ſpirantes, et ſublimius reliquis philoſophari viſas; quam phraſin myſticam et Cabbaliſticam eſſe, recte vidit doctiſſimus VITRINGA [f], quamuis aſſenſum non mereatur, dum *ſtudium legis et traditionum Talmudicarum indicari* putat, *quo quis ſe a terreſtribus et mundanis omnibus ſeparet ita, vt ἐν τοῖς ἐπεραν ίοις verſari videatur.* Hoc enim non ſtudio Talmudico vel Traditionum, in rebus paruis et quisquiliis verſanti, tribui poteſt, recte vero ſublimi illi philoſophiae Cabbaliſticae, μετεωρα ſectanti, tribuitur. Verum haec ὡς ἐν παρόδω. Tandem neque hoc ſine animaduerſione dimittendum eſt, quod in *Gemara Hieroſolymitana* [g] dicitur, docuiſſe R. Iehudam, non permiſiſſe doctores alia conditione Graecam linguam diſcere, quam ad ſolam legis interpretationem. Quamuis enim Graeca lingua ante et poſt templi euerſionem, per totum Romanum imperium obtinente, ea ſe non carere poſſe in legis interpretatione faſſi ſint [h], falſum tamen eſt, ad hunc ſolum vſum Iudaeos Graecam linguam didiciſſe. Solius enim Ioſephi exemplum luculentum contra hanc traditionem offert teſtimonium, quippe qui non tantum Graecam philoſophiam et hiſtoriam didicit, ſed et Graece annales gentis ſuae conſcripſit, ſuoque oſtendit exemplo, circa ea, quibus vixit, tempora, non obſtante Synagogae interdicto Graecam eruditionem et philoſophiam in Iudaea viguiſſe.

Ioſephus. §. XVII. IOSEPHI dum meminimus, non omittenda eſt viri huius in hac noſtra tractatione memoria, eo quod cum patriae, tum Graecae eruditionis fuit peritiſſimus, interque eos referendus, quorum curioſitas Graecae philoſophiae ſtudium cum legis interpretatione coniunxit [i], ex quo

a) I. Cor. I. 20.
b) Hiſt. phil. mor. c. IV. p. 88.
c) Conf. quae attulit B. WOLFIVS Cur. philol. ad h. l. T. II. p. 310.
d) Conf. HORNIVS Hiſt. phil. L. IV. c. 2. p. 228. et qui prolixe idem probat N. FVLLER. Mic. SS. L. III. c. 7. p. m. 358.
e) c. XXXIII. 18.
f) Ad h. l.
g) Tr. Megillah c. I. f. 9. vnde repetiit MORINVS Exerc. Bibl. L. I. p. 150
h) Gem. Hier. tr. Midraſch Tillim f. 85. col. 3. ex quo repetit LIGHTFOOT Chron. temp. T. II. opp. p. 110.
i) Opp. p. 998. ſeq.

by Google

quo factum, vt cum patria inſtituta cum Graecanicis comparaſſet, de philoſophia iudaica inepta multis obtruſerit praeiudicia, quae heic quoque loci detegere, e re noſtra eſt. Vitae ſuae hiſtoriam ipſe prolixe deſcripſit, cuius breuem hic damus σύνοψιν. Natus eſt [k] patre Matthatia vel Matthia, genere ſacerdotali et regio Aſmonaeorum Hieroſolymis anno primo Caii Caligulae Caeſaris, qui fuit A. C. XXXVII. Puer cum fratre Matthia eruditioni gentis diſcendae admotus ita profecit in legis ſtudio, vt XIV annos natus a ſacerdotibus et primariis vrbis viris in publicis conuentibus quaerendo de lege exerceretur, et examine publico tentaretur. Cum autem inſatiabili eruditionis patriae flagraret deſiderio, ſectarum Iudaicarum explorandarum cupido eum inceſſit; cumque illo tempore Banuni eremita auſtero viuendi genere magnam ſapientiae ſublimioris famam eſſet indeptus, ei ſe addixit, et per triennium ſeueram illam viuendi rationem imitatus eſt. Ex eremo Hieroſolymam redux vitam ciuilem et ſimul phariſaeorum haereſin amplexus eſt, quam cum rationibus ſuis maxime conſpirare credebat, quaeque ob doctrinam ei maxime placebat, ſcilicet quod vitae inſtituto ad Stoicos accedere iudicaret, et ſeueriorem diſciplinam ſectaretur, patriarum vero legum et rituum eſſet tenaciſſima [l]. Annos natus XXVI, Romam profectus per mimum quendam Iudaeum Neroni carum gratiam Poppeae conſecutus eſt, et amicis quibusdam conterraneis ſuis libertatem impetrauit. Reuerſus domum adeo ſeditione, tumultu, belloque repleta inuenit omnia, vt iniurias a procuratorum Romanorum licentia paſſos ciues, fruſtra a vindictae ſtudio dehortaretur, eisque, pacem vt cum Romanis colerent, niſi maturare ſibi exitium vellent, ſine laeto ſuaderet euentu. Miſſus poſtea XXX anno aetatis in Galilaeam, vt in tantis, quae terram illam occupauerant, rerum turbis et tumultibus ſaluti publicae, quantum poſſet, proſpiceret, et aemulorum inuidiam vicit, et poteſtate ea moderate ac prudenter vſus eſt, eaque prudentia ex inſidiis et periculis euaſit plurimis. Tandem in bello Veſpaſiani, cum Iotapatam tueretur, occupata arce, quamuis per aliquot dies delituiſſet, protractus viuus in victoris manus traditus eſt. Quo loco poſitus cum magno ciuilis prudentiae praeſagio [m] Veſpaſiano filioque Tito imperium praedixiſſet, in vinculis vsque ad euentum vaticinii detentus, cumque illud exitus comprobaſſet, a Veſpaſiano ſolutus catenisque ſecuri confractis [n] libertati reſtitutus eſt. Ita ſibi Muſisque ſuis redditus in Aegyptum ſeceſſit, et Alexandriae vixit, quo loco Graecam et Aegyptiacam eum philoſophiam, qualis inter contribules ſuos vigebat, didiciſſe, dubium non eſt. Ex Alexandria ad Titum profectus in obſidione Hieroſolymarum ei adfuit, et quae ibi gerebantur, diligenter annotauit, Graeceque poſtea in annales retulit,

k) Flauii praenomen a Fl. Veſpaſiano manumiſſionis beneficio accepit, qui cum ciuitate quoque Romana donauit.

l) l. c. p. 1023.

m) Vid. Gottfr. Olearii diſſ. de vaticinio Ioſephi, Lipſ. 1699.

n) Velut iniuſte detentus vinctusque fuiſſet.

tulit, cum eam linguam, quam nondum accurate tenuerat, didiciſſet. Quam elegantius doctus ad condendam gentis ſuae hiſtoriam animum appulit, et ſcripta ſua Romae confecit, conſtanti imperatorum Veſpaſiani, Titi et Domitiani fauore vſus, nequicquam obluctantibus eiusque fortunam euertere ſatagentibus obtrectatoribus. Vixiſſe vltra tertium decimum Domitiani annum ex eo patet, quod poſt antiquitates Iudaicas eo anno finitas adhuc contra Apionem ſcripſit, quo anno tamen obierit, incertum. De librorum eius hiſtoricorum argumento, ſcopo, fide, et quae alia ſunt, quae huc pertinent, differendi locus hic non eſt; adeundique viri doctiſſimi, qui plenis manibus notitiam exhibent eorum, Io. Ger. Vossivs [o] et Io. Alb. Fabricivs [p]. Fuiſſe virum non Hebraice tantum, ſed et Graece doctiſſimum, et ſcripta eius loquuntur, et ipſe fatetur, narrans [q]: ſe praeter patriam diſciplinam, Graecae quoque eruditioni dediſſe operam, licet mos gentis ſuae ſit, peregrina contemnere. Cuius rei veſtigia in libris eius vbique fere deprehendas, in quibus praeter magnam gentis ſuae rerum notitiam, lectionem Graecorum ſcriptorum prodidit magnam atque elegantem, et Graecanicae quoque philoſophiae notitiam haud proletariam oſtendit. Quod licet laudandum ſit in viro eleganter docto, et praeter eruditionis copiam a iudicii acumine et veritatis ſtudio ſuo modo commendando, fecit tamen innatum Iudaicae genti praeiudicium et ex ambitione enata perſuaſio, omnem eruditionem et ſapientiam a Iudaeis ad omnis terrae nationes defluxiſſe, eosque ſapientiae praeſtantia omnes ſuperare populos, (cuius ineptae opinionis veſtigia paſſim in *apologia contra Apionem* reliquit) vt magnis erroribus ſcripta ſua inquinaret. Hoc enim praeiudicio impeditus vir eruditus, cum Graecam eruditionem per totum Romanum imperium obtinere, et pro ſapientiae pulcherrimae fonte haberi cerneret, in id incubuit, vt quaecunque poſſet, quae apud Graecos commendabantur, ad Hebraeos referret, et non patria tantum inſtituta, mores atque diſciplinam cum Graecis componeret, ſed origines quoque veteris eruditionis Graecae gentis ſuae maioribus magna fiducia tribueret, qua ratione philoſophicae hiſtoriae fontes vehementer turbauit, et veteres quoque Chriſtianos doctores ſeduxit, vt et ipſi ſapientiae et eruditionis veteris origines inter Graecos, ipſamque eorum philoſophiam ad Hebraeorum ſapientes referrent. Quod praeiudicium cum ſaepius iugulauerimus, et in ſequentibus quoque confodiemus, plura ea de re addere opus non eſt. Hoc autem monere huius loci eſt, peperiſſe hoc Ioſephi ſtudium, Graecam philoſophiam cum diſciplina Iudaica comparandi, eam opinionem, quae nobis ſectas Graecanicas inter Iudaeorum haereſes propinat, quam falſam eſſe, infra demonſtrabimus.

§. XVIII.

o) De hiſt. Graec. L. II. c. 8. p. 193.
p) Bibl. Graec. Vol. III. p. 293.
q) Antiqq. Iud. L. XX. c. 9. p. 702.

ized by Google

§. XVIII. Ex narratis hactenus progressus philosophiae arcanae inter Iudaeos tum in Aegypto, tum in Palaestina satis patet, et de originibus quoque eius illud constat, ante Ptolemaeorum primorum tempora eas non esse ponendas. Qua in re magnum quidem a Iudaeis opinionis dissortium faciendum est, sed non immerito. Illi enim Cabbalisticae huius philosophiae ortum ad ipsum gentis parentem Abrahamum referunt, librosque Cabbalisticos vetustissimos, Iezirah, Sohar et Bahir, ad tam venerabiles origines referre, qua sunt impudentia, non erubescunt. Et librum quidem Iezirah Abrahamo parenti eos tribuere, ex libro Cosri, aliisque magistrorum Iudaeorum scriptis patet [r]: cuius tamen arrogantis et ineptae opinionis puduit alios ex hac ipsa gente paulo cordatiores et melioris frontis, vt vel plane Abrahami esse foetum negarent, aut duos sibi libros Iezirah fingerent, quorum vnum ad Abrahamum, alterum ad R. Akibham, quem hodie legimus, referrent. Quod tamen aeque falsum est, nec vlla ratione potest demonstrari. Quamuis autem tantae aetatis hunc librum non esse, vel coecus palpet, vt ad Abrahamum referri queat, non tamen eorum probanda est sententia, qui ad medium aeuum reiiciunt: ante Talmudis enim compilationem eum iam inter Iudaeos lectum esse, ipsius libri Sanhedrin [s] testimonio confirmatur, vbi dicitur: R. Chaninam et R. Hoschaiam pridie sabbathi solitos fuisse in libro Iezirah legere. Quod si R. GEDALIAE [t] testimonio standum, cuius fidem plerique sequuntur, auctorem is habuit R. Akibham, quem sub Tito Vespasiano vsque ad Hadrianum vixisse, et tandem A. C. CXX misere periisse constat, et infra quoque probabitur. Nos nihil quidem in tanto veterum silentio definimus, illud tamen certum esse putamus, librum hunc valde antiquum esse, et mature ante Talmudis compilationes confectum, eam nobis philosophiam methodo allegorica et mystica referre, quae in Aegypto ex Pythagorico-Platonicorum scholis enata inter Iudaeos inualuit, et post templi euersionem velut singulare gentis mysterium arcana seruata est. Argumentum enim Pythagoricum esse, recte iudicauit PETRVS LAMBECIVS [u], literis enim et numeris philosophatur, quamuis dogmata in eo comprehensa non puram Pythagorae doctrinam referant, sed talem, quae a philosophia orientali admixta adulterata fuit. De libri Sohar aetate aeque incerta est opinio. Et valde quidem antiquum esse, non inepte inde colligitur, quod in eo nulla Talmudis fit mentio; ipsi tamen Iudaei paulo verecundiores non audent supra Simeonis Ben Iochai, qui discipulus fuit Akibhae, tempora attollere, qua de re Iudaeorum historici legendi sunt, qui discipulos Simeonis illum continuasse et auxisse ex praelectionibus praeceptoris dicunt, immo insignem postea temporis interpolationem passum esse librum istum fatentur. Quae sententia magnis quoque viris inter Christianos, et Iudaicarum

Philosophiae arcanae progressus inter Iudaeos.

r) c. 24. p. 301.
s) c. VII. §. 9.
t) Schalscheleth Hakkabbala p. 38.
u) Prodrom. hist. lit. p. 85.

Digitized by Google

rum rerum peritiſſimis placuit: cum e contrario Io. MORINVS, LVD. CAPPELLVS aliique, qui horum partes ſequuntur, et IACOBVS quoque BASNAGIVS [x] librum ſuppoſitum et poſt ſeculum demum a N. C. X. effictum contendant, qua de re infra Simeonis Iochaidis hiſtoriam enarraturi pluribus ex inſtituto dicemus, et quid nobis videatur vero ſimile, explicabimus. Magis vero ſuſpectam eſſe libri Bahir aetatem, cuius auctorem R. Nechoniam Ben Kana faciunt, qui Hillelis et Schammai atque Ionathanis Ben Vſiel tempore Herode regnante vixit, infra quoque diſputabimus. Hoc vero loco id vnum monemus, quamuis libros hos in philoſophia Cabbaliſtica ſummae dignitatis et auctoritatis eandem, quae iis tribuitur, aetatem non ferre concedendum ſit, dubium tamen non eſſe, prima eorum rudimenta et quaſi ſtamina a temporibus, quae excidium Hieroſolymitanum anteceſſerunt, eſſe deriuanda, ex quibus diſcipuli et ſucceſſores deinde, additis multis more Iudaico, eiusmodi libros procuderunt: id quod infra ſuo loco latius probabitur.

Origines ſectarum Iudaicarum.

§. XIX. Sed vt ad domeſticam philoſophiam, quae in Iudaea viguit, reuertamur, ea potiſſimum in ſectis illis quaerenda eſt, quae circa nati Saluatoris tempora Iudaeos in partes pertraxerunt: quarum hiſtoria licet ab illis quoque tradatur, qui ciuitatis Chriſtianae condunt hiſtoriam [y], huc tamen proprie pertinet, eo quod domeſticam nobis doctrinam exhibeat, quam philoſophiae loco habendam eſſe, ipſi Iudaei voluerunt, qui Graecanicis ſtudiis fuerunt addicti. Origines autem harum ſectarum impeditae ſunt et obſcurae, et coniecturis magis virorum eruditorum definitae, quam certo fundamento demonſtratae. Recitabimus nos magnorum virorum coniecturas, et quod nobis videatur veriſimile, modeſte indicabimus, lectoris arbitrio iudicium de tota re relinquentes. Ita vero rem ornauit, multaque eruditione expoſuit IOSEPHVS SCALIGER [z], poſt Io. DRVSIVM [a] primus de vera origine ſectarum Iudaicarum ſollicitus, velitationibusque NICOLAI SERARII [b] prouocatus, quem doctiſſimi poſtea viri [c] certatim ſecuti ſunt. Reſtituto diuino iuſſu vatum Iudaico-

x) Nominabimus infra loca virorum doctorum huc pertinentia.

y) Scriptores de ſectis Iudaeorum enumerauit WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 815. quibus magno numero addi poſſunt ſcriptores antiquitatum Iudaicarum, SIGONIVS, GOODWINVS, RELANDVS, LVNDIVS, ſcriptores Hiſt. eccleſ. NATALIS ALEXANDER, GVIL. CAVE, I. FR. BVDDEVS, Io. LAVR. MOSHEMIVS aliique; Scriptores hiſtoriae et theologiae Iudaicae, BASNAGIVS, REIMMANNVS, CARPZOVIVS, ſcriptores Hiſtoriae philoſophicae, HORNIVS, BVDDEVS, GVNDLINGIVS, et commentatores in hiſtoriam euangelicam GROTIVS, LIGHTFOOTVS et innumeri alii. Maxime vero conſulenda eſt Io. DRVSII, Nic. SERARII, Ios. SCALIGERI de his ſectis diligentia, quorum meletemata coniunctim edidit, et adiecta diſſ. de ſecta Karaeorum vulgauit IAC. TRIGLANDIVS in Syntagmate trium ſcriptorum illuſtrium de tribus Iudaeorum ſectis, Delph. 1704. II. Vol. 4. DRVSII de Hoſidaeis tractatio, Franeq. 1603. 8. et de tribus ſectis Iudaeorum, ib. 1605. 8. SCALIGERI elenchus trihaereſii SERARII, ib. prima vice prodiit, qua editione nos vtimur.

z) l. c. c. 22. p. 162.

a) loc. cit.

b) In trihaereſio contra Druſium.

c) Vid. GOODWIN. Moſes et Aaron L. I. c. 9. p. 167. HOTTINGER. ad h. l. LVD. CAPPELLVS defenſ. crit. I. S. GOTTFR. SCHVPARTVS de ſecta Karaeorum c. I. §. 13. p. 52. BVDDEVS H. E. V. T. T. II. p. 1199. BVXTORF. ad Coſri P. III. p. 192. HOTTINGER. theſaur. philolog. L. I. c. 4. p. 15. aliique.

Digitized by Google

daicorum Zachariae, Haggaei et Malachiae concitatione principumque populi Esdrae, Nehemiae, Iosuae, et Sealthielis cura templo cultuque diuino, qui per LXX annos, quibus Babylonica captiuitas durauit, siluerat, perpurgatoque a gentium contaminatione populo magna in custodienda et seruanda lege restituta erat Iudaeorum contentio et studium, quod ita inualuit, vt non tantum, quae legis litera praecipiebat, ad cultum diuinum rite praestandum, accurate multi obseruarent, sed et praeter ea quae ex lege facere tenebantur, sua etiam sponte opera praestarent pietatis et caritatis, a lege non praescripta. Cui pietati strictioris obseruantiae, si ita loqui fas est, vt certiori connecterentur vinculo, iniere quidam pii viri legis et sanctitatis studio incitati συναγωγὴν quandam, siue confraternitatem, quae peculiari instituto religioneque connexa in id coniurauit, vt non legis tantum accuratam colerent obseruantiam, sed opera alia ἐκσιαζόμενοι τῷ νόμῳ sua sponte vltroque praeter debitum praestarent, quibus et cultus diuinus, et amor proximi, et misericordia diligentius excoleretur, quaeque ἐπίμετρον quasi et auctarium legis essent. Eiusmodi vero opera supererogationis, vt vulgo loquuntur, erant, sarta curare tecta templi maiori ex parte, et in eius conseruationem atque ornatum voluntarios sumtus facere, spontaneum quoque vectigal pendere, tam ad ipsum sanctuarium, quam ad eius muros et porticus, stipem quoque largiorem in eiusmodi opera pietatis erogare: porro frequentissime templo adesse, et nunquam temere per aliud, quam per templum, iurare, item construere et ornare sepulchra prophetarum, singulis diebus, praeter octauum vel vndecimum diem mensis Tisri agnum in sacrificium offerre. Ita cum piis operibus toti sese dedissent, חסידים *Hasidaei*, sancti vel pii (nostri barbaro vocabulo *Pietistas* vocant [d]) appellati sunt, quo tamen nomine non secta quaedam, sed σύστημα τῶν ὁσίων, corpus quoddam deuotorumque collegium intelligendum est. Quod, cum premi legi diuinae addictos et tantum non opprimi ab Antiocho Epiphane videret, excitatis diuino zelo Matthatiae reliquisque ex Maccabaeorum, qui Asmonaei profanis scriptoribus dicuntur, genere, viris fortissimis, qui ad vindicandam a tyrannide et persecutione gentem se accinxerant, se iunxit, et pro aris focisque strenue dimicauit, postea tamen Alcimo et Bacchidi se tradidit. Etsi vero spontanei instituti rationem diu seruabant, factum tamen est postea, cum iste ἐκσιασμὸς in praecepta cogi et scripto mandari coepisset, et quae initio vltro praestanda oblata erant, ex praescripto seruanda necessario constituta essent, vt de operibus his supererogationis, praeceptisque huc facientibus in canones scriptos redactis multa tunc orirentur dubia, disputationes, velitationes, altercationesque quotidie succrescerent, magnoque numero eiusmodi con-

d) Ita LVTHERVS vertit II Maccab. XIV. 6. die Frommen, probante id SCALIGERO l. c. p. 173. conf. REIMMAN. Hist. theol. Iud. L. I. c. 11. pag. 173.

conſtitutiones augerentur. Ex his cauſſis diuiſus in duas partes populus duas ſectas progenuit, quarum vna ſtricto legis mandato verbisque inhaerebat, quae poſtea Karaitica ſecta dicta eſt, altera praeceptis iſtis πατροπαραδότοις operibusque ſanctitatis et pietatis melioris et ſupererogatoriae ſtudebat, qui Haſidaei vocati ſunt, et ſe meliores atque ſanctiores ceteris demonſtrare ſatagebant. Ex his vero, cum ſe a communi viuendi more et ratione ſeparauiſſent, Phariſaei, et qui longius et auſteriori inſtituto recedebant a communi iſta viuendi regula, Eſſeni enati ſunt: literam vero legis ſequentes in duas partes ſciſſi ſunt, cum Sadoki diſcipulus Baithoſus ſiue Boethus primus de poena peccatorum et remuneratione benefactorum poſt hanc vitam dubitaſſet. Hi enim Sadducaeorum ſectam condiderunt, illi νομίμων, ſiue legisperitorum nomine, quod Karaeorum poſtea appellationem peperit, inſigniti ſunt. Haec vir ſummus, magna, vt ſolebat, eruditione ornauit, et, ſi eum audimus, non incertas nobis ſectarum Iudaicarum detexit origines, quas Serarius miſere turbauerat. Quas vt teſtimoniis firmaret veterum, ad loca quaedam ESDRAE [e] et NEHEMIAE [f] prouocat, quibus pependiſſe vectigal quosdam plos viros ad templi curam conſtat, tum ad IOSEPHI [g] teſtimonium, quo ſcriptor Iudaeus narrat, Alcimum pontificem murum euertere voluiſſe ſanctorum, qui vetus et ab ipſis ſanctis prophetis aedificatus eſſet, plaga vero diuinitus immiſſa mortuum conciduſſe. Maximum vero ſententiae ſuae praeſidium in Maccabaeorum quaerit hiſtoria, in cuius libro primo [h] narratur, inſurgente in Antiochi ſaeuitiam Matthatia congregaſſe ſe ad eum et ſequaces, *συναγωγὴν Ἀσιδαίων ἰσχυρὸς δυνάμει ἀπὸ Ἰσραὴλ, πᾶν ἑκουσιαζόμενον τῷ νόμῳ, Aſidaeorum collegium, viros fortes et valentes in Iſraël, et quicunque ſpontaneo cultu legi eſſent addicti.* Quod Haſidaeorum nomen et alibi in hac Maccabaeorum occurrit hiſtoria [i]. Nec loca quoque deſunt viro ſummo in euangeliſtarum ſcriptis [k], quibus alludi ad hanc ſpontaneam et ſuperabundantem Haſidaeorum legis obſeruantiam et pietatem coniicit. Licet vero haec docte admodum et ſubtiliter, et, vt ſolebat, magna rei fiducia fretus diſputauerit Scaliger, et negari etiam nequeat, eleganter nec ſine veriſimilitudine ita rem omnem exponi magnisque liberari difficultatibus ſectarum Iudaicarum hiſtoriam, rationes tamen magni viri infirmae viſae ſunt viris aliis doctiſſimis [l], idque probare non valentes, quod tamen demonſtrare Scaliger inſtituit. Inter hos maxime eruditiſſimus BASNAGIVS [m] obiicit, corrupiſſe Scaligerum Ioſephi teſtimonium; illum enim murum hunc non a ſanctulis illis Iudaeorum, ſed a ſanctis prophetis excitatum dicere, et coacte valde trahi caedem ſexaginta

e) c. V. 2.
f) c. X. 32.
g) Antiq. L. XII. c. 17. p. 414.
h) c. VII. 13.
i) II Maccab. XIV. 6.
k) MATTH. XXIII. 16. 29. LVC. XVII. 10. Rom. V. 6. 7.
l) Vid. LEYDEKKER. de republ. Hebr. T. II. L. VIII. c. 5. p. 610.
m) Hiſt. Iud. L. IV. c. 20. p. 523.

by Google

ta ſacerdotum piorum ab Alcimo perpetratam ad eiusmodi confraternitatem. Ignorare eam Iudaeorum hiſtoriam omnem, maleque huc adduci Maccabaeorum hiſtoriam, quae non de eiusmodi ſocietate eccleſiaſtica, ſed de factione quadam politica, initio quidem Matthatiae partes ſequente, ſed poſtea imprudenter ſe Alcimi Bacchidisque partibus addicente intelligi debeat; nec veriſimile eſſe, tacituros fuiſſe ſcriptores rerum Iudaicarum eiusmodi ſocietatem, ſi tam diu inter Iudaeos floruiſſet: loca vero foederis noui coacte valde et praeter rem, vt cuiuis apertum, huc trahi. Fatemur nos, multum ingenii et eruditionis habere coniecturam Scaligeri, aſt ficulneis inniti rationibus, nec, vt debet, probari collegii huius pii exiſtentiam. Loca enim in Maccabaeorum hiſtoria, quibus tota hypotheſis innititur, factionem nobis deſcribere bellicam, coecus ſit, qui non ex prima inſpectione intelligit. Certiora itaque ab incertis, et veriſimilia, ab iis, quae ſe nulla probabilitate commendant, ſeparanda ſunt. Hoc vnum enim certum eſſe putamus, mature poſt vatum diuinorum exceſſum ex hac vita, cum prophetiae donum inter Iudaeos deſiiſſet, extitiſſe homines, qui legis litera non contenti, varias ſibi patrum traditiones finxerint, quibus lex ad opera varia, cultum maxime externum Dei, et vitam a vulgi moribus ſeparatam ſpectantia noua interpretatione tracta, nouum quoque doctrinae genus pro orali quadam lege venditum pepererit: alios vero innouationibus his reiectis ſoli legi et *αὐτογράφοις* inſtitiſſe. Quibus cum peculiaria quaedam dogmata accederent, tandem notiſſimae illae Sadducaeorum, Karaitarum, Phariſaeorum et Eſſenorum ſectae exortae ſunt, quorum hiſtoria et placita iam porro nobis enarranda ſunt. Minores enim Iudaeorum ſectae ad noſtrum inſtitutum non pertinent [n].

§. XX. Sectae Sadducaeorum primae origines incertae nec ſatis exploratae ſunt [o]. Io. LIGHTFOOTVS [p] ad Eſdrae tempora eas reiicit, quibus fuiſſe homines, qui reſurrectionem et iudicium oecumenicum negarent, ex MALACHIA [q] notum eſt. Ad hos, Sadducaeiſmum ante natum Antigonum Sochaeum, Zadocki magiſtrum, profeſſos, refert Iudaeorum traditionem [r]: *ad coronidem omnium orationum olim Iudaeos in templo dixiſſe* צד צולם *in ſeculum: cum vero irrumperent haeretici, dicerentque, non eſſe ſeculum niſi vnum, inſtitutum eſſe, vt diceretur,* מצולם צד־הצולם *a ſeculo in ſeculum*, id eſt, vt gloſſa interpretatur: *ad innuendum, duplicem eſſe mundum, ad extirpandam e corde opinionem negantium reſurrectionem mortuorum.* Quo teſtimonio adductus, ad prophetarum tem- *Secta Sadducaeorum.*

n) Tales fuere Herodiani, legis periti, ſcribae, in antiqq. Iudaicis enarrandi. EPIPHANIVS T. I. p. 51. ſeptem nobis ſectas exſculpit, quem ſequitur Hegeſippus apud EVSEBIVM H. E. L. IV. c. 22. conf. VALESIVS ad h. l. Ven. DEYLING. Obſ. SS. L. III. p. 453. conf. RELAND. Antiqq. S. L. II. c. 9. §. 17. p. 858. ſeqq.

o) Scriptores de Sadducaeis exhibet WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 817. Egit de iis quoque P. BAYLE Dict. crit. T. IV. p. 114. licet ceteras ſectas omiſerit.

p) Hor. Hebr. ad Matth. III. 7. opp. T. II. p. 873.

q) c. III. 14. 15.

r) Tr. Berachoth f. 54.

itized by Google

pora huius haereſeos initia referenda putat, exortamque eam coniicit ex male intellectis verbis EZECHIELIS ' Vatis; „quae ſecundum „literam intelligentes quidam et ſimul nullam reſurrectionem videntes, „nullam exinde futuram ſomniauerint: creuiſſe vero hoc dogma atque „in ſectam ſuperbiiſſe, cum tandem ex cathedra per Antigonum Syn„edrii praeſidem de eo ita determinatum fuiſſe, fucato praetextu pa„riter et audaci aſſererent diſcipuli eius Zadock et Baithus.„ Vidit tamen vir doctiſſimus, infirmo hanc coniecturam niti fundamento, vnde eam deſeruit, et ortam fuiſſe eam ſectam non niſi pluribus annis poſt Zadocki obitum ſtatuit '. Manifeſtum vero eſt, ex ſola reſurrectionis negatione ad origines ſectae huius non poſſe concludi, cum non tantum impietas haec fere vniuerſalis omniumque locorum eſſe queat, ſed in eo quoque clariſſime a Sadducaeorum doctrina diſcrepet, quod hi praemia tamen et poenas in hac vita admittebant, quas impios illos negaſſe ex Malachia apertum eſt. Iudaeorum vero commenta, quae eiusmodi atheos (inter quos et Ariſtotelem, a Simeone Iuſto tamen circa illa tempora conuerſum et proſelytum iuſtitiae factum * numerant:) iam tum haereſin formaſſe dicunt, fide deſtituuntur. Nos tutius eſſe putamus, occaſiones ſectae ab ipſa origine diſtinguere, et dogmata acceſſoria a primariis ſeparare. Quibus obſeruatis, omnino veriſimile eſt, fuiſſe ab Eſdrae temporibus, vt ſupra dictum, inter Iudaeos homines, qui cum noua legis auctaria per traditiones doctorum enata improbarent, ſolam ſibi legis literam ſeruandam conſtituerent, hacque opinione ducti, licentius forte, quam par erat, de futura quoque ſpe diſputarent; nec inanis prorſus ſuſpicio eſt, impura Alexandrinorum Iudaeorum dogmata, quae ſenſim in Palaeſtinam quoque irrepebant, occaſionem quandam diſputandi de eiusmodi quaeſtionibus exhibuiſſe ᵛ: quibus cum accederent nouae de magiſtri effato ſententiae Sadocki e Baithoſi, tandem ſecta Sadducaeorum enata eſt. Rem ita Hebraeorum doctores enarrant ˣ: vixit A. M. cccIↃↃↃccccLX, tribus ante natum Chriſtum ſeculis ʸ Antigonus Sochaeus, Soco, oppido in Iudaeae limitibus ſito, oriundus ᶻ, homo doctus et legis peritus ᵃ. Is cum inanes plerorumque perſuaſiones de merito operum ſupererogatorio, et cultu Deo ex ingenio praeſtito indigna-

s) c. XXXVII.

t) Hor. Hebr. ad Act. XXIII. 8. opp. T. II. p. 737.

u) Schalſcheleth Hakkabbala p. 83. conf. WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 865.

v) Conf. IVDAEVS Hiſt. eccleſ. V. T. T. II. p. 1206.

x) Loca eorum indicauere LIGHTFOOT. l. c. et WOLFIVS l. c. p. 814. ſeqq. DRVSIVS de ſectis L. III. c. 3. p. m. 125. CARPZOV. introd. in theol. Iudaic. c III. §. 14.

y) Conf. WOLF. l. c. p. 813. vixit cum Antigono R. Eliezer.

z) Conf. RELAND. Palaeſt. L. III. p. 1018.

a) Fuiſſe hunc Antigonum Simeonis Iuſti ſucceſſorem Iudaei tradunt: id vero vel de ſucceſſione ſacerdotii vel praeſidii in Synedrio vel traditionis oralis intelligi poteſt. Plerique de ſecundi generis ſucceſſione intelligunt, vid. BAYLE l. c. not. A. p. 112. Ex Capitulis patrum vero c. I. n. 3. patet, de tertii generis ſucceſſione, doctrinali nempe intelligendum eſſe. In pontificatu enim Simeoni ſucceſſit Onias; Synedrium autem tunc nondum conſtitutum erat. Conf. BASNAGE Hiſt. Iud. L. II. c. 14. p. 323. c. 16. §. 6. p. 377.

Digitized by Google

dignaretur, et temporalibus promiſſionibus pietatem fere omnem inaedificari cerneret, veramque ita Deoque placituram ſanctitatem eneruari doleret, reſiſtendum ratus errori damnabili, diſcipulos docuit: *Ne ſitis ſicut ſerui, qui ſeruiunt magiſtro ea conditione, vt recipiant mercedem: ſed eſtote tanquam ſerui, qui ſeruiunt magiſtro non ea conditione, vt recipiant mercedem, ſitque timor Dei ſuper vos.* Laudandam eſſe egregiam ſententiam, quae timorem Dei non mercenarium et ſeruilem, ſed filialem, Deoque dignum poſtulat, nemo non videt, qui puriora moralis doctrinae fundamenta intelligit: idque eo magis, quo magis promiſſiones V. T. typo felicitatis temporalis ſpiritualem et myſticam tegumento quaſi velantes, Iudaeorum eo tempore animos induxerant, vt ad mercedem temporalem quaſi debitam opera ſua componerent. Aſt quod laudabili ſenſu praecepit Antigonus, eo ipſo quod ad temporalia tantum praemia reſpicere ſolerent Iudaei, a diſcipulis Antigoni eo tractum eſt, vt ſpes omnis futurae vitae praemiorumque aeternorum euerteretur, ſicque quod reuelatione et ratione duce magiſter praeceperat, ad eiuranda vera reuelationis et rationis principia adhiberetur. Zadockus enim et Baithoſus, qui ab ore Antigoni pependerant, falſa prorſus interpretatione dicti illius decepti, nec mercedem ſperandam eſſe poſt hanc vitam docebant, nec poſſe eſſe reſurrectionem mortuorum inde inferebant, rationes ita ſubducentes [b]: *Quid viderunt patres noſtri vt dicerent: poſſibile eſt, vt operarius praeſtet opus ſuum per totum diem, et non recipiat mercedem veſperi. Verum ſi noſſent patres noſtri, quod eſt alius mundus et remuneratio iuſtorum in eo et reſurrectio mortuorum, non ſic dixiſſent.* Quod cum diſcipulis illi ſuis traderent, ſicque ſchola haec a recepta Iudaicae eccleſiae doctrina receſſum faceret, exorta inde eſt Sadducaeorum et Baithoſaeorum ſecta [c]. Et haec quidem Iudaeorum magiſtri conſtanter tradunt, quibus tamen diffidunt nonnulli, et, inuidia tantum dictante, hanc Sadducaeiſmi originem ab illis referri, ſtatuunt [d]: nos vero nihil in hac narratione videmus, quod veriſimilitudine careat, et non ita eueniſſe cenſendum ſit, praecipue cum non de huius vel illius dogmatis Sadducaeorum fonte, ſed de ipſis ſectae originibus quaeſtio ſit. Variant tamen in quibusdam circumſtantiis magiſtri recutiti, vt ex illis eorum locis videre eſt, quae collegit LIGHTFOOTVS [e]; quo pertinet, quod quidam praetendunt [f], fuiſſe inter Baithoſaeorum et Sadducaeorum ſectam aliquam differentiam, hosque illis fuiſſe peiores, eo quod reſurrectionem Baithoſi ſectatores non negauerint [g]. Alii eandem vtriusque nominis rationem ſectariam fuiſſe contendunt, ſed Zadocki magis, quam Baithoſi nomen ſectatores recepiſſe, eo quod hic ſpurius eſſet.

b) Pirke abhoth. l. c.
c) R. NATHAN. ad l. c. abh. c. 5. apud LIGHTFOOTVM l. c. p. 737.
d) Conf. BVDDEVS l. c. p. 1205.
e) Il. cc.
f) Conf. Scriptores de hac ſecta laudati NIC. FVLLER. Miſc. SS. L. II. c. 3. BVDDEVS l. c. p. 1208. BAYLE l. c. not. B. BASNAGE l. c. L. II. c. 15. §. 4. p. 350. ſeq.
g) R. GEDALIA Schalſcheleth p. 48. b.

Fuit etiam inter Iudaeos non nemo [h], qui Baithoſum vnquam extitiſſe negaret, et vocem ביתוסים conflatam ex duabus vocibus בית אוסיי putaret, quibus indicaretur Eſſenorum familia. Quod vt veriſimilitudine caret, cum plerique Iudaeorum Baithoſum Zadocki condiſcipulum fuiſſe teſtentur, licet has partes ſibi ſequendas duxerit NIC. FVLLERVS [i], remque in medio relinquat clariſſimus RELANDVS [k]; ita cum Iudaeorum teſtimonio de Baithoſaeorum a Sadducaeis diſcrimine ita comparatum eſt, vt impoſſibile ſit certi quid ſtatuere; ab omni tamen veriſimilitudine non abhorret ea ſententia, quae initio promiſcuum fuiſſe vtriusque nominis ad ſectam deſignandam vſum, poſtea tamen Sadducaeorum nomen frequentius vſurpatum, alterum in obliuionem induxiſſe ſtatuit. Quae coniectura ex eo confirmatur, quod de Baithoſaeis nec ſacra euangeliſtarum hiſtoria, nec Ioſephus aliquid habet, cuius cauſſa haud alia fuiſſe videtur, quam quod Sadducaeorum quoque nomine comprehenderentur. Quo vero tempore ſectam peculiarem conſtituere et in diuerſam a reliquis familiam coire coeperint Sadocki diſcipuli, definiri accurate non poteſt. Confundere enim illos ſcripturarios cum Sadducaeis, longius quam iſti, progreſſis, qui mox poſt reditum ex captiuitate hanc ſectam exortam ſtatuunt, ex ſupra dictis liquet. Nec audiendi ſunt, qui duce EPIPHANIO [l], et conſentientibus Iudaeis quibusdam, inuidia Sadducaeos cumulantibus, ſtatuunt, Sadockum defeciſſe ad templum montis Garizim, a Manaſſe inter Samaritanos conſtructum, et Alexandro M. regnante haereſin intuliſſe Sadducaeorum. Nouimus enim ex ſacra Euangeliſtarum hiſtoria, Sadducaeos templo Hieroſolymitano non minus addictos fuiſſe, quam Phariſaeos; nec ex alio haec fabula fonte orta eſt, quam ex odio Rabbanitarum, qui cum Phariſaeis eſſent addictiſſimi, et traditionem a Sadducaeis negari aegre ferrent, ad haereticas origines ſectae huius ortum retulerunt [m]. In re itaque incerta ſi certi quid ſtatuendum, aſſumendum tempus Zadocki et Baithoſi, quos, cum diſcipuli Antigoni fuerint, ille vero Simeonem Iuſtum praeceptorem habuerit, vixiſſe oportet, Onia principatu et ſacerdotio fungente, Ptolemaeo Euergete Aegypto, Seleuco Callinico Syriae imperante, quod tempus in annum A. C. N. CCXL incidit, quam aeram ſectae huius plerique ſequuntur [n]. Poſt hanc enim aetatem in Iudaea eam valde inualuiſſe conſtat. Quod vero de huius ſectae origine LVCAS BRVGENSIS [o] habet, quamuis momentum habere

h) R. ASARIA in Meor Enaiim p. 32.
i) loc. cit.
k) In not. ad OTTONIS Hiſt. DD. Miſchn. pag. 37.
l) T. I. p. 51.
m) BARTOLOCCIVS Bibl. Rabb. T. I. p. 320. MICRAELIVS Hiſt. eccl. L. I. ſ. 2. p. 265. CAROL. SIGONIVS de republ. Hebraeor. L. V. c. 11. p. m. 417.
n) Conf. FRID. SPANHEM. Dub. euang. P. III. p. 108.
o) Coniicit is ad Matth. III. 7. diſputaſſe collegium ſcribarum, ab Eſdra inſtitutum, de campis Elyſiis aliisque doctrinis, quae futurae vitae praemia et poenas concernunt, quas inter Babylonios Graecosque primum Iudaei audiuerint, cum ex V. T. de iis parum iis conſtiterit, quod ſeruatae eſſent reuelationi N. T. Eos itaque

habere videatur in philoſophica hiſtoria, omni tamen veterum teſtimonio deſtituitur, neque illi heic loci immorandum eſt. Quaecunque autem ſit originis huius ſectae ratio, illud ex annalibus Iudaeorum conſtat, mature eam inter Iudaeos floruiſſe, magnaque auctoritate gauiſam eſſe. Quamuis enim in fundamentalibus religionis Iudaicae capitibus diſceſſum a reliquis Sadducaei feciſſent, attamen non tolerati modo ſunt in ea gente, ſed et ad ſacra publica, immo ad ſacerdotia et ipſam pontificis ſummi dignitatem admiſſi ſunt *p*. Qui licet Phariſaeos ſaepius inimicos eſſent experti, qui reiici ab iis legem moralem indignabantur, factum tamen haud raro eſt, vt in vnam ſocietatem coaleſcerent, vbi communis cauſſa eſſet tuenda, cuius exempla complura annales Iudaici referunt, et notiſſima habet euangelica hiſtoria. Nec his obſtant graues, quibus Rabbanitae Sadducaeos onerant, calumniae, qui haereticorum inſtar eos traducunt: illae enim poſt excidium templi demum enatae ſunt ex graui Phariſaeorum odio, quod Sadducaeorum partes tantum non ſuppreſſit *q*. Ante templi excidium autem vrbisque deſolationem magna ſaepe auctoritate et potentia vſi ſunt. Maximas vero apud Hyrcanum Iudaeorum principem et pontificem vires haec ſecta ſumſit. Cum enim Phariſaei ei valde obluctarentur, eumque matris vitio indignum ſacerdotio iudicantes, vt deponeret pontificium axioma, cogere vellent, vehementer illis iratus nonnullos interfecit, alios ex vrbe eiecit, et in deſerta loca concedere adegit; Sadducaeorum vero partes eligens, omnibus, huius ſectae dogmata vt reciperent, ſi R. Abraham Ben Dior *r* fides eſt, praecepit, Phariſaeorum vero ſectam ne quis eligeret, mortis poena cauit. Poſt eius fata non conueniſſe filio Alexandro cum Phariſaeis, ex iis conſtat, quae ſupra de fatis Cabbaliſticae doctrinae in Palaeſtina ediſſeruimus, id quod regem impulit, vt et ipſe Sadducaeorum ſe ſectae addiceret *s*: moribundus tamen Alexandrae vxori perſuaſit, vt Phariſaeorum fauorem ſibi conciliaret, quod apud plebem eos plurimum valere intelligeret *ff*. Quod conſilium tanta calliditate exſecuta eſt femina ſagax et ad rerum circumſtantias attenta, vt et ſibi et defuncto marito populi amorem reconciliaret *t*; ita vero Phariſaeos extollens Sadducaeorum partes depreſſit, nequicquam obluctantes et haud vna acie contra traditiones inſurgentes *u*. Certe ab eo tempore haud ſemel Sadducaei ſuccubuerunt. Quod ſi verum

que qui peregrina philoſophia duce eiusmodi praemia et poenas admiſerint, Phariſaeos dictos fuiſſe; qui reiecerint, Sadducaeos. Quod quam ineptum et ab omni veriſimilitudine alienum ſit, quilibet videt, qui vel pauca quaedam prophetarum loca de futurae vitae conditione et diuino iudicio oecumenico conſiderat, vt alia taceamus.

p) In cauſſas eius rei inquirit Basnag. Hiſt. Iud. L. II. c. 15. §. 3. p. 348. Bayle l. c. not. F. p. 125. Hvmfr. Hody de reſurrect. corpor p. 89. 95.

q) Fuſe rem narrat Iosephvs antiq. Iud. L. XIII. c. 18. p. 453.

r) Apud Trigland. de ſecta Karaeorum c. 6. p. 49. conf. Basnage l. c. p. 351.

s) Iosephvs. l. c. c. 24.

ff) Ibid. Eleganter et erudite peculiari diſſ. huius reginae hiſtoriam illuſtrauit B. Zeltnervs.

t) Megillath Taanith c. 4. Basnage l. c. p. 356. ſeqq.

u) Vid. Reimmann. Hiſt. ath. c. II. §. 8. p. 40. Zeltnerv. diſſ. de Alexandra p. 32. et quos nominat Wolfivs l. c. p. 819.

rum eſt, quod Iudaeorum magiſtri narrant, exorta aliquando de traditionum neceſſitate graui publicaque diſputatione inter Phariſaeos et Sadducaeos, Traditionariorum pars victoria tanta potita eſt, vt XV die menſis Thammuz, qui Iulius nobis dicitur, ſolennem diem feſtum in eius memoriam conſtituerint: quamuis vel ſcripturarios cum Sadducaeis confuſos, vel totam narrationem valde ſuſpectam eſſe, non inuiti fateamur. Magna enim potentia Sadducaei tum in ſynedrio et inter diuites atque potentiores, tum inter ſacerdotes fruebantur, quod nonnullis occaſionem dedit ſuſpicandi, Herodianos in euangelica hiſtoria memoratos Sadducaeos eſſe, eo quod Herodis partibus addicti magna apud eum gratia valerent. Quod licet veriſimile non ſit, ſacra tamen et Iudaica hiſtoria teſte, et Caiaphas et Ananus [r] eius ſucceſſor, ſummi pontifices, Sadducaeorum ſectae addicti fuerunt. Poſt vrbis vero et templi euerſionem valde diminutae ſunt res Sadducaeorum, magna eos inuidia premente ſecta Phariſaeorum; qui cum cathedras ſoli fere occupaſſent, Sadducaeos veluti haereticos (מינים) [y] Epicureos et Samaritanos traduxerunt, id quod ſeduxit EPIPHANIVM [z] et TERTVLLIANVM [a], vt Sadducaeos et Doſitheanos inter ſe confunderent. Cuius odii tanta vis fuit, vt ad Chriſtianos transiret, et Sadducaei a Iuſtiniano imperatore tanquam athei vrbe et imperio Romano eiicerentur. Statuit enim grauiſſima ſententia [b]: *Si quidam apud eos atheos vanae nouae vocis eloquia inferre praeſumſerint, aut reſurrectionem et iudicium negare, aut facturam Dei et creaturam angelos ſubſiſtere: hos et expelli volumus loco omni, et non relinqui voci blaſphemiae, et ita a Dei ſimul lapſam notitia, praeſumentes enim, eos effari aliquid huiusmodi, vltimis ſubdantur ſuppliciis, illato errore, ex hoc Iudaeorum emendantes gentem.* Qua clade miſere afflictas fuiſſe res Sadducaeorum, facile intelligi poteſt. Erexit tamen aliquantiſper haec ſecta caput iterum circa ſeculum octauum medium, ſi fides R. DAVID GANZ [c], Anano res eorum iuuante. Certioribus tamen monumentis conſtat, Ananum hunc non Sadducaeorum, ſed Karaitarum partes fuiſſe ſecutum [d], quos cum in eundem haereticorum cenſum cum Sadducaeis Rabbanitae referre ſoleant, recte inde coniicitur, inuidiae Karaeis conflandae cauſſa Ananum hunc inter Sadducaeos fuiſſe ab illis numeratum. Recentiori vero aetate nunquam emergere ſectae huius fortuna potuit, quam Rabbanitae et voce et ſcriptis perſecuti ſunt. Sed et Saracenorum perſecutionem Sadducaei experti ſunt, teſte enim GEORGIO ELMACINO [e] Chalifa Muhamed Mahadis, qui Saracenis circa finem Sec. VIII prae-

x) Act. V. 17. IOSEPH. l. c. L. XX. c. 15. p. 698.

y) Conf. GOD. SCHVARTVS de ſecta Karaeor. c. I. §. 7. p. 9.

z) Haeref. XII.

a) De praeſcr. adu. haeret. c. 14. conf. BVDDEVS Hiſt. eccl. V. T. T. II. p. 1209.

b) Nouell. 146. obſcuram eſſe minusque accuratam hanc Graeci textus verſionem recte monet Ven. REIMMANNVS Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 8. §. 20. p. 601. qui aliam ex editione Iuntina 1541. Ven. affert luculentiorem.

c) In Zemach Dauid p. 125.

d) Probabitur id infra, conf. TRIGLAND. l. c. c. IV. p. 35. BASNAGE l. c. p. 365.

e) Hiſt. Saracen. c. IV. p. 107.

Digitized by Google

praefuit, ſtudioſe quaeſiuit Zindicos, id eſt Sadducaeos eosque occidit. Quam Muhammedanorum in Sadducaeos iram lege quoque praeceptam eſſe obſeruauit SCHICKARDVS [f]. Et haec quoque cauſſa videtur, cur pauci Sadducaeorum coetus hodie inueniantur.

Doctrina Sadducaeorum.

§. XXI. Doctrina Sadducaeorum Phariſaeorum dogmatibus oppoſita, haec, ſi veterum teſtimonia ſequimur, capita complexa eſt:

I. Reiiciendas eſſe leges et traditiones omnes, ſcripto non comprehenſas, adeoque δευτερώσεις, tanquam humani ingenii inuenta, non eſſe recipiendas, nec obſeruandas. Inculcaſſe Phariſaeos, ita a patribus edoctos praeter legem ſcriptam, oralem quoque, huiusque obſeruationem minoris neceſſitatis praetextu poſtulaſſe, quam illius, in ſequentibus demonſtrabimus. In hac vero lege orali reiicienda potiſſimam Sadducaeiſmi partem conſtitiſſe, Iudaeorum teſtimonia [g] ſatis inter ſe concordia nos dubitare non ſinunt. Praetermiſſis Rabbinorum calculis ſolum adducimus IOSEPHVM [h], qui has ſectas omnes explorauit, eoque tempore vixit, quo Sadducaeiſmus maxime florebat. Is vero de eorum in hac re mente ita: *Nunc enim indicandum eſt, quod multas conſtitutiones a maioribus per manus acceptas Phariſaei tradiderint populo, quae non ſunt ſcriptae inter leges Moſaicas: et ideo Sadducaei his auctoritatem abrogant, dicentes, oportere eas tantum ſeruari, quae ſcripto continentur; atque hinc magna inter vtrosque exorta eſt controuerſia, dum ditiores ſtant a partibus Sadducaeorum, Phariſaei multitudinis vtuntur fauoribus.* Et haec quidem, quantum ſcimus, a nemine negantur. Aſt in eo plerique diſſentiunt, vtrum Sadducaei praeter legem Moſis in pentateucho comprehenſam, reliqua quoque ſcripta a ſanctis viris profecta receperint, nec ne? Veteris enim eccleſiae doctores TERTVLLIANVM [i], ORIGENEM [k], HIERONYMVM [l] aliosque ſi ſequimur, ſolos illi libros Moſis receperunt reiectis ac neglectis reliquis ἀγιογράφοις. Quam opinionem, his auctor. ıtibus moti, ſecuti quoque ſunt viri quidam magnae in rebus Iudaicis eruditionis [m]. Re tamen paulo attentius conſiderata et abiecto PP. praeiudicio, primus dubitauit de aſſerti huius veritate Io. DRVSIVS [n], totum vero rationibus haud contemnendis reiecit SCALIGER [o], quem alii ſecuti ſunt [p]. Nec inficiamur, poſteriorem opinionem priori longe eſſe probabiliorem. Illud enim certum eſt, exortam fuiſſe Sadducaeorum

f) Taarich. Perſar. p. 134.
g) Collegit ea SCHVPARTVS de ſecta Karaeor.m c. I. §. 3. p. 16. 17.
h) Antiqq. Iud. L. XIII. c. 18. p. 453.
i) De praeſcript. L. I. c. 14.
k) Contra Celſ. L. I. p. m. 39.
l) In Matthaeum c. 22. conf. SERAR. trihaeref. L. II. c. 21. p. 89.
m) TH. GOODWIN. Moſ. et Aaron L. I. c. 11. §. 5. p. m. 213. C. SIGONIVS de rep. Ebr. L. V. c. 11. p. 420. et NICOLAI ad h. l. RICH. SIMON. Hiſt. crit. V. T. L. I c. 16. BARTOLOCCIVS Bibl. Rabb. T. I. p. 380.
n) De Sectis L. III. c. 9. p. m. 137.
o) Elench. trihaereſ. c. 16. p. m. 111.
p) BVDDEVS H. E. V. T. T. II. p. 1208. HOTTINGER, nepos ad Goodwin. l. c. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. II. c. 14. §. 6. p. 326.

Digitized by Google

rum sectam, confecto iam et obsignato librorum sacrorum canone, cui si restitissent, quodque ratum iudicauerat, et diuinum pronunciauerat ecclesia Iudaica, tanquam humanum et ὑποβολιμαῖον reiecissent, dubium non est, Iudaeos non toleraturos fuisse Sadducaeos, sed anathematis potius fulmine percussuros et ex templo atque synagoga tanquam haereticos reiecturos fuisse. Contrarium vero testatur historia Iudaica; qua testimonium dicente nouimus, et templo adfuisse, et sacris interfuisse, et sacerdotiis adhibitos fuisse Sadducaeos: in publicis vero conuentibus Iudaeorum sacris cum legerentur non Mosis tantum, sed et prophetarum virorumque Θεοπνεύστων scripta, intelligi non potest, qui illis interesse Sadducaei potuissent, si praeter legem diuina oracula reiecissent. Facile etiam credi potest, scripturarum sacrarum testimonia non reiecisse Sadducaeos, cum nec diuinus doctor Iesus, nec discipuli eius cum Sadducaeis congressi hanc eis impietatem obiecerint. Immo nec Pharisaeos, nec, qui ab eorum stant partibus, Rabbanitas Sadducaeis hoc obiecisse legimus, licet in scirpo saepe nodum ad contaminandam aduersariorum famam quaesiuerint. Immo contrarium facile euinci potest ex disputationibus Sadducaeorum contra Pharisaeos, in quibus hi non ad legem tantum, sed ad prophetas quoque et hagiographa prouocarunt, vt ex disputatione R. Gamalielis, de resurrectione mortuorum cum Sadducaeis habita [q], clare patet, qui ad scripta prophetarum aduersarios reuocare non potuissent, si ea reiecissent. Nec alia forte contrariae opinionis origo fuit, quam male intellecta Iosephi verba, in quibus cum dicatur, Sadducaeos constitutionibus a maioribus per manus acceptis reiectis, solas eas quae scripto comprehensae essent, seruandas praecepisse, collegerunt inde veteres DD. reiecisse eos V. T. scripta praeter legem omnia: quod tamen perperam dici, ex adducto loco est manifestissimum, in quo scripta lex Mosis non hagiographis vel prophetis, sed traditioni orali et δευτερώσει Pharisaeorum opponitur: sic vt contraria potius opinio firmamentum ex hoc Iosephi testimonio accipiat, vt recte SCALIGERO [r] obseruatum. Nec dissimile vero est, ad Sadducaeos relatum esse, quod Samaritanis et Dositheanis tribuitur, cum inuidiae causa Sadducaei Cuthaei et Dositheani appellarentur, qui ratiocinandi modus argumento ab inuidia ducto vt semper inualuit, ita praecipue in controuersiis cum Sadducaeis a Pharisaeis et Rabbanitis egregie adhibitus est. Neque vero faciunt satis, quae acute quidem, at non verisimiliter coniicit BASNAGIVS [s], vt difficultates tollat: recepisse quidem Sadducaeos scripta prophetica et hagiographa, tanquam a viris sanctis profecta; sed secundariam illis modo auctoritatem tribuisse. Nam hoc quoque veterum testimoniis destituitur, nec affert quicquam ad controuersias inter Pharisaeos et Sadducaeos dirimendas, quae non in eo versabantur, vtrum sola lex Mosis diuina sit? cetera vero et scripta et per manus oraliter tradita non item? sed in eo cardinem rei vertebant, vtrum

q) Tr. Sanhedrin. c. XI. §. 2. r) loc. cit. s) l. c. p. 333.

gitized by Google

vtrum in legibus et ritibus eccleſiae vel ad ſolam legem ſcriptam, vel ad legem quoque oralem reſpiciendum, lexque non ſcripta admittenda ſit, quod Phariſaei affirmarunt, negarunt Sadducaei. Ad hanc quaeſtionem dirimendam non opus erat ad prophetarum et hagiographorum ſcripta attendere: illa enim non legem quandam eccleſiaſticam praeſcribebant, vel libri erant rituales, cultus diuini rationem definientes, ſed vel hiſtoriae ſacrae vel vaticinia, de quorum quidem veritate et θεοπνευστία nec Sadducaei nec Phariſaei dubitabant, cum in ſacro canone ab eccleſia Iudaica vniuerſali conſenſu recepto continerentur; ad quae vero in hac controuerſia prouocare non licebat, quod ventilatae controuerſiae quaeſtionem proprie non attingerent, et leges atque ordinem ſacrum in eccleſiaſticis a Moſe praeſcriptum non exhiberent. Quibus omnibus rite expenſis recte feciſſe viri docti cenſendi ſunt, qui dimiſſa opinione priori poſteriorem tanquam veriorem receperunt [t].

II. Non dari angelos vel ſpiritus, peculiari ratione et per ſe ſubſiſtentes. Ita ſtatuiſſe Sadducaeos ex D. LVCAE [u] teſtimonio patet, id quod cum toto Sadducaeorum ſyſtemate apte cohaeret; cum enim animam ſine corpore exiſtere non poſſe decernerent, vt poſtea probabimus, non potuere non et hoc aſſerere, non dari ſpiritus per ſe ſubſiſtentes. Aliam quidem dogmatis huius rationem affert RICHARDVS SIMONIVS [x], qui doctrinam de angelis, ſpiritibusque et eorum operationibus ex Babylonia in Iudaeam attuliſſe Iudaeos putat, de qua cum inter ſe diſputarent, eo delapſos eſſe Sadducaeos coniicit, vt ipſam ſpirituum angelorumque operationem negarent. Verum ſine fundamento haec dici, cuilibet patere exiſtimamus, conſiderantI, doctrinam de angelis et ſpiritibus eorumque operationibus non nudius tertius inter Iudaeos poſt reditum ex captiuitate demum inualuiſſe, ſed antiquiſſimum dogma eſſe, licet praefracte negare nolimus, aſſuiſſe purpurae diuinae doctrinae panniculos quosdam Chaldaicorum ſomniorum de angelis Iudaeorum nonnullos. Vt taceamus, ſi hoc verum eſſet, daemonologiam Iudaicam non Hebraeae, ſed Chaldaicae originis eſſe, ſequi inde, recte feciſſe Sadducaeos, quod relictis turbidis lacunis hoc dogma reiecerint. Qua ratione cum doctrina de angelis purior ad Chriſtianam quoque eccleſiam ex Iudaica tranſierit, viderit Simonius, quo modo coetui ſuo, huic dogmati peculiaria placita inaedificanti, faciat ſatis. Nec opus eſt ad has coniecturas confugere, cum haec ſola cauſſa ſufficiat negatorum ſpirituum, quod concedere noluerint, poſſe ſpiritum ſine omni corporis veſtimento ſubſiſtere, vt recte quoque obſeruatum Cel. GVNDLINGIO [y]. Hanc enim aſſertionem tueri ideo erat neceſſe, quod ita cauſſa afferri poſſet,

t) SPANHEM. Dub. euang. P. III. pag. 112. HADR. RELAND. Antiq. SS. L. II. pag. 246. BAYLE l. c. not. G. p. 116. qui contrariam ſententiam prius tenuerat Cont. des penſees, ſur le comete p. 580.

u) Act. XXIII. 8.

x) Hiſt. crit. V. T. T. I. c. 7.

y) Hiſt. phil. mor. c. VII. p. 85.

cur nec poenarum nec praemiorum nec resurrectionis spes vlla post hanc vitam esset, nempe quia anima subsistere, depositis corporis exuuiis, non posset. Non negamus varias hic nectere difficultates scriptores, quae vero ex male intellecto hoc dogmate tantum enatae sunt. THEOPHYLACTVS enim et EPIPHANIVS [a] tradunt, negasse eos Spiritum S., immo prior inde atheos fuisse, satis audacter concludit, quod omnem spiritum negauerint. Id quod etiam ARNOBIO [b] suo modo visum est, cui Sadducaei ita spiritus negasse videntur, vt formas atque os Deo tribuerint. Ex recentioribus SCALIGER [c] sensum verborum Lucae: Sadducaeos neque angelum credere neque spiritum, hanc habere significationem dicit, tantum abesse, vt angelos crediderint, vt ne spiritum quidem vllum credant: quam explicationem recepere quoque C. SIGONIVS [d], Io. NICOLAI [e], HORNBEKIVS [f], PETAVIVS [g], HARDVINVS [h] aliique. Verum nec haec fundamenti satis habent atque roboris. Quod enim ad Spiritum S. attinet, incertum annon in Babylonica captiuitate lumina V. T. de SS. Trinitatis mysterio toti obscurata fuerint genti, crassiores notiones de diuinis ab illo tempore sibi fingenti? et an satis orthodoxi in eo fuerint Iudaei? quod, vbi etiam concedimus, nondum tamen euinci ex verbis Lucae potest, eos Spiritum S. negasse, cum post angelos spirituum mentionem ideo historicus sacer faciat, vt ad animae quoque hominis sine corpore existentis negationem Sadducaeos hoc dogma extendisse, intelligatur. Quod autem Deum fecerint ex ea causa corporeum, melioribus testimoniis euincendum est, vixque credi potest, in Nouo Testamento Scriptores sacros crassissimum hunc errorem tacituros fuisse, si reuera eum errauissent. Figuratas vero non Sadducaeorum tantum, verum etiam plerorumque Iudaeorum de Deo locutiones nimis premendas non esse, notum est, et aequitas postulat. Id vero obscurius est, qua ratione Sadducaei angelos negare potuerint, cum tamen pentateuchum receperint, in quo multoties apparitiones angelorum enarrantur. Varias ea de re, vt in obscuris quaestionibus solet, opiniones et coniecturas attulere scriptores. Et magnus quidem GROTIVS [g] per angelos eos intellexisse coniicit, virtutem, efficaciam, maiestatem vel etiam emanationem supremi numinis, quae vbi hominibus manifestatur, angelorum nomine veniat. Ast vix concipi potest, qua ratione cum pentateuchi litera hanc explicationem conciliare potuerint, nec videntur Sadducaei in Samaritanorum castra transiisse, quos similia docuisse supra ostendimus. Aliter HARDVINVS [h], qui, vt erat in fingendis et pro veris obtrudendis coniecturis suis audacissimus, Sadducaeos in Platonis

a) Haeref. XIV. p. 31. T. I. opp.
b) Adu. gentes L. III. p. 106. conf. BAYLE l. c. not. H. p. 116.
c) l. c. c. 16. p. m. 128.
d) De conuert. Iudaeis.
e) Dogm. theol. T. III. pag. 3. et ad Epiph. pag. 28.
f) De numis Herod. opp. sel. p. 352.
g) Ad l. c. Actor.
h) loc. cit.

Digitized by Google

tonis caſtris militaſſe, angelisque naturam corpoream, aetheream nempe et aëriam tribuiſſe, ſpiritusque eos tantum dici ob corporum ſubtilitatem, aſſeruiſſe putat. Quam Platonis doctrinam didiciſſe eos ab Herode ſtatuit, qui cum Athenienſis eſſet, eam ex Academia in Iudaeam intulerit; ob eamque rem Sadducaeos quoque dici Herodianos. Quae ingenio Harduino παραδοξοφίλῳ omnino digna ſunt, indigna vero, quibus vel mediocriter attentus aſſenſum tribuat [i]. Suo enim loco iam demonſtrauimus, Herodem regem ab Herode Attico philoſopho Platonico longiſſime differre, recte quoque rem penſitantes magnum inter Platonicum et Sadducaeum de ſpiritibus daemonibusque dogma diſcrimen deprehendent. Aliter BASNAGIVS [k] et, qui eandem ſententiam ſequitur GVNDLINGIVS [l], qui dixiſſe eos putant, angelos, de quibus Moſes, non fuiſſe ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes, ſed ipſum Deum ea fuiſſe operatum, quae eiusmodi geniis adſcribuntur, qui nonniſi entium intelligentium phantaſmata fuerint, quae Deus hominum oculis obieciſſet, vt ſuam intelligerent voluntatem; ea vero intellecta rurſus diſparerent. Monent quoque, IVSTINVM [m] eam opinionem tribuiſſe Iudaeis, qui vix alii eſſe potuerint, quam Sadducaei. Nobis magni SCALIGERI [n] placet modeſtia, qui vbi quaeſiuiſſet: *quomodo aut qua fronte potuerint negare angelos eſſe, cum diſerte in lege expreſſum ſit nomen angeli*, fatetur *ſe hoc ignorare*. Rectius enim putamus de cauſſis veterum doctrinarum obſcuris ignorantiam nos fateri, quam incerta pro certis obtrudere, praecipue cum Sadducaeorum ſcripta non extent, vt ex iis coniici poſſit, qua ratione loca pentateuchi explicuerint. Neque vero ob hanc ignorantiam, quam veterum peperit ſilentium, negari poteſt, vel pentateucho eos fidem diuinam tribuiſſe, vel eos ſpiritus angelosque non ſuſtuliſſe. Poſſe enim ſacra oracula aliquem pro diuinis admittere, et tamen angelorum apparitiones et operationes reiicere, vel vnum Balthaſaris Bekkeri, quique in eodem luto haerent, exemplum luculenter demonſtrat.

III. Non eſſe durationem animae ſiue ſpiritus poſt hanc vitam, ſed vna mori cum corpore. Hoc quidem Sadducaeis tribuit IOSEPHVS, qui diſerte [o]: *Ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν, ἀναιρεῖσι*, et alio loco [p]: *τὰς ψυχὰς συναφανίζεσθαι τοῖς σώμασι*. Ex quo loco recte coniicitur, vitam animae eos in corpore quaeſiuiſſe, quo non potuere non animam facere materialem, nec alia ratio quaerenda eſt, cur mortuorum reſurrectionem negauerint. Tolle enim animae immaterialitatem, facileque erit corporis reſuſcitationem conuellere, ſi Sadducaeorum *φιλοσοφήματα* ſequaris. Sublata enim *διαμονῇ*, tollitur, quicquid eſt ſpei futurae [q].

i) Conf. BASNAGE l. c. p. 335.
k) loc. cit. l) loc. cit.
m) In Dial. contra Tryphon. p. 358.
n) l. c. p. 180.
o) De bello Iud. L. II. c. 12. p. 788.
p) Antiq. Iud. L. XVIII. c. 2. p. 617.
q) Quod ſi obiicitur, poſſe Deum annihilatum corpus iterum animare, reſpondebit Sadducaeus, hoc fore nouam creationem, non reſuſcitationem.

IV. Non dari reſurrectionem mortuorum. Hoc ex antecedentibus neceſſario ſequitur, et Sadducaeis ſacra hiſtoria tribuit. Qui enim reſurrectionem corporis expectes, animae *διαμονῆ* intereunte? quemque in finem reſuſcitanda eſt caro, poenae praemiique poſt hanc vitam expers futura? Ex his vero ratio quoque patet, cur adeo inuiſa fuerit Sadducaeis Chriſti doctrina [r]: ſublata enim mortuorum reſurrectione, ſpeque futurae felicitatis, inane eſt regnum Chriſti, non negante D. PAVLO [s]. Huius itaque vitae felicitati regnoque temporali totam ſpem ſuam inaedificantes Sadducaei non poterant non doctrinae Seruatoris eſſe infenſiſſimi.

V. Non eſſe fatum, ſed omnia in noſtra poteſtate eſſe, vt tam felicitatis nobis ipſi auctores ſimus, quam infortunii, ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus. Haec IOSEPHVS [t]: qui vero, dum voce, *εἱμαρμένη*, ex Graeca philoſophia petita, vſus eſt, quae prout in ſyſtemate ſectae cuiuslibet proprio adhibita eſt, ita ſingularem ſignificationem induit, dubiam et obſcuram fecit Sadducaeorum opinionem. Inde enim enata quaeſtio, vtrum prouidentiam diuinam Sadducaei negauerint, quam iſta voce ſaepiſſime deſignari notum eſt. Tribuunt hoc Sadducaeis Rabbanitae, quorum ea de re teſtimonia adduxit DRVSIVS [u]. Partibus his ſe addixit Ven. REIMMANNVS [x], et ante eum SALDENVS [y]. Aliter tamen viſum aliis, inter quos eminent VOSSIVS [z], GVNDLINGIVS [a], BASNAGIVS [b], BVDDEVS [c], magna in republica literaria nomina, qui probe viderunt, multum intereſſe inter Epicuri et Sadducaeorum dogma, hosque non omnem prouidentiam Dei tollere. Prouocant quidem, qui contraria tuentur, et Sadducaeos inter Epicuri *ἐμοψήφους* referunt, ad IOSEPHVM [d], qui de iis ita tradit: *τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι, καὶ τὸν Θεὸν ἔξω τῆς δράσεως τι κακὸν ἢ ἐφορᾶν τίθενται*, *fatum plane tollunt, et Deum extra mali cuiusuis patrationem vel inſpectionem conſtituunt.* Quae clara quidem eſſe viris laudatis videntur, ſed attente conſiderata non illud dicunt, quod hi volunt. Nam Joſephi teſtimonium [e] plus non dicit, quam hoc: negaſſe Sadducaeos eiusmodi prouidentiam, quae ita rebus omnibus praeſit, actionesque humanas moderetur, vt iſta inſpectione et directione ſpeciali ſiue procuratione eueniat, quicquid agit vel omittit homo. Id quod veile vocem *ἐφορᾶν* norunt, qui Graeca intelligunt. Ea enim non cognitionem tantum, ſed et directionem et influxum in voluntatem agentis innuit. Hoc negabant Sadducaei, omnemque Dei influxum in actiones humanas reiiciebant: ita vt libera prorſus eſſet hominis actio, isque et felicitatis et infelicitatis proprius ſibi auctor

r) Act. XXIII. 8. MATTH. XXII. 23. MARC. XII. 18. LVC. XX. 27.
s) I. Cor. XV.
t) De bello Iud. L. II. c. 12. p. 788.
u) De ſectis L. III. c. 12. p. 145.
x) Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 18. §. 14. p. 598.
y) Otior. theol. p. 559.
z) De idol. gent. L. II. c. 10.
a) loc. cit. p. 84.
b) l. c. c. 14. p. 330.
c) Hiſt. eccleſ. V. T. T. II. p. 1207. theſ. de atheiſmo c. III. §. 1.
d) l. ſupra laud.
e) De B. I. L. II. c. 12. p. 788.

Digitized by Google

auctor conditorque esse possit. Nec aliter constare posse systema suum credebant, si praemiorum et poenarum in hac tantum vita habenda esset ratio. Ita vero pars quidem diuinae prouidentiae, non tamen omnis eius ratio, tollebatur. Concedebant enim dari in hac vita remunerationem boni poenamque mali: nec aliter quoque poterant statuere, nisi legis diuinae et comminationes et promissiones omnes voluissent euertere. Quibus admissis necesse erat concedere, attendere Deum ad res humanas, et bene gesta praemia sequi, male facta poenam, vt mox probabimus. Id quod facile intelligi potest ex sacra historia, vbi Sadducaei quoque accessisse Ioannem dicuntur, vt, quam ille denunciauerat, instantem iram diuinam deuitarent, quod factum ab iis non esset, nisi curare Deum res humanas, iisque inuigilare iudicem credidissent. Verum influxum DEI in actiones humanas tollebant, suisque viribus solis relinquebant hominem, felicitatis vel calamitatis suae proprium auctorem. Sadducaeos itaque male cum Epicureis, quod plerumque fit, compares; facilius cum Pelagii assecIis conciliabis, licet et hic quoque discrimen aliquod intersit.

VI. Non dari bonorum operum remunerationem aliam, nec malorum retributionem, quam quae fit in hac vita. Πρῶτον ψεῦδος hoc fuisse, ex male intellectis Antigoni verbis enatum, ex iis, quae supra narrauimus, liquet. Idque cum toto systemate accurate cohaeret: quod cum nec vitam nec resurrectionem post fata futuram concedat, aliam quoque vel iustitiae mercedem, vel scelerum poenam, nisi in hac vita admittere non potest. Recte itaque illis IOSEPHVS tribuit, ὅτι τὰς καθ' ἅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιρεῖται; hoc enim conditionem defunctorum talem esse innuit, qua nec poenas nec praemia recipiunt. Ex quo intelligendum est, cur D. PAVLVS *f* coram Iudaeorum concilio se de spe resurrectionis et aeterni praemii accusari clamauerit. Ideo enim futura vita vocata Hebraeis seculum mercedis, quod eius spem habebant certissimam: eam vero Sadducaei tollebant. Neque obiici potest, legis tamen obseruantiam custodiuisse Sadducaeos, sacra feciisse, ieiunia seruauisse, quae frustra suscepissent, si nulla mercedis futurae spes illorum insedisset animis. In his enim omnibus quanquam accurate versabantur Sadducaei, omnem tamen, quam inde sperabant spem mercedis, huius vitae felicitate metiebantur, malisque iudicia quidem diuina denunciabant, verum quae in hac vita essent euentura *g*. Nam omnem praemiorum et poenarum, iudiciorumque diuinorum veritatem negare non poterant, nisi vellent ipsam legem euertere, quam tamen recipiebant.

VII. Reiiciendam esse polygamiam. Sequebantur in hoc dogmate strictam legis literam Sadducaei, quam Pharisaei quaesitis ratiunculis variis misere detorquebant, laxabantque, praesertim schola Hillelis *h*.

Prae-

f) Act. XXIII. 6.
g) Conf. LIGHTFOOT. ad h. l. BAYLE l. c. not. G. p. 116.
h) Conf. BASNAGE l. c. p. 358. RELAND. Antiqq. SS. P. II. c. 9. §. 12. p. 247.

Praeter has affertiones dogmaticas plura erant alia, cultum Leuiticum concernentia, quibus a Pharisaeis Sadducaei diuortium fecerunt. Cum enim omnem traditionem, quae ceremonias cultus diuini innumeris modis auxerat, reiicerent, necessarium erat, vt cuncta quoque improbarent, quae ingeniosa Pharisaeorum excogitauerat superstitio. Ea vero hic adducere, institutum non patitur; quaerenda itaque sunt apud eos, qui antiquitatibus Hebraeorum lucem accenderunt, ritusque et ceremonias eorum et de iis controuersias enarrauerunt.

Vita Sadducaeorum.

§. XXII. Restat, vt de vita quoque Sadducaeorum aliquid adiiciamus. Coniici quidem ex dogmatum sectae huius conditione posset, malam eam fuisse, iis nempe fulcris destitutam, quibus vera philosophia moralis innititur. Verum aliter de ea pronunciandum est, si veterum testimoniis standum. Teste enim IOSEPHO [i], fuit hoc hominum genus in iudicando seueriſſimum; vnde rigor eius sectae et in puniendis malis acerbitas intelligitur; id quod systematis ratio exegisse videtur. Cum enim futurorum cruciatuum metu a sceleribus homines retrahi non posse crederent, necessario poenarum rigore munienda erat legis custodia et honestas publica. Quam seueritatem licet culpet Iosephus et crudelitatem vocet, id tamen in homine Pharisaicam sectam sequente mirandum haud est; probat autem testimonio omni exceptione maiori, iustitiae accuratius et seuerius litasse Sadducaeos, quam Pharisaeos: id quod historiam quoque Iudaicam, praecipue eam partem, quae res Hyrcani et filiorum eius, Aristobuli et Alexandri concernit, consulenti luculentis patebit exemplis. Ex qua iustitiae obseruatione ortum quoque esse videtur, quod veterum multi Sadducaeorum nomen non a Sadocko, sed a voce צדק, quae iustitiam significat, deriuauerint, de quo etymo viri docti passim differunt [k]. Cumque Pharisaei indulgentia sibi plebem conciliare studerent, causa inde intelligitur, cur factio opposita, et apud proceres rerumque dominos potens in contrarium progressa seueram se praestiterit, indeque plebi exosa fuerit, ad quam deliniendam interdum a rigore aliquid remittere, et Pharisaeorum partibus atque sententiae propius accedere, teste IOSEPHO [l], cogebatur. Etsi vero vitam meliorem, quam Pharisaei homines, Sadducaei probabant, varia tamen illis obiecta sunt. Describit enim eos IOSEPHVS [m], vt barbaros, feroces, inhumanos, superbos et potentiorum consuetudinem affectantes, et inter se saepenumero digladiantes, μισαλλήλους rusticisque moribus viuentes. Verum, dedisse se hic multum partium studio, Iosephus satis prodidit, qui Pharisaeorum, cui se addixerat, sectam summis extollit laudibus, superbiam vero, seditionis studium, hypocrisin, falsitatem aliaque eorum vitia reticet; Sadducaeos illis opprobriis onerat, quae ipse alibi imprudens refutat, accusans eos, quod volu-

i) Ant. Iud. L. XX. c. 8. p. 698.
k) Vid. DRVSIVS l. c. p. 122. SEANHEM. l. c. p. 109. BAYLE l. c. p. 114. PEIRER. Dub. vex. p. 890.
l) l. c. L. XVIII. c. 2. p. 617.
m) De B. I. L. II. c. 12. p. 788.

Digitized by Google

voluptatibus se dedant, diuitumque gratiam aucupentur, et blanditiis opulentis se acceptos reddant. Haec enim, tam feroces et inhumanos homines Sadducaeos non fuisse, satis manifeste loquuntur [n]. Verisimile tamen est, Sadducaeos homines strenuos et acutos in disputationibus cum Pharisaeis acerrime conflixisse, et ita his ἐγκλήματι occasionem praebuisse. Quae cum Pharisaei, quique eos secuti sunt Rabbanitae innumeris conuiciis auxissent, adeo inde fama Sadducaeorum conspurcata est, vt multi quoque inter Christianos viri docti idem de Sadducaeis crederent scriberentque [o]: iique ab haud paucis cum Epicureis componerentur, et inter hostes Dei numerarentur [p]. Cuius causae partim a calumniis Rabbanitarum, Pharisaicas partes sequentium petendae sunt, qui infensissimo in Sadducaeos animo plerumque Cuthaeos, s. Samaritanos, et haereticos eos appellant, adeo, vt Sadducaei, Cuthaei, haeretici et athei nomen idem apud istos homines sit: partim a placitis Sadducaeorum sunt deriuandae, quae conspirare cum Epicuri hortis multis recentiorum visa sunt, eo quod et Sadducaeis et Epicureis fatum negatum, vita futura reiecta, praemia et poenae post mortem sublatae, anima mortalis asserta, actiones hominum sibi suisque viribus relictae, spiritus explosi etc. Quod licet negari nequeat, obseruandum tamen, distare multum Sadducaeos ab Epicureis, cum nec Deum extra mundum relegauerint, nec curam eius circa actiones hominum omnem et scientiam sustulerint, et praemia atque poenas in hac vita admiserint, et ex alio longe fonte, quam apud Epicurum, totum eorum systema dimanauerit, vt ex dictis constat. Quare nimii illi sunt, qui Sadducaeos Epicureis aggregant, et ex Epicuri hortis Sadducaeorum impietatem progerminasse statuunt [q]. Hoc enim vt demonstretur, non sufficit, dogmatum quorundam conuenientiam et harmoniam ostendere, sed requiritur etiam, vt doceatur, quomodo Epicureismus in Iudaeam irrepserit? Quod licet fieri potuisse per Iudaeos ex Aegypto in Iudaeam migrantes videri queat [r], valde tamen timemus, vt demonstrari possit, Epicuream philosophiam in Aegypto floruisse, multo minus, inter Iudaeos Aegyptum inhabitantes locum inuenisse, vel ex Aegypto in Iudaeam translatam fuisse. Nec Iosephi hic respicienda est auctoritas, qui inepto gentis suae eruditos cum Graecis comparandi studio tres illas sectas Iudaicas cum tribus Graecorum sectis celebrioribus contulit, ne haberent hi, quo Iudaeis praeferrentur. Sed relinquendi Sadducaei originibus suis, qui, vt supra obseruatum, inepta praecepti Antigoni interpretatione delusi ad neganda futurae vitae praemia, et quae inde sequebantur, tollendos spiri-

n) Vid. loca eorum adducta a DRVSIO l. c. p. 152. et SCHVPARTO l. c.

o) Vid. WILLIMER. diss. de Sadducaeis, CAVE antiq. Apost. p. 118. PFEIFFER l. c. REIMMAN. l. c. p. 594. quibus et nos olim calculum adiecimus in Otio Vind. p. 31.

p) Conf. REIMMAN. l. c. p. 592. Hist. atheismi c. II. §. 6. p. 37. seqq.

q) Vid. quos nominauimus Ot. Vind. p. 30. vbi eandem nos quoque opinionem amplexi sumus.

r) Monet hoc BVDDEVS l. c. p. 1206.

ſpiritus, animaeque immortalitatem euertendam potuere delabi, etſi nihil de Epicuri dogmatibus inaudiuerunt. Reliqua, quae ad inurendam ſectae exoſae impietatis notam afferuntur, infirma ſunt, et ex eo ſatis refutantur, quod Sadducaei non minus, quam Phariſaei in cultu diuino, expiandoque per ſacrificia Numine atque expectanda Meſſiae liberatione fuere ſeduli, quae in atheum cadere non poſſunt. Non negamus tamen, Sadducaeiſmum ad impietatem viam parare potuiſſe, et fouiſſe dogmata valde pernicioſa, veram quoque pietatem fulcris ſuis priuauiſſe, amorique et miſericordiae exiguum locum reliquiſſe. Ex quibus quam grauis fuerit eccleſiae Iudaicae, tempore incarnati verbi, corruptio, facile intelligi poteſt[y]. Sed hoc tantum volumus, non tam malos fuiſſe Sadducaeos, quam eos depingunt Rabbanitae, infenſiſſimo animo calamum in eos odio et veneno tinctum ſtringentes. Quod vero Herodem ad ea facinora, quae eius memoriam dedecorarunt, inſtigauerint Sadducaei, facilius dicitur, quam probatur.

Scriptores de Secta Karaeorum.

§. XXIII. Cum Sadducaeis non confundenda eſt Karaeorum ſecta, cuius hiſtoria valde hactenus obſcura fuit. Suppreſſa enim in plerisque locis, vbi Iudaei hodie degunt, Rabbanitarum Vatiniano prorſus odio, cum in extremos Europae angulos ſeceſſerit, rariſſimi ſunt eius libri, quae vero Rabbini paſſim habent, imprimis R. IEHVDA LEVI, ABARBANEL, ABENESRA, R. LEVI, BEN GERSOM, R. LIPPMANN et his ſimiles, cum ſint ex aduerſariis Karaeorum, valde ſuſpecti teſtes ſunt[z]. Primus, niſi fallimur, doctiſſimus Gieſenſium poſtea theologus B. Io. GOTTOFRIDVS SCHVPARTVS accuratiora quaedam de Karaeis aliquot diſſertationibus[a] tradidit, vſus beneficio praeceptoris ſui, magni Ienenſium philologi Io. ANDREAE DANZII libris quibusdam doctorum Karaiticorum, qui rariſſime in his oris noſtris conſpiciuntur, magnoque venire ſolent pretio. Quoniam tamen in multis Rabbinorum teſtimoniis ſtare coactus eſt, non potuit non tractatio illa, licet pulcherrimam orientalis philologiae eruditionem ſpiret, eſſe manca et non ſatis accurata. Vt itaque meliora et certiora nanciſceremur, diligentiae atque ſtudio praeſtantiſſimi philologi IACOBI TRIGLANDII, profeſſoris quondam theologi in Academia Lugdunenſi Batauorum, debemus, qui vt erat rerum orientalium curioſiſſimus inueſtigator, de interiore ſectae Karaiticae conditione et circumſtantiis vehementer ſollicitus, ipſos Karaeos in Polonia et Lithuania adhuc commorantes per literas adiit, variisque propoſitis quaeſtionibus eorum notitiam acquirere pleniorem laborauit. Qua re effecit, vt ampliſſima reſponſione R. MARDOCHAI de origine, ſcriptis, conſtitutione et fatis ſectae Karai-

y) Conf. MOSHEIM. Hiſt. eccl. Chriſt. Sec. I. c. II. §. 8. ſeqq. p. 75. ſeqq.

z) Conf. BAYLE l. c. not. D. p. 111. BASNAGE l. c. §. 22. p. 343.

a) Edidit eas Ienae 1701. 4. hoc titulo בת הקראים ſeu ſecta Karaeorum, diſſertationibus aliquot hiſtorico-philologicis ſic adumbrata, vt e codicibus mſc. vt plurimum ortus, progreſſus ac dogmata eiusdem praecipua erui appareant.

by Google

raiticae edoctus luculentiorem dare poſſet de ea notitiam, et praeiudicia quoque recentiorum quorundam, maxime Io. MORINI *, quibus reliquias eſſe Sadducaeorum, ab Anano ſec. VIII ab erroribus Sadducaeis purgatas contenderat, feliciter iugularet. Hinc enata elegans atque docta TRIGLANDII diſſertatio de Karaeis, quam ſyntagmati diſſertationum de trihaereſio Iudaeorum ſuffixit. Cui tamen cum non licuiſſet ipſam Karaei doctoris tractationem in vulgus edere, et ampliorem rebus Karaiticis lucem accendere, eo quod rebus humanis prius eximeretur, peruenit tandem ea in manus viri πολυμαθεςάτου, et de Hebraeorum hiſtoria literaria immortaliter meriti, Io. CHRISTOPH. WOLFII paſtoris Hamburgenſis, quem nuper nobis ereptum adhuc acerbe dolemus, qui qua erat in his literis eruditione, ipſam Mardochaei tractationem Hebraice cum verſione Latina vulgauit y, notisque eruditiſſimis illuſtrauit, amplaque et docta praefatione de Karaeorum rebus ſcriptisque diſſeruit, et eorum quoque nobis catalogum exhibuit, qui de rebus Karaeorum totaque huius ſectae ratione commentati ſunt. In quo libro bonae frugis pleno cum eorum, quae notitiam hiſtoriae huius ſectae literariam comparare poſſunt, plena et diligens facta ſit enarratio, lectorem plura, quam quae nos in compendio ſtrictimque pro Inſtituti ratione dicturi ſumus, legere cupientem, ad hos fontes ablegamus, ex quibus tantum hauriet, quantum ſufficiet ad reſtinguendam deſiderii ſui ſitim. Multos quoque huc pertinentes ſcriptores nominauit Io. IACOBVS SCHVDTIVS z.

§. XXIV. Karaeorum origines vt valde inter doctos viros diſputationibus et coniecturis obſcuratae ſunt, ita detegi non poſſunt, niſi ſectae conſtitutionem a nominis ortu, occaſionemque vtriusque rite inter ſe diſtinguamus. Karaitarum ſiue Karaeorum nomen textuarium ſiue ſcripturarium indicat a, quatenus traditionum ſectatori b opponitur, eumque ſignificat, qui ſine traditionis gloſſaeque auctoritate ſolam legis literam textumue ſequendum pronunciat. Ex quo nomine intelligi poteſt, rei ipſius origines ad ea tempora referendas eſſe, quibus traditiones ortae ſunt, iisque alii contradixerunt. Supra enim planum fecimus, mature poſt vatum diuinorum diſceſſum ex hac vita, et vaticinandi facultatem inter Iudaeos deſinentem, repertos fuiſſe, qui legis interpretationem molirentur nouam, patrum orali, quam iactabant, traditioni adſcriptam, quam accepiſſe Moſen vna cum lege ſcripta dicebant: huncque in finem adhibitam fuiſſe interpretationem legis allegoricam, qua, vt in Aegypto gentilis philoſophia, ita in Palaeſtina doctorum commentationes et definitiones habitu Moſaico induebantur: non tamen defuiſſe quoque viros cordatos patriaeque legis ſtudioſiſſimos, qui hanc domeſticae ſapientiae cor- *Karaeorum ſecta.*

 ruptio-

x) Exerc SS. L. II. ex. 7. c. 1.
y) Hamburgi 1721 4. vid. Journal des Savans 1715. Mart. Cat crit. Bibl. Reimmann. T. I. p. 885.
z) Memorabil. Iudaic. P. II. p. 54.

a) v. BVXTORF. Lex. Talm. p. 2111. SCHVPART. l. c. diſſ. I. §. 2. p. 6.
b) Cabbaliſtam vocant Karaei voce generaliori ſignificatione ſumta, pro quauis traditione.

Digitized by Google

ruptionem abominati traditioni huic orali, et interpretamentis legis ab humano ingenio profectis se opposuerint, legisque literam solam sequendam esse, statuerint. Ita vero Sadducaeorum familiam docuisse, et traditionem omnem reiecisse, in antecedentibus luculentis veterum suffragiis docuimus. Ex hac vero Sadducaeae familiae traditionum reiectione manifestum est, fuisse eo iam tempore homines, qui traditioni omni nuncium mittentes, Pharisaeorum partibus pro ea militantibus restiterint. Ast dubium quoque non est, displicuisse multis viris pils, legis diuinae, oraculorumque sacrorum amantibus impia Sadducaeorum dogmata, inuita lege et prophetarum scriptis repugnantibus definita, adeoque eos ad hanc sectam animum non adplicuisse, licet ceteroquin traditionibus non adhaererent, sed solam legis literam simpliciter sequerentur. In his nihil esse, quod non magna verisimilitudine se commendet, nemo temere inficias iuerit, nisi affirmare velit, vniuersam Iudaeorum nationem praeter vnam Sadducaeorum sectam collum traditionis iugo subdidisse, quod omni probabilitate caret. Ex his vero constare arbitramur, Scripturariorum partes non esse iuniores partibus traditionariorum, et vtramque factionem vno simul tempore fuisse exortam. Placuisse hanc sententiam magno SCALIGERO [c], supra quoque memorauimus, in cuius tamen ea de re opinione est aliquid, cui, quo minus ei subscribamus, ratio satis valida est. Scaliger enim non tantum mox post Babylonicam captiuitatem homines fuisse putat diuersi generis, quorum aliqui solam legis literam cultus diuini, doctrinaeque sanctioris atque vitae regulam constituerint; alii illi traditionem adiecerint, et opera supererogationis iis inaedificauerint; sed inde etiam diuersae sectae nomina emersisse, hisque Hasidaeorum, illis Karaeorum nomen haesisse; ex his vero, adiectis nouis, ex male intellecto Antigoni praecepto, dogmatibus a Sadocko et Baithoso Sadducaeorum familiam fuisse enatam statuit. Valde contemsit hanc opinionem Io. MORINVS [d], qui, Karaeos multo iuniores fuisse existimans, reiectis et emendatis Sadducaeorum erroneis placitis ex eo fuisse exortos, quod sese Talmudis cultoribus opponerent, contendit. Nec defendi satis posse Scaligeri opinionem, quatenus duas nobis distinctas nomine et familia sectas, Hasidaeorum et Karaeorum enumerat, quae ab Esdrae tempore inualuerint, supra iam concessimus. Inde vero non sequitur, si sectaria eiusmodi constitutio duarum partium vel factionum non fuit, ideo rem ipsam non fuisse. *Quis enim negare ausit, fuisse semper in ecclesia Iudaica nonnullos, qui inde ab eo tempore, quo homines, ingenio indulgentes, noua instituta obtrudere aliis coeperunt, improbandis horum conatibus fortiter restiterint, quos tam grauiter, tam aperte per Mosen damnatos esse intelligebant? Numquis porro affirmare su-*

stineat,

c) In elencho trihaeresii c. 22. p. 163. seq. Eum, quod miramur, secutus est LVDOV. CAPPELLVS defens. crit. S. cuius verba adducit SCHVARTVS l. c. p. 52.

d) Exerc. bibl. L. II. exerc. 7. §. 7. 8.

ſtineat, non alios ſe traditionibus ſenſim prodeuntibus oppoſuiſſe, quam Sadducaeos, et eos homines, qui hanc doctrinae puritatem aliis erroribus, non excuſandis deturparunt? Ita egregie recteque infert Cel. WOLFIVS [e]; cum dubio careat, fuiſſe homines ſacrarum literarum ita amantes, vt nec traditionum commentis, nec impiis Sadducaeorum dogmatibus acceſſerint, quorum vtrumque refragari ſacris literis ſatis euidenter perſpiciebant. Quod vbi admittimus, vt admitti debet, niſi rationibus probabiliſſimis fidem denegemus, euincitur inde, ſtatim eo tempore, quo traditionis architecti prodierunt, enatos quoque fuiſſe ſcripturarios, et ex his demum Sadducaeos extitiſſe. Et haec quidem ſatis veriſimilia ſunt. Quando vero Karaeorum nomen originem ceperit, et ſcripturariorum partes, non traditionariis tantum, ſed Sadducaeis quoque oppoſitae, in ſectam coaluerint, de eo ancipiti prorſus diſputatione hactenus diſceptatum eſt. Ipſos ſectae Karaiticae aſſeclas ſi audimus, primae eius propagines a decem tribubus per gentes diſperſis deriuandae ſunt. Ita enim Karaitae in extremis Lithuaniae partibus habitantes ad Guſtauum Peringerum Lilienblat ſcripſerunt [f], coloniam ſe eſſe iactantes Iſraëlitarum ab Aſſyriis abductorum, quae in Tartaria reſederit. Quod commentum eſſe Iudaicum facile is intelliget, qui tribuum harum fata paulo curatius conſiderauerit. Qui enim ex iis cum Iudaeis redierunt, nunquam peculiarem ſectam conſtituerunt, ſed cum Iudaeis in vnam coaluere gentem; reliqui conſumtis diſiectisque genealogiarum ſchedis confuſi inter ſe, et per varias inter gentes diuerſas colonias diſtracti, deſierunt conſtituere peculiarem nationem. Vnde quo loco iſta traditio Karaeorum habenda ſit, liquet. Nec valde moramur ſucceſſionem doctorum, quam ab Eſdra deriuant, nobisque obtrudunt Karaei. Nam et Rabbanitae eadem ratione ſucceſſionem inſtituunt, non meliori fide, cum vna alteram euertat. Quae vero Rabbanitae memorant, cum Iaddo, traditionariorum capite eiusque ſequacibus obuiam quoque proceſſiſſe Alexandro M. Ananum et Caſſanatum (alii Carcaſnaeum vocant) ſcripturariorum anteſignanos, illumque edito miraculo veritatem factionis ſuae probauiſſe, Anano in ruborem dato, quod ſimilia patrare non potuiſſet, putidam nobis dementium Iudaeorum fabulam referunt, quae hoc vno momento refutatur, quod Ananus ſeculo demum octauo poſt C. N. vixit, vt poſtea docebimus, vt reliquas inſipidi commenti abſurditates taceamus. Ex quibus tamen hoc conficitur, non auſos fuiſſe omnes Iudaeos negare, antiquam valde eſſe Karaeorum ſectam. Quia vero hic Ananus ſuppreſſam ferme ſcripturariorum factio-

e) l. c. praefat. p. 7.

f) Miſerat gloriosae memoriae rex Sueciae Carolus XI. Guſtauum Peringerum Lilienblat linguae S. profeſſorem Vpſaliensem, in extremas Lithuaniae partes, vt de Karaeorum conditione rebusque notitiam cerniorem acquireret. Is quae comperit, ad Iobum Ludolfum perſcripſit, cuius epiſtolae apographum cum ad GVIL. TENZELIVM peruenisſet, is illud edidit in Colloquiis menſtruis 1691. Iul. p. 572. Alia huc pertinentia vide apud BASNAGIVM l. c. L. II. c. 16. §. 1. p. 371. SCHVPARTVM l. c. c. I. p. 85.

nem contra grauiſſimos traditionariorum inſultus nouis conatibus fulſit' resque eorum ita adiuuit, vt refloreſcere inciperent, occaſio inde enata eſt viris doctis ſtatuendi, emendatis Sadducaeorum doctrinis abiectisque erroribus, ſola vero ſeruata ſcripturae auctoritate ex Sadducaeis ortos fuiſſe Karaeos, Anano Sauloque filio eius et Carcaſnaeo exemplum praeeunte, ſic vt Karaei Sadducaeorum propago ſint, ſed emendata atque reformata. Ita quidem, poſt Iudaeorum Rabbanitarum magiſtros plurimos, quos Cl. SCHVPARTI diligentia adduxit [g], viſum magnis viris, TH. GOODWINO [h], IO. DRVSIO [i], IO. BVXTORFIO [k], IO. HEN. HOTTINGERO [l], IO. BEN. CARPZOVIO [m], GVIL. CAVEO [n] aliisque. Verum recte huic quoque opinioni opponitur, non poſſe demonſtrari, quod vnquam Karaei cum Sadducaeis immortalitatem animae et reſurrectionem mortuorum, vel extremi iudicii retributionem negauerint, et emendatione opus habuerint. Iudaeorum Rabbanitarum vero teſtimonia eo magis fide indigna ſunt, quo magis auctoritatis praeiudicio non occoecatus mox prima fronte cognoſcit, inuidiam odiumque erga Karaeos hanc de iis fabulam Rabbanitis dictitaſſe, vt eo magis euileſceret aduerſariorum fama atque exiſtimatio. Paulo tolerabilior IO. MORINI [o] ſententia eſt, qui in epiſtola ad Buxtorfium „initium „ſchiſmatis iſtius a Iudaeis aſſignari obſeruat A. C. DCCXL, hoc eſt an„nos poſt Talmudis obſignationem circiter LX. Ex hiſtoriis enim et „circumſtantiis, quas omnes referant, et praeſertim, quae ad illa tempo„ra proxime accedant, euidentiſſime demonſtrari, R. Aſe Talmudis com„pilationem coepiſſe ineunte ſeculo ſexto, et R. Ioſe aliosque compleuiſſe „circa annum Chriſti DCLXXX. Cum igitur Talmud Babylonicum „magna apud Iudaeos auctoritate potiretur, paſſimque creſceret eius au„ctoritas, Iudam quendam Pumbedithanae ſcholae caput, חלכות גדולות „compoſuiſſe: quod tamen alii tribuant R. Keiarae, qui eum praeceſſerit, „quas deciſiones ex Talmude velut libro autenthico decerpſerint. His „ſe oppoſuiſſe Anan et Saul filium eius, et Carcaſnaeum, viros apud „eos celeberrimos, ferre non valentes, eandem traditionibus Talmu„dicis auctoritatem, quae S. Scripturae, tribui. Hinc in eos ceteros „tantum odium exercuiſſe, quale vnquam in vllam nationem aut ſectam.„ Sequitur MORINI partes RICH. SIMONIVS [p]. Neque tamen haec quoque opinio, quae epocham nati Karaeiſmi ad Sec. VIII reiicit, calculum meretur; cum quod Talmudis origines iuniores quam par eſt, ponit, nempe tribus ſeculis integris ſerius, quam compilatum fuiſſe infra demonſtrabimus; tum quod reſtaurationem ſectae preſſae et abiectae cum eius

g) Praeter multos a SCHVPARTO l. c. p. 59. adductos videndus LEO MVTINENSIS de ritibus et ceremoniis Iud. P. V. c. I.
h) Moſes et Aaron L. I. c. 9. §. 8. p. 173.
i) De ſectis L. III. c. 8. p. 135.
k) Lex. Talmud. f. 2115.
l) Theſaur. philolog. L. I. c. 1. f. 5.
m) Intr. in theol. Iud. c. III. §. 8.
n) Antiqq. Apoſtol. p. 422.
o) l. c. et Antiqq. eccl. orient. p. m. 566.
p) Hiſt. crit. V. T. c. XXXVIII. p. 161.

by Google

eius origine confundit. Recte quoque his opponitur teſtimonium R. IEHVDAE LEVI, in libro *Coſri*, quod ſupra adduximus, quod temporibus R. Iehuda Ben Tabbai et R. Schimeon Ben Schetach, cum traditionum farragines noua auctoritate confirmarentur, a traditionariis ſe ſeparauiſſe ſcripturarios innuit. Nec alios ſcribarum nomine intelligunt ſcriptores eccleſiaſtici, quam ſcripturarios. Addimus his teſtimonium libri *Iuchaſin*, quod Ananum apoſtatam factum et per domum iudicii declaratum, confirmauiſſe, non vero conſtituiſſe ſectam Karaeorum luculenter teſtatur [q]. Aptius tamen propiusque vero hanc opinionem exornauit B. SCHVPARTVS [r], cuius de Karaeiſmi origine coniectura huc redit: „Principium quoddam fixum minus eſſe determinabile, vt ſolent omnes „fere errores, qui ex opinionibus priuatis in articulos tandem commi„grarunt fidei. Ita enim ſe rem cum Karaiſmo quoque habuiſſe, eum „nempe creuiſſe, antequam creſcere viſus, ſub carecta latuiſſe quidem, „at propagatum ſic quam feliciſſime. Hinc fruſtra annum, menſem, „diemque introducti dogmatis expectari, ſenſim enim haec omnia exorta „eſſe. Scilicet ita dementaſſe Iudaeorum animos infinitam illam traditio„num Moſaicarum vim, vt maiorem iis haberi honorem contenderent, „quam ipſis S. Scripturarum libris; citius Moſen cum omnibus prophetis „valere iuſſum, quam recedere a patrum placitis vel latum vnguem. „Quin etiam leuiter ſaltem repugnaſſe, non piaculum modo, ſed etiam „θεομαχίαν plane iudicatam fuiſſe. Hanc opinionem omnes coeco impetu „ſecutos a vero videri alienius, vt ex ſecta Sadducaeorum pateat; at iniu„rios quoque eſſe in hanc gentem, qui hos omnes traditionum oſores „Sadducaeorum erroribus addictos fuiſſe ſtatuant. Horum vero non e re „fuiſſe, vt publice ea propugnarentur, quoniam habenda temporis ratio, „quae omnibus viribus contranitebatur: quapropter neceſſitatis lege hos „muſſitaſſe tantum illa, eo vnice intentos, qui tegerentur ſtudioſiſſime, „latius interim ſerpere coepiſſe hanc doctrinam cumque die maiora ce„piſſe incrementa. Interea traditiones non ſcriptas vndique magna cura „conquiſitas fuiſſe, cautumque ſerio, vt ſymboli loco Iudaeorum eſſent „in oculis. Quare non potuiſſe celari diutius diſſenſum, obſignatum „enim Talmud reſignaſſe nouae haereſeos clauſtra, cuius oppugnatores „falſe inanem contribulium inſaniam irriſerint". In qua viri docti opinione laudandum eſt, agnoſci antiquitatem partis ſcripturariorum, aſt ferri non poteſt, per decem fere ſecula eam ita latere potuiſſe, vt non prius tandem in publicam ſectam et ſchiſma apertum erumperet. Fuiſſe enim plurimos, qui aperte traditionum commenta reiicerent, in antecedentibus demonſtrauimus. Et, vt verum fateamur, facilius variae virorum doctorum opiniones de origine ſectae Karaiticae reiiciuntur, et quid iure diſpliceat, oſtenditur, quam probabilior ſententia introducitur. Illud verſimile eſſe, nemo temere inficias ibit, qui Iudaicae philoſophiae in-

q) Is in limine ſtatim hanc opinionem reiecit. Conf. SCHVPARTVS l. c p. 39. r) l. c. p. 44. ſeqq.

inter Aegyptiacos Iudaeos origines et hiſtoriam ſupra expoſitam attente conſideraverit, primam fere occaſionem literam legis preſſius ſequendi enatam fuiſſe ex methodo allegorica inter Iudaeos introducta, quod Ptolemaeorum temporibus euenit. Haec enim cum ita legis literam deſereret, vt allegoriae beneficio peregrina dogmata Moſi affingerentur, non potuit non viris bonis et cordatis ita diſplicere, vt ſe nouae haereſi opponerent. Qui cum ſapientiae Aegyptiacae nuncium mitterent, quae eo tempore maximi fiebat, ſcripturariorum, vt veriſimile eſt, nomen a Cabbaliſtis ſiue traditionis ſublimioris patronis acceperunt. Neque vero ſola probabilitate haec ſe commendat opinio, quae ex Aegypto Karaei ſchiſmatis origines nomenque arceſſit, ſed et Maimonidis teſtimonio, viri inter Iudaeos docti et patriarum originum contribulibus ſuis peritioris confirmatur, qui animaduertit nomen hoc coepiſſe in Aegypto. Nec a veriſimilitudine recedit Cl. TRIGLANDII [e] coniectura, dicteriis Aegyptiacis nomen Karaeorum adſcribendum eſſe; ad dicteria enim Aegyptios et praecipue Alexandrinos fuiſſe propenſiſſimos exemplis ſine numero obuiis in hiſtoria; etiam optimi principis Veſpaſiani, quem κυβισσάκτην vocare perſeuerarunt, teſte SVETONIO [f]. Quamuis vero haec ex probabili tantum coniectura diſputari fatendum ſit, magnum tamen pondus haec ſententia accipit ex narratione et Karaeorum et auctoris libri *Coſri*, quae allata a Simeone Ben Schetach Alexandria reduce, Cabbala Aegyptiaca, eaque cum traditionibus patrum coniuncta in apertum prorupiſſe ſchiſma traditionariorum et ſcripturariorum diſputationes tradit. Neque valde his obeſt Ioſephi de Karaeorum ſecta ſilentium, eum enim τῶν νομίμων, id eſt legis partes ſolas ſine interpretamentis Phariſaeorum ſequentium mentionem ex odio ſectae Phariſaicae ingenito, cui erat addictiſſimus, non peculiarem feciſſe, ſed ſub inuiſo Sadducaeorum nomine eos comprehendiſſe, omnino credibile eſt. Magnopere vero hoc inde confirmatur, quod Karaeorum nomen apud Iudaeos in dicterium valde inuidioſum abiit, et in Rabbanitarum Phariſaicas partes ſequentium ſcriptis plerumque pro Epicureo, Cuthaeo ſiue Samaritano, haeretico vel atheo vſurpatur, cuius exempla plurima ex verporum ſcriptis collegere doctiſſimi Karaiticae hiſtoriae enarratores TRIGLANDIVS [g], et SCHVPARTVS [h], qui videndi. Etſi enim laudabile inſtitutum ſolam Scripturam θεόπνευστον pro fidei vitaeque norma admittendi hoc nomen innuat, patet tamen ex his Rabbanitarum locis, pro impiae ſectae nomine hanc Karaeorum appellationem fuiſſe habitam, quod traditionum auctoritatem non minus diuinam eſſe et a Moſe profectam, quam literae legis Rabbanitae haberent perſuaſiſſimum. Quare non audiendus eſt MORINVS [i], qui Karaeos ipſos ſeſe hoc nomine ab aliis diſtinxiſſe, vt hoc ſcripturariorum nomine ſuperbirent, pronunciat. Contrarium enim ipſos Karaeos referre, pulchre

e) De Karaeis p. 23.
f) In Veſpaſ. c. 19.
g) l. c. c. II. p. 5.
h) Excerc. Bibl. l. c.
i) l. c. p. 9.

Digitized by Google

chre obſeruat TRIGLANDIVS [y], qui locum eorum affert, quo, *filios ſcripturae admonere*, legimus, *quod alii nomen et epitheton Karaim iis appoſuerint, ea propter quod fidem non habeant legi nouae, quae lex oralis vocetur.* Dubium itaque non eſt, Karaeos quod in contumeliam iis datum erat nomen, in laudis argumentum traduxiſſe, cum optima iis cauſſa eſſet. Qua ratione dicteria et conuicia laudabiliorem poſtea ſignificationem ſaepius recepiſſe, ſectarum hiſtoriae ſacrae et profanae paſſim loquuntur [z]. Ex his vero conſtare arbitramur, omnino deſerendam eſſe Morini et ſequacium ſententiam, quae Talmudis compilationem et euectam nimis traditionum auctoritatem hoc ſchiſma nomenque atque ſectam Karaeorum peperiſſe contendit. Hoc enim ſi verum eſſet, non tradidiſſent Iudaei, tempore Hyrcani duas has factiones iam caput inter Iudaeos extuliſſe. Quo tempore cum Phariſaeorum et Sadducaeorum ſectae diu iam inualuiſſent, dubium non eſt, fuiſſe viros bonos et cordatos, qui ab vtriusque ſectae erroribus abhorrentes, ſcripturae ſolius auctoritatem ſecuti fuerint, et tum impuras Cabbaliſticae theologiae lacunas, tum ſordidas traditionum quiſquilias reiecerint. Quales fuiſſe ſectatores R. Iehudae Ben Tabbai credibile eſt, ſi vera ſunt, quae de ſchiſmate inter ſcripturarios et traditionarios orto Iudaei referunt. Quod quidem Ioſephum ſilere non diffitemur, ad eum tamen cur magnopere attendendum non ſit, traditionariorum nempe partibus addictiſſimo, iam monuimus. Schammaeanam vero ſcholam has quoque partes ſecutam eſſe, ex hiſtoria eius infra enarranda, vix dubium eſſe videtur, quae cauſſa eſt cur Schammai ſe diſcipulos eſſe ipſi Karaei [a] venditent. Neque veriſimilitudine deſtituitur eorum opinio, qui νομικὸς in ſacra euangeliſtarum hiſtoria memoratos [b] ex Karaeorum numero fuiſſe contendunt. Quaecunque enim Karaei nominis origo fuerit, illud certum eſt, et ab interpretibus recte animaduerſum, manifeſto in verbis LVCAE νομικὸς a Scribis et Phariſaeis diſtingui, illosque denotari, qui legem alia ratione quam Phariſaei et Scribae ſolebant, ſequendam eſſe ſtatuerent. Phariſaei enim ob traditiones πατροπαραδότους a Saluatore maxime culpabantur; hi, quod ex legis litera iuga alia hominum conſcientiis tanquam onera imponerent, reprehendebantur. Maximeque hanc νομικῶν explicationem iuuat Iudaeorum traditio, in Talmude Hieroſolymitano [c] narrans: *Quadringentas et octoginta ſynagogas fuiſſe Hieroſolymis, et vnicuique fuiſſe* בית ספר ובית תלמוד *domum libri ſiue ſcripturae, et domum Talmud ſiue traditionis oralis.* Ex quo recte

y) loc. cit.

z) Exemplo eſſe poteſt Cynicorum appellatio, quam a ſcommate originem traxiſſe obſeruat LAERT. in prooem. Eadem ratione Euangelicorum nomen Proteſtantibus haeſiſſe obſeruant IOVRTVS Relig. du monde T. II. p. 538. TRIGLANDIVS l.c. REIMMAN. l.c. p. 463.

a) R. Moſe Bethſchitſchi apud TRIGLAND. l. c. c. 6. p. 72. 94.

b) LVC. XI. 45. 46.

c) Megillat f. 73. conf. OLEAR. ad Matth. XII. 52. p. 417.

Digitized by Google

recte colligas, separatam a traditionariis factionem constituisse scripturarios. A quibus tamen τὺς γραμματεῖς, euangelistis memoratos malumus distinguere, quorum partes in explicanda lege, forte secundum allegoricam traditionariorum et Cabbalistarum methodum, fuisse versatas, et munus magis in synagoga receptum, quam sectam quandam innuere, facile viris doctis [d] largimur, qui Sopherim Synagogae huc aduocant: eo quod γραμματεῖς Pharisaeis addictos fuisse ex D. LVCA [e] constet: qui tamen alibi [f] eos ex parte Sadducaeis quoque adhaesisse, prodit. Karaeos vero huc aduocandos esse, ipsa Rabbanitarum persuadet traditio, quae audaci manu literas Karaeis suppositi, quibus Rabbanitis caedes Iesu a Karaeo imputatur, vt obseruatum Io. IAC. HVLDRICO [ff]. Nec alia forte ratio fuit Isaaco Orobio [g], cur Iesum Karaeorum partes secutum fuisse assereret, quam quod persuasissimum haberet, fuisse iam ista aetate homines inter Iudaeos, qui a traditionum studio Iudaeos auocarent. Quod si pro verisimili admittitur, νομικὸς fuisse Karaeos [h], constat inde, ante vrbis excidium stante Republica Iudaica a dignitatibus et muneribus eos non fuisse excluſos, et viros quoque spectatae famae et honoris in his partibus fuisse repertos. Ast post vrbis templique desolationem eo magis scripturariorum partes decreuisse oportet, quo magis et talmudicum studium, traditionibus a Iehuda sancto Sec. II in literas relatis crescebat, et Cabbalistica mysteria inualescebant, vtrique vero allegorica legis et scripturarum interpretatio infanda literalis sensus iactura suppetias ferebat, et eius auctoritas augebatur. Mirum itaque non est, munitis traditionibus per Gemaram, et confarcinatis innumeris Iudaeorum commentis adeo fuisse exinanitam Karaeorum factionem, vt tanquam contemtae et exiguae partis eorum in Talmude mentio iniiciatur: praesertim cum principes viri inter Iudaeos traditionariorum se partibus plerumque adiunxerint. Resumsit tamen vires caputque iterum extulit Karaeorum secta Seculo VIII, quo R. Ananus Ben Dauid eam restituit. Valde contemtim de hoc Anano loquuntur Rabbanitae, qui eum apostatam, haereticum, superbia elatum, et censura synagogae notatum fuisse clamant, et offensum Karaitarum sectam ex Sadducaea exsculpsisse mentiuntur. Rem ita narrat R. ABR. Ben DIOR [i]: *R. Iehudai tempore extitit Ananus eiusque filius Saulus. Qui quidem Ananus patria Betzuriensis atque initio Rabbanita fuit; sed obseruarunt in eo vitium quoddam, cuius gratia in Geonaeum non fuit promotus, neque etiam coelitus pro idoneo aestimatus est, vt fieret aechmalotarcha. Vnde ira aduersus eos in corde suo incensus emisit virus suum, conatusque est seducere filios Israëlis a traditione*

d) GOODWIN. Mos. et Aaron. L. I. c. 6. p. 117. RELAND. Antiq. SS. P. II. c. 9. §. 17. p. 253. seqq.
e) V. 17. VII. 30. XIV. 3.
f) Act. XXIII. 9.
ff) Ad Toldoth Iesu p. 85. conf. WOLF. ad MARDOCHAI de Karaeis praef. p. 8. BASNAGE Hist. des Iuifs L. II. c. 17. §. 7. p. 417. seqq.
g) Vid. TRIGLAND. l. c. c. VI. p. 66.
h) Conf. WOLF. Cur. phil. ad II. cc. BASNAGE l. c. p. 418. seqq.
i) Kabbal. hist. f. 66.

Digitized by Google

ditione ſapientum, quam inde a prophetis per teſtes veritatis ſufficientiſſimos oraliter propagatam tenent, declaratus ergo eſt a Senatu pro ſene rebelli, quod iudicibus non obediret. Tum ſcripſit libros et conſtituit diſcipulos, ſtatuta peſſima ex corde ſuo commentus. Poſt excidium enim Hieroſolymitanum Sadducaei attenuati ſunt, donec aſſurgeret Ananus eosque corroboraret. Alia Iudaeorum loca diligenter adduxit SCHVPARTVS [k]. Aſt dictaſſe haec Rabbanitarum inuidiam et calumniandi prurigínem, ex adductis eſt manifeſtiſſimum. Longe aliter Karaei, qui impudentia Rabbanitarum mendacia fortiſſimis argumentis euerterunt et Ananum virum cordatum, pium, legis amantiſſimum, ideoque a Rabbanitis magna inuidia et perſecutionibus preſſum demonſtrauerunt, qua de re tamen, cum inſtituti limites obſtent, dicere plura heic non licet, adeundus vero TRIGLANDIVS [l], qui totam Anani huius hiſtoriam docte et eleganter expoſuit. Nos vero ex ea hoc imprimis, quod ad praeſens argumentum maximopere pertinet, conficimus, non ab eo auctore demum conditam Karaeorum ſectam, ſed depreſſae et iacentis res reſtitutas fuiſſe, id quod ipſorum Iudaeorum euincunt teſtimonia a laudatis viris doctis allata. Ab eo tempore non defuere Karaeis viri docti legisque peritiſſimi, inter quos eminuere R. Menachem, R. Saadias Gaon et alii, quorum tamen hiſtoria, cum ad philoſophiae acta non ſpectet, in hiſtoria Iudaeorum literaria quaerenda eſt [m]. Non praetermittendus tamen R. Ioſeph, cognomento videns, qui in doctrina de cognationibus et matrimoniorum gradibus prohibitis lucem parti ſuae accendit, gradus certos prohibitos conſtituens, cum initio innumeris conſequentiis impediti vix perſonam vnam alteramque inuenirent, qua cum coniugium contrahere fas eſſe credebatur. Quo in negotio rem ad maiorem perfectionem perduxit R. Iehoſchua. De quibus legibus Karaeorum matrimonialibus, licet ad certum quoque philoſophiae moralis caput pertineant, hic tamen dicere nihil attinet, cum ad ſpecialia deſcendere non liceat, legendus tamen de iis IOANNES SELDENVS [n]. Seculo XII iterum Karaitarum diligentia eminuit. Valde enim in Rabbanitarum interpretamenta inſurrexerat R. Abu-Alpharaus Karaeus, qui in Palaeſtina vixit, et pentateuchum commentariis illuſtravit, quem cum valde concutere traditionariorum partes videret R. ABRAHAM BEN DIOR, notum illi *librum traditionum* titulo (*Sepher Hakkabbala*) notatum, oppoſuit, nec deſierunt Rabbanitae partes ſuas contra Karaeos magiſtratuum quoque implorata ope confirmare [o]. Quibus tamen non obſtantibus non potuere impedire

k) l. c. c. l. 49. conf. HOTTINGER. Hiſt. eccl. N. T. Sec. VIII. p. 545. quem cum DRVSIO de ſectis Iud. l. III. c 8. p. 136. fidem Iudaeorum fabulis dare potuiſſe meriro mireris. Plura affert TRIGLANDIVS l. c. p. 101.

l) l. c. conf. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 954. ſeqq. BVDDEVS Iſagog. Hiſt. theol. P. II. c. 8. p. 1652.

m) Videndi TRIGLANDIVS, WOLFIVS, REIMMANNVS ll. cc.

n) De vxore Ebraea L. I. c. 4. p. 12. conf. MARDOCHAI l. c. p. 26. WOLF. l. c. p. 564. REIMMAN. l. c. p. 481. ſeqq.

o) Conf. BVDDEVS Hiſt. phil. Hebr. c. 30. p. 154. HOTTINGER. l. c. Sec. XII. ſect. 4. p. 245. WOLF. l. c. p. 8. BARTOLOCC. Bibl. Rabb.

Digitized by Google

pedire inuidi Rabbanitae, quo minus Karaei coetus quoque ſuos haberent, qui hodie inter Turcas, Moſcouitas et Lithuanos reperiuntur [o]: tanta vero inuidia odioque premuntur a ceteris Iudaeis, vt cane peius et angue inuiſi illis ſint, citiusque Chriſtianum vel etiam Turcam ferant, quam Karaeorum quemquam, de quo odio memorabilia ſunt, quae viri docti paſſim annotauerunt [p].

Dogmata Karaitarum.

§. XXV. Dogmata Karaiticae ſectae pleraque ad interpretationem legis pertinent, et in hiſtoria theologiae Iudaicae enarrari debent, nec huius loci ſunt et inſtituti. Reperiuntur tamen inter ea quaedam, quae ad naturalem quoque theologiam referri poſſunt, et ex quibus iudicari poteſt, quem principiorum rationis cum reuelationis praeceptis coniunctorum vſum haec ſecta adhibuerit. Intelligi quoque ſine eorum dogmatum explicatione ſectae huius conſtitutio non poteſt, quibus a reliquis Iudaeorum ſectis diſtinguitur. Potiora huc redeunt [q]:

I. Non recipienda eſt alia fidei vitaeque norma, praeter ſcripta Moſis et prophetarum, quae ſola diuina auctoritate conſtant, et ex reuelatione diuina profecta ſunt. Caput hoc eſt atque cardo totius Karaiſmi, vt ex antecedentibus liquet, quo dogmate imprimis aduerſus traditionarios pugnabant [r]. Nihil itaque admittebant, quod non hauſtum eſſet ex diuinis oraculis. Quae, vt mox dicetur, interpretatione quidem doctorum explicabant, adeoque ad ſucceſſionem quandam doctorum ſuorum doctrinalem prouocabant; qua ratione traditionem quandam recepiſſe dici poſſent, aſt longe aliam, quam quae a Phariſaeis et Rabbanitis tradebatur. Hi enim patrum ſuorum conſtitutiones legi adiiciebant, illi interpretationem tantum anteceſſorum intelligebant recipiendam, qualem et ratio et interpretandi leges iniungerent. Alia vero in lege non comprehenſa nec recipiebant, nec pretium illis vllum ponebant, ſecus ac traditionis fautoribus placuit, qui traditiones non aequare tantum, ſed et praeponere literae legis non erubeſcebant [s].

II. Reiicienda itaque omnis traditio oralis, tanquam inuentum humanum, quatenus vel legis et ſcripturae literae contradicit, vel ex ea legitima conſequentia deduci non poteſt. Sequitur hoc ex priori dogmate, et fundamenta Phariſaicae et Rabbaniticae doctrinae euertit, quae legem ora-

Rabb. T. I. p. 19. BASNAGE l. c. L. II. c. VI. p. 436. ſeqq.

o) Conf. TENZEL. l. c. BASNAGE l. c. p. 438. Io. IAC. SCHVDT. memorab. Iud. P. II. L. VI. c. 27. §. 6 WOLF. not. Karaeor. l. c. alii.

p) Vid. SCHVDT. comp. Hiſt. Iud. L. III. c. 13. p. 528. Memor. Iud. l. c. p. 33. EISENMENGER Iudaiſm. detect. P. I. c. 8. p. 305. DIEFENBACH. Iud. conuerſ. §. 12. p. 503. BASNAGE p. 439.

q) Karaeorum doctrina ex libris eorum paſſim diſperſis, maxime vero ex R. IAPHETI LEVITAE (qui Seculo XII vixit, et varia ſcripta moralia et exegetica confecit, de quibus videndus WOLFIVS Bibl. Hebr. P. I. p. 671. ſeqq.) Catechiſmo ſiue explicatione decem articulorum fidei colligi poteſt, de quo libro videndus TRIGLANDIVS l. c. c. 10. 11. p. 283. qui et ipſe, vt et SCHVPARTVS II. cc. ſummam doctrinae Karaiticae, ex libris eorum nobis exhibuerunt. Hos ſecuti ſunt BASNAGIVS, REIMM. aliique.

r) Conf. CARPZOV. Introd. in theol. Iud. c. III. p. 11. TRIGLAND. l. c. c. IX. p. 126.

s) Conf. BASNAGE l. c. p. 381.

Digitized by Google

oralem, Moſi cum lege ſcripta traditam aequali auctoritate recipiendam commendat. Hinc reiecta Karaeis tota traditionum παραδόσεων farrago et compilatio Talmudica. Aliter quidem MORINO [s] viſum, qui Karaeos Miſchnam et Talmud colere, ſed iis auctoritatem ſupremam et diuinam non arrogare contendit, cuius opinionem ſecutus eſt RICH. SIMONIVS [t]. Sed falli eos atque fallere, luculenter probant obiectiones Karaeorum Rabbanitis factae, locaque clariſſima eorum, quibus omnem traditionem oralem reiiciunt: id quod ipſe MORINVS alio loco [u] agnouit et faſſus eſt.

III. In interpretatione vero legis et dogmatum ex ea deriuatorum attendendum eſt ante omnia ad literam legis, tum ad regulas interpretationis, quas ratio dictitat, et conſequentias inde enatas, et denique ad ſucceſſionem doctrinae doctorum, quatenus cum ſacris concordat literis [x]. Explicat haec aſſertio, qua ratione ſolam legis literam admiſerint: ita enim explicationi legis allegoricae opponebant literalem, canonibus tantum logicis et hermeneuticis nixam, et ad ſacra oracula reſtrictam. Et reieciſſe quoque Karaeos hagiographa et prophetarum ſcripta LEO MVTINENSIS [y] tradit, ſed reclamantibus Karaeorum monumentis, quae et commentarios nobis in libros ſacros exhibent, quales R. AHARON BEN IOSEPH in Pſalmos, Hiobum, et prophetas conſcripſit [a], et reſponſiones ex his ſanctorum ſcriptorum libris petitas ad Rabbanitarum obiectiones continent [b]. Aeque falſum quoque eſt, quod poſt SIMONIVM GVIL. CAVEVS [c] ſibi perſuaſit, reiicere Karaeos puncta vocalia; contrarium enim ex codicibus bibliorum punctatis, quibus vtuntur, patet. Nec tamen inde ſequitur, quod ſequi putauit Simonius, traditioni ita eos fauiſſe, eo quod per Maſorethas enata puncta vocalia pars ſint traditionis, quod argumentum contra Karaeos valde vrget auctor libri *Coſri* [d]. Totum enim commentum de origine punctorum Maſorethica reiiciebant, eo quod omni traditioni nuncium mittendum eſſe ſtatuebant. Qua de re legendus eſt BASNAGIVS [e].

IV. Quaecunque fundamento Scripturae S. carent, vana et inutilia ſunt, atque reiicienda [f].

V. Reiiciendae itaque ſunt interpretationes Scripturae legisque cabbaliſticae atque myſticae, et allegoricae [g].

VI. Articuli fundamentales hi ſunt: quod omnis exiſtentia materialis, videlicet orbes, et quicquid in iis eſt, ſint creata: quod horum creator

s) Exerc. L. II. ex. 7. c. 2. §. 1.
t) Hiſt. crit. V. T. L. I. c. 29. p. 163.
x) Antiq. Orient. ep. 13. p. 159. conf. SCHVPART. l. c. c. IV. p. 100. ſeq. WOLF. ad MARDOCH. de Karaeis p. 69. ſeqq.
y) Verba R. Iehuda Ben Eliezer affert Io. SELDENVS de vxore Hebraea L. I. c. 3. p. 7.
z) De ritibus et ceremon. Hebraeor, P. IV. c. I. §. 1.
a) Vid. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 121.
b) Exempla affert SCHVPART. l. c. p. 106.
c) Antiq. Apoſt. l. c.
d) P. III. §. 28. ſqq. p. 198. ſqq. e) l. c. p. 383.
f) R. Elias Ben Moſche apud SELDEN. de anno ciuili veterum Iudaeorum c. II. p. 10.
g) CARPZOV. l. c. c. 4. §. 2. p. 14. BVXTORF. Lex. Talmud. V. סוד p. 212. R. SIMON. Supplem. ad Leon. Mutin. P. V. c. 1. p. 140.

tor ipſe ſit increatus; quod nulla illi ſit ſimilitudo, ipſeque vnicus ex omni parte. Decem articulos fidei Karaei numerant, ex quibus hi tres primarii ſunt: reliqui ad veritatem legis Moſaicae, ſpemque Iſraëlis in Meſſia et reſurrectione ſpectant, ad noſtrum inſtitutum non pertinentes. In eos celebratiſſimum commentarium ſcripſit R. IAPHET LEVITA, magiſter R. Abraham Aben Ezrae. Strictim eos illuſtrat TRIGLANDIVS [h], qui haec noſſe cupientibus eſt legendus. Nos ex multis pauca tantum notamus, quae multo melius ratiocinatos fuiſſe, vel, ſi mauis, philoſophatos, Karaeos, quam Rabbanitas, in aprico ponunt. Aſſerunt veritatem erutam ex lege ope ratiocinii ex vno aliud inferentis, eo quod praeter lampada legis, lucernam quoque intellectus in manibus hominum eſſe dicunt: hanc vero ex illa ſuppleri et diiudicari debere aſſerunt. Deum ſibi ponunt viuum, exiſtentem, ſcientem, volentem, potentem, cauſſam operantem, a materia ſecretum, et ſimplicem, ſic vt attributa illius omnia ipſa eius ſint eſſentia, licet diuerſitatem in effectis ponant. Immutabilem ita dicunt, vt omnis mutatio ac varietas fiat ex parte obiectorum, quae actionem recipiunt, et non ex parte ipſius operantis. Creationem eſſe aſſerunt, quae vel fit ex nihilo vel ex re alia, quam creationem continuatam dicunt. Materiae primae exiſtentiam aeternam negant, eamque anteuertere Dei beneplacitum ſtatuunt. Quae et alia ipſis Karaeorum verbis probat TRIGLANDIVS [i].

VII. Quemadmodum ſcientia Dei eſt rerum omnium, ſic eius etiam prouidentia circa omnia et ſingula verſatur [k].

VIII. Homo neceſſario quidem indiget influxu diuino in ſuis operibus, anima nihilominus manet domina ſuae electionis et voluntatis: diſpoſitionem quoque habet a natura, ſtellis, temperamento etc. ſecundum quam formam et bonitatem influxus accipiat [l].

IX. Quatuor diſpoſitiones animae ſunt, mortis et vitae, ſanitatis et aegritudinis. Mortua eſt anima improba peccatis grauioribus inquinata; Viua, quae immunis a morbo peccatorum in bonis operibus incedit; Sana, quando rerum exiſtentiam, nexum ordinemque apprehendit; Aegra, quando ſtultitiam ſequitur. Iſtae diſpoſitiones inter ſe rurſus ſunt permixtae et ſex adhuc alias pariunt conſtitutiones [m]. Valde antiquam eſſe hanc diſtributionem affectionum animi vel diſpoſitionum hominis, ex noui foederis locis compluribus colligi poteſt [n], vbi ſanitas, morbi, vita, mors ad animum eadem fere ratione transferuntur.

X. Mens poſt mortem, ſi digna eſt, aſcendet in mundum intellectualem, qui ſeculum vocatur futurum et paradiſus, vt intellectualibus affixa viuat in aeternum. At ſi culpae obnoxia ſit, et repulſa ab habitaculo pro-

h) l. c. c. X. p. 150. Locum R. Aharon Ben Eliahu huc pertinentem lege apud SCHVPARTVM l. c. c. IV. p. 131. add. BASNAGE l. c. p. 400.
i) loc. cit.
k) Ibid.
l) Ibid.
m) Ibid. BASNAGE p. 408.
n) Collegit ea TRIGLANDIVS l. c. p. 157.

Digitized by Google

propter transgreſſiones ſuas, dolebit viuetque in anxietate et ignominia, quae eſt gehenna. Animarum vero transmigratio praua eſt opinio [o]. Opponi hoc vltimum aſſertum ineptis Phariſaeorum et Rabbanitarum ſomniis, ex infra dicendis conſtabit.

XI. Vera poenitentia quemuis tollit reatum [p]. Etiam hoc Rabbanitis oppoſitum, qui varios tollendi reatus gradus conſtituunt, et peccata quaedam poenitentia deleri, quaedam die expiationis tolli, quaedam afflictionibus expiari, quaedam ſola morte auferri ſtatuunt, quibus nugis melius ſapuerunt Karaei.

XII. Ieiunia ſtrictiſſime et accuratiſſime obſeruanda ſunt [q].

XIII. Vxoris ſororem ducere etiam poſt fata nefas.

XIV. Propinquitatis ex ſanguine et affinitate gradus in connubiis accurate obſeruandi ſunt. Nimios ea in doctrina Karaeos fuiſſe ſupra iam indicauimus, valdeque a Rabbanitis eo in argumento recedunt, id quod adeo aegre hi ferunt, vt Karaeos ideo Mamſerim, i. e. ſpurios vocare non dubitent [r].

XV. Angelos, coelum, ſidera adorare, idololatria eſt: ideo neque ſimulacra toleranda [s].

XVI. Cum tremore et reuerentia in precibus coram numine comparendum eſt [t].

Sunt et alia Karaeorum dogmata tum ad fidem tum ad vitam pertinentia, quae ex monumentis eorum collegerunt SCHVPARTVS, TRIGLANDIVS, BASNAGIVS [u], ſed non ad rationis praecepta referuntur, ſed ad legis interpretationem, e. g. de Sabbatho, de circumciſione, de feſtorum temporibus, de diuortio, adeoque ad noſtros limites non pertinent, ſed in hiſtoria theologiae Iudaicae liturgicae enarrari debent [x]. Ceterum quod ad Karaeorum hodie viuentium vitam attinet, ſobriam et honeſtam eam eſſe, plerique, qui de iis retulerunt, teſtantur, et manuum illos labore viuere, non foenore, narrant: nec aliter moralis, quae inter eos viget, doctrina patitur, quae parentum et praeceptorum reuerentiam et obſequium, diligentiam in opere manuum vna cum ſtudio legis, amorem proximi, beneficentiam, orationum ardorem, et ſimilia poſtulat, de quibus Karaeorum hiſtoriae enarratores conſulendi ſunt. Ex quibus intelligitur, longe melius Karaeos ſapere, quam Rabbanitas Phariſaico fermento infectos, licet hi illos pro maledictis et eccleſiae communione indignis habeant [y], eosque excommunicationis fulmine ſoleant percutere [z].

§. XXVI.

o) Ibid.
p) R. Aharon Ben Eliahu apud SCHVPART. l. c. c. IV. §. 21. p. 155.
q) SCHVPART. l. c. p. 159.
r) Vid. SCHVDT. Memorab. Iudaic. P. II. C. VI. c. 27. p. 32.
s) Quam ſuperſtitioſi ea in re ſint Karaei, docet TRIGLAND. l. c. p. 177.
t) Pulchra Karaiticorum magiſtrorum loca lege apud SCHVPARTVM l. c. p. 156.
u) Ll. cc. Add. RELAND. Antiq. SS. P. II. p. 248. 368 378. 401.
x) Philoſophiae quoque operam dediſſe Karaeorum nonnullos, exemplum R. Aharonis Ben Eliahu et R. Eliae Bethſchiti docet, vid. MARDOCHAI l. c. p. 145. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 149.
y) Vid. ST. RITTANGEL. ad Iezirah p. 33.
z) Vid. WVLFER. ann. ad R. Zeui Theriac. c. V. §. 8. p. 318.

Secta Phariſaeorum.

§. XXVI. Tertia Iudaeorum ſecta, omnium celeberrima, Phariſaeorum fuit, cuius res veteres et recentiores plurimi attigerunt [a]. Origines eius non minus, quam reliquarum ſectarum Iudaicarum, incertae ſunt, multisque virorum doctorum coniecturis et diſputationibus expoſitae, quod mirandum valde non eſt, cum non certum quendam auctorem habuerit, qui illam condidit, vt aliis ſectis obtigiſſe nouimus, ſed tacita quadam conſenſione quorundam primo videatur enata, et traditionis veneratione roborata tandem in ſectae conſtitutionem euaſiſſe. Et Phariſaei quidem ipſi, teſtante hiſtoria ſacra [b] ipſaque eorum, quam iactabant, ſucceſſione doctorum et doctrinae, Moſis ſe ſectatores eſſe ſuperbius oſtentantes, legem, quam praecipue fouebant, oralem a maximo legiſlatore profectam intemerata ſerie ipſis in manus traditam fuiſſe clamabant [c]. Verum inanem hanc eſſe iactantiam, ipſius diuini viri verbis [d] euidenter demonſtratur, qui ſe omnia, quae a Deo in mandatis acceperat, retuliſſe in literas teſtatur, vt taceamus, tam putidas friuolasque fuiſſe otioſorum hominum horum traditiones, vt legis literae valde contradixerint, id quod obieciſſe impiae familiae ſanctiſſimum Seruatorem in ſacra hiſtoria [e] legimus. Reiecta itaque commentitia origine, naſcentis ſectae initia ante reditum ex captiuitate Babylonica quaerenda non ſunt. Poſt eam vero cum vixerint Haggaeus, Zacharias, Malachias prophetae, nihilque in eorum ſcriptis ſit, quod ſuſpicionem faciat, eo iam tempore hanc ſectam viguiſſe, merito eorum quoque aetate iunior fuiſſe ſtatuitur. Quamuis enim veriſimillima videatur viri cuiusdam docti magnique in interpretandis ſacris literis acuminis [f] coniectura, adumbraſſe ſymbolico Vaticinio Zachariam hanc ſectam eiusque progeniem Rabbanitas et ſuſceptam Babylone collectionem talmudicam viſione epiſtolae volantis mulierisque ſedentis ſuper Epha; ex hoc tamen inferri non poteſt, iam tum floruiſſe ſectam, ſed potius, futuram adhuc fuiſſe, ita vt vaticinio praedici potuerit. Dubium itaque nullum eſt, ante obſignatum ſcriptorum Θεοπνεύστων canonem malam hanc ſectam originem non cepiſſe. Aſt non longe poſt ea tempora natales eius ponendos eſſe, ex iis liquet, quae ſupra de traditionis ſtudio mox poſt vatum diuinorum ex hac vita exceſſum inualeſcente diſſeruimus. Quamuis enim Haſidaeorum ſectam, quae Phariſaicam condidiſſe magno Scaligero viſa eſt [g], reiiciendam eſſe ſupra faſſi ſimus, concedi tamen, niſi veterum omnium narrationes reiicere velimus, debet, traditionis ſtudium, quod mature inualuit, ſectam hanc progenuiſſe. Hyrcani enim, et filiorum Ariſtobuli et Alexandri tempore magna iam auctoritate inter Iudaeos fuiſſe potitam, ea quae ſupra de Hyrcani et

a) Scriptores de Phariſaeis enumerat WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 816. ſeqq. addi iis poſſunt plerique, qui de ſectis Iudaeorum, de antiquitatibus eorum ſacris, et qui in euangelicam hiſtoriam commentarios ſcripſerunt.

b) MATTH. c. XXIII. c. 2. c) Conf. EISENMENGER. Iudaiſm. det. P. I. p. 56. ſeqq.

d) Exod. XXIV. 3. conf. IDEM l. c. c. 8. p. 302. ſeqq. 342. ſeqq.

e) MATTH. c. V. VI. VII.

f) B. G. GVST. ZELTNERI in diſſ. de muliere Hebraea per tranſennam docente.

g) Elench. trihaereſ. c. XXII. pag. m. 170. conf. RELANDVS Antiqq. SS. P. II. c. 9. §. 13. p. 249.

zed by Google

et filiorum rebus paucis diximus, et prolixe IOSEPHVS [k] exponit, euidenter probant. Errant itaque [l], qui ad tempora magis sera natales Phariſaeorum detrudunt; ex IOSEPHO [m] enim, qui ipſe ſectae huic addictus fuit, conſtat, tempore Ionathae pontificis hanc ſectam iam floruiſſe. Quare non audiendus eſt doctiſſimus BASNAGIVS [n], qui eo tempore ſectam Phariſaeorum enatam demum fuiſſe coniicit. Verba enim Ioſephi ſatis luculenter nos docent, Aſſamonaei huius pontificis aetate tres inter Iudaeos ſectas, Phariſaeorum, Sadducaeorum, et Eſſenorum iam floruiſſe. Id quod ex addita quoque Sadducaeorum ſecta intelligitur, quae non iſto demum tempore exorta eſt, ſed Antigoni Sochaei diſcipulis ſi non origines, certe incrementa et conſtitutionem ſectariam debuit: Antigonus vero tribus fere ſeculis ante C. N. vixit, adeoque Sadducaei Ionathae temporibus antiquiores ſunt; quos cum eodem in ordine collocet Ioſephus, recte inde colligitur, loqui eum non de natalibus ſectarum, ſed de adoleſcentia vel adulta forte iam iuuentute. Ex his vero altera quoque BASNAGII [o] coniectura refellitur, cui veriſimile videtur, ſchiſma, quod Hillelis et Schammai ſcholae pepererunt, occaſionem Phariſaiſmum effingendi dediſſe. Aſt fallitur vir doctus, qui falſo ſibi perſuaſit, Hillelem tempore Ionathae Maccabaei trecentis ante reſtitutam mundo ſalutem annis vixiſſe. Ex vnanimi enim et concordi Iudaeorum conſenſu euincitur, centum tantum annis praeceſſiſſe doctores hos celeberrimos excidium Hieroſolymitanum [p]. Quorum auctoritatem et fidem cum reiiciat vir doctiſſimus, audiendus illi eſt S. HIERONYMVS [q], ad quem ipſe prouocat, eiusdem ſcilicet opinionis auctorem, ex Schammai et Hillel ortos eſſe Scribas et Phariſaeos. Ille enim diſerte: *Schammai et Hillel non multo prius, quam Dominus naſceretur, orti ſunt in Iudaea.* Ionathas autem non trecentis quidem ante N. C. centum tamen et triginta circiter annis pontificatui praefuit, adeoque eius temporibus vtriusque doctoris aetas eſt inferior. Rectius itaque inſtituit vir doctiſſimus viam, faſſus [r] melius eſſe, confiteri, quod lateant verae ſectae Phariſaicae origines, quam eas inutili caſſoque labore quaerere: vidit enim ipſe, Alexandri Iannaei tempora, quibus eam floruiſſe indubitatum eſt, Hillelis tempora ſuperare. Nec dubitamus nos huic parti accedere, quam et alii viri docti elegerunt, rati vix certum natae ſectae tempus poſſe definiri, eo quod non ſimul atque ſemel extitit, ſed ſuccedente tandem tempore ex traditionis amore atque venera-

k) Antiqq. Iud. L. XIII. cap. 24. p. 463. ſeqq.

l) NATALIS ALEXANDER Hiſt. eccleſ. V. T. aet. mundi VI. c. I. art. 5. §. 3. p. 252.

m) l. c. c. 9. p. 442.

n) Hiſt. des Iuifs L. II. c. 17. §. 2. p. 447.

o) l. c. p. 446.

p) Loca eorum diligenter adduxit Cel. WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 824.

q) Ad Iſaiae c. VIII.

r) loc. cit. p. 444. Ita etiam HOTTINGER. ad Goodwin. p. 178. BVNDERVS Hiſt. eccl. V. T. T. II. p. 1201.

Digitized by Google

neratione exorta fuiſſe tandemque in iuſtum ſectae corpus coaluiſſe videtur. Illud veriſimile eſſe nemo paulo ad hanc rem attentior negabit, mature poſt reditum ex captiuitate, et deſinentia vatum diuinorum oracula, cum canonis ſacri iam facta eſſet obſignatio, traditionis ſtudium inualuiſſe. Nam quae de Bath-Kol, *Θεοπνευσίας* ſecundariae genere his temporibus florente tradunt Iudaei, omnino ſuſpecta ſunt, ſatisque produnt, eo fini tantum conficta eſſe, vt traditioni indies increſcenti et augmenta capienti diuina aliqua conciliaretur auctoritas g). Iſtis vero traditionibus cum *ἐκσοιαζόμενοι* legi praeſtare obſequium etiam ſupererogatorium ſe poſſe crederent, non potuit non hypocriſi, fictae pietati, ſuperbiaeque animi ſanctitatem aliquam praeſtantiorem ſibi perſuadenti porta aperiri patentiſſima, eneruari pietas vera, et non fucatum legis ſtudium, opera commendari ſuperficiaria, et internae corruptionis emendationem non poſcentia, magnam tamen ſanctitatis elegantioris ſpeciem prae ſe ferentia, ſicque via ad vitam, quam damnata propria operum iuſtitia, alia longe ratione lex poſcebat, digitumque ad meliora aliunde acquirenda intendebat, quaeque ſenſim ex animis elabebatur, reddi plana quidem et facilis, et ſine magna lucta ineunda, aſt certiſſime ſimul in hac *ἰθελοθρησκείᾳ* amittenda. Ita vero ſaluo paſſionum humanarum imperio cum per traditionum obſeruationem ſanctitas ſuperbiens et fucata triumpharet, debuit omnino magnam hoc inſtitutum ſectatorum ſibi cateruam conciliare, cui cum meliora videntes et afferentes contradicerent, et tum legis literam ſolam ſequendam, eiusque obſeruationem *κατὰ τὸ ῥητὸν* tenendam eſſe contenderent, tandem in ſectam diſceſſum et ſchiſma enatum eſt. Ex his vero non inepte coniicimus, Phariſaeorum ſectam eandem prae ſe ferre antiquitatis notam, quam habet ſecta Sadducaea. Veriſimile enim eſt, aut traditionum abuſum, et ſeparationem hominum affectata pietate turgentium occaſionem dediſſe Sadducaeis ineptam mercedis ex operibus ſupererogatoriis conſequendae ſpem reiiciendi, et ſimul omnem praemiorum poſt hanc vitam dandorum expectationem ridendi, aut, enata ex male intellectis Antigoni praeceptis Sadducaeorum haereſi, fuiſſe quosdam ex legis oralis et traditionis cultoribus, qui in oppoſitam dogmatum rationem et contrarium ſyſtema conſpirauerint, ſicque in duas familias ſegregandi populum Iudaicum occaſionem dederint. Quamcunque ex his amplectamur ſententiam, veriſimile eſt, vnam ex his ſectis alterius condendae dediſſe occaſionem. Id quod non ſine magna probabilitate nobis perſuadet contraria prorſus vtriusque ſectae dogmatum ratio, ex qua nullo negotio intelligitur, vnam alteri fuiſſe oppoſitam, et anſam feciſſe Phariſaiſmo ſtudium a Sadducaeis et communi turba hominum, legis tantum ex verborum ſtricta ſignificatione obſeruantium, ſe ſeparandi et meliorem ex traditionibus patrum eorumque interpretatione ſanctitatem in vita exprimendi. Quae coniectura valde, niſi fallimur, con-

g) Conf. B. Io. Andr. Danzii diſſert. de בחקל.

Digitized by Google

confirmatur, ſectae Phariſaicae nomine. De quo quidem varias et diuerſas inter ſe doctorum opiniones eſſe, non inficiamur, tales tamen, vt pleraeque non ſatis faciant. Quidam enim a voce פרש, quae explicandi et interpretandi ſignificationem obtinet, Phariſaeos dictos fuiſſe coniiciunt, quaſi פרשים explanatores vel interpretes legis dicas. Aſt hoc etymon vel ſola Phariſaiſmi conſtitutio reſpuit, quae, tantum abeſt, vt in legis interpretatione ſola conſtiterit, vt potius legi ſcriptae aliam oralem ab ea diuerſam adiecerit. Cumque Sadducaei legis interpretationi literali prae Phariſaeis fauerint, credibile non eſt, hos id nominis obtinuiſſe, quod aduerſariis meliori iure eſſet tribuendum. Aliis Phariſaei, quaſi explicatores dicti ſunt, eo quod phylacteria, zizith, eleemoſynas, precationes, et reliqua opera ſupererogatoria latiſſimis verbis explicarent; aſt frigidum hoc eſſe, nemo non videt. Qui vero cum HIERONYMO vocem a פרץ deriuant, ipſa deriuatione nominis et literarum, aliam radicem prodentium, refutantur [r]. Ingenium magis ſapit CAMPEGII VITRINGAE [s] opinio, qui a voce פרס, quae mercedem ſignificat, nomen Phariſaeorum deriuandum eſſe tuetur. Nempe coniicit vir eruditiſſimus, occaſionem ſchiſmatis inter Sadducaeos et Phariſaeos dediſſe quaeſtionem, vtrum operum poſt hanc vitam merces expectanda ſit, nec ne? Poſterius tenuiſſe diſcipulos Baithoſi et Zadocki, quibus Sadducaeorum inde nomen adhaeſerit; prius affirmaſſe Phariſaeos, nomen inde adeptos, quod mercedem expectandam eſſe ſtatuerent. Ita nempe Phariſaeum idem dicere ac mercenarium. Non deſtitui hanc nominis iſtius explicationem veri aliqua ſimilitudine, fatemur, praecipue cum in antecedentibus iam oſtenſum ſit, vtramque ſimul ſectam videri ortam, certe vnam alteri condendae dediſſe occaſionem. At ſunt, quae hic quoque aſſenſum cohibent. Nam mercedem non omnem negabant Sadducaei, ſed praemiorum in hac quidem vita expectationem dari vltro concedebant, adeoque non omnem mercedem reiiciebant: nec haec vna mercedis in futura vita expectandae ſpes Phariſaeos a Sadducaeis diſtinguebat, ſed traditionum potiſſimum admiſſio, quaeque illis inaedificabantur bona opera, vitaque a communi viuendi ratione tota ſeparata. Quare excuſſis omnibus de vocis huius originatione ſententiis in veteri illa opinione, velut omnium verisimillima, acquieſcendum putamus, quae nomen hoc a פרש, ſeparauit, deriuat, quam SVIDAS [t] iam exhibuit, qui luculenter: *Φαρισαῖοι οἱ ἑρμηνεύμενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτὸς τῶν ἄλλων ἁπάντων εἰς τε τὸ καθαρώτατον τῦ βίυ καὶ ἀκριβέστατον καὶ εἰς τὰ τῦ νόμυ ἐντάλματα. Phariſaei, ſi vocem interpreteris, ſeparati, quod ſe ab aliis omnibus diſtinguerent, et ſepararent, vt vitam puriſſimam et accuratiſſimam ſecundum legis praecepta agerent.* Quam nominis huius deriuationem grauiſſimis

r) Dicendi enim fuiſſent פרצים non vero פרשים.

s) Obſ. SS. L. I. p. 223. ſeqq.

t) In Φαρισαῖος T. III. p. 588.

rationibus adducti assumserunt viri multi doctissimi *. Totam enim naturam Pharisaismi ita eleganter exprimi quilibet videt, quae in eiusmodi separatismo constitit, quo a communi hominum viuendi ratione, victu, amictu, conuersatione, legisque oralis studio se separauerunt, de qua separatione in sequentibus prolixius dicemus. Sed separauisse se quidem huius familiae alumnos a communi cultu diuino non legimus; eum enim Iudaeis omnibus, quascunque etiam partes sequerentur, communem fuisse constat; at vitam, ritus, ceremonias, consuetudinesque innumeras a reliquorum Iudaeorum moribus prorsus dissonas affectasse Pharisaeos, veterum concors est testimonium. Anima tamen Pharisaismi fuit lex oralis et traditiones patrum, quas a maioribus acceptas ad ipsum Mosen retulisse, et in iis augendis, explicandis ornandisque totos fuisse, et sacra historia et ipse IOSEPHVS * testantur. Hic enim magnus ille canon sectae otiosae et nugacis fuit: accepisse Mosen in illo quadraginta dierum spatio, quo in monte Sinai versatus est, praeter legem scriptam, aliam quoque ab archangelo Metatrone, eamque septuaginta senioribus populi oretenus aperuisse, et vt pari ratione traditione orali vna cum lege scripta ad posteros eam propagarent, praecepisse. Hae traditiones cum ab otiosi ingenii hominibus post captiuitatem Babylonicam essent excogitatae, et valde perniciosis corruptae vitiorum et cupiditatum oestro mentis desideriis velificarent, in tantum excreuere, vt non legis tantum scriptae auctoritatem supprimerent, sed et illi longe praeferrentur; qua de re, qui impias plane voces Rabbanitarum, Pharisaeorum vestigiis presse insistentium legere cupit, apud Io. ANDR. EISENMENGERVM) abunde inueniet, quod horrorem incutiat. Ita vero traditionum studio semel in throno quasi posito non defuisse cultores, censendum est, qui vt meliorem vitae semitam ingressi viderentur, impietati huic collum submiserint, hancque sectam hypocriticam constituerint. Valde vero huius sectae pomoeria dilatata sunt, scholae Hillelianae studiis. Quamuis enim falsum esse supra demonstratum sit, Hillelem fuisse Pharisaeorum parentem, negari tamen non potest, dissensum scholae Hillelianae a Schammaeana valde res Pharisaeorum auxisse *. Illa enim cum in studio legis oralis et traditionum maximam industriam poneret, hac legi scriptae adhaerente, cumque maximus esset domus Hillel discipulorum numerus, dubium non est, Pharisaeorum familiam magna inde incrementa cepisse. His vero accesserunt artes aliae, quibus res Pharisaeorum mirum in modum promotae sunt. Effecit enim

*) Conf. de etymo huius nominis disputantes DRVSIVM de sectis L. II. c. 2. 3. p. 41. seqq. SPANHEM. Dub. euang. P. III. p. 104. NICOLAI ad Sigon. de rep. Hebr. p. 421. aliosque laudatos AVG. PFEIFFERO Dub. vex. p. 889. et WOLFIO Bibl. Hebr. P. II. p. 817.

*) De B. I. L. II. c. 12. p. 758. Antiqq. Iud. L. XIII. c. 18. p. 453. L. XVII. c. 3. p. 585.

) Iudaism. detect. P. I. c. 8. p. 329. conf. HORNBECK. de Iud. conu. L. I. c. 3. p. 108. SCHVPART. de Karaeis p. 45. seqq.

*) Conf. GRIGARVS de Hillele et Schammai. Non constituerunt quidem duas sectas, sed duas domus siue scholas, verum contrariis tamen se factionibus addixerunt, conf. DRVSIVS c. 8. p. 50.

Digitized by Google

enim affectata ſanctitas, ſtudiumque pietatis ſingulare et ſpecioſum, vt Phariſaeorum partes apud plebem plurimum valerent, et non eius tantum applauſu, ſed et aſſenſu et voluntate Phariſaei gauderent. Quod diſplicuit quidem reipublicae proceribus, qui aegre ferebant, Phariſaeos, audax hominum genus, quod ſe regibus opponere non erubuit, vt ipſe notat IOSEPHVS [a], fauore plebis ad euertenda imperantium conſilia abuti: aſt peruicit tamen haud raro eorum pertinacia, vt nec morte, nec exilio, nec alia calamitate expugnatis cedere haberent neceſſe, cuius illuſtre exemplum Hyrcani exhibet hiſtoria, cuius filius Alexander ideo ratione ſtatus politica vſus ſuaſit vxori, vt Phariſaeorum partibus faueret, ſicque plebis ſibi partes per eos adiungeret, quod magno ſuo commodo illam quoque feciſſe, IOSEPHVS [b] narrat. Eandem tragoediam Herodi Magno quoque ſaepius excitarunt, de qua re Iudaicae gentis annales conſulendi ſunt. Hac vero ratione dura ſibi ipſis haud raro fata acceleraruntſaeuientibus aliquoties in rebelles Phariſaeos imperantibus. Alexander enim rex octingentos cruci affixit, Sadducaeis, vt ex tota rei ſerie manifeſtum eſt, haec iis fata maturantibus [c]. Nec mitior in eos fuit Herodis ira. Aſt quam vi repellere non poterant aduerſae partis potentiam, plebis fauore et factione, quae tota illis adhaeſit, fregerunt. Illi enim ſe vehementer commendauerant, partim ſanctitatis affectatione minutiſſima quaeuis ſectante, partim traditionum oralium impletione ad rigorem vsque obſeruata, partim operum ſingulari et ſpecioſa conditione; maxime vero indulgentia in iudicando, qua in Synedrio aliisque dicaſteriis erga plebem vtebantur. Et iſtis quidem artibus ita ſibi deuinxerunt plebis animos, vt ſemper ab eorum partibus ſtaret [d]; potentes autem, qui eorum artes timebant, haud raro eorum ſibi fauorem conciliare cogerentur. Mirum itaque non eſt, et numero et auctoritate maxime creuiſſe ſectam Phariſaeorum, et muneribus in republica et ſacerdotio admotam fuiſſe ſummis [e], et in omnibus fere negotiis publicis et priuatis plurimum valuiſſe. His acceſſit eruditionis opinio, quam iis traditionum ſtudium comparauerat. Et haec quidem Phariſaeorum ante templi et reipublicae excidium fata fuere. Poſt illud collectis populi Iudaici reliquiis, cum reliquae ſectae diſpergerentur, vna Phariſaeorum obtinuit, et in ſynagogis regnauit. In quibus cum Seculo II et ſequentibus traditionum compilationes colligerentur, et humani ingenii commenta corpus aliquod conſtitutionum Iudaicarum conſtituere inciperent, nouo ſpiritu ita haec ſecta animata eſt, vt, licet Phariſaeorum nomen audiri deſineret,

a) Antiq. Iud. L. XVII. c. 5. p. 585.
b) l. c. L. XIII. c. 23. p. 463.
c) Ibid. c. 24. p. 464. vbi quidem Sadducaei non nominantur, ſeries vero rei ipſa prodit, eos regem inſtigaſſe. Nodum in ſcirpo hic quaerit P. BAYLE Dict. T. IV. art. Sadduceens p. 114. not. D.
d) IOSEPH. Antiq. Iud. L. XIII. c. 18. p. 453. c. 23. p. 463. de B. I. c. 4. p. 416.
e) Et ſummo pontificatui ſaepius praefuiſſe et maiorem ſynedrii partem conſtituiſſe ſacra nos docet hiſtoria, colligique imprimis ex Io. IX. 13. poteſt, vbi Phariſaei pro Synedrio ponuntur, eo quod maiorem eius partem conſtituerent, et Sadducaei illis ſe opponere raro auderent, conf. LIGHTFOOTVS ad h. l.

tota tamen fere Iudaeorum natio in Phariſaiſmum reapſe conſpiraret, et doctores Iudaici principiis Phariſaicis ſolis inniterentur. Vnde qui Rabbanitae poſtea dicti ſunt, Phariſaeorum propago genuina ſunt cenſendi. Vixque hodie Iudaeus aliquis (ſi Karaeos exceperis) deprehenditur, qui non Phariſaeum in ſinu atque pectore geſtet, huiusque ſectae dogmata apertis amplectatur brachiis, id quod doctus inter recutitos vir MENASSE BEN ISRAEL[f] ipſe eſt faſſus.

Dogmata Phariſaeorum.

§. XXVII. Dogmata Phariſaeorum, vt ex veterum relationibus innotuere, haec potiſſimum fuere:

I. Praeter legem ſcriptam dari etiam oralem, quae a Deo Moſi in monte Sinai per angelum Metatron tradita, ſucceſſione patrum ad poſteros orali traditione peruenerit, ei vero non minus deberi obſequium, quam legi ſcriptae, immo praeferendam huic eſſe.

II. Vtramque legem non impleri tantum ſicque iuſtitiam apud Deum iſta legis exacta obſeruantia acquiri poſſe, ſed et eſſe ſatis virium homini, ad praeſtanda opera ſupererogatoria, et iuſtitiam legis ſuperantia, eo quod ab illa non poſcantur[g]. Anima hoc dogma totius Phariſaiſmi eſt, qui in eo ſuperbiam animi ſtulte ſe efferentis aperte prodidit. Ita vero Phariſaeos docuiſſe, et hoc fermento totam fere gentem ſuam infeciſſe, D. PAVLVS locuples teſtis eſt, qui contra hanc iuſtitiam Phariſaicam in epiſtolis ad Romanos et Galatas fortiſſime diſputauit. Qua de re cum nobis prolixis eſſe non liceat, legenda ſunt, quae eruditiſſimi viri HERMANNVS WITSIVS[h] et IACOBVS BASNAGIVS[i] eleganter diſſeruerunt, quae multum lucis huic Phariſaeorum dogmati conciliabunt.

III. Ad obtinendam vero et conſequendam hanc iuſtitiam neceſſe eſſe, vt homo pro peccatis Deo faciat ſatis, ita nempe, prout peccati conditio poſtulat. Nempe id fieri vel ieiuniis, vel eleemoſynis, vel lotionibus et ſacrificiis, vel confeſſione et deprecatione peccatorum, vel luſtratione poſt hanc vitam. Multa de his ſatisfactionis generibus atque claſſibus doctores Miſchnici et Gemarici praecipiunt[k], quos recepiſſe doctrinam Phariſaicam ſupra monuimus.

IV. Eſſe vero hunc iuſtitiae operibus acquirendae fontem eo magis cunctis apertum, quo magis cogitatio cordis inter peccata referri non debeat, niſi deducatur in actum. Sequitur hoc ex liberi arbitrii viribus, quas naturali hominis conditioni Phariſaei et Rabbanitae tribuunt. Qui pecca-

f) De termino vitae L. I. ſ. III. p. 19. pluribus hoc probat Io. IACOB. SCHVDT. memorab. Iud. P. II. L. VI. c. 27. §. 11. p. 35. ſeqq.

g) Plura ea de re iam in antecedentibus dicta ſunt. Conf. DRVSIVS l. c. L. II. p. m. 67.

h) Miſcell. Sacr. T. II. exerc. XXI. p. 698. ſeqq.

i) Hiſt. des Juifs L. II. c. 18. p. 474. ſeqq. edit. vltimae. Pariſienſis enim ea non habet, conf. BVDDEVS Inſtit. theol. dogmat. L. IV. c. 4. § 16. p. 1352. ſeqq.

k) Loca eorum adducunt WITSIVS loc. cit. SCHVPARTVS de Karaeis p. 155. ſeqq. Io. A LENT. theol. Iud. c. XIII. p. 407. ſeqq.

Digitized by Google

peccatum quidem originale paſſim fatentur, et neceſſitatem peccandi accuſant, quin ab vtero matris adeſſe figmentum cordis iniquum inculcant, at, vt ex toto ſyſtemate patet, peccati malitiam ita ab eo auferunt, vt, quod facere ſatis legi poſſit, in hominis viribus eſſe, audacter pronuncient [l]. Nec conſtare poteſt iuſtitia Phariſaica, niſi cogitatio animi ex peccatorum numero eximatur. Valde vero vrſiſſe hanc arbitrii liberi potentiam, et mali fomitis rationem nullam habuiſſe Phariſaeos, ex D. PAVLI diſputatione in *epiſtola ad Romanos* [m] eſt manifeſtiſſimum.

V. Eſſe non tantum Deum creatorem coeli et terrae, ſed et prouidentiam diuinam, eamque eſſe fatum. Ita quidem de Phariſaeis IOSEPHVS [n], qui cum ipſe gente Iudaeus et ſecta Phariſaeus fuerit, omnino fidem meretur et audiendus eſt. Eius vero loca vbi recte expenduntur, intelligitur, illos fatum non ſidereum vel aſtronomicum, ſed diuinum, nempe prouidentiae diuinae influxum in res atque actiones hominum intellexiſſe. Nec his obſtant, quae obiici ſolent [o], Ioſephum nimio Graecanicam philoſophiam cum domeſtica comparandi ſtudio adhibita voce εἱμαρμένη, cui nulla Hebraica exacte reſpondeat, Phariſaicum hoc dogma corrupiſſe. Facile enim largimur, non ſatis apte ex Graecorum ſcholis ad exprimenda Iudaica dogmata Ioſephum hanc vocem adhibuiſſe, cum vox ipſa, quae variae apud Graecos ſignificationis eſt, prout in ſyſtemate aliquo adhibetur, illud non ſatis exprimat, quod Iudaei de concurſu diuino circa res et actiones hominum eiusque in vires humanas influxu ſtatuunt: ſed non adulteraſſe tamen Phariſaeorum doctrinam, Dei prouidentiam ita in partes humanarum actionum vocantium, vt ſaluae tamen maneant liberi arbitrii vires, ex verbis eius ſatis manifeſtum eſſe putamus: *Fato et Deo omnia tribuunt et facere iuſta vel ſecus plerumque in hominum poteſtate eſſe putant, ſed ad ſingula adiuuare etiam fatum.* Ex his enim luculenter intelligitur, concurſum iſtum diuinae prouidentiae ad actiones hominum intelligi, de quo tres illae ſectae inter ſe diſſentiebant, quarum vna Deo nihil, hominibus omnia tribuebat, nempe Sadducaea, altera hominibus nihil relinquens cuncta ad Dei influxum referebat, nempe Eſſena, tertia medium tenens inter vtramque Deo aliquid adſcribebat, aliquid ad homines referebat, nempe Phariſaica. Ipſe vero IOSEPHVS [p], ſatis alio loco prodit, hanc eius mentem fuiſſe, ſcribens: Οὐ δὲ τῷ ἀνθρωπείῳ τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῇ ἑρμῆς ἀφαιρεῖνται· δοκῆσαν τῷ Θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ, καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετὰ ἀρετῆς ἢ κακίας, *non tamen tollunt humanae voluntatis determinationem, ſed putant eſſe temperamentum aliquod inter Dei voluntatem et voluntatem hominis vt concurrant ad bonum malumque.* Et alibi: *Bonum iuſtumque facere vel non, quoad potiorem partem, in humanis viribus eſſe.* Conſpira-

re

l) Conf. Io. A LENT. loc. cit. c. X. §. 16. p. 362. ſeqq.
m) cap. VII.
n) Antiq. Iud. L. XIII. c. 9. p. 442. L. XVIII. c. 2. p. 617. de B. I. L. II. c. 12. p. 788.
o) Vid. BVDDEVS Hiſt. eccleſ. V. T. T. II. p. 1202.
p) Antiq. Iud. L. XVIII. c. 2. p. 617.

re hoc cum toto ſyſtemate Phariſaico, ex dicendis aperte conſtabit; ita vero errare eos [f] intelligitur, qui fatum ſidereum, quod Iudaei מזל vocant, huc trahunt, quo in errore praeiuit recentioribus EPIPHANIVS [g]. Qui alium peperit apud DRVSIVM [h], ex fati ſiderei aſſertione neſcio quod ſtudium aſtronomicum inter Phariſaeos exſculpentem, et ABRAHAMI ZACHVTI verba huc aduocantem: *Credunt planetam iuuare; nihilominus relinquitur liberum arbitrium in manu hominum.* Nihil horum vidit Ioſephus, qui ſectae ſuae dogmata accurate didicit, ſed lequitur, vt plerique Phariſaei, de concurſu diuinae prouidentiae, conſilii vel decreti cum actionibus voluntatis humanae: quam veram Phariſaeorum mentem fuiſſe, vel ex vno *pirke abhoth* [i] loco abunde colligi poteſt. Quae in contrariam partem vrſerunt Baronius et Bullus, ad ea docte reſpondit IACOBVS BASNAGIVS [k]. Ex his vero ſequentes aſſertiones de liberi arbitrii cum conſilio prouidentiae diuinae concurſu fluunt:

VI. Habere fatum influxum in actiones hominum, resque omnes, id eſt, prouidentiam diuinam ad res omnes concurrere.

VII. Fieri itaque res naturales omnes earumque euentus ex influxu fati, prout eas conſtituit.

VIII. Nihil itaque poſſe hominem ſine influxu et auxilio diuinae prouidentiae.

IX. Ita tamen per eam non tolli libertatem humanae voluntatis in actionibus ſuis, ſic vt decernere bonum vel malum, idque exſequi quoque poſſit. Pentas haec aſſertionum ex allato primo dogmate naturali conſequentia fluit, ſicque Ioſephus intelligi et a contradictione apparente liberari poteſt. Intelligitur etiam, qua ratione inter Sadducaeorum et Eſſenorum doctrinam de concurſu Dei ad actiones hominum mediam ſententiam Phariſaei tenuerint. Ex his vero diiudicanda quaeſtio eſt, vtrum Phariſaei Stoicorum propago fuiſſe cenſendi ſint? Cuius partem affirmantem IOSEPHI [l] munit auctoritas, qui Stoicis proxime acceſſiſſe Phariſaeos primus tradidit. Ioſephum ſecuti ſunt recentiores multi [m], quorum numero et nos calculum olim adiecimus [n]. Augent affirmationis veriſimilitudinem mores Phariſaeorum hypocritici, magnifici, externa ſpecie ſplendentes, doctrina moralis ad rigorem excedens, et meteora ſequens, quales mores Stoicos quoque expreſſiſſe ſuo loco demonſtrauimus. Re tamen accurate expenſa aliter ſtatuendum, et negatiua amplectenda videtur, eo quod magnum inter Stoicum et Phariſaicum fatum diſcrimen intercedere dicta abunde demonſtrent. Stoici enim, licet fatum Deum quoque interdum vocitent, re ipſa tamen immutabilem vniuerſi ordi-

g) DRVSIVS l. c. L. II. c. 21. p. 112. BARONIVS ad Ann. LX. p. 600. BVLLVS Harmon. Apoſt. diſſ. II. c. 15. p. 96. NICOLAI ad Sigon. de rep. Hebraeor. p. 412.
h) Haereſ. XVII. T. I. p. 34.
i) loc. cit.
k) c. III. n. 15.
l) l. c. L. II. c. 18. §. 8. p. 458. ſeqq.
m) In vita ſua p. 999.
n) Vid. BVNDIVS Hiſt. philoſ. Hebr. §. 19. p. 86. FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. II. n. 508.
o) In Otio Vindel. Mel. I. §. 4. p. 25.

Digitized by Google

ordinem ineuitabili nexu et ſequela cauſſarum atque euentuum in ſe complicatum a parte, quae in vniuerſo eſt, agente, id eſt, a Deo diſtinguebant, huncque illi ſubiiciebant, ita quoque hominem fati legibus conſtringi ſtatuebant, vt quam ei libertatem tribuere videntur, in ſolo earum actionum conſenſu, quae euitari etiam ab inuitis nequeunt, ponant. Aſt longe alia Phariſaeis placuere, teſte ipſo Ioſepho; nam hi ita Dei voluntatem concurrere cum humanae voluntatis actionibus docebant, vt homo earum ſolus et liberrimus auctor eſſe, et bonum eligere vel non eligere poſſet: quae immani diſcrimine a Stoico dogmate diſtant. Quae vero vrgetur morum ſimilitudo, infirmiſſimo argumento nititur. Eo enim admiſſo ſequeretur, omnes hypocritas, qui Curios ſimulant et Bacchanalia viuunt, eſſe Stoicorum propaginem, quod eſt abſurdiſſimum. His accedit, longe alio ex fonte profluxiſſe Phariſaicam hypocriſin, quam Stoicam. Illa enim ex inani falſaque perſuaſione, externis operibus legem impleri, et iuſtitiam acquiri poſſe, enata eſt. Haec errorem impium, animum eſſe particulam Deitatis, parentem habuit. Etſi concedamus etiam, quod tamen concedere nulla neceſſitas poſtulat, conſentire quaedam Phariſaeorum dogmata cum praeceptis Stoicorum, nondum tamen inde inferri poteſt, ex Stoa Phariſaica dogmata emanaſſe, ſed demonſtrandum prius eſt, quo canali ad Iudaeos Stoica παραδόξα fluxerint, id quod oſtendi non poteſt, cum Phariſaeorum ſecta aetate Zenonis partibus vix ſit inferior, nec qua ratione hae ad Iudaeos peruenerint, demonſtrari queat. Ioſephi autem auctoritas hac quidem in re nulla eſt. Is enim non Stoica dogmata ſtatuiſſe Phariſaeos ſcribit, ſed affinia iis tradidiſſe monet, nempe voluit Graecis, in quorum gratiam ſcribebat, ſectas Iudaicas inſtitutas aliquali cum Graecis comparatione clariores facere: vt taceamus erroneam quoque opinionem, ſapientiam Graecam ab Hebraeis originem cepiſſe, hanc ei comparationem ſatis ineptam et falſam perſuaſiſſe. Recte itaque fecit B. Bvddevs [a], quod, quo erat candore, priori opinioni nuncio miſſo poſteriorem elegerit, cuius laudabile exemplum ſequi non erubeſcimus.

X. Dantur bona et mala opera, quae a Deo non tantum in hac vita, ſed et in futuro ſeculo vel praemio afficiuntur vel poena [b]. Oppoſitum hoc dogma Sadducaeorum errori praemium futurae vitae neganti, ſed ita, vt ratio praemiorum et poenarum ex arbitrii humani libertate oriatur, qua ſublata poenas quoque et praemia tolli credebant.

XI. Immortalem vim eſſe animis, et ſub terra poenas eſſe et praemia iis, qui virtuti aut vitio in vita addicti fuiſſent, et his aeternum carcerem propoſitum eſſe, illis vero facilem ad vitam reditum, (ταῖς δὲ βασάνῳ τῆ ἀναβιῶν). Haec ipſa verba Ioſephi de ſpe futurae vitae apud Phariſaeos ſunt [c]. Quae licet plana videri queant et aperta, in diuerſas tamen

a) Hiſt. eccl. V. T. T. II. p. 1217. et annot. ad Hiſt. phil. Hebr. l. c.
b) Iosephvs. Antiq. Iud. L. XVIII. c. 2. p. 617.
c) De B. I. L. II. c. 18. p. 788.

Digitized by Google

tamen opiniones diſtraxere viros doctos. Quidam [d] enim μετεμψύχωσιν illis innui putarunt, alio IOSEPHI [e] loco nixi, quo Phariſaeorum hoc dogma ponit: *Ψυχὴν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβάινειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνων, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀιδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι, animum omnem eſſe incorruptum, transire vero in alterum corpus ſolum bonorum, malorum vero aeternis ſuppliciis puniri.* Alii vero [f], plus vidiſſe viros doctos, quam verba Ioſephi dicant, contendunt, putantque nihil aliud velle hiſtoricum, niſi animas bonorum redire in vitam et corpus aliud, glorioſum nempe atque melius ingredi, adeoque reſurrectionem tantum beatorum innui. Id quod ex ipſius Chriſti atque Pauli teſtimoniis confirmant, quorum vterque ſuam de reſurrectione filiorum regni ſententiam a Phariſaica non diſtinguat [g]. Difficile quoque eſt, certam, quam tuto ſequaris, definire ſententiam, eo quod vtramque explicationem admittant Ioſephi verba. Fatemur tamen priorem nobis ſuo modo videri probabiliorem. Nam 1. bonos diſerte opponit malis Ioſephus, et illis ſolis facilem ad vitam reditum eſſe, his vero aeternum carcerem deſtinatum pronunciat. Hoc vero de reſurrectione mortuorum intellexiſſe Ioſephus non videtur, nec ita cenſuiſſe Phariſaei credi poſſunt, eo quod ex Danielis prophetia malorum pariter atque bonorum eſſe reſurrectionem didicerant, hancque veritatem confirmatam fuiſſe a Malachia nouerant. Nec opponi his poteſt, eſſe inter Iudaeos, qui, ſolis piis reſurrectionem expectandam eſſe, docuerint. Hoc enim, quamuis forte de particulari quadam Iudaeorum opinione concedi queat [h], toti tamen Phariſaeorum ſectae placere non potuit, quae contra Sadducaeos non virtutis modo poſt hanc vitam praemia, ſed peccati quoque poenas aſſeruit, id quod negata malorum reſurrectione tueri non potuiſſet. Accedit his 2. quod ex Iudaeorum ſcriptis eſt notiſſimum, transmigrationis animarum dogma inter Iudaeos fuiſſe receptum valdeque deamatum. Non prouocabimus ad Cabbaliſtarum placita [i], quae dogma peregrinum ex Orientalis et Pythagorico-Platonicae philoſophiae lacunis hauſiſſe videri poſſunt; ſed ipſos Rabbanitas teſtes volumus, quorum verba breuitatis cauſſa apud PAVLVM SLEVOGTIVM [k], IACOBVM WINDETVM [l] et HOTTINGERVM [m] nepotem legi velimus. Rabbanitae autem cum Phariſaeorum genuini diſcipuli ſint atque affeclae, vt ſupra oſtenſum, omnino credibile eſt, hanc eos quoque μετεμψύχωσιν a Phariſaeis, maioribus ſuis accepiſſe. Addimus his 3. non confundendam eſſe migrationem

d) Vid. laudati in Otio Vindel. l. c. p. 25. ſeqq. add. BASNAGE l. c. L. II. c. 19. p. 489. ſeqq. PFEIFFER. Dub. vex. p. 889. P. SLEVOGT. diſſ. Acad. P. III. diſſ. 1. p. 885.

e) Antiq. Iud. L. XVIII. c. 2. p. 617.

f) Vid. laudatos in Otio Vind. l. c. BVDD. l. c. p. 1203.

g) Matth. XXII. 23. Act. XXIII. 8.

h) Vid. THEOD. DASSOV. de reſurr. mort. Io. A LENT. theol. Iud. c. XVIII. §. 14. p. 639. ſeq.

i) R. ISAAC. LORIENS. pec. tr. Cabb. denud. T. II. inſerto.

k) loc. cit.

l) De vita funct. ſtatu S. V. p. m. 100.

m) Ad GOODWIN. Moſ. et Aaron L. I. c. 10. p. 180.

Digitized by Google

nem animarum ex corpore in corpus cum resurrectione corporum: vtrumque enim, licet non satis cohaereat, placuisse Pharisaeis credere par erat, vt Sadducaeorum dogmatibus contraria opponerent. Hi enim et futuri mundi retributionem, et animae post fata *διαμονὴν* singularemque sine corpore existentiam negabant. Illi errori opposuerunt Pharisaei resurrectionem mortuorum, eamque ex scriptis Mosis et prophetarum confirmarunt, qua in re cum sana docerent, mirandum non est, neque Christum, neque apostolos a Pharisaeorum doctrina in eo se separauisse, quod communis et recepta tum esset totius ecclesiae Iudaicae, excepta Sadducaeorum familia, sententia. Alteri errori opposita fuit transmigratio, quam licet optimus magister censura notasse non legatur, nondum tamen inde sequitur, ex silentio euangelistarum, nunquam Christum ad eam digitum intendisse, vel omnes omnino errores ineptae familiae ex instituto refutare voluisse. Est quoque 4. aliquid in verbis Iosephi, quod hanc partem iuuet. Illum enim locum, de quo disceptant viri docti, vbi paulo attentius consideramus, patet loqui Iosephum non de resurrectione corporis, quod proprie moritur atque cadit, sed de vnione animae cum corpore, quae non moritur, et ita quoque resurgere non potest: porro non esse sermonem de statu animae in die iudicii et seculo futuro, sed de statu animarum piarum et impiarum mox post hanc vitam, vbi separatae existunt. Quibus rationibus vno fasce collectis verisimilior eorum videtur opinio, qui transmigrationem Pharisaeis tribuunt. Quae vero contra eam obiiciuntur, facile retundi possunt, quae tamen breuitatis caussa omittimus, legenda, cui prolixiora de hoc argumento placent, apud SLEVOGTIVM et BASNAGIVM [n]. Nec difficile est, scaturigines detegere, ex quibus ad Iudaeos dogma hoc peregrinum dimanauit. Metempsychosin enim non in Aegypto tantum, sed in toto quoque oriente peruulgatum et vniuersale dogma fuisse, constat. Ast his in locis diu vixere Iudaei, multumque cum his gentibus conuersati sunt. Cum itaque error Sadducaeorum, animas post mortem esse desinere, noua repagula poscceret, error errori oppositus et animarum bonarum migratio asserta est [o]. Nec desunt loca N. T. quibus hunc errorem tangi viris doctis visum est: quae tamen, cum obscura sint, et aliter quoque intelligi possint, huc non adducimus. *Μετεμψύχωσιν* vero hic sensu Pythagoreo, non vero Stoicam *μετενσωμάτωσιν* intelligi quilibet videt, et loca Iudaeorum allata euincunt, secus ac visum HERMANNO AB ELSWICH [p].

XII. Esse animum non immortalem tantum, sed spiritum quoque, etiam post discessum a corpore subsistentem.

XIII. Dari etiam praeter animas spiritus alios siue angelos et bonos et malos [q].

n) ll. cc.

o) Ita certe Cabbalistae ex Aegypto orti animam ex vnius mundi corpore ad alterius mundi corpus elegantius et praestantius migrare docebant.

p) De philosophum. viris doctis temere affictis §. 3. p. 3. conf. quae diximus in Otio Vindel. l. c. p. 26.

q) Act. XXIII. 8. 9. conf. DRVSIVS l. c. c. 14. p. 65. seq. quique de sectis Iudaeorum egerunt.

XIV. Expectandam esse resurrectionem [r].

Vitam Pharisaeorum magna sanctitatis specie se commendasse, veteres vnanimiter testantur. Cum enim non legis tantum literae facere satis se posse crederent, sed et opera supererogatoria ex obseruatis patrum traditionibus et ἰθελοθρησκείᾳ enata iactarent, non potuit non in id incumbere eorum diligentia, vt pietate vitae aliis praestare viderentur. Vitam itaque duram et austeram exprimebant, qualem requiri ab iis par erat, qui se a communi hominum viuendi ratione separare et meliora efformare animo constituissent. Hinc ingens inter Pharisaeos superbia, quae ita plebem contemsit, vt eam maledictam pronunciarent [s], terrae filios appellarent [t], resurrectionem mortuorum illis denegarent, testimoniorum fidem reiicerent, et quae alia fuerunt intolerabilis fastus specimina, passim viris doctis [u] enarrata. Patriarum traditionum, quae innumeris nugis quotidie ab otiosis hominibus augebantur, vsque ad superstitionem etiam in minimis erant obseruantissimi, decimabant omnia [x], quae possidebant, inque lotionibus et purgationibus ad insaniam vsque delirabant [y], et haec tamen ludicra et leuidensia magnam cultus diuini partem constituere sibi persuadebant, adeo, vt eiusmodi lotionibus et lustrationibus non Leuiticam modo, verum etiam moralem animi puritatem apud Deum obtineri posse, sibi persuaderent [z]: adeo omnis sana ratio et philosophia hos homines reliquerat. Vigiliis ita corpus macerabant, vt vel asseri angustissimo vel spinis incumberent, ne somno grauiori corriperentur [a]; Ieiuniorum autem superstitiosam prorsus habuere curam [b], tum vt peccatorum maculas eluerent, tum vt insomniis felicioribus se pararent, tum vt consiliorum euentus prosperos adiuuarent, infaustos auerterent [c]: vnde praeter praescripta ieiunia, spontanea quoque singulari voto elegerunt [d]. Orationum longarum et ampullatis verbis turgentium ad ineptias vsque erant studiosissimi [e], ita tamen, vt potissimum in synagogis [f], in templo, in conuiuiis, et in ipsis quoque plateis eas publice ostentationis caussa recitarent [g]. Quin et erogandarum eleemosynarum et porrigendae largiter stipis

r) Ibidem.
s) Io. VII. 49. Comment. h. l.
t) Pirke abhoth c. II. n. 5.
u) HOTTINGER. l. c. p. 176. LIGHTFOOT. ad Matth. V. 22. T. II. opp. p. 286. Specimen vero intolerabilis fastus Pharisaici cape ex sequenti historia: R. Iehuda Sanctus cum plebeium aliquando salutasset, poenitens in haec erupit verba: *Vae mihi, qui panem meum plebeio dedi!* Baba Bathra f. VIII. 2. conf. WAGENSEIL. Sota exc. Gem. c. III. §. 8. 2.
x) MATTH. c. XXIII. 23. conf. Io. CONR. HOTTINGER. de decimis Iudaeorum Lugd. Bat. 1713 4. et laudari CARPZOV. ad SCHICKARDI ius reg. Hebr. p. 870. FABRICIO Bibliograph. antiq. p. 509. WOLFIO Cur. philol. ad l. c. Matth.
y) MATTH. c. XV. 2. MARC. VII. 3. subtilitates Pharisaeorum lege apud GOODWIN. l. c. L. I. c. 10. p. 185. SCALIGER. elench. trihaeref. c. VII. p. 56. in quibus adeo superstitiosi fuerunt, vt illotis manibus edentem poenam Dei certissimam et praesentem manere dixerint, vid. BUXTORF. Syn. Iud. c. XI. p. 239.
z) Conf. WITSIVS Misc. SS. T. II. ex. XXI. Io. SPENCER. de legibus Hebr. ritual. L. IV. p. 1187.

a) Conf. BASNAGE l. c. p. 499.
b) MATTH. c. IX. 14. LVC. c. VII. 39. XVIII. v. 2.
c) Loca Iudaeorum collegit LIGHTFOOT. ad l. c. T. II. opp. p. 309.
d) IDEM ad Luc. XVIII. 12. p. 552.
e) MATTH. c. VI. 5. LVC. c. V. 23.
f) Quadriuia et compita intelligi putat B. G. OLEAR. ad l. c. Matth. p. 172.
g) Conf. LIGHTFOOT. ad l. c. Matth. p. 298.

Digitized by Google

ſtipis diligentem curam habebant [k], eo quod ad conſequendam peccatorum remiſſionem et iuſtitiam coram Deo tuendam plurimum haec opera miſericordiae valere ſibi perſuaſiſſent. More tamen ſuo vbique ad famam iis conſequendam, et vt per ora virum volitarent, reſpexerunt, vnde tubarum indicio eleemoſynas eos diſtribuiſſe, prouerbiali locutione dixit Saluator [l]. Vt vero operibus ab aliis hominibus ſe ſeparabant, ita veſtimentis quoque ſe diſtinguebant. Tunicas hunc in finem geſtabant praelongas, quarum fimbrias ſiue zizith, dilatabant, vt legis diuinae obſeruantiores ceteris viderentur [k]. Cuius habitus tanta illis inerat aeſtimatio, vt hunc filium terrae, id eſt abiectum et plebeium hominem dicerent, qui non filamina geſtaret in veſte ſua, illudque tritum inter eos inualeſceret: *veſtes populi terrae ſunt conculcatio Phariſaeorum:* et qui huiusmodi veſtem communem tetigiſſet, impuritatem quandam Leuiticam ſibi contraxiſſe videretur. Quin adeo inſaniebat quorundam ſuperſtitioſa ἐθελοθρησκεία, vt ne ſanguini quidem ſuo parcerent, eumque variis ineptiis ad captandam vulgus admirationem elicerent [l]. Praecipue vero in phylacteriis dilatandis ampliandisque erant diligentiſſimi, vt ſupra alios legis diuinae obſeruantes memoresque ſeſe oſtenderent [m]. Illicitum putabant edere cum peccatoribus; immo cenſebant eſſe pollutionis ſpeciem tangi ab iisdem, eo quod immundos illos eſſe pronunciarent: Proſelytorum vero captandorum tantam adhibebant induſtriam, vt, licet proſelytos tanquam ſcabiem Iſraëlis haberent, inuſitato tamen in iis conuertendis deſiderio flagrarent [n]. Quo in ſtudio aucupandi proſelytos et perſecutionis ſpiritus contra illos, qui ab eorum partibus non ſtabant, et lucri cupiditas ſordidiſſima crumenis magis quam animabus proſpiciens eminebat. Quamuis autem vni omnes ſectae adhaererent, in varias tamen haud raro factiones ſciſſi ſunt, quae ipſas ſe mutuo interdum anathemate feriebant. Maxime autem ad cognoſcendam inſanientis ſectae ſtultitiam ſeptem illae Phariſaeorum claſſes notandae ſunt, quas Talmudici libri [o] memorant, nempe: 1. Phariſaeus Sichemita, qui pellem Phariſaicam vel induit vel exuit lucri gratia, inſtar Sichemitarum ſe circumcidentium. 2. Phariſaeus truncatus, ita dictus, ac ſi pedibus deſtitutus eſſet, quum eos vix hu-

k) MATTH. c. VI. 1. LIGHTFOOT. h. l.

l) Ita difficultas, quam interpretes mouent, facile tolli poteſt, nec ad inuſitatos ritus confugiendum, licet veſtigia quaedam adhibitarum buccinarum in eleemoſynarum diſtributione ſe inueniſſe putent viri docti, vid. B. WOLF. Cur. ex. ad h. l. p. 116. ſeqq.

k) MATTH. c. XXIII. 5. Zizith quid ſint, explicant GOODWIN. l. c. §. 29. p. 202. HOTTINGER. ad h. l. NICOLAI ad SIGON. de rep. Hebr. p. 433. et ſcriptores antiqq. Iudaicarum.

l) Vid. LIGHTFOOT. ad MATTH. c. III. 7. p. 273. vbi Phariſaeus ſanguinem eliciens vocatur. Id de flagellatione intelligit BASNAGIVS l. c. p. 499. contrarium probante BOILEAVIO de flagell. c. 2. p. m. 8. qui flagellationis in veteri foedere nullum alium vſum fuiſſe, niſi caſtigationis, probat.

m) MATTH. c. IX. 11. LVC. c. VII. 39. De Thephillin ſiue phylacteriis fuſe tractant antiquitatum Iudaicarum ſcriptores enumerati a Cel. WOLFIO Cur. phil. ad l. c. Matth. p. 323.

n) MATTH. c. XXIII. 25. LIGHTFOOT. ad h. l. CARPZOVIVS ad SCHICKARDI ius reg. p. 324. et pec. diſſ. B. DANZII de cura Iudaeorum in proſelytis faciendis. Ienae 1688. 4.

o) Loca talmudica exhibent LIGHTFOOT. ad MATTH. c. II. 7. GOODWIN. l. c. p. 205. WAGENSEIL. ad Sota c. 3. BVXTORF. Lexic. Talmud. p. 1852. IO. HENR. HOTTINGERI theſaur. philol. L. I. c. 1. §. 5. aliique.

mo vellet levare, vt profundae meditationis admirationem relinqueret. 3. Phariſaeus impingens, qui oculos ſuos clauſit, ad euitandum aſpectum mulierum, ita vt crebro caput muris impingeret et cruentaret. 4. Phariſaeus quaerens crebro, quid debeam facere, et faciam illud. 5. Phariſaeus mortarius, qui pileum geſtabat inſtar profundi mortarii, ne poſſet oculos attollere, nec in vllam partem flectere, ſed tantum vel antrorſum conſpicere vel humi configere. 6. Phariſaeus ex amore,qui morem legi gerebat virtutis amore. 7. Phariſaeus ex timore, qui legi obſequebatur formidine poenae; quorum ille praecepta poſitiua, hic negatiua tantum reuerenter colebat. Ex his vero, quantum a grauitate et ſanctitate diuinae legis, et a ſana quoque ratione diſceſſerint homines ineptiſſimi et nugiuenduli, iudicari, ſimul autem intelligi poteſt, cur ſingulari ſanctitatis opinione apud plebem in maxima vixerint auctoritate [p]. Eiusmodi enim auſteritatibus oculos oblinebant plebis ad externa tantum attendentis, vt internas ſordes non perſpicerent: eam autem humanitate, morum iucunditate, colloquiorum dulcedine, aliisque, quibus animi capi ſolent, conuerſationis quotidianae virtutibus, maxime vero indulgentia in iudiciis et mitioris ſententiae patrocinio ſibi adeo deuinctam habebant, vt eius beneuolentiam atque ſtudia prorſus in voluntate ſua haberent [q]. Cumque et ipſi imperio, cuius iugum non ſine magna indignatione patiebantur Iudaei, peregrino eſſent infenſiſſimi, et ad illud excutiendum quauis occaſione paratiſſimi, tantopere plebis ſtudium pro Phariſaeis exarſit, vt tota ex eorum nutu penderet, et reges atque principes eorum potentiam inter plebes magnopere reformidarent [r]; eo quod nec vi nec dolo parcerent vlli, vt contrariam ſibi partem, queiscunque poſſent machinis, euerterent. E contrario, vbi potentiorum et imperantium partes Phariſaei ſecuti ſunt, ita flexerunt plebem, vt coeco ſtudio in eorum partes rueret, quos ſibi prius habuerat inimiciſſimos. Cuius luculentum exemplum cum nobis exhibeat hiſtoria Hyrcani, Ariſtobuli, Iannaei Alexandri regum, et Alexandrae reginae, ad quam aliquoties iam prouocauimus, legenda omnino eſt IOSEPHI [s] hiſtoria, vt quem habuerit influxum haec ſecta in artes politicas imperantium, intelligatur. Texiſſe vero ſpecioſam hanc ſanctitatem horrendam impietatem et ſcelera grauiſſima, illis ignotum eſſe non poteſt, qui ſermones Chriſti a ſacris hiſtoricis in acta relatos legerunt, quibus illis abominabilem malitiam, ſuperbiam, inuidiam, lucri cupiditatem, vindictae ſtudium, et quae alia erant animi in peſſima quaeuis graſſantis furentisque ſcelera, obiecit [t], contra quem conflata maxime a Phariſaeis perſecutio ſentinam perditiſſimae nequitiae exhibuit, et quales homines eſſent, demonſtrauit. Id quod praeter innatum deteſtabili homi-

p) IOSEPH. Antiq. Iud. L. XIII. c. 18. p. 454.
q) IDEM de B. I. L. II. c. 12. p. 788. Augebat eorum auctoritatem, quod in Synedrio maiorem numerum conſtituerent, vt ſupra obſeruatum.
r) IOSEPH. Antiq. Iud. L. XIII. c. 18. p. 453. c. 24. p. 463.
s) l. c. c. 24. 25. conf. ZELTNER. diſſert. de Alexandra regina Iudaeorum.
t) MATTH. c. XXIII. 1. ſeqq.

hominum generi faſtum et ambitionem, quae πρωτοκλισίας et laudes hominum inſano furore anhelabat [a], et quae tanta erat, vt ſe orbis reges et humani generis magiſtros eſſe ſomniarent [b], et a diſcipulis contradictionem nullam ferrent [c], ex ſordidiſſima diteſcendi cupiditate profectum eſt, qua ducti dum viduarum et orphanorum curam agere ſimulabant, eos facultatibus ſpoliabant, ſuſcipiebantque ea omnia, quae ad peſſimas animi corruptiſſimi cupiditates alendas fouendasque facere poſſe credebant [d]. Neque hoc malum ſolum fuit, ſed cum legis eſſent interpretes et ſucceſſionem doctrinae Moſaicam ambitioſe iactarent, ab eorum quoque praeceptis plebs, tanquam ab oraculi effatis, pependit, effecerunt deteſtandis legis diuinae detorſionibus, vt legis notitia, et pietas vera tantum non omnis ex gente Iudaica exularet, animi vero ſalutis cupidi, et veram diuinae voluntatis cognitionem anhelantes miſere deciperentur, et ab ingrediendo coelorum regno excluderentur. Quibus tanquam paucis quibusdam inter lolia ariſtis ſuppreſſis tanta in populo Iudaico ſcelerum ac delictorum ſeges efflоruit, vt non potuerint non diuina maturari iudicia, quae totam Iudaeorum rempublicam euerterent. Quam calamitatem publicam mire auxere Phariſaei ſeditionibus et rebellioni addictiſſimi, praeterea audaciſſimi, et conſiliis in praeceps et interitum ipſum ruentibus deditiſſimi, cuius exempla plura exhibet hiſtoria Iudaica [e], quibus tandem effectum eſt, vt tota respublica a Romanorum exercitu euerteretur. Quo tamen excidio templum quidem et vrbs ſolo aequata et res Iudaeorum diſiectae ſunt, Phariſaiſmus autem ex gentis ſuperbae animo, vt ſupra dictum, eiici non potuit. Fuere etiam foeminae, quae Phariſaiſmo nomen dedere, at quae eiusdem commatis quo viri, ſub pietatis praetextu nefandae licentiae impuritatisque ſpecimina edidiſſe leguntur, de quibus loca Talmudica conſuli poſſunt collecta, a IOANNE LIGHTFOOTO [f].

§. XXVIII. Quarta Iudaeorum ſecta Eſſenorum eſt, cuius hiſtoria eo magis expendi meretur, quo magis ſingulares prorſus eius res fuerunt, et a conſuetudinibus Iudaicis receſſerunt, et quo magis veriſimile eſt, ex Graeca philoſophia aliquid ad hos Iudaeos peruenisſe. Origines eius non minus, quam reliquarum ſectarum, impeditae et incertae ſunt, eo quod paula- [g] *Sectae Eſſenorum origo.*

a) Ibid. v. 6. ſeqq. conf. VITRINGA de vet. ſynagoga p. 191. RELAND. antiq. Hebr. p. 138. quorum prior luculentum ea de re locum ex Talmude affert p. 192. Pertinet huc titulus Rabbi, de quo vid. LIGHTFOOT. ad l. c. Matth. SELDEN. de Synedr. p. 736. aliosque laudatos WOLFIO Cur. ex. ad h. l. p. 324.

b) Vid. LIGHTFOOT. l. c.

c) IOSEPH. Antiq. Iud. L. XVIII. cap. 2. pag. 617.

d) MATTH. l. c. et interpp. ad h. l.

e) Exemplo eſſe poteſt Iudae Gaulonitidis ſeditio, qui terrenum Dominum renuebat. Eius enim factio ex Phariſaeis potiorem partem conſtabat, vid. IOSEPH. Antiqq. Iud. L. XVIII. c. 1. p. 616.

f) Ad Matth. III. 5. p. 271.

g) Scriptores de Eſſenis enumerat WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 817. ſeqq. quibus addi poſſunt BASNAGIVS Hiſt. Iud. L. II. c. 20. ſeq. p. 520. ſeq. Ven. SAL. DEYLINGIVS diſſ. de Aſcetis ad calc. Obſerv. SS. P. III. p. 451. IO. IOACH. LANGIVS pec. diſſ. BVDDEVS H. E. V. T. T. II. p. 1212. ſeqq. CLERICVS H. E. Sec. I. et II. Prol. S. I. c. 5. HEVMANN. Act. phil. Vol. III. p. 504. et nuper Ven MOSHEMIVS Inſt. Hiſt. Chriſt. Sec. I. P. I. c. 2. §. 12. ſeqq. p. 78. ſeqq.

Digitized by Google

paulatim, quod a quibusdam priuata diligentia inſtitutum erat, tandem communi multorum ſuffragio probatum et auctum ſenſim in publicam ſectam abiit. Difficilia itaque et dubia initia, fatentibus viris doctis [d], multis coniecturis, vt in his rebus ſolet, expoſita ſunt. Ipſos Eſſenos ſi audis vetuſtiſſimum ſectae huius inſtitutum fuit: teſte enim IOSEPHO [e] ad primorum auctorum ac parentum ſuorum libros antiquiſſimos prouocauerunt, eosque ſe habere profeſſi ſunt. Ex qua iactantia patet, ſuas illos origines longe ſupra reliquarum ſectarum natales poſuiſſe. Nec defuere, qui hac in re fidem illis haberent. Ipſe ſane IOSEPHVS [f] valde antiquitati huius ſectae fauet, quin PLINIVS [g], ſeculorum illis millia tribuit, et ita de iis loquitur, quaſi aborigines fuiſſe crediderit. Aſt hoc homini in rebus Iudaeorum a commercio cum gentilibus abhorrentium, coecutienti facile ignoſci poteſt, fides autem Eſſenis adhibenda non eſt, quos dubium non eſt, hanc antiquitatem ideo oſtentaſſe, vt ceteras Iudaeorum ſectas hoc quoque nomine, vt in reliquis inſtituti ſui circumſtantiis, vincerent, quemadmodum Iudaeos ſibi ſuper omnes gentes alias eum ceteris, antiquitatis etiam praerogatiuam vindicaſſe, et ad eam omnes ritus ſuos, etiam recentiores et a conditoribus gentis non profectos, retuliſſe conſtat. Et tamen, his non obſtantibus, inuenti ſunt inter eruditos quidam, qui ad vetuſtiſſima Iſraëlitarum tempora origines Eſſenorum retulerunt, et Rechabitas inter Iudaeos ex Kenaeis a tempore migrationis ex Aegypto receptos, pro parentibus Eſſenorum agnouerunt. Quam opinionem ex veteribus ſecuti ſunt SVIDAS [h] et CEDRENVS [i], magno vero ſtudio ornauit SERARIVS [k], vt antiquitates originesque monachatus ex hac ſecta eo altius repeteret, quo nomine grauiſſime eum caſtigat SCALIGER [l]. Reiiciendam autem eſſe hanc coniecturam facile palpabit, qui conſiderauerit, qui Rechabitae fuerint, et quod vitae inſtitutum ſecuti? Illi enim ex Kenaeo Midianiticae gentis populo, poſterisque Iethro, qui ſocer Moſis fuit, oriundi fuere, qui populo Iſraëlitico adhuc in deſerto palanti aſſociatus eſt, eius beneficiis atque priuilegiis fruens, ita tamen, vt diſtincta ſemper ab Iſraële ſgens fuerit. Ex hac enim Kenaeorum domo oriundus Rechabi filius Ionadabus, vir grauis atque doctus, peculiare quidem vitae inſtitutum ſuis commendauit, ſed tale, quod ab Eſſenorum moribus prorſus erat diuerſum. Teſte enim IEREMIA [m] vate, ita conſtituit Ionadabus, ne vinum biberent, nec domum aedificarent, nec agrum colerent, nec vineam conſererent, ſed habitarent in tentoriis; nempe quod peregrini eſſent, quorum non erat terrae inter Iſraëlitas portio, ſed docendo ſcribendoque vitam tolerarent [n]. Aſt Eſſenos

d) Citati GOODWIN. Moſ. et Aar. L. I. c. 18. §. 21. p. 837.
e) De B. I. L. II. c. 11. p. 788.
f) Antiq. Iud. L. XVIII. c. 2.
g) Hiſt. nat. L. V. c. 17. conf. BASNAGE Hiſt. Iud. L. II. c. 20. p. 514. 658.
h) In Eſſeni T. I.
i) Hiſt. p. 198.
k) In trihaereſio L. III. c. 8.
l) In elencho trihaereſii c. 24. p. 186.
m) c. XXXV. 6. 7.
n) Diligenter docteque de Rechabitis diſſeruit HERMANN. WITSIVS Miſcell. SS. P. II. p. m. 223. ſeqq.

Digitized by Google

senos agros coluisse, aliaque his contraria instituta secutos fuisse, Iudaeos etiam origine fuisse ex dicendis constabit. Nec verisimiliorem sententiam sequitur R. ABRAHAM ZACHVTH [o], qui Nazaraeos huc aduocat; vt enim taceamus, durasse Naziraeorum institutum per aliquod tantum tempus, discrimen inde apertum patet, quod templi nullam communionem Esseni habuerint, in quo tamen vi instituti sui Naziraei erant frequentissimi. Doctissimus vero LANGIVS [p], nouam de Essenorum origine opinionem ingressus, non inter Iudaeos, sed inter barbaros eorum natales quaerendos esse putat, ratus non fuisse Essenos Iudaeos, sed philosophos barbaros Iudaizantes. Huic vero opinioni, vt cetera non afferamus, infra commode magis dicenda, testimonium Iosephi et Philonis, qui diserte Iudaeos faciunt, recte opponitur. In tanta itaque coniecturarum et diuersitate et incertitudine tutissimum putamus fateri, latere veros natales sectae fanaticae, nec posse eos accurate definiri, eo quod succedente tantum tempore sensimque ex paucis vitae agrestis cultoribus fanaticam quandam vitae regulam sibi constituentibus, in sectae tandem formam adoleuerit. Illud ex IOSEPHO [q] certum est, temporibus Ionathae, fratris Iudae Maccabaei, Hyrcanique regis et filiorum [r] vna cum reliquis sectis floruisse, nec a vero dissentire putamus, quod eleganter et acute coniecit MOSHEMIVS [s], ante reliquas sectas hanc exortam fuisse, licet forte nomen non mox cum ipsa societate horum hominum enatum sit. Illud scilicet neminem negaturum esse: statum Iudaeorum miserabilem et deploratum, quo calamitatibus publicis tantum non opprimebantur, occasionem dare potuisse quibusdam, in deserta et campestria loca secedendi, vt eo tutius laterent, hosque, cum patriae religionis cultus, deficiente templi vsu, ex legibus Iudaicis seruari non posset, recedendum paululum a ceremoniis auitis ratos, tandem ad theoreticam quandam vitam esse delapsos: et cum simile institutum in Aegypto floruerit, ex eius moribus recepisse illa, quae circumstantiis suis atque scopo essent consentanea. Ita enim maxime probabile fieri, homines in Syria natos, cum ad Aegyptios accessissent, temperamento ad fanaticismum inclinante, quod initio necessitas suaserat, animi inclinatione postea seruauisse institutum. Qua vero calamitate publica pressis Iudaeis, quidam in campestria et deserta loca discesserint, de eo variae virorum doctorum coniecturae sunt. Primus, nisi fallimur, DRVSIVS [t] grauem, qua Hyrcanus Pharisaeos afflixit, persecutionem occasionem sectae huic dedisse coniecit. Tunc enim Pharisaeorum nonnullos in deserta loca secessisse et peculiarem sectam constituisse

o) In Iuchasin, conf. DRVSIVS l.c. SCALIGER. Elench. trihaeres. c. 23. p. 147. GOODWIN. l. c. p. 237. BASNAGE l. c. p. 513.
p) loc. cit.
q) Antiqq. Iud. L. XIII. c. 9. p. 442.
r) c. 24. p. 463. seq.
s) l. c. p. 82.
t) De Hasidaeis p. 24. ed. Trigl.

tuisse putat. Ast falli virum doctum sola Iosephi auctoritas euincit *). Alii persecutionem grauem, qua gentem Iudaicam pressit Antiochus Epiphanes, occasionem secedendi viris quibusdam piis dedisse statuunt. Hasidaeorum enim quosdam, quique ab abominationibus gentilibus, quas in mediam Hierosolymam introduxit Antiochus, se separauerant, cum non omnes bello se tyrannidi opponere auderent, secessisse in deserta, vt ab idololatria securi Deum ex legis praescripto colerent. Qui cum in solitudine sine templo, sine victima, viuerent, peculiare tandem institutum vitae sibi finxisse. Quam sententiam amplexi sunt multi viri doctissimi *). Cel. Mosheimivs) autem maturius paulo sectam hanc, si de re ipsa, non de nomine quaeratur, initium ortumque cepisse coniicit, et rem ita eueniisse rationes inducit: „Assyriis et Babyloniis „Palaestinam populantibus Iudaeosque secum in seruitutem abducenti„bus, gentis huius haud paucos fuga sese in deserta loca Syriae et Aegy„pti recepisse, quo furorem vitarent hostium. Hos quum templo care„rent, neque ritus idcirco a Mose rogatos seruare possent, facile in eam „descendisse cogitationem, sufficere, si quis mente casta puraque Deum „colat, hominemque supremi Numinis studiosum sine victimis, aris, sa„cerdotibus et suffimentis expiari posse. Auxisse hanc opinionem soli„tudinem, et non modo coactas diuinae legis interpretationes, sed etiam „princeps nouae huius sectae dogma peperisse: contemplando, corpus„que coercendo et castigando viam ad amicitiam Dei atque summum „perfectionis gradum sterni. Adiunxisse sese huic generi postea non„nullos Aegyptiacis aliisque superstitionibus imbutos, quibus magistris „nouam plane et inusitatam religionis formam, quam nec Iudaicam, nec pro„fanam dixeris, constitutam esse". Nihil esse in hac doctissimi viri coniectura, quod non verisimilitudine se commendet, omnino fatendum est, vnde qui, deficientibus certioribus indiciis, illi addere calculum voluerint, recte satis rationes inituros esse putamus. Quod si tamen conlecturas quoque nostras, ob instituti nostri conditionem melioribus addere licet, distinguenda paulisper certiora ab incertis esse putamus, vt quid verisimile sit, quid minus, inde coniici queat. Et 1. quidem errare eos, qui Hyrcani vel etiam Ionathanis fratris Iudae Maccabaei tempore exortos esse Essenos, statuunt, facile ex Iosephi *) testimonio euinci potest, qui floruisse circa ista tempora iam tres istas sectas testatur. 2. Certum quoque ex Iosephi narratione *), eius-

*) Valde eam ob rem Drusium exagitauit Serarius, cui acerbe respondit Scaliger, quorum tamen neuter veras origines huius sectae vidit.

*) Relandvs Antiqq. SS P. II. c. 9. §. 16. p. 852. Cave Antiqq Apost prooem. p. 118. Basnage l. c. p. 515. Byddevs Hist. eccles. V. T T II. p. 1218. Hasidaeorum vero propaginem facit Grotivs ad I Maccab. II. 42. nos huic olim sententiae subscripsimus, in Germ. Histor. philos. opere T. IV. p. 237. seqq. vbi etiam ad Cl. Langii obiectiones l. c. §. 2. p. 22. respondimus. Re vero paulo attentius considerata origines sectae huius altius repetendas esse arbitramur.

*) l. c. §. 14. p. 81. seq.

*) l. c. de B. I.

*) Dabimus eam in seq. §.

eiusmodi Inſtituta recepiſſe Eſſenos, quae ex ſchola Pythagorae deſumta ſunt: ea vero non alibi, quam vel in Aegypto, vel ab Aegyptiacis hominibus, ad quos vltimi Pythagorei peruenerunt, diſcere potuerunt, vt ex hiſtoria ſectae Pythagoreae clarum eſſe putamus. 3. Ex his autem neceſſario ſequitur, Eſſenos, ſi ſecta ex iuſto ſuo habitu et conſtitutione ſumatur, ante Pythagoreiſimum inter Aegyptios innoteſcentem et inſtituta ſua illi genti commendantem, ſua quoque inſtituta non potuiſſe accipere. Illud vero Alexandri M. et Ptolemaei Lagidis temporibus eueniſſe, quibus vltimi Pythagorei in Aegypto viſi ſunt, et Aegyptii ab iis vitam iſtam monaſticam et coenobiticam didicerunt, ſuo quoque loco demonſtratum eſt. Quibus poſitis 4. recte inferri putamus tertio ante C. N. Seculo, nempe ab A. M. cIↃcIↃcIↃDCL ad A. M. cIↃcIↃcIↃDCCL, qui L. annis Ionathae tempora antecedit, hanc ſectam, qua talem, enatam eſſe, licet initia iam prius poſuerit. 5. Ita vero nec ab Antiochi Epiphanis perſecutione, et Haſidaeorum temporibus eius natales deriuari poſſunt, nec a temporibus inuaſionis regum Aſſyriae et Babyloniae; illa enim integro ſeculo ſerius, haec tribus ſeculis prius euenit. 6. Medium itaque tempus inter vtramque perſecutionem occaſionem dediſſe ſectae huic condendae, ex dictis omnino fit veriſimile. Qualis vero illa fuerit, licet definiri accurate non poſſit, putamus tamen poſſe coniici aliquid, quod veriſimilitudine non deſtituatur. Nobis ita ab initio eueniſſe videtur: Cum incurſione Aſſyriorum templum dirutum, vrbs Hieroſolyma vaſtata, et religionis cultus omnis ſublatus eſſet, caede quoque praefecti Gedaliae ab Aſſyriorum rege conſtituti exiguae Iudaeorum in Palaeſtina reliquiae timore replerentur, fuga popelli ab Aſſyriis relicti ex terra Iudaica in Aegyptum facta eſt [b], ibique Iudaei haeſerunt diu, ſine templo, ſine aris focisque et ſine cultu publico, adeoque priuata tantum pietate ſeruire Deo cogebantur. Feciſſe hoc reliquias illas populi Iudaici in Aegyptum delati in ſolitudine, vitata hominum frequentia, cum odium Iudaeorum in idololatriam Aegypti ſuadet, tum Aegyptiorum horror eorum, quos damnare ſacra ſua nouerant. Maxime vero timor fugitiui populi in deſerta Aegypti eos compuliſſe videtur, cum multos ex ſuis a Cambyſe abduci in captiuitatem cernerent. Et haec prima initia fuiſſe monachatus Iudaici, tum in Therapeutarum, tum in Eſſenorum familia poſtea ſe prodentis, coniicimus. Iuſtamque et omnino probandam coniecturam Moshemianam putamus, homines a templo, aris, victimisque raptos quaſi et abſtractos vitam ſibi quandam atque cultum finxiſſe, qui auſteriori exercitatione defectum victimarum quaſi ſuppleret, et ſe Deo caſtiori vitae habitu placere poſſe, ſine legis Leuiticae ceremoniis ſibi perſuaderet. Simpliciorem tamen vitae huius eremiticae conditionem et nondum ſectariam fuiſſe, facile credimus, praeſertim cum initio Ieremia vate praeſente potuerint in ordinem redigi: ſed ſuccedente tempore varia acceſſiſſe ἀλλότρια nemo negauerit, qui humani ingenii in-

b) Dictum ea de re ſupra §. XI.

dolem inſpexerit. Id quod incrementa ſumſit haud exigua, cum allegorica methodus in Aegypto recepta medium exhiberet, ἱθελοθρησκείαν hanc cum patria lege conciliandi. Maxime vero his Iudaeis μονάζουσι nouas arriſiſſe ceremonias nouaque placita, veriſimile eſt, cum Pythagorei vltimi in Aegyptum elapſi ſolitariam vitam, quam neceſſitas initio iniunxerat, exercentes, nouis inſtituti ſui ritibus, placitis, ceremoniis res ſuas illis augendi exhibuiſſent occaſionem. Cum enim viderent, hos philoſophos fanatica quadam ratione pietatem quandam excellentiorem commendare, eamque exercitationibus corporis cupiditates ſupplantantibus firmare, ſimul autem iudicarent, facile legem domeſticam et praecepta Moſis cum peregrinis iſtis inſtitutis et placitis mediante allegoria poſſe conciliari, non potuit non eorum philoſophandi modus recipi, et, quod initio arbitrarium, et ex variorum ingeniorum iudicio, varium quoque et diuerſum fuerat atque liberum, tandem in ſectae formam coaleſcere. Cumque credibile ſit, non omnes eodem modo, in conciliando legis ſenſu cum inſtitutis ſuis quae vel ipſi elegerant, vel a Pythagoreis acceperant, ſtatuiſſe, ratio inde intelligi poteſt, cur Therapeutae ab Eſſenis in multis diſſenſerint c). Cum vero ab Alexandro M. et Ptolemaeo Lagide coloniae nouae et ampliores in Aegyptum deducerentur, quae libertatem religionis patriae exercendae nactae cultum Dei iudaico more ſeruabant, videntur primi iſti eremitae, cum ab vrbium frequentia eſſent remotiores et ſe circa ea tempora moribus et placitis Pythagoreorum attemperaſſent, in priſtino inſtituto perſtitiſſe: et ita quidem Therapeutas Iudaeos in Aegypto ab initiis coloniae Iudaicae floruiſſe, et peculiarem eiusmodi ſocietatem conſtituiſſe, nobis quidem videtur veriſimillimum. Fuiſſe autem alios quoque, qui ab eorum placitis in quibusdam diſſentirent, ex allata paulo ante ratione apertum eſt, Ptolemaeus vero Philadelphus Lagidis ſucceſſor, ſoluta Iudaeorum ſeruitute cum poteſtatem iis feciſſet, domum, ſi vellent, remeandi cum aliis Iudaeis, qui in Palaeſtinam remigrarunt, huius quoque generis nonnullos rediiſſe, dubium non eſt. Qui cum cultum externum ab Eſdra, Nehemia reliquisque viris piis cum templo reſtitutum contemnerent, eo quod purius ſanctiusque ſe Deum colere poſſe crederent, ineptae quoque traditionum nugae illis parum ad colendum Numen facere poſſe viderentur, ſeceſſerunt in campeſtria loca, et peculiarem ibi ſectam propagarunt, quae poſtea, vt ab enatis reliquis ſectis diſtingueretur, a ſanctiori, quam affectabat, vitae cultusque diuini ratione, Eſſena dicta eſt. Haec coniecturae quidem tantum locum atque ius tueri poſſe in tanto veterum ſilentio non diffitemur, fatebitur tamen praeiudicio non occupatus quilibet, eam ita ſe habere, vt non tantum cum temporum et circumſtantiarum fatorumque populi Iudaici rationibus conueniat, ſed et vtriusque ſectae, Eſſenorum et Therapeutarum con-

c) Ita vero quaeſtio quoque dirimi poteſt, vtrum Therapeutae Eſſenorum genus aliquod fuerint, de qua paulo infra dicemus.

Digitized by Google

consuetudines pene omnes luculenter explicari possint, immo difficiles quoque controuersiae quaedam virorum doctorum de hoc argumento componi. Nec destituitur haec opinio virorum doctorum calculo [d], qui ex Aegypto hanc sectam deriuandam esse agnouerunt. De ea vero cum alia IOSEPHVS [e] alia PHILO [f] tradiderint, ille Palaestinos Essenos, hic Aegyptios quoque Therapeutas enarrans, vterque audiendus, ast examinandus simul est: cum in quibusdam suspecti testes sint [g], totam etiam horum fanaticorum Iudaeorum historiam virorum eruditorum disceptationes et praeiudicatae opiniones valde reddiderint obscuram et intricatam.

§. XXIX. Hos duces itaque, sed cum aliqua prouidentia, sequemur, Essenorum sectam propius consideraturi; Et nominis quidem, quod apud Iosephum Esseni, apud Philonem Essaei, apud Epiphanium Osseni scribitur, etymon adeo incertum est, vt citius equos gryphis iungere, quam doctorum virorum opiniones inter se conciliare liceat. Quidam enim חסידים per apocopen dici putant, eo quod ab Hasidaeis originem accepisse credunt: alii verbum Syriacum אסא quod sanandi, medendique significationem habet, huc aduocant, eo quod medicinam multi ex illis exercerent, et familiae quaedam eorum therapeutae a Philone dicantur: alii ab חסה deriuant, eo quod in loca deserta confugerent. SCALIGER [h] a voce חסי deriuauerat, qua pius, bonus, sanctus innuitur, sed mutata sententia postea a Chaldaica voce חשאי, quae silentium indicat, deriuare maluit. In cuius tamen coniectura, curae priores posterioribus meliores videntur, ita enim Esseni nobis a Iosepho et Philone describuntur, vt pietatis atque sanctioris vitae gradum sublimiorem conscendisse videantur, certe ab hac opinione nomen accepisse credi queant [i]. Fa-

Essenorum historia.

d) Primus hoc obseruauit LVC. HOLSTEN. in annot. ad Porphyr. vitam Pythag. p. 11. quem multi alii viri docti, et in his nuper Cel. MOSHEMIVS §. 11. p. 78. l. c. secuti sunt.

e) De bello Iud. L. II. c. 11. p. 785. Antiquit. Iud. L. XVIII. c. 2. p. 617.

f) Quod omnis probus sit liber, p. 876. sqq. vbi Essenos practicos, et de vita contemplatiua p. 889. seqq. vbi theoreticos siue therapeutas describit.

g) Consentiunt in hac sua narratione Iosephus et Philo in multis, in quibusdam autem variant et dissentiunt. Cuius ratio inde deriuanda esse videtur, quia propius meliusque Essenos Palaestinae incolas Iosephus nouit, quam Philo, qui Aegyptiorum eremitarum ex Iudaeis mores propius inspicere potuit. Vnde in illorum historia Iosepho, in horum Philoni magis credendum esse videtur, vbi dissona referunt. Negare tamen non possumus, fidem doctissimorum horum ex gente Iudaea virorum non ab omni subestae fidei suspicione esse liberam. Vterque scriptor Iudaica ambitione occupatus philosophiam Graecam omnem a sua gente ad gentiles peruenisse credebat: et hoc praeiudicio occupatus ita gentis suae res gentilibus exponere satagebat, vt quantacunque posset, harmonia inter eas et res gentilium, appareret: ratus, ita gloriosum fore Iudaeis, si quod Graeci tantopere iactarent, ipsos diu iam habuisse, demonstraretur. Non haec suspicione iniuriam fieri vtrique, Iosephi praefatio ad Antiqq. et haec ipsa Philonis de Essenis tractatio luculenter docent. Hoc animo cum ad Essenorum historiam scribendam accessissent, iusta suspicio est, eos leues quasdam circumstantias huius sectae ita orusse, vt quam maxime gentilibus, praecipue Pythagoreis institutis, quae in Aegypto magna in veneratione erant, similes viderentur, et haberent Iudaei, quae gentilium gloriae domestica opponerent. Certe prouidos hoc lectores facere debet, vt, cum horum virorum fide standum sit, nunquam sine formidine oppositi illorum narrationes recipiant. Quae enim alii veterum de hac re habent, ex his fontibus hausta sunt.

h) Elench. trihaeres. c. 26. p. 100.

i) Conf. de huius nominis origine LEVSDEN. in philologo Hebr. mixto diss. XX. RELANDVS Antiqq. SS. P. II. c. 9. §. 16. p. 252. DRVSIVS de sectis L. IV. c. 1. p. 164. seqq. BVDDEVS Histor. eccles. V. T. T. II. p. 1213.

Digitized by Google

uet etiam huic originationi Iudaeus vterque IOSEPHVS atque PHILO, quorum ille [k] aſcetas quosdam ſanctiorem vitam profeſſos nobis ſiſtit, hic [l] a Graeco vocabulo ὁσιότης, per paronomaſiam dictos eſſe ſtatuit. Eorum vero deſcriptionem hanc nobis reliquit Ioſephus: „Inter tres Iudae„orum ſectas, illi qui circa ſanctiorem vitam exercitationes ſuſcipiunt [m], „Eſſeni ſunt, qui Iudaei quidem genere ſunt, ſed amoris mutui ſupra re„liquos ſtudioſiſſimi. Hi voluptates quidem, tanquam ſcelus aliquod „refugiunt, in ea vero virtute quam maxime exercentur, quae contine„re animum docet, ne cupiditatibus manus victas porrigat. Et libero„rum quidem generandorum cauſſa nuptias non ineunt, aliorum vero „hominum filios teneros adhuc et ad diſciplinas aptos adoptant, et pro „conſanguineis reputantes ſuis moribus et inſtitutis conformiter educant: „licet enim coniugium et ſucceſſionem thori non tollant, cauent ſibi ta„men a muliebri luxu, creduntque firmiter, nullam earum fidem exacte „praeſtare [n]. Sed et contemtores diuitiarum ſunt, communio vero bo„norum atque facultatum omnium inter eos viget admiratione digniſſima. „Conſtitutum enim lege inter eos eſt, vt ii, qui hanc ſectam ingrediun„tur, facultates ſuas ad communem fiſcum conferant, ſic vt inter omnes „neque ob paupertatem contemtum aliquis patiatur, neque ob diuitias „efferre ſe ſuper alios poſſit, ſed collatis in commune aerarium facultati„bus omnium, interque ſe commixtis, vnae, tanquam fratrum, faculta„tes videantur. Oleum autem pro re abominabili et probroſa habent, „ſic, vt ſi quis inuitus eo vngatur, corpus detergat purgetque. Vilibus ve„ro veſtimentis libenter vtuntur, et maxime candidis. Sed et procuratores „habent, qui earum rerum curam gerunt, quibus omnes opus habent, et „ſingulis aequalem eorum, quae neceſſitas poſtulat, praeſtant operam. „Non autem vna eorum ciuitas eſt, ſed in qualibet habitant multi hic „illicue [o], qui vero aliunde aduenium, ſi ſectae huic addicti ſunt, ita „rebus

k) De B. I. L. II. c. 12. p. 785.

l) Q. O. P. L. p. 876.

m) ὁ δοκῶ σεμνότητα ἀσκεῖν.

n) Hoc non ad fidem thori, ſed ad fidem et ſilentium ſectae et diſciplinae, quam arcanam ſeruabant, trahendum eſſe videtur. Miratur hanc a coniugio abſtinentiam PLINIVS L. V. c. 17. „Ita per ſeculorum millia, incredibile dictu, gens „aeterna eſt, in qua nemo naſcitur. Tam foe„cunda illis aliorum vitae poenitentia eſt.„

o) Ita quidem IOSEPHVS: μία δὲ οὐκ ἔστιν ἰδίᾳ πόλις, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ μετοικοῦσι πολλοί. Aliter vero PHILO, qui l. c. p. 876. κωμηδὸν οἰκοῦσι, τὰς πόλεις ἐκτρεπόμενοι, διὰ τὰς τῶν πολιτευομένων χειροήθεις ἀνομίας, εἰδότες ἐκ τῶν συνόντων, ὡς λοιμος φθοροποιὸν νόσον ἐγγινομένην προστυλῶν ψυχαῖς ἀνίατον, „vicatim habitant, „vrbes fugiunt, propter familiaria ciuibus ea„rum vitia, gnari, non minus periculi eſſe ab „eorum conuictu, quam ab aëris intemperie pe„ſtifera, propter contagium incurabile.„ In hac duorum ſcriptorum contradictione, Philonis narratio veritati multo magis ſimilis eſt, quam Ioſephi. Inſtitutum enim eorum et ſuſtentandi ſe ex agricultura ratio, a mercatura et artificiis ſeparata, vrbibus vix conuenit. Neque vllibi legimus, in vrbibus Palaeſtinae fuiſſe coenobia et collegia Eſſenorum, ſed habitaſſe eos in locis campeſtribus atque vicis. Neque facile potuit totius ſectae collegium in vrbibus eius temporis Iudaicis excitari. Nec tam rara eſſet eorum notitia, ſi in vrbibus habitauiſſent, nec tacuiſſet eos euangelica hiſtoria, niſi ita remoti fuiſſent ab illis oppidis, in quibus Chriſtus frequenter verſabatur, et ita cum illis congrediendi nulla illi fuiſſet occaſio, quam veram cauſſam eſſe, cur Eſſenorum nulla in annalibus ſacris

Digitized by Google

„rebus eorum omnibus vtuntur, tanquam propriis, et quos prius non noue-
„runt, cum iis conuerſantur, tanquam diu cum illis conſueuiſſent. Qua-
„propter iter quoque facientes nihil ſecum ferunt praeter arma propter latro-
„nes *r*. In quauis vrbe procurator eſt ſectae ordinisque illius, a reliquis diſtin-
„ctus, qui aduenarum curam gerit veſtimentorumque, et quae alia neceſſaria
„ſunt, rationem habet. Omnibus vero pueris, qui educantur a paeda-
„gogo, vnus veſtitus modeſtiſſimus, vnus habitus eſt corporis: veſtes
„quoque et calceamenta non mutant, niſi lacera et temporis vſu detrita.
„Nihil vero mutuo inter ſe vel emunt, vel vendunt, ſed quilibet indi-
„genti exhibet, id quod penes ſe eſt, refertque quod ſibi vtile atque com-
„modum, quamuis etiam ſine commutatione vel retributione liceat ea
„ſumere, quae quis cupiat. Singulari vero pietatis ſtudio in rebus diui-
„nis maxime vtuntur, ante ortum enim ſolis nihil profanum pronunciant,
„ſed

ſacris euangeliſtarum mentio fiat, licet non minus craſſis, quam reliquae ſectae, erroribus fuiſſent addicti, dudum viris doctis obſeruatum eſt, vid. BASNAGE l. c. p. 588. 680. CAVE l. c. p. 120. et quae nos diximus in Otio Vind. Melet. I. p. 41. Quamuis autem haec veritatem Philonianae narrationis mire confirment, non tamen totus reiiciendus videtur Ioſephus, ſed conciliari poſſe cum Philone, nempe, ſi ſtatuamus, coenobium quidem Eſſenos, refectorium, locum conuentus, aerarium, procuratores, et quae alia ad ſectae formam pertinebant, habuiſſe in agro, multos etiam agri colendi cauſſa in vicis habitauiſſe, quosdam tamen in proximis oppidis, opificiorum exercendorum cauſſa conſediſſe, ſtato vero tempore cum reliqua ſectae familia in vicis agrisque conueniſſe. Regionem vero quam incoluerint, neque Ioſephus neque Philo indicant. EPIPHANIVS autem haereſ. XIX. p. 40. ex aliorum relatione tradit, ex Nabataea, Ituraea, Moabitide et Areilitide originem eos traxiſſe, quae regiones vltra vallem ſalſuginoſam ſitae ſint. PLINIVS vero l. c. refert: „Ab occidente litore (Aſphaltidis)
„Eſſeni fugitant, vſque qua nocent, gens ſola
„et in toto orbe praeter caeteras mira, ſine vlla
„femina, omni Venere abdicata, ſine pecunia,
„ſocia palmarum.“ Qui locus cum valde obſcurus ſit, vehementer torſit interpretes, cuius tamen ſenſus hic eſt, receſſiſſe Eſſenos circa litora maris mortui habitantes ab hoc lacu, quatenus eius exhalationes nocent, et circa ea loca conſediſſe, vbi palmarum copia eſt, id quod ab occidente maris in campis illic ſitis factum eſſe ſatis luculenter indicat. In hac enim ſolitudine palmarum multitudo inueniebatur, teſtaturque l. c. PLINIVS, „infra Eſſenos fuiſſe Engadda
„oppidum (vicus praegrandis vineis quoque ce-
„lebris Cant. I. 14. de quo vid. RELANDVS
„Palaeſt. L. III. p. 763.) ſecundum ab Hieroſo-
„lymis fertilitate, palmetorumque nemoribus.“ Ex quibus intelligitur, cur *gentem ſociam palma-*

rum vocauerit Eſſenos Plinius, fallique Petitum et Salmaſium, qui ita dictos fuiſſe putant, quod dactylis vixerint. Vocati vero illi campi deſertum Iudae, Iud. I. 16. in quo vixit quoque Ioannes Baptiſta. Recte itaque Eſſenos eremitas quis dixerit.

p) S. CHRYSOSTOMO in Acta Hom. 46. auctore, Eſſeni Sicarii dicti ſunt, a ſicis, quas ſub veſtibus abditas geſtarunt, quibus zeli pro patria legeque cauſſa multa mala ab iis patrata ſunt. Inde Zelotae dicti. Aſt haec prorſus repugnant narrationibus Ioſephi et Philonis, vnde mendum irrepſiſſe in hanc vocem NIC. FVLLERVS Miſc. SS. L. II. c. 3. p. 166. putat, legendumque pro σικάριοι, οἱ κάρσιοι, Karaei, aſt nodum ita ſecari, qui ſolui debebat, quilibet videt, adeo violenta eſt iſta emendatio. Quae opus non eſt, cum ſatis clarum ſit, confudiſſe Chryſoſtomum cum Eſſenis ſectatores Theudae et Iudae Galilaei, qui cum Caeſarem dominum reſpuerent, pro Patriae libertate et lege rebellarunt, indeque Zelotae dicti ſunt, hisque ſeditionibus innumeras turbas et calamitates excitarunt. Horum autem plerique Phariſaei erant, teſte IOSEPHO Antiq. Iud. L. XVIII. c. 1. p. 616. Ex hac factione vero illi quoque fuerunt, qui a gladiolis minutis, quos ſicas Romani vocant, ſicarii dicti ſunt, et caedibus atque ſeditione Hieroſolymam repleuerunt, vid. IOSEPH. Antiq. Iud. L. XX. c. 7. p. 697. Non errauit itaque SVIDAS, qui in Sicarius T. III. p. 512. Phariſaeos Zelotas ſicarios vocatos eſſe tradit. Quod vero DRVSIVS contendit l. c. L. IV. c. 21. p. 212. quem ſequitur BASNAGIVS l. c. L. II. c. 21. §. 5. p. 565. feciſſe quosdam Eſſenorum cum ſicariis, id veriſimilitudine caret. Alia enim vita, agreſtis, ſimplex, et a turba hominum remota fuit Eſſenorum, quos innocenter vixiſſe Ioſephus et Philo tradunt. Accedit, quod haec ſecta nunquam in templum venerit, ſicarii vero in feſtorum frequentia eiusmodi caedes in templo patrauerint, teſte IOSEPHO l. c.

„ſed patrias quasdam precatiunculas in orientem ſolem [r] recitant, vt fe„liciter oriatur. Deinde ad propria quisque artificia, quae nouit, ab in„ſpectore dimittitur, ſicque vsque ad quintam horam cum contentione „indefinenterque laborant. Deinde in eodem agro conueniunt, lotique „frigida et candidis veſtibus induti, poſt hanc purgationem in propria „domo conuenlunt, in quam nemini ingredi licet, qui alienae ſectae eſt „atque opinionis: et in coenaculum [r] tanquam in ſanctum aliquod tem„plum ingreſſi, cum ſilentio et ſine ſtrepitu accumbunt, et a piſtore ſe„cundum ordinem cuilibet panes apponuntur, coquus autem vaſculum „vnum vnius edulii adiicit. Priusquam vero cibum ſumant, ſacerdos „benedicit cibo, nec licet cuiquam aliquid ante preces [s] et benedictionem „guſtare. Poſt prandium praefectus iterum precatur, ſicque in prandii „initio et fine precibus et gratiarum actione Deum victus datorem glori„ficant [s]. Deinde ſacras veſtes deponunt, et ad operas ſuas vsque ad „veſperam digrediuntur. Ita vero coenant ſimiliter, accumbentibus „ſimul aduenis, ſi qui obtigerint. Neque clamor aliquis vel turba vlla in „illa domo auditur: ſed in colloquiis et ſermonibus vnus alterum excipit, „cedit-

q) Παρ᾽ὅσα δὲ τοῖς τὸν ἥλιον ἐυχὰς ἄσπερ ἐυτυχοῦντες ἀναπέμπει. Ita Ioſephus, quae ſcrupulum mouerunt viris doctis, qua ratione fieri potuerit, vt ſolem Eſſeni adorauerint, cum notum ſit, Iudaeos poſt captiuitatem Babylonicam a cultu ſiderum et ab omni idololatria vehementer abhorruiſſe. EPIPHANIVS more ſuo haeref. XIX. p. 41. haereticos et idololatras ex his exſculpit, niſi cum PETAVIO dicamus, Eſſenorum ſectam Epiphanio memoratam ab Eſſenis differre. Cum vero diuini cultus tenaciſſimos, et in ſacris puriſſimos atque caſtiſſimos Ioſephus teſterur fuiſſe, merito ſuſpectum ſit, quod viri quidam docti ſtatuunt, eos radios ſolis tanquam diuinam quandam exhalationem fuiſſe veneratos, ideoque ad leuandum ventrem progreſſos ſtudioſe texiſſe excrementa, ne radios diuini luminis contaminarent. Quod vbi fecere, diuinae magis omnipraeſentiae, quam ſolis, rationem habuiſſe, eiusque radios pro ſymbolo quodam eius habuiſſe cenſendi ſunt, qua ratione, Pythagoras quoque praecepit: *aduerſus ſolem ne mingito.* Obſtare tamen viri docti putant verba Ioſephi, quo minus ab idololatriae crimine abſolui queant. Cui difficultati vt occurrerent alii, varias explicationes attulerunt, videndas apud BASNAGIVM, l. c. L. II. c. 20. §. 17. ſeqq. p. 539. ſeqq. Inter eas ſpecioſa eſt SAM. PETITI, qui var. lect. c. 21. pro εἰς ἀυτὸν, legit, εἰς ἀυτὸ, (Θεῖον) aut coactum hoc eſſe, verborum docet conſtructio. Nobis ſana omnia eſſe in textu Ioſephi videntur, modo vera ſignificatio praepoſitionis εἰς obſeruetur. Ea enim non tantum motum in locum vel ad aliquid directum indicat, ſed interdum etiam cauſſam impulſiuam, vel obiectiuam etiam, et explicanda eſt per *propter*, cuius exempla afferunt Io. POSSELIVS in Syntaxi Graeca p. 234. et FR. VIGERVS de idotiſmis Graecae linguae c. IX. Sect. II. §. 9. p. 471. His praeſuppoſitis nihil aliud dicunt verba Ioſephi, quam hoc: Eſſenos profanum nihil ante ſolis ortum loqui, ſed recitare precationes matutinas a maioribus exceptas, et *in* vel *propter ortum ſolis* compoſitas, quibus a Deo precantur, vt feliciter illis lux ſolis illucear. Quae vt verbis Graecis Ioſephi accurate ſatis faciunt, ita oſtendunt, ſolem non illud fuiſſe quod adorarunt, ſed materiam propter quam orarunt. Germani noſtri, vt eſt lingua eorum Graecae valde affinis, ita accurate exprimunt: *Sie beten vor Aufgang der Sonnen ihren von den Voreltern empfangenen Morgenſegen, auf den Aufgang der Sonnen, worinnen ſie bitten, daſs der Tag möge geſegnet ſeyn.* Haec mentem Eſſenorum exprimere, nemo non videt, nec alia ratione ea intelligi poſſe, veneratio numinis puriſſima, quam iis tribuunt Ioſephus et Philo, permittit, qui eos tanquam purioris cultus diuini cuſtodes non laudaſſent tantopere, ſi idololatrae fuiſſent. Illud vero veriſimilitudine non caret, Eſſenos more Pythagoreorum ſolem habuiſſe pro ſymbolo diuinitatis, cum eſſent allegoriae amantiſſimi; quod vbi admittitur, reliquae obiectiones facile poſſunt repelli.

r) Ex hoc loco confirmatur coniectura ſupra poſita, Eſſenos in vicina oppida ad exercenda opificia ſua fuiſſe digreſſos, certa vero hora εἰς ἓν χωρίον in vno agri loco ad commune coenaculum (refectorium coenobitae hodie vocant) conuolaſſe, et ita cum Ioſepho vrbium, et cum Philone agrorum incolas poſſe dici.

s) Ex his menſae benedictionibus confirmatur explicatio ſupra data de benedictione ſolis matutina, non ad ſolem ſed ad Deum directa.

Digitized by Google

„ceditque dicenti, ſic vt iis, qui extra ſunt, tantum ſilentium venerabile „aliquod myſterium videatur. Cuius cauſſa eſt moderatio in cibo et potu, „et iuſta ſobrietas, qua ad ſatietatem tantum paſcuntur. Nihil vero ſu„ſcipiunt, quod non praefectorum cura et mandato agatur. Duo tamen „iniuſſi ſuſcipiunt, auxilium et miſericordiam; tunc enim licet indigenti„bus, vbi opus habent, et digni ſunt, ex ſe auxilium ferre, victumque „conferre egentibus. Conſanguineis autem aliquid tradere, ſine procu„ratorum voluntate, fas haud eſt. Irae ſunt temperantiſſimi, impetum„que eius coërcent; fidem accurate praeſtant, pacem et colunt et ope„rantur. Quicquid dicunt, magis ratum firmumque eſt, quam quod iure„iurando confirmatur; iusiurandum enim magis auerſantur, quam periu„rium, eum enim iam mendacem cenſeri credunt, cui ſine Deo fides „non adhibeatur. Veterum monumentorum ſunt ſtudioſiſſimi, maxime„que ex iis quae ad animae atque corporis vtilitatem faciunt, eligunt. Hinc „ad ſanandas affectiones morborum radices, et ſalutares herbas et pro„prietates lapidum ſcrutantur [t]. Quod ſi quis ſectam eorum ſuſcipere „ambit, non admittitur ſtatim, ſed per integrum annum extra eam con„ſtituto eadem vitae praeſcribitur, et ſimilis veſtitus ratio. Vbi per hoc „tempus continentiae ſpecimina exhibuerit, ad coenaculum admittitur, „et ſanctarum lotionum fit particeps: nondum tamen in ſectae contuber„nium ſuſcipitur, et per duos alios annos exploratur, vt conſtantiam de„monſtret. Et tum demum vbi dignus iudicatur, in ſocietatem contu„bernii recipitur. Antequam vero ad communem menſam admittitur, hor„ribili iureiurando obſtringitur, pollicitus primo quidem diuina recte co„lere, deinde iuſtitiam erga homines cuſtodire, neminique ſuo ſtudio nocere, „vel alterius impulſu; porro odio perſequi nullo non tempore improbos, „pro iuſtis autem ſemper ſtare et cum illis facere, fidem quoque praeſtare „omnibus, maxime vero imperantibus: nullum enim ſine Deo eſſe impe„rium. Quod ſi ipſe praeficiatur aliis, promittit, non ſe poteſtate in „contumeliam aliorum abuſurum, neque ſuper conſtitutos ſub ſe vel ve„ſtitu vel alio corporis cultu et ſplendore eminentiam quaeſiturum; ama„turum ſemper veritatem et mentientes reprehenſurum, manum cohibi„turum a furto, animumque ab impuro ſordidoque lucro ſeruaturum illi„batum. Sectatores ſe nihil celaturum, extraneis vero nihil reuelaturum, „etiamſi ad mortem vsque quis coëgerit. Praeterea iurant, ſectae dog„mata non aliter tradere, quam acceperunt; a latrociniis ſibi cauere, et „diligenter cuſtodire cum ſectae libros, tum angelorum nomina [u]. Et „hoc

t) Haec ratio eſt, qua ducti nonnulli coniecerunt therapeutarum, id eſt, ſanantium nomen illis haeſiſſe, eo quod medicinam ſimplicium ſtudioſe colerent, immo Eſſenorum nomen inde quibusdam deriuatur. Aſt falli vtramque coniecturam ex vera vtriusque nominis origine patet. Certo tamen ſenſu inter empiricos referri poſſunt, locumque aliquem inter veteres medicos tuentur, conf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. XIII. pag. 154.

u) Variae fuere eruditorum coniecturae, vnde hoc ſtaturum acceperint, et ſui ordinis praeceptis

„hoc quidem iureiurando eos, qui ad hanc ſectam accedunt, obſtringunt:
„qui vero contra haec peccauerint, eos ex ordine eiiciunt. Quique ſic
„condemnatus eſt, miſerabili ſaepe fato correptus perit. Cum enim et
„iurisiurandi religione et moribus ad Eſſenos pertineat, ne ab aliis qui-
„dem victum accipere poteſt, ſed brutorum inſtar radicibus victitans,
„fame tandem miſere perit. Hinc in extremo demum agone conſtituti
„miſerti, eum recipiunt, eo quod ad mortem vsque cruciatus pertuliſſe
„ſufficientes credant. In iudiciis vero accuratiſſimi ſunt atque iuſti, nec
„ius dicunt, niſi minimum centum conuenerint, quod vero ſemel apud
„eos definitum, id immutabile eſt. Maximum vero poſt Deum cultum
„legislatoris nomini exhibent [x], ſic vt qui illud blaſphemauerit, morte
„puniatur, ſenioribus autem et pluribus obſequi, pulchrum eſſe ducunt.
„Ita cum decem ſimul conſedere, nouem illorum voluntati decimus nun-
„quam contradicet. Cauent vero ſibi, ne in medio vel ad dexteram ex-
„ſpuant. Sabbathi vero cuſtodiam rigidiorem ſeruant omnibus Iudaeis,
„nam non ſolum alimenta pridie ſibi parant, ne ignem eo die incendere
„opus habeant, ſed ne vaſa quidem transferre in alium locum, vel ven-
„trem leuare audent [y]. Aliis vero diebus foueam in loco remotiſſimo
„effodiunt, et quod reddidit venter, ſollicite defodiunt, ne radios diui-
„nos contumelia afficiant; poſt quam naturalem corporis leuationem ſe
„abluunt lauanturque, non aliter, ac ſolent, vbi ſe polluerunt. Diui-
„duntur autem ſecundum exercitationis ſuae tempora in quatuor claſſes,
„tanta iuniorum prae ſenioribus humilitate, vt, ſi quis illorum hos teti-
„gerit, hi ſe lauent haud aliter, ac ſi alienigena, ſectaeque exſors eos
„tetigiſſet. Diu vero viuunt, ſic vt multi centenarii ſuperuiuant, id
„quod meo iudicio ex ſimplicitate et ordinata victus ratione deriuandum
„eſt. Atrocia vero quaeque contemnunt, et dolores forti et prudenti
„animo vincunt, mortem vero honeſtam et glorioſam immortalitati
„praeferunt, qui eorum animus maxime in bello Romano ſe manifeſtauit,
„in quo torti et equuleo cruciati, vſti fractique omnibusque tormentis
„tentati non potuerunt flecti, vt vel legislatori maledicerent, vel vetitum
„quid comederent, vel aliud quid paterentur fieri: ſed ridentes inter do-
„lores acerbiſſimos, et tortoribus illudentes bono animo pleni animas
„reddiderunt, quas iterum accepturi eſſent. Eorum vero opiniones et
„dogma-

ptis inſeruerint Eſſeni? Quidam ex male intellectis verbis quibusdam Iobi hoc eos hauſiſſe putant, ſed carent veriſimilitudine. Neque vero coniecturis incertis opus eſſe putamus, cum ſatis notum ſit, circa ea tempora, quibus Eſſenorum ſecta in corpus aliquod coaluit, doctrinam de angelis ſiue daemonibus eorumque in hunc mundum poteſtate, cuſtodiaque tum elementorum, tum prouinciarum, et de vi magiae in illos maxime in Oriente et Aegypto ſurrexiſſe: qua de re ſupra Alexandrinorum philoſophorum placita enarrantes fuſe egimus. Cum itaque haec gentilium placita ad Iudaeos tranſiiſſent, mirum non eſt, Eſſenos, quos vel ex Oriente vel ex Aegypto originem cepiſſe in antecedentibus probauimus, haec ſomnia de poteſtatibus angelorum magica vi per nomina eorum eliciendis retinuiſſe. Ita enim Cabbaliſtas quoque feciſſe, in ſequentibus oſtendemus. Id quod vidit iam VITRINGA l. c. Reſpexiſſe vero ad Eſſenos Paulum Coloſſ. II. 18. quod vult GOODWINVS Moſ. et Aaron L. I. c. 12. §. 23. p. 239. et HOTTINGERO ad h. l. placet, veroſimile non eſt.

x) Moſen ſine dubio Ioſephus intelligit.
y) Id ob ſiccitatem eorum facile fieri poterat.

Digitized by

„dogmata haec ſunt: corpora quidem eſſe corruptibilia, neque durabilem „eorum materiam, animas vero immortales ſemper perdurare, congeni„tasque ex ſubtiliſſimo aethere corporibus tanquam carceribus naturali „quadam inclinatione et illecebris incluſas eſſe. Vbi vero ex carnis vin„culis ſe liberauerunt, tunc maximo gaudio efferuntur, quaſi extra ſe in „ſublime rapti, eo quod a diuturna ſeruitute ſe liberatos ſentiant. Et „quod ad locum earum attinet, cum Graecis [z] concordant: bonis enim „trans oceanum manſionem decernunt et regionem ſitam eſſe dicunt, ne„que imbribus, neque nebulis, neque aeſtibus moleſtam, ſed qua ex ocea„no leni Zephyro ſemper recreentur: malis vero animabus tenebricoſos „ſinus deſtinant, in quibus ex indefinentibus poenis gemitus reſonent [a]. „Haec igitur Eſſeni de diuinis praecipiunt, quae ineuitabilis quaſi eſca ſunt, „qua illi, qui ſemel eam guſtauerunt, detinentur. Sunt etiam inter eos, „qui futura praedicere ſuſtinent, libris ſacris, et diuerſis luſtrationibus, „et prophetarum enunciatis a iuuentute innutriti: raro autem in vatici„niis ſuis a ſcopo aberrant. Eſt etiam alius adhuc Eſſenorum ordo, qui „in reliquo quidem vitae inſtituto, legibus et conſuetudinibus cum cae„teris concordat, in dogmate vero de matrimonio diſſentit. Eos enim, „qui non nubunt, maximam vitae partem reiicere putant, propter ſuc„ceſſionem, et ſi omnes in id conſenſerint, celerrime humanum genus „eſſe deſiturum. Per triennium vero vxores obſeruant, et explorant, „vtrum conceptioni ſint idoneae; et ſic exploratas demum ducunt: vbi „ſemel vero conceperunt, non amplius cum iis coëunt, eo quod non „voluptatis, ſed generandae ſobolis cauſſa coniugium ineundum eſſe ſta„tuant. Hactenus IOSEPHI narratio; qui alio loco [b] addit, Deo reli„quiſſe eos omnia. Ita enim: *Ἐσσηνοῖς δὲ ἐπὶ μὲν Θεῷ καταλιπὼν φιλεῖ πάντα ὁ λόγος*; quae verba ſatis obſcure Eſſenorum de concurſu diuino circa actiones hominum doctrinam exponunt. Lucem tamen affundit alio loco [c], vbi eos affirmare ſcribit: *Πάντων τὴν εἱμαρμένην κυρίαν ἀπο-φαίνεσθαι, καὶ μηδὲν ὃ μὴ κατ' ἐκείνης ψῆφον ἀνθρώποις ἀπαντᾶν, omnia in fati poteſtate eſſe, nec quicquam hominibus praeter fati decretum accidere.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, oppoſuiſſe ſe Eſſenos Sadducaeis et a prouidentiae diuinae decreto cuncta deriuaſſe. Aliam enim *τῆς εἱμαρμένης* ſignificationem non eſſe, cum ex his locis inter ſe collatis, tum ex reliquarum ſectarum de fato doctrina inter Iudaeos liquet. Cauſſam itaque videmus nullam, cur fluctuet BASNAGIVS [d], quid per fa-

z) Luculenter haec de ſtatu animarum poſt mortem doctrina probat, ex Aegyptiorum theologia Graecis dogmatibus atremperata Eſſenorum theologiam fuiſſe enatam; et immiſta illi fuiſſe placita Pythagorica. Cabbaliſtae vero cum eadem tradiderint, vt ex Cabb. Pneumat. diſſ. III. c. 4. Cabb. denud. T. II. p. 248. ſeqq. patet, magnopere inde noſtrae de origine Eſſenorum coniecturae confirmantur.

a) Conſonantiam cum Graecis placitis hic pluribus notat Ioſephus, cuius tamen verba, cum huc non pertineant, omiſimus, conferendus autem eſt IAC. WENDRVS de vita functorum ſtatu ex comparatis inter ſe Hebraeorum et Graecorum ſententiis Sect. VII. p. m. 129. ſeqq.

b) L. XVIII. c. 2. p. 617.

c) L. XIII. c. 9. p. 442.

d) Hiſtoir. des Juifs L. II. c. 20. §. 11. p. 529. ſeqq.

tum intellexerint, et annon fatum ſidereum reſpexerint, eo quod magna reuerentia cultuque ſolem ſint proſecuti [e]. Sectarum enim oppoſitio, quam hoc loco Ioſephus etiam in dogmate de conſilio et prouidentia diuina, eiusque cum actionibus hominum concurſu inſtituit, errare nos in fati ſignificatione apud Eſſenos non ſinit. Quemadmodum itaque Sadducaei Pelagianiſmum quendam, ita Eſſeni praedeſtinatianorum opinionem ſecuti in extrema cucurrerunt, ſicque abſurdam ſatis hypotheſin, ſi cum exercitationibus auſteris comparetur, receperunt, qua de re digna lectu ſunt, quae erudite differit BASNAGIVS [f]. Philone tamen auctore malum a Deo remouerunt; quod qua ratione, ſalua tamen abſoluta decretorum diuinorum diſpoſitione, fieri poſſe docuerint, in tanto monumentorum veterum defectu et ſilentio dici non poteſt, coniicimusque, eos conſectaria doctrinae huius, abſolutiſmum (ſit voci venia) quendam introducentis, non ſatis perſpexiſſe, et ita dogmata vno ſub iugo non euntia copulaſſe; quod in hac ipſa doctrina ſaepe in eccleſia Chriſtiana eueniſſe, eius hiſtoria teſtatur. Ceterum hoc quoque Eſſenis tribuit IOSEPHVS [g], in templum quidem donaria eos mittere, ſacrificia vero non facere, eo quod ſanctioribus ſe vti ceremoniis credant; Ideoque a communi templo excluſos priuatim ſacrificia facere. Aliter Philo, qui eos plane non ſacrificare dicit: id quod forte de Eſſenis Aegyptum incolentibus intelligendum, Palaeſtinae incolis ſacrorum curam ita habentibus. Dubium tamen occurrit, qui licuerit Eſſenis priuata pietate extra templum ſacra offerre Deo, cum id, tanquam idololatriae ſpecies quaedam, inter Iudaeos prohibitum fuerit? Quem nodum ſecare quidem conatur PETRVS PETITVS [h], ſed ſoluendus is erat; quae enim affert, probari non poſſunt. Nobis aut corruptiſſima eccleſiae Iudaicae facies accuſanda videtur, qua licuit Iudaeis, quod libuit, cuius exemplum ſatis manifeſtum eſt, quod contra legis mandatum in templum non venerint, praeſertim cum veriſimile ſit, prima ſectae condendae occaſione ita ferente et neceſſitate cogente, cum templum nullum eſſet, eos ita inſtituiſſe, poſtea vero cum templum profanari quotidie viderent, ab eius ſacrificiis abhorruiſſe. Aut Ioſephi in dubium vocanda fides; qui aliorum narrationibus eo magis decipi potuit, quo magis arcana, quam ſeruabant, diſciplina, neminem ad exploranda vera eorum dogmata ritusque admittebat, qui non ſectae eſſet addictus. Sed et hoc Ioſephus addit, ſimplicem et honeſtam vitam agentes totos ſe agriculturae tradere, hocque vitae inſtitutum vltra quatuor millia ſequi. PHILONEM [i] ſi audimus, eius narratio in multis cum Ioſepho concordat, quaedam habet ab eo diuerſa. Narrat is, „ſumma religione eos Deo ſeruire, non mactando „victimas, ſed ſuasmet ipſorum mentes componentes ad ſanctimoniam; „hos vicatim habitare, vrbes refugere, propter familiaria ciuium vitia „eorum-

e) Ipſe tamen in noſtram propendet explicationem. f) l. c. p. 531. ſeqq. g) loc. cit. h) Var. lection. L. IV. c. 9. i) loc. cit. p. 876. ſeqq.

itized by Google

„eorumque contagium, quod incurabile ſit: viuere partim ex agricultura, „partim ex opificiis in pace florentibus; beneficos eſſe erga ſuos et proxi„mos, nullam condentes pecuniam, nec parantes ampli reditus latifundia, „ſed quotidianis neceſſitatibus quaerentes remedium. Solos paene homi„num degere ſine praediis, ſine pecuniis, et propter vitae inſtitutum, diui„tes tamen haberi magis, quam ob rerum copiam frugalitatem non vana „exiſtimatione ducentes eſſe quaeſtum maximum. Tela, iacula, gladios, „galeas, thoraces, ſcuta neminem apud eos fabricare, ſicut nec arma cete„ra, nec machinas, aut aliud quicquam bello vtile: immo ne illa quidem „ſtudia reperiri ibi, quibus in pace facile abutuntur homines, negotiatores, „inſtitores, naucleros ne in ſomnio quidem vidiſſe, ſubtrahentes auaritiae „materiam. Omnes liberos miniſtrare ſibi inuicem; dominationem da„mnare vt iniuſtam atque impiam, repugnantem iuri naturae, quae omnes „ex aequo genuit educauitque, tanquam mater germanos fratres reuera, „non ſolo nomine. Philoſophiae partem dialecticam, vt parandae virtuti „non neceſſariam, relinquere eos verborum captatoribus: eam vero, quae „naturam ſcrutatur, diſputatoribus, vt humano captu ſublimiorem, niſi „quatenus de creatore mundi, et creatione differit. In ſola morali ſe eos „exercere ſub paedotribis legibus patriis, quas non poſſit concipere huma„nus animus ſine afflatu numinis [k]. Has ediſcere eos et alio tempore, ſed „praecipue recurrente die ſeptimo, quem ſacratum exiſtiment, feriarique „tunc ab omnibus aliis negotiis, quoties ſacras aedes, quas ſynagogas vo„cant, adeant, pro aetatis ordine iuniores ad ſeniorum pedes conſidere [l], „et ad audiendum ſe componere; ibi alium ex libro praelegere, alium „quempiam vnum e peritioribus accedentem, quae obſcuriora ſint, expli„care: nam pleraque per ſymbola more veterum philoſophorum illis eſſe „tradita [m]. Diſcere autem ſanctitatem, iuſtitiam, curam rei vel domeſticae „vel publicae, verorum bonorum malorumque ſcientiam, atque rerum in„differentium inſuper, quid expetendum, quid contra fugiendum; ea tri„plici regula examinare, amore Dei, et virtutis et hominum: pietatis erga „Deum argumenta prae ſe ferre plurima, caſtitatem in tota vita perpetuam, „a iureiurando et mendacio abſtinentiam, et quod ad Deum auctorem bo„na omnia, malum vero nullum referant. Virtutem quoque ſibi eſſe cordi, „ſatis eos declarare; dum honores, pecunias voluptatesque contemnant „fortiter, viuereque eos continenter complexos frugalitatem, ſimplicita„tem, facilitatem, modeſtiam, legum reuerentiam, conſtantiam et id genus „cetera [n]. Charitatem porro eorum erga homines indicare beneuolen-

k) Cauendum tamen, ne hic Graeci generis philoſophos nobis fingamus, quorum habitu Eſſenos Philo depingit. Hoc enim faciebat in Graecorum gratiam, vt haberet, quos eorum philoſophis ſolita gentis ſuae arrogantia praeponeret.

l) Iudaico more, vt infra dicetur.

m) Hoc ad origines Eſſenorum detegendas probe obſeruandum eſt.

n) Valde hic nobis ſuſpectus eſt Philo, attemperaſſe eum Eſſenorum mores Graecorum philoſophorum ſpeculationibus, et vitae innocentiam in philoſophiae theatrum traduxiſſe. Non enim fuiſſe philoſophos, ſed aſcetas Eſſenos, ex dictis manifeſtum eſt.

„tiam, miram dictu aequabilitatem et omnium rerum societatem. Patere „eorum sodalitia hominibus etiam aduenis, idem institutum seruantibus, „omnibus vnum esse promtuarium, vnde vestitus et mensa communis fu„matur. Quicquid lucrentur ex quotidianis operae mercedibus, non sibi „quemque conseruare, sed in medium conferendo cuicunque volenti fruen„di potestatem facere: tum si qui valetudinarii nequeant victum quaerere, „non eos negligi, paratum habentes e publico infirmitati subsidium, quam „secure sustentent ex communi copia. Senioribus iuniores reuerentiam „et honorem exhibere, tanquam germanos filios, labantem eorum aetatem „fulcientes omnimodo tam consiliis, quam ministeriis. Tales virtutis ath„letas eos reddidisse philosophiam absque omnibus curiosis et ambitiosis „Graecorum vocabulis, exercentem eos in laude dignis actionibus, quibus „certa perpetuaque libertas constabiliatur. Id compertum esse in multis et „variis eorum difficultatibus, sub tyrannide potentiorum diuersis praedito„rum ingeniis. Ex quibus licet alii conati feroces bestias immanitate supe„rare, nullam omiserint crudelitatis speciem, alii clandestinis morsibus ca„num maleficorum more laedendo perpetuam reliquerint afflictionum me„moriam, neminem tamen vel ex crudelibus illis, vel ex alteris fucatis et „subdolis, valuisse modo dictos coetus Essaeorum siue sanctorum in cul„pam inducere, sed omnes discessisse victos virtute horum virorum, lau„dantes eos vt liberos ciues, et suo iure viuentes etc.„ Hactenus Philo, ex cuius narratione, si cum Iosephi conferatur, patebit, singularem prorsus instituti rationem tenuisse Essenos, licet manifestum esse putemus, dedisse vtrumque in descriptione sua aliquid praeiudicio suo, sapientiam et instituta Hebraeorum diffluxisse ad gentiles, et illorum ideo mores, ad horum consuetudines, quae tum maximi fiebant, etiam ab vtroque hoc Iudaeo, efformandos esse. Haec enim vera ratio est, cur ista Essenorum collegia tanquam peculiares philosophorum sectas descripserint, licet fateantur ipsi, maxime Philo, totus alias Graecanicae philosophiae admiratione captus, *δίχα περιεργείας ἑλληνικῶν ὀνομάτων ἀθλητὰς ἀρετῆς ἀπεργάσασθαι φιλοσοφίαν.* Ex his vero Iosephi et Philonis narrationibus diiudicandum iam est, vtrum Iudaei fuerint, vel philosophi gentiles? Quaestionem prius, quantum noui mus, non disputatam primus in disceptationem adduxit, et posterius affirmauit V. C. Io. Ioachim. Langivs [o], paternae eruditionis haeres eximius, peculiari dissertatione contendens: Essaeos non fuisse Iudaeos, seu peculiarem Iudaeorum sectam, sed philosophos barbaricos iudaizantes. Quam opinionibus docte et argute tueri, ita aggressus est, vt, ex narrationibus, quas exhibuimus, Iosephi, Philonisque, eos characteres eruat, quos Iudaeis conuenire non posse credit. Praemissa enim distinctione Essenorum a Rechabitis, Hasidaeis et Therapeutis [p], ex Philone monet; adduci

o) Diss. de Essaeis, quae demonstrat, Essaeos non fuisse Iudaeos seu peculiarem Iudaeorum sectam, sed philosophos barbaricos iudaizantes, Hal. 1721.

p) De Therapeutis pec. diss. quoque egit, de qua infra.

Digitized by Google

adduci eos inter exempla gentilium philoſophorum, in barbarico ſolo frequentius occurrentium, Perſarum, Indorumque, et haec exempla etiam Syriae et Palaeſtinae non deeſſe, oſtendi. Reieciſſe eos quoque imperia dominorum et ſeruorum conditionem, et intermiſiſſe ſacrificia, quorum vtrumque legi diuinae repugnet. Porro eos matrimonium non contraxiſſe, contra conſuetudinem Iudaeorum, tantopere coniugium tanquam legem extollentium. Exhibuiſſe eos, Ioſepho teſte, ſoli diuinos honores, ius in publicis conuentibus dixiſſe, quod tamen ſine ſynedrii conſenſu Iudaeis non licuerit; ſeparauiſſe ſe a templo, nec in id veniſſe, legiſſe libros veterum, at non Iudaeorum; in ſanctificando ſabbatho reliquis Iudaeis praecelluiſſe. Addit his vir clariſſimus, nullam fieri Eſſenorum mentionem in ſacris literis, non tacitura hiſtoria euangelica, ſi Iudaei gente et religione fuiſſent. Habendos itaque pro barbaricis philoſophis, ſed talibus, qui Iudaeorum ritus et caeremonias in multis ſint imitati. Erudite haec et non ſine ingenio a docto viro diſputata ſunt, aſt inuita, niſi prorſus fallimur, veritate. Ad totam enim hanc opinionem vna machina disiiciendam ſola diſertiſſima Ioseph i [q] atque Philonis [r] verba ſufficiunt: quorum ille tres ait eſſe ſectas Iudaeorum, Sadducaeorum, Phariſaeorum, Eſſenorum, hic ſatis manifeſte philoſophorum barbarorum inter Perſas et Indos exemplis opponit Palaeſtinae Syriaeque genus hominum virtutem ſectantium, cuius regionis non paruam partem gens populoſa Iudaeorum incolat. Apud eos (Iudaeos) ait, quosdam dici Eſſaeos. Vterque ita clare Iudaeos eos fuiſſe definit, vt aut caecutire nos in meridiana luce oporteat, aut videamus non niſi Iudaeorum genus, peculiare vitae inſtitutum ſectans. Nec ita comparatae ſunt phalanges viri doctiſſimi, vt non facile queant profligari, modo id obſeruetur: non negari, quod in multis a legis praeceptis et Iudaeorum conſuetudine recedentes gentiles ceremonias, ritus, placita, ex Aegypto ſine dubio ad eos translata, vel potius cum iis in Palaeſtinam allata ſuſceperint, ſectamque conſtituerint inter Iudaeos minime orthodoxam: ſed de eo tantum quaeſtionem eſſe, vtrum origine, gente, et religione, quoad dogmata palmaria, Iudaei fuerint, nec ne? vtrum eos pro Iudaeis agnouerint ipſi Iudaei? vtrumque affirmant Ioſephus et Philo, qui hos homines cognouerunt, et eorum temporibus vixerunt. Quod autem Philo barbarorum philoſophorum exemplis adiecerit Eſſaeos, adeo non infringit, quod ipſe affirmat, fuiſſe eos Iudaeos, vt potius inter viros probos, qui virtutis ſtudio veram libertatem tuiti ſunt, ideo praeſtantiſſima barbarorum philoſophorum exempla adducat, vt occaſio ipſi ſubnaſcatur velificandi ambitioni gentis ſuae, iisque longe pulchrius et praeſtantius ex domeſtico gentis ſuae apparatu praeferendi, ſicque ſanctitatem et excellentiam legis atque legislatoris, Iudaeorum, patriaeque philoſophiae ita demonſtrandi, vt facile

q) Antiqq. Iud. L. XIII. c. 9. L. XVIII. c. 2. de B. I. L. II. c. 7.

r) Quod omnis probus liber p. 876.

Digitized by Google

facile ſibi Graeci perſuadere patiantur, omnem gentium quarumcunque ſapientiam a Iudaeis ad illos dimanaſſe. Quod vero ſacrificia intermiſerint, templumque deſeruerint, hoc tantum probat, ſeparauiſſe ſe eos a communi religionis cultu et ſingulare inſtitutum fuiſſe ſecutos, recte quoque inde magna gentis huius, quae tum regnabat, euincitur corruptio: aſt Iudaeos non fuiſſe, inferri ex eo non poteſt. Reſpuit etiam gentilium partes diuina et tantum non ſuperſtitioſa legislatoris Moſis veneratio, etiam vitae periculo confirmata et cuſtodita. Quod ſi illi a religione, cui adhaerere dicuntur, ſeparandi ſunt, qui peculiaria ſibi dogmata formant, quot quaeſo religiones in mundo nobis efformabimus? Addit autem Philo, leges, ceremonias, inſtituta eorum niti Θεοπνευςίᾳ vel vt ipſe habet, κατακωχῇ ἐνθέῳ, quo omnis rationis regula reiicitur, lexque diuinitus inſpirata ſtatuitur norma actionum. Nec firmiora ſunt, quae ex Ioſepho pro noua hac opinione petuntur argumenta. Nam quod matrimonium quidam inter eos reiecerint, nihil probat, niſi peculiaria ſibi placita Iudaeos quosdam effinxiſſe. Annon inter Chriſtianos matrimonii inſtitutum diuinum ſanctumque creditur, et ſunt tamen aſcetarum coetus plurimi, qui a matrimonio abſtinent? num hi e Chriſtianorum numero eiiciendi? Quod ius dixerint ipſi Eſſeni, a moribus Iudaeorum non abhorret, qui in minoribus controuerſiis et delictis ex arbitrio quorundam iudicum vbique ius dicere ſolebant. Quod eo magis neceſſarium erat apud Eſſenos, cum in vicis remotiores ab Hieroſolymitano ſynedrio habitarent, cuius iura priuata iſtius collegii iurisdictione non violabantur. Immo a veri non prorſus abit ſimilitudine, Eſſenos, qui ex Aegypto, non vero cum reliquis ex Babylone acceſſerunt, turbulentis iſtis perſecutionum grauiſſimarum temporibus σύςημα ſuum peculiare ſibi ſeruaſſe, et pacatis tandem rebus obtinuiſſe, confirmatos etiam in ea libertate fuiſſe a Romanis. Quod templum non inuiſerint, ſeparationis quidem reos agit, non vero ex Iudaeorum excludit conſortio: nam nec Iudaei Helleniſtae templo Hieroſolymitano adhaerebant, ſed peculiare ſibi templum Alexandriae erexerant, et tamen erant Iudaei. Nec obiici poteſt, non paſſuros id fuiſſe ſacerdotes propter commoda ſua. His enim, vt pacate viuerent, Eſſaei proſpexerant, donaria ſua ad templum mittentes. His poſitis quae cura poterat eſſe animarum vel religionis ſacerdotibus, cum hypocritae eſſent lucro tantum addictiſſimi? Solis vero cultum Eſſenis obiicii non poſſe, ſupra luculenter euicimus: multo magis conſuetudo Eſſenorum hymnis matutinis in ſolis ortu et ante eum Deo benedicendi tota Iudaica eſt. A libris vero ſacris Eſſenorum infirmum ducitur argumentum, eo quod ignoremus, quales illi libri fuerint. Allegoricos fuiſſe, ex Philone conſtat. Aſt ex antecedentibus notum eſt, libros Iudaeorum allegoricos complexos fuiſſe explicationem ſymbolicam legis Moſaicae, qua dogmata heterogenea et exotica legi patriae affricuere. Nec alios Eſſenorum libros fuiſſe omnino credibile; nempe tales, qui doctrinam iſtam moralem, fanati-

Digitized by Google

naticiſmi parentem, ex lege allegoriarum machinis emerent: id quod Iudaeos prodit, non philoſophos barbaros. Quod vero ſabbathum praeter ceteros Iudaeos ſtrictiori obſeruantia coluerint, pro eorum Iudaiſmo militat, non vero eum euertit, et id probat, leuem gentis eius pietatem ad ſtrictiorem legis obſeruantiam homines hos ſeueriorem cultum vrgentes impuliſſe. Quod vero ſacri hiſtorici eius ſectae non meminerint, cauſſam ſupra indicauimus, quod ab iis locis remoti, quae Chriſtus peragrauit, nullam cum eo conſuetudinem habuerint. Quibus rationibus eneruatis concidit ſecta haec barbarica Iudaizans, fruſtraque coniicitur, Pythagoram ſua ab illis hauſiſſe. Nam et orientale atque Phoenicium Pythagorae iter incertum et ſuſpectum eſt, vt ſuo loco oſtenſum, et antiquitas ſectae, cui fauet Ioſephus, ex ſola Iudaei hominis ambitione enata, tanta non eſt, vt ad Pythagorae aetatem aſcendat. Plura facile addi poſſent, ſed dicemus ea in ſequenti §. de Therapeutis acturi, quorum inſtituta huius quoque ſectae res illuſtrant. Iudaeos itaque fuiſſe Eſſenos, cum veteribus et recentioribus ſcriptoribus tantum non omnibus, omnino ſtatuendum eſt; at miſcuiſſe ſe aſcetico huic inſtituto gentilia multa, quilibet videt, qui narrationes Ioſephi et Philonis recte inſpexit, nec ſeduci ſe ab iſtis viris patitur, vt cunctos eorum ritus et conſuetudines pro Hebraeis a maioribus acceptis habeat. Multa enim iis inſunt, quae nemo pro Moſaicis habebit, niſi eodem, quo illi ipſi, praeiudicio impeditus. Qui ſyncretiſmus Iudaica et gentilia inter ſe in vnam maſſam confundens cum in Aegypto coeperit, confirmatur inde admodum coniectura noſtra, ipſam Eſſenorum ſectam ex eadem regione primas origines accepiſſe. Maxime vero ex eo tempore, quo Pythagorica philoſophia et σύσσιτα inter Aegyptios receptum et imitatione expreſſum fuit, multa inter Eſſenos admiſſa eſſe, quae a patriis legibus et ceremoniis deuiant, comparatio vtriusque euidenti nos argumento conuincit. Nam, vt pauca in lectoris gratiam hac de re addamus, et Pythagoreis ἐμαχεῖον fuit atque κοινόβιον, in quo ſimul conuenientes audiuere magiſtrum, cibum ceperunt, ſimulque vixerunt; et Eſſeni in diaetis atque coenaculis ſuis ſeparati a turba conuenerunt, ſimulque capientes cibum a magiſtrorum ore pependerunt. Communi conſortii vinculo tamquam fratres inter ſe nexi Pythagorei ſola inſtituti communione etiam aduenas ita diligebant, vt omnium vitae commoditatum, bonorum, menſae, conuerſationis eſſent participes: ſimili vero modo Eſſenos quoque erga ſectae ſuae addictos ſolitos fuiſſe facere, ex Ioſepho diſcimus. Vtrique ſectae facultates in commune collatae, iisque adminiſtrandis procurator praefectus. Et Pythagoreis et Eſſenis veſtitus candidus non innocentiae tantum ſignum habitus, ſed in ſocietate quoque ſolus admiſſus. Diei horarum diſtributio vtrique ſectae par fuit: nam orare ante ſolis ortum, et diuina curare, tum negotiis ſacris primum adeſſe; lauari ante prandium, bene dicere cibis, communem cibum ſimul cape-

capere, redire poſt prandium ad ciuilia negotia et Pythagoreum fuit et Eſſenum. Iuniorum par in vtraque ſecta reuerentia erga ſeniores, par ſilentium. Explorationis vero anni Eſſenorum cum Pythagoreorum δοκιμασίᾳ exacte conuenientes. Medicinae ſimplicium, diaeteticam et therapeuticam empirica ratione excolentis ſtudium inter Pythagoreos et Eſſenos ſimili ratione vigens. Sectae vero ἐχεμυθία, nec cruciatibus nec morte vincibilis, et iureiurando obſignata adeo apud vtramque ſimilis, vt ouum ouo, cum taciturnitate et ſilentio vtraque laudetur. Quin et Pythagoricum αὐτὸς ἔφα Eſſenis non ignotum fuit, cum iuniores a ſeniorum ore muti pependerint: nec licuerit vlli ſub iurisiurandi fide a ſectae placitis vel latum vnguem diſcedere. Et quemadmodum Pythagorei in varias claſſes diſpeſcebantur, ita Eſſenorum quatuor claſſes fuiſſe ex Ioſepho audiuimus. Nec ex alio forte fonte vtriusque dogmata dimanauerunt, eſſe animam ex aethere, cunctaque regi fato: ipſa porro methodus allegorica vt ab Eſſenis, ita a Pythagoreis adhibita. Quae breues comparationis vtriusque ſectae lineae, vt vel coeco conuenientiam palpandam exhibent [s], ita certum faciunt, aut Pythagoreos ab Eſſenis, aut Eſſenos a Pythagoreis, aut vtramque ſectam ex communi fonte hauſiſſe. Verum cui, ex his tribus ſententiae ſubſcribendum ſit, de eo longa inter eruditos et varia eſt diſceptatio. Poſt Iudaeos laudatos, quorum inſolens prorſus in hac re eſt ambitio, veterum doctorum multi, et recentiores quoque nonnulli, inter quos eminet HVETIVS, et nuper ſuo modo Cl. LANGIVS [t], Pythagoram ab Eſſenis inſtituti ſui rationes accepiſſe ſtatuerunt. Fundamento vero omni deſtitui hanc opinionem, paulo attentius vtriusque ſectae origines et fata conſideranti erit certiſſimum. Ante reditum enim Iudaeorum ex captiuitate Babylonica nullam inter hanc gentem ſectam fuiſſe, nec vltimorum vatum tempore eas in Iudaea iam viguiſſe, ex iis, quae in antecedentibus diſputauimus, indubitatum eſt. Pythagorae vero aetas, maxime profectio eius in Aegyptum et orientem illa tempora ſuperat, quaſcunque etiam rationes chronologicas in eius hiſtoria ſequamur. Quodſi concederemus, quod tamen nunquam euinci poteſt, Eſſenos eo iam tempore floruiſſe, quo iter philoſophicum ſuſcepit Pythagoras, demonſtrari tamen non poteſt Phoeniciae commorationis eius veritas, vt *tomo primo* luculentis rationibus confecimus. Veriſimile quoque non eſt, Iudaeos, in admittendis gentilibus ad inſtituta, ſacra, ceremonias ſuas difficillimos, in diſciplinam ſuam recepiſſe hominem gentilem, niſi veterem Iudaeorum fabulam recoquere placeat: Pythagoram factum eſſe proſelytum. Neque vero altera quoque ſententia, quae ex communi fonte vtramque ſectam, ritus, placita et inſtituta ſimilia hauſiſſe dicit, eum fontem indicare poteſt, niſi philoſophos quosdam barbaros nobis fingamus, in philoſophica hiſtoria nunquam comparentes, nulloque veterum teſtimonio probandos, adeoque recipi

s) Agnouerunt eam GALAVS Court of the Gentiles P. II. c. 6. p. 147. HOTTINGER. ad GOODWIN. Moſ. et Aar. L. I. c. 12. p. 225.

t) loc. cit. p. 32.

Digitized by Google

recipi quoque non poteſt. Tertiam itaque opinionem amplectamur, neceſſe eſt, quae ex Pythagorae ſchola eiusmodi morum, inſtituti, placitorum harmoniam ortam eſſe aſſerit. Quam veriſimilitudine non carere, modo recte intelligatur, omnino fatendum eſt. Id quidem facile concedemus, primas conſortii eiusmodi ineundi occaſiones eſſe antiquiores Pythagoreorum diſciplina in Aegyptum introducta; at tum illud quoque habuiſſe iſtos ritus demonſtrari non poteſt, ſed credibile eſt, vt ſunt omnia initia ſimplicia, ſolas Iudaeorum in Aegyptum ſecedentium, et inuaſionis tempore in ſolitudinem confugientium calamitates, quae patriae religionis vſum publicum eripuerant, anſam eiusmodi *συσσίτιος* condendi dediſſe, paucisque ita coëuntibus, exiguis quoque ceremoniis eos coaluiſſe. At cum Iudaeorum in Aegypto numerus ſub Ptolemaeo Lagide creſceret, et circa iſta tempora in Aegyptum diffugerent Pythagoreorum vltimi, eorumque inſtituta, vitaque coenobitica Aegyptiis maxime arriderent, veriſimillimum eſt, Iudaeos hos in ſolitudine *μοναζοντας*, cum valde ſuis circumſtantiis conformes Pythagoreorum conſuetudines viderent, ſe illis ita attemperaſſe, vt credebant ſalua lege et religione patria fieri poſſe. Quibus cum accederet fanatica animi diſpoſitio, temperamentum atra bile plenum, opinio ſanctitatis vulgo melioris, audacia detorquendi in ſingulares et inauditos ſenſus allegoriarum ope patriam legem, exemplum porro aliorum Iudaeorum Aegyptiorum, philoſophiam gentilem et quidem orientalem et Pythagoricam Moſaicis legibus immiſcentium, et Cabbalam quandam inde effingentium, non potuit non ille tandem Eſſenae ſectae enaſci habitus, ea emergere facies, qualem depinximus. Quae cum poſtea ad patrias ſedes reuerteretur, ea quae a maioribus ſectaeque conditoribus acceperat, tandem lege ſacra ita confirmauit, vt Aſſamonaeorum tempore illa ſectae conſtitutio tanquam ſanctior quaedam diſciplina floruerit, quae a Ioſepho et Philone deſcripta eſt.

§. XXX. Duo nobis Philo enarrat Eſſenorum genera, quorum vnum practicum vitae genus ſecutum fuerit, alterum theoreticum. De illo in antecedentibus dictum, de hoc porro iam agendum, et Therapeutarum quoque ſecta deſcribenda eſt. De ea vero dici non poteſt, quam diuerſae ſint virorum eruditiſſimorum opiniones atque coniecturae. Vt itaque non alienis plurimorum ſcriptorum *), qui vel Iudaeos, vel gentiles, vel Chriſtianos exſculpunt, oculis, ſed propriis, quid de iis iudicandum ſit, videamus, audiendus ipſe PHILO, qui ſolus de hac ſecta Aegyptiaca nobis quaedam memorauit. Ita vero ſcriptor elegans x): „Quem„admodum in Palaeſtina ſecta viget Eſſaeorum practica, eo quod vitam „actiuam ducit plerisque feliciorem, ita et dantur contemplationi dediti, qui *Therapeutae Aegyptii.*

*) Scriptores de Eſſenis enumerant Ven. DERLINGIVS Obſ. SS. L. III. p. 452. ITTIGIVS ſelect. cap. Hiſt. eccleſ. Sec. I. c. 4. §. 16. p. 240. HERMANNVS Act. philoſ. Vol. III. p. 512. FABRICIVS ad Hieronym. Cat. S. E. c. 11. Bibl. Graec. Vol. III. p. 113. et maxime in ſalutari luce euangelii c. IV. p. 55.

x) De vita contemplatiua p. 891. ſeqq. omittemus autem digreſſiones huc nihil facientes.

„qui vocantur Therapeutae Therapeutridesque. Illud hominum genus „therapeuticum ſemper in contemplatione diuinitatis proficit, nec vn„quam ſuum ordinem deſerit, tendentem ad felicitatem perfectiſſimam. „Huic vitae inſtituto qui ſe addicunt, non ex more aut rogati id faciunt, „ſed amore correpti rerum coeleſtium, et quaſi furore diuino perciti, do„nec ad contemplationem illam perfectiſſimam perueniant. Deinde prae „immortalis beataeque vitae cupiditate, quaſi iam hac mortali defuncti, „facultates ſuas relinquunt liberis aut cognatis, vltro eis poſſeſſione ce„dendo, atque etiam ſociis et amicis, ſi cognati deſint. Relictis itaque „facultatibus et auocamentis omnibus fugiunt ſine reſpectu fratrum, libe„rorum, parentum, vxorumque, et deſerunt numeroſas cognationes, ipſam „denique patriam, et ciuitates fugientes extra moenia degunt in hortis, „aut villis ſolitariis, amantes ſolitudinem non hominum odio, ſed ad ca„uendos congreſſus cum diſſimilibus. Huic quidem generi ſimiles multi „in orbe ſunt [y], cum et Graeca et barbara terra hoc probitatis perfectae „genus recipiat, maxime vero in Aegypto frequentatur per praefecturas „ſingulas, et imprimis circa Alexandriam: ex omnibus autem locis opti„mus quisque Therapeutarum tanquam in huius generis patriam colo„nus mittitur, in locum quendam aptiſſimum, ſitum ad ſtagnum Mariam „in terreno colle accliui leniter, tutum ſimul et laudatum ab aëris tempe„rie. Securitatem enim ei praeſtant villae vicique proximi: aërem vero „temperat emiſſorium ſtagni exonerantis ſe in mare, et aurae nunquam „non ex alto aſpirantes tenuiter, ſicut craſſiores feruntur ex ſtagno, qui„bus permixtis temperamentum exiſtit ſaluberrimum. Domicilia vero „conuenarum ſunt admodum frugalia comparata contra aeſtum tantum„modo et frigora, non contigua, vt in vrbibus, nec tamen longe remota, „vt ſibi inuicem poſſint ſuccurrere contra fortuitos latronum incurſus. „Singuli autem habent ſacras aediculas, quas ſemnea vocant, ſiue mona„ſteria, vbi ſolitarii ſanctae vitae dant operam, nec cibi potusque quic„quam eo inferunt, aliudue in vſum corporis, ſed legem tantum et pro„phetarum oracula diuinitus prodita, hymnosque et quaedam alia pietati „ſcientiaeque promouendae idonea. Itaque perpetuam Dei habent me„moriam, vt ne in ſomnis quidem aliud eis obuerſetur, quam imagines „diuinarum pulchritudinum, et ſunt in his, qui ſomniando produnt prae„claras ſacrae philoſophiae ſententias. Quotidie bis precari ſolent, ma„ne ac circa veſperam, oriente ſole petentes diem vere felicem, vtque „mentes eorum coeleſti repleantur lumine: Occidente vero, vt anima „tota exonerata ſenſibus moleque rerum ſenſibilium veritatem veſtiget in „ſyne-

y) Hoc non ita intelligendum, ac ſi Therapeutarum inſtitutum in omni mundo diſperſum reperiatur, quo ſenſu verba Philonis intellexit VALESIVS ad Euſeb. L. II. c. 17. aliique Act. philoſ. Vol. III. p. 521. nominati. Sed ſenſus hic tantum eſt, contemplatiuarum eiusmodi ſocietatum complures paſſim in orbe reperiri, quae vitae perfectiori inuigilent, e. g. Perſarum Magos, Indorum Gymnoſophiſtas etc. Haec vero ambitioſius verbis exornat, et affectata prolixitate auget, vt tum gentis ſuae arrogantiae, tum quaeſitae eloquentiae laudi ſatisfaceret.

„ſynedrio domeſtico. Medium vero matutini veſpertinique temporis in-
„terſtitium totum meditationi attribuitur. Verſantes enim ſacra volumi-
„na, dant operam philoſophiae patriae allegoriis inuigilantes, quoniam
„ſub apertis verbis latere credunt ſecreta naturae coniecturis detegenda
„probabilibus. Habent etiam priſcorum commentarios, quia huius ſe-
„ctae auctores multa monumenta reliquerunt de allegoriis eiusmodi, ad
„quorum imitationem poſteri ſe accommodant. Itaque non ſolum con-
„templantur, ſed etiam cantica hymnosque in laudem Dei componunt,
„vario metrorum carminumque genere, rythmis concinnatos in augu-
„ſtiorem ac religioſam ſpeciem. Per ſex ita dies ſeorſum quisque in ſuis
„illis modo dictis monaſteriis philoſophantur, non progredientes foras,
„immo ne proſpicientes quidem: Septima vero conueniunt in coetum
„communem, et iuxta aetatis ordinem conſidunt decenti habitu, manus
„continentes ſub pallio, dexteram inter pectus barbamque, ſiniſtram ap-
„plicatam lateri. Tum progreſſus in medium natu maximus et dogma-
„tum eius ſectae peritiſſimus, diſſerit vultu ad grauitatem compoſito, vo-
„ce moderata, non ſine magna prudentia, ſecus quam oratores aut ſophi-
„ſtae: reliqui omnes auſcultant per ſummum ſilentium, annuentes oculis
„tantum aut capite. Id commune ſemneum, in quod ſeptimo quoque
„die conueniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum et mulierum
„coetibus; nam mulieres quoque ſimul auſcultant ex more, duntaxat,
„quae idem inſtitutum ſectantur. Temperantiae tanquam fundamento
„ceteras virtutes ſuperſtruunt. Nec cibum, nec potum quiſquam ſumit
„ante ſolis occaſum, quod ſapientiae ſtudium luci conuenire iudicent,
„tenebris vero curam corporis. Ideo totos dies alteri, alteri vero exi-
„guam noctis partem tribuunt; nonnulli ex his vix tertio quoque die fa-
„mem ſentiunt, attenti magis ad diſciplinam ſcientiarum. Nec deſunt,
„qui perdurant duplum eius temporis, et vix ſexto die deguſtant cibum
„neceſſarium, canticis ſolantes inediam. Septimum vero diem vt feſtum
„ſacratumque honore dignantur eximio, quo poſt curam animae corpus
„quoque reficiunt, ſicut iumento relaxantes laborem continuum. In ci-
„batu vtuntur pane ſimplici, ſal ſupplet vicem obſonii, qui delicatiores
„ſunt, hyſſopum pro condimento adiiciunt. Potum e fluentis hauriunt,
„contenti placare famem ſitimque; edunt itaque ne eſuriant, bibunt, ne
„ſitiant, ſaturitatem cauendo vt inimicam animo pariter atque corpori.
„In veſte apparet ſimplicitas ad arcendos calores et frigora, pro pelliceis
„craſſa tunica in hieme, aeſtate vero exomis aut interula linea. Certis
„quoque temporibus hi aſſeclae Moſis (γηράμοι) ex inſtituto eius conui-
„uia celebrant. Numeros enim imprimis obſeruando poſt ſeptem hebdo-
„madas elapſas conuentus ſuos inſtaurant, venerati vim multiplicem ſe-
„ptenarii. Is dies feſtus eſt maximae feſtiuitatis incidentis in numerum
„quinquagenarium. Vbi vero conuenere candidati et laeti cum ſumma
„grauitate ad ſignum datum a quodam ephemereuta, priusquam diſcum-

„bant, ſtantes vna ſerie ſublatis in coelum manibus atque oculis precantur, „Deo vt placeat illud conuiuium. Abſolutis precibus ſeniores diſcum„bunt, ac mox alii pro cuiusque dignitate: honorem vero ſenectutis tri„buunt his, qui a iuuentute ſe exercuerunt in contemplatione philoſo„phica. Adhibentur menſae foeminae quoque, anus pleraeque, ſed vir„gines non coactae caſtitatis, ſed ſponte continentes prae amore ſapien„tiae. Diſcubitus ita diſtribuitur, vt ſeorſum viri dexterum latus, ſeor„ſum foeminae ſiniſtrum teneant. In miniſterio non vtuntur mancipiis, „quandoquidem ſeruitutem cum natura pugnare autumant, ſed miniſtrant „ingenui, et ſponte quicquid opus eſt, faciunt, delectu habito ex omni „ſodalitatis huius iuuentute, vt quisque aliquod praeclarum ſpecimen edi„dit. Hi tanquam germani filii certatim ac libenter miniſtrant, haud ſe„cus ac parentibus publicis; diſcincti autem et promiſſis tunicis accedunt „ad miniſtrandum, vt omnis ſeruilis ſpecies ab hoc conuiuio abſit. Vi„num per illos dies non praebetur, ſed limpidiſſima aqua, caeteris frigida, „calida vero his, qui inter ſeniores tractantur delicatius. Menſa pura eſt „a cruentis dapibus, pro cibo panis apponitur, ſal pro obſonio, et hyſſo„pus pro condimento in delicatorum gratiam [z]. Tunc ſilentium magis „quam antea, ita vt ne mutire quidem cuiquam liceat, aut reſpirare vehe„mentius. Proponit quispiam quaeſtionem ex ſacris literis, aut ſoluit „ab alio propoſitam, nihil de ſolutione ſollicitus; nec enim captat „laudem argutiarum aut eloquentiae, hoc tantum agit, vt rem diligentius „perſpiciat, et ita immoratur doctrinae, vt et minus perſpicaces aſſe„quantur. Totum vero auditorium attentum auſcultat, in vno eodem„que habitu, intelligere ſe nutu vultuque ſignificans, probare vero hi„laritate ac exporrectis frontibus, interdum et dubitare haerereque, moto „leniter capite ſummoque dexterae digito. Nec minore attentione iuniores, „qui adſtant, audiunt: enarrationes autem ſacrarum literarum conſtant ex „allegoriis. Nam hi viri totam legem exiſtimant habere animalis ſimi„litudinem, quod praecepta corpus referant, animam vero ſententiae re„truſiores, ſub velamine verborum abditae [a]. Vbi vero praeſes viſus eſt „rem bene tractando ſatis feciſſe auditorum deſiderio, plauſus propalam „editur ab omnibus; tum ille aſſurgens hymnum in laudem Dei primus „canit, aut recens a ſe compoſitum, aut deſumtum ab aliquo veteri poë„ta. Extant enim huius generis carmina priſca verſu trimetro et hymni „cum ſuis accentibus inter ſacra canendi ante altaria vel a ſtantibus, vel „a cho-

z) Hyſſopo vſos fuiſſe veteres inter cibos, paſſim viris doctis obſeruatum; vid. CLERIC. Hiſt. eccl. Sec. I. et II. p. 26. §. 11. BOCHART. Hierozoic. P. I. L. II. c. 30. p. 592. LEVIN. LEMNIVS de plantis ſacris c. 26. pag. m. 25. G. W. WEDELIVS diſſert. de Hyſſopo aliique. Imprimis obſeruandum, quod HIERONYMVS aduerſus Iouin. L. II. tradit, et nos Tomo primo iam tetigimus, Hyſſopi vſum in Aegypto inter cibos non infrequentem fuiſſe, ſacerdotesque Aegyptiorum, carne et vino abſtinentes panem cum Hyſſopo comediſſe, vt digeſtio a calida hac planta promoueretur, caputque vaporibus non repleretur. Ab Aegyptiacis ſacerdotibus et Pythagoras herbarum huiusmodi vſum didicit, et Therapeutae quoque acceperunt.

a) Fundamentum hoc philoſophiae Cabbaliſticae circa haec tempora gigni coeptae, vt poſtea dicetur.

by Google

„a choreas ducentibus moderatas variis flexibus et reflexibus. Praefulem mox „imitantur ceteri decenti ordine, omnibus intente quieteque auſcultantibus, „praeterquam in fine hymni, extremaque clauſula. Tunc enim vniuerſi vo„cem extollunt, ſine ſexus diſcrimine *b*. Abſolutis hymnis ſingulorum iunio„res menſam efferunt, in qua rite cibus ille ſacratiſſimus, panis fermentatus „cum ſale et hyſſopo apponitur ob reuerentiam menſae dedicatae in tem„pli veſtigio. Nam in ea proponi ſolent panes cum ſale absque condi„mento alio, ſed panes non fermentati, ſal ſine mixtura. Coenam vero „ſequitur ſacrum peruigilium his ritibus: vbi omnes conſurrexerunt, duo „chori fiunt in medio coenaculo, alter virorum, alter feminarum; cuique „ſuus incentor praeficitur, honore praeſtans et canendi peritia. Deinde can„tant hymnos in laudem Dei compoſitos variis metrorum carminumque „generibus, nunc ore vno, nunc alternis, non ſine decoris et religioſis „geſtibus atque accentibus, modo ſtantes, modo prorſum retrorſumque „gradum mouentes, vt res poſtulat *c*. Deinde poſtquam vterque chorus „ſeorſim expleuit ſe his deliciis, velut amore diuino ebrii vnum chorum fa„ciunt promiſcuum ad imitationem illius olim inſtituti in rubri ſinus littore. „Horum omnium finis eſt vnus et idem pietas. Itaque producta vsque ad „matutinum hac comeſſatione honeſtiſſima, neque grauati crapula, neque „nictantes, ſed excitatiores, quam cum venirent ad conuiuium, verſo ad au„roram vultu, totoque corpore, quam primum orientem ſolem aſpiciunt, „felicem diem et veritatem perſpicacemque mentem ſibi comprecantur: „atque ita precationibus abſolutis ad ſuum quiſque ſemneum ſecedit, ad „culturam conſuetae philoſophiae". Hactenus Philo de Therapeutis. Ex iſta vero narratione Philonis de hac ſecta iudicium fieri debet, vtrum gentiles philoſophi fuerint, an Iudaei, an monachi Chriſtiani. Primum placuit doctiſſimo LANGIO *d*, qui ex Philone demonſtrare conatus eſt, Therapeutas non fuiſſe Iudaeos, multo minus Chriſtianos, ſed philoſophos barbaricos Iudaizantes. Iisdem vero in hac aſſertione demonſtranda argumentis vtitur, quibus Eſſenos ex Iudaeorum grege eiecit. Nempe vrget, non vocari a Philone Iudaeos, tacere de iis Ioſephum, qui tamen ſectas Iudaeorum enumeret; coelibatum horum hominum non conuenire cum libidine Iudaeorum, nec concordare cum ſpe gignendi Meſſiam; non veriſimile eſſe, Iudaeos relictis Hieroſolymis in ſolitudines ſeceſſiſſe; fuiſſe autem nec Eſſenos Iudaeos, adeoque multo minus Therapeutas; ſed dici ſectam inter omnes nationes reperiendam. Accurate ad has rationes reſpondit, remque, niſi fallimur, confecit eruditiſſi-

b) Id eſt, Amen, vel Halleluiah concinunt, vel etiam doxologiam quandam circa ſtropharum finem repetitam, cuius exempla eſſe poſſunt Pſalmi CXXXV. LXXXIX. 15. XXXIII. 2. 3. conf. Io. SPENCER. de legibus Hebr. ritual. L. IV. c. 3. p. 1106.

c) Et hae quoque ſaltationes ſolennes ſacraeque inter Iudaeos receptae fuere, vt ex Ex. XV. 20. Iud. XI. 34. I Sam. XXIX. 5. et aliis gentis huius monumentis notum. Eandem vero conſuetudinem Pythagoreos quoque ſeruauiſſe, ſuo loco demonſtratum eſt, conf. IAMBLICH. vit. Pythag. c. XXIV. n. 110. vnde facile intelligi poteſt, ex quo fonte ad Therapeutas hic ritus peruenerit. Conf. SPENCER. l. c. c. 4. p. 1108. ſeqq.

d) Pecul. diſſ. Hal. 1721.

tiſſimus HEVMANNVS [e], qui videri poteſt. Nos pauca monemus: diſerte eos vocari a Philone γραφίμως Μούσεως, quod omnino Iudaeos denotat, adſcribi illis ſtudium literarum ſacrarum, legisque Moſaicae; referre ceremonias eorum ritus Leuiticos Iſraelitarum, iungique tanquam ſub vno genere contentos Eſſenos et Therapeutas, adeoque hos quoque Iudaeos Philonem facere, qui Eſſenos Iudaeos dixerat. An hoc de aliis, quam Iudaeis dici poterat? Viderunt id qui in eam ſententiam deſcenderunt, Therapeutas eſſe aſcetas Chriſtianos, illi enim ſtatuunt, eos ex Iudaeis Alexandrinis ad Chriſti ciuitatem fuiſſe transgreſſos. Ioſephum ſilentio praeteriiſſe Therapeutas, mirandum non eſt, ſolas enim Iudaeorum ſectas in Iudaea vigentes enarrare ſibi conſtituerat, incertumque, vtrum illi Therapeutarum inſtitutum innotuerit, cum rerum Aegyptiacarum peritus non fuerit. Coelibatus ratio ex peculiari ſanctitatis affectatione deducenda eſt, locumque habere potuit facilem apud homines victu tenui et ſicco vtentibus, et atra bile magis laborantibus, quam ſanguinis ebullientis copia. Nec huc ſpes Meſſiae recte trahitur, ea enim ad ſolam tribum Iudae, et domum Dauidis pertinebat, adeoque remorari in ſeruanda virginitate Iudaeos alios non potuit. In ſolitudinem autem quid hos homines ire coëgerit, ex ſupra dictis liquet, qui cum circa ſectae natales templum haberent nullum, ita cultum ſuum DEI inſtituerunt, vt in communi ſemneo eius imitationem exprimerent, facileque templo Hieroſolymitano carerent, quod Aegyptiaci Iudaei fere omnes neglexerunt. Ex quibus, cum Philo ſatis luculenter pro Iudaica therapeutarum origine faciat, conſtare putamus, fruſtra Therapeutas inter philoſophos barbaros referri. Nec certiora ſunt, quae doctiſſimi viri poſt Euſebium, Hieronymum et Nilum diſputant, vt euincant, Therapeutas fuiſſe Chriſtianos aſcetas ex Iudaeis Alexandrinis ad fidem Chriſti conuerſos. Quam opinionem praeter Thomam Brunonem Britannum [f] magna animi contentione et eruditione defendit celeberrimus ex Benedictinae familiae ſodalitio S. Mauri monachus BERNARDVS MONTEFALCONIVS [g], cui de hoc argumento controuerſia interceſſit cum I. BOVHIERIO ſenatus Diuionenſis praeſide [h]. Fatemur mirari nos, virum hunc magnae eruditionis iudiciique recti, et inſolitae in veterum doctrinis cognoſcendis accurationis ad hanc ſententiam tanto puluere excitato aſſerendam potuiſſe deſcendere. At exemplum hoc eſſe puta-

e) Act. philoſ. Vol. III. p. 517. ſeqq.

f) Chriſtianos Iudaizantes fuiſſe ſuſpicatus erat CREMNITIVS exam. concil. Trid. P. IV. p. m. 780. incertus haeret VOSSIVS chronol. ſacr. p. 165. 166.

g) Le livre de Philon de la vie contemplative traduit ſur l'original Grec, avec des obſervations, ou l'on fait voir, que ces therapeutes, dont il parle, etoient Chretiens, Paris. 1709. 8.

h) Is duas epiſtolas contra Montefalconium ſcripſerat elegantes et doctiſſimas, ad quas cum reſpondiſſet monachus Benedictinus. editae ſunt vno faſce hoc titulo: Lettres pour et contre ſur la fameuſe queſtion, ſi les ſolitaires appellés Therapeutes, dont a parlé Philon le Iuif, etoient Chretiens, Paris. 1712 8. Montefalconii partes ſecutus eſt, in diſſertatione de origine et antiquitate vitae monaſticae HIPPOLYTVS HELYOT praemiſſa hiſtoriae ordinum religioſorum, conf. LE CERF Bibliotheque des auteurs de la congregation de S. Maur, p. 382. ſeqq.

Digitized by Google

putamus, quid auctoritatis vel hypotheſeos praeiudicium ad occoecanda etiam oculatiſſimorum virorum lumina valeat: praeſertim cum inſtituti monaſtici antiquitas virum longe doctiſſimum in hac opinione detinuerit. Non examinabimus eam, cum ad ſacrae et eccleſiaſticae hiſtoriae limites haec quaeſtio pertineat, et dudum ſatisfecerint rationibus eius vndecunque anxie conquiſitis poſt CAVEVM [i] aliosque BASNAGIVS [k] et maxime illuſtris BOVHIERIVS. Hoc vnum monemus, ita nobis deſcribere Therapeutarum ſectam Philonem, vt luculenter pateat, eam non tum demum enatam, ſed valde antiquam fuiſſe, diuque innotuiſſe, antequam orbem ab erroribus liberaret propheta maximus IESVS CHRISTVS. Quod ſi addimus, Philonem ſcripſiſſe haec, antequam in Aegypto Chriſtiana religio inualuit, per ſe corruit opinio παραδοξος. Neque ad ſigna hic quaedam communia reſpiciendum eſt, quae cum Chriſtianorum ritibus, magnam partem ex Iudaiſmo retentis conſpirant; ſed ad propria naturamque et conſtitutionem totius ſectae, quae tantum abeſt, vt Chriſtiana videatur, vt tota a ſimplicitate primorum Chriſtianorum recedat, habeatque innumera impura, et fidem ſanctiſſimam profitentes dedecentia. Qui vero in hac Therapeutarum hiſtoria opiniones eas vident, quas ſera demum aetas in Chriſtianam eccleſiam inuexit, e. g. S. Coenam ſub vna ſpecie, illis de viſus quidem acumine gratulandum eſt, orandi autem ſunt, vt nos tamdiu coecutire patiantur, donec clariora in ea re nobis oriantur lumina, nunquam eiusmodi παραδοξα admiſſuris, quamdiu a verbis Philonis ſtare licet. Ea enim Iudaeos nobis ſiſtunt, ſed fanaticos heterodoxos. Quicquid enim ſit, de quaeſtione, vtrum Therapeutae certa Eſſenorum familia fuerint, nec ne? de qua diſceptant viri docti [l], quamque Philo affirmare videtur, probabilius vero nos eſſe exiſtimamus, fuiſſe eos ex primis Iudaeis in Aegypto exulantibus, et μοναζουσαν aliam ſectam, inſtituto tamen Eſſenis non prorſus diſſimilem, et fanaticiſmo Pythagorico valde affinem; illud certum eſt, legem Moſaicam allegorica Aegyptiorum methodo, et metaphyſica peregrina corruptam, obiectum fuiſſe ſectae Therapeuticae, circa quod ſublimiorem illam et contemplatiuam philoſophiam exercebant. Illius enim literali ſenſui allegoriarum arietibus loco moto, ſubſtituebant peregrina placita: liberandum eſſe animum a vinculis corporis duris et auſteris exercitationibus, et contemplatione DEI ad ſummam felicitatem emergendum, ſicque purum cultum Deo offerendum eſſe. Qua in re cum inſignem horum hominum beatitatem ponat Philo, qui hanc theoreticam vitam ad inuidiam

i) Antiqq. Apoſtol. in Marco §. 3. p. 625.
k) l. c. c. 21. §. 14. ſeqq. p. 579. ſeqq.
l) Plerisque Eſſenorum ſpeciem Therapeutas fuiſſe placet, quibus ducem ſe praebuit SCALIGER elench. trihaereſ. c. 26. 27. de emend. temp. L. VI. p. 503. Alii diuerſas fuiſſe ſectas ſtatuunt, ritibus diuerſiſſimis diſtinctas, its VALESIVS l. c. BLONDELLVS de Sibyllis L. I. c. 7. ANT. PAGI ad A. C. 62. num. 3. M. HANCKIVS de Rom. rer. Script. L. II. p. 86. et nuper MOSHEMIVS inſtit. hiſt. Chriſt. mai. Sec. I. P. I. c. 2. §. 13. p. 79. quibus praeiuit PHOTIVS Cod. CIV. ad horum tamen rationes reſpondere conatur BASNAGIVS l. c. p. 648.

diam usque laudat, recte inde concludimus, fuiſſe hos Iudaeos fanaticos heterodoxos, gentilibus inſtitutis placitisque a ſimplicitate patriae legis eo adductos, vt ſuperſtitionibus ſuis, ritibus et vita otioſa propius Deum attingere ſe, ſanctiorique cultu ei ſeruire poſſe crederent. Id quod Therapeutarum quoque nomen indicaſſe videtur. Et de eo quidem diuerſae virorum doctorum opiniones ſunt. Et CLERICI [m] quidem coniectura audienda non eſt; qui a Philone tantum ita vocatos fuiſſe putat: contrarium enim ipſa Philonis docet narratio. Quam ſi conſulimus, incertum iam tum fuiſſe patet, quid Therapeutarum nomen ſibi velit. Ipſe enim Philo anceps haeret, quae nomini ſignificatio adſcribenda ſit. Ita enim ille: *Vocantur Therapeutae, Therapeutridesque, vel quia medicinam profitentur praeſtantiorem iſta vulgata per oppida omnia, haec enim medetur ſolis corporibus; illa et animas liberat morbis grauibus; vel quia didicerunt a natura et ſacris legibus colere illud ens bono melius.* Mirum itaque non eſt, recentiores in varias diſceſſiſſe opiniones. SCALIGERO [n], et poſt eum NIC. FVLLERO [o] aliisque [p] a ſtudio medico ita dictos fuiſſe viſum eſt, quod medicinam quandam empiricam excolerent. Huic vero ſententiae recte opponitur, quod de Therapeutis nihil tale habeat Philo, ſed Eſſenis id adſcribatur a Ioſepho, qui cum Therapeutis confundi non debent. Certe Philonis ex mente peculiarem et puriorem quendam cultum diuinum, quam ſolet eſſe inter homines, ſectae nomen feciſſe ſtatuendum eſt. Hinc ſectam famulantium non inepte quis dixerit. Inſcripſit quoque Philo libellum hunc *περὶ Θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν*, quae verba ſenſum ſatis apertum non fundere quilibet videt. Quid enim *ἀρεταὶ ἱκέται*, vel qua ratione intelligi poſſunt? SANDIVS [q] pro *ἱκετῶν ἀρετῶν* legit *ἀσκητῶν;* ſed recte opponitur huic emendationi, legiſſe iam veteres Euſebium, Hieronymum, Ruffinum, Suidam, Nicephorum *ἱκετῶν*, non vero *ἀσκητῶν*, licet pertinaciter negare nolimus, ante horum ſcriptorum tempora vocem hanc iam corruptam fuiſſe in textu Philonis. Aliter doctiſſimus HEVMANNVS, cuius literis hanc obſeruationem debemus, qui *ἱκετῶν* et *θεραπευόντων* nomen idem ſignificare putat, nempe eos, qui humiliter ſupplicesque Deo ſeruiunt, id quod loco quodam SIRACIDIS [r] munit. Quam vocis ſignificationem iam prodidit SCALIGER [s], monens: quare *ἱκέται* vocarentur illi *μοναζοντες*, non dubitaturum, qui inter ortum ſolis et occaſum nihil aliud quam orationi intentos fuiſſe ex Philone diſcere potuerit. Dicamus, quid et nobis olim in mentem venerit, cum mſc. Codicem Philonianum, optimae notae, quem ſeruat bibliotheca Auguſtana, cum editis contuliſſemus: in eo enim pro *ἱκετῶν*, legitur *οἰκετῶν*. Quod vbi codicis mſc. auctoritate admittimus, vt facile potuit (*ο*) ex (*οι*) omit-

m) Hiſt. eccl. Sec. I. et II. §. 12. p. 22.
n) Elench. trihaereſ. c. 26. p. m. 202.
o) Miſc. S. L. I. c. 3. p. 13.
p) CAVE l. c. p. 624. LANGIVS Hiſt. eccl. V. T. p. 967.
q) Hiſt. eccleſ. p. 30.
r) c. XXXVI. 17.
s) l. c. c. 28. p. 224.

omitti, ſana omnia ſunt et plana, ἰατὴς enim et θεραπευτὴς ſynonyma ſunt, famulosque ſignificant. At de ea re iudicium lectori relinquimus. Illud vero monendus eſt, licet theoreticam tantum vitam coluerint, retuliſſe tamen eos meditationes ſuas, non ad nudam veritatum diuinarum contemplationem, ſed ad earundem quoque in animo applicationem; quare theoretici tantum dicendi ſunt, eo quod a vita ciuili plane abſtinuerint, nec admittendi, qui vel ſolos theoreticos vel ſolos practicos fuiſſe contendunt [t]. Illud enim praeter metaphyſicae, aſtronomiae quoque et poëticae facultatis cultura; hoc moralis philoſophiae ſtudium demonſtrat. Etſi vero, quam philoſophiam ſecuti ſint, non indicat Philo, immo credi vult, domeſticam eos patriamque coluiſſe doctrinam, Graecanica longe ſuperiorem, certum tamen putamus eſſe, ex collatis Therapeutarum et Graecorum opinionibus, multa ex Aegyptiaca, multa ex Pythagorica et Platonica philoſophia ad eos peruenisſe; nec erraturos putamus eos, qui conilciunt Cabbaliſticam quoque metaphyſicam inter eos viguiſſe. Illi enim omnia conueniunt, quae de his Philo tradit. Gentili vero huic fermento eos illeuiſſe Moſaicum fucum, et voluiſſe videri Moſaicos philoſophos, ipſe PHILO non negat [u]. Ex quo coniectura quoque noſtra de horum ſodalitiorum origine, quam ſupra expoſuimus, mire confirmatur. Cum enim templo carerent Iudaei in Aegypto exules, et per irruptiones Aſſyriorum et Babyloniorum, quas valde timebant, in ſolitudines et deſerta loca fugere eſſent compulſi, ad eiusmodi ἰθελοθρησκείαν facile delabi potuerunt, quae contemplatione et ſeparatione a vita ciuili Deo elegantius meliusque ſeruire ſe poſſe ſtatuebat. Cum autem ſucceſſu temporis allegorica methodus inter Iudaeos ex Aegyptiorum ſcholis inualeſceret, quod poſt Alexandri M. tempora factum eſſe, ſupra docuimus, et eo quoque tempore Pythagoreiſmus inter Aegyptios innoteſceret, dubium non eſt, Therapeutarum ſectam eam tum temporis conſtitutionem accepiſſe, qualem Philo depinxit. Quae quoque ratio eſt, cur Eſſenorum ſectam malimus ſororem Therapeuticae vocare, quam vel filiam vel parentem. Ea enim ratione controuerſiae doctorum facile circa hanc quaeſtionem dirimi poſſunt: id quod placuiſſe quoque S. Rev. DEYLINGIO [x] obſeruamus. Quamdiu vero Therapeutae durauerint, in tanto veterum ſilentio dici non poteſt. Credibile tamen, eos, per Chriſtianam religionem mature in Aegypto propagatam, eſſe deſiiſſe [y], forte quod multi ex Therapeutis, cum meliorem et ſimpliciorem Dei colendi rationem viderent, ad Chriſtiana caſtra transiuerint, cum tantis, quantis reliqui Iudaei, praeiudiciis non impedirentur. Coniecere tamen SCALIGER [z] et BASNAGIVS [a], Eſſenos Therapeutasque in haeretico Elxai, ſub Traiano emergente, iterum comparuiſſe: qua

t) Conf. Act. philoſ. Vol. III. p. 523. ſeqq.
u) Conf. ED. BERNARDVS apud CAVE Hiſtor. liter. Script. eccleſ. Sec. II. p. 16.
x) Obſeru. SS. L. III. p. 454.
y) Conf. CAVE l. c. p. 534.
z) l. c. c. 28. p. m. 822. ſeqq.
a) l. c. c. 60. §. 27. p. 555. ſeqq.

in re sequuntur EPIPHANIVM [b], improbante tamen, recte, nisi fallimur, HENR. VALESIO [c].

S. Hae minores Iudaicae.

§. XXXI. Praeter maiores has Iudaeorum sectas aliae quoque minores a veteribus passim memorantur, sed quae exigui momenti, multae quoque fictae sunt et nunquam extiterunt. Qui enim Genistas, Menistas, Galilaeos, Graecienses, Baptistas, Hemerobaptistas, Masbathaeos, Samaritas, Heliogostos, Musonitas, Trogloditas, Astanitas, Puteoritas, Belitas &c. nobis enarrant IVSTINVS, EPIPHANIVS, EVSEBIVS, PHILASTRIVS, laruas eos pro sectariis vidisse, vix dubitari potest, vnde illis non immoramur. Herodianorum tamen sectae meminere annales sacri, de qua videndi, qui vel res Iudaeorum et antiquitates sacras, vel etiam sacram N. T. historiam enarrarunt [d]. Quae tamen cum ex plerorumque mente factio magis politica, quam dogmatica fuerit, huc quoque non pertinet: licet pertinaciter negare nolimus, multos ex Herodianis, Sadducaeorum dogmata fuisse secutos [e]. Mirabilis vero coniectura est HARDVINI [f], qui Herodianos in sectam quandam transformauit philosophicam, visus sibi certissimo indicio deprehendisse, fuisse Herodem Athenienſem, philosopnum Platonicum, cumque is Platonica dogmata, maxime de anima, inter Iudaeos sparsisset, illa recepta a multis Sadducaeorum nomen Herodianorum genuisse. Quam paradoxam opinionem nunquam venire sibi in mentem passus fuisset criticus audacissimus, nisi cum plerisque scriptis veterum Iosephi quoque commentarios suppositos esse contendisset. Salua enim huius narratione, impossibile est, somnia Harduini tolerare, quae et eam et omnes veteres contradicentes habent. Vnde hoc vno insano viri docti asserto explosо, pleraque veterum scripta Sec. XIII. fuisse suppositа, quo insulsius excogitari nihil potuit, cadit etiam inepta de Herodianis sententia, rectеque illa factio ex philosophiae historia eiicitur. Herodem enim Atticum, hominem Platonicum et sophistam celeberrimum inepte commiscеri cum Herode Iudaeorum rege, quis quaeso non videt? Quare iis non inhaeremus: qui prolixiora cupit, ei adeundus BASNAGIVS [g].

Viri docti inter Iudaeos veteres.

§. XXXII. Fuisse in his sectis viros haud obesae naris multique acuminis, dubitari non potest, ex quo colligitur, potuisse inter Iudaeos philosophiae studia augeri, modo ei diligentem operam nauassent. Ast genius nationis patriis traditionibus non sine insania ita inhaerens, vt nihil proprium, suaque ratione duce excogitatum definire auderet, ita philosophiae obstitit,

b) Haeref. XIX. p. 43.

c) Ad EVSEB. L. VI. c. 38. p. 129. res ipsa in historia ecclesiastica Christiana perquirenda.

d) Diuersissimas scriptorum de Herodianis sententias, post NIC. SERARIVM in Herode enarrarunt auctores laudati WOLFIO *Bibl. Hebr.* P. II. p. 818. sqq. et *Cur. exeg.* T. I. p. 311. quos vide.

e) Ita GROTIO ad Marc. VIII. 15. aliisque visum. Conf. KVHNIVS Penr. Qq. philolog. p. 8. ZELTNER. de Alexandra §. 25. seqq. p. 35. seqq.

f) De numis Herodiad. pag. 97. et opp. select.

g) Hist. Iud. L. I. c. 3. p. 63. seqq.

Digitized by Google

obſtitit, vt aut ἀφιλοσόφους aut fanaticos tantum inter eos deprehendamus. Fuit tamen inter illos vnus et alter, qui de morali doctrina mereri ſtuduit, vt ex celeberrimo enchiridio morali gentis Iudaicae, quod *capitula patrum* (פרקי אבות) vocatur, patet, de quo infra pluribus agemus. Nos praetermiſſo magno illo doctorum Iudaicorum agmine, quod hiſtoriae huius gentis literariae ſcriptores enarrant [k], elegantem philoſophiae moralis ſcriptorem Ieſchuam Ben Sirach; tum celeberrimos doctores Hillelem et Schammai enarrabimus, in Philone vero exemplum dabimus cultae inter Iudaeos Aegyptiacos philoſophiae Graecanicae.

§. XXXIII. IESCHVAE FILII SIRACH hiſtoria obſcura et incerta eſt, id ex ipſius indicio [l] de eo conſtat, fuiſſe illum Hieroſolymitanum et tempore ſummi pontificis Eleazaris vixiſſe, cuius aetas in regnum Ptolemaei Philadelphi incidit [k]. Vltimus enim pontifex, cuius in libro ſuo meminit, Simeon eſt, filius Oniae, diuerſus a Simeone Iuſto, cognomento Iaddi, qui Eſdrae, Malachiae et Zachariae temporibus vixit. Huius Simeonis filii Oniae ſucceſſor autem cum fuerit Eleazarus, non ſine veriſimilitudine inde coniiciunt viri docti, vixiſſe eum ſub hoc pontifice, quem ſine dubio ceteris addidiſſet, ſi iam e vita exceſſiſſet. Debemus huic Ieſu, vel quod Graeco ore quidam malunt, Iaſoni, enchiridion morale, ſummam quandam philoſophiae moralis Iudaicae, qualis poſt vatum diuinorum exceſſum in hoc populo viguit, complexum. Eius verſionem Graecam ex Hebraeo [l] confecit nepos eius, qui XXXVIII anno ſub Ptolemaeo Euergeta in Aegyptum ſe veniſſe, ibique hunc laborem ſuſcepiſſe tradit. Quae verba cum ambigua ſatis ſint, dubios fecere viros doctos de tempore verſionis enchiridii huius moralis. Et hunc quidem annum trigeſimum octauum non imperii Ptolemaei intelligendum eſſe, ex Ptolemaei canone regum Aegypti manifeſtum eſt, nec enim vel I vel II Ptolemaeus Euergeta, alias Phyſcon dictus, tam diu regno praefuit. Aut itaque trigeſimus octauus annus a Iubilaeo gentis, aut a liberatione Iudaeorum et manumiſſione ſub Ptolemaeo Philadelpho, aut a natiuitate interpretis, aut a mora eius in Aegypto intelligendus eſt, ex quibus quid prae aliis eligamus, incerti haerenus [m]. Cum quoque non addiderit, quo Euergeta regnante in Aegyptum ſe interpres contulerit, in diuerſa quoque hic abi- *Ieſus Siracides.*

k) Conſuli hic debent R. ABR. BEN DIOR in Sepher Hakkabala, R. ABR. ZACHVTH in Iuchaſin, R. GEDALIA in Schalſcheleth Hakkabala. Ex Chriſtianis praeter laudatos WOLFIO Bibl. Hebr. P. II. p. 806. Io. HENR. OTHONIS hiſtoria Miſchnicorum, qua opera etiam Synedrii magni praeſides et vice-Praeſides recenſentur, Ox. 1672. 12. et cum annot. H. RELANDI Amſtel. 1698. pleniora tamen ſunt, quae dedit WOLFIVS l. c. p. 808. ſeqq. vbi de doctoribus Miſchnicis agit.

l) c. L. 29.

k) Id ex IOSEPHI teſtimonio Ant. Iud. L. XII. c. 2. colligitur, vbi ad hunc Eleazarum miſiſſe Ptolemaeum Philadelphum legatos narrat, vt interpretes ipſi ſubmitteret. Quae quamuis ex Pſeudo-Ariſtea hauſerit Ioſephus, dubium tamen non eſt, Ioſepho vtriusque aetatem non fuiſſe ignoram. Conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. II. p. 728. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 256.

l) Ita ipſe interpres in praef. id quod idiotiſmi quoque Hebraei produnt: refert etiam HIERONYMVS praef. in Prou. ſe vidiſſe hunc textum Hebraeum. Conf. HVET. demonſtr. ev. Prop. II. p. m. 253.

m) Conf. FABRIC. l. c. p. 729.

Digitized by Google

re viros doctos, neceſſe erat. Quidam enim Euergetam II, Ptolemaei Philometoris fratrem intelligi volunt; qui aliis nimis aetate remotus videtur, vnde Euergetam I, Ptolemaei Philadelphi ſucceſſorem deſignari veriſimilius ducunt [n]. Cui tamen coniecturae opponitur: annos Ptolemaeorum, Philadelphi et Euergetae I, quorum ille XXXVIII, hic XXV regnauit, non ſufficere pro complendo numero annorum aui, filii et nepotis, et probabilius eſſe, Siracidem auum vixiſſe ſub extremis Philadelphi annis, nepotem vero initio imperii Euergetae II, in Aegypto fuiſſe. Hanc enim temporis ſummam ſeculum conficere, quod aptius auo et nepoti tribui queat. Quas rationes ſecuti ſunt viri magni [o] et nos facile iis quoque manus damus. Occurrit etiam in ſcriptis Talmudicis ſaepe R. Ben Sira, vel Sirach, quem cum noſtro eundem eſſe, recte viris doctis viſum eſt. Lectum enim eſſe eccleſiaſticum ſcriptoribus Talmudicis, quamuis ſenſim magis magisque interpolatum, et nunc nouis ſententiis adauctum, nunc aliis priuatum, ex collatis Talmudicis locis cum eccleſiaſtico viri docti paſſim oſtenderunt [p]. Quae additiones cum librum elegantem et bonae frugis plenum valde corrumperent et deformarent, eo quod abſurda multa, profana et indigna adiecta eſſent, non tantum is a Iudaeorum magiſtris inter libros extraneos reiectus eſt, quos qui legat, aeterna vita priuetur; ſed addita etiam ratio, quod illuſionum plenus ſit, phyſiognomica tractet, et talia exhibeat, in quibus ratio, aut vtilitas nulla ſit, ſed potius iactura temporis [q]. Miramur itaque, BARTOLOCCIVM [r], SGAMBATVM [s], HVETIVM [t] vt canonicam libri huius auctoritatem pro eccleſiae ſuae decretis euincerent, ſtatuiſſe, Iudaeos hunc Siracidis libellum inter כתובים ſiue hagiographa retuliſſe; et, quod R. D. GANZ putat, ideo eius vſum vetuiſſe, quod res excellentes et ſublimes contineat, quarum lubrica ſit et periculoſa inquiſitio. Aliud enim allatum teſtimonium Talmudicum euincit. Circumfertur quoque hodie inter Iudaeos libellus breuis, ſententias quasdam ſecundum alphabeti ſeriem diſpoſitas complexus, cuius auctorem Iudaei faciunt Ben Sira fil. Ieremiae. Hunc a Ieſu Siracide diuerſum eſſe, poſt BARTOLOCCIVM [u], VORSTIO [x] et BVDDEO [y] viſum eſt, rectius vero ex Iudaeis GANZIVS [z], quem Chriſtianorum plurimi [a] ſecuti ſunt, pro eodem habuerunt. Nam licet aliam generis parentumque ſeriem huic Ben Sira Iudaei tribuant, notum tamen eſt, quam exigua eorum in genealogiis fides ſit, quam fabulis de hoc Ieremiae nepote totam decoxerunt. Vnde ſtatuendum eſt, ſi vtriusque libelli inter ſe inſtituatur collatio,

n) BARTOLOCC. Bibl. Rabb. BVDDEVS H. E. V. T. T. II. p. 953. Intr. hiſt. phil. Hebr. §. 22. p. 101.

o) GROTIVS, VSSERIVS, HODY, aliique laudati FABRICIO et WOLFIO ll. cc.

p) BARTOLOCCIVS T. I. p. 680. aliique WOLFIO l. c. nominati.

q) Tr. Sanhedrin c. XI. §. 1. et Gemara ad h. l. MAIMONID. ad h. l. WOLF. l. c.

r) loc. cit.

s) Archiu. V. T. p. 475.

t) loc. cit.

u) l. c. p. 683.

x) Ad R. D. GANZ Zemach Dauid.

y) Introd. l. c. p. 103.

z) l. c. ad A. 3448. et Schalſcheleth p. 19.

a) HVETIVS, FABRICIVS, SGAMBATVS, BARTOLOCCIVS, WOLFIVS ll. cc.

Digitized by Google

tio, fuiſſe librum eccleſiaſticum Siracidis materiam quaſi, quam recentioris cuiusdam ſcriptoris manus reſinxit, additisque quibusdam et interpolatis, demtis etiam multis, et ſelectis quae ipſi videbantur iuxta alphabeti ſeriem diſpoſitis, ea forma, qua hodie inter Iudaeos ambulat, edidit [b]. Secutum vero fuiſſe auctorem Salomonis ethicam, ex eius cum Salomoneis comparatione indubitatum eſſe patet: addidiſſe vero ex ingenio ſuo quaedam ad puritatem veteris doctrinae moralis Hebraeorum non aſſurgentia, et degenerantem philoſophiam Iudaeorum domeſticam iam tum prodentia, attentus lector facile obſeruabit. Vnde deferendum eſſe putamus HVETIVM, qui dictante בת קול ſiue filia vocis hunc librum conſcriptum eſſe ſtatuit. Quae enim Iudaei de hac filia vocis tradunt, ab iis ad librum vllum, ea dictante ſcriptum, nullibi referuntur.

§. XXXIV. Maxima inter Iudaeos fama ſapientiae excelluit, R. HILLEL cognomento Haſſaken [c], ſiue ſenior dictus, vt a iuniore R. Hillele Hannaſi ſiue principe [d] diſtingueretur. Natus is eſt anno mundi, ſi Iudaicos calculos ſequamur, cIↃ cIↃ cIↃ IↃC XLVIII, id eſt ante N. C. CXII, [e], Babylone, parentibus pauperi quidem cenſu, ſed regio ſtemmate Dauidis oriundis [f]. Quamuis autem regio ſanguine eſſet ſatus, et naturae quoque munera acceſſiſſent haud exigua, quibus optima ei contigit indoles, adeo tamen parentum inopia premebatur, vt deficiente pecunia non haberet, vnde ſumtus in literarum ſtudia faceret, ſicque animum doctoribus poliendum traderet [g]. Poſtquam Babylone annos vixe- *Hillel ſenior.*

rat

b) Editiones enumerat WOLFIVS l. c.

c) Res celeberrimi huius doctoris Iudaei ex ſcriptis, talmudicis erui debent, id quod diligenter praeſtiterunt BARTOLOCCIVS Bibl. Rabb. T. I. p. 784. ſeqq. et ſcriptorum Miſchnicorum auctores ſupra enarrati. His addendi WOLFIVS l. c. P. II. p. 824. BVXTORFIVS Lexic. Talmud. fol. 1806. BVDDEVS Hiſt. eccleſ. V. T. T. II. p. 1166. BASNAGIVS Hiſt. Iud. L. III. c. 1. §. 6. p. 10. et maxime V. C. GOTTF. ENGELHARD. GEIGERVS in breui comment. de Hillele et Schammai antiquis ſectarum conditoribus, Altdorf. 1707. 4.

d) Decem generationibus hic a ſeniore Hillele diſtat, vt ex genealogia Hilleliana, quam exhibet R. D. GANZ in Zemach Dauid. p. 116. patet. Ita enim ſe ſequuntur inuicem: Hillel Babylonius, Schimeon fil. R. Gamliel ſenior, R. Schimeon fil. eius, R. Gamliel Iafnenſis, R. Schimeon tertius, qui vltimus fuiſſe dicitur, qui Rabbi titulo vſus, R. Iehuda Hannaſi, collector Miſchnae, cognomento Rabbenu Hakkadoſch, R. Gamliel filius eius, R. Iehuda Naſi, R. Hillel Hannaſi fil. eius. Memorari vero in philoſophica hiſtoria hic Hillel iunior meretur, ob inuentum nouum annorum Cyclum Iudaicum, cum antea vel ab exitu ex Aegypto, vel a tempore Alexandri M. annos numerandi mos inoleuiſſet. Conf. BARTOLOCCIVS T. II. p. 415. 459. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. III. c. 3. §. 15. ſeqq. p. 79. qui plura de hac temporum emendatione Iudaica dabit. Quibusdam Ellel ille fuiſſe videtur, quem in vitae fine ſacra vnda tinctum aſſerit EPIPHANIVS T. I. p. 128. vid. BVDDEVS Introd. in phil. Hebr. p. 112. BASNAGE l. c. p. 85. WOLF. l. c. p. 830.

e) R. DAVID GANZ Zemach Dauid loc. cit. initium principatus eius in annum 3728, ſeculo ante excidium templi ponit, et an. 3768 obiiſſe tradit. Aſt ante ſuſceptum principatum 80 annos vixiſſe dicitur, vnde iſtud natiuitatis tempus emergit, conf. WOLF. l. c. Ceterum monendus hic lector eſt, corrupiſſe Iudaeos rationes chronologicas, et plus duobus integris ſeculis retrocеſſiſſe in computandis annis mundi, ſic vt natiuitatem Chriſti in annum 3760, euerſionem Hieroſolymarum in an. 3828, ponant. Quod quo dolo auſi ſint, alibi exponendum eſt, legenda autem quae in compendio referuntur Act. erud. 1686. p. 595. ſeqq.

f) Vtrum patre vel matre regia ſtirpe oriundus fuerit Hillel, ambiguum, primum placet GEIGERO l. c. Alii ex tribu Beniamin eius familiam deriuant, vid. MORIN. exerc. bibl. p. 265.

g) Erat enim Babylone quoque, vbi multi ex captiuitate Iudaei remanſerant, ſynagoga, cuius princeps ſiue rector caput deportationis vocabatur, et ex Dauidis ſanguine cretus eſſe debebat. Patrem Schephatiam, fratrem Hillelis Schabnam fuiſſe tradit Iuchaſin p. 55. eumque praediuitem, ſed fratrem iuuare ſuis facultatibus noluiſſe.

Digitized by Google

rat quadraginta, ibique vxorem duxerat, et filium genuerat, tandem cum tota familia paternas ſedes reliquit, et in caput Palaeſtinae, Hieroſolymas commigrauit, locataque, quibus poſſet, opera ſua, ſibi ſuisque victum quaerere ſtuduit. Eo vero tempore celeberrimi ſcholae rectores et doctores Schemaiah et Abtalion ibi docebant, legemque inuſitato applauſu explicabant. Hos cum audiendi deſiderio impatientiſſimo arderet, obſtabat tamen magna facultatum penuria, quominus ex voto inter diſcipulos eorum ſedere poſſet, eo, quod didactro ſoluendo impar eſſet. Foris itaque per miniſtrorum gratiam legentes audiebat, maxime attendens, vt doctrinae ſummam perciperet, quamuis tempeſtatis iniuria vehementer impediretur. Quo loco non poſſumus omittere hiſtoriolam feſtiuam, quam de Hillele narrant Iudaei, vt lectori genius hiſtoricorum Iudaicorum pateat. Ita vero rem narrant[h]: *Hillel ſenior ſingulis diebus operatus eſt, et operam ſuam collocauit, pro ſtatere,* (qui exaequabat dimidium didrachmae, ſiue partem octauam ſicli ſancti) *dimidium huius ſtateris dabat ianitori collegii academici; alterum dimidium pro ſua ſuorumque impendebat ſuſtentatione. Aliquando vero nullum reperit, cui ſuam potuiſſet operam locare, hinc etiam illum cuſtor academiae non intromittebat in interiora. Aſcendit itaque et ſuſpenſus ſedit in feneſtra, quae erat in medio tecti, vt ſolis radii deorſum per eam inciderent, vt ibidem audire poſſet verba Dei viuentis ex ore Schemaiae et Abtalionis. Dicunt noſtri doctores, hoc contigiſſe alicuius Schabbathi veſpera, cum ſol in menſe Decembre verſus aequatorem a circulo capricorni ſeſe inclinare coepit, ceciditque ſuper eum de coelo nix. Vbi vero aurora eſt ſuborta, dicebat Schemaiah ad Abtalionem: mi frater, domus haec adhuc quotidie fuit illuminata, ſed hodie eſt tenebricoſa; forte dies ipſe eſt nubilus; ſuſtulerunt oculos, et viderunt ſimilitudinem hominis; aſcenderunt itaque, et inuenerunt ſuper illum niuium tres cubitos. Abſumſerunt niues et illum abluerunt, vnxeruntque ſimul et portarunt eum in hypocauſtum atque dixerunt: Hic dignus eſt, vt Schabbathum eius cauſſa profanetur.* Fides narratiunculae eſto penes recutitos; illud tamen dubitandum non eſt, maximo legis ſtudio Hillelem flagraſſe. Quo victis tandem atque ſuperatis, quae ex paupertate obſtabant, impedimentis, tantos per quadraginta annos, quibus legi diſcendae totum ſe dederat, in patria eruditione profectus ſenſit, et tantopere ſe praeceptoribus commendauit, vt dignum cenſerent, qui principatui magni ſynedrii praefici poſſet. Cuius cauſſam Iudaeorum magiſtri hanc fuiſſe referunt[i]: diſputatum fuiſſe in ſchola Iudaeorum: an paſcha ſabbathum expellat, nec ne? illud ignoraſſe filios Betirae, rectores ſcholae Hieroſolymitanae. Aduocatum itaque Hillelem quaeſtionem acute diremiſſe, et ex ſacrificiis iugibus demonſtraſſe, paſcha expellere ſabbathum. Statim ergo conſtituiſſe eum prin-

h) Miſchath Ioma c. 3. f. 15. b.
i) Conf. Bartolocc. T. II. p. 786. Lightfoot. Hor. Hebr. Matth. p. 373. ex Peſchim Hieroſ. f. 33. bb.

Digitized by Google

principem. Addunt his, iurelurando prius confirmauiſſe Hillelem, quod hoc per traditionem ex ore praeceptorum, Schemaiae et Abtalionis hauſerit, et ſic ob traditionis auctoritatem praefecturam ſynedrii ſibi oblatam accepiſſe. Nactus tamen collegam [k], Schammai virum acerbum et ferocem, diſputationum et altercationum latiſſimum campum ingreſſus eſt, de qua re in ſequenti §. dicemus. Vbi vero ſcholae Hieroſolymitanae praefecturam ſuſcepit, tanta mox auctoritate et communi omnium ſuffragio regnauit, vt tanquam oraculi vox ab omnibus ſuſciperetur, tantoque diſcipulorum concurſu doceret, vt eorum aliquot millia numeraret. Inter eos vero octoginta ſelectos fuiſſe, R. IEHVDA LEVI [l] tradit, e quibus triginta digni fuerint, ſuper quibus habitaret maieſtas diuina, triginta digni ad intercalandos annos, viginti intermedii; maximum omnium fuiſſe Ionathanum filium Vzielis, minimum R. Iochannam filium Saccaei. Innumera quoque ſunt, quae de eruditione Hillelis Iudaei iactant, luculenta ineptae arrogantiae eorum ſpecimina. Certe R. ABRAHAM ZACHVTH [m] non erubuit ſcribere: Hillelem omnes linguas didiciſſe, etiam colloquium montium, callium et vallium, locutionemque arborum et herbarum, colloquiumque daemonum, nec non parabolas cum de botris, tum de vulpibus deſumtas. Quae licet proprio ſenſu non intellexiſſe Iudaeus, et tam inſana hyperbole vſus videatur, ſed eruditionem tantum quandam vniuerſalem Salomonea non inferiorem indicare voluerit, impudentia tamen eius ſatis manifeſta eſt, qui Salomonis hac ratione ſapientiam monſtrantis exemplo non inferiorem Hillelem fuiſſe lectoribus ſuis perſuadere voluit. Quae quamuis credibilia non videantur, facile tamen admitti poteſt, Hilleli et ingenium acre, et cognitionem tum legis et traditionum accuratam, tum doctrinam moralem adfuiſſe, et hoc nomine mereri, vt inter doctores morales Iudaeorum locum nanciſcatur eximium. Cuius ſpecimen vt habeat lector, en praecepta moralia, quae in capitulis patrum [n] Hilleli tribuuntur:

I. Eſto ex diſcipulis Aharonis, qui pacem amabat, et pacem proſequebatur, qui diligebat perſonas, et legi eos iungebat.

II. Noli te ipſum ſeparare ab eccleſia, neque tibi ipſi confidere vsque ad mortem.

III. Prius de proximo tuo nullum iudicium feras, quam accedas ad locum eius.

IV. Non proferas ea, quae ſciri non debent, tempore ſuo ſcienda erunt.

V. Noli dicere, cum mihi otium ſit, diſcam; forſan nunquam erit.

VI. Peccatum non veretur inciuilis, neque plebeius eſt pius, nec qui

k) Poſt Menachemum, qui breui tempore praefuit, vid. Iuchaſin p. 19. GANZ. l. c

l) Coſri p. 442. Sic et Succa c. 2. p. 25. Baua Batra c. 8. p. 130. Iuchaſin p. 159.

m) Iuchaſin p. 55.

n) c. I. et II.

qui nimis verecundus eſt, diſcit, nec iracundus docet, nec mercator fit ſapiens.

VII. Qui multiplicat diuitias, multiplicat et ſibi ſollicitudines.
VIII. Qui multiplicat mulieres, multiplicat veneficia.
IX. Qui multiplicat ancillas, multiplicat fraudes.
X. Qui ſeruos multiplicat, multiplicat rapinam.
XI. Qui legem multiplicat, multiplicat vitam.
XII. Qui multiplicat conſeſſum in ſchola, is multiplicat ſapientiam.
XIII. Qui multiplicat conſilium, multiplicat ſapientiam.
XIV. Qui multiplicat iuſtitiam, multiplicat pacem.
XV. Qui acquirit bonum nomen, ſe ipſum poſſidet.
XVI. Qui comparat ſibi verba legis, comparat ſibi vitam futuram.
XVII. Tempore quo alii colligunt, diſperge, quo diſpergunt, collige.

Pleraque ex his ſatis ſana ſunt, et ex veterum Hebraeorum diſciplina profecta, et experientiam aliquam in vita humana teſtantia, ſexta tamen ſententia Phariſaico fermento infecta ſatis de intolerabili arrogantia horum hominum teſtatur. Sed et dignam doctore tanto vitam egiſſe fui tradunt. Narrante enim auctore libri *Coſri* [o], manifeſta fuit eius ſapientia et manſuetudo. *Nullum enim ſermonem profanum emiſit ex ore ſuo per omnes dies vitae ſuae; neminem in ſynagoga reliquit poſt ſe, nunquam in ea ſomnum cepit neque ordinarium neque extraordinarium, nunquam vel ad quatuor cubitos iuit ſine lege et precibus: nemo vnquam inuenit eum ſedentem et tacentem, ſed ſedentem et differentem: nemo diſcipulis ſuis aperuit, ſed is ipſe: nihil dixit, quod non ex praeceptore ſuo audiuit, nunquam dixit: adeſt tempus abeundi e ſynagoga.* Quos placidos et humaniſſimos mores ita laudant Iudaei, vt more ſuo non erubeſcant, fabulis eos ornare [p], de quibus tamen plura hic dicere nihil attinet. Cuncta eo redeunt, ita irae et excandeſcentiae imperauiſſe Hillelem, vt nemo vnquam eum ad iram prouocare potuerit. Maximam tamen laudem famamque meruit cura ſtudioque, legem oralem traditionesque patrias propagandi, quas ſummo feruore cum tota domo, id eſt, ſchola ſua contra collegae inſultus maſcule defendit, cumque ſexcentos ordines compleuiſſet, ad ſex claſſes reuocauit [q], ſicque collectionis et digeſtorum iuris Iudaici, quae Talmud vocari ſolent, prima fundamenta poſuit. Laudandus vero meliori iure, quod codici ſacro ſuae integritati vindicando operam nauauerit [r]. Vixit inſolito exemplo annos centum et viginti, ex quibus quadraginta Babylone haeſit, quadraginta Hieroſolymis in legis ſtudium incubuit, quadraginta ſcholae et ſynedrio praefectus floruit, mortuus anno mundi cIↄ cIↄ cIↄ Iↄ cc LXVIII, ante N. C. XII. Succeſſorem in cathedra habuit filium R. Schimeonem, qui primus Rabbani titulo ſuperbiiſſe dicitur. Sunt, qui Simeonem D. LVCAE [s] memoratum,

o) pag. 242.
p) Conf. GEIGER. l. c. §. 20. p. 83.
q) Iuchaſin p. 56.
r) Succa f. 22. Peſachim f. 66.
s) c. II. 25.

gitized by Google

tum, qui Saluatorem amplexibus ſuis excepit, eundem Hillelis filium, ſynedrii praeſidem fuiſſe contendunt, aliis negantibus [f]. Illi temporum rationes vrgent, quae coincidunt. Nec moratur eos, quod hi obiiciunt, non fieri huius Simeonis mentionem in capitulis patrum: hoc enim ſilentium argumentum eſſe odii in Saluatorem, quem illuſtri teſtimonio ornauerat, contendunt. Nos hanc coniecturam non quidem fundamento prorſus nullo, at debili tamen et haud ſane ſufficienti niti exiſtimamus. Ea enim, quae de Simeone habet hiſtoricus ſacer, praeſidi ſynedrii non conueniunt, nec ſolum nomen et aetas ſufficit, vt eandem perſonam vtrumque fuiſſe iudicari queat, cum dubium non ſit, Simeones multos eo ſimul tempore vixiſſe. Quod vero eius mentio in *Pirke abhoth* facta non eſt, cauſſa ſine dubio illa fuit, quod ante parentem, ad ſummam ſenectutem vigentem, fato ſuo defunctus ſit. Ceterum Hillelis nomen cum ſit frequentiſſimum [g] apud Iudaeos, hic cum aliis confundendus haud eſt.

§. XXXV. Nactus eſt collegam Hillel primo quidem R. Menachem [h], *Schammai.* et vbi hic rectoratum depoſuiſſet [i], SCHAMMAI. Is initio ex diſcipulis Hillelis fuit, ſed poſtea a praeceptore receſſum fecit, et contraria dogmata defendit, et diſcipulos atque aſſeclas nactus, peculiarem factionem conſtituit, vnde domo Hillel et domo Schammai nihil celebrius in Iudaeorum ſcriptis. Quamuis enim auctoritate Schammaeum vinceret Hillel, cuius praeceptionibus parere ſub mortis poena iniunctum fuit, et hinc huius ſchola illius diſcipulos numero ſuperaret, ſic vt audiendi non ſint, qui maiorem fuiſſe numerum eorum, qui Schammai partes ſequerentur, quam qui Hillelis dicunt [k]: magna tamen eius auctoritas inter illos fuit, qui ſolam legis literam, reiecta lege orali ſequendam eſſe docebant; quae cauſſa eſt, cur Schammai a Karaeis inter maiores ſuos connumeretur [l]: quod facile admitti poteſt, ſi de re ipſa, nempe de ſolo legis ſcriptae ſtudio et traditionum reiectione intelligatur, non vero de nomine Karaeorum, vt ex iis clarum, quae ſupra de Karaiſmi antiquitate diſputauimus. Schammaeum enim acerrime contra traditiones diſputauiſſe, iisque prorſus ex eccleſia exterminatis ſolam legis ſcriptae literam ſequendam eſſe pronunciauiſſe, ſupra luculento Hieronymi effato probauimus. At fuiſſe Schammai ex Sadducaeorum numero et familia, quae et ipſa traditiones reiecit, nullibi legitur; ex quo recte infertur, praeter Sadducaeos iam tum quoque fuiſſe inter doctores Iudaeorum alios, qui repudiata traditionum far-

 ragine,

f) Ex vtraque parte auctores nominat WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 852.

g) Celebriores IDEM nominat l. c. p. 831.

h) Chagiga II. 2. Non confundendus eſt hic Menachemus cum alio, qui Eſſenorum familiam fecerat eſt, et vaticiniis inclaruit, et Herodi regiam dignitatem praeſignificauit, de quo videndus IOSEPHVS Antiqq. Iud. L. XV. c 13. p. 542. conf. VITRINGA Obſ. SS. L. VI. c. 8. p. 348. WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 851.

i) Conf. GRIGER. l. c. §. 21. p. 24.

k) Tr. Schabbath f. 3. c. 3. conf. LIGHTFOOT. opp. T. II. p 6. GRIGER. l. c. p. 24. WOLFIVS loc. cit. p. 859. Nili dicamus initio hoc euenisse, vt maior eſſet Schammaeanorum numerus, poſtea vero conſtitutione confirmatis Hillelis partibus maximam Iudaeorum partem iis calculum adieciſſe: conf. R. Moſes Beſchitzi apud TRIGLANDIVM de Karaeis p. 94. ſeq.

l) Vid. R. MARDOCHAI de Karaeis p. 97. et TRIGLANDIVS atque WOLFIVS ad h. l.

Digitized by Google

ragine, ſolam ſcripturam ſequerentur, reueraque Karaei, id eſt, ſcripturarii fuerint. Hac vero occaſione magnum inter Iudaeos ſchiſma exortum eſt, et duae iſtae familiae Hillelis et Schammai inter ſe multis et frequentibus certaminibus commiſſae, quod tam funeſtum eccleſiae Iudaicae fuit, vt non tantum capitali odio inter ſe ſectatores vtriusque doctoris digladiarentur, et ad mortem vsque ſe perſequerentur; ſed et tam atrox diſſidium videretur, vt ieiunium eo die indixerint, quo primum lis iſta orta eſt, nempe die IX menſis Adar [b]. Fatenturque ipſi Rabbanitae, Hillelis ſequaces [c], *ex quo tempore multiplicati ſint diſcipuli Schammaei et Hillelis, qui non inſtructi erant, ad miniſterium ſuum obeundum eo, quo par erat, modo, multiplicata fuiſſe ſchiſmata in Iſraël, et legem hactenus vnam, euaſiſſe inſtar duarum legum.* Mentiuntur tamen traditionarii, vt cauſſam Hillelis iuuent, durauiſſe hanc diſſenſionem inter Iudaeos per trium annorum ſpatium, vsque dum per בת קול, ſiue vocem de coelo miſſam confirmaretur, ſecundum Hillelem pronunciandum eſſe, et ex eo tempore conſtitutum fuiſſe, vt caedem mereret, qui in decreta Hillelis peccaret [d]. Puduit tamen diſſenſus huius doctiores quosdam inter Iudaeos, maxime MAIMONIDEM [e], vnde ſtatuit, diſputationem vtriusque factionis non tam in re ipſa, quam in modo probandi fuiſſe poſitam. Id quod tamen vix admitti ab iis poteſt, qui loca Gemarae ea reſpiciunt, in quibus de diſſenſionibus vtriusque familiae agitur; licet concedi facile queat, diſcipulos de longe pluribus inter ſe articulis diſputauiſſe, quam magiſtros. Cuius memorabile exemplum in cauſſa diuortii paſſim viri docti afferunt [f]. Truculenti autem et ambitioſi animi fuiſſe Schammai, et in deciſionibus ſuis auſteritatem magis, quam benignitatem et indulgentiam ſecutum, adeo certum inter Iudaeos eſt, vt in prouerbium abierit: Perpetuo ſit homo quiuis manſuetus ſicut Hillel, neutiquam vero iracundus, vt Schammai [g]. Hinc de eius iracundia narratiunculas quoque quasdam excogitarunt, eo fine ſine dubio exſculptas, vt Schammaeum prae Hillele deprimerent [h]. Eandem morum acerbitatem expreſſiſſe diſcipulos quoque eius Iudaei referunt [i], ita vt Hillelianis non ſolum inſidias ſtruerent, ſed et quosdam necarent, cuius tamen fides penes Iudaeorum ſit magiſtros. Vixit autem Schammai ſplendide, cum opibus valde polleret, et facultatibus Hillelem longe ſuperaret [k]. Aetate cum multo iunior fuerit Hillele, vltra eius mortem annos prorogaſſe videtur, ad ſeneſtutem enim veniſſe, R. ABR. ZACHVTH [l] teſtatur. De reliquis Schammai circumſtantiis vitae parum nobis Iudaei ſcriptum reliquerunt, forte quod exoſa eſſet eius apud Rabbanitas

b) Megilath Taanith, apud BARTOLOCC. T. II. p. 708. et WOLF. l. c. p. 826.
c) Sanhedrin apud EVND. l. c.
d) Gemar. Hieroſol. ad Berachoth f. 3. apud LIGHTFOOT. opp. poſth. p. 28. EZARD. ad c. l. Auoda Sara p. 334. GEIGER. p. 33.
e) Praef. comm. ad Miſchnam fol. 3.
f) Io. SELDEN. de vx. Hebr. L. III. c. 20. p. 330. LIGHTFOOT. opp. T. II. p. 290. GEIGER. l. c. p. 27.
g) Conf. BVXTORF. Lex. Talm. f. 2086.
h) GEIGER. l. c. p. 23. ex Maaſaeh-Buch c. 14.
i) Loca eorum habes apud LIGHTFOOT. opp. T. II. p. 6. conf. tr. Schabbath c. 3.
k) Loca Talmudica exhibet GEIGERVS l. c. p. 24.
l) In Iuchaſin p. 67. a.

banitas traditionum cultores memoria. Quod ſi Pollio et Sammeas apud IOSEPHVM [m] idem ſunt, cum Hillele et Schammai, nominibus auribus Romanorum ab hiſtorico magis accommodatis, quod doctis quibusdam viris non immerito placuit [n], ex eius teſtimonio conſtat, Schammaeum non minus, quam Hillelem, graui odio in partes Herodis inſurrexiſſe, huncque Schammaeo, interfectis poſtea iudicibus omnibus, ex ſingulari tantum gratia peperciſſe, quod nimirum, cum Hieroſolyma ab Herode et Soſio oppugnaretur, populo Herodem in vrbem admittendi auctor fuerit, propter peccata eos dominationem illius effugere poſſe negans.

§. XXXVI. Meliori iure in hiſtoria philoſophica enarrari poteſt *Philo.* PHILO, ex Iudaeis Aegyptum incolentibus homo Alexandrinus [o], e nobili inter ſuos et ſacerdotali familia natus; fratrem habuit Alexandrum Lyſimachum [p], Alabarcham Alexandrinum, id eſt vectigalium magiſtrum [q], quod ex praecipuis Alexandriae muneribus fuit. Quo tempore editus ſit in lucem, nullibi indicauit, ex eo tamen, quod Caio Caligula imperante iam aetate prouectus fuit, et canos habuit, recte concluditur, ante natum Dominum IESVM CHRISTVM natales habuiſſe [r]. Quamuis autem Iudaeus eſſet, ad Graecanicam tamen eruditionem, quae laetiſſimis incrementis Alexandriae florebat, adoleſcens mature adductus, et non tantum ad eloquentiae ſophiſticae praecepta formatus, ſed philoſophiae quoque Graecae myſteriis imbutus eſt. In vtroque autem eruditionis genere cum Plato ſuper omnes fere philoſophos inter Aegyptios laudaretur et commendaretur, eius potiſſimum et eloquentiam et philoſophiam ſibi

m) Antiq. Iud. L. XV. c. 13. p. 541.

n) Vid. laudatos WOLFIO l. c. p. 827. add. ZELTNER. diſſ. de Alexandro p. 36.

o) HIERON. Cat. Scr. eccl. c. 11. SVIDAS in Philo T. III. p. 613. PHOTIVS Cod. CV. p. 151.

p) IOSEPHVS Antiq. Iud. L. XVIII. c. 10.

q) Vectigalia ex iumentis in Aegyptum ex Arabia adductis cogebat Alabarcha, quae vox occurrit etiam apud CICERONEM ad Attic. L. II. ep. 6. et IVVENALEM Sat. I. v. 129. 130. vbi rectius pro Arabarcha legitur Alabarcha, vid. comm. ad h. l.

r) Philonem A. C. XL, imperante Caio Caligula iam prouectiori aetate fuiſſe certum eſt, natalis vero annus ex aliis demum locis colligi debet: haberque momentum ea quaeſtio in controuerſia: vtrum Therapeutae fuerint Chriſtiani, nec ne? Veſtigia vero, quibus exquiri poteſt, quo circiter tempore Philo natus ſit, haec ſunt: 1. Indubitatum eſt, eo tempore, quo legationem pro populo ſuo ad imperatorem Philo obiit, iam ſenem fuiſſe. Ita enim orationem orditur: „Quo„vsque tandem nos ſenes erimus pueri, corpore „quidem per aetatem cani, animo vero propter „imperitiam infantes? etc.„ Ex his recte infertur, cum haec A. C. XL ſcripta ſint, ante natum Seruatorem Philonem debuiſſe naſci, et minimum viginti annis prius natum fuiſſe, quam Seruatorem, ſi ſexagenarius canos iam habuit. 2. Scribit porro de ſpecial. legibus L. II. p. 776. „Fuit olim „tempus, quando philoſophiae vacans, contem„plationique mundi et eorum, quae mundo con„tinentur, fruebar, optatis ac beatis mentis deliciis etc.„ Ex his patet, longum a iuuentute ſpatium tum interceſſiſſe, qua philoſophiae ſtudia excoluerit. 3. Scripta vero de Eſſenis et Therapeutis, ſiue quod omnis probus ſit liber, et de vita contemplatiua, ad quae loc. cit. reſpicit, confecit ante iter Romanum: meminit enim in priore, ciues Xanthi ſua incendio comburere, quam Bruto ſe dedere, maluiſſe, tanquam rem recentis memoriae, quae inter A. V. C. DCCIX, quo Caeſar interfectus eſt, et A. V. C. DCCXII, quo Brutus e vita exceſſit, acciderit; vnde iterum ſequitur, hos eum libros mature in iuuentute ſcripſiſſe, eamque incidere in tempora triumuiratus Romani. Quibus ſuppoſitis, et euictis, neceſſario ſequitur, Philonem non tantum ante C. N. in lucem editum fuiſſe, ſed et hos libros, ceu ſpecimen philoſophiae ſuae ante C. N. ſcripſiſſe, adeoque per Therapeutas Chriſtianos intelligere non potuiſſe, cum eo tempore in Aegyptum nulla peruenerit de Chriſto praedicatio. Conf. BASNAGE Hiſt. des Juifs L. II. c. 22. p. 597. ſeqq. BOVNIZA. l. ſupra cit.

imitandam propoſuit, tam felici euentu, vt apud veteres in prouerbium abierit, aut Platonem philonizare, aut Philonem platonizare [s]. Qua vero ratione id fecerit, quamque viam elegerit, ex indole eruditionis Iudaicae, maxime vero philoſophiae Graecanicae inter eos receptae, iudicandum eſt. Supra enim docuimus, a Ptolemaeorum tempore allegoriarum vſum ex ſcholis Aegyptiorum et Pythagoricorum ad Iudaeos tranſiiſſe, earumque ope philoſophiam quoque Pythagorico-Platonicam ſenſim inter hanc gentem fuiſſe introductam; ne vero profanis ſcriptoribus et philoſophis honor haberetur, vel Iudaeorum ambitio minueretur, ita ad ſe ſuosque fontes philoſophiam exoticam traxiſſe, vt legis arcanum ſenſum eſſe, a maioribus acceptum, contenderent, illum vero allegoriarum vſu explicari poſſe dicerent. Quo ſemel poſito, facilis fuit occaſio philoſophiam gentilem legi affricandi, et exſculpendi ex ea, quaecunque noua iis placuiſſent. Sed et hoc ſupra oſtendimus, ipſam quoque philoſophiam Pythagorico-Platonicam integram puramque in Aegypto non manſiſſe, ſed illata in illam eſſe multa ex orientali philoſophia, praeſertim in ea parte, quae de Deo et diuinis praecipit. Hanc philoſophiam, cum ea ſe valde Aegyptiis commendauiſſet, elegit quoque Philo, eo quod melius atque elegantius ceteris ſectis de Deo tradere videbatur. Domeſticae itaque eruditionis non ſatis gnarus, parumque in lege et ſcriptura eruditus [t], cum ſimplicia et aperta nauſearet, legis literam ad hanc pſeudo-philoſophiam detorſit, et ne Platoni honorem eum concederet, Moſi haec myſteria adſcripſit, et nefanda audacia per allegorias ſacra oracula tota peruertit [u]. Maxime vero, veriſimile eſt, inſtituta philoſophica Iudaeorum platonizantium, quae inter Eſſenos et Therapeutas tum vigebant, eum ad hoc ſtudii philoſophici genus impuliſſe, et licet ſolitarium vitae genus propter rationes ſuas priuatas excolere non poſſet, attamen eorum philoſophandi methodum fuiſſe imitatum. Id quod ſatis euincunt ea, quae de vtraque ſecta in eius laudem ſcripſit [x], et alio loco [y] de ſtudiorum ſuorum ratione differit, quae ita comparata ſunt, vt Therapeutarum imitatorem facile agnoſcas. Dabimus ipſa PHILONIS verba, vt interponere iudicium ſuum ipſe lector queat. *Fuit olim tempus, quando philoſophiae vacans, contemplationique mundi, et eorum, quae mundo continentur, fruebar optatis ac beatis mentis deliciis, ſemper conſectando diuina praecepta, et oracula, quibus ſatiari prae auiditate nimia non poteram, his tantum me oblectans, humile autem nil ſapiens, gloriam,*

s) Vid. IOSEPH. Antiqq. Iud. L. XVIII. c. 10. EVSEB. Hiſt. eccleſ. L. II. c. 4. p. 43. c. 18. p. 58. Praepar. Euang. L. VII. c. 12. p. 322. SVIDAS loc. cit. aliique, quorum teſtimonia probe notanda ſunt.

t) Id poſt SCALIGERVM elench. trihaereſ. c. 18. paſſim in Philone notatum eſt, vid. ED. BERNARDVS apud GVIL. CAVEVM Hiſt. liter. Scriptt. eccl. ad A. C. 40. P. II. quod diſplicet FABRICIO Bibl. Graec. Vol. III. pag. 105. Quaecunque autem fuerit Hebraicae literaturae apud Philonem conditio, illud eius ſcripta legentibus, manifeſtum eſſe puramus, multis eum in locis ſatis craſſam legis Moſaicae ignorantiam prodere, id quod in homine, in gentilium ſcholis educato euenire aliter non potuit.

u) Conf. PHOT. Cod. CV. p. 150. qui eum primam cauſſam fuiſſe illati per Origenem Chriſtianae eccleſiae ſtudii allegorici, conqueritur.

x) ll. cc. y) De ſpecial. legib. p. 769.

Digitized by Google

riam, opes, voluptatesque faſtidiens, et velut in ſublime raptus diuino ſpiritu luſtrabam animo ſolis lunaeque curſus caeterorumque orbium coeleſtium, interdum deflectens ab aethere ad terram mentis oculos, tanquam e ſpecula conſiderabam terreſtria negotia cuncta, quae nullo ſermone explicari poſſunt facile, multum me iudicans, qui fortiter euaſiſſem tot calamitates mortalium. Haec in ſequentibus latius perſequitur, et ſolita eloquentia ſe ciuilium negotiorum fluctibus immerſum et iactatum, enatare non valere, attollere tamen oculos ad priſtina iuuentutis ſtudia, et vbi interdum ſe pura lux offerat, vel breuis tranquillitas ex tumultibus rerum ciuilium, tunc tanquam alatum tantum non per aëra volitare, aſpirante aura ſcientiae, quae ſe ſaepe incitet, vt ad ſe transfugiat &c. Ex quibus luculenter patet, fanaticam iſtam philoſophiam [a], quam inter Therapeutas cultam eſſe ipſe nobis tradit, proram puppimque ſtudiorum eius fuiſſe, quamuis inſtituta iſtorum theoreticorum imitari non licuiſſet. Illa ipſa tamen eruditio et eloquentia, quibus ſe vnice delectari ait, eum ciuilibus negotiis immerſit, et a contemplatione abſtraxit. Saepius enim a gente ſua in maximi momenti negotiis adhibitus, legationem etiam pro ea ad imperatorem Caium Caligulam ſuſcepit, apud quem Alexandrini per Apionem grauiter Iudaeos calumniati fuerant [a]. Etſi autem legatio irrita fuit, eam tamen ſcripto comprehendit, et eruditionis, ingenii, prudentiae et virtutis ſpecimen luculentiſſimum in ea reddidit. Poſt Caligulae tamen exceſſum elegans apologia ſub Claudio in ſenatu Romano lecta eſt, ſi fides EVSEBIO [b]. Cum ſecunda vice ſub Claudio Romam veniſſet Philo, locutum fuiſſe cum apoſtolo Petro, eiusque amicitia gauiſum fuiſſe, veterum nonnulli, EVSEBIVS, HIERONYMVS [c], aliique aſſeruerunt, quos multi ex recentioribus ſecuti ſunt, illi praecipue, qui Therapeutarum nomine, chriſtianos aſcetas deſcripſiſſe Philonem contendunt. Immo fuerunt, teſte PHOTIO [d], qui Chriſtianis eum ſacris initiatum, ab his tandem dolore quodam atque iracundia deſciuiſſe dicerent. Aſt falli hos, facile demonſtrari poteſt. Vt enim quaeſtionem non moueamus, vtrum Petrus Romae fuerit, et hoc tot veterum teſtimoniis concedamus, illud certum et exploratum eſt, ante Neronem imperantem Petrum vrbem non vidiſſe: ſub Herode enim adhuc in Iudaea vixit, et poſt eius demum mortem Antiochiam receſſit, diu-

a) Conf. BASNAGE l. c. p. 600. ſeqq.

a) Videndus ipſe de hac legatione ad Caium p. 992. et IOSEPHVS Antiqq. Iud. L. XVIII. c. 10. p. 649. Cum inter Iudaeos et Graecos Alexandriae magnae lites et ſeditio inde exortae eſſent, terni ab vtraque parte legati ad Caium imperatorem miſſi ſunt. Apion vero Alexandrinorum legationis princeps, multa in Iudaeos iactauit crimina, interque cetera, quod Caeſarem non proſequerentur debitis honoribus, eo quod nec ſtatuis, nec iureiurando per eius nomen eum colerent. Huic vt reſponderet, apologiam parabat Philo, e legatis Iudaeorum potior. Sed repulſus eſt a Caeſare, iubente illum abire, et vix per iracundiam temperante ab iniuria, ita vt conuicio eiiceretur. Addit HIERONYMVS l. c. de vita ſub Caio periclitatum fuiſſe, quod omnino de inſanientis imperatoris furore credibile eſt. Conf. qui plura de hac legatione dabunt TILLEMONT. Hiſt. imper. T. I. p. 674. ſeqq. HOECLER. diſſ. Acad. X. p. 380. ſeqq.

b) H. E. L. II. c. 18. ſubdubitat tamen FABRIC. Bibl. Gr. Vol. III. p. 115.

c) ll. cc. Qui tamen non negant, rumorem vulgi ſe ſequi.

d) loc. citat.

diuque ibi vixit, vt D. LVCAS narrat. Hoc interim tempore Philo Romae fuit, adeoque ibi innotescere diuo apostolo non potuit. Christianis vero sacris eum addictum fuisse, cum solo Eusebii testimonio constet, quem reliqui exscripserunt, nemo cautus crediderit. Aliter de eo IOSEPHVS [e] scripsit, qui totum nobis Iudaeum depingit, quique eum *πρεσβῶτα τῶν Ἰουδαίων τῆς πρεσβείας ἄνδρα τὰ πάντα ἔνδοξον*, *primum et potissimum legationis Iudaicae, virum omnino clarissimum* non vocasset, si vnquam ad Christianos transiisset: eo enim tempore, quo Iosephus scribebat, Philo iam ad plures abierat. Recte quoque vrget BASNAGIVS [f], nihil, quod Christianum sapiat, reperiri in Philonis scriptis, adeo vt ne semel quidem Christianorum meminerit, quod non omisisset, si eum D. Petrus ad Christianam fidem reuocasset. Fuisse Philonem virum doctissimum, et praecipue Graecis literis, maxime vero philosophiae Graecae notitia accurate imbutum, et scripta eius loquuntur, et veteres viderunt suntque fassi. EVSEBIO [g] *verbis copiosus, sententiis locuples, in diuinis scripturis explicandis altus, inque sublime se tollens, variamque et multiplicem sacri eloquii interpretationem pertexens*, dicitur. HIERONYMO *opera eius praeclara et innumerabilia* audiunt; vt aliorum de eo iudicia laudibus eum extollentia taceamus [h]. Non desunt tamen, quae in eo culpant viri docti, nempe linguae maiorum et Hebraismi prorsus ignarum, mystem potius, quam theologum, philosophum, non sacerdotem esse, qui cum Alexandriae natus educatusque fuerit, scholae Platonicae doctrinam et ingenium penitus imbiberit, et mordicus retinuerit, omnia fere, obtorto licet collo, huc trahens. Hinc natum ei *νῶν ἐνθουσιαστικὸν*, et mysticam philosophandi rationem, reconditas et supercoelestes speculationes, hinc Mosaica Platonicis immixta, Deique dogmata ad Academiae sensum explicata; hinc nouas et subtiles ratiunculas solerter excogitatas, vndique conquisitas, a summi legislatoris mente quam maxime alienas; hinc ineptas ac pueriles allegorias, absurdas longiusque petitas allusiones vtramuis facere paginam, comta, arguta, detorta interpretamenta, quibus diuina eloquia totamque legis Mosaicae faciem foede inquinauerit. Ita GVIL. CAVEVS [i], cuius iudicium roborauit V. C. EDVARDVS BERNARDVS [k], In quo licet disputari possit, an tanta fuerit in Philone Hebraicae linguae ignorantia, quantam viri docti putant [l], illud certum est, allegoriae studium, quod sacrarum litterarum interpretationem valde corrupit, et mala multa Origenis industria in ecclesiam introduxit [m], defectum iudicii et eruditionem superficiariam magis, quam solidam prodere. Id quod Celsus

e) loc. citat.
f) loc. cit. p. 579.
g) loc. cit.
h) Conf. quae collegit THOM. POPE-BLOVNT. censur. cel. auctor. p. 102.
i) CAVE Hist. lit. Script. eccles. p. 14.
k) In epist. h. l. a Caueo inserta.
l) Ita quidem FABRICIVS l. c.
m) Haec ratio est, cur post PHOTIVM l. c. allegoriae studium in ecclesiam Christianam ex Iudaeorum consuetudine profluxisse contendat LIGHTFOOTVS opp. T. II. p. 149.

Digitized by Google

Celſus [n] ille iam obiecit, et Porphyrius quoque acerbe monuit [o], et res ipſa loquitur. Vnde miratur Ed. Bernardvs [p], Origenem ſequi potuiſſe tam vanum auctorem. Aſt mirandum non eſſe putamus, cum gentis ſuae mos et praeiudicium, quod vtrique, Philoni et Origeni Alexandrinis, inſedit, malam hanc conſuetudinem pro ſummae eruditionis ſpecimine commendauerit, et vterque eidem philoſophiae generi, quod ſine allegoriis conſtare non poterat, fuerit addictiſſimus. Quamuis autem idem vir doctiſſimus, cultu philoſophiae Platone eum minorem eſſe, quam aetate, iudicet, et nihil ſe extra triuium in illo commentatore legere fateatur, dignum nihil Platonis diſcipulo videat: non inuiti tamen concedimus, Philonem Platonicum non infeliciter expreſſiſſe philoſophum, at Alexandrinum, id eſt talem, qui a genuino Platonis ſyſtemate ſubinde receſſerit, et aliena ei dogmata aſſuerit. In plerisque tamen Platonem eum ſecutum fuiſſe, non tantum quoad dicendi rationem, verum etiam quoad dogmata Academiae potiora, viderunt iam veteres, qui Philonem platonizare iudicarunt. Quare non audiendus eſt Ionsivs [q], qui magno ſtudio euincere conatus eſt, Philonem Platonicum non fuiſſe. Ad cuius rationes docte ſolideque reſpondit, et Platoniſmum Philonis demonſtrauit ὁ πάνυ Io. Alb. Fabricivs [r]: id quod fecit quoque Ioannes Clericvs [s], et imprimis Cel. Moshemivs [t], qui accurate monuit, Philonem fuiſſe Platonicum Alexandrinum, id eſt, reformato Platoniſmo addictum. Illud enim ante omnia in hac quaeſtione de Platoniſmo Philonis notandum, philoſophiam Platonicam a prima conditoris auctorisque ſui facie in Aegypto valde degeneraſſe, et placitis alienis, maxime ex philoſophia Orientali et Aegyptiaca itemque ex ſyncretiſtarum in Aegypto ſtudio, ortis et Platonicae doctrinae illatis fuiſſe adulteratam, Philonem etiam more ciuium ſuorum, vt Platonem Moſaicum diſcipulum et philoſophum eſſe oſtenderet, et ſic genti ſuae Platonicae ſapientiae gloriam vindicaret, allegoriarum ope multa detorſiſſe, ſicque aliena lumina Platonicis dogmatibus intuliſſe, ſcatere quoque iis vitiis, quae in ſyncretiſtis plerumque ſolent obſeruari, vt male cohaerentia inter ſe conſarcinet, et veros ſenſus corrumpat. Hoc de Philone negabit nemo, qui eius ſcripta cum cura euoluerit, et cum Platonicis contulerit: hocque ſenſu ſi quis inficietur, Philonem eſſe Platonicum, nempe purum et genuinum, non moroſe refragabimur [u].

Verum

n) Orig. ad Celſ. L. IV. p. 204.

o) Adu. Chriſt. L. III. apud Evsseb. Hiſtor. eccleſ. L. VI. c. 19.

p) loc. cit.

q) De Script. hiſt. philoſ. L. III. c. 4. p. 225. quem ſecutus erat B. Bvddevs Introd. in hiſtor. philoſ. Hebr. §. 18. p. 80. §. 32. p. 216. mentem tamen mutauit in noua editione. Ioannem van der Wayen his non accurate ſatis iungit Clericvs epiſt. crit. VIII. p. 210.

r) In diſſ. de Platoniſmo Philonis, Lipſ. 1693. recuſa in Sylloge diſſert. p. 150. ſeqq.

s) loc. cit.

t) Ad Cvdworthi Syſt. intell. p. 641.

u) Huc reſpexiſſe videtur Petrvs Allixivs in iudicio eccleſiae Iudaicae contra vnitarios c. XXIII. p. 354. qui eum Potamonicum, ſiue eclecticum fuiſſe putat. De qua opinione quid ſentiendum ſit, infra dicemus.

Verum de eo quaeſtio haud eſt, ſed de eo proprie quaeritur, vtrum Platoniſmum reformatum, qualis in Aegypto circa tempora exorientis ſalutis mundi viguit, Philo profeſſus fuerit? Quod qui negat, eum vel non intelligere oportet, quid Platonicum ſit, quid non, vel Philonis ſcripta nunquam legiſſe, adeo ſcholae huius placita vbique prodit. Quod facili quidem labore ex ipſis Philonis ſcriptis lector colligere poteſt, cum omnes ferme paginae id loquantur, vt tamen a taedioſa ſcriptoris nugis ſuis parum grati lectione liberemus lectorem, pauca dabimus Platoniſmi Philoniani ſpecimina. Nam I. Platonicum eſſe dogma de ideis, et quilibet eius philoſophiae gnarus intelligit, et Atticus Platonicus apud EVSEBIVM [x] teſtatus eſt, cardinem eius ſyſtematis in hoc dogmate verti, et a nobis peculiari tractatione [y] luculenter demonſtratum eſt. At hunc Platonicae philoſophiae apicem vbique reſpicit Philo, inque eo eſt totus, vt non Moſen tantum idearum Platonicarum nobis exhibeat ſtudioſiſſimum, ſed et ipſum Deum ſecundum ideas in condendo mundo operatum fuiſſe aſſerat. Teſtem volumus librum eius *de opificio mundi* [z], quem ſi ſequimur, Plato totam ſuam metaphyſicam ex Moſe petiuit, adeo Platonicas nugas ſancto vati vbique tribuit. In id enim more gentis ſuae vehementer propendebat Philo, vt demonſtraret, pulcherrimam illam philoſophiam, quam in Platonis ſchola regnare putabat, totam a Iudaeis et ab eorum vate ad Platonem fuiſſe deriuatam. Hinc mundus idealis et intelligibilis Deo tributus, et dogma peregrinum Moſi adſcriptum, cuius creationis hiſtoriam ineptus ad hanc commentationem philoſophus explicare conabatur. Ita enim [a]: *Deus vbi pro ſua deitate praeuidit, imitamentum pulchrum non poſſe abſque exemplari pulchro exiſtere, nec ſenſibile quicquam reprehenſionis expers fore, quod non archetypo intelligibilis ideae reſpondeat, poſtquam decreuit hunc ſenſibilem mundum facere, prius formauit ſimulacrum eius intelligibile, vt ad exemplar incorporei, Deoque ſimillimi corporeum abſolueret mundum, recentiorem hunc antiquioris effigiem, totidem complexurum ſenſibilium genera, quot in illo intelligibilia. Mundum autem illum, qui ex ideis conſtat, nefas eſt, loco vllo dicendo cogitandoue circumſcribere.* Pluribus haec in ſequentibus explicat, et exemplo architecti formam vrbis vel aedificii condendi prius effingentis illuſtrat. At hunc mundum intelligibilem non tantum Platonicum dogma eſſe, ſed tale quoque, quod in Alexandrinorum ſcholis comtum, auctum et reformatum eſt, ex iis, quae ſupra de Alexandrinorum Platonicorum philoſophia diximus, abunde patet. Adeo vero inſanit in hac re Philo, vnde in ſequentibus [b] probare audeat, *mundum hunc intelligibilem nihil aliud eſſe, quam verbum Dei iam mundum condentis, et hanc Moſis opinionem eſſe, non ſuam: hocque verbum in principio ideo*

x) Praep. ev. L. XV. c. 13.
y) Hiſt. phil. doctrinae de ideis ſect. I.
z) Opp. p. 1. ſeqq.
a) pag. 3.
b) pag. 5.

Digitized by Google

ideo coelum generaſſe, quod puriſſima conſtet eſſentia et deſtinatum ſit domicilium Deorum, tam non apparentium, quam ſenſui patentium. Quibus verbis merito horremus, hominem Iudaeum ſiderum et idearum deitatem cum Platonicis affirmare Moſique tribuere maluiſſe, quam inepta praeiudicia ſua dimittere [c]. Et ne faniori ſenſu intellexiſſe videretur, ipſe ſollicite cauit addens [d]: *Conditorem ante omnia feciſſe in mundo intelligibili incorporeum coelum, et terram inuiſibilem, et aëris ideam et vacui, deinceps aquae incorpoream eſſentiam, itemque ſpiritus et lucem incorpoream, et exemplar ſolis intelligibile, omniumque ſtellarum.* Hi enim Dii non apparentes ſunt, apparentium, ſolis, et ſtellarum archetypi. Eadem futilitate in ſequentibus [e] procedit, et tam impie, tam abſurde in hoc mundo intelligibili Moſi effingendo verſatur, vt merito nauſeam legentibus et impietatem deteſtantibus excitare aptus ſit. II. Eiusdem ſcholae Platonicae Alexandrinae, Pythagoreiſmum cum Platoniſmo coniungentis veſtigia manifeſta expreſſit, ordinem creationis, et dierum quibus conditae ſunt res viſibiles omnes, ad numerorum et proportionum rationes Pythagoricas exigens. Ita enim, rationem redditurus, cur ante condita quarto die coeleſtia lumina, tertio die terram ornauerit conditor: *Haec eſt cauſſa, cur terra prior germinarit, et herbam protulerit, coelum vero poſt ſit ornatum, in numero perfecto quaternario, quem denarii omnium abſolutiſſimi cauſſam fontemque non falſo dicere licet. Quod enim actu eſt denarius, hoc quaternarius potentia eſſe videtur.* Id ex rationibus arithmeticis et muſicis, Pythagoreos ſecutus explicat, et concentum perfectiſſimum, ex diateſſaron, diapente, diapaſon et diſdiapaſon exoriri oſtendit, et quaternarii vim dictu cogitatuque mirandam commendat, et naturam ſolidi ex eo deriuat, quod ex puncto, linea, ſuperficie et corpore conſtet, et potentiam ex bis duo pulcherrimam conſonantiae ſpeciem exhibentem praedicat, et quaternionem totius coeli mundique generationi dediſſe initium contendit, et ob hanc quaternionis vim et dignitatem conditorem quarta luce coelum exornaſſe, infert. Quod qui Pythagoricum, qui Platonicum eſſe negat, Nicomachum, Iamblichum hisque ſimiles nunquam legiſſe cenſendus eſt. Idem de ſeptenario numero, quo mundus conditus eſt, garrit, quae tamen exſcribere nolumus, ne grauedinem lectori praetaedio creemus. III. Quamuis autem magnificis verbis creationis opus ad Deum referat Philo, caue tamen credas, genuinam Moſis philoſophiam eum ſpirare, ſed totus hic quoque Platonicam ſcholam ſapit, et intolerandos errores patriis dogmatibus affricat. Nam *de mundo incorruptibili* [f] diſputaturus, poſtquam Platonice ſtatuerat, nec inter ea, quae ſenſu comprehenduntur, quicquam eſſe mundo abſolutius, nec inter ea, quae mente percipiuntur, quicquam Deo perfectius, mundum

c) Conf. de vita Moſis p. 627. CLERICVS l. c. p. 819.
d) pag. 6.
e) pag. 9.
f) p. 939. ſeqq.

Digitized by Google

dum autem eum, qui ex coelo terraque conſtet, eſſe dixerat, et corruptionem eſſe vel annihilationem vel in deterius mutationem monuerat; id ex ea potiſſimum ratione impoſſibile eſſe dicit: *quia ſicut ex nihilo nihil fit, ſic nihil corruptione redigatur in nihilum.* Quae ita roborat: *Nam ex non exiſtente impoſſibile eſt quicquam fieri, et ens prorſus interire impoſſibile creditur, et vt tragicus ait: genitum nihil emoritur, ſed transpoſitum vltro citroque, formam priorem alterat, adeo ſtultum eſt ſollicitum eſſe de mundi interitu hoc quidem ſenſu.* Ex quibus recte colligit CLERICVS [g], materiam Philonem credidiſſe Deo coaeuam, ſiue ex Dei eduxerit gremio, ſiue coëxiſtentem fecerit. Quamuis enim ab Alexandrinis poſteriorum temporum, immo et ſuae aetatis quibusdam, recte in eo diſſentiat: apud Platonem genitum dici mundum, non quod habuerit generationis principium, ſed quod, ſi factus eſt, non aliter, quam dictum eſt, fieri potuerit, quandoquidem partes eius generari et mutari videmus, rectеque illis opponat verba Platonis et diſſenſum Ariſtotelis ab eo, ex quibus conſtet, mundum eum non credidiſſe ratione principii aeternum, cuncta tamen non ad materiam, ſed ad mundum tantum transfert, eo quod ex ſcholis Platonicis didicerat, ex nihilo fieri nihil. IV. Non vel meliora vel ὀρθοδοξώτερα ſunt, quae in reliquis quoque Platonicae philoſophiae veſtigiis dedit [h]: *Deum quidem bona per ſe ipſum ſolum feciſſe, quippe ſibi cognata, mixtorum vero* (id eſt eorum, quibus mala admixta ſunt) *creationem propriam ei eſſe et impropriam; propriam, propter admixtam ei meliorem ideam, impropriam vero, propter contrariam et deteriorem*, quae nempe ex materia ortum habet: quam natura ſua bono reſiſtere, nec cogi poſſe, vt tota recta euadat, a Platone didicerat. *In qua contrarietatis rerum et natiua certamina ante creationem vel formationem fuiſſe, et per eam cautum eſſe* dicit [i], *ne perpetuis laboraret diſſidiis et ſeditionibus, neue bellum pulſa pace praeualeret confuſo in mundo ordine.* Sunt et alia multa apud Philonem, Platonicam ſcholam aperte redolentia; e. g. cauſſam mundi eſſe Dei bonitatem, quae materiae eſſentiam largita eſt: fuiſſe ſolem intellectualem ante ſolem intelligibilem: obiecta ſapientiae et philoſophiae eſſe res increatas et intelligibiles, et per earum conſiderationem duci ad contemplandum regem aeternum. Mundum item per adminiſtros conditum, etc. quibus tamen, ne prolixi euadamus, inhaerere amplius non licet [k]. V. Duo tamen dogmata hic praeterire non licet, quae in manifeſta luce Platoniſmum Philonis ponunt, doctrinam de anima, et de principiis diuinis. Et de anima quidem ita praecipit: *Ineſſe homini duplicem animam, vnam ſpiritualem et rationalem ex Deo profectam, alteram irrationalem, illam ſedem habere in capite longiſſime a terra habitantem, et ad aetheris coelique nunquam interituros alligatam ambitus, huic corporis*

g) loc. cit. h) pag. 16. k) Conferendus de his FABRICIVS l. c.
i) De opif. mundi p. 6.

Digitized by Google

corporis noſtri partem inſenſatiſſimam longeque a ratione ſecretam pedes seu radices ad terram ſedem applicatam fuiſſe [l]. *Animam noſtram tripartitam eſſe, mentem ſiue rationem, iram et concupiſcentiam* [m]; *harum autem ſedem eſſe pectus atque ventrem, illius regionem caput eſſe* [n]. *Harum cuique appoſitam eſſe virtutem propriam, rationali prudentiam, iraſcibili fortitudinem, concupiſcibili temperantiam* [o]. *In anima, quae eſt cerae ſimilis, omnes formas contineri potentia* [p]. *Animam ſaepe* II *ſe ipſa moueri, emergentem e tota mole corporis, et e turba ſenſuum profugientem, nonnunquam etiam veſtitam ſenſibus: Sed nudo motu tantum intelligibilia comprehendere, amictam vero ſenſibilia* [q]. *Animam corporis affectibus, tanquam aequore mergi* [r]. *Quatuor eſſe affectus animae, duos circa bonum praeſens aut futurum, gaudium et concupiſcentiam, duos circa malum inſtans aut futurum, dolorem et timorem* [s]. *Philoſophum curam gerere eius, quae in ſe viuit, animae, neglecto mortuo corpore, non aliud ſpectantem, quam ne quid optima anima patiatur a colligato ſibi malo corpore* [t]. *Rationalem animam contra irrationalis ignorantiam et cupiditates bellum ſuſcipere* [u]. *Animae mortem virtutis eſſe carentiam, vitamque cum vitio* [x]. *Animam fortitam vires inuincibiles, et abſolutam in virtutum exercitiis affectamque metam honeſtatis vltimam non ſe iactantius efferre* [y] *&c.* Haec vel leuem et ſuperficiariam Platonicae philoſophiae notitiam poſcunt, vt ex ea intelligatur, quam recte dixerint veteres, Philonem platonizare. VI. Nullibi vero magis Platonicum fermentum Philo prodidit, quam in doctrina de Deo, de quo ita praecepit, vt difficillime hominem Iudaeum, prima vero facie philoſophum Platonicum Alexandrinum agnoſcas. Et de immenſitate quidem Dei ita loquitur, vt Platonem eum magis ſecutum eſſe, quam Moſen, quilibet intelligat. Quamuis enim interdum ſobrie loqui videatur, *Deum*, fatendo [z] *implere omnia, non contentum, ſed continentem qui ſolus vbique ſimul ei nuſquam ſit: nuſquam, quia ipſe locum et regionem creauit vna cum corporibus, nec fas eſt auctorem intra vllam ſuam creaturam includi: Vbique autem, quia potentiis ſuis per terram, aquam, aerem, coelum extenſis nullam mundi partem deſtituit, ſed omnia inter ſe inuicem adſtringit vinculis, quae videri nequeunt*; quo nomine inter orthodoxos Dei confeſſores Philonem numerat CVDWORTHVS [a]; alibi [b] tamen diſerte Deum locum facit, *eo quod omnia contineat, et a nullo prorſus contineatur, et omnibus ad eum refugium pateat, et quia ſolus ſui capax eſt, ſe ipſum explens et continens.* Ex quibus verbis, quae aliis Philonis locis illuſtrat Cel. MOSHEMIVS [c]; recte inferitur,

l) Quod det. potiori infid. ſoleat p. 170.
m) De confuſ. ling. p. 322.
n) Ibid. et de legis alleg. p. 53.
o) Ibidem. p) Ibid. p. 59.
q) De Abrahamo p. 371.
r) De agricult. p. 200.
s) De migrat. Abrahami p. 481.
t) Alleg. leg. p. 74.
u) De eo quod det. inſ. pot. p. 155.
x) Ibid. p. 168. De profugis p. 460.
y) De somniis p. 585.
z) De confuſ. linguar. p. 339.
a) Syſt. intell. c. V. ſ. III. §. 8. p. 1013.
b) Alleg. leg. L.I. p. 48. c) Ad l.c. Cudworthi.

fertur, Philonem more Platonicorum Deum habuiſſe pro anima mundi omnia continente. De quo ne dubitemus, en ipſa Philonis [d] verba: *Θεὸς ἐγκεκόλπισεν τὰ ὅλα, καὶ διὰ τῶν τῆ παντὸς μερῶν διελήλυθε, Deus ſinu ſuo complectitur omnia, et per omnes meat uniuerſitatis partes.* Nec hic obiici poteſt, incommode tantum loqui de abſtruſiſſimo argumento Philonem; nam non affectata tantum verborum ſublimitate eum ita de Deo loqui, ſed ita vere ſtatuiſſe, ex toto eius philoſophiae ſyſtemate recte demonſtratur. De diuinis vero principiis ita quidem ſubobſcurus et inconſtans eſt, vt quid de eius mente ſtatuendum ſit, ipſi viri docti ignorent. Quibusdam enim veterum, et inter eos EVSEBIO [e], trinitatem, quam Chriſtiana profitetur religio, aſſeruiſſe, eamque ex Iudaeorum dogmatibus et traditione, ſiue Cabbala deſumſiſſe viſus eſt, quas partes ſequuntur etiam recentiores multi magni nominis et eruditionis viri [f]. Aliis in contrariam partem eundum eſſe viſum [g], qui ea, quae de hypoſtaſibus in diuinis Philo habet, tantum de tribus perfectionibus in natura diuina intelligendæ eſſe contendunt [h]. Sed et tertia ſententia media quaſi via incedit, et admiſiſſe quidem Philonem tria principia hypoſtatica in diuinis, ſed longe a Chriſtianorum trinitate diſtantia afferit, nempe ſubordinata et ſibi inuicem valde diſſimilia, qua ratione docuiſſe quoque ceteros, ſequioris commatis Platonicos, ſuo loco oſtendimus. In quibus trinitatis Philonianae explicationibus ponderandis et examinandis eruditionem et acumen maxime probauit Ven. MOSHEMIVS [i], cuius obſeruationes eo redeunt: 1. Philonem ex eorum ſcriptorum eſſe numero, qui obſcuritatem ſaepe numero conſulto conſectentur, tumque ſibi ſapientiſſimi videantur eſſe, quum ſubtilitatibus, quas nemo conſequitur, ingenia excrucient, mirandum itaque non eſſe, viros alioquin doctiſſimos mentem eius parum recte nonnunquam cepiſſe, ſententiasque ei nonnunquam tribuiſſe, a quibus, ſi obſcuriora eius dicta cum clarioribus conferantur, plane remotus ſit. Deinde duplex religionis genus eum ſtatuiſſe, populare et philoſophicum, et illud quidem putauiſſe ferendum in vulgo, et ne conſultum quidem iudicaſſe, religionem prudentum in vulgus efferre: ſed myſteria haec caute premenda et ab imperitorum oculis remouenda. Adeoque ea, quae ex vulgi opinione et theologia paſſim differit, ab iis probe diſtinguenda eſſe, quae ad ſecretiorem et arcanam, quam putabat, ſapientiam et religionem pertinent [k]. Illa itaque loca expendenda eſſe, in quibus Philo

d) loc. cit. p. 540.

e) Praep. eu. L. VII. c. 13. p. 312. L. XI. c. 15. p. 533.

f) ALLIX. l. c. IO. VAN DER WAYEN de λόγῳ Ioannis adu. Clericum, RICH. KIDDER. demonſtr. Meſſ. P. III. c. 5. 6. p. 246. BVLLVS def. fid. Nic. Sect. I. c. 1. §. 16. CVDWORTH. l. c p. 640. GROTIVS de V. R. C. L. V. c. 21, aliique.

g) SOUVERAIN Platoniſme devoilé c. II. p. 98. BASNAGE Hiſt. des Juifs L. IV. c. 5. §. 9. p. 112.

h) PETAV. dogm. theol. T. II. L. I. c. 2. p. 19. GLERICVS loc. cit.

i) Ad CVDWORTH. l. c. p. 640. ſeqq.

k) De ſacrif. Caini et Abelis p. 139.

Digitized by Google

Philo popularem religionem ad ſcita virorum intelligentium reuocat, et praecepta religionis popularis ad rationes ſublimioris theologiae accommodat. 2. Ea vero loca ſi conſiderentur, certum eſſe, Philonem non tam triadem, quam quaternionem in diuinis admittere, et ſupra triadem, quam inducit, naturarum diuinarum ſummum et principem Deum collocare. Id ex loco Philonis ſatis luculento [l] probat vir doctiſſimus, in quo praeter Deum ſummum, principem ſupremum tria numerat, verbum illius ſummi principis, et potentias creatiuam et regiam: ex quo concludit fruſtra eos eſſe, qui Philonianam triadem cum Chriſtiana conſpirare aſſerunt. 3. Quod vero ad iſtas tres naturas attinet, fatendum eſſe, ita de binis poſterioribus, quas Deum et regem appellat, loqui Philonem, ac ſi pro veris ab eo perſonis habitae fuerint. Aſt haec ex vulgi opinione differuiſſe, dubium nullum eſſe, patere vero ex aliis locis, vbi popularem doctrinam religione ſapientum virorum velut temperet, aut alteram ex altera interpretetur, naturas has non eſſe perſonas, ſed virtutes tantum et perfectiones diuinas, quas perſonarum habitu ſiſtat amictas. Dicere enim [m]: Deum Abrahamo *τρίττας φαντασίας*, triplicem imaginationem, et quidem in anima ſenſitiua, cum illi tribus perſonis appareret, excitaſſe; ex quo ſequatur, tres tantum fuiſſe animae notiones aut imagines, quae in parte animae ſenſitiua crearentur. Binas nempe has naturas eum vocare bonitatem et potentiam, quae perſonae a Deo diſtinctae eſſe nequeant. Id quod latius vir doctiſſimus exſequitur, et huc iſta potiſſimum Philonis verba aduocat, quibus ait [n]: *Medius eſt ille pater omnium, proprie nominatus in ſacris literis: Qui eſt: vtrumque latus claudunt antiquiſſimae et proximae eius, Qui eſt, potentiae, quarum altera opifex, altera regia vocatur: illa Deus per quem condita diſpoſitaque ſunt omnia, haec vero Dominus.* His verbis monet, tria illa nomina vnius Dei, Iehoua, Elohim, Adonai, ad tres illas relationes, quibus vnus Deus tripliciter conſideratur, referri, nempe ad naturam illam, quae per ſe ex omni aeternitate exiſtit, ad conditorem vniuerſi, denique ad regem et gubernatorem. Id vero in ſequentibus verbis clare prodi, quae hic quoque, vt lectoris commoditati inſeruiamus, integra damus: *Atque ita medius ille, vtrinque ſtipatus ſuis potentiis, perſpicaci menti nunc vnam, nunc tres imagines exhibet; vnam, quando exactiſſime purgata anima, nec ſolum ceteram numerorum multitudinem, ſed et vicinum vnitati binarium ſupergreſſa, ad illam ſimplicem, ſinceram, nullius omnino indigam ideam properat; tres vero, quando nondum magnis initiata myſteriis, adhuc minoribus operatur, nec poteſt eum, Qui eſt, ſine alio, per ſe ſolum comprehendere, ſed per ipſius acta, aut conditorem, aut regem omnium. Eſt autem haec ſecundaria nauigatio, non aliena tamen a pia ſententia.* Addit his alium locum, non minus luculentum, vbi ſcribit: *Haec quicunque audiet, - - eſſe Deum, praeeſſeque rebus, et hunc*

l) De profugis p. 465. m) De ſacrif. Cain. l. c. n) De Abrahamo p. 367.

hunc vnum esse, qui vere sit, et ab ipso mundum conditum credi oportere, postremo numquam non gubernari eum ab opifice suo, is beatam, felicemque vitam acturus est. 4. Quod vero λόγον multoties a Philone in partes vocatum attinet *), vocabulorum et nominum, quibus hoc verbum Iudaeus variis in locis ornat, eam vim et potestatem esse monet, vt si ex vsu et recepta loquendi consuetudine aestimentur, notionem personae summo licet Numine inferioris et minoris in animis pariant. Audire enim ipsi λόγον ἀρχάγγελον medium inter γενητὸν et ἀγένητον, qui legati diuini munere apud homines, et vicissim obsidis et conciliatoris partibus apud Deum fungatur. Quod si tamen vmbrae dissipentur, quibus dictionem suam obscurauerit Philo, vehementer metuere se, exactis his locis ad alia, quae minus figurarum habent, ne idem dicendum sit de λόγῳ, quod de binis illis potentiis dictum sit. Quod enim dicat, verbum esse imaginem Dei, referri ab eo ad mundum intelligibilem, ad cuius archetypum mundus sensibilis conditus sit. Ast hoc si verum sit, non posse λόγον esse personam, cum inter ἀρχέτυπον et ἔκτυπον debeat esse relatio, et ita intelligibilis idea omnium rerum sensibilium in isto verbo esse debeat, nec verbum esse queat genius, spiritusque huic nostro mundo similis. Patere etiam ex libello *de opificio mundi*, λόγον esse illam idearum intelligibilium seriem, quam tanquam exemplar in condendo mundo Deus intuitus est: faterique ipsum Philonem λόγον, κόσμον νοητὸν, formam speciemque mundi idem esse, quod Deus animo conclusum habuerit, priusquam constructionem eius moliretur, esseque verbum Dei ita affectum ad mundum illum intelligibilem, sicut ratiocinatio architecti affecta est, ad formam vrbis construendae, quam in animo impressit, quae distincta reapse inter se non sint. Tandem ad dictionem Philonianam prouocat vir eruditissimus, et luculento exemplo ostendit, nullum scriptorem esse, qui meteoris, quae vocant, orationis magis abundet, sine illis vero figuris considerandum et intelligendum esse monet. Hactenus vir praestantissimus, qui cum caussam hanc prolixe enarrauerit, omnino ipse audiendus erat. Nec refragamur, si quis rationibus eius manus dandas esse coniecerit: etsi enim regeri posse quaedam facile videbit, qui Philonem secum vbique conferet *), fatendum tamen est, in tanta Iudaei huius obscuritate et improprio figuratoque dicendi genere, quod vbique sequitur Philo, difficile esse, certi atque perspicui aliquid definire. Quod si tamen pace viri magni et nostram qualemcunque sententiam, vt instituti nostri legibus pareamus, afferre liceat, quartam nos trinitatis vel quaternionis potius, vt rectissime vir doctissimus monuit, expli-

*) Disputatum de huius λόγου Philoniani significatione est a viris doctis Io. VAN DER WAYEN, ELL. BENOIST, aliisque contra CLERICVM, ex quo ille in comm. in Io. I. 1-18. asseruerat, Philonianis φιλοσοφουμένοις suam de λόγῳ sententiam opposuisse S. Ioannem, conf. B. Io. FRICKII diss. de λόγῳ adu. CLERICVM, Io. LAMIVS V. C. de SS. Trinit. aduerf. Cleric. Otium Vind. Mel. I. p. 124. et quos ibi laudauimus.

*) Maxime ea premendo, quae de λόγῳ Philo habet.

Digitized by Google

explicationem eligendam esse existimamus; quae eo tendit: Philonem ita explicandum esse, vt statuat: Deum quidem supremum omnibus principiis diuinis superiorem in infinito lucis oceano demersum esse, ex eo vero ad condendum et regendum regnum suum tres emanationes diuinas, hypostaticas, et secum quidem ratione essentiae vnitas, ast ratione substantialis existentiae distinctas a se, expulisse emanatione diuina. Hisce vero in emanationibus principem locum tenere λόγον, siue intellectum diuinum, qui cum rerum omnium ideas in se habeat, et ad condendas res sensibiles ex Deo effluxerit, creator mundi dici debeat. Esse hanc ipsissimam doctrinam Cabbalistarum, qui ex Or haënsoph tres supremas sephiras, per emanationem deriuant, et primogenitum siue Adam Kadmon in iis relucere regni diuini auctorem statuunt, ex iis constabit, quae infra de arbore Cabbalistica latius edisseremus. Hanc vero principiorum emanatiuorum trinitatem vt Philoni tribuamus, his potissimum rationibus ducimur: I. Ratio ex his constat, cur quatuor in diuinis, non vero tria tantum principia Philo posuerit, nempe vt fontem omnium rerum, quae ex Deo emanarunt, ipsorumque principiorum triadis ostenderet. Sine hac enim obseruatione ratio dari non potest, cur verbo illi diuino, et potentiae creatiuae, et potestati regiae, praefixerit principem summum. II. Respondet quoque haec explicatio circumstantiis Philonis. Is in Aegypto philosophiam Pythagorico-Platonicam didicerat, sed talem, quae ex philosophia Orientali reformata et emendata, vel potius adulterata erat. Huius philosophiae summa cum esset systema emanatiuum, illud ita recepit schola Platonicorum Aegyptiaca, vt ex Deo primo priore, et infinito luminis aequore, tria potissimum principia emanasse statueret, vt supra luculenter euictum. Idem recepisse Iudaeos quoque, nec aliud velle doctrinam Cabbalisticam de sephiris et homine primogenito infra demonstrabimus. Philo itaque cum Iudaeus fuerit, et quidem ex eorum numero, qui philosophiam gentilem sacris doctrinis infarserunt, cumque in Aegypto philosophiae operam dederit illi, quae ex orientali hunc in modum attemperata fuit, cur non quaeso, hunc Aegyptiacae scholae alumnum eodem plane sensu de diuinis statuisse dicamus, quo tota schola statuit? Ast hoc si supponimus, patebit, Philonem per tria ista principia Deo primo-priori subordinata non quidem peculiares, essentia diuersas et separatas ab eo naturas vel personas intellexisse, verum non nuda etiam attributa, nomina et perfectiones vel munera, sed concepisse sibi sub iis tres emanationes reales virtutesque in diuina quidem natura radicatas eiusque essentiae, vt riui fonti vnitas, sed peculiari tamen existendi operandique modo ab eo diuersas, quo sensu aeonas in Deo statuisse Gnosticos supra euicimus, et sephiras in Deo statuisse Cabbalistas infra dicemus. Qui cum et ipsi sephiras parzuphim, personas, vocitent, licet iis hypostaticam quandam personalitatém sensu Christiano non tribuant, manifestum inde est, conce-

concepiſſe ſibi Iudaeos Aegyptiacos, philoſophiam orientalem et Platonicam ſuis philoſophematis coniungentes tertium eiusmodi principiorum diuinorum genus, quod medium inter perſonas et attributa vel proprietates tenet. Id quod, inſtituta inter Philonianam et Cabbaliſticam doctrinam comparatione, oſtendi quoque poſſet Philoni placuiſſe, ſi prolixis nobis eſſe liceret. III. Haec vero ſi admittimus, argumentis quoque et rationibus virorum doctorum ſatisfieri poteſt facile, quibus illi pro perſonis, hi pro attributis principiorum Philonis diuinorum pugnant, et ſimul explicari luculenter poſſunt loca ea, quae ex Philone afferuntur. Quae enim perſonae habitu induxiſſe haec principia oſtendunt loca, manifeſte docent ſuo modo et ratione peculiarem exiſtendi modum haec principia emanantia habere, nec vt nuda attributa conſiderari poſſe. Quae vero cum Deo idem facere videntur, rationem inde ſuam accipiunt, quod ratione eſſentiae, originis, dependentiae, et vnitatis cum ſummo Deo, infinito illo rerum omnium fonte ita vniantur, vt idem dicere videantur, et reuera, vi ſyſtematis emanatiui idem ſint. Nec obſtant nobis valde loca a Cel. MOSHEMIO adducta, eo quod ex dictis facilis dari poteſt ad ea reſponſio. Pleraque enim cum ex improprio loquendi genere et allegoriis, quibus ſupra modum delectabatur Philo, ratiocinationem inſtituant, parum probant, cum vbique ſimilitudini ſe valde improprie accommodet Iudaeus philoſophus. Et primo quidem loco ſatis luculenter ex eo, quem nos dedimus, ſenſu Deum ſtipatum duabus *δυνάμεσιν ἀνωτάταις*, ſupremis potentiis dicit, et ita triplicem perſonarum imaginem in Abrahamo excitaſſe ſcribit. Annon hoc plus, quam nuda attributa, dicit, nempe ſupremas virtutes tales, quales aeonas dixere orientales? quae vbi apparent, tum demum perſonae habitum induunt, qualis *δύναμις ἀνωτάτη* Simon magus videri voluit. Eodem vero ſenſu in altero quoque loco dicitur, animam diuinae lucis ſplendore repletam tres imagines vnius ſubiecti percipere, vnam ipſius rei, duas reliquas, tanquam vmbras ab ea redditas; eo quod Deum fontem emanationis hae non aliter, quam vmbra ſolis lucem ſequantur. Sicque et tertio loco a fonte primo, Deo, qui eſt, Deus opifex, et Deus rex, tanquam peculiares virtutes emanatiuae diſtinguuntur, et recte dicitur, animam pleniſſime purgatam ab his emanatiuis virtutibus ad ipſum omnium virtutum ſubſtantialium fontem properare, eumque ſine alio per ſe ſolum comprehendere. Ita enim orientales quoque, Gnoſtici, Cabbaliſtici, et Alexandrini philoſophi omnes docuerunt. Nec alia mens Philonis in vltimo loco fuiſſe videtur, quo Deum vnum eſſe dicit, qui condidit regitque omnia, niſi, virtutes has ex Deo emanantes, per quas Deus creauit omnia et gubernat, ita animari, radicarique in Deo, ex cuius natura eſſentialiter, licet ſubordinata quadam ratione, participant, vt ipſe ſolus omnia condidiſſe regereque dicendus ſit. *Λόγος* autem quem locum, ſi hanc explicationem ſequamur, capiat in ſyſtemate Philoniano, ex

Digitized by Google

ex dictis patet, et ex Adam Kadmon Cabbaliſtarum intelligi poteſt. Eſt enim virtus illa emanatiua Deo proxima, per quam mundum condidit et eſſentiis rationibusque inſtruxit. Qui λόγος mundus intelligibilis ideo dicitur, non quod eadem in eo ſint formaliter, quae in mundo ſenſibili, quod abſurdum inde collegit vir eruditiſſimus, ſed quod exemplariter et radicaliter omnia contineat, quae in mundo ſunt ſenſibili: quemadmodum architectus perſona eſſe poteſt, licet in intellectu eius ſit exemplar totius vrbis omniumque aediſiciorum, quae conditurus eſt. Haec enim idearum multitudo, ſi Platonicos ſequimur, ſimplicitati intellectus diuini, quem λόγον Philo vocat, nihil plane derogat. Et hae quidem noſtrae coniecturae ſunt, quibus ſi virorum magnorum, noſtris luminibus longe ſuperiorum ſententiam praeferre lectori placuerit, aequiſſime id feremus, rati, in tantis hominis obſcuriſſimi et tela araneorum nectentis muſcasque captantis tenebris nobis ſufficere, ſi palpare liceat, ignoſcendumque nobis eſſe, ſi decipiamur. Ex his vero, quae prolixe de Platoniſmo Philonis diſputauimus, facile cognoſci poteſt, Philonem quidem inter Platonicos omnino referendum eſſe, verum non inter puros et genuinos, ſed tales, quales Aegyptiaca ſchola genuerat, ſtudio ſyncretiſtico, natiua Platonis dogmata adulterantes. Ex eo enim ratio deriuanda eſt, cur interdum aliena a Platonis hypotheſibus admiſceat, et aliorum quoque philoſophorum placita inſpergat, quae ſe curioſe explorauiſſe, multis locis prodidit, et elegantem eruditionem in Graecanicis literis oſtendit. Reliqua, quae contra Platoniſmum Philonis affert Ionſius, exigui ſunt ponderis, et pleraque falſa: non habere enim ſcripta Philonis genium Platonis, et αὐτοψία refutat et iudicium veterum concors, quod Philonem πλατωνίζειν per prouerbium pronunciauit, ſiue dictionis, ſiue rerum rationem habeamus, quas adulterauit quidem et alieniores a facie Platonica ſtudio ſuo ſyncretiſtico reddidit Philo, ita tamen, vt vel mediocriter Platoniſmi peritus Platonicum agnoſcat. Ex his vero eorum quoque opinio iudicari poteſt, qui Potamonicum fuiſſe putant. Quemadmodum enim Potamonis ſecta iunior eſt Philonis aetate, vt ſupra demonſtratum, nec eam vnquam habuiſſe aſſeclas legitur; ita non alio ſenſu Philoni tribui poteſt, niſi quatenus ſyncretiſmus Platonicus Philoni ſuo modo et ratione placuit. Nec alia ratio eſt, cur Platonis mentem Philo interdum peruertat, quam quod iſtud ſtudium henoticum eum coëgerit, ab eius mente deflectere. Audiendos enim illos non eſſe, qui non intellexiſſe Philonem Platonis ſcripta, nec accurate legiſſe, dicunt, viri eruditio, veteribus tantopere laudata, ſatis euincit. Ridiculeum vero eſt, quod ex Ioſepho contra Philonis Platoniſmum Ionſius vrget, vocare eum Ioſephum philoſophiae non imperitum, non vero Platonicum. Sufficiebat enim hiſtorico, contribulem ob Graecanicae philoſophiae peritiam laudare, praeſertim cum non tantum Platonicam calleret, ſed et reliquarum ſectarum placita non ignoraret. Iudaicam vero philoſophiam tantum

abeſt, vt Ioſephus intellexerit, vt potius patriam eruditionem ad gentilis philoſophiae modum exigat, ne ſuis laus philoſophiae Graecae denegari poſſet. Quod ſi concedamus Ionſio, facere Ioſephum ex Philone Eſſenum, eo quod de Therapeutis ſcripſit, ne ſic tamen Platoniſmus eius euerti poteſt, eo quod in eodem luto haeſiſſe Therapeutas, ſupra oſtenſum eſt. Ex his vero larga manu datis de eruditione quoque Philonis iudicium ferendum eſt, qui ſi tantam in ſcriptis ſuis iudicii accurationem et diſcernendi acumen attuliſſet, quantam ingenii elegantiſſimi cumulauit copiam, omne punctum tuliſſe cenſendus eſſet. Verum deſtitutum fuiſſe iudicandi acie, ſingulae paginae ſcriptorum eius loquuntur: quae tamen ad cognoſcendam philoſophiae Platonicae faciem in Aegypto non ſine fructu legi poſſunt, et meliorem editionem [q] merentur. Quae tantopere admiratos fuiſſe Romanos EVSEBIVS [r], neſcio quam fidem meritus, ſcribit, vt digna exiſtimarent, quae in bibliotheca publica, tanquam monumenta publica, reponerent. Diſplicuiſſe tamen ineptam allegoriarum ſtudium viris iudicio pollentibus, non Chriſtianorum tantum ſobrie iudicantium querelae [s] teſtantur, quae ad eum peſtis huius in eccleſiam per Origenem introductae origines referunt, ſed et Celſi et Porphyrii, gentilium philoſophorum, reprehenſiones docent. Fecitque ſtulta haec explicandi ratio, vt ſaepe numero obſcurus euaſerit, nec a veriſimili diſcedunt, qui eum non omnia ſatis intellexiſſe, quae ſcripſit, iudicant. Fuere Philones inter veteres plurimi, a noſtro gente et fidei profeſſione facile diſtinguendi: eos enarrauere IONSIVS [t] et FABRICIVS [u].

q) Hiſtoriam editionum Philonis enarrat FABRICIVS l. c. nouam diu iam expectamus a Reuerendiſſimo ERICO BENZELIO.

r) Hiſt. eccl. L. II. c. 18.

s) PHOTIVS l. c.

t) l. c. p. 228. ſeqq.

u) l. c. p. 118. ſeqq.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM

DE PHILOSOPHIA IVDAICA AB EXCIDIO VRBIS HIEROSOLYMITANAE AD RECENTIORA VSQVE TEMPORA.

§. I.

Conditio philosophiae Iudaicae post templi euersionem.

Euersa diuinorum iudiciorum maturitate vrbe Hierosolyma disiectaque republica Iudaeorum, eruditionis gentis huius facies misere quoque conspurcata et deturpata est. Singulari enim irae diuinae, maledictionem nationi rebelli et ingratae immittentis fato euenit, vt omnia fere rationis lumina, quae hactenus luxerant, extinguerentur, vixque vmbra remaneret eius, quod ad philosophiam referri posset. Totam enim eruditionis Iudaicae, post vrbis templique deuastationem, faciem vno quasi obtutu considerantibus non occurrit aliud, vsque ad medium aeuum, nisi ex vna parte immoderatum plane et insanum traditionum πατροπαραδότων studium, ex altera Cabbalistica illa philosophia ex syncretismo Aegyptiaco enata, et pro patriis et domesticis mysteriis vendita, quae in artis quandam et systematis formam tandem emersit, et Iudaicis dogmatibus gentilia multa, Orientalia, Aegyptiaca, Pythagorica Platonica addidit. Tandem ex Oriente in Occidentem delato Iudaeorum populo, cum circa illa tempora solus Aristoteles inter Saracenos et Christianos caput extollere, et in scholis regnare coepisset, incepit Peripatetica quoque philosophia se Iudaeis commendare, ex quo tempore non defuerunt inter eos, qui philosophiam Graecam, praecipue Aristotelis, colerent. Ex his vero intelligit lector, fieri non posse, vt Iudaeorum in philosophiae historia ratio habeatur, nisi omnem simul historiam eruditionis Iudaicae, quantum quidem ad hoc nostrum institutum pertinet, curioso simul oculo perlustrauerimus, vt, quae ratio fuerit studii Talmudici, quae Cabbalistici, quid in eo rationi, quid auctoritatis praeiudicio datum sit, intelligamus, et quem rationis vsum natio haec fecerit, quaeque aliena domesticis immiscuerit, discamus. Ita enim tum demum veram intellectus humani, sapientiaeque et stultitiae in hac gente habebimus historiam.

Restitutio eruditionis post euersam Hierosolymam.

§. II. Euersa vrbe et republica Iudaeorum, templo igne deleto, et a Vespasiani atque Titi exercitibus vastata Iudaea, innumeraque huius populi multitudine caede, fame, cruciatibus enecata, multis vero myriadibus in durissimam captiuitatem abductis, totam quoque eruditionis Iudaicae compaginem disiectam quasi, solutisque, quibus cohaerebat, vinculis dispersam et in ventos datam fuisse, et historia infelicissimae nationis docet,

Digitized by Google

cet, et intelligi ab iis poteſt, qui ruinas illuſtres curioſo contemplari ſolent oculo. Illud indubitata de hac gente monumenta loquuntur, ad exiguum tantum ſpicilegium rediiſſe totam eruditorum Iudaeorum cateruam, paucosque ex hac calamitate diſperſos ſe collegiſſe, qui veterem theologiam, eruditionem et ſapientiam ad poſteros propagauerint. Quae reliquiae veterum doctorum Iudaicorum, qui et ſtantis et euerſi templi fuere αὐτόπται, hic vel ideo memorandae ſunt, quod ab iis omnis eruditio Iudaica et ſapientia patrum ad poſteros poſt dirutam vrbem et euerſam rempublicam propagata, ſcholaque, quae laetiſſimis incrementis antea floruerat, paucis et tenuibus vſa progreſſibus vtcunque ſuſtentata et imminenti ruinae ſubtracta eſt. Cum autem miſerabilis totius gentis in terra ſua eſſet facies, et vix vmbra priſtinae felicitatis eſſet relicta, cunctis caede, igne, rapinis perditis et vaſtatis, plerisque vel miſerabili morte pereuntibus, vel in captiuitatem morte grauiorem abductis, euaſere paucae reliquiae, et ex parte in Aegyptum, in qua ab Alexandri M. aetate coloniam Iudaicam habitauiſſe, et inſignibus incrementis vſam fuiſſe ſupra diximus, ex parte in Babyloniam ſeceſſerunt, vbi multi quoque Iudaei degerunt, ex poſteris eorum, qui in bellis Aſſyriorum cum Iudaeis illuc deportati ſunt, et reduce populo redire cum reliquis noluerunt. Vtroque in loco humaniter ſatis et benigne exceptos fuiſſe profugos, IOSEPHVS [a] teſtatur. Quidam tamen ex infelici populo in vaſtata Palaeſtina remanſerunt, eumque fumantis ex deſolatione Hieroſolymae conſpectum non ſine horrore refugerent, Iafnae, quae Graecis ſcriptoribus plerumque Iamnia vel Iamnea dicitur, diſperſas collegerunt ex tanto naufragio tabulas, erexerunt ſcholam, reſtituerunt cultum diuinum, ſedemque parauerunt eruditioni domeſticae [b]. Ex quibus ruinis primus collapſam diſciplinam et doctrinam reuocauit R. Iochanan, perfecit conſilium, et ad aliquam maturitatem, quantum infelicitas temporum permittebat, perduxit R. Gamaliel ſecundus, ab hac ſchola locoque Iafnenſis dictus. Id

a) De B. I. L. VI. conf. BASNAGIVS Hiſt. Iudaic. L. III. c. 1. §. 1. ſeqq. p. 8. ſeqq. quique alii hiſtoriam Iudaicam enarrarunt.

b) Iafne, ſiue Iabne, יבנה, quae vrbs fuit Philiſtaeorum, illis a rege Vzia erepta II Chron. XXVI. 6. Ἰάμνεια Graecis dicitur, Iamnes Plinio. Sita erat in locis campeſtribus non longe a Ioppe, vt ex IOSEPHO Antiqq. Iud. L. XIV. c. 8. de B. I. L. I. c. 5. diſcitur: inter maritimas recenſetur, quia in tractu maritimo ſita fuit, non tamen ad ipſum littus maris. Conf. HADR. RELAND. Palaeſt. L. III. p. 823. ſeqq. LIGHTFOOT. Cent. Chorograph. Matthaeo praemiſſa c. 15. opp. T. II. p. 181. Iuchaſin p. 21. ſi ſequimur, ante exciſum templum, iam ibi Synedrio praefuit Gamaliel ſenior, Pauli praeceptor, et ibi famoſiſſima oratio contra haereticos congeſta eſt a Samuele paruo, qui paucis ante vrbis excidium annis obiit. Vrbe diruta, vt Synedrii ruinas colligeret in hac vrbe, maxime R. Iochanan Ben Saccai Hakkadoſch elaborauit, de quo infra dicemus. Quem primum ſcholae Iafnenſis rectorem conſtituunt ex Iudaeis R. D. GANZ in Zemach Dauid p. 39. ex Chriſtianis BVXTORFIVS in Tiberiade c. 5. p. m. 20. et LIGHTFOOTVS l. c. et in opp. poſthumis p. 87. vbi hiſtoriam ſcholae huius chronologice diſtribuit. Qui et hoc ex Iudaeorum ſcriptis obſeruat, adeo claruiſſe hunc locum prae omnibus Academiae ſedibus, excepta ſolum nouiſſima Tiberiade, vt in prouerbium abierit vinea Iafnenſium. Dubitant tamen viri docti, vtrum hunc in locum Synedrium traductum vel in eo continuatum ſit, vt Iudaei tradunt, vt ſucceſſionem ſuam doctrinalem ſtatuminent, qua de re videndus BASNAGIVS Hiſtor. Iud. L. VI. c. 5. §. 8. p. 94. Addendi ſunt, qui hiſtoriam ſcholarum Iudaicarum ſcripſere, enumerati a I. C. WOLFIO Bibl. Hebr. P. II. p. 924. ſeqq.

Digitized by Google

Id cum laetiores, quam initio sperari poterat, succeſſus haberet, et, qui iſta tempeſtate vbique erant disiecti, emergere iterum et ad ſynagogam patriam colligere ſe inciperent, aucto diſcipulorum numero occaſionem dedit Tiberiade quoque ſcholam excitandi, quae celeberrima poſtea Muſarum ſedes inter Iudaeos fuit, et magnam potiſſimum famam exinde nacta eſt, quod praeter alios celebres gentis huius doctores R. Iehuda Hakkadoſch ibi docuit, et, quod Iudaei gloriantur, multas immunitates et priuilegia ab Antonino Pio illi vrbi ſcholaeque impetrauit, maxime vero Talmud Hieroſolymitanum ibi conſcriptum eſt, de qua famigeratiſſima eruditionis Iudaicae ſede videndi ſunt, qui geographiam Iudaicam expoſuere LIGHTFOOTVS [e] et RELANDVS [d], maxime vero, qui collegium Maſoretharum in ea viguiſſe contendit Io. BVXTORFIVS [e]. Hoc exemplum ſecutae ſunt, rebus pauliſper pacatis, Iudaeae vrbes aliae, fuit enim ſchola Bitterae vrbe Hieroſolymis proxima, in qua mirum quoque diſcipulorum, Muſarum operi inuigilantium, numerum fuiſſe Iudaei referunt [f]. Tum Lyddae ſiue Dioſpoli, cui R. Akibha, R. Tarphon aliique praefuerunt [g]. Caeſareae quoque eiusmodi ſcholam fuiſſe, doctores Caeſarienſes paſſim in Talmude laudati euincunt, de qua itidem LIGHTFOOTVS [h] videndus, qui et Magdalenſem ſcholam memorat. Nulla tamen poſt Tiberienſem nomen magis extulit, quam Zipporienſis ſiue Sephorienſis [i], in vrbe magna Galilaeae, quae Talmudicis ſcriptoribus vehementer laudatur [k]; in eam enim ſe Tiberiade contulit R. Iehuda ſanctus, rei literariae inter Iudaeos ſtator praecipuus. Alias minores in praeſentia, inſtituti noſtri memores, tacemus [l].

§. III. Refloreſcere ab eo tempore coepit ſapientia Iudaica, reliquis iſtis ex magna gentis clade viris doctis eo connitentibus, vt patriam diſciplinam priori nitori reſtituerent. Quem in finem cathedra docentium ſemel poſita et fundata non defuerunt ab eo tempore doctores Iudaeis, qui ſucceſſionem doctrinalem inde nobis non interruptam narrant [m]. Quae cum vno intuitu totius ſtatus literarii inter Iudaeos rationem et conditionem exhibeat, paucis hic, at ὡς ἐν παρέδῳ, tangenda eſt, vt quid inter Iudaeos quaerendum ſit, de hiſtoria erudita et philoſophica huius populi, curioſo facilius pateat. Solent autem Iudaeorum doctores in ſeptem omnino claſſes diſpeſci, praetermiſſis, quos a Moſe et prophetis deriuant, viris

Doctores Iudaei in claſſes diſtributi.

e) l. c. c. 81. p. 227.
d) l. c. p. 1037.
e) In Tiberiade f. commentario Maſorethico c. 5. p. 15. ſeqq.
f) LIGHTFOOT. l. c. c. 52. p. 214. RELAND. l. c. p. 409 679.
g) LIGHTFOOT. c. 16. p. 122. Chron. temp. p. 145. T. II. opp. RELAND. p. 877.
h) l. c. c. 57. p. 214.
i) c. 76 p. 226.
k) Ibid. c. 82. p. 229. ſeq.
l) Vid. IDEM c. 96. p. 237.
m) Videndi auctor Pirke abhoth, MOS. MAIMONID. in praef. Iad haſſakah aliique, plenius autem chronologi Iudaeorum R. AZR. B. DIOR in Cabbala, R. ZACHVTH in Iuchaſin, R. GEDALIA in Schalſcheleth Hakkabala. Nimis tamen fidendum Iudaeis non eſt, qui rationes temporum miſere turbant, vnde comparanda eſt cum illis Io. HENRICI OTTHONIS hiſtoria DD. Miſchnicorum cum HADRIANI RELANDI notis, qui viri docti errores Iudaeorum obelo critico confixerunt.

Digitized by Google

viris ſynagogae magnae, qui ad hunc locum non pertinent. Et prima quidem claſſis eos comprehendit [n], qui et ſtante et exciſo templo vixerunt, et eo magis hic memorandi ſunt, quod reliquias magnorum virorum ea claſſis continet, qui diſiectas eruditionis Iudaicae tabulas vndecunque collegerunt. Inter eos maxime claruere, R. Eliezer Ben Iacob, qui diu vixit, vitamque vsque ad A. C. CXXX produxit, octoginta annos natus. Cuius egregiam ſententiam exhibent *capitula patrum* [o]: *Mundus hic ſimilis eſt veſtibulo mundi futuri, praepara te ipſum in veſtibulo, vt poſſis ingredi in triclinium.* Hunc celebritate ſuperauit R. Eliezer, filius Hyrcani, affinis Simeoni ſeni et R. Gamalieli, diſcipulus R. Iochanan, ob nominis ſplendorem magnus dictus, quem tanti fecit R. Iohanan Ben Saccai, vt affirmaret, quod ſi omnes ſapientes Iſraëlis eſſent in lance ſtaterae, et Elieſer filius Hyrcani in altera, poſterior hic reliquos omnes ſit depreſſurus. Quin miraculis quoque doctrinam ſuam confirmaſſe, et a bath kol ſuffragio comprobatum fuiſſe, Iudaei dicunt. Is hoc loco eo quidem nomine maxime notandus, quod Schammaeanae ſcholae addictus contra Hillelianos et traditionis, quod illi praebebant, patrocinium ſtrenue pugnauit, quamuis ne miraculis quidem partem aduerſam, vt manus daret, cogere potuerit. Quod textus ſiue literae legis ſtudium cauſſa eſt, cur Karei ad eum tanquam ſcripturariorum vindicem et ſtatorem prouocent, et R. Mardochai Karaeus [p] totam diſputationem huius Eliezeris cum R. Gamaliele ad confundendos Rabbanitas afferat [q]. Quin et alio nomine notandus hoc loco eſt, nempe ob capitula ei tributa, quae cum verſione et notis edidit Gvil. Henricvs Vorstivs [r]. Quamuis enim a recentioribus manibus ea eſſe collecta, ipſe R. Zachvth [s] aliique viri docti recte tueantur, probabile tamen eſt, antiquas huius temporis, quo Eliezerus viuebat, allegorias, ad poſteros traductas materiam fuiſſe, ex qua libellus congeſtus eſt; qui cum maxima parte fabularis ſit, exemplum eſſe poteſt methodi allegoricae, quae inter Iudaeos viguit [t]. Porro ad hanc claſſem R. Iochanan Ben Saccai pertinet, quem primum Iafnenſis ſcholae rectorem fuiſſe ſupra diximus, quemque reſtituiſſe ſynedrium magnum accepta a Tito imperatore poteſtate Iudaei tradunt [u]. Is CXX annis vixiſſe, et audiuiſſe Hillelem et Schammai Iudaeis dicitur, valdeque gratioſus apud Titum fuit. Specimina autem philoſophiae moralis, quam diſcipulis tradidit, *capitula patrum* [x] multa enarrant, digna quae conſiderentur, vt, quo loco philoſophia moralis eo tempore inter Iudaeos fuerit, pateat. Eius diſcipulus fuit R. Iechoſchua Ben Chanania, quem apud Traiani filiam gratia fuiſſe vſum, Iudaei tradunt, et licentiam reaedificandi templi accepiſſe iactant. Hic adeo intentus

n) Vid. R. Dav. Gans Zemach Dauid P. I. pag. 425.
o) c. IV. §. 16. p. m. 50.
p) De Karaeis p. 100.
q) Conf. Trigland. de Karaeis p. 25.
r) Lugd. Batau. 1644. 4.
s) In Iuchaſin l. c.
t) Conf. Wolf. Bibl. Hebr. P. I. p. 173.
u) Cirati not. b.
x) c. II. §. 8.

Digitized by Google

tentus legis ſtudio fuiſſe dicitur, vt nec corpori nec veſtibus abluendis vacauerit, hinc dicterium filiae Traiani fuiſſe: *Sapientia pulchra in vaſe polluto;* cui reſpondiſſe dicitur: *Non aſſeruatur vinum in vaſculo aureo vel argenteo, ſed teſtaceo tantum* [a]. Quam tamen narratiunculam ex ingenio ſuo otioſo confinxiſſe Iudaeos, ſi alia non eſſent, ſola Iudaeorum, maxime Phariſaeorum partes ſequentium, induſtria in lauando ſatis euinceret. Fuiſſe tamen virum ſapientem, et ingenio philoſophico, ſaltem in morali doctrina non deſtitutum, ex dicto quod ei tribuunt *capitula patrum* [z], recte colligitur. Praeter hos et alii ſunt, qui ad hanc claſſem primam pertinent [a], quorum tamen notitiam dare huius loci non eſt. Merentur tamen, quae eis in *pirke abhoth* tribuuntur, dicta legi expendique, eo quod ex iis conſtare poteſt, nondum ab omni ſano rationis vſu tum tantopere defeciſſe Iudaeorum doctores, quemadmodum poſtea accidit, vbi infauſtum traditionum ſtudium lumina tantum non omnia inter eos extinxit. Secunda claſſis vel aetas doctorum Iudaicorum eorum continet nomina, qui deuaſtationem templi ſeculo proxime ſequenti ſecuti ſunt, inter quos fuit R. Tarphon vel Triphon ſacerdos, qui ob diuitias largiter inter pauperes diſtributas diues dicitur, et ſectae Schammaeanae adhaeſit: quem R. Akibhae alii praeceptorem, alii collegam dicunt. Qualis eius de moribus doctrina fuerit, ex his dictis [b] collige: *Dies breuis et ars longa, et operarii pigri, et merces ampla, et pater familias vrget ac inſtat. Non teneris opus perficere, neque ſic liber es, vt prorſus abſtineas ab eo: Si multam legem didiciſti, multa tibi merces dabitur, fidelis enim eſt dominus operis tui. Sed ſcito, retributionem iuſtorum eſſe demum in ſeculo iuſtorum.* Ceterum et hoc diſputatur inter eruditos, vtrum hic Tryphon idem ſit cum Iudaeo, contra quem S. IVSTINVS MARTYR diſputauit, cuius affirmatiua placuit magnis quibusdam viris [c], quos alii certatim ſecuti ſunt, eo quod non nomen tantum concordet, ſed et tempus: negatiuam olim ſibi minus probatam docte defendit HADRIANVS RELANDVS [d], nos in incerto argumento nihil ſtatui poſſe vel affirmari putamus. Sed et R. Akibha ad hanc claſſem pertinet, de quo tamen infra dicendi melior nobis locus dabitur, et R. Eliezer filius Chiſmae, ſub Traiano A. C. CXXV florens, quem in diſciplinis mathematicis, maxime vero in arithmeticis et aſtronomicis excelluiſſe Iudaei dicunt [e]. Certe ſummo amore has diſciplinas hunc Eleazarem complexum fuiſſe, ex *capitulis patrum* [f] conſtat, in quibus hoc ei dictum tribuitur: *Reuolutiones anni et geometricae ſuppputationes par-*

y) Iuchaſin p. 33. Zemach Dauid l. c. HOTTINGER. Hiſt. eccl. Sec. II. S. III. p. 74.
z) c. II. §. 11.
a) Videndi OTTHO, WOLFIVS, HOTTINGERVS ll. cc. vel ſi fontes mauis, R. D. GANZ, R. GEDALIA, R. ZACHVTH ll. cc.
b) c. II. §. 15. 16.
c) Eos nominatos vide apud WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 837.
d) Pec. diſſertatione.
e) Conf. WOLF. l. c. P. I. p. 189.
f) c. III. §. 18.

partes sunt deliciarum ad sapientiam. Huic socium iungit in his scientiis HOTTINGERVS[g] R. Iochanan B. Godgoda, et ex *Iuchasin* obseruat, gloriatos fuisse de vtroque Iudaeos, quod numerum inire potuerint guttarum maris. Id quod tamen more Iudaeorum prouerbialiter tantum accipiendum est, summamque arithmetices notitiam et accurationem prodit. Tacendum tamen non est, referre hunc Iochananum Iudaeorum quosdam ad tempora templi secundi excidium antecedentia, vt obseruatum Cl. WOLFIO[h]: quamuis in temporum rationibus minime sequendos esse infidos hos duces constet[i]. Tertia classis siue aetas doctorum Iudaicorum Tanaitarum siue Deuterotarum est, quae a Simeone Iusto vsque ad Iehudam sanctum, compilatorem Mischnae extenditur. In hac classe nomen sibi ante alios fecit R. Schimeon Ben Gamliel, pater R. Iehudae sancti, cuius frequens in Mischna fit mentio. Hunc dixisse referunt *capitula patrum*[k]: *Tribus rebus conseruari mundum, veritate, iudicio et pace.* Circa eadem tempora floruit R. Meir, discipulus R. Akibhae, et praeceptor R. Iudae sancti. Hunc proselytum fuisse Iudaei tradunt, et ex posteris principis cuiusdam exercitus Romani ad euertendam Hierosolymam missi, qui vero ad Iudaeorum sacra discessserit. Hic quamuis sapientia ita effulgeret, vt lumen mundi diceretur, multis tamen inter Iudaeos se non probauit[l]. Maxime vero notari meretur propter vxorem suam Beruriam, filiam R. Chananiae, quae circa A. C. CXXI floruit, et rarissimo inter Iudaeos exemplo literis elegantissime tincta fuit. Patet enim ex locis Talmudicis, a viris doctis[m] passim adductis, cum aliis eruditionis Iudaicae alumnis praeceptorum lectiones eam audiuisse, et in Academia literis sacris inuigilasse. Iudicium autem in interpretatione legis doctrinaque morali probasse, ex illis locis colligi potest, quae adduxit WAGENSEILIVS. Ast arrogantiorem fuisse, et alios Iudaeorum doctores contemnentem, supercilio quoque haud vulgari hallucinantibus insultantem, passim scriptores Talmudici produnt: quemadmodum funestus quoque ipsi fuit exitus, eo quod ipsa sibi violentas manus intulit. Quam rem ita Iudaei narrant: *Dixisse R. Meir ad vxorem: certus sum me effecturum atque experturum, vt confitearis, vera esse, quae de mulieribus statuerunt sapientes. Iussisse nimirum et subornauisse aliquem ex discipulis suis, vt tentaret Beruriae castimoniam, eamque in stuprum illiceret; hunc et instando continuis illecebris per multos dies tandem, vt consentiret in adulterium, obtinuisse, eique hoc persuasisse. Postquam vero ipse maritus in locum discipuli subiisset, et cum ea congressus esset, re patefacta suspendio eam vitam finiuisse, R. Meir autem ignominiam metuentem publicam in Babyloniam excessisse.* Plura de

g) l. c. p. 76.
h) l. c. P. II. p. 844. ex tract. eruuim c. 6.
i) Vide quae prudenter monet OTTHO l. c. praef. p. 7.
k) c. I. §. 18.
l) ZELTNER. diss laudanda; WOLF. l. c. P. II. p. 850. dictum eius legitur in Pirke ablioth c. IV. §. 10.
m) ZELTNER. l. c. WOLF. l. c. P. I. p. 871.

Digitized by Google

de hac femina erudita dabit B. ZELTNERVS [n], qui singulari tractatione luculenta et doctissima non huius tantum feminae, sed mariti quoque parentisque eius, et totius seculi secundi historiam Iudaeorum literariam illustrauit, dignus qui omnino ab his, qui plura cupiunt, legatur. Tandem et inter Tannaitas omnium maxime R. Iehudas Hakkadosch eminuit, de quo infra pluribus disseremus. Quarta aetas siue classis doctorum Iudaicorum Amoraeorum est, id est, magistrorum sententiarum, vel vt Scaliger vult, gnomologorum, alii sophistas vocem interpretantur, disceptatores alii [o]; qui fuerunt doctores illi, qui in explicatione Mischnaioth siue δευτερώσεων occupabantur [p]. Horum septem ordines constituunt Iudaei, alibi enarrandos, qui durauerunt per CCL annos, vsque ad Gemaram, ex horum commentationibus congestam. Inter eos R. Ada Bar Ahafa, astronomiae laude inclytus, cuius cyclos valde Iudaei commendant [q], itemque Seculo IV, R. Hillel Hannasi, supra nobis iam memoratus, vbi temporum rationes eum emendasse diximus, nobis heic loci notandi sunt. Quinta classis Seburaeos comprehendit, ita vocatos, quod per modum סבורים opinionum probabilium et disputabilium de sensu Mischnaioth disquirerent, vnde Opinistae quibusdam, ALTINGIO [r] non incommode sceptici Iudaeorum dicti sunt, eo quod de sensu Mischnaioth ambiguo argumentorum pondere disputarent. Eorum agmen duxit Raf Iose, rector Academiae Soranae. Durauit tamen horum aetas per LX tantum annos, propter bellorum Persicorum calamitates, ob quas per quinquaginta annos scholae Iudaeorum in Babylonia cessarunt: redierunt tamen illi quoque cum literis Iudaicis, et noua luce patrum traditiones collustrarunt, quae ratio est, cur eorum aetatem R. ABRAHAM BEN DIOR per CLXXXVII annos ad A. C. DCLXXXIX, extendat [s]. Seburaeos excipit sexta classis doctorum Iudaicorum, qui Geonim, id est, excellentes dicuntur, propterea, quod in doctrina patria et domestica, studioque traditionum prae aliis excelluerint [t]: quorum successio ad A. C. MXXXVIII porrigitur, quo tempore dispersis ex Oriente Iudaeis et in omnem terram, maxime Africam et Hispaniam dilabentibus desierunt scholae Babylonicae. Ab isto vero tempore, qui inter Iudaeos doctorum dignitatem tuiti sunt, et septimam classem constituunt, Rabbanitae, id est magistri dicti sunt [u]. Quo tempore coepit haec natio ad Saracenos et Christianos delata, eorumque exemplo illecta, Aristotelicae philosophiae operam dare. De quibus cum in sequentibus strictim dicendum sit, plura heic non addimus. Fuisse autem inter hos Iudaeorum doctores viros doctos et iudicii acumine non destitutos, negandum non est,

n) Diss. de Beruria Iudaeorum doctissima femina Altdorf. 1714.

o) Vid. WOLF. l. c. P. II. c. 4. p. 915. HOTTINGER. l. c. S. III. p. 273.

p) Schalscheleth Hakkabala p. 34.

q) WOLF. l. c. P. I. p. 109. HOTTINGER. p. 131.

r) Histor. acad. Iudaic.

s) Ex his emendandus BASNAGE Hist. des Juifs L. III. c. 8. §. 2. p. 236.

t) MAIMONID. praef. ad hasscaka.

u) R. ABR. BEN DIOR Cabb. hist. p. 44. WOLF. P. II. c. 4. p. 917.

Digitized by Google

at quod natura illis non denegauerat, insanum traditionis studium eripuit, omnemque fere rationis vsum, velut lolia triticum, suppressit. Quod vbi altius sapere quidam inciperent, fermentum Cabbalisticum, et metaphysica insana ingenia excitatiora corrupit: vnde quid ex hac doctorum Iudaicorum serie, summatim tantum enarrata, historiae philosophicae promittendum sit, liquet.

Scholae Babylonicae Iudaeorum.

§. IV. Non tamen produxit hos omnes doctores sola Palaestinae regio, sed migrauit eruditionis sedes post R. Iudae sancti mortem, cum in veteri terra se tutos satis Iudaei non crederent [x], in orientem, eumque in locum, in quem ira diuina maiores abduxerat captiuos, nempe in Babyloniam, vbi remansisse ex *μετοικεσία* multos Iudaeos supra diximus. Causas huius consilii enarrare, loci huius non est; id modo monemus, duos praecipuos Iudae Sancti discipulos Raf et Samuel Babylonem commigrasse, eoque magnum discipulorum numerum attraxisse. Hac itaque occasione scholae Iudaeorum Babylonicae celeberrimae enatae sunt. Et primam quidem in hac regione scholam, Sorae, vrbe ad Euphratem sita excitatam fuisse, Iudaeorum testimoniis conficitur [y], quam demum secuta est Nahardeensis, quam iam ante captiuitatem Babylonicam floruisse, non nemo ex Iudaeis [z] falso sibi persuasit [a]. Soranae vero scholae primus praefuit Raf Hunna, quem secutus est Raf Chasdam, post cuius mortem R. Bar Nachmani Pumbeditham oppidum tractus Nahardeensis secessit, ibique academiam erexit Pumbedithanam, quam suo adhuc tempore se inuenisse ait R. BENIAMIN TVDELENSIS [b]. Sed et aliae paulo post scholae ibi erectae sunt, Nareschi, Machusae, et Peruz Schibbur, de quibus tamen, cum res ad nostros quidem limites non pertineat, sed in historia literaria gentis Iudaicae enarrari susius debeat, nihil amplius dicemus; cum allata sufficiant ad intelligenda ea, quorum in sequentibus exponemus historiam.

R. Iehuda Sanctus.

§. V. Inter omnes vero Iudaeorum doctores nullus vel sapientiae domesticae commendatione, vel literarum studio, vel vitae integritate, vel eruditionis in sua gente promotae industria maiorem laudem meruit, quam R. Iehuda Hakkadosch, id est sanctus dictus: quem ob doctrinae quoque excellentiam summamque inter doctores omnes auctoritatem *κατ' ἐξοχήν* Ribbi, id est magistrum, et a dignitate Nasi, id est, principem Iudaei appellant [c]. Ex quo enim Synedrium Hierosolymitanum, penes cuius praesidem populi principatus ante vrbis excidium fuit, ea euersa desiisset, rectores praesidesque scholarum in Iudaea excitatarum, gentis suae

x) Praeter BASNAGIVM iste l. c. horum fata enarrantem in compendio videri potest HOTTINGERVS H. E. Sec. II. c. III. p. 65. 169.

y) Iuchasin p. 120.

z) R. MOSE MIKKOZI praefat. libr. praecept.

a) Non itaque prima academia Iudaeorum in his terris fuit Nahardeensis, vt visum BVXTORFIO in Tiber. c. VI. p. 84. et BASNAGIO Hist. des Juifs L. III. c. 4. p. 107. conf. ZELTNER. diss. de virgine Iudaea per transennam docente §. 5. p. 6.

b) Itiner p 81. conf. tamen CELLARII Geograph. antiq. L. III. c. 15. 16.

c) Videndi post Iudaeos supra nominatos BARTOLOCCIVS Bibl. Rabb. T. III. pag. 79. Io. HENR. OTTHO hist. DD. Mischn. p. 159. WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 839.

Digitized by Google

ſuae regendae, quantum captiuitatis conditio permittebat, poteſtatem aliquam ſibi vindicarunt, indeque principes populi dicti ſunt [d]. Horum primus fuit R. Gamaliel ſecundus filius R. Schimeonis, qui in obſidione vrbis periit, qui nomen Hannaſi, id eſt principis, teſte R. DAVID GANZ [e], inde retulit, cum eo tamen de hac dignitate contendit R. Iehoſchua Ben Chanania, diſcipulus R. Iochananis Ben Saccai [f]. Gamalielem ſecutus eſt in principatus dignitate R. Schimeon III, eius filius, qui collegam habuit R. Meir, et poſt hunc R. Iehuda ſanctus populo captiuo praefuit. Ortum ferunt ex tribu Beniamin et poſteris Hillelis, vt ſupra ex ſucceſſione familiae Hillelianae demonſtratum: patriam habuit Sephorida, quae recentiori aetate Diocaeſarea dicta eſt, primariam et munitiſſimam Galilaeae vrbem [g]. Iudaeorum calculos ſi ſequimur, natus eſt eodem die, quo Akibha interfectus eſt, quod factum eſſe dicunt [h] anno quinquageſimo ſecundo ab excidio templi, i. e. A. M. MMMDCCCLXXX, A C. CXX, quas tamen temporum notationes difficultatibus laborare, vidit monuitque BASNAGIVS [i]. Id quod mirum eſſe non debet, eo quod nulla in re imparatiores, et leuiores ſint Iudaei, quam in rationibus chronologicis. Tanta vero huius doctoris inter Iudaeos fuit exiſtimatio, vt ſummo loco poneretur [k], et ob vitae integritatem atque puritatem ſanctus diceretur ſenſu eminentiori: quam tantam fuiſſe Iudaei nugantur, vt prae verecundia et caſtitatis ſtudio nunquam manum ſuam infra cingulum aut inferius ad pudenda demiſerit. Sic et ſummam eius humilitatem, maxime autem infinitam eruditionem ſummis laudibus Iudaei extollunt, eoque amentiae delabuntur, vt cum Meſſia eum comparent. Ita enim in Sanhedrin [l]: *Dixit Raſ: Si ex viuis eſt Meſſias, eſt inſtar Rabbenu Hakkadoſch; ſi ex mortuis, eſt inſtar Danielis, viri deſideriorum.* Tantopere autem doctoris huius eruditionem valuiſſe iactant, vt gratia apud Antoninum Pium, Marcum Antoninum et Commodum imperatores floruiſſe ſumma dicant, et more ſuo fabulam mendaciis ornant [m]: inter quae non poſtrema eſt, factum eſſe Iehudae ſtudio Antoninum proſelytum, et eius iuſſu compoſitam fuiſſe Miſchnaioth collectionem; vt alia non minus inſulſa et ingenium Iudaeorum philoſophiae minime aptum prodentia hic omittamus [n]. De anno obitus eius nihil certi conſtat, illud vero dubio caret, Sephoride in patria obiiſſe [o], et cum eo gloriam

d) Qualis ea dignitas fuerit, exponit BASNAGIVS L. III. c. 2. p. 32. ſeqq. quem vide.

e) Zemach Dauid p. 97. ſeq.

f) Conf. BASNAGE l. c. L. III. c. 3. §. 2. p. 64.

g) Patria quoque dicitur S. Annae matris ſanctiſſimae Virginis. Memorabilia quaedam de ea habet BASNAGE l. c. §. 6. p. 68. 69.

h) Iuchaſin p. 32. 35.

i) loc. cit. §. 5. Euerſio enim vrbis Beturae ſiue Bitter incidit in A. C. 135. eo vero Akibha confugit, captusque inter Pſeudo-Meſſiae Bar Cochab aſſeclas, interfectus eſt.

k) Loca Iudaeorum, maxime Maimonidis, afferunt HVDSONVS intr. in phil. Hebr. p. 119. et WOLF. l. c.

l) p. 98. conf. WOLF. l. c.

m) Enarrat eas BASNAGIVS L. VIII. c. 1. p. 3. ex Zemach Dauid et Schalſcheleth Hakkabala.

n) Pertinet huc diſputatio Antonini cum Iuda de vnione animae cum corpore eiusque momento, quam fabulam exponit IDEM, p. 7.

o) Schalſcheleth p. 33. b.

Digitized by Google

ſcholarum Iudaicarum in Palaeſtina fuiſſe extinctam. Locum vero meretur inter ethicos Iudaeorum doctores propter dicta moralia multa, quae inter ſententias Ben Siraę hodie adhuc leguntur [p]. Maxime vero ob collectionem Miſchnicam immortale nomen conſecutus eſt, cuius hiſtoriam paucis et in compendio trademus.

Talmudis origines.

§. VI. Talmudis, (quo nomine ſylloge traditionum Iudaicarum venire ſolet) origines altius repetendae ſunt, vt, quo loco habenda ſit iuris naturalis et diuini in hac gente compilatio, eo clarius conſtet. Mature vero traditionis amorem in populo Iudaico ſe manifeſtauiſſe, et ea ſatis loquuntur, quae ſupra de occaſione ſectarum Iudaicarum fuſe diſſeruimus, et ipſe ZACHARIAS [q] vates haud obſcure, ſi modo recte ad eius ſymbola prophetica attendimus, prodidit. Exponit enim viſum ſibi volumen quoddam volans, et modium potiſſimum a foeminis duabus in terram Sinear per aërem patentem aſportatum, mulierem item Ephae inſidentem, maſſamque plumbi eius orificio iniectam. Quae viſio prophetica innumeris quidem interpretum coniecturis vexata crucem plerisque ob ſymboli obſcuritatem fixit, ſic vt parum ab iis expectes, quod vel textui vel euentui reſpondeat: recte tamen, niſi nos omnia fallunt, viderunt viri doctiſſimi et in ſacris literis interpretandis, antiquitatibusque Iudaicis in eum finem adhibendis feliciſſime verſati G. E. EDZARDVS [r] et G. GVST. ZELTNERVS [s], reſpexiſſe prophetam ad traditiones ita inter Iudaeos inualeſcentes, vt poſt diſſeminatam in Palaeſtina impiam doctrinam tandem in Babyloniam abductus ibique fixus quaſi per collectionem Gemaricam libellus ille traditionum volans in aëre ſedem ſuam inueniſſe dicatur. Maxime vero eleganti coniectura oſtendit Zeltnerus, Helenam Adiabenorum reginam gentis Iudaicae amplificatricem et *ἐυεργέτιδα* vna cum filiis Monobazo atque Izata, non minoribus in gentem hanc meritis conſpicuis, illarum mulierum ſymbolo praedici; eam enim cum Iudaeis familiariter et munificentiſſime ſe geſſiſſe, non talmudici ſcriptores modo tradunt, ſed IOSEPHVS [t] quoque refert additque, mulierem hanc cum filiis, religionem Phariſaico traditionum fermento infectam omni modo iam tum promouiſſe, ſicque traditionum incrementa vehementer auxiſſe, frumento quoque (per modium adumbrato) Iudaeam fame preſſam leuaſſe. Haec enim ſatis innuunt, vt reliqua omittamus, apud ipſum virum eruditiſſimum legenda, ſenſiſſe iam ſuo tempore vatem diuinum latens venenum, eiusque per Palaeſtinam prius, mox per alias regiones diffuſi propagationem praeuidiſſe, et fixum tandem collectionis terminum atque locum definiuiſſe. Sed vt coniecturas mittamus, ad ſolas ſcripturariorum con-

p) Conf. WOLF. l. c. p. 841.
q) c. V. ſeqq.
r) In praef. verſ. et annot. ad c. I. tr. talm. Berachoth.
s) In commentatione de erudita virgine Iudaea per tranſennam docente §. 1. ſeqq.
t) Antiqq. Iudaic. L. XX. c. 2.

Digitized by Google

contra traditionarios contentiones et Sadducaeorum contra Phariſaeos pugnas, ſcholae item Schammaeanae contra Hillelianam impetus et lites recte prouocamus. Horum enim bellorum ſumma traditiones fuere, in quibus tamen traditionariorum partes plerumque viciſſe, enarrata ſupra ſectarum Iudaicarum hiſtoria teſtatur. Quae valde poſtea auctae ſunt, vbi eneruatis populi Iudaici viribus, exhauſtaque hominibus terra Iudaica poſt excidium templi vrbisque deuaſtationem plerique, qui traditionibus repugnauerant, vel interfecti eſſent vel diſperſi, disiectique, ſolique fere Phariſaeorum aſſeclae, traditionumque patroni, quae factio fuit copioſior ceteris, et plerosque ex plebe complexa, relicti eſſent. Sadducaeorum enim et Karaeorum ſectam ex illo tempore exigua fortuna triſtibusque fatis vſam fuiſſe, et tantum non intercidiſſe, ex ſupra narratis conſtat. Hinc vero cauſſa deriuanda eſt, cur in ſcholis et academiis Iudaeorum, quas in Palaeſtina eos excitauiſſe ſupra diximus, traditionum ſtudium vehementer inualuerit, et Schammaeanas partes ſequentes, qualis R. Tarphon fuit, emergere caputque attollere non potuerint. Ita vero non inſanus tantum traditionis amor, quem ciconiarum ſymbolo a vate ſacro adumbratum fuiſſe, acute monuit B. ZELTNERVS [w], vehementer in his ſcholis incrementa cepit, ſed et ipſe traditionum numerus inſanum in modum auctus eſt, doctoribus Iudaeorum in id ſtudium fere omne conferentibus, vt nouis rationibus patrum praecepta illuſtrarent, ritus augerent, auctoritatem veteribus adderent, et ita chaos illud traditionum ſuis ſupra legem ſcriptam commendarent. Quod facile fieri potuit, poſtquam ſemel credulae nationi perſuaſerant, traditionum iſtarum farraginem Moſen a Deo accepiſſe, noluiſſe vero ſcripto eas conſignare, ne contemtui in captiuitate euentura futurae eſſent [x]. Ita vero confirmata ineptarum quisquiliarum auctoritate, cum munus doctorum in eo potiſſimum verſaretur, vt tantos theſauros populo explicarent, et in ſacro ſynedrio ea iuxta illos definirent, quae diuini iuris eſſe credebat eccleſia Iudaica, tam confuſum autem immenſumque tot traditionum chaos memoria complecti vix ab homine expectari poſſet, et tamen ſua intereſſe plurimum crederet ſuperſtitioſa natio, vt ad poſteros tanta maiorum ſapientia propagaretur: coeperunt doctores rectoresque ſcholarum, vt memoriam iuuarent, in chartas potiora coniicere, et quae diſcipuli docendi erant, ſcripto conſignare: ea vero ſimul adiicere, quae noua addere iuſſiſſet eccleſia Iudaica. Qua de re maxime memorabilis eſt locus R. MOSE BEN MAIMON, qui

w) loc. cit.

x) Vid. loca adducta a Io. ANDR. EISENMENGERO in Iudaiſmo detecto P. I. p. 56. ſeqq. et WOLFIO Bibl. Hebr. P. II. p. 665. Non tamen omnes inter Iudaeos ita inſaniuerunt, vt omnes traditiones a patribus acceptas ad Moſen referrent, ſed diſtinguunt traditionum praecepta in certa genera, et quaedam a Mose in lege ſcripta eſſe, quaedam ab eo non ſcripto ſed ore tradita, quaedam a prophetis, ſcribis et Rabbinis de nouo certis quibusdam rationibus et variis temporibus accellitle, quaedam per tredecim argumentandi modos elici poſſe dicunt. Ex quibus locus etiam EPIPHANII haeref. XV. p. 33. de fontibus traditionum Iudaicarum intelligi poteſt. Conf. MAIMON. praef. ad Seder Saraim, Io. MORIN. exerc. bibl. L. I. c. 5. p. 21. ſeqq.

qui ita y: *A Moſe doctore noſtro, vsque ad Rabbi noſtrum Sanctum, nullus exarauerat ea, quae publice docebantur ex lege orali, ſed in vnaquaque generatione princeps conſiſtorii, aut propheta ſeculi illius ſibi ſcribebat commentarios traditionum, quas audiuerat a doctoribus ſuis, publice vero ore docebat; et ita vnusquisque ſibi viritim deſcribebat expoſitionem legis et rituum eius, quemadmodum audiuerat. Quod vero attinet ad ea, quae ſingulis aetatibus innouabantur in iudiciis, quaeque ex traditione non habebantur, ſed ex aliquo de tredecim modis; horum auctoritas erat penes conſiſtorium magnum. Ita totum hoc vsque ad Rabbi ſanctum perdurauit.* Quibus ſchedis priuatis cum innumerae confuſiones exorirentur, medelam afferre iam R. Hillel conatus eſt, et traditiones in ſex claſſes diſtribuit, vt ſupra dictum. At parum promouiſſe hominis huius induſtriam in tanta traditionum farragine, cum iuſta collectio deeſſet, facile intelligi poteſt: praecipue cum priuatam tantum fidem iſtae ſchedae haberent, et legis oralis auctoritas a ſolo doctorum ore penderet. His vero alia quoque accedebant. Latiſſime ſe extendebat, et maiora indies incrementa ſumebat Chriſtiana religio, quae inanes hominum ſpeculationes et intolerabilia iuga validiſſime proculcabat; decreſcebat indies Iudaeorum numerus, qui propter ſeditiones et impatientem iugi animum, ad rebelliones et motus varios procliues, vehementiſſime a terrarum dominis ſummisque imperantibus premebantur, disiiciebantur, et in diuerſiſſima atque diſſita loca expellebantur, quibus circumſtantiis facile fieri potuit, vt plane intercideret lex oralis. Morbo itaque huic medicinam afferre ſe poſſe ratus Iehuda Sanctus, ad inſtituendam aliquam ſchedarum paſſim diſperſarum, quibus legem oralem maiores conſignauerant, collectionem animum adiecit, et vt ea, quae memoria populi ſui ſeniores doctoresque tenebant, adiicerentur, ſicque integrum aliquod traditionum corpus exiſteret, allaborauit. De quo conſilio iterum MAIMONIDES hunc in modum diſſerit z: *Cur autem iſtud fecit magiſter noſter Sanctus, neque reliquit rem, qualis antea erat? Quia vidit diſcipulos imminui ſenſim, et anguſtias innouari ac imminere, regnumque impietatis a diffundi per mundum, et magis magisque inualeſcere, et populum Iſraëliticum proiici vsque ad fines terrae; confecit ſyntagma, quod eſſet in omnium manibus, vt diſcere poſſent illud citius, neque obliuioni traderetur. Et ſedit ille cunctis vitae ſuae diebus ipſe et ſynedrium eius et docuerunt Miſchnam plures.* Huic itaque operae per quadraginta annos Iehuda ſanctus inuigilauit, et quidem, ſi Iudaeorum concors in eo teſtimonium admittimus, ab anno excidii templi CXX, vel CL, quod reſpondet annis N. C. CXC, vel CCXX. Hos ſecuti ſunt in epocha Mi-

y) Praef. ad Iad Chaſſaka, conf. tr. Taanith c. II. f. 1. et quae ex Iudaeis afferunt Ios. VOISIN. in prouem. ad pug. fidei p. 25. WOLF. l. c. p. 671. add. R. D. GANZ Zemach Dauid ad A. 3975. ZELTNER. diſſ. de Beruria §. 27. p. 36. ſeq. WINDET. de vita functor. ſtatu Sect. VIII. p. m. 199. ſeq.

z) Praef ad Seder Saraim.

a) Ita Chriſtianam religionem vocat, confer. EISENMENGER. l. c. p. 756.

Digitized by Google

Miſchnae conſtituenda Chriſtiani plerique [b]. Recentiori tamen aetate de fide Iudaeorum in ea re dubitare, niſi fallimur, coepit primus, Io. MORINVS [c], qui id ſibi maxime perſuaſit et validis quoque rationibus euincere ſe poſſe credidit, Miſchnae collectionem tribus integris ſeculis eſſe iuniorem. Scrupulos ſibi iniectos hos eſſe dicit, non modo quod teſtis huius rei antiquiſſimus, annis octingentis ſit ſecundum ipſos auctore Miſchnaioth poſterior, nulloque alio teſte nitatur, quam Talmudico, ſed multo magis, quam Origenes, Epiphanius, et Hieronymus nullam nec libri, nec auctoris mentionem faciant: qui tamen eius notitiam habere debuiſſent, ſi extitiſſet ſuo tempore, eo quod Miſchnaioth collectio ſtatim ab omnibus Iudaeis in Palaeſtina fuerit recepta. Cumque in nouellis [d] δευτερώσεως lectio a Iuſtiniano prohibeatur, coniicit inde vir doctus, eo demum tempore circa medium Sec. VI hanc legis repetitionem vel collectionem potius fuiſſe compilatam. Eadem fere ſententia placuit ISAACO VOSSIO [e] ſtatuenti, Miſchnam ante Iuſtinianum ſermone Graeco ab Aquila compilatam et annotationum loco verſioni Graecae ab ipſo confectae fuiſſe additam, Iuſtiniani autem tempore demum Hebraice conuerſam fuiſſe. Quam quoque tibiam inflat PAVLVS PEZRONIVS [f], qui a R. Akibha Graece conſcriptam fuiſſe ſtatuit. Valde tamen ieiuna et fundamento deſtituta ſunt, quae viri docti contra conſtantem veterum et recentiorum ſententiam obiiciunt, nec valida, vt Iudaeorum hac in re teſtimonia conuellere queant. Nam ſilentium veterum non plane ſufficere, vt res aliqua extitiſſe negari queat, norunt, qui argumentum hoc negatiuum propius conſiderarunt, et tum demum vim ei ineſſe intellexerunt, vbi cauſſae probabiles vel etiam neceſſariae dari poſſunt, cur ſilentio rem aliquam praetermittere ſcriptores non debuiſſent, ſi reuera extitiſſet, quae in hac quidem quaeſtione a laudatis viris non afferuntur. Et Origeni quidem recentem compilationem non licuiſſe videre, facile ex temporum rationibus conſtare poteſt, cum vix triginta annis ante eius obitum iſtam collectionem iuris eccleſiaſtici Iudaeorum perfecerit R. Iehuda; quo tempore ſibi ſuisque cancellis ſeruauiſſe Miſchnam Iudaeos dubium non eſt, cum inuidia et diffidentia huius gentis erga Chriſtianos ſatis ſuperque nota ſit, praeſertim autem cum videatur vſus Miſchnaioth initio doctoribus tantum et antiſtitibus religionis peculiaris fuiſſe atque reſeruatus. Neque mirum eſt, Epiphanium a parentibus licet Iudaeis natum hanc collectionem

b) Vid. HOTTINGER. l. c. p. 72. WOLF. l. c. p. 674. ſeqq. et quos laudat.

c) Exerc. bibl. L. II. exerc. 6. c. 2. p. 294. ſeqq.

d) Nou. 146 confer. IVSTELLI et VOELLI Bibl. Iuris canon. T. II p. 1359. Graeca haec ſunt: *τὴν δὲ παῤ αὐτοῖς λεγομένην δευτέρωσιν ἀπαγορέυομεν παντελῶς, οἷς ταῖς μὲν ἑφαῖς οὐ συναλημμένην βίβλοις οὐδὲ ἄνωθεν παραδεδωμένην ἐκ τῶν προφητῶν, ἑρμήνευσιν δὲ οὖσαν ἀνδρῶν ἐκ μόνης λαλούντων τῆς γῆς, καὶ δεῖον ἐν αὐτοῖς ἐχόντων οὐδὲν ἐν.*

e) De orac. Sibyll. c. XVI. p. 285. cui occaſio inde ſubnata eſt haec ſuſpicandi, quod in ANASTASII SINAITAE ὁδηγῷ c. VI. p. 94. legerat, Aquilae verſionem vocari Hebraeis δευτέρωσιν, id eſt, ſecundum editionem.

f) Antiq. temp defenſ. c. II. p. 63.

nem ignoraſſe, quamuis poſt eius origines vixerit; quam profunda enim rerum Iudaicarum ignorantia laborauerit paſſim oſtendit, ſiue nunquam accurate eas intellexerit, ſiue poſtea eas neglexerit: aſt is tamen R. Iehudam et R. Akibham potiores traditionum auctores ex mente Iudaeorum commemorauit. Hieronymum vero huius collectionis Miſchnicae mentionem feciſſe, verba eius in epiſtola ad Algaſiam [g] ſatis probant, vbi haec habet: *Quantae traditiones Phariſaeorum ſint, quas hodie vocant δευτερώσεις, et quam aniles fabulae, euoluere nequeo; neque enim libri patitur magnitudo, et pleraque tam turpia ſunt, vt erubeſcam dicere.* Quibus verbis, vt rectiſſime TRIGLANDIO [h] obſeruatum, quicquid contendat Morinus, clariſſime, de magno deuteroſεων libro, id eſt Miſchnaioth, quod idem ſonat, ſermo eſt, quod volumen euolui potuit: id quod de epiſtola ſua, vt vult Morinus, dicere Hieronymus non potuit: nec de priuata aliqua eiusmodi compilatione intelligi debet, qualem tum vel extitiſſe, vel in manus Hieronymi perueniſſe demonſtrari non poteſt. Miſchnam autem peti in nouellis ab imperatore, omnino fatendum eſt, dudumque obſeruatum a viris doctis [i]; at eius lectionem in ſynagogis cum vetuerit imperator, recte inde infertur, iam ante eam aetatem diu eius vſum inualuiſſe, cum controuerſia diu iam agitata inter Iudaeos ventilaretur, vtrum licitum ſit in lingua vernacula ſcripturam legere. Quae vero Voſſius de auctore Miſchnaioth habet, omni ſpecie et colore deſtituuntur, et vel ex hac ſola nouellarum conſtitutione refutari poſſunt. Cauſſa etiam nulla verisimilis afferri poteſt, cur Iudaei aetatem Miſchnae tribus ſeculis antiquiorem fecerint; nam auctoritatis ei conciliandae cauſſa ſi id feciſſent, ad origines longe vetuſtiores eam ſine dubio retuliſſent. Nec negligenda eſt, virorum in ſcriptorum Talmudicorum lectione verſatiſſimorum obſeruatio, puritatem dictionis Hebraicae et Chaldaicae, vetuſtiora tempora, quam quae ſeculo poſt C. N. ſexto fuerunt, manifeſte prodere. Nulli igitur dubitamus in vnanimi doctorum Iudaicorum teſtimonio acquieſcere, illique eruditorum ſententiae accedere, quae Seculo II primam Talmudis [k] collectionem, ſiue Miſchnaioth originem habuiſſe ſtatuit. Comprehenduntur autem in his *δευτερώσεσιν*, iura, leges, conſtitutiones eccleſiaſticae, circa cultum diuinum, ritus eius et ceremonias, quaeque ius fasque eſſe cenſebat eccleſia Iudaica, cuius ius canonicum vel pandectas iuris eccleſiaſtici non inepte quis dixerit, ſunt tamen multa quoque in hac Miſchna, quae ad interpretationem Scripturae ſacrae, ad doctrinam eccleſiae Iudaicae, et ad morum diſciplinam pertinent, et ſex omnino claſſibus [l] omnem

g) Quaeſt. X. b) De Karaeis p. 123.
i) Vid. FABRIC. B.bl. Gr. Vol. II. p. 334. et quos not. k. laudauit.
k) Conf. GVIL. WOTTON. diſſ. miſcell. de traditionibus et ritibus ſcribarum ac Phariſaeorum tempore Saluatoris noſtri diſſ. I. Bibl. Angloiſe T. IV. P. II. p. 367. ſeqq. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. III. c. 6. §. 6. ſeqq. p. 155. ſeqq. WOLF. l. c. p. 674. ſeqq. Nihil, quod miramur, probabiliter definiri poſſe putat REIMMANNVS Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 14. §. 6. p. 269.
l) De Talmudis diuiſione videndus BVXTORFIVS in recenſione operis Talmudici, et in compendio BASNAGE l. c. p. 143. WOLF. l. c. c. 3. pag. 701.

Digitized by Google

omnem fere disciplinam Iudaicam absoluunt. Ex quibus intelligi potest, quo nomine eius mentio a nobis heic fieri debuerit. Quaecunque enim de naturali et diuino iure, et de morum quoque doctrina praeceperunt Iudaeorum magistri, quaecunque philosophiae scintillae in hac gente emicuerunt, illae in hac δευτερώσεων compilatione tanquam igniculi latentes ex cineribus erui debent, vt ex eis iudicium de placitis Iudaeorum philosophicis fieri queat. Huic enim syllogae maxima mox auctoritas succreuit, cum non ipsius tantum compilatoris nomen apud suos summo loco esset positum, maximaque Iudaeorum de eo esset opinio, sed et firmiter persuasi illi essent, comprehendere has Mischnaioth diuina illa statuta, quae ab ipso Deo accepisset Moses, isque senioribus populi orali traditione ad posteros propaganda commendauisset, quae obseruationibus suis viri θεόπνευστοι et rectores ecclesiae venerabiles auxissent, et illustrauissent. Quam tamen auctoritatem atque venerationem eas non mereri, facile quemque docebit earum inspectio. Sunt enim non obscurae modo et multis in locis sano sensu destitutae, sed et confusae maleque cohaerentes, cum auctor earum diuersissima placita, opiniones, atque praecepta sine iudicio corraserit, nec quae ecclesiae suae mens hoc vel illo tempore fuerit, definiuerit, manca etiam et inadaequata tractatio ista sit, cum multi iuris diuini et ecclesiastici casus obtingere queant, quae in hoc corpore iuris ecclesiastici Iudaeorum non definiuntur. Id vero occasionem dedit sequentium temporum Iudaeorum magistris, ea quae in hoc corpore iuris Iudaici dicta sunt, illustrandi commentariis, supplendi, augendique, sicque diffusiori pleniorique tractatione de iure Iudaico edisserendi [m], qui commentarii in vnum fascem collecti corpus alterum Talmudis genuerunt, quod Gemara dicitur, cuius iam historiam strictim enarrabimus, vt integra lectori series studiorum Iudaicorum circa ius naturale et diuinum patescat.

§. VII. Nempe illustratione atque explicatione opus habebat collectio Mischnica, vt instituta atque canones ecclesiae Iudaicae in luce clara ponerentur. Illi itaque manum admouere conati sunt discipuli R. Iehudae sancti, vel ipso adhuc viuente, vel paulo post mortem eius. Inter eos praecipue eminuit diligentia R. Chiiam et R. Oschaiam, quibus alii R. Eliesер Ben Iacob, et Mechilta Ben Ismael, alii Bar Kaphra, et R. Nehemiam adiiciunt [n]. Illi commentariis conscriptis obscuris addere lucem, breuius dicta amplificare, deficientia supplere, et ita Mischnico textui suis explicationibus integriorem quendam habitum conciliare aggressi sunt. Qui commentarii in hanc collectionem recepti, parem quidem cum Mischna auctoritatem apud Iudaeos obtinuerunt, sed nominibus ta- *Gemarae origo.*

m) Clarissimum hac de re locum R. Iacob Chagis affert WOLFIVS l. c. p. 696. seqq. Ad conciliandam vero perspicuitatem Mischnae puncta vocalia addita, itemque accentus.

n) Videndi historiae literariae Iudaicae scriptores R. Zachuth, R. Dauid Ganz aliique, et ex Christianis WOLFIVS l. c. p. 695. 1450. BASNAGE l. c. p. 139. aliique.

Digitized by Google

men et characterе diſtinguuntur. Vocantur enim תוספתא *additamenta*, eo quod textui R. Iehudae eſſent addita; item ברייתא ſiue בְּרַיְיתָא, id eſt *extrauagantes* vel *exotica*, eo quod extra primam collectionem eſſent comprehenſa, et extra Ieruſalem vel potius extra ſcholam Iehudae ſcripta, vt obſeruatum BVXTORFIO [e]. Ex quibus ſimul patet Thoſaphtha viuo adhuc Iehuda fuiſſe adiecta a diſcipulis, Baraiitha autem poſt eius demum mortem adiuncta, quae ſine dubio cauſſa eſt, cur hae explicationes Miſchnae ſaepe inter ſe diſſentiant, nec ſuffecerint ad tollendam incertitudinem iuris eccleſiaſtici Iudaeorum, quae ex huius compilationis obſcuritate et conciſa nimis breuitate aliisque ex cauſſis eius oriebatur. Hinc enati multi noui commentarii a doctoribus Iudaicis eo fine concepti, vt iura atque conſuetudines gentis ſuae accuratius definirent. Eos vero adhibito non exiguo labore collegit R. Iochanan Ben Eliezer [f], diſcipulus Ribbi, R. Iannai, R. Oſchaiae, R. Ezechia Ben Chiia aliorumque, quem praeſidem ſcholae in terra Iſraëlis conſtitutum fuiſſe A. M. MMMCMXC, R. Dauid Ganz aſſerit. Hinc collectionem hanc multi Iudaeorum ad A. C. CCLXX et ſequentes referunt, quidam recentiorem faciunt, et integro ſeculo iuniorem [g]. Ex Chriſtianis IO. LIGHTFOOTVS [h] in Sec. IV poſt C. N. reiicit, quod frequens in ea Diocletiani fiat mentio. MARSHAMO [i], ante ſeculum V non innotuiſſe hanc Gemaram viſum; Morino, Voſſio et Pezronio [k] ad Sec. VII vel VIII referenda videtur. Quam litem vt hic dirimamus, noſtrum non eſt, qui Gemarae hiſtoriam ὡς ἐν παρόδῳ tangimus, hoc vnum monentes, videri huic Gemarae poſtea quaedam, quae recentiorem aetatem ſapiunt, fuiſſe inſerta, ex quibus de primae eius originis aetate iudicari non licet. Solet hoc corpus commentariorum in Miſchnam vocari גמרא, quod vel perfectionem et conſummationem ſtilo biblico infert, vel diſciplinam et doctrinam ſtilo talmudico ſignificat, vnde quidam ſupplementa interpretantur, quidam commentationes indicari volunt [l]. Haec collectio cum in Palaeſtina agroque Hieroſolymitano inſtituta ſit, ſolet Gemara Hieroſolymitana vocari, quod nomen tamen alii [m] a dialecto Hieroſolymitana deriuare malunt, et, niſi fallimur, vtraque ratio recte coniungitur. In hoc Talmude Hieroſolymitano Miſchnaioth quaſi textus ſunt, explicationes et commentarii Gemaram conſtituunt, de cuius indole, argumento, auctoritate hic pluribus differere ob inſtituti rationem non licet [n]. Iuuaſſe Iochananem hoc labore traditionum ſtudium, dubium non eſt: at non adeo

e) In Lexico Talmudico v. ברית.

f) Natus eſt, ſi Iudaeorum calculos ſequimur, A. C. 181, et Palaeſtinae ſcholae octoginta annos praefuit, obiitque A. C. 279, habuit decem filios ante ſe defunctos. Conf. WOLF. loc. cit. p. 875.

g) Vid. quae affert ex Rabbinis WOLFIVS l. c. p. 683.

h) In chorograph. Matthaeo praemiſſa c. LXXXI. opp. T. II. p. 821.

i) In canone chronico p. 159.

k) Il. cc.

l) Vid. laud. WOLFIO l. c. p. 663.

m) HVMFR. PRIDEAVX Hiſt. Iud. V. T. T. II. P. II. p. 539. BASNAGE l. c. p. 141.

n) Videndi LIGHTFOOT. opp. poſthum. p. 30. ſeqq B. ZACHARIAS GRAPIVS in ideam Talmudis Hieroſolymitani Lipſ. 1695. in compendio WOLFIVS l. c. p. 892. ſeqq. et REIMMANNVS Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 14. §. 6. p. 269.

Digitized by Google

adeo placuit contribulibus ſuis, quam ſperauerat, aut quod non integra eſſet collectio iſta, aut quod Iudaeis Palaeſtinam inhabitantibus hunc honorem ceteri inuiderent, aut, quod nobis veriſimillimum videtur, quod eo tempore ſcholarum in Palaeſtina auctoritas valde decreſceret, et doctiſſimi gentis magiſtri in Babyloniam commigraſſent. Hi itaque vt opus tandem arduum perficerent, noua induſtria manus ei admouerunt, condiderunt-que Gemaram Babylonicam. Cuius praecipuus auctor fuit R. Aſche, ſcholae Soranae rector [a], auxiliatrices ei manus iungente R. Abhina [b], qui etiam Auina, Rabina, Raf Ina et Rebina, exigua pronunciationis differentia dici ſolet. At cum vniuerſam traditionum farraginem tot commentariis doctorum Iudaicorum comprehenſam colligere in animum induxiſſent, perficere ſoli illud opus non potuerunt, R. Ioſe autem praeſes ſcholae Pumbedithanae tandem feliciter abſoluit, vel, qui Iudaeorum dicendi mos eſt, obſignauit [b]. De tempore autem aeraque Gemarae Babylonicae non minus ambigua inter eruditos diſceptatio eſt. Iudaei plerique eius abſolutam perfectionem, et obſignationem in A. C. D, vel ſequentes etiam aliquot annos referunt, quos plerique Chriſtianorum ſequuntur [c]. Morinus autem cum Miſchnaioth et Gemarae Hieroſolymitanae iuniorem epocham conſtituiſſet, quae ante Talmud Babylonicum confectae ſunt, neceſſario recentiorem quoque huius aetatem ponere cogebatur. Hinc ducentis annis aeram Gemarae Babylonicae recentiorem eſſe ea, quae ipſi vulgo adſignatur, ſtatuit. Cuius ſententiae rationem hanc potiſſimum affert: *Omnes traditiones Iudaeorum referre, calamitates Iudaeis inflictas propter bellum Iſmaëlitarum cum Perſis, quibus tandem imperium Perſicum funditus deletum eſt, cauſſam fuiſſe tam longae ceſſationis a ſtudio Talmudico et dilationis annorum LXXIII, a morte R. Aſe vsque ad Talmudis obſignationem. At primum et indubitatum initium maximi iſtius belli Iſmaëlitarum cum Perſis contigiſſe iuxta certiſſimas Arabum et Chriſtianorum hiſtorias anno Hegirae XIII, qui concurrit cum A. C. DCXXXIV. Itaque mortem R. Aſe vel in illum annum incidere, vel circiter anterius poſteriusue. Additis igitur LXXIII annis ad DCXXXIV, colligi annum abſoluti Talmudis DCCVII.* Non deſtitui ſpecie hoc Morini argumentum omnino fatendum eſt, ipſi enim Iudaei fatentur, poſt R. Aſe mortem ſub Isdegerde perſecutionem contigiſſe, cum is decreuiſſet, vt Sabbathum aboleretur. Opponunt tamen his Morini rationibus viri docti [d]: Duos praecipue Isdegerdes in hiſtoria Iudaica celebrari, alterum eorum, qui A. C. CD imperio praefuit, vt ex PROCOPIO [e] patet, alterum qui Seculo poſt C. N. VII fere medio et vitae ſuae, et imperii Perſici a Muhammedanis occupati finem vidit. Poſteriorem hic intelligi vult Morinus; at non ſpecialis

a) Videndus de eo Schalſch. Hakkab. f 35. p. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 138.
b) Iuchaſin p. 75.
b) Schalſcheleth l. c.
c) BUXTORF. recenſ. operis Talmud. p. 230. BASNAGE l. c. L. III. c. 6. §. 5. p. 149. HOTTINGER. H. E. P. I. c. 5. f. 3. p. 265. WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 686. ſeqq. et quos hic allegat.
d) Iuchaſin p. 117. b.
e) De bello Perſico L. I. c. 2.

Digitized by Google

cialis huius perſecutionis mentionem faciunt Gedalias et Ganzius, ſed generaliter tantum loquuntur, et aliquoties Iudaeos a Perſis vexatos eſſe teſtantur: id quod ſub priore Isdegerde fieri potuit, vt ſub poſteriore, praeſertim cum illum in Chriſtianos ſaeuiiſſe teſtetur SOCRATES [f], quibuscum paria ſaepenumero fata Iudaeos habuiſſe hiſtoria ſacra teſtatur. Alias rationes cur Isdegerdes prior intelligendus ſit, prolixe a viris doctis [g] adductas tacemus, praeſertim cum parum fidei tribuat Iudaeis Morinus, in deſignandis temporum circumſtantiis, adeoque ad eorum de Isdegerde teſtimonia prouocare non poſſit, quae in rebus hiſtoriisque aliarum gentium miſere plerumque hallucinari, ſatis notum eſt. Aliud iudicandum, vbi de rebus gentis ſuae differunt, de quibus et propius rem cognoſcendi, et ex traditione monumentisque ſuorum certiora hauriendi occaſionem habuerunt. Aſt cum omnes vno ore obſignationem Gemarae Babylonicae in Sec. V poſt C. N. finem et initia Sec. VI referant, eiusque auctorem R. Aſche faciant, illum autem obiiſſe A. C. CDXXVII dicant, et inter eum ac R. Ioſe interceſſiſſe LXXIII annos ſcribant, quibus calamitatibus impediti fuerint, quo minus opus perficerent, cauſſa nulla grauis ſubeſt, cur ob anachroniſmum Iudaei ſcriptoris fides his omnibus in cauſſa domeſtica ſatisque nota deneganda ſit. His recte additur, ipſum Alcoranum teſtem eſſe, maturius conditam Gemaram Babylonicam obſignatumque Talmud fuiſſe. Multa enim in eo ſunt, quae ex Talmude deſumta ſunt, id quod integra tractatione ſe demonſtraturum promiſit IAC. WINDETVS [h], paſſimque a viris doctis exemplis oſtenſum eſt [i]: quae cum Iudaeos a Muhammedanis accepiſſe nemo ſanus dixerit, recte inde infertur, eo tempore, quo Muhammedes legem ſuam conſarcinauit, Iudaei cuiusdam opera adiutus, Gemaram iam fuiſſe obſignatam, adeoque Sec. VI fine, quo illa lex Islamitica cuſa eſt, eſſe antiquiorem. Acceſſiſſe tamen in ſequentibus quaedam, iuniora tempora ſpirantia, dubitari non poteſt, vt in tantae molis collectionibus fieri ſolet: ex quibus voces peregrinae et recentiorem aetatem referentes deriuandae ſunt. Et haec quidem de aetate Talmudis Babylonici ſtrictim paucisque dixiſſe ſufficiat, cum ex inſtituto rem exponere nobis non liceat. Tantam vero auctoritatem nacta eſt haec iuris Iudaeorum eccleſiaſtici ſylloge, vt eam non ſcripturae tantum ſacrae, verum etiam ipſi Miſchnae anteponant, de qua inſana Talmudis veneratione, cum nobis dicere plura fas non ſit, conſulendi ſunt, qui res Iudaeorum paſſim enarrauerunt [k]. Parum tamen Talmudi tribuere Karaeos, ſupra indicauimus, quae non vltima cauſſa eſt Vatiniani, quo eos Rabbanitae proſequuntur, odii. Quemadmodum inter Chriſtianos non defuerunt, qui igni

f) Hiſt. eccl. L. VII. c. 8.
g) Vid. WOLF. l. c. p. 687. ſeqq.
h) De vita funct. ſtatu p. 60.
i) Vid. laudatos WOLFIO l. c. p. 689. BASNAGE Hiſt. Iud. L. III. c. 6. §. 1. p. 166.
k) BVXTORF. Bibl. Rabb. p. 223. ſeqq. EISENMENGER. Iudaiſm. detect. P. I. c. 8. p. 329. I. IAC. SCHVDT. memorab. Iud. L. VI. c. 27. p. 55. aliique multi.

Digitized by Google

Igni id addicerent, aliis nimium illud extollentibus, de quibus Talmudis fatis legenda ſunt, quae BASNAGIVS[l] et WOLFIVS[m] poſt alios docte cumularunt, quorum hic quoque argumentum ſummamque, diuiſiones, editiones et alia ad hiſtoriam eius literariam facientia affert, qui ea noſſe cupientibus eſt legendus. Parum ineſſe corpori huic conſtitutionum eccleſiaſticarum gentis Iudaicae, quod philoſophiam ſpiret, omnino fatendum eſt, at cum neque Iudaeorum de rebus naturalem theologiam concernentibus opiniones queant intelligi, neque iuris diuini hiſtoria in hac gente cognoſci, niſi hae pandectae canonum eccleſiaſticorum conſulantur, patet inde, cur in philoſophiae Iudaicae hiſtoria eius mentio omitti tota a nobis non potuerit. Ordine enim tertio argumenta de matrimonio, votis, iudiciis, poenis, iureiurando maxime exponuntur, quae magnam partem iuris naturalis et diuini apud Iudaeos conſtituunt. Qui licet poſitiuas ſuae nationis et eccleſiae leges et conſtitutiones plerumque ſequantur, multa tamen ex naturali quoque iure admixta habent, ſaltem in hiſtoria iurisprudentiae naturalis et diuinae cum fructu comparari cum aliarum gentium inſtitutis poſſunt, cuius eruditum nobis ſpecimen dedit doctiſſimi SELDENI[n] induſtria. Vt taceamus ipſos ritus et ceremonias Iudaeorum in philoſophiae hiſtoria non negligendas eſſe, eo quod in hiſtoria cultuum et religionum cum aliorum populorum conſuetudinibus et inſtitutis ad Iudaica quoque reſpiciendum ſit[o]. Verum ex hoc quoque fonte haurienda philoſophiae moralis cognitio, cuius haut contemnendum compendium tractatus ille Miſchnicus continet, qui פִּרְקֵי אָבוֹת, *capitula patrum* dicitur, eo quod Tannaitarum, id eſt patrum doctorumque, quibus traditionis ſucceſſio debetur, dicta, ſententiae, et prouerbia moralia in illo libro ſententiarum comprehenduntur. Cuius libelli, in hac noſtra hiſtoria omnino memorandi, auctor eſſe dicitur, non R. Iehuda Hakkadoſch, ſed R. Nathan, in Babylonia natus, qui et hic, et poſtea Hieroſolymae pater domus iudicii fuit, vixitque A. M. MMMDCCCLXXXI, Chr. CXXI, aequalis R. Simeonis Ben Gamalielis. Duo vero exſtant huius generis ſcripta, quae paſſim confundi videas. Vnum haec *capitula PP.* comprehendit, apophthegmata eorum exhibens; alterum *de patribus* agit, et PP. quoque V. T. res geſtas tradit. Vtrumque Nathani tribuitur, quod an recte fiat, viris doctis dubitatum eſt. Nam ſi a Nathane profectus fuiſſet, qui ante Iehudam vixit, hic illum librum ipſe collectioni Miſchnicae inſeruiſſet, et non a recentioribus demum magiſtris fuiſſet inſerendus. Addunt his: exſtare in capitulis patrum luculenta veſtigia recentiorum temporum; e. g. Praecipitur in iis[p]: filium quinque annorum ad ſcripturae, filium decem annorum ad Miſchnae lectionem, filium tredecim annorum ad praecepta, filium quindecim annorum ad Talmud eſſe

l) Hiſt. des Iuifs L. III. c. 6. §. 15. ſeqq. p. 177. ſeqq.

m) l. c. c. 4. p. 962. ſeqq.

n) In I. N. et G. ſecundum diſciplinam Hebraeorum.

o) Vid. Io. SPENCERVS de legibus Hebraeorum ritualibus.

p) c. V. §. 21.

esse deducendum. Ex quo praecepto colligi debeat, hunc sententiarum libellum post obsignatum Talmud et introductum eius vsum demum fuisse congestum. Alia recentiorum temporum vestigia a MORINO [q] collecta, hic omittimus. Sunt tamen in eleganti libello vetustiorum quoque temporum haud exigua vestigia, inter quae imprimis dictio elegans pura, et a Sec. VII vel VIII genio longissime remota referri meretur, quae Mischnicos scriptores si non superat, saltem aequat. Tractatus quoque ille, qui *Massechet abhoth* R. Nathan vocatur, commentarii instar est in *Pirke abhoth*, adeoque hoc prior. Vnde coniicimus, Iudaeum aliquem, si non ipse Nathan fuit, libelli huius prima stamina ante R. Iehudae sancti tempora dedisse, syluamque aliquam dictorum a primariis doctoribus relictorum et ore gentis suae celebratorum collegisse, eam vero priuato studio passim adauctam fuisse, indeque non meruisse, vt compilationi Mischnicae a R. Iehuda insereretur. Cum autem successu temporis multa quoque sequiora accessissent, studium Talmudicum, maximeque iactatam doctrinae successionem roborantia, tandem ipsi Talmudi fuisse adiectum. Ex quibus iam quid de fide huius libelli statuendum sit, liquet, quem philosophiae moralis Iudaicae post euersum templum complecti specimina, et historiam aliquam ethicae Iudaicae exhibere, nemo negauerit, licet incertam esse successionis illius doctrinalis in illo libello datae historiam, omnino fatendum sit. Ex eo itaque infra exempla doctrinae moralis inter Iudaeos dabimus, eos secuti, qui libellum haud inutilem commentariis, editionibus, versionibus ornarunt, de quibus litteraria Iudaeorum historia consulenda est [r]. Post Talmudis obsignationem plerique in illustrandis illud commentariis versati sunt, nihilque plane attulerunt, nostra attentione dignum, quare iis alibi [s] enumeratis non inhaeremus.

Fata studii Cabbalistici post excidium templi.

§. VIII. Hactenus iuris Iudaici diuinioris historiam perlustrauimus, vt qui philosophiae igniculi sub his cineribus lateant, cognoscamus; paucos tamen nos inuenisse fatendum est. Iam ad Cabbalisticam doctrinam pedem promouemus, quae et ipsa traditionis Iudaicae species fuit, sed arcana atque mystica, et alia prorsus indole naturaque diuersa, quam traditiones rituales et ecclesiasticae, gauisa. Nempe ea nobis metaphysicam Iudaicam exhibet, quae sublimius et μυστικωτέρως de Deo diuinisque rebus philosophari visa, desertis Mosaicis vestigiis, licet contrarium profiteretur, gentiles semitas secuta est. Eius contaminatae philosophiae Iudaicae origines in Aegypto fuisse enatas et cum allegorica methodo philosophemata Aegyptiaca, Orientalia et Pythagorico-Platonica introduxisse inter Iudaeos in superiori capite demonstrauimus, ostendimusque syncretisticam

q) Exerc. bibl. L. II. ex. 10. c. 1.

r) WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 700. vtimur nos editione Hebraica Giessae 1705. 4. et Latina per Io. PHIL. HARTMANNVM 1708. 4. edita, de vtraque vid. WOLF. l. c.

s) IDEM Bibl. Hebr. P. I. et in compendio REIMMANN. Hist. theol. Iud. Lib. I. cap. 14. p. 305. seqq.

Digitized by Google

cam hanc metaphyſicam etiam in Palaeſtinam irrepſiſſe animosque eorum, qui ſublimius de Deo diuinisque rebus philoſophari cuperent, mirifice cepiſſe, ita vero puriores de Deo ſenſus corrupiſſe: ſuppoſititiis autem foetibus, qui mos fuit eius philoſophiae et theologiae, quam receperant, auctoritatem tricis ſuis quaeſiviſſe, cauſſando, ab Abrahamo, Moſe, reliquisque ſanctis viris θεοπνευςίας dono conſpicuis, arcana traditione eam doctrinam ad ſe peruenisſe. Quem morem ſupponendi libros peregrinis dogmatibus ſcatentes magnis viris, cum ſeculum poſt C. N. primum & ſecundum vehementer probaviſſet, et in conſuetudinem atque familiaritatem quandam quaſi traduxiſſet, mire iſta peſſima fraude ſtudium Cabbaliſticum inter Iudaeos poſt templi vrbisque Hieroſolymae euerſionem promotum eſt. Quod cum arcanam nobis philoſophiam metaphyſicam et naturalem exhibeat, potiori quodam iure tractationem a nobis poſtulat, praecipue cum magnam cum philoſophia Orientali, Aegyptiaca et Pythagorico-Platonica connexionem fouerit, arctoque affinitatis vinculo iuncta certum quoddam philoſophiae fanaticae genus exhibuerit. Nam de Deo, de emanationibus diuinis, de angelis, de ſpiritibus, de mundorum ortu emanatiuo, de animae origine et vehiculo ſiue veſtibus, de aſcenſu eius per emanatiuos gradus ad infinitum eſſentiarum omnium oceanum ita iſta philoſophia praecepit, vt philoſophata fuiſſe Iudaeorum Cabbaliſtarum ingenia, ſed peſſimo modo, fatendum ſit. In quae humani ingenii deliria maxime poſt euerſam rempublicam prono impetu ruebat gens Iudaica, cum antea exigua fortuna vſa fanatica tantum ingenia quaedam in transuerſum egiſſent. Ita enim iudiciorum diuinorum ira in infeliciſſimam nationem exarſit, vt non publicam tantum ſalutem, pacem atque incolumitatem amitteret, ſed ſemper magis quoque in perditiſſimas errorum abominationes, et nefandas naenias tricasque otioſorum ingeniorum digrederetur, et a ſanctiori doctrina tota deflecteret. His enim et ſequentibus temporibus libros illos Cabbaliſticos debemus, quos ad miram antiquitatem mendaces Iudaei euehunt, et diu ante hanc aetatem exaratos eſſe contendunt. Inter eos ſunt *Sepher Happeliah* t), *Sepher Hakkanneh*

t) Sepher Happeliah, i. e. *Mirabilium*, eo quod myſteria multa ab angelo tradita comprehendere dicitur a Cabbaliſtis ad R. Elkana Ben Ierucham Ben Auigedud refertur, quem cum Nechonia eundem eſſe contendunt, adeoque ante templi ſecundi deuaſtationem adhuc vixiſſe tradunt. Eius tamen Iudaeorum chronologi non meminerunt, vnde ſuſpecta valde eſt tota illa traditio. Liber nunquam editus, ſed paſſim in bibliothecis mſc. oſtenſus Cabbaliſtica exhibet ſomnia, ab angelo, vt auctor vult, ſibi reuelata, et ex academia diuina et cœleſti profecta, de quo libro Cabbaliſtico rariſſimo, videnda quae B. WOLFIVS Bibl. Hebr. P. I. p. 196. ſqq. prolixe narrat, qui et P. III. p. 126. bibliothecas nominat, vbi iſte liber mirabilium inuenitur. Ex recenſione Wolfii, qui librum ipſe vidit et inſpexit, patet, totum eſſe Cabbaliſticum, & explicationem continere arboris Sephirothicae, aliorumque principiorum Cabbaliſticorum, ad Scripturam S. translatorum, vt ex explicatione Cabbaliſtica initii Geneſeos, quam liber ille exhibet, patet. Quamuis autem nugax auctor ſe ab Elia edoctum, et in coeleſtem academiam et ad Abrahamum, Iſaacum et Iacobum introductum eſſe, mentiatur, tam impudenter tamen in ſanctiſſimum Saluatorem debacchatur, tamque indignis modis de cœleſtibus myſteriis diſſerit, vt dubium non ſit, impoſtorem quendam Iudaeum poſt templi euerſionem, cum Chriſtiana religio inualeſceret, eum librum exaraſſe, truſtraque ad El-Kanam ante C. N. viuentem referri.

Digitized by Google

neh [w] et *Sepher Habbahir* [x], quibus nihil illuſtrius vel praeſtantius in arcana ſua philoſophia eſſe Iudaei iactant. Aperta enim ſuppoſitionis veſtigia in illis inueniri fraudesque temporum Chriſti nati ætatem ſequentium prodere, facile probari poteſt.

R. Akibba. §. IX. Mature vero poſt templi et reipublicae Iudaicae euerſionem inter Iudaeos philoſophiae Cabbaliſticae ſtudium inualuit, fuerunt-que inter praeſtantiſſimos eius populi doctores, qui praeter traditionum ſtudium, hanc quoque arcanam doctrinam multa induſtria excolerent. Nemo tamen in hoc philoſophiae Iudaicae genere magis vel verſatus eſt vel inclaruit, quam celeberrimi Iudaeorum doctores, R. AKIBHA et R. Schimeon Ben Iochai. Ad illum enim liber *Iezirah*, ſiue *creationis*, ad hunc liber *Sohar*, ſiue *ſplendoris*, tanquam auctores referri ſolet, quae ſcripta in ſumma apud Iudaeos Cabbaliſtas auctoritate ſunt [y]. Vtriusque res paucis enarrabimus, et vtriusque etiam libri hiſtoriam ſtrictim exponemus, cum iſti viri ſingularia fata habuerint, libri illi autem fontes ſint, ex quibus Cabbaliſticae philoſophiae hauriendа cognitio. Et R. Akibham quidem celeberrimum quoque fecit factionis pſeu-

w) Eiusdem commatis eſt Sepher Hakkanneh, id eſt *liber calami* ita dictus, quia in 49 calamos ſeu cannas liber diſtinctus eſt, in quo de praeceptis diuinis Cabbaliſticae commentationes afferuntur, cuius pars Pragae 1610. 4. edita. Ex recenſione WOLFII Bibl. Hebr. P. III. p. 127. patet, aperte ſuppoſitionem in eo prodi, & accentuationis quoque rationes Cabbaliſticas afferri.

x) Libri huius auctor dicitur R. Nechonia Ben Elkana, diſcipulus Iochananis Ben Saccai, et magiſter R. Iſmaëlis Ben Eliſa, Hillelis, Ananiae Ben Doſae et Ionathanis Ben Vſiel aequalis, vnde diſcimus, eum in annum ante natum Chriſtum circiter 40. incidere: legiturque eius dictum aliquod in capit. patrum c. III. §. 5. p. 19. Vid poſt chronologos Iudaeos Zachutum, Gedaliam, Ganzium, OTTHO Hiſt. DD. Miſchn. p. 90. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 905. Natus autem liber titulum הבהיר illuſtris, ſiue elucidarius Cabbaliſticus, eo, quod maxima luce profundiſſima Cabbalae myſteria colluſtret, vel illuminationem quoque eorum cognitione adiuuet. Iudaeos ſi audimus, liber hic in terra ſancta vſque ad Sec. XIII latuit, tandemque in manus Iudaeorum quorundam Europaeorum deuenit. Edita autem eſt typis pars eius Amſtelod. 1651. et Berolin. 1706. 4 Hunc librum omnium Cabbaliſticorum antiquiſſimum eſſe non Iudaeis tantum viſum, ſed Chriſtianorum quoque multis, BVXTORFIO Bibl. Rabb. p. 41. LAMBECIO Prod. hiſt. lit. L. II. c. 16. p. 235. BVDDEO intr. in hiſt. phil. Hebr. §. 29. p. 158. ed. prior., Io. MAYERO de SS. Trinit. myſterio ex V. T. demonſtrato §. 113. p. 129. Alii autem, et in his maxime MORINVS exerc. bibl. p. 570. ex ſilentio antiquiorum ſcriptorum, praecipue autem Moſis Ben Nachman, celeberrimi Cabbaliſtae, qui Sec. XIII. medio claruit Hieroſolymis, coniecerunt, iſto demum ſeculo fuiſſe conſcriptum, et vt auctoritatem haberet, R. Nechoniae ſuppoſitum. Huic ſuſpicioni opponitur citatio huius libri paſſim facta in libro Sohar, quem antiquiſſimum quoque eſſe plerique contendunt, vnde coniecit illuſtris Cabbalae denudatae collector CHRISTIANVS KNORRIVS A ROSENROTH praef. P. II. p. 8. librum Bahir in Sohar contineri, certe ea inueniri illic, quae hodie paucis paginis comprehenſa extant. At vt taceamus dubiam eſſe auctoritatem et aetatem libri Sohar, vt in ſequentibus dicetur, colligi inde eodem iure poteſt, librum Bahir ex libro Sohar eſſe excerptum. Certe Nechoniae falſo tribui inde patet, quod R. Akibhae, qui Nechoniam praeceptorem habuiſſe dicitur, vt veteris doctoris in eo fiat mentio, Targum allegetur, cum Onkeloſus iunior fuerit Nechonia, vt taceamus alia allata a MORINO l. c. p. 371. 372. inter quae phraſes manifeſte recentiores maxime ſuſpectum eum faciunt. Quare aut totus liber inter ſuppoſitios et ſpurios referendus eſt, aut agnoſcendum, manus interpolatoris eum fuiſſe paſſum, difficile vero eſt, genuina a falſis diſtinguere; quare parum ei auctoritatis tribuendum, conf. WOLF. l. c. et qui ſententiam mutauit BVDDEVS l. c. p. 142. edit ſecundae, REIMMANN. Hiſt. lit. theol. Iud. p. 361. et ipſe MAYERVS l. c.

y) Iuchaſin p. 26. Zemach Dauid ad an. 3760. 3780. OTTHO hiſt. DD. Miſchnic. pag. 138. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 955. BAYLE quoque de eo diſſeruit Dict. T. I. art. Akiba, p. 122. ſeq.

Digitized by Google

pſeudo-Meſſiae Bar Cochbae ſtudium, quod viro cetera in doctrina gentis ſuae verſatiſſimo miſerabilem vitae exitum attulit, vnde praeter hiſtoriae literariae Iudaicae ſcriptores, de hoc doctore Iudaico illi quoque conſulendi ſunt, qui fata gentis Iudaicae paſſim enarrauerunt [z]. Vixit autem R. Akibha paulo poſt tempora euerſi templi et vrbis [a]. Matrem Iudaeo genere natam habuit, patrem ex familia Siſſerae ducis apud regem Tyriorum labin, habuiſſe nugatur Zemach Dauid [b]. Iuuentutem virilemque aetatem obſcuram peregit, ruſticamque ſecutus vitam ita depreſſus iacuit, vt praediuitis cuiusdam ciuis Hieroſolymitani Calba Chuua greges paſcere cogeretur. Filiae tamen heri ſui, quae parentis paſtorem deperibat, nuptiasque illi promiſerat, inſtinctu ad literarum ſtudia XL. annos natus adiecit animum, ea quidem felicitate et ſucceſſu exoptatiſſimo, vt inter doctiſſimos ſuae aetatis Iudaeos poſtea numeraretur: Data enim nuptiarum fide in Academiam ſeciſſet [c], ibique per duodecim annos integros haerens, tantopere in patria eruditione incrementa coepit, vt et condiſcipulos omnes anteiret, et ad docendam iuuentutem animum adiiciens duodecim millia diſcipulorum haberet. Nec potuit precibus ſponſae commoueri, vt literarum ſedem iſtam relinqueret, eo quod ita increuiſſet diſcipulorum numerus, vt eorum viginti quatuor millia (Iudaeorum narrationes damus cauto lectori) numeraret [d]. Cum itaque nec eum ſecum habendi, nec domum reuocandi ſpem virgo haberet, quam pater ob has nuptias haereditate excluſerat, mutatis veſtibus ad ſponſum delata cum eo vixit, reducemque patri ad pedes eius ob venerationem deuoluto ita reconciliauit, ut doctrina eius illuſtri famaque commotus et generum eum ſuſciperet, & magnam bonorum ſuorum partem ei cederet [e]. His perfidiis ſuffultus doctrinae Iudaeorum tum rituali tum Cabbaliſticae inuigilauit, docendaeque iuuentuti librisque ſcribendis totum ſe tradidit: eo euentu, vt ſumma eius eſſet apud Iudaeos Palaeſtinam incolentes exiſtimatio et auctoritas tanta, vt non erubeſcerent dicere: Deum R. Akibhae manifeſtauiſſe, quae Moſen celauerit. Vnde librorum quoque eius ſemper apud Iudaeos ſumma fuit exiſtimatio [f], adeo vt deciſiones eius et pronuntiata tanquam diuina vbique inter Iudaeos reciperentur, quod ex mille locis Talmudis conſtare poteſt. At haec ipſa auctoritas ſumma et diuina, quam Akibha apud ſuos con-

z) BASNAGE Hiſt. des Juifs L. VII. c. 18. §. 13. ſeqq. p. 346. ſeqq. et imprimis Io. A LENT in ſched. hiſtorico-philol. de Iudaeorum pſeudo-Meſſias p. 9.

a) Iudaei l. c. in A. M. 3760. eius natales referunt, qui eſt A. C. 1. floruit autem ſub Tito Veſpaſiano & Hadriano.

b) pag. 99.

c) Vid. quae affert Io Chr. WAGENSEIL ad Sota p. 512.

d) Bereſchith Rabba f. 67. Zemach Dauid l. c. ſed vt mendacia palpes, en quod nugiuenduli adiiciant: omnes hos diſcipulos Akibhae inter Paſcha et Pentecoſten vno tempore obiiſſe, quod non ſatis honoris ſibi inuicem exhibuiſſent, omnesque prope Tiberiam ſepultos fuiſſe, vbi etiam Akibha poſtea terrae mandatus eſt. Conf. BASNAGE l. c.

e) Locum tr. talm. Chetubb. f. 63 p. 1. affert LIGHTFOOTVS Hor. Hebr. ad Marc. X, 17. T. II. opp. p. 449.

f) Praeter librum Iezirah adſcribitur ei commentarius allegoricus de interioribus literarum, ſine de alphabeto.

ſecutus eſt, luculentum eſſe teſtimonium poteſt, quanta eo tempore fuerit eccleſiae Iudaicae corruptio, quam nugacia ingenia, quamque impia doctrina. Fermentum enim ſyncretiſmi Aegyptiaci, quod philoſophiam Moſaicam corrupiſſe, et heterogenea dogmata, impurasque opiniones ſacris doctrinis immiſcuiſſe, ſupra diximus, omnem quoque eruditionem Akibhae corrupit et infecit, vt ex doctrina libri *Iezirah* eſt manifeſtiſſimum. Nugas vero ſectatum fuiſſe tam celebrem doctorem et ethicae grauitatem miſere corrupiſſe, ex ſequenti narratione diſci poteſt, quam tamen non niſi exorata prius lectoris venia et ſaluo pudore ideo hic afferimus, vt in quas naenias delapſa ſit philoſophia Iudaica, quae de moribus agit, ſtatim poſt ea tempora, quibus excellentiſſimam morum doctrinam, quam Chriſtiana docebat religio, reiecerunt, luculenter pateat [g]: *Dixit R. Akibha: Ingreſſus ſum aliquando poſt R. Iòſuam in ſedis ſecretae locum, et tria ab eo didici: Didici primo quod non verſus orientem et occidentem, ſed verſus ſeptentrionem et auſtrum nos convertere debeamus. Didici ſecundo, quod non in pedes erectum, ſed iam confidentem ſe retegere liceat. Didici tertio, quod podex non dextera, ſed ſiniſtra manu abſtergendus ſit. Ad haec obiecit ibi Ben Haſai: Vsue adeo vero perfricuiſti frontem ergo magiſtrum tuum, vt cacantem obſervares? Reſpondit ille: Legis haec arcana ſunt, ad quae diſcenda id neceſſario mihi agendum fuit.* En vero egregiam doctrinam moralem! quamuis vltima verba tantum non perſuadere videantur, quaeſiviſſe hos venerabiles philoſophos etiam in modo exonerandi aluum myſteria Cabbaliſtica. Quamuis autem magna felicitate ad extremam ſenectutem, quam CXX annorum fuiſſe, Iudaei tradunt [h], vteretur, rebelli tamen et ſeditioſo animo, qui plerosque Iudaeorum eo tempore, maxime in Palaeſtina, occupauerat, tragicum ſibi et miſerabilem vitae exitum parauit. Eodem enim tempore, quo ſumma inter Iudaeos in Palaeſtina auctoritate viuebat Akibha, prodiit in theatrum mundi famoſiſſimus impoſtor Bar Cochebas, qui ob mendacia fraudesque etiam *Bar Cozibha, filius mendacii* Iudaeis appellatur, cuius ſeditionem resque geſtas exitumque fraude ſua dignum viri docti paſſim enarrarunt [i]. Hic cum ab imperatoris Romani Hadriani poteſtate liberare contribules promiſiſſet, magnam ſeditionem excitauit, omniaque tumultu turbisque repleuit. Hunc tantus doctor, quantus Akibha fuit, qui verum Meſſiam, quem patientem forte vidit, reiecerat, pro vero gentis ſuae liberatore agnouerat, et venditauerat, imo praecurſorem et armigerum eius ſe gerebat, et conſilia peſtilentiſſimi impoſto-

g) In tr. Talm. Maſſech. Berach f. 62. col. 1. ex quo repetunt Carpzovius ad Schickardi ius regium c. V. p. 383. not. 11. Io. a Lent l. c. p. 10. Bayle l. c. not. F. pag. 123. Reimmann Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 15. p. 365.

h) ll. cc.

i) Basnage l. c. p. 328. ſeqq. a Lent l. c. multique alii fuſe nominatim a Wolfio Bibl. Hebr. P. I. p. 721. ſeq. cui facile addi poſſent plures. Loca Iudaeorum collegit Andr. Eisenmenger Iudaiſm. detect. P. II. c. 13. p. 654. ſeqq. qui Akibhae credulitatem damnarunt.

Digitized by Google

poſtoris, quacunque ratione poterat, iuuabat, et ita vindicta in Romanos et ſeditione replebat Iudaeorum animos, quos auctoritate ſua, quo vellet, ducebat, vt exercitus ducentorum millium virorum conueniret, quos tanta fortitudine fuiſſe Iudaei nugantur, vt quilibet cedrum in Libano loco mouere, et radicitus euellere potuerit. Hoc exercitu Bitteram vrbem Pſeudo-Meſſias occupavit, et latrones quoſcunque, ceteramque plebis colluviem ad augendas partes ſuas collegit. Et primo quidem turbam temere coëuntem contemſerant Romani: at cum caede, rapinis, magnaque crudelitate in gentiles et Chriſtianos ſaeuirent, tandem copias contra eam eduxere. Nugantur hic iterum Iudaei [k], concepiſſe ſibi tum ſpem hanc animo Akibham, convertendi vxorem ducis Romani Tinnii Rufi, eamque defuncta priore vxore ſua in matrimonium ducendi: quamuis ab inſanientis hominis ingenio arrogantiſſimo eiusmodi inſania non prorſus abhorreat. Licet autem anceps initio eſſet dimicatio Iudaeique rebelles aliquoties exiguis praeliis vincerent [l], factum tamen eſt, vt tum commeatu intercluſo, tum vrbe Bittera per tres annos et dimidium [m] arctiſſima obſidione cincta ſe dedere Iudae cogerentur, Pſeudo-Meſſias Bar Cochebas interficeretur, tantaque ſtrages Iudaeorum a Romanis ederetur [n], vt Iudaei ipſi faterentur [o], *interfectos fuiſſe mares, foeminas et parvulos, ita vt ſanguis eorum flueret in mare magnum, quod tamen milliari diſtabat ab vrbe, et fluuiorum duorum vicinorum tertia pars ſanguis eſſet: Romani tam per ſeptennium vindemiarent ſine ſtercoratione, eo quod fertiles ſatis eſſent ex ſanguine Iſraëlitarum.* Akibha vero cum filio Pappo viuus captus detracta pelle miſere interfectus eſt [p]. Id accidiſſe A. C. CXX. Iudaei tradunt, quos tamen calculos errare monet BASNAGIVS [q], eo quod Bittera A. C. CXXXVIII demum capta ſit, ex quo ſequitur, ſerius eum natum fuiſſe, quam volunt Iudaei. Licet autem in rebellionis crimine deprehenſus Akibha, merito ſupplicio affectus ſit, et ſeduxiſſe impoſtores hos Iudaeos, ipſi viderint, tantum tamen abeſt, vt deteſtati fuerint hominis veſani conſilia, vt potius inter martyres eum numerauerint, pro fide Iſraëlis mortem obeuntes, eiusque ſepulchrum, quod Tiberiade eſſe ſibi perſuadebant, quotannis magna ſolemnitate inter Paſcha et Pentecoſten inuiſere, eoque commigrare cateruatim religionis cauſſa conſueuerint [r]. Fuit autem Akibha cum inter traditionis patronos ſummo loco poſitus, tum Cabbaliſticae philoſophiae doctor ſubtiliſſimus, cui, qui ſaniora inter Iudaeos ſequuntur, librum Iezirah tribuunt, quem alios magis in mentiendo et nugando impudentes ad Abrahamum patriarcham re-

k) Vid. BVXTORFII ſynag. Iud. p. 916.
l) Fatetur GANZIVS tot homines Iudaeos interfeciſſe, quot arenae ſunt maris, Zem Dauid p. 27. col. 1.
m) Sanhedrin f. 97. col. 2.
n) 400000 homines interfecti dicuntur in tr. Talm. Gittin f. 52. col. 2.
o) Ibid. Conf. LIGHTFOOT chorogr. in Matth. c. 52. T. II. opp. p. 280.
p) Vid. Io. A LENT l. c. p. 15.
q) Hiſt. Iud. l. c. p. 348.
r) Conf. WOLF l. c. p. 955.

referre, et vt Akibhae eius honoris aliquid conseruarent, duos libros Iezirah fingere, supra iam exposuimus [t]. Nulli vero dubitamus, Akibham Cabbalisticam philosophiam in ipsis, vt videtur, adytis Cabbalistarum in Aegypto versantium, vel ex Aegypto prodeuntium edoctum, more illius temporis valde grassanti, ipsam philosophiam suam ad Abrahamum retulisse, et inuenustum pullum venerabili gentis suae parenti patriarchaeque suppositisse, vt doctrinae impiae et ex impuris fontibus haustae, sapientiae Hebraeae opinionem fidemque conciliaret. Quamvis vt verum fateamur, satis manifestis indiciis ex hoc ipso *libro creationis* demonstrari queat, talem, qualem nunc legimus, nec Abrahami, nec Akibhae esse, licet ante perfectum corpus Talmudicum non exaratum fuisse, quod MORINUS [u] contendit, falsum sit, cum eius in illo fiat mentio [w]. Vnde coniicimus, Akibham ex Cabbalisticis fontibus Aegyptiorum Iudaeorum sua prata irrigantem materiam quidem huius libri aliquam vel ipsum conscripsisse, vel discipulis suis oretenus tradidisse, eosque accepta a magistro in literas retulisse, multa vero sequentibus temporibus fuisse addita et mutata, donec tandem in hanc, quam habemus, formam coaluerit. Quamuis enim mire a Iudaicis doctrinis abhorreat liber hic Cabbalisticus, et Pythagorico-Platonicis opinionibus turgeat, ostendemus tamen infra, eo iam tempore eiusmodi nugas inter Iudaeos inualuisse, nec displicuisse numerorum doctrinam Pythagoricam otiosis Iudaeorum arcanam philosophiam sectantium ingeniis: id quod vel solius Philonis exemplo luculento constat. Quicunque vero libri huius, qualem hodie habemus, auctor sit, illud certum est, in immani errore versari eos, qui ad Abrahamum foetum adulterinum referunt, quod à Iudaeis Cabbalisticis quidem fuisse assertum, non miramur, qui more illius temporis et philosophiae, quam deperibant, ad magnos viros sua placita scriptaque et commentationes referre solebant, eo quod auctoritatem illis conciliare, sicque gentilibus honorem eripere cuperent, quod illi tantae sapientiae auctores essent, et probare ita vellent, totam eruditionem a maioribus suis ad Pythagoram reliquosque gentilium philosophos profluxisse: a viris autem doctis magni fieri inter Christianos ferendum haud est. Est vero argumentum libri Cabbalisticum, cumque numeros emanationibus Cabbalisticis adaptet, ipsis Pythagorae numeris, vt est in prouerbio, obscurius, cuius recensionem dabit Cel. WOLFIVS [x], qui videndus. Nos hoc vnum notamus, editiones libelli exigui valde inter se differre, vt vel ex versione POSTELLI, quam IO. PISTORIVS [y] exhibet et STEPH. RITTANGELII [z] patet.

§. X.

t) R. GEDALIA Schalscheleth Hakkabala p. 28. B. Io. CHR. WAGENSEIL. ad Sota p. 985. BASNAGE l. c. p. 347.
u) Exerc. bibl. p. 373.
w) Sanhedrin c. 7. §. 9.
x) l. c. P. I. p. 23. seqq. BAYLE Dict. T. I. v. Abr. not. E. p. 33.
y) T. I. Script. Cabbalist. p. 869. seqq.
z) Amstelod. 1642. 4.

Digitized by Google

§. X. Alter ex Iudaeorum doctoribus, qui Sec. II magnam nominis celebritatem in gente sua profundiori Cabbalisticae philosophiae cognitione consecutus est, fuit R. SCHIMEON BEN IOCHAI, quem inter multos alios, qui ex disciplina R. Akibhae prodierunt [a], omnium maxime Iudaei ita extollunt, vt eum principem Cabbalistarum constituant, et lumen magnum, itemque scintillam Mosis prophetae appellent [b]. Dum Akibhae discipulum Iudaei dicunt, tempus inde, quo vixit, colligi potest, si cum Iudaeis assumamus A. C. CXX Akibham excruciatum periisse. Certe magna ista calamitas, quam seditiosa sibi gens impulsore Bar Cocheba, suasore Akibha, contraxerat, in caussa fuit, vt metu Iudaeorum in speluncam confugeret, qua de re tamen ridicula sunt, quae Iudaei narrant hoc modo [c]: „Quodam tempore considebant vna R. Iehuda, R. Iose „et R. Schimeon, praesente quoque ipsis R. Iehuda filio preselytorum. „Tum exorsus R. Iehuda dicebat: quam pulchra sunt opera populi huius! „(Romanorum) exstruxerunt enim fora, exstruxerunt pontes, exstruxe„runt thermas. Vbi R. Iose tacebat. Sed R. Schimeon filius Iochai re„spondebat dicens: quicquid struxerunt, non nisi commodi sui caussa „struxerunt: fora nimirum, vt illic sedere queant mercatores, thermas, „vt ipsi in illis delicias habeant, et pontes, vt ex illis vectigal accipiant. „Tunc R. Iehuda filius proselytorum abiit, et ista enarrauit, ita vt innotescerent Caesari, qui hanc tulit sententiam: Iehuda, qui extulit, extol„latur; Iose, qui siluit, exulet in Cyprum, Schimeon, qui vituperauit, „occidatur. Tunc hic et filius eius sese occultabant in auditorio, et do„mestici ipsorum quotidie ipsis afferebant placentam panis et poculum „aquae. Sed quia rigorosa erat sententia, ipse dicebat filio suo: mulie„rum animus leuis est, forte dolore angentur, et nos manifestabunt. „Abierunt itaque et sese occultarunt in spelunca quadam: vbi continge„bat miraculum, ipsisque creabatur arbor siliquifera, (cuius fructus κερά„τια) et fons aquae. Deponebant itaque vestes, et vsque ad collum „suum sedebant in arena, totaque die studebant, tempore precum autem „induebant et operiebant se, et orabant in spelunca: deinde vestes iterum „deponebant, ne eas detererent. Sic sedebant per duodecim annos in „spelunca, donec veniret Elias adstansque ingressui speluncae diceret: „Quis indicabit filio Iochai, quod mortuus est Caesar, et irrita reddita „sen-

a) Fuere illi multi etiam Cabbalistica eruditione insignes, et inter eos R. Ismael Ben Elisa, qui circa A. C. 200 vixit, librumque imaginis siue Sepher Hatthemunah scripsisse dicitur, in quo figura literarum Hebraicarum secundum principia Cabbalistica explicatur, et passim msc. ostenditur, vid. PAVL. RICCIVS de coelesti agric. PISTOR. Collect. Scr. Cabb. pag. 132. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 702. Sic et Pirke Hechaloth, i. e. capitula de templis ei tribuuntur, vid. BVXTORF. Bibl. Rabb. p. 169. BVDD. Intr. in hist. phil. Hebr. §. 32. p. 196. Fatendum tamen antiquitatem eiusmodi librorum Cabbalisticorum valde suspectam esse, cum lusus verborum, voces peregrinae, consuetudines recentiores, ad quas passim respicitur, et hujus commatis alia valde suadeant vel plane conflictos, vel vehementer adulteratos eos fuisse. Quod hic semel monuisse sufficiat.

b) Conf. loca Iudaeorum adducta a WOLFIO l. c. p. 1134.

c) Gemar. tr. Schabba c. 2. f. 33. c. 2. KNORRIVS praef. Cabb. denud. P. II.

R. Schimeon Ben Iochai.

„ſententia eius. Exite et videte homines, quomodo colant et feminent.“ Ita quidem Iudaei nugantur, quos has naenias et anicularum ſomnia ideo excogitaſſe, vt fidem doctrinae Iochaidis facerent, dubium non eſt. Eiusmodi enim congreſſus diuinos morasque in ſpeluncis non gentiles tantum affectaſſe, vt ſapientiae diuinitus acceptae fidem facerent, Numae, Pythagorae aliorumque exempla docent, ſed Iudaeos quoque, ita inſtituiſſe vel ſolus libri quarti, Eſdrae ſuppoſiti auctor ſpecimen eſſe poteſt. In hac vero ſpelunca eas reuelationes Iochaidem habuiſſe Iudaei tradunt, quas aut ipſe conſcripſit, aut a diſcipulis ex ore eius exceptae et in literas relatae ſunt, de eo enim Iudaeorum magiſtri inter ſe diſſentiunt. Ex hac vero doctrina Schimeonis Cabbaliſtica conſarcinatus eſt liber *Sohar*, id eſt, *ſplendoris*, in quo ſumma totius Cabbaliſticae philoſophiae collecta more Aegyptiaco, id eſt hieroglyphico et allegorico ita proponitur, vt Oedipo ad intelligendum eum lector opus habeat. Non cumulabimus heic narrationes Iudaeorum, miraculoſum egreſſum Schimeonis ex hac ſpelunca, mirabilem docendi modum, et diuinum ex hac vita egreſſum miris fabulis exponentes, ne taedium creemus lectori, eiusmodi nugis non aſſueto, legent; qui his delectantur, eas vel in *Idra Suda* [d], vel in *praefatione* eruditiſſimi editoris *huius libri* [e]. Hoc vnum addimus, paulo poſt libri huius abſolutionem eum fatis conceſſiſſe, ſi Iudaeis fides adhibenda, et prope Tiberiadem fuiſſe ſepultum, vbi ſynagogam condiderat [f]. Notatque BARTOLOCCIVS [g], Iudaeos hodie adhuc ad hunc locum Caphar Achabara dictum, et inter Zapheth et Tiberiadem ſitum ſacra itinera religionis cauſſa ſuſcipere. Maxima vero auctoritate magnaque veneratione librum hunc Sohar inter Iudaeos vigere, certiſſimum eſt, qui non dubitant a Iochaide fuiſſe profectum, licet formam libri eiusque conſignationem quidam non ad illum totam, ſed ad diſcipulos, maxime vero R. Abbam referant. Quo tamen non obſtante aeque certum eſt, ante ſeculum poſt C. N. XIII librum hunc non innotuiſſe inter Iudaeos, qui eius poſt R. Moſen Bar Nachman et R. Aſer demum mentionem faciunt, quibus is viſus memoratusque haud eſt, vt teſtantur *Iuchaſin* [h] et *Schalſcheleth* [i]. Qui tamen *poſterior* alio loco [k] tradit: *Dicere nonnullis R. Moſen filium Nachmanis iſtum librum inueniſſe, in terra Iſraëlis et eum miſiſſe in Cataloniam, poſtquam iuiſſet in Arragoniam, et incidiſſe in manus R. Moſis de Leon: dicere etiam quosdam, quod dictus R. Moſes Leon, qui ſapiens erat et doctus, has interpretationes fecerit ex ingenio ſuo, et quod multam ex iis mercedem acciperet a ſapientibus, illis impoſuerit et nomen R. Simeonis Iochaidis atque ſodalitii eius inſcripſerit, eo quod pauper eſſet et afflictus.* Quibus ſubjungit Iudaeus: *Ego credo rem vanam eſſe, id autem verum, quod R. Simeon Iochai-*

d) Cabb. denud. T. II. praecipue §. 764. ſeqq. p. 595. ſeqq. add. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. III. c. 10. p. 283.
e) T. II. Cabb. denud. §. 6. p. 4.
f) Conf. HOTTINGER. de Cippis Hebr. p. 51.
g) Bibl. Rabb. T. IV. p. 418.
h) pag. 42. 152.
i) pag. 63.
k) pag. 31. 32.

Digitized by Google

chaides et ſocietas eius verba haec et plura alia protulerint; fieri tamen poteſt, vt ipſorum aetate literis non ſint conſignata, & in ordinem redacta; ſed potius in quaternionibus diſperſa et ſucceſſu temporis coniuncta. Fecit haec Iudaeorum de hoc libro diſcordia, vt Chriſtiani quoque in diuerſas de eo opiniones abirent. Multi enim eius fundamenta Simeonem poſuiſſe, vſum doctrina ab anteceſſoribus accepta, diſcipulos autem ex eius ſchola prodeuntes amplificaſſe, et ex magiſtri doctrina ex ore eius excepta plerosque tractatus iſtos, quibus liber iſte conſtat, conſarcinaſſe contendunt. Alii in contrariam prorſus partem abeuntes [11] librum hunc Simeoni ſuppoſitum et poſt ſeculum a C. N. X. demum effectum pronuntiant. Nec, vt verum fateamur, vtrique parti rationum pondera et argumenta deſunt. Qui enim antiquitatem libri in dubium vocant, potiſſimum ad ſilentium Iudaicorum ſcriptorum, etiam eorum, qui myſteria Cabbaliſtica profeſſi ſunt, prouocant, nec fieri potuiſſe contendunt, vt tantae auctoritatis tantaeque antiquitatis liber indictus praetermitteretur, ſi iam tum extitiſſet. His addunt: doctrinam illam, quam liber Sohar iſtis nominum diuinorum combinationibus et literarum permutationibus vrget, Ignotam eſſe ſcriptoribus Talmudicis, nec quicquam tale in Medraſchim aliisque antiquis Iudaeorum libris commemorari, adeoque ſuſpicandum iure eſſe, quod recentioris aetatis ingenium ſapiat. Mentionem porro in eo libro fieri punctorum et nominum, quibus inſigniuntur, vt et literarum magnarum, inuerſarum et ſimilium, de quibus Talmud ſileat, quaeque recentiorum criticorum inter Iudaeos opera ſint. Deprehendi etiam in eo copiam vocum barbararum, poſt linguae Hebraeae corruptionem ex gentis huius variis migrationibus et commorationibus ortam inualeſcentium. Allegari in eo Targum, et de lingua Chaldaea vſurpari vocem, eo ſenſu aetate paraphraſium Chaldaicarum non adhibitam. Immo ipſam Chaldaicam linguam, qua liber ſcriptus eſt, prodere, perperam eum ad Iochaidem referri, eo quod illo tempore, quo Schimeon vixit, eius vſus in exarandis libris non eſſet receptus, vt Miſchnae exemplo conſtet, quae Hebraice ſcripta eſt. Tandem ad inſignem quoque fabularum ſegetem prouocant, vndecunque ex Talmude, Medraſchim aliisque ſequiorum temporum ſcriptis conſarcinatarum, et ad res recentiori aetate geſtas ibique commemoratas. Ad haec, maxime a Morino valde exaggerata, reſpondent patroni libri huius, et in his praecipue

l) Praeter alios multos vid. BARTOLOCC. l. c. LIGHTFOOT. opp. T. II. p. 144. FREIFFER. opp. philol. p. 888. KNORRIVS l. c. BVDDEVS Obſ. Hal. Tom. I. obſ. XVI. §. 1. pag. 208. Io. MAYERVS de Trinit. myſt. ex V. T. demonſtrato §. 114. p. 129. REIMMANN. Intr. in hiſt. theol. Iud. L. I. c. 15. §. 10. p. 369. ſeqq.

ll) Io. MORINVS ex bibl. L. II. ex 9. c. 4. LVD. CAPPELLVS arcan. punct. reuel. p. 853. BASNAGE l. c. p. 285. FR. STRVNZIVS Hiſt. Bardeſan. p. 49. CLERICVS Bibl. vniu. T. XVII. p. 451. PRIDEAVX Hiſt. V. T. T. I. pag. 442. BVXTORF. de Abbreu. Hebr. pag. 146. 319. Bibl. Rabb. p. 314. 336. BR. WALTONVS Proleg. Bibl. III. §. 52. p. m. 257. WINDET. de vita funct. ſtatu Sect. VIII. p. m. 200. TENZELIVS Exerc. ſel. P. I. p. 18. aliique.

pue illuſtris Cabbalae denutatae editor m): Diu occultatum fuiſſe librum hunc acroamaticum et arcanum, nec id mirum fuiſſe, quia et lex ipſa per bis mille annos intra domeſticos primorum patrum parietes fuerit occultata, donec tempore Moſis publici iuris fieret: alios etiam dari libros non minus diu latentes, qui multo temporis ſpatio paucis fuerint cogniti. Declaraſſe vero ipſum auctorem, eundem non publicatum iri, niſi circa vltima mundi tempora: ſciri etiam non poſſe, quae fuerint libri huius, ante eius impreſſionem, fata, et quibus in bibliothecis Orientalium eius latuerint exemplaria. Stili etiam ſingularitatem et conſtitutionem eius antiquitatem, et quod nec Gemarae nec vllius libri Talmudici vllibi faciat mentionem; item quod ab omnibus quorumcunque locorum Iudaeis pro claſſico receptus ſit, ſatis teſtari, illum ſcripto eo, quod dicitur מערכת האלהות multo eſſe antiquiorem. Haec Knorrius; quibus addunt alii exemplum Codicis Samaritani, ſimiliter per longum tempus deliteſcentis; nec ad Talmudicorum ſcriptorum ſilentium hic attendendum eſſe, quos alieno a Sohare, illis quippe aduerſo, animo fuiſſe, dubitandum non ſit, nec a vero videri diſſimile, doctrinam hanc acroamaticam et arcanam et ſcripta de ea conſignata in terra Iſraëlis occultata manſiſſe, et ad Babylonios translata non eſſe, praeſertim cum Scholae hae ambae, nempe Orientalis ſiue Babylonica, et Occidentalis ſiue Iſraëlitica non admodum ſibi fauerent, et ipſe quoque Iochaides Babylonios aliquoties vocet ſtolidos. Addunt porro: vocales ſemper textui fuiſſe additas, adeoque earum mentionem in Sohare, vt in Talmude, fieri potuiſſe: Chaldaiſmum vero ea aetate magis magisque inter Iudaeos inualuiſſe, nec ipſum Miſchnae ſtilum tam pure Hebraicum eſſe: voces autem peregrinas et barbaras a recentioribus libri collectoribus et amplificatoribus eſſe repetendas: methodum per fabulas allegorice interpretandas docendi Simeonis aetate iam inualuiſſe, adeoque et illum et ſcriptores Talmudicos eam ex communi fonte hauſiſſe: resque tandem recentiores a Simeonis diſcipulis eſſe deriuandas. Facile ex adductis intelliget prudens lector, difficile eſſe, de hac re certi quid ſtatuere, et diuerſa eſſe iudicia eorum, qui ſententiam interponunt ſuam, prout nempe quis vel pro Cabbalae antiquitate vel contra eam affectus eſt. Nec nos audemus, certiora definire, explicabimus tamen modeſte, quae nobis videntur vero propiora, et in incerta diſputatione pro veriſimilibus amplectenda. Et I. quidem doctrinam eam, quam celeberrimus hic liber Cabbaliſticus de Deo eiusque eſſentia, attributis et nominibus, de Meſſia, de angelis bonis et malis, de anima hominis eiusque origine et ſtatu &c. tradit, non aeuo demum medio natam eſſe, ſed circa naſcentis Seruatoris tempora iam inter Iudaeos viguiſſe, ex patriis dogmatibus et placitis Orientalibus, Aegyptiacis et Pythagorico-Platonicis conflatam ex ſupra dictis conſtat, et ſi inſtitutum pateretur, ex Philonis doctrina cum hoc libro collata facile poſſet oſtendi *, multo

m) l. c. p. 4.
*) Fidem eius faciemus exemplo luculento, vbi infra de macroproſopo Iochaidis diſſerendum.

multo magis autem ex placitis philoſophiae Orientalis ſupra enarratis demonſtrari; id quod lectoris inſtruſtriae relinquendum eſt, licet infra quoque eius rei ſpecimina danda ſint, eo quod a recepto Cabbaliſtarum ſyſtemate emanatiuo liber hic non abit. II. Nec methodus quoque libri huius ab iſta aetate abhorret, qui fuit in Aegypto, quae patria huius doctrinae extitit, allegorica, aenigmatica, multisque inuoluta velis, quamque ita ad philoſophiam ſuam arcanam traduxere Iudaei, vt, quod in ſacris ſuis Aegyptii ſolebant, ipſi imitarentur, legisque et ſcripturae ſacrae hiſtorias, imagines, dicta ad delineanda vel obtegenda potius myſteria ſua Cabbaliſtica adhiberent: quam docendi rationem iam ab Ariſtobuli tempore inualuiſſe, ſupra demonſtratum eſt. Sed et hoc III. rerum harum peritis ignotum eſſe non poteſt, ſolitos fuiſſe illorum temporum Iudaeos hanc doctrinam myſticam arcanam ſeruare, librosque de ea conſcriptos occultare, et non niſi ſelectis probatisque aperire diſcipulis; qua ratione iam ante N. C. libros ſuos philoſophicos allegorice ſcriptos Therapeutas Iudaeos arcanos ſeruauiſſe ſuo loco oſtenſum eſt. IV. Quin et illud ex ſupra dictis conſtat, migrauiſſe hanc philoſophandi rationem arcanam in Palaeſtinam iam ante N. C. paſſimque obtinuiſſe, at occultatam fuiſſe, et a pauciſſimis excultam, a paucioribus intellectam. Quibus ſuppoſitis V. nihil a vero alienum nobis habere videtur, Simeonem Iochaidem hanc arcanam philoſophiam, ſiue theologiam et pneumaticam Cabbaliſticam tenuiſſe, et diſcipulis tradidiſſe, eos autem ex ore magiſtri excepta ſenſim in literas retuliſſe, adeoque ὕλην illam congeſſiſſe, ex qua liber Sohar enatus eſt; multa quoque miracula et diuinas reuelationes finxiſſe, vt auctoritatem huic doctrinae arcaniori, a communi Iudaeorum fide valde abeunti, conciliarent. VI. Credibile quoque, diu latenter haec myſteria habita, cum quod ita ipſius diſciplinae methodus poſceret, tum quod multa in ea doctrina cum placitis Iudaeorum non concordarent: VII. diverſiſſima quoque placita, et meditationes ſuccedente tempore fuiſſe, adiectas, cum a diuerſis auctoribus ſemper aliquid adderetur: hincque factum eſſe, vt multa ſequioris temporis veſtigia in eo deprehendantur. VIII. Tandem vero librum vel collectionem potius iſtam Cabbaliſticam in eam formam ſequiori tempore coaluiſſe, qua nunc habemus, et tunc quoque illa acceſſiſſe, quae non niſi a recentiori manu potuerunt adiici. Nihil in his eſt, quod non cum hiſtoria Cabbaliſticae philoſophiae conueniat, et pro doctrinae Soharicae antiquitate militet, licet formam forte libri recentiorem eſſe concedendum, et Simeonem materiam tantum dediſſe, dicendum ſit. IX. Ita vero obiectionibus quoque virorum doctorum ſatis poſſe fieri putamus. Nam quod diu liber latuerit, vel forma eius et compilatio recentior in cauſſa eſt, vel ſtudium occultandi libros arcanos. Quae quoque ratio eſſe poteſt, cur Talmudici de eo taceant, quos de his ſacris non fuiſſe ſollicitos conſtat: quamuis etiam doctrina aliena a placitis domeſticis inuiſum eum librum facere potuerit. Nec fabularis metho-

dus ex alio fonte nisi ex methodo Aegyptiaca deriuanda est: largiendum autem homines medii aeui has vetustioris seculi reliquias consarcinasse, auxisse, interpolatasque sui temporis circumstantiis attemperauisse. Quod tamen quo tempore factum sit, definiri non potest, eo quod plerumque, quae arcana habentur, origines suas valde occultent, et initio supprimantur. Ceterum non omitti hic plane debet, quod PAVL. RICCIVS o) obseruauit, postquam Simeonem Iochaidem cum Dionysio Areopagita comparauisset: *vtrosque aequales circa excidii Hierosolymitani tempora floruisse, amborum dicta pari tenore et simili contemplandi legem more tractare rerum arcana, spiritualemque sacri eloquii tradere intelligentiam, eorundem scripta quoque aequali fere annorum spatio latitasse, et eodem quasi tempore in lucem prodiisse.* Quamuis enim maxime fallatur, statuendo aequales fuisse Simeonem et Dionysium hunc, et paria fata vtrumque habuisse, immo in eo quoque erret, quod sacram intelligentiam scripturae vterque melius quam ceteri aperiat, recte tamen vidit, esse inter vtriusque doctrinam multam similitudinem: cuius caussa ex eo intelligi potest, quod ex vno eodemque fonte vterque sua hauserit, et philosophia Aegyptiaca recentior parens pulli huius inuenusti fuerit, quo Iochaides Iudaicam Pseudo-Dionysius Christianam deformauit ecclesiam. Id quod vtriusque dogmata cum inter se, tum cum iis, quae supra de philosophia Alexandrina disseruimus, comparanti erit manifestissimum. Ex his vero iudicandum est, quousque in delineanda philosophia Iudaeorum Cabbalistica, ad hunc librum splendoris respiciendum sit? Per quod dogmata Cabbalistica ea, quae in Aegypto enata, et in Palaestinam propagata sunt, tandem ad nos peruenisse, ex supra dictis intelligitur; difficile tamen est assutos panniculos a prima textura distinguere, et genuina a spuriis discernere, et dogmati cuiuis suas origines suamque aetatem tribuere. His accedit inextricabilis libri confusio et obscuritas fere insuperabilis; quae tamen eo minus miranda, quo magis et argumentum ipsum de rebus tractat metaphysicis, abstractis, rationem fere superantibus, et imaginationis limites refugientibus; et methodus allegorica omnia illa non corporeis tantum inuoluit imaginibus, sed tantis etiam aenigmatibus obtexit, vt sphynge ad ea soluenda opus sit; et fabularis illa et inepta docendi ratio Iudaica, veri sensus latebras tenebris cingit nouis et profundissime abscondit; et liber non vnius labore, sed multorum studiis congestus compilatusque, varias et diuersas etiam inter se diuersorum temporum sententias et opiniones continet, quas in concordiam redigere et confundere in vnum systema, impossibile iudicamus. Quam obscuritatem libri nec alii viri docti p), nec ipsi Knorrius, tantopere pro libri huius auctoritate tuenda occupatus, negare potuerunt, et, vel illi soli libri, quos ex integra tractatione exhibet *Cabbalae denutatae tomus alter* satis ostendunt. Cui licet

o) De coelesti agricultura L. IV. Collect. Script. Cabbalist. PISTORII p. 125.

p) Vid. laudatos WOLFIO l. c. p. 1140. add. BASNAGIVS l. c. p. 286.

Digitized by Google

licet doctissimus vir ille data *Introductione in librum Sohar*, multo labore et ingenio confecta mederi voluerit, vehementer tamen timemus, vt tenebras dispulerit, licet systema Cabbalisticum semel deprehensum tenentes, ex eo lucis aliquid capere queant. Ex his itaque difficultates in cognoscendis rimandisque mysteriis Cabbalisticis quilibet intelligit, multoque labore animoque praeiudiciis non obsepto eo connitendum est, vt ex Cabbalistarum scriptis systema aliquod cohaerens certumque eruatur, quod lucem Cimmeriis his tenebris inferre queat. Qua lampade instructus si quis libri Sohar adyta rimatus fuerit, deprehendet tandem paulo clarius ea mysteria, quae ex Aegypto ad Iudaeos peruenerunt, et philosophiam orientalem et Aegyptiacam, Pythagorico-Platonicis dogmatibus temperatam ad hanc quoque nationem propagauerunt. Sine hac enim face frustra quis librum Sohar legerit atque relegerit, memorque veteris sententiae: qui non vult intelligi, non vult legi, abiecturus est librum non nisi initiatis patescentem. Ex his vero iudicandum quoque est, de quo viri quoque eruditi disputant, vtrum antiquissimarum veritatum in ecclesia Iudaica conseruatarum vestigia in illo libro comprehendantur; velotiosae recentiorum temporum nugae in eo exhibeantur: quorum illud scriptores de veritate religionis Christianae passim, et imprimis, qui SS. Trinitatis mysterium ex Cabbalisticis scriptis multa eruditione demonstrare sategit, Ioannes Mayervs, itemque editor libri Soharici Knorrius a Rosenroth contendunt, posterius maxime Ioannes Morinvs vrget, qui valde hunc librum contemnit. Nobis si iudicandum est, in vtroque asserendo modus valde tenendus videtur, et nec assutae a recentioribus explanatoribus laciniae, materiae antiquiori adscribendae imputandaeque, nec mysteria Cabbalistica cum puris reuelationis dogmatibus confundenda videntur. Demonstrabimus enim infra luculenter, triada Cabbalisticam siue Sephirothicam a Trinitate Christianorum toto coelo differre, nec esse aliud, nisi emanationum diuinarum, ipso primo Deo dignitate, natura, origine inferiorum, licet in eius vnitate essentiae haerentium et radicatarum ternio adeoque melius cum aeonibus Gnosticorum, quam cum SS. Trinitate Christianorum comparari. Cetera, quae historiam huius libri literariam spectant, dabit ea larga manu Cel. Wolfii [q] diligentia, quae non repetimus: id unum in lectoris gratiam monentes, ex quinque editionibus Knorrianam [r] esse absolutissimam Amstelodamensem [s] compendio suo commendabilem.

§. XI. Post Iochaidis aetatem a Seculo III. post C. N. *ad* Sec. X. exigua studii Cabbalistici notitia in scriptis Iudaeorum chronologicis et literariis occurrit. Cuius variae caussae afferri possunt. Primariam in ipsa Cabbalistarum methodo arcana latere putamus. Abscondisse enim hos homines mysteria sua et non nisi initiatis tradidisse, iure iurando quoque *Cabbalisticum studium Sec. III. ad Sec X. fere neglectum.*

q) loc. cit. r) Solisbaci 1684. fol. s) 1714. 4.

ad silentium sanctissime seruandum adstrictis ex dictis constat, et in sequentibus quoque dicetur. Cum itaque pauciſſimis ea inſpiciendi data eſſet occaſio, et nonniſi precibus pretioque exorari poſſent inuidi philoſophi, vt tanta myſteria pateſacerent, mirum non eſt, pauciſſimos in Cabbaliſticam philoſophiam incubuiſſe, pauciores repertos fuiſſe, quibus ſecretior philoſophiae illius conditio innotuerit. Cumque haud vno dogmate a recepta eccleſiae Iudaicae doctrina placita Cabbaliſtica abirent, omnino veriſimile eſt, eos, qui his ſacris addiſcendis operam dederе, clam id ſtudium habuiſſe, et ſcripta quoque Cabbaliſtica ſumma induſtria occultauiſſe. Nec alia forte ratio ſubeſt, cur tam pauci libri Cabbaliſtici extent, illique in bibliothecarum ſorulis tanquam a draconibus cuſtoditi ſeruentur. Nec, ſi etiam forte ſortuna innotuiſſent, magnopere ad eos attendiſſe Iudaeos, credibile eſt. Tanta enim obſcuritate tantisque aenigmatum tenebris obtegebantur, denſiſſimoque obuoluebantur velo, vt nec vellent magnopere eos legere, quos intelligere ſe poſſe deſperabant, et ſi vellent, ſine magiſtro non poſſent, eumque difficillime impetrarent. Acceſſit ſtudium traditionum, ex quo collectio Miſchnica et Gemarica initio in agro Hieroſolymitano, et tum in Babylonia compilata eſt. Eius enim ſtudium ita occupauerat Iudaeorum animos, vt de aliis rebus vix cogitare poſſent, ſatis ſapientiae acquiſiuiſſe ſibi viſi, ſi Talmudicam eruditionem poſſediſſent. Parum etiam Cabbaliſticae doctrinae ad Iudaeos Babylonios peruenisse, eſt longe veriſimillimum, apud quos tamen ſedes eruditionis a Sec. III fuit, quo ſcholae Palaeſtinae pedetentim exſpirauere: quo aliter fieri non potuit, quam vt monumenta Cabbaliſtica, in ſcholis Palaeſtinae delitescentia, in obſcuris angulis manerent abſcondita. Immo nec temporis ſatis fuiſſe Iudaeis ad difficillima haec dogmata addiſcenda, probabile videtur, cum et ſtudium Talmudicum totam fere hominis aetatem poſceret, ex quo obſignatione Talmudis in immenſam farraginem traditiones excreuerant; et calamitates atque perſecutiones, quibus Iudaei in Oriente premebantur, et quibus tandem in omnem terram diſiecti diſſipatique ſunt, omne literarum ſtudium valde deprimerent. Non mirabitur itaque Lector, nihil nos habere, quod in hac quidem hiſtoriae Iudaicae periodo de philoſophia iſta arcana afferamus. Iam ad ea fata literaria & philoſophica progrediendum eſt, quae habuit gens Iudaica, ex quo loco ſuo illa mota eſt.

Status literarius Iudaeorum Seculo X.

§. XII. Non defuiſſe Iudaeis poſt factam iuris eccleſiaſtici, ſiue Talmudis obſignationem, viros eruditos, qui hanc eruditionis partem excolerent, Iudaeorum ſcriptores literariae hiſtoriae teſtantur, et ex doctorum ſuorum ſucceſſione, quam iactant, intelligitur. At effecere tamen innumerae calamitates, quibus infelix natio tantum non exhauriebatur, vt tota fere eruditio Iudaica ſuccumberet, certe langueſcere vehementer inciperet. Fatenturque GANTZIVS [r] et ZACHVTHVS [s], eorem

r) Zemach Dauid p. 51. s) Iuchaſin p. 119.

Digitized by Google

rem deueniſſe, vt non inuenirentur, qui muneri docendi publico poſſent praefici, et eiusmodi homines ad doctoris munus eueherentur, quos omnia alia, praeter doctrinam literasque, ornabant. Teſte enim R. GEDALIA [x] circa ea tempora quidam R. Aharon ad ſcholae rectoratum eo tantum nomine peruenit, quod diuitiis polleret, licet indignus tanto munere fuiſſet. His accedebant lites et contentiones rectorum et aechmalotcharum, quibus res ſuas literarias ipſi peſſundauerunt. Teſtibus enim hiſtoricis Iudaeorum laudatis inter rectorem ſcholae Pumbedithanae R. Mecaſcher, et aechmalotarcham, non ſine dominationis affectatione Iudaeos regentem Dauid Ben Saccai acerba iurgia exorta ſunt, tantaque diſſenſio enata, vt vehementer res Iudaeorum affligerentur [y]. Maxima vero literae Iudaicae decrementa paſſae ſunt, ex quo Iudaei ſedibus ſuis moti, diſiectique in varias regiones, ſcholas ſuas doctoresque relinquere coacti ſunt, de quibus gentis huius calamitatibus illi legendi ſunt, qui hiſtoriam Iudaicam expoſuerunt [z]. Reſumſerunt tamen vires, & pauliſper redire coepit priſtinus eruditionis honos inter Iudaeos, cum Saraceni ſumma rerum potirentur, literaeque a Chriſtianis in exilium pulſae ad Muſſammedanos, priſtinae ignorantiae capiſtro ſolutos confugiſſent, et inter eos philoſophia quoque eminere iterum coepiſſet, id quod maxime ſeculo X. poſt Seruatoris natales accidit. Eo enim tempore ſcholae Pumbedithana atque Sorana caput extulerunt iterum, nouique doctores illis praefecti ſunt. Valde enim vtraque prius decreuerat, narratque ZACHVTHVS [a], poſt Raf Schalum Ben Miſaël, qui Soranae ſcholae rector praefuit, adeo emarcuiſſe florem ſcholae huius, vt poſt Mar Raf Iacob Ben Netrunael nemo inueniri potuerit, cui docendi munus ſatis feliciter poſſet commendari, coactumque fuiſſe principem captiuitatis Dauid, textorem quendam R. Iom Toph ſcholae praeficere: deliberatum quoque eſſe, annon conſultius eſſet, eam totam tollere, doctoresque reliquos atque ſtudioſos in Pumbedithanam ſcholam transferre. Tandem, ne plane deficeret, Mar Raf Nathanem electum, ſimul autem in id laborem omnem collatum eſſe, vt vir quidam doctus et celebris ſcholae huic praeficeretur, ſicque refloreſcere poſſet. Talem tandem in R. Saadia inuentum eſſe, qui tamen non ex Iudaeis Babyloniis, ſed Aegyptiacis fuerit, qui vocatus poſtea ſcholae praeeſſe, nouoque ſplendore eam illuſtrare ceperit, id quod factum eſt A. C. CMXXVII, teſte GANTZIO [b]. Ab hoc itaque Saadia noua eruditionis Iudaicae periodus exordienda eſt.

§. XIII. Dignus eſt, quem ſilentio non praetereamus R. SAADIAS GAON Ben Ioſeph Aegyptius, ex urbe Pithum oriundus. Ex quo enim a Dauide Ben Saccai aechmalotarcha [c] euocatus ex Aegypto ſcho- *R. Saadias Gaon.*

x) Schalſchelelh Hakkabala p. 37. a.
y) Zemach Dauid. l. c. Iuchaſin p. 121. BASNAGE Hiſt. Iud. L. IX. c. 4. §. 2. p. 100.
z) IDEM l. c. c. 2. p. 28. ſeqq.
a) l. c. p. 119.
b) loc. cit.
c) De aechmalotarchae dignitate, iure, poteſtate videndi poſt Iuchaſin p. 122. HOTTINGERVS Hiſt. eccl. Sec. X. §. 4. p. 157. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. III. c. 4. p. 92.

Digitized by Google

ſcholaeque Soranae praefectus fuit, eruditione ſua collapſa ſtudia valde reſtaurauit literisque aufugientibus habenas iniecit. Sed et philoſophiae nomine meruit, a peſtilentiſſimo enim errore de transmigratione animarum, qui valde Iudaeos occupauerat, contribules ſuos liberare omni vi ſategit. Non potuit tamen aetatis illius infelicitas hominis doctrinam ferre, ſed mature graues inter eum et aechmalotarcham dictum lites et contentiones obortae ſunt. Nempe cum aechmalotarchae a Saracenis, penes quos ſumma rerum tum erat, principatum pretio acquiſiuiſſent, abuti poteſtate coeperunt, et inſolentius imperitare Iudaeis auſi ſunt. Id cum Dauid quoque auderet, isque a Raf Saadia poſtularet, vt iniquioribus quibusdam poſtulatis in eius gratiam ſubſcriberet, repulſam tulit. Quod ita aegre tulit aechmalotarcha, vt quacunque ratione poſſet, Saadiam vexaret. Adiunxit enim ei Raf Ioſeph hominem tenerum annis doctrinaque exiguum, mortemque niſi deſideriis ſuis velificaretur, Saadiae minatus eſt. Qui licet diſcipulos in aechmalotarcham excitaſſet, qui pro praeceptore in illum inſurgebant, infeliciter tamen ea res ceſſit Saadiae, ita vt ad necem quareretur, cogereturque fuga elapſus per ſeptennium ſe abſcondere, quo exilii tempore libros multos conſcripſit, de quibus mox dicemus. Tandem principi Iudaeorum reconciliatus ad muneris ſedem rediit, prouinciamque hanc ea ornauit eruditionis laude, vt poſt mortem quoque Iudaeis eſſet celebratiſſimus [d]. Duabus vero ex cauſſis attentionem in hiſtoria philoſophiae Iudaicae meretur. Nam primo ſtudium is Cabbaliſticum, quod depreſſum hactenus et neglectum iacuerat, reſuſcitauit, conſcripto in librum *Iezirah* commentario [e], libroque alio Cabbaliſtico, cui titulum fecit: *lapis philoſophorum* [f]. Deinde valde memorabilis eſt propter *Sepher Haaemunah*, ſiue *librum de fide*, Arabica lingua conſcriptum, et a R. Iehuda Ben Samuel Aben Tibbon in Hebraicam dialectum translatum. Is compendium quidem theticum theologiae Iudaicae exhibet, at tale, quod argumentis quoque philoſophicis auctum eſt; agit enim de Dei eſſentia, attributis, creatione et providentia, de natura, eſſentia, et facultatibus animae, de transmigratione aliisque [g], quae ad philoſophiam quoque referri ſolent; cuius libri valde memoria in hac tractatione digni compendium cum enarrauerit HENRICVS HOTTINGERVS [h], Lectorem breuitatis cauſſa ad eum ablegamus. Solet etiam idem Saadias Gaon in philologiae ſacrae hiſtoria memorari ob *Sepher Igrun*, ſiue *librum collectionis*, ex quo patet, hunc Saadiam primum inter Iudaeos Grammaticum fuiſſe, de qua re alio loco agendum eſt

d) Videndi Iuchaſin et Zemach Dauid ll. cc. GEDALIA Schalſcheleth Hakkabala pag. 38. R. AB. BEN DIOR Sepher Cabb. ex Chriſtianis HOTTINGER. l c. p 136. MORINVS ex. bibl. p. 431. BASNAGE l. c. p. 101. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 932. ſeqq.

e) Mantuae 1592.

f) Caue vero tractatum Alchemiſticum hic quaeras. Liber enim eſt Cabbaliſticus, vid. BVXTORF. Bibl. Rabb. p. 24. HOTTINGER. Bibl. Orient. p. 31. WOLF. p. 933. REIMMANN. l. c. p. 375.

g) Conf. BVDDEVS Intr. ad Hiſt. phil. Hebr. §. 30. p. 144. vbi tamen pag. 145. pro adſtruit, deſtruit legendum eſt.

h) l. c. p. 139. ſeqq.

Digitized by Google

eſt [i]; quemadmodum in aliis quoque eruditionis ſacrae partibus haud obſcura eius fuere merita, de quibus hiſtoriae Iudaeorum literariae ſcriptores [k] conſulendi ſunt.

Finis eruditionis Iudaicae in Oriente.

§. XIV. Reuocatis ita inter Iudaeos Orientales literis, noua induſtria iuuentus in ſtudia incubuit, et ita eorum increuit numerus, vt noua academia in vrbe Pherez Schibbur excitaretur, in qua nonaginta millia Iudaeorum habitauiſſe, eorum ſcriptores thraſonico more ſuo mentiuntur [l]. In hac noua Muſarum ſede circa medium Sec. XI. inclaruit R. Scherira Gaon, cum filio R. Hai. Is enim Geonatu, quo nomine doctoris publici munus his temporibus ſignificabatur, functus eſt ab A. C. MCLXVII ad MCXCVII [m], ſcripſitque *reſponſionem de variis capitibus hiſtoricis ad Miſchnam, Gemaram, academias et doctores Iudaeorum pertinentibus*, quibusdam editionibus *Iuchaſin* inſertam, ex qua literaria huius gentis hiſtoria iuuari poteſt. Delatus apud Turcarum Sultanum captus, priuatusque facultatibus omnibus ſenex centenarius, e manu ſuſpenſus miſere periit, filium vero Hai ſucceſſorem habuit, qui huc eo nomine pertinet, quod praeter philologiam ſacram Cabbaliſticam quoque philoſophiam laboribus ſuis illuſtrauit, conſcripto *de nominibus diuinis* libro, et *commentario in librum Iezirah* [n]. Cum eius morte, qui A. C. MXXXVII contigit, Geonim quoque claſſis expirauit, ſimul autem Iudaeorum in Oriente felicitas occidit. Capto enim eius temporis aechmalotarcha a Calipha Saracenorum, ſcholae clauſae, doctores fugati, Iudaeique diſſipati ſicque coacti ſunt in regionibus Occidentis latibula tutiora quaerere [o]. Non tamen omnes ita ſcholas extinctas fuiſſe, ex eo colligi poteſt, quod docentes adhuc in Oriente in itineribus ſuis offenderint R. Beniamin Tvdelensis et R. Petachias Ratisbonenſis [p], qui virginem Iudaeam eruditam per tranſennam docentem ibi inuenit [q]. Parum tamen vel nihil plane ad rem literariam iuuandam ex iis collatum eſſe legimus. Ex Oriente itaque profugi maxime in Hiſpaniam ſe conuerterunt, in qua regione Iudaei iam a Salomonis vel Nebucadnezaris tempore maiores ſuos habitauiſſe gloriantur [r], et ibi genealogiam familiae Dauidicae, quae in Oriente in perſecutionibus illis perierat, con-

f) Vid. Morinvs l. c. p. 431. Gvstav. Peringer. hiſtor. linguae et eruditionis Arabum c. V. p. 193.

k) Vid. Wolf. l. c. p. 932. ſeqq.

l) Falſum id eſſe, vel ſolae perſecutiones, quae miſere Iudaeos diminuerunt, teſtes eſſe poſſunt. Calculum itaque ei addere Basnagivm l. c. p. 105. mirantur.

m) Iuchaſin p. 125. b. Wolf. l. c. p. 1155. Basnage l. c. p. 109. Hottinger. Hiſt. eccleſ. Sec. IX. ſ. 4. p. 501. ſeqq.

n) Vid. Bvxtorf. de orig. punct. voc. P. II. c. 4. p. 328. Basnage l. c. p. 108. Wolf. l. c. p. 343. Hottinger. l. c. p. 505.

o) Schalſcheleth Hakkabala p. 38.

p) Videnda vtriusque itineraria, conf. Basnage L. III. c. 4. p. 118. L. IX. c. 10. p. 890.

q) Peculiari differt. hiſtoriam huius virginis eruditae illuſtrauit B. G. Gvst. Zeltnervs, qua huius temporis hiſtoriam Iudaeorum literariam mira luce perfudit.

r) Vana haec eſſe Iudaeorum ſomnia oſtendit Basnage L. VII. c. 9. p. 246.

Digitized by Google

conſeruatam fuiſſe iactant[t]: certiori vero fundamento cum Herode in Hiſpania exulante eo deſcenderunt, et poſtea a Tito poſt excidium vrbis illuc miſſi ſunt, tempore vero concilii Eliberitani iam illic fuerunt, vt ex actis eius patet. Huc itaque translatae ſunt ſcholae orientales, quod qua occaſione factum ſit, apud GANTZIVM [u] et ZACHVTHVM [x] legi poteſt. Ibi cum Saraceni rebus praeeſſent, facili Calipharum fauore gauiſi ſunt. Scholas itaque nouas conſtituerunt, & doctrinam Talmudicam atque Cabbaliſticam excoluerunt, tandemque cum Ariſtotelis philoſophia inter Arabes triumpharet, ei quoque diſcendae animum applicuerunt. De quibus philoſophiae Iudaicae fatis in Occidente iam porro dicendum eſt.

Fata philoſophiae Iudaicae in Occidente.

§. XV. Poſita in Hiſpania literarum Iudaicarum ſede, quae parum apud Iudaeos iſtius loci ante iſta tempora viguerant, potiſſima doctorum cura fuit de ſtudio Talmudico, quod magna induſtria ab eo tempore proſecuti ſunt, Iudaeorum magiſtri, qui ab ea aetate Rabbanitae dicti ſunt [y]. Quos conatus adiuuit Saracenorum principum gratia. Iuſſit enim Calipha Haſchem II, R. Ioſeph, diſcipulum R. Moſche, qui ex oriente eruditionem Talmudicam in Hiſpaniam aduexerat, Talmud in Arabicam linguam conuertere, R. Nathan Ben Iechiel Abraham autem, praeſes Academiae Romanae, qui A. C. MCVI obiit, primus lexicon Talmudicum, *Baal Aruch* dictum [z] eo fine congeſſit, vt contribules in addiſcendo Talmude adiuuaret. Ex eo tempore magnus commentatorum in illud numerus exortus eſt, narranturque additamenta ſiue thoſephoth Gemarae Babylonicae a R. Aſcher et R. Ioſech confecta, doctoresque Iudaici haud incelebris nominis R. Alpheth, R. Ioſeph Ben Meir, R. Abraham Ben Dior, R. Salomo Iarchi, R. Moſche Ben Maimon, R. Iacob Aſcher, R. Mardochai, R. Ieſchua Halleui, multique alii, de quorum tamen laboribus Talmudicis heic loci plura dicere inſtitutum vetat, plena autem eorum hauriri poteſt cognitio ex bibliothecis Rabbinicis a viris praeſtantiſſimis IVLIO BARTOLOCCIO et IOANNE CHRISTOPHORO WOLFIO ſumma diligentia conſcriptis, vt taceamus alios [a], qui hiſtoriam Iudaeorum literariam alibi tetigerunt. Quamuis autem in explanando illuſtrandoque Talmude maxima doctorum Iudaicorum verſaretur occupatio, non neglexere tamen philoſophiam Cabbaliſticam, cuius myſteria illuſtrare tentabant, reuera nouis nugis magis obſcurabant. Hinc magnus ab eo tempore ſcriptorum Cabbaliſticorum numerus deprehenditur, quos paſſim enumerauerunt viri docti [b]. Inter eos laudantur Maimonides, R. Abraham Ben Dior, R. Abraham

s) Conf. IDEM l. c. §. 10. p. 253. et I. IAC. BENVDIVS in memorabil. Iudaic. L. IV. c. 9. p. 128 ſeqq. t) Zemach Dauid p. 52.
u) Iuchaſin p. 121. a.
x) Ciuri, Schalſch. Hakkab. p. 59. a.
y) Vid. WOLF. l. c. p. 921. REIMMANN. l. c. I. l. c. 14. de auctore conf. Iuchaſin p. 131. a. Schalſcheleth p. 41. b.
z) BVDDEVS, BASNAGIVS, REIMMANNVS ll. cc.
a) Io. REVCHLIN. ad art. Cabb. L. I. Script. Cabb.

ham Ben Iſaac, R. Iehuda Hachaſid, R. Aben Eſra, R. Baruch Ben Schemuel, R. Elieſer de Garmiza, R. Moſe Ben Nachman, R. Schem Tof, R. Meir, R. Bechai, R. Perez, R. Iſaac Bar Abba, R. Iahiel, R. Menachem Rekanat, R. Iacob Ben Aſcher, R. Ioſeph Ben Iakan, R. Ioſeph Gecatilia, R. Ioſeph Kamitol, R. Leui Rekanati, R. Iehuda, qui et Leo Hebraeus dicitur, R. Iſaac Loriia, R. Iacob et R. Moſe Corduero, R. Elia, R. Abraham Leui, R. Abraham Galante, R. Schelomoth Alkarez, R. Dauid Ben Aui Simri, R. Abraham Ben Elimelech, R. Iſachar Naphthali, vt recentiores Cabbaliſtas Iudaeos taceamus. Sed nec patria philoſophia et eruditione contenti, Arabumque et Chriſtianorum ex ſtupore ſe recolligentium aemulatione accenſi, cum viderent Ariſtotelem tanquam ſummum veritatis praeſidem vbique coli et extolli in coelum, manus quoque philoſophiae Peripateticae ſtudio dare collumque ſubdere iugo gentilis ſapientiae coeperunt. Indigne id tulere inter Iudaeos plurimi, qui ferre non poterant iungi equos gryphis, et quadrata miſceri rotundis: praecipue ſtudium hoc atque conatus Talmudis cultoribus diſplicuit. Timebant enim, ne Talmudica eruditio, in qua proram puppimque verti domeſticae ſapientiae cum contribulibus ſuis credebant, decreſceret, euileſceretque; rati naturam, indolemque atque conſtitutionem ſtudii Talmudici cum philoſophia Ariſtotelis male poſſe iungi redigique in concordiam, qua in re non abſurde eos conieciſſe, fatendum eſt. Provocabant itaque ad conſtitutiones maiorum, qui maledictionem ei minati fuerant, qui filium ſuum ſapientiam Graecanicam doceret. Aſt vt nunquam illi conſtitutioni tantus honos habitus eſt, vt ab omni Graecanicae philoſophiae ſtudio Iudaei abſtinerent, id quod ex narratione hucvsque deducta conſtat; ita amor philoſophiae Peripateticae inter Saracenos et Chriſtianos ſcholaſtico habitu eam induentes ſic animos occupaverat, vt a communi omnium ſenſu Iudaeorum quoque ingenia in transuerſa rapta vinci ſe a profanae eruditionis hoſtibus non paterentur. Omnem tamen mouit lapidem R. Salomo Ben Abraham Ben Adrath, vel vt, in compendio appellatur Raſchba, qui Barcinone vixit A. C. MCCLXXX [a], vt ſynagogae, cui praeerat, decreto conſtitueretur, ne quis philoſophiae operam daret. Quam conſtitutionem univerſam philoſophiam prohibuiſſe excepto ſolo ſtudio medico auctor eſt R. Abr. Zachvth [b]. Paulo aliter tamen rem narrant R. Gedalia [c] et R. David Gantz [d], nempe interdictum tantum Iudaeis fuiſſe, ne quis ex Iudaeis ante vigeſimum quintum aetatis annum philoſophiae ſtudia attingeret. Id quod ex veneratione philoſophiae profectum fuiſſe, vt nempe ſublimitati eius conſulerent, perperam quibusdam viſum eſt, & alia lon-

Cabb. Pistorii p. 629. Hottinger Bibl. orient. c. l. claſſ. 8. Byddevs Introd. in hiſt. phil. Hebr. l. c. p. 179 et maxime Wolfivs in biblioth. Hebraea paſſim. Reimmann Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 15. §. 16. ſeqq. p. 377. ſeqq.

a) Schalſchelleth p. 58. a. Wolf. loc. citat. pag. 1033.
b) Iuchaſin p. 133.
c) l. c. p. 60.
d) Zemach Dauid p. 20.

ge ratio fuit eius interdicti: nempe animos adolescentum legis et Talmudis studio prius occupari volebant et quasi praemuniri, ne sapientia exotica domesticae detrimentum afferret, iuuentusque coeco impetu in peregrina rueret. Id itaque sub poena anathematis sancitum est. Parum tamen ad haec fulmina contribulium suorum attendebant Iudaei ceteri; immo R. Iedaiah Happenini, qui Barcinone quoque A. C. MCCXCVIII vixit, et cui librum moralem, ex veteribus Graecorum et Arabum philosophis lingua Arabica collectum [f] Iudai, sed incerta fide tribuunt, contra Harischba apologeticum scripsit, teste *Iuchasin* [g]. Immo summa contentione ab eo tempore non in linguarum tantum notitiam, sed in mathematicarum quoque et philosophicarum disciplinarum studium incubuerunt. Vnde a Seculo XII, in omnibus fere scientiis inueniuntur viri inter Iudaeos docti et exoticae eruditionis callentissimi, quos tamen recensere omnes non nostri instituti est, sed eorum, qui singularum scientiarum historiam scribunt. Ex mathematicarum tamen disciplinarum cultoribus Hebraeis non tacendi hic sunt R. Isaac Ben Said, eo quod in construendis tabulis astronomicis Alphonsinis diligentem locauit operam [h], et R. Isaac Israelita Toletanus, qui astronomiam et chronologiam diligenter excoluit, et surgente Seculo XIV, vixit [i]. Vt vero philosophiae studia promouerent, suisque Aristotelis, qui tum solus mundo imperabat, lectionem redderent facilem, ex Arabico, (Graecum enim plerique ignorabant) in Hebraeum sermonem scripta eius verterunt, quarum versionum historiam literariae eruditionis inter Iudaeos enarratores recensent [k], qui videndi. Facile vero intelligi potest, valde a vero Aristotelis sensu has versiones deuiasse, cum Arabicae interpretationes, vt infra in Arabum historia docebimus, melioris conditionis non fuerint: quin ne supposita a genuinis satis accurate distinxerunt, cum artis criticae essent imperiti, vt ex libro *de pomo* constare potest [l]. At non solius tantum Aristotelis libris hic honos habitus est, sed in aliorum quoque scriptis in Hebraeam dialectum transferendis elaborarunt. Qua in re magnam industriam praestitit R. Isaac Ben Chonain, qui Sec. XIII inclinante, exemplo patris, Medici Arabis, cui Iudaei varios libros medicos, variasque versiones medicorum scriptorum Graecorum debent [m], adiuncto sibi R. Mose Ben Samuel Ben Iehuda Ben Tibbon, et Euclidis quindecim libros *elementorum*, et Aristotelis scripta, in Hebraeum, Alexandri Aphrodisaei librum *de anima* autem in Arabicum idioma transtulit [n]. Quod vt maiori licentia inter dissentientes et hos conatus improbantes contribules fieri posset, Aristotelem vel plane Iudaeum fuisse, vel saltem

[f] Hebraice enim cum vertit R. Iehuda Ben Tibbon. Is autem claruit A. C. 1170. Iedaiah Happenini 1298. conf. Wolf. Bibl. Hebr. p. 404.

[g] pag. 153. b.

[h] Iuchasin p. 132. b. Schalscheleth p. 59. a. Zemach Dauid p. 57. a. Vossius de scient. mathem. c. XXXV. §. 31. p. 179. 180.

[i] Conf. Wolf. l. c. p. 663. liber eius chronologicus et astronomicus Fundamentum mundi, editus non est.

[k] Bartolocci Bibl. Rabb. T. I. p. 180. seqq. Buddeus Intr. in hist. phil. Hebr. §. 32. p. 201. Wolf Bibl. Hebr. P. I. p. 219.

[l] Dictum de eo Tom. I.

[m] Vid. Wolf. l. c. p. 583.

[n] Idem p. 655.

Digitized by Google

saltem proselytum factum esse et ex Salomonis scriptis furtim expilatis suam philosophiam hausisse contenderunt [o], vt suis locis monitum, et ex locis Rabbinorum satis impudenter mentientium, quae adduxit Cl. WOLFIVS [p], disci potest. Certe tanta eo tempore Aristotelis inter Iudaeos fuit existimatio, vt non principem modo philosophorum dicerent, sed et *scientiam eius perfectissimam scientiam humanam, praeter illorum, qui diuino gaudent influxu, vsque dum attingant gradum prophetiae, quo nullus superior* [q], appellare non erubuerint. Vt taceamus epistolam Aristotelis, sine dubio a Iudaeo quodam nugatore Aristotelis sequaci suppositam, qua moribundus ad Alexandrum scribens errores suos reuocasse ridiculo commento dicitur; quibus fabulis fidem adhibere potuisse SCIPIONEM SGAMBATVM [s] merito miratur WOLFIVS [t], qui rectissime pronuntiat: *Iudaeos haec omnia confinxisse, vt Aristoteles, ceu gentilis ex proprio ingenio sapere non videretur, ipsi vero excusatius Aristotelicam philosophiam, tanquam ex suis copiis deriuatam postliminio in suos vsus conuerterent.* Nempe terrebat quosdam odium Graecanicae philosophiae, quod anathematis fulmen contribulibus suis extorserat; quod vt iniuste vibrasse ostenderent, Aristotelicam philosophiam Iudaicis originibus, ipsumque Aristotelem vel natalibus Iudaicis vel saltem religioni Iudaicae adscribi oportebat. His quasi munimentis contra aduersarios vallati multam diligentiam in vertendis explicandisque Aristotelis scriptis illustrandisque eius philosophiae dogmatibus praestiterunt Hinc inter philosophos Aristotelicos enumerat B. Io. FRANCISCVS BVDDEVS [u], R. Abraham Chiia [x], R. Abraham Bar Chasdai [y], R. Abraham Ben Iom Tof [z], R. Abraham de Balmis [a], R. Leui Ben Gersom [b], R. Elias de Candia [c], R. Antoli [d], R. Iehuda Co-

o) Etiam de eo Tomo I. dictum. Plura dabit FABRICIVS Cod. pseudepigr. V. T. p. 1019.

p) l. c. p. 217. quoque hic fuse laudat.

q) MAIMONID. in ep. ad R. Aben Tibbon.

r) Schalscheleth p. 99. Io. A LENT. theol. Iud. mod. c. I. §. 5. 6. p. 6. seqq.

s) In archiuis V. T. p. 457. t) l. c. p. 218.

u) Intr. in phil hist. Hebr. §. 52. p. 210. vsus indice bibliothecae Rabbinicae BARTOLOCCII.

x) Fuit Hispanus, astronomiae quoque notitia clarus, qui floruit A. C. 1105. Scripta eius mathematica et moralia recensent BARTOLOCCIVS T I. p. 24. et WOLFIVS l. c. P. I. p. 51. seqq.

y) Archi-Rabbinus Barcinonensis, R. Dauid Kimchii aequalis inclinante Sec. XII clarus, Librum is suppositum Aristoteli de pomo in Hebraeum ex Arabico transtulit, vid. BARTOLOCC. l. c. p. 26. WOLF. p. 47. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II p. 166. reliqua scripta morabia sunt, et dialogos iucundos continent.

z) BARTOLOCCIVS l. c. p. 29. nihil tamen philosophicum de eo notat WOLFIVS.

a) Fuit Medicus Italus circa initia Sec. XVI inclarescens Venetiis, et si RICH. SIMONI in calce hist. crit. V. T. p. 556. credendum, in schola Patauina doctor. Varia Auerrois scripta in Hebraeum linguam transtulit, enarrata WOLFIVIO l. c. p. 70. et secundum principia Aristotelis de substantia orbis et de demonstratione scripsit.

b) Per compendium רלבג dicitur, Hispanus, vel vt alii volunt, Prouincialis ex oppido Bagnoli, vixit teste Schalscheleth p. 69. A. C. 1290. obiitque Perpiniani, A. C. 1370. teste Iuchasin p. 233. b. vbi tot exarasse scripta dicitur, vt numerari non possint. Fuit arte Medicus, philosophia Aristotelicus, cuius philosophiae amor eum seduxit, vt in libro. Bella domini, et mundi aeternitatem, et domum propheticae naturale abstrueret. Scripsit etiam opus astrologicum, expositionem in Auerroëm de logica, physica, de anima, in Aristot. de sensu et sensibili, conf. WOLFIVS l. c. p. 728. seqq. BARTOLOCC. l. c. p. 481. HADR. RELANDVS in viris celebr. Rabbinorum, BVDDEVS l. c. p. 176. G. SERPILIVS vir. Script. bibl. p. II. p. 284.

c) Medicinae studium exeoluit, vnde nomen del Medico nactus est. Vixit Sec. XV. et Patauii docuit. Scripsit tres quaestiones de primo motore, de creatione mundi, de esse, essentia et vno, Venet. 1501. WOLF. p. 169.

d) Claruit Sec. XIII, edidicque commentarium in decem praedicamenta Aristotelis, WOLF. p. 202. BARTOLOCC. p. 375.

hen [c], R. Iudas Bar Moſe [f], R. Ioſeph Aben Caſpi [g], R. Ioſeph Salomoh del Medico [h], R Ioſeph Ben Schem Tof [i], R. Iacob Ben Iſaac Tzahalon [k], R Iacob Mantinus [l]. His addimus tum ex medio, tum ex recentiori aeuo R. Iacob Ben Simſon Antoli [m], R. Iſaac Ben Latech [n], R. Meir Alquadeſch [o], R. Meir Ben Arama [p]. R. Michael Cohen [q], R. Moſen Alatinum [r], R. Moſe Ben Ioſua Iſai Ben Dauid Narbonenſem [s], R. Schemuel Ben Iehuda Aben Tibbon [t], et qui ſeculo ſuperiori inter Iudaeos philoſophiae floruerunt R. Iſaac Orobio [u], et R. Manaſſe Ben Iſraël [x], vt alios taceamus, qui ethicam excoluerunt, eam vero cum legis praeceptis in concordiam ire coëgerunt. Quin nec philoſophicae hiſtoriae expertes eſſe ſuos Iudaei voluerunt, Graecorumque philoſophorum placita illis more ſuo enarrarunt. Scripſit enim R. Chanania Ben Iſaac *inſtitutiones philoſophorum*, in quibus collectionem praeceptorum moralium ex gentilibus philoſophis exhibet, et apo-

c) Toletanus, cuius expoſitio ſapientiae mſc. in Leidenſi bibliotheca aſſeruatur, vid. Cat. P. 286. in ea in varios libros Ariſtotelis aliorumque philoſophorum commentatur, praecipue in Almageſtum Ptolomaei. WOLF. p. 441.

f) Fuit Romanus, librumque de anima et de creatione philoſophicum mſc reliquit, vid. WOLF. p. 448.

g) Barcinonenſis, celebris Grammaticus et philoſophus Sec. XIII. qui comm. in decem praedicamenta Ariſtotelis, et explicationem librorum Platonis de republica ſcripſit, BARTOLOCC. T. III. p. 811. WOLF p. 541. ſeq.

h) Cretenſis, philoſophus, mathematicus, et medicus magni inter Iudaeos nominis, vixit Amſtelodami circa A. C. 1630. WOLF p. 566.

i) Hiſpanus clarus A. C. 1420. in Ariſtotelem commentatus eſt, BARTOLOCC. T. III. p. 830. WOLF p. 571.

k) Romanus, arte medicus, et doctor ſynagogae Ferrarienſis A. C. 1630. WOLF. pag. 601. BARTOLOCC. T. III. p. 832.

l) Philoſophus et medicus gente Hiſpanus, clarus A. C. 1550. interpretationem dedit ſcriptorum quorundam Auerrois Latini, itemque quorundam Auicennae; et inoreh nebhoclum Maimonidis, vid. WOLF. p. 606. BARTOLOCC. T. III. p. 859. NIC. ANTONIVS Bibl. Hiſp. nou. T. I. p. 467.

m) Hiſpanus, verſione librorum quorundam Ariſtotelis, Porphyrii et Auerrois clarus, WOLF. pag. 618.

n) Et hic Hiſpanus fuit, et philoſophiam atque mathematicam Sec. XIII ſcriptis illuſtrauit, WOLF. p. 669.

o) Etiam hic interpretibus Ariſtotelis Hebraeis annumerandus, WOLF. p. 744.

p) Hiſpanus Sec. XVI ineunte inclareſcens, philoſophus magni inter ſuos nominis. Is philoſophiam ad illuſtrandum lobum adhibuit, WOLF. p. 751.

q) Diſcipulus Auerrois, et in eam commentator, metempſychoſin peculiari dialogo mſc. defendiſſe, notat WOLF. p. 759.

r) Medicus Spoletinus, qui et quaedam Galeni Latina fecit, et Themiſtium in Ariſtotelem de coelo Latine conuertit, vid. HVET. de claris interpret. p. 224. WOLF. p. 803.

s) Floruit Sec. XV medio, dedit Qq. ſuper Auerroëm, et ex Arabico Hebraicum fecit Abu. Achmed Algazili librum de opinione philoſophorum circa prouidentiam diuinam, de aliis vid. WOLF. p. 825.

t) Granatenſis Hiſpanus, aequalis Maimonidae Sec. XIII ſcripſit tractatum de metcoris, ex Ariſtoteles compilatum, aliaque ſimili modo ex eius ſcriptis collecta, de quibus vid. WOLF p. 1098.

u) Hiſpanus Sec. XVII inclareſcens, diuque Iudaiſmum diſſimulans in academia Salmanticenſi philoſophiae operam dedit indefeſſam, eo quidem ſucceſſu. Vt lector metaphyſicae ibi conſtitueretur. Inde vero medicinam Hiſpali exercens de Iudaiſmo ſuſpectus in manus inquiſitorum incidit, et per tres annos captiuus detentus eſt; liberatus, tandem Toloſam ac inde Amſtelodamum ſe conuertit, et Iudaiſmum, publica circumciſione, in qua nomen Balthaſaris cum Iſaaci commutauit, profeſſus eſt obiitque 1687. vid. BASNAGE Hiſt. Iud. L. IX. c. 37. §. 12. p. 1041. LE CLERC Bibl. vniu. T. VII. p. 148. BAYLE Dict. T. IV. art. Spinoza nor. M. p. 259. WOLF l. c. p. 646. SCHVDT memorab. Iud. P. I. L. IV. c. 9. p. 159. §160. Lites eius de ſyſtemate Spinoziano Tomo IV. enarrabimus. Cum eo amicam collationem habuit PHILIPPVS LIMBORCHIVS de V. R. C. editam Goudae 1637. 4.

x) Hiſpanus, ſed qui diu Amſtelodami verſatus, concionatoris inter ſuos partes ſuſtinuit, obiitque 1659. Magna ei familiaritas cum eruditiſſimis ſui temporis viris, Voſſio, Grotio, Barlaeo, Epiſcopio fuit, quos magni eius eruditionem feciſſe, vel ex ſolo Barlaei in eum epigrammate notiſſimo, et a multis repetendo conſtat. Prolixe eius hiſtoriam literariam exponit WOLFIVS l. c. p. 778. ſeqq. ad l. BASNAGE L. IX. c. 36. §. 7. p. 998. ſeqq. BVDDEVS l. c. §. 33. p. 228.

Digitized by Google

apophthegmata recitat Socratis, Diogenis, Pythagorae, Platonis, Aristotelis, Hippocratis, Galeni, Porphyrii, Epicuri, Locmanni, Homeri, Solonis, Euclidis, Ptolomaei, multa quoque, fide Iudaica, traduntur ad Aristotelis et Alexandri historiam pertinentia [y]. Compendia vero physica, logica, ethica, quae in Aristotelem dedit gens Iudaea, heic loci enumerare ob instituti rationem non licet. Tantopere vero philosophia multis Iudaeorum placuit, vt haud raro in explicandis oraculis diuinis ad eam respicerent, eiusque regulas adhiberent, exegetasque sic philosophicos se praestiterunt ex Sec. XII, Iarchi, Aben Esra et R. D. Kimchi, ex Sec. XIII, R. Moses Nachmanides, R. Bechai, R. Meir, ex Sec. XIV, R. Leui Ben Gersom, ex Sec. XV, R. Samuel Sirsa, R. Mardochai Nathan, R. Schem Tof, R. Isaac Ben Aramah, ex Sec. XVI, R. Schelomoh Ben Melech, ex Sec. XVII, R. Menasse Ben Israel aliique, quorum tamen notitia alibi quaerenda est [z]. Fuit etiam, qui Aristotelicis principiis vsus, veritatem religionis Iudaicae demonstrare aggressus est, nempe auctor libri *Cosri* vel *Cusri* vt vulgo vocatur, vel vt rectius inscribitur *Hachosari*, in quo disputatio recensetur, de vera religione, cui occasionem dedisse dicitur rex Cosaraeorum, qui primo quidem cum gentili et Christiano congressus tandem Iudaeum aduocauerit, eiusque argumentis conuictus veritatem religionis Iudaicae agnouerit. Auctorem colloquii huius fuisse Iudaeum Haac Sangari, hancque disputationem in literas retulisse lingua Cosaraeorum, tum Arabice Iehudam Leuitam, ac postea Hebraice R. Iehudam Ben Tibbon vertisse, Iudaei asserunt, quorum fide si standum in Sec. VIII hoc colloquium referendum est [a]. Valde tamen disputatio haec suspecta visa est, non Christianis tantum, sed ipsis quoque Iudaeis, inter quos sunt, qui R. Iudam Leuitam hunc dialogum ad exemplum Platonis et Ciceronis confictis in eam rem personis, descripsisse putant, quam sententiam R. ASARIAS [b] et ex parte R. GANTZ [c] sequuntur. Certe dubiam eius dialogi fidem videri, ipsi, qui eum nobis cum commentario MVSCATI et suo dedit [d], BVXTORFIO visum est. Attulere plura viri docti, *ἀμαρτήματα* et chronologica et historica, quae apud MORINVM [e] atque WOLFIVM legi possunt. Nos hic ea tantum afferimus, quae vir has literas apprime doctus, MATTHIAS FRIDERICVS BECKIVS, philologus superioris seculi celeberrimus, exemplari suo, quod reculis nostris accessit, adscripsit, et rem extra dubitationem ponunt. Monetis: „verisimile non esse, Iudaeum tam doctum „et prudentem tanta temeritate ausum fuisse, de rebus minimis, regem „posita omni veneratione scisciatari, quod tamen in hoc dialogo fingitur:

„esse

y) Vid. WOLF. p. 376. seqq.

z) Videndi praeter bibliothecarum Rabbinicarum scriptores, quae attulere HOTTINGERVS Hist. eccl. Sec XII. et seqq. et Ven. REIMMANNVS Intr. in hist. theol. Iud. loc. cit. c. 8. p. 143. seqq.

a) Historiam libri vide apud GEDALIAM Schalscheleth pag. 40. b. et ex instituto apud WOLFIVM l. c. P. I. p. 440. seqq.

b) In Meor. Enaim c. 45. p. 135. b.

c) Ad A. 4900. d) Basil. 1660. 4.

e) Exerc. bibl. p. 419.

„esse manifesta quaedam regis Cosaraeorum desumta ex libro Geneseos,
„pleraque autem puras putas fabulas olere, quas cordatus quilibet facile pal-
„pet, et quidam posteriorum Rabbinorum in solatium suum de regimine Iu-
„daeorum confinxerit. Neque in rege eius aetatis tantam in artibus et
„disciplinis sapientiam deprehendi, quam hic tribuitur Cosaraeo. Esse
„quoque in eo libro apertas absurditates temporum rationibus aduersas,
„e. g. dici *P. III.* §. *65*. Rabban Iochananem filium Saccaei nihil omisisse
„ex Mischna, Gemara, ritibus, Haggadoth, ex omnibus obseruationi-
„bus sapientum et scribarum, vt et verbis legis, quae non didicerit, cum
„tamen Gemara longe recentior sit.“ Verum prudenti lectori dubium nullum superfore, fraudemque patefactum iri apertissime putamus, si modo disputationis secundae initia legerit. Vnde nulli dubitamus accedere viris doctis[f], qui eo fine conscripsisse R. Iudam Leuitam haec colloquia statuunt, vt caussam Rabbanitarum contra Christianos, gentiles, Muhammedanos et Karaeos, quos passim impetit, tueretur. Interim cum multa philosophica admixta sint, specimen esse luculentum liber ille potest philosophiae Iudaicae, medio aeuo in publicum prodeuntis, studiique Iudaeorum, quod in addiscenda philosophia Peripatetica posuerunt.

Aben Esra. §. XVI. Exempla plurima hactenus adduximus Iudaeorum, certatim profanam eruditionem, praecipue autem philosophiam sectantium: sunt vero inter eos viri duo, ingenii magnitudine, eruditionis praestantia, et reliquo literarum ornatu nationis suae conditionem longe superantes, in quibus confluxuit quasi, quicquid fuit doctrinae exegeticae, Talmudicae, Cabbalisticae et philosophicae inter Iudaeos memorabile, quorum memoria merito in historia philosophiae Iudaicae renouanda est. Sunt illi Aben Esra et Moses Maimonides R. ABRAHAM BEN MAIR, ABEN ESRA, id est filius Meir nepos Esrae, inter summos viros a suis plerumque numeratur, quibus κατ' ἐξοχὴν חחרם, sapiens[g] audit. Natus fuit Toleti in Hispania. Quamuis autem summam nominis celebritatem fuerit consecutus, mirum tamen est, nec natalem nec emortualem diem eius certum a Iudaeis memorari, quorum narrationes valde de eo variant. Scriptor *Iuchasin*[h] ex nonnullorum sententia, ait, Kalahorae, siue Rhodi A. C. MCXLVIII, secundum alios A. C. MCLXVIII, vel potius MCXCIV, anno aetatis septuagesimo quinto, vndecim annis ante R. Mosis Maimonidis obitum, fatis concessisse. Alii mortem eius in annum MCLXV, GANTZIVS[i] in A. C. MCLXXIV referunt. Quicunque vero ex his annus recipiatur, errasse tamen censendus est VOSSIVS[k], SIMLERVM[l] secutus, qui obiisse A. C. MCCXVII tradit, cum LVCAM GAV-

f) Praeter Morinum BARTOLOCC. T. III. p. 61. BASNAGE Hist. Iud. L. IX. c. 1. pag. 2. BVDDEO introd. in hist. phil. Hebr. §. 30. p. 158. WOLF. l. c.

g) Schalscheleth p. 41. 2.

h) p. 131. 2.

i) Zemach Dauid ad A. 4934. qui est A. C. 1174.

k) De scient. mathemat. in addendis ad c. XXXV. §. 21. p. 449.

l) In epitome GESNERI.

Digitized by Google

GAVRICIVM [m] annum MCXLV ponentem deferendum putaſſet. Rectiſſime itaque inſtituunt, qui circa Seculi duodecimi medii tempora viguiſſe aſſerunt [n]. Maximam is eruditione ſua apud Iudaeos famam & auctoritatem ſibi parauit, ita vt non ſolum ſapiens, ſed ſapiens quoque magnus et mirabilis diceretur [o], magnusque paſſim illis audiat. Eruditionem adeo amauit, vt eius cauſſa varias orbis terrarum partes peruagaretur, et in horrea quaſi ſua reponeret, quicquid eruditionis vbique colligere poterat. Hinc factum, vt non tantum iudicio meliori, quam contribules eius ſolent, vteretur, et in interpretandis ſacris literis doctius meliusque incederet, ſed in reliquis quoque eruditionis partibus excelleret, vnde BARTOLOCCIO [p], excellens philoſophus, aſtronomus, medicus, poëta, grammaticus, Cabbaliſta et S. ſcripturae famoſus interpres audit. Quod celeberrimi Iudaei elogium multi inter Chriſtianos confirmauerunt [q]. Diligentiae vero eius ſpecimen luculentum ſunt ſcripta exegetica, theologica, grammatica, philoſophica, aſtrologica et mathematica, quorum recenſionem dabunt BARTOLOCCIVS [r], RELANDVS [s] WOLFIVS [t]. Pleraque ex philoſophicis, vt et Cabbaliſtica nondum edita in bibliothecis latent, quae diligenter recenſuit WOLFIVS [u].

§. XVII. Alter, quem inter polyhiſtores ſeculi gentisque ſuae merito referas, eſt R. MOSES BEN MAIMON, vir non vndequaque tantum doctiſſimus et in omni literarum genere verſatiſſimus, ſed meliori quoque iudicio, quam reliqui ſui populi doctores, vſus, id quod philoſophiae acceptum referendum eſt, quam diligenter excoluit. Solet etiam per compendium literarum רמב"ם [x], et ob nominis celebritatem Moſes κατ' ἐξοχήν, vel Moſes Aegyptius a loco commorationis appellari. Natus eſt Cordubae in Hiſpania A. M. MMMMDCCCXCI, A. C. MCXXXI, die Sabbati eademque veſpera Paſchatis, teſtibus Iudaeis [y], patre genitus Ioſepho. Ingenio initio ſtupidiori viſus, patri contemtus eſt, cum is literariam inſtitutionem ipſe adhibuiſſet. Ad R. Ioſephum filium Megas autem abiit, vt eius diſciplina vteretur. Immo LEONE AFRICANO [z] auctore, Ibnu Thophail, Ibnu Saig, et Auerroëm Arabes praeceptores habuit; qui cum in philoſophiae cognitione excellerent, vt *ſequenti tomo* oſtendemus, mature quoque Maimonides eius myſteria didi-

Moſes Maimonides.

m) In computu eccleſiaſtico p. 16.
n) Abſoluit enim, vt ipſe teſtatur, comm. in Exodum A. C. 1153. in Danielem 1159.
o) R. GANZ. l. c.
p) T. I. p. 36.
q) Vid quae collegerunt THOM. POPEBLOVNT cenſ. cel. auct p. 270 G. SERRILIVS vit. Scriptor. bibl. P. IV. p. 269. BVDDEVS l. c. §. 30. p. 148. ſeq. et laudati WOLFIO P. I. pag. 86.
r) loc. cit.
s) In analectis Rabbinicis p. 59.
t) loc. cit.
u) P. III. p. 146. P. IV. p. 764.
x) Caue itaque Ramham a Moſe Maimonide diſtinguas, quod accidit CASAVBONO exerc. anti-Baron. XVI. §. 16. p. m. 340. Ita ex vno Moſe tres fecit GESNERVS Biblioth. p. 509.
y) Iuchaſin p. 131. b.
z) De medicis et philoſophis Arabibus et Hebraeis c. 28. apud FABRIC. Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 296.

Digitized by Google

didicit. Reuerſus in patriam communi omnium applauſu in ſynagoga perorauit, et vt ingenii opes augeret, ſcripta doctiſſimorum virorum auide legit, ſicque doctrinae atque eruditionis incrementa vidit laetiſſima. Quibus animi diuitiis factum eſt, vt quem virtute et ſcientia aſſequi non poterant, inuidia perſequerentur, quam vt euitaret, patriam deſerere coactus eſt. Varias eius rei cauſſas ſcriptores afferunt. R. GEDALIA [a] ciuium inuidiam accuſat, quae eum expulerit; LEO AFRICANVS [b] autem, Maimonidem tradit, ab Ibnu Thophail Auerroi commendatum, vt in omnibus illi rebus adeſſet, apud Auerroëm manſiſſe vsque ad tempus illud, quo gratiam principis amiſerat, et ad Iudaeos in exilium miſſus erat, tum enim Moſen aufugiſſe, timentem, ne eum prodere, de eo rogatus, ſicque amicitiae violare iura cogeretur: diſceſſiſſe itaque in Aegyptum. Auctor autem *Scheveth Iuda* [c] cauſſam profectionis Maimonidis in edictum contra Iudaeos in Africa et Oriente verſantes coniicit. Valde afflictum fuiſſe ſtatum atque conditionem Moſis ex eo colligi poteſt, quod aduerſarii ei obiecerint, conuertiſſe ſe ad Muhammedanos eorumque fidem amplexum fuiſſe, eaque de re conqueſtum fuiſſe Maimonidem, apud Sultanum Aegypto imperantem, cum id illi obiiceretur. Suſpicaturque doctiſſimus BASNAGIVS [d], veram fuiſſe apoſtaſiae huius accuſationem, eo quod non tantum ea ex cauſſa a Sultano innocens iudicatus ſit, quod coactus tale quid ſuſcepiſſet; ſed et ab Auerroë eiusmodi indifferentiſmum religionum, quem vocant, facile diſcere potuerit, eiusque principia atque veſtigia ſatis ſuſpecta paſſim reliquerit. In qua tamen ſuſpicione probanda meliores rationes merito deſideramus [e]. Quicquid tamen eius rei ſit, illud certum eſt, Maimonidem conſcenſa naui in Aegyptum properaſſe. Cairi vbi appulit, eruditionis praeſtantia, quae tandem omnibus innoteſcebat, ita ſe commendauit, vt a Sultano Aegypti Malich El Hadul in aulam reciperetur [f], isque ſanitatem ſuam tuendam illi crederet, licet priuatis ſtudiis ſe hactenus totum mancipauiſſet. Tam graui muneri praefectus totus in id incubuit, vt et ſemper auxilio hero ſuo adeſſet, et conſilium ab eo petentes non deſtitueret. Quamuis autem, quod ipſe queritur, toti fere dies ita abſumerentur, non deſtitit tamen literarum quoque inuigilare ſtudiis, iuſſuque heri ſui Auicennae ſcripta conuertit [g], libellumque *de tuenda valetudine* ad eum conſcripſit, qui in varias linguas poſtea traductus eſt [h]. Cum vero inſigni apud principem ſuum gratia floreret, medicorum Aegyptiacorum inuidiam et inſidias haud ſemel expertus eſt, quas tamen mire euitauit: narrant enim, concertaſſe aliquando cum medicis, poſtulantibus, vt artis ſpecimen faceret venenumque

a) Schalſchelcth p. 43.
b) loc. cit.
c) pag. 162.
d) Hiſt. Iud. L. IX. c. 10. p. 268.
e) Vid. Fundam. legis c. V. § 2. 3. 6. p. 54. 58.
f) Alii Alphadel vocant. Vid. de hoc munere ipſe pec. epiſt. inter eius epiſtolas, et apud BVXTORF. inſtit. ep. Hebr. p. 379. GANTZ. Zemach Dauid p. 15. LEO AFRICANVS loc. cit. BASNAGE l. c.
g) Vid. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. pag. 865. BASNAGE l. c.
h) Latine Ven. 1514. 1521. Aug. Vindel. 1518. Germanice ibid. 1681. conf. WOLF. p. 863.

Digitized by Google

que oblatum ſine noxa hauriret. Id praeſtitiſſe Maimonidem, antidoto praemunitum, at coactos, vt et ipſi haurirent, medicos omnes veneni atrocitate fuiſſe enecatos. Alias narratiunculas Iudaeorum tantum fide dignas tacemus. Gratia vero principum, quibus ſeruiebat, nixus, nationis ſuae ſaluti diligentiſſime proſpexit, ſcholamque Alexandriae excitauit, ad quam multi diſcipuli confluxere, quos tamen perſecutio inualeſcens iterum diſſipauit. Sunt, qui receſſiſſe illum in Palaeſtinam dicunt, ibique A. C. MCCV, ſeptuagenarium obiiſſe : alii vero in Aegypto diem ſupremum vidiſſe tradunt [k] A. C. MCCI, et non tantum publico luctu Cairi, Alexandriae et Hieroſolymae deploratum, ſed et miraculo illuſtratum. Cum enim, ſi Iudaeis credendum [l], corpus exanime Tiberiadem deferretur, vbi ſepeliri ſe iuſſerat, magnaque caterua Iudaeorum et Aegyptiorum funus deducerent, in latronum greges inciderunt, fugaque omnes diſperſi ſunt. Latrones vero cum relictum corpus abiicere in mare tentaſſent, tam graue illud deprehenſum eſt, vt loco moueri non poſſet. Sed et publico ieiunio feriisque diem eius emortualem illuſtrem redditum, iidem tradunt. Fuiſſe Maimonidem virum longe doctiſſimum, et in omni eruditionis genere verſatiſſimum, cum commune doctorum virorum ſuffragium [m] atque elogia certatim ei a Chriſtianis tributa [n] euincunt, tum ſcriptorum eius catalogus demonſtrat. Vſus eſt linguis non ſolum Arabica, Chaldaica, Turcica, Medica, ſed et Graeca, raro inter ſuos exemplo, in qua legiſſe ſcripta Platonis, Ariſtotelis, Themiſtii, Galeni aliorumque videtur: fateturque euoluiſſe ſe multa philoſophorum ſcripta. Sed et ipſe Logicam ſcripſit, et in aliis etiam commendationibus ſuis philoſophiae notitiam mire prodidit [o]. In Talmudicis autem, quemadmodum ad miraculum erat verſatus, ita iudicium prae omnibus ſui temporis Iudaeis probauit, licet eo nomine multis diſpliceret. Mathematicarum ſcientiarum notitiam, quae eo tempore medicinae iungi ſolebat, poſſidebat egregiam, et in ſalutaris artis praeceptionibus et experientia vtebatur feliciſſima, et vſu valebat quotidiano et iudicio recto. Scriptorum vero eius indicem hic attexere extra ſcopum noſtrum eſt, legent eum, qui volent, apud BARTOLOCCIVM, WOLFIVM aliosque, qui etiam recenſionem dabunt ſyſtematis Talmudici ab eo confecti. Eſt in eo quoque tractatus *de idololatria*, qui in philoſophiae hiſtoria vtiliter adhiberi poteſt, ideoque ſubiunctus eſt a GER. IO. VOSSIO eruditiſſimae tractationi *de theologia gentilium*. Maxime vero iudicium philoſophicum probauit in tractatu, cui titulum fecit *More nebhochim*, id eſt *doctor* vel *director perplexorum*, eo fine conſcripto, vt oſtende-

i) Schalſcheleth p. 22. b.

k) Iuchaſin l. c. LEO AFRICANVS vero fallitur, dum mortem eius Hegirae 640, id eſt. A. C. 1242 euenisse ait.

l) Iuchaſin l. c. Scheueth Iuda l. c.

m) Iudaeorum vide apud WOLF. l. c.

n) Apud POPE-BLOVNT. cenſ. celebr. auct. p. 390. et quae WOLFIVS poſtea collegit P. III. et IV. Bibl. Hebr. Multa illis addi poſſent. Cui enim non dictus, non laudatus Maimonides?

o) BARTOLOCCIVS et WOLFIVS ll. cc.

ret, qua ratione verba, phraſesque et allegoriae, quaeque alia a communi loquendi more in ſcriptum abeunt, intelligenda ſint; qua occaſione non multis tantum ſacrarum paginarum locis lucem conciliat, ſed et argumenta theologica et philoſophica multa illuſtrat [p], praecipue vero in rationes legum per Moſen a Deo latarum inquirit, quo loco maxime Zabiorum ſuperſtitionem anſam dediſſe Deo leges has atque conſtitutiones illi opponendi contendit. Quam opinionem magna eruditione atque ſtudio a Io. SPENCERO [q] iterum adornatam cum *tomo primo* ex inſtituto examinauerimus, dicta illic, hic otioſe repetere nolumus. Librum doctum Arabice ab auctore ſcriptum Hebraice vertit R. Shemuel Tibbonides, ita quidem, vt de dubiis ipſum Maimonidem conſuleret. Latinam verſionem debemus AVGVSTINO IVSTINIANO [r] longe rariſſimam, at nec fidam ſatis, nec elegantem, accuratiorem diligentiſſimo IOANNI BVXTORFIO filio [s]. Non placuit liber Iudaeis omnibus, qui ferre non poterant, hominem eruditum et philoſophantem in explicandis cauſſis legum rituumque Moſaicorum magis ad philoſophiam et hiſtoriam, quam ad traditionem Talmudicam et Cabbaliſticas rationes prouocaſſe. Factum inde eſt, vt et nouitatis et haereſeos nota illi inureretur. Id quod inprimis a Gallis factum, ducem ſe praebente R. Schelomoh f. R. Abraham Montispeſſulano cum diſcipulis R. Iona et Dauid Ben Saul, qui flammis opus hoc adiudicabant. Magnae inde exorſae ſunt inter ſynagogas Gallicas lites, Narbonenſibus illos anathemate percutientibus, aliis & inter eos R. Ioſeph Ben Alpachar, Toletanae ſynagogae archirabbino eos defendentibus, qui et ipſi Chriſtianorum poſtea opem implorarunt, poſtquam annitente R. Dauid Kimchi, totos Iudaeorum, coetus Gallicus illi trigae ſe oppoſuiſſet. Mittendi etiam ad ſynagogas Cataloniae et Arragoniae Kimchium conſilium ceperunt Galli, quod iter tamen is morte praeuentus abſoluere non potuit. Literis tamen ſuis effecit, vt cauſſam Narbonenſium Hiſpani tuerentur, reiectis damnatisque Monspeſſulanis. Qui errorem ſuum agnoſcentes, retractarunt ſententiam, et cum Narbonenſis Galliae ſynagogis in gratiam redierunt, R. Iehuda tamen in ſententia ſua perſtitit, nequicquam omnem lapidem mouente Kimchio, vt mitiora illi perſuaderet: is enim coelum terramque miſcuit, et Chriſtianorum implorato auxilio grauem genti ſuae inuidiam conflauit [t]. Quamuis autem plurima egregie et ſobrie magis, quam Iudaei ſolent, in eo libro Maimonides afferat, negari tamen non poteſt, quod RICHARDVS SIMONIVS [u] quoque obſeruauit, nimis eum Ariſtotelis Arabumque premere veſtigia, metaphyſicam

p) E. g. agit P. I. de Deo, de creationis, de intelligentiis ſphaerarum nutricibus, de influxu aſtrorum etc. conf. WOLF. l. c. BVDDEVS l. c.

q) De legibus Hebraeorum ritualibus.

r) Eius magis cura, quam labore conuerſam, vid. WOLF. l. c. p. 857.

s) Baſileae 1629. 4.

t) Vid. Epiſtolae Maimonidae et aliorum Ven. 1545. 8. et apud BVXTORF. Inſtit. Epiſt. Hebr. p. 396. HOTTINGER. H. E. Sec. XII. f. 4. p. 262. BVDDEVS l. c. p. 167. BASNAGE l. c. p. 277.

u) Hiſt. Crit. V. T. L. III. c. 6.

Digitized by Google

ficam quoque sequi nimis subtilem, et Arabum magis placita, maximeque Auerrois, quam sanam rationem exprimentem, vnde non potuit non ex nimio conciliandi Aristotelem cum scriptura sacra studio interdum grauiter hallucinari [x]. Cuius exemplum esse potest, quod albedinem lapidis Sapphiri, quam sub pedibus Dei vidisse Moses *Exodi c. XXIV, 10.* dicitur, de materia prima Aristotelis explicat, id quod quam ineptum sit, quamque frigidum, ex ipsis eius verbis omnium optime iudicari potest. Ceterum in arcana Iudaeorum philosophia parum exercitatum fuisse, illi non diffitentur, tradunt vero eum tandem deplorauisse, quod Cabbalam contemserit, ideoque in senectute eam Hierosolymae didicisse [y]: alii vero ignarum eius mysteriorum fuisse ex eo coniiciunt, quod Bereschith et Mercauah, Cabbalistice scripserit [z]. Illud certum, magis ad Graecanicam, quam Cabbalisticam philosophiam Maimonidem respexisse, multosque suo exemplo adduxisse, vt idem facerent. Quo tamen consilio parum philosophiam adiutam fuisse, ex eo iudicari potest, quod Arabiam tantum et imprimis Auerrois philosophandi rationem Maimonides secutus est, et subtilitates affectauit fundamento destitutas; cuius exempla aliquot luculenta dedit BASNAGIVS *.

CAPVT TERTIVM
DE PHILOSOPHIA IVDAICA.

SECTIO I.
DE PHILOSOPHIA IVDAEORVM EXOTERICA.

§. I.

Obseruationes generales de philosophia Iudaica.

Enarrata philosophiae Iudaicae parte historica, restat dogmatica, quae doctrinae Iudaicae, quatenus rationis principia vel sequitur, vel ex iis cognosci potest, placita prosequitur. Eam duplicem esse, exotericam et esotericam, siue communem et apertam, atque arcanam et mysticam ex tractatione nostra satis liquere putamus, idque in praesenti monuisse sufficiat. Vtriusque distincta prorsus consideratione opus est. Differre enim dogmata Cabbalistica ab exotericis et communi-

x) Conf. BVDDEVS l. c.
y) R. Elias Chaiim apud BVXTORF. praef. More Nebhochim. R. Iom Tof comm. in Fund. fid. c. 1.
z) Ita quidem REIMMANNVS Hist. theol. Iud. L. I. c. 17. p. 380.
* l. c. p. 278. seqq.

bus ecclesiae Iudaicae doctrinis, ex iis, quae de illorum origine obiter dicta sunt, intelligitur, clarius autem ex ipsorum delineatione, quam *sectione sequenti* dabimus, patescet. Exotericam autem Iudaeorum philosophiam delineaturi, ad ea respicimus, quae post templi vrbisque deuastationem inter Iudaeos recepta et in vsu fuerunt, et pro dogmatibus Iudaicae gentis atque ecclesiae habita et admissa sunt. Placita enim Iudaeorum ante reipublicae euersionem *capite huius libri primo* iam tetigimus. Quamuis autem post templi excidium, ecclesia Iudaica turbata prorsus multas mutationes passa est, certum tamen est, magnam partem doctrinae ante euersionem vrbis florentis per Tanaitas ad posteros fuisse propagatam, et ita, quae daturi sumus, ad veteres quoque Iudaeos suo modo pertinere. Verum cum traditionis de successione doctrinali, quam Iudaei a Mosis, prophetarum et Esdrae temporibus deriuant, fides valde suspecta sit, multa quoque noua vsque ad Talmudis obsignationem accesserint, quae a vetustioribus distingui non possunt, recte inde colligitur, de antiquitate dogmatum Iudaicorum, quae exponentur, non aliter iudicandum esse, nisi prout testium tempora volunt, et testimonii permittit conditio. Antequam vero placita Iudaeorum, quae in philosophica historia critico oculo perlustrari possunt, explicamus, pauca quaedam praemonenda, et obseruationes quaedam generales afferendae sunt, ex quibus de origine, indole, natura fideque horum dogmatum, et quatenus in philosophiae annalibus enarrari queant, rectum fieri queat iudicium. Potiora huc redeunt:

Philosophiae Iudaicae conditio et indoles.

I. De philosophia Iudaica paulo aliter iudicandum est, quam de philosophia gentili. Haec enim, si barbarica quaedam exceperis, traditione magis, quam ratiocinatione nixa, ad principia rationis tota se conuertit, adhibitisque ratiociniorum intellectus humani nexibus et illationibus de rebus tum diuinis tum humanis differuit, et philosophiam moralem iisdem, qua naturalem, fundamentis inaedificauit. Aliter id inter Iudaeos euenit, qui et ipsi quidem rerum humanarum atque diuinarum notitiam ad hunc vsque diem tradere non omiserunt, ast principio cognoscendi alio vsi sunt. Quamuis enim ratiocinandi legem et illationes non neglexerint, vt vel ex tredecim argumentandi modis constat; principium tamen cognoscendi primarium, ad quod in omnibus fere attenderunt, traditio fuit, et decisiones πατροπαράδοτοι, haud raro rationis principia infeliciter euertentes. Cum enim ad auctoritatis praeiudicium, quod tot modis veram philosophiam euertit, pleraque retulerint, non potuere non inter dogmata eorum multa irrepere absurda, quae lolii instar omnem rationis segetem euerterunt. Ex quibus sequitur

Theologia cum philosophia Iudaica fere coincidit.

II. Philosophiae et theologiae Iudaicae eandem fere rationem esse, et suo modo coincidere, nec posse considerari philosophiam Iudaicam, sine theologia huius gentis inque eo vno historiam illius ab huius enarratione differre, quod illa ad ista tantum dogmata attendat, quae ex ratione quoque

Digitized by Google

que intelligi et ad eius forum pertrahi quaſi poſſunt. Et Iudaeos quidem inter dogmata ex rationis cognoſcenda principiis, et ea, quae ex traditione diſcuntur, diſtinguere ſolere, negari non poteſt; auctor enim libri *Coſri* diſerte [a] *principia vniuerſalia*, *humanis mentibus inſita ſtatuta intellectualia* vocat, *eo quod naturalis ratio et intellectus ipſe*, *ea ceu aequa et obſeruanda ſtatuat*, *eſſeque ea προγυμνάσματα vel principia et praeparatoria ad legem diuinam*, *praecedentia eam natura et tempore*, *ſine quibus nulla humana ſocietas queat conſiſtere*, *adeo vt ne latrones inter ſe queant ſine illis ſubſiſtere* pronunciat, eas vero a legibus diuinis acroamaticis diſtinguit: qua ratione quoque R. Bechai [b] *praecepta intellectualia* a *praeceptis traditionis* diſtinguit, et illa eſſe definit *de quibus hominis intellectus teſtatur*, *eaque explorat*, *ita*, *vt ſi vel maxime ſcripta non eſſent*, *tamen intelligens ea ſuo intellectu inueniret*, *vt*, *praeceptum de honorandis parentibus etc. praecepta vero traditione accepta ea eſſe* dicit, *quae homo in aeternum non aſſequeretur*, *neque intellectu ſuo inueſtigaret*, *ſed opus habet traditione*, *vt*, *praeceptum de clangore tubae*, *de tabernaculo.* Verum ſi ad praxin doctorum Iudaicorum reſpicimus, exiguum illos huic diſtinctioni pretium ſtatuere fatendum eſt, dum veritates naturales vel plane negligunt, vel traditionis ſtudio et amore ita deprimunt, vt nihil placeat, quod non traditionis luce ſit colluſtratum roboratumque. Vnde non ſine ſupercilio Iudaico pronuntiauit R. Schem Tof [c]: *eum*, *qui in rebus theologicis et diuinis ſequatur rationem et ſpeculationes ſuas*, *incedere ſine baculo et ſcipione*, *ſimilemque eſſe homini*, *qui ſolus iter facit per deſertum in loco obſcuro et caliginoſo*, *hunc enim certiſſime vadere ad ſuum exitium et in ſcrobes ac pericula multa incidere.* Sobrie quidem magis et prudenter inceſſiſſe Maimonidem, et ab eius tempore complures alios, qui philoſophiam Graecam didicerunt, fatendum eſt, quibus etiam magnam partem eorum debemus placitorum philoſophicorum, vel philoſophiae ſaltem luce colluſtratorum, quae in ſequentibus ſumus expoſituri. At grauiſſima indignatione id ſtudium ſequendi philoſophiam excepiſſe Iudaeos caeteros, ſtatuta in eos condita, qui illam didiciſſent, et perſecutio eorum, qui ſe philoſophiae ſtudiis addixerant, maxime vero excitatae ob Maimonideam philoſophandi commentandique rationem lites, in antecedentibus enarratae luculenti teſtes ſunt. Quod gentis ſuae praeiudicium etiam illos, qui ſeculi ſui moribus et ſenſu abrepti tandem philoſophiae Ariſtotelicae collum ſubdere coeperunt, ita inſedit, vt habuiſſe ſua Ariſtotelem ex traditione, ineptiſſimo commento fingerent. Nec alia mens Iudaeorum recentioris aetatis eſt, quos, ſi paucos quosdam excipias, omnem ſanae rationis vſum eiurare rectiſſime iudicauit eruditiſſimus Wachterus [d].

III. Quam-

a) P. II. §. 48. p. 113. ſeq. quo loco valde philoſopharur Iudaeus.
b) Comm. de lege, apud Io. a Lent theol. Iud. hod. c. I. §. 10. p. 10.
c) Praef. ad Moreh nebhochim, vid. l. c. §. 5. p. 6.
d) In Spinoziſmo in Iudaiſmo detecto p. 47.

Confusa rationis et reuelationis principia.

III. Quamuis autem distincta inter se esse rationis et reuelationis lumina Iudaei agnoscerent, noua tamen labe dogmata sua deformarunt, dum vtriusque principia ita inter se commixta contusaque in systema redigere conati sunt, vt saepissime inter tenebras et lucem paciscí voluisse iudicandum sit. Id quod in philosophia quidem esoterica maxime eueniisse ex infra dicendis constabit, sed in exoterica quoque deprehenditur, in qua traditionis, et rationis praecepta ita ineluctabili labyrintho inter se coniuncta sunt et implicata, vt exitum inuenire non liceat, nisi eo filo Ariadneo vtamur, vt quae a ratione intelligi possunt, ab iis, quae traditionis et reuelationis dictamina sequuntur, distinguamus, et ad rationes demonstrandi, quas Iudaei sequuntur, respiciamus, vt ita quid philosophicum sit in eorum doctrina, quid minus, et quae sapientiae atque stultitiae naturalis inter eos facies fuerit, inde aliquo modo cognoscatur.

Philosophia Iudaica falsa

IV. Ex his vero Lector, nobis non monentibus, intelliget, philosophiam Iudaicam, si de modo ratiocinandi ea intelligatur, et a reuelationis principiis et praeceptis traditiones otiosae, licet innumerae, distinguantur, characteribus falsae philosophiae esse conspicuam, ideoque improbandam. Quaecunque enim philosophiae studium indignum reddunt et dedecorant, in ea inueniuntur, principiorum rationis et reuelationis confusio, obscuritas affectata et inextricabilis, principia ad enthusiasmum ducentia, praeiudicia auctoritatis et antiquitatis, quaeque alia sunt, ex his fontibus oriunda, ex quibus omnis sanioris philosophiae odium Vatinianum fluxisse, enarrata hactenus Iudaeorum testatur historia.

Pauca philosophica apud Iudaeos occurrentia.

V. Sed et hoc supra monitum, historiam Iudaeorum literariam cum philosophica arcte cohaerere, et hanc sine illa intelligi non posse: fatendum autem [e] plura in illa occurrere exegetica, liturgica, talmudica, masorethica, quam philosophica, vbi

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Et exegeticam quidem Iudaeorum theologiam cum philosophia Cabbalistica arcto cohaerere nexu fatendum est. Ea enim dogmata peregrina, a philosophis Orientalibus et Alexandrinis accepta, ita cum lege Mosaica coniunxit, vt allegoriae methodo opeque sacris doctrinis fanatica dogmata tribueret: verum tantum abest, vt ex hac exegesi philosophica sani quid ad philosophiae incrementa vel etiam exegeseos sacrae commoda enatum fuerit, vt potius vtramque maximam inde iacturam et innumera damna accepisse, sit certissimum. Cuius rei fidem qui desiderat, illi vel unicus tractatus Cabbalisticus: *Siphra de Zeniutha* [f] adeundus est, vt intelligat, quam misere libri architectus initia Geneseos torserit, vt somnia sua fanatica diuino scriptori affricaret. Eiusdem generis esse *Medraschim*, siue commentarios biblicos Iudaeorum, *Bereschith Rubba* R. VSCHIAE *Baal*

Exegesis Iudaeorum philosophica inepta.

e) Conferri cum vtilitate potest Ven. REIMMANNI hist. theol. Iud. c. XII. seqq.

f) Cabbal. denudatae T. II. p. 348. seqq.

Digitized by Google

Baal Hatturim R. IACOB BEN ASCHER, quos margini Bibliorum adiecit BVXTORFIVS, inſpectio docet, recteque a viris doctis [g] obſeruatum eſt. Pertinent vero huc omnia, quae ſupra de methodo explicandi ſcripturam allegorica, inter Iudaeos Aegypti et Palaeſtinae incolas recepta diximus: ea enim ita comparata eſt, vt omnem ſanam philoſophiam eiuret, et innumeris erroribus, et abſurdiſſimis placitis portam aperiat patentiſſimam. Qua de re cum viri docti paſſim egregia multa monuerint [h], breuitatis cauſſa lectorem ad eos ablegamus. Nos ad vnam fabularum Iudaicarum collectionem quae in libro: *Zenna veremah* comprehenditur, prouocamus, quam eiusmodi allegoricam docendi methodum peperiſſe, dudum viris eruditis [i] obſeruatum eſt. Aſt tam abſurda eſſe, quae iſtarum fabularum inuolucro traduntur, vt philoſophicum ſenſum fere omnia reſpuant, ex earum conſideratione vel mediocriter attento erit manifeſtiſſimum. Ex quibus iam, quid de hac philoſophia exegetica ſtatuendum ſit, apertum eſſe exiſtimamus. Euitaſſe hanc Charybdin quosdam et in his praecipue Maimonidem, et philoſophiae alium longe vſum in interpretandis ſacris oraculis ſtatuiſſe, ex antecedentibus, notum eſt. Aſt ſimul annotatum in Scyllam eos incidiſſe, et ex altera parte peccaſſe, philoſophiam ſectariam ſacris literis violenta interpretatione inferendo. Adeo ſani fere nihil, vel pauca admodum in philoſophia a Iudaeis expectanda ſunt.

Syncretiſmus philoſophiae Iudaicae nexius.

VI. Noua vero philoſophiae ſtudio inter Iudaeos inflixit vulnera, nefandus ſyncretiſmus, qui initio Aegyptiacos Iudaeos corrupit, mox in Iudaeam progreſſus ſtragem latiſſime edidit. Eius enim culpa factum eſt, vt fanaticum philoſophiae genus, quod Pythagorico-Platonici in Aegyptum aduexerant, Orientales philoſophi mire auxerant, et ornauerant, Aegyptii in peculiare ſyſtema enthuſiaſticum et delirum confuderant, Iudaeorum dogmata ſincera corrumperet, et neſcio quam rerum omnium deificationem (veniam verbo exoramus) introduceret. Quibus animi ſublimiora affectantes a ſimplicitate et puritate doctrinae Moſaicae abducti, et in periculoſiſſimas errorum ambages ſeducti ſunt. Cuius rei fidem faciet philoſophiae Cabbaliſticae hiſtoria infra enarranda.

Demonſtrationes Iudaeorum non philoſophicae.

VII. Porro hoc quoque addendum eſt, Iudaeorum doctores in demonſtrandis iis dogmatibus, quae ad philoſophiam referri debent, quaeque argumenta philoſophica poſtulant, nihil minus, quam philoſophos egiſſe, et neglecta rationum philoſophicarum ſerie, ad auctoritatis praeiudicium, ex inſana traditionis veneratione ortum reſpexiſſe, adeoque inter medias doctrinas philoſophicas minime philoſophice ſe geſſiſſe, et hoc

g) Vid. REIMMANN. l. c. L. I. c. 8. §. 5. pag. 145.

h) Conf. Cel. HERM. VON DER HARDT Hiſt. ſtud. Hebr. praemiſſa ephimerid. philolog. p. 3. ſeqq. RICH. SIMON. Hiſt. crit. V. T. P. I. c. 2. PHILIPPVS A LIMBORCH praef. comm. in acta, aliique.

i) Videndi quos laudat WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 976. ſeqq.

hoc quoque nomine philoſophiae ſtudio vehementer obfuiſſe. Non ignoramus quidem, virorum quorundam in Rabbinorum ſcriptis verſatorum induſtriam in eo ſe probauiſſe, vt modum ratiocinandi concludendique Iudaicum philoſophica quadam ratione explicarent, de quo argumento praeter Io. Ivlivm Strvvivm [k], vir praeſtans Ionas Daniel Schrammivs meruerunt, quorum ille *rudimenta Logicae Hebraeorum* edidit hic in *dialecticam Cabbaleorum introductionem* vulgauit. At parum inde lucri proficiſci philoſophiae Iudaicae, fatendum eſt. Prior enim ſolos canones quosdam hermeneuticos enarrat, a Iudaeorum doctoribus in interpretanda ſcriptura et traditione adhibitos, Moſique inepte tributos, quos nos quoque *Tomo primo* exhibuimus; qui nec accurati ſatis et adaequati ſunt, nec logicae vſum valde magnum produnt. Poſterior autem analyſin Ariſtotelis ad Cabbaliſtica dogmata applicari poſſe erudite oſtendit, fatetur tamen, *Iudaeos plerumque carere noſtris legibus τῆς παιδείας artibus ac literis humanioribus, neque olim tantum, ſed hodie quoque diras in illum imprecationes coniici, qui vel ipſe diſcit, vel filios ſuos docet philoſophiam Graecam; adeoque, quod in his deeſt, illud e noſtratibus petendum, etiamſi veſtigia tantum ſint, quae coniungendo vtramque inter ſe philoſophiam ac ſimilitudinem oſtendendo vel differentiam, reliquerint,* id quod exemplo conatuum Henrici Mori illuſtrat. Quin et idem vir doctus egregie, prorſusque in rem noſtram obſeruat [l]: *Duo vitia Iudaeis eſſe fere natiua: primum ex his eſſe ſuperbiam, qua omnes propter gentis ſuae antiquam virtutem ferantur, ſibi id quodque tribuentes, quod maioribus ſuis in toto orbe terrarum olim pepererit exiſtimationem. Hinc victoriam ſibi naturalem eos putare, ac turpe eſſe Iudaeo in vlla re ſuccumbere. Eſſe deinde alterum quoque malum paupertatem, qua in exilio ſuo plerique premantur, et ab excolendo ingenio ſuo arceantur, ſicque ſcientiis et artibus ex certis principiis diſputandi atque ſic ad veritatem perueniendi magnam vim inferre. Naſci vero ex his duo praecipue vitia, ἀπαιδευσίαν et ἀμεθοδίαν; quoniam enim ſibi falſo perſuadeant, veteres Graecam Latinamque philoſophiam in omne aeuum damnaſſe, malle eos ſuo ſenſu eſſe diuites, quam conſulere clariorum philoſophorum libros. Hinc errores varios conſpici in eorum ſcriptis, hinc falſa bonarum artium praecepta adeoque et regulas logicas erroneas ceterisque contrarias imperitis excidere. Ceſpitare enim, et quae ſint vera ad ſyllogiſmum requiſita, ne oriatur τὸ ψεῦδος vbique negligere, inferiora ſuperioribus inferre, corporea ſpiritualibus, et ſic peſſimam ſaepe μετάβασιν committere. Principia quoque prima et quae ex primis orta, quaeque ſit inter ſententiam eiusque cauſſas connexio, ignorare, multo minus cupere obſeruare.* Addit his multa confuſionis exempla in ſcriptis Iudaeorum regnantia, et quam mali philoſophi Iudaei ſint, manifeſte prodentia, quae veriſſima eſſe fatebitur, quicunque horum hominum ſcripta ſemel curioſo perluſtrauit oculo.

VIII. Du-

k) c. V. §. 12. p. 108.

l) c. VI. §. 5, 6. p. 139. ſeqq.

Digitized by Google

VIII. Duplicis vero generis esse dogmata Iudaeorum, exoterica et esoterica, siue publica vel communia, atque arcana et acroamatica ex dictis repetendum est. Quam docendi rationem Indaeos tenuisse nulla alia demonstratione, quam Cabbalistarum scriptis opus est, illa enim arcanam istam methodum supponunt. Vnde recte monuit iliustris KNORRIVS m), *methodum formamque libri Sohar duplicis esse generis: sicut enim Aristoteles inter dogmata sua alia vocet acroamatica, alia exoterica: ita hic alia esse scholae intimioris tradita, quae multis aenigmatibus inuoluta exercitatis saltem proponantur, praesertim de rebus sublimioribus in diuinitate aliisque partibus pneumaticis, alia autem admisceri vulgatiora.* Patebit id luculenter, si comparatio instituatur inter dogmata catechetica, thetica et Talmudica et inter dogmata Cabbalistica; illa enim vulgarem, haec arcanam doctrinam constituere, ex ea manifestum erit. Vnde vero haec arcana disciplina originem ceperit? an a Iudaeis ad gentiles, vel ab his ad illos deriuata fuerit, vt definiamus, parum quidem nostra interest, ex integra autem huius arcanae methodi historia, quam ab vltima antiquitate ab omnibus fere gentibus et barbaris et Graecis et Latinis obseruatam fuisse, suo loco semper diligenter annotavimus, facile diiudicare poterit, qui mentem habet praeiudiciis defecatam. Et Cl. SCHRAMMIVS quidem, Iudaeorum disciplinam hanc docendi rationem gentilibus exhibuisse contendit. Is, vbi viguisse duplicem hanc methodum inter Iudaeos obseruasset, monet porro, *tantum abesse, vt a gentilibus mutuati sint istam consuetudinem Iudaei, vt rectius huius in doctrinae ordines varietatis originem a Mose deriuare queant, cui primo acceptam referant Cabbalam, vel et vlterius. Nam sic opus fuisse propter populi iamiam ex Aegypto prodeuntis ac deinde diu in Arabiae desertis oberrantis diuersam conditionem, vt eo modo diuina mysteria proponerentur, quo vnicuiuis forent intellectu facillima, nempe radiorum animis leges instillandas fuisse, quarum farraginis ingentis notitia constare perfecta debuerit. Haec si postmodum sapientum animos non satiasset, in promtu rationes fuisse, quibus quaelibet lex niteretur, has vero propalare non e re fuisse ob populi leuitatem, ad contraria sentiendum vbique pronam, tum propter gentes externas etc. hinc Mosen imitari cupientes Cabbalistas ab eo hanc methodum accepisse.* Nos, quae vir doctus hic tradit, non prolixe excutiemus, nec disputabimus, vtrum eiusmodi arcanior legem explicandi modus in populo Israëlitico obtinuerit, nec ne? de eo enim dispiciendi in sequentibus dabitur occasio, sed id tamen notandum est, non sufficere haec ad quaestionem soluendam, etiamsi concedamus, aliquam arcani disciplinam inter veteres Israëlitas obtinuisse, nec hic ex ratiunculis quibusdam et suspicionibus iudicandum, sed historia duce de ea re statuendum esse. Hanc si consulimus, non tantum in vltima antiquitate eius disciplinae vestigia inter gentes barbaras

Methodus Iudaeorum duplex.

m) Praef. ad T. II. Cabb. denudatae.

Digitized by Google

inuenimus, vt *Tomo primo* luculenter oſtenſum, indubitatumque eſt, ante exitum Iſraëlitarum ex Aegypto hieroglyphicam methodum inter Aegyptios obtinuiſſe, a quibus Iſraëlitae, ſi qua eius inter illos fuit obſeruatio, diſcere potuerunt: ſed et id, de quo proprie quaeritur, ex ipſa Cabbaliſticae philoſophiae hiſtoria luce ſua perfundetur, qua diſcimus, hanc arcanam et ſymbolicam myſteria occultandi rationem accepiſſe Iudaeos in Aegypto poſt Alexandri M. aetatem habitantes ab ipſis Aegyptiis tum patria diſciplina, tum Pythagoreorum moribus, tum orientalium philoſophia ad eam adductis, eamque vna cum philoſophia, quam in iſta regione mutuum acceperant, ſimul recepiſſe. Facile tamen concedi poteſt, eo promtius manus dediſſe gentili conſuetudini Iudaeos Alexandrinos, quo magis ſimilem diſciplinam inter maiores viguiſſe nouerant, et quo magis in id ſtudium operamque conferebant ſuam, vt, quae alieno vitulo arauerant, ex ſuis agris accerſiuiſſe, et a Moſe accepiſſe viderentur. Quod conſilium probauit, Iudaeosque in eo confirmauit neceſſitas rei, quae poſtulabat, vt doctrinae peregrinae, tantopere a ſancitis ab ipſa Numinis maieſtate abeuntes eos celarentur, quos ſtrictior legis obſeruantia in domeſtica doctrina detinuiſſet. Ita vero et emolumentum inde ſibi promittere poterant maximum, ſperantes fore, vt dum laterent haec myſteria, eo maior inde illorum exſurgeret veneratio. Quam vt augerent, et ſacroſanctam efficerent, ſilentium ſub mortis et horrendi iudicii diuini metu iniunxerunt. Cuius luculentum exemplum eſſe poteſt epilogus libri Soharici [n]. *Idra Rabba*, qui totus eam arcanam methodum ſacrumque ſilentium morte multorum obſignatum eſſe tradit, vt alia Cabbaliſtarum loca taceamus. Tantamque his anathematibus vim ineſſe credunt Iudaei, vt cum Knorrio atque ſimul eius in Cabbaliſticis praeceptori filius durante eius inſtitutione, morte eſſet ſublatus, is hanc propalatorum myſteriorum poenam eſſe praefracte contenderit. Poſſent his addi plura, luxque accendi argumento non iniucundo ex comparatione methodi huius inter gentiles et Iudaeos, ſi nobis liceret eſſe prolixis. Aſt contrahenda vela ſunt, lege tamen non ſine vtilitate poſſunt, quae erudite de hoc argumento diſſeruit SCHRAMMIVS [o].

Diuiſio doctrinae Iudaicae in theticam et moralem.

IX. Doctrina Iudaeorum exoterica aut fidei dogmata aut morum doctrinam comprehendit. Illa et articulos fidei natura notos et ratione duce cognoſcendos et ex reuelatione diſcendos comprehendit. Ea autem praeter legis decalogum diu certo ſyſtemate caruerunt, nec definiuit eccleſia Iudaica certam dogmatum ſeriem, donec circa medium aeuum Iudaici doctores de conſtituendo theticae theologiae compendio et deſignando articulorum fidei numero cogitarent. Primus, qui operi manum admouit fuit Saadias Gaon, quem Soranae academiae praefuiſſe Seculo X. ſupra diximus. Is Arabica lingua conſcripſit *librum de fide* (*Sepher*

n) Vid. R. ISAAC LORIIA de reuol. anim. P. III. c. 49. Cabb. denud. T. II. P. II. pag. 476.
o) loc. cit.

Digitized by Google

ther Haaemunah,) quem Hebraicum fecit R. Iehuda Ben Samuel Aben Tibbon, vt ſupra dictum: cuius compendium exhibet HOTTINGERVS. Agit in iſto ſcripto auctor libro primo de creatione, quam ex ſcriptura probat et ex prouidentia rationibus confirmat; libro ſecundo ita de Deo attributisque diuinis differit, vt contra Trinitatis ſimul myſterium inſurgat. Libro tertio de lege, prophetis et prophetia, de Leuitis et circumciſione aliisque ad legem ceremonialem pertinentibus diſputat. Libro quarto de cultu diuino et religione, de fine creationis et in ſpecie hominis itemque de prouidentia eiusque concurſu tractat. Libro quinto opera iuſtitiae et iniuſtitiae ſiue peccati excutit, quo loco fermentum Phariſaicum luculenter prodit. Libro ſexto de ſubſtantia naturaque animae, de morte, de ſede, operibus, praemiis, poenis animae, de vitae termino, de angelo mortis etc. diſquirit, et reuolutionem corporum in die reſurrectionis explodit. Libro ſeptimo reſurrectionem ex natura rerum, ſenſuque hominis, ex reuelatione et traditione demonſtrat. Libro octauo doctrina de vltima liberatione Iſraëlis per Meſſiam, et libro nono de praemiis bonorum et poenis malorum operum explanatur; libroque decimo dogmata quaedam moralia vitaeque regulae afferuntur. Dignus libellus eſt, qui ab exploratoribus Iudaicorum dogmatum etiam philoſophicorum penitius excutiatur, eo quod non ſcripturae tantum et traditionis fide, ſed etiam rationis momentis auctor nitatur; vnde miramur doctiſſimos viros IACOBVM BASNAGIVM et IACOBVM FRIDERICVM REIMMANNVM eius rationem in condenda doctrinae Iudaicae hiſtoria non habuiſſe [r]. Fatendum tamen, priuatam tantum auctoritatem eum libellum habuiſſe; publicam enim fidem MAIMONIDAE tantum labor meruit, qui teſte R. IS. ABARBANELE [s], primus fuit, qui incepit redigere in ordinem radices et fundamenta legis diuinae, id eſt, qui librum eccleſiae Iudaicae ſymbolicum conſtituit, licet ante eum duobus ſeculis antiquior R. Saadias ſimile quid fuerit conatus. Ex hoc Iudaeorum magiſtro fidei articulos tredecim, quos poſtea vniuerſa recepit eccleſia Iudaica, diſcere licet, quos paſſim ſcriptores repetunt [t]. Fundamenta illi articuli exhibent fidei Iudaicae, non tantum religionis reuelatae, verum etiam naturalis. Quare, vt quid ſperet duce ratione et reuelatione eccleſia Iudaica, quidue credat, et quousque rationis limites extenderit, cognoſcamus, lectoris commoditati inſeruituri, paucis monemus; articulum primum ponere pro fundamentali dogmate, exiſtentiam creatoris excelſi, quod nimirum exiſtat perfectus omni modo perfectionis, et ſit ſupra quaelibet exiſtentia atque ab eo perpetuitas eorum ſit, et ſi concipiamus, non exiſtere, ceſſatura ſit exiſtentia cuius-

p) Memorauit autem eum LAVR. OBRELIVS in ſynag. biſronte p. 59. et BVDDEVS introd. in hiſtor. philoſ. Hebraeor. §. 32. p. 171.

q) De capit. fidei c. I. §. 3.

r) Nominatos vide apud REIMMANN. l. c. L. I. c. 5. §. 13. p. 63. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 867. add. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. IV. c. 1. §. 1. SCHVDT. memorab. Iud. P. II. L. VI. c. 27. §. 18. p. 89.

libet entis: omnesque exiſtentiae, et quicquid extet praeter illum, neceſſario dependeat ab eius exiſtentia. Articulus alter vnitatem eius fundamentum ponit, quodque vnus ſit non tanquam ſpecies generalium, neque vnus vt ſpecies particularium, nec etiam vnus inſtar compoſiti, ſed vnus ſit vnitate, cui nulla ſimilis eſt. Tertius corporalitatem a Deo remouet, nec in eo affectiones corporum vel in ſubſtantia vel in accidente, ponit, ſed ſeparandam eſſe ab eo omnem compoſitionem et diuiſionem ſtatuit. Quartus eius aeternitatem aſſerit, qua nihil praeter eum eſt aeternum, ſi eum comparemus cum alio. Quintus poſtulat, vt ille ſolus Deus ſanctus et benedictus colatur atque adoretur, neque tale quidquam praeſtetur vlli exiſtenti praeter ipſum, ſed omnes cogitationes in eum ſolum dirigantur. Sextus prophetiam confirmat, eam ſcilicet et dari, verumque eſſe, quod prophetae dixerunt. Septimus veritatem prophetae Moſis magiſtri, tanquam fontis omnis prophetiae ſtatuminat. Octauus, legem eſſe a coelis pronuntiat, atque hoc credi poſtulat, iſtam legem, quam hodie habemus, eſſe legem traditam Moſi atque totam eſſe ex ore omnipotentis. Nonus legem hanc magiſtri Moſis non exterminatum vel extirpatum iri, nec venturam aliam legem praeter hanc, a Deo aſſerit, nec fore additamentum aut diminutionem in ſcriptura, vel explicatione ait. Decimus, Deum ſtatuit cognoſcere omnes actiones hominum, easque non negligere. Vndecimus docet, Deum retributurum eſſe bonam mercedem obſeruanti praecepta eius, et punitorum eſſe eadem violantem; retributionem autem maximam eſſe futurum ſeculum, et poenam grauiſſimam exterminium. Duodecimus, credere poſtulat Iudaeos dies Meſſiae, illumque certiſſime expectare, etiamſi cunctatus fuerit, non ſupputando tempora. Decimus tertius reſurrectionem mortuorum iniungit credendam, quae fixo ſolique Deo noto tempore certiſſime euentura ſit. Intelligi ex horum articulorum fundamentalium recenſione poteſt, praeſertim ſi explicationes et rationes additae conſiderentur, quas ex parte infra contemplabimur, auctorem eorum fuiſſe philoſophum: cuncta enim argumentis philoſophicis ornauit et roborauit. Mirandum itaque MAIMONIDEM, cuius methodus philoſophica Iudaeis multis diſplicuit, ita tredecim iſtos articulos, (Ikkarim vocat) contribulibus ſuis commendauiſſe, vt eos plerique reciperent. Fuerunt tamen quidam, qui vel inuidia duce, vel arrogantia auctore improbauerunt conatus Maimonidéos, et varia in eo carpſerunt. Inter eos praecipue duorum ſe diſtinxit ab aliis ſtudium, R. Chaſdai ſeculo XIV, et R. Ioſeph Albo ſeculo XV, qui in hoc articulorum fundamentalium catalogo reprehenderunt, quod plures articulos et eſſentialia dogmata fidei omiſerit, ei credenda cum agendis confuderit, ea quoque dogmata, quae fundamentum fidei tangunt, ab iis, quae minus talia ſunt, non ſatis diſtinxerit. Aliter itaque inſtituendum eſſe ratus R. CHASDAI, in *Or Iehoua*, dogmata fundamentalia, ab iis, quae hoc nomen non tuentur, ita diſcreuit, vt duas

Digitized by Google

duas articulorum fidei claſſes conſtitueret, quarum vna eos comprehendit, quae abſolute ignorari non poſſunt, quales ſunt, eſſe Deum, eſſe eum vnicum, incorporeum et ab omni corporis natura remotum; altera eos exhibet, qui ideo fundamentales ſunt, quod negato vno, totum religionis fidei ſyſtema collapſurum eſſet. Huc ſex capita refert: notitiam Dei de exiſtentibus, prouidentiam eius circa ea, potentiam eius infinitam, prophetiam, liberum arbitrium, nouiſſimum diem. Tandem eos quoque articulos fidei vocat, qui ſine haereſeos nota negari non poſſunt, quia ſunt articuli fidei, non dependentes a praeceptis ſpecialibus, et ſunt iſti octo: creatio mundi, immortalitas animae, praemium et poena, reſurrectio mortuorum, aeternitas legis; eminentia prophetiae Moſis; quod fiat ſacerdoti reſponſum per Vrim et Thummim, Meſſias: quibus coronidis loco adiicit ea dogmata, quae dependent a praeceptis particularibus; et ſunt tria, precatio et benedictio ſacerdotum, vtilitas reſipiſcentiae, principium anni et quatuor diſtinctiones eius. Ita quidem huius mentem explicat ABARBANELIVS', R. IOSEPH ALBO autem in libro ſuo *Ikkarim*, ad tria capita dogmata omnia reuocat, quae ſumma ſint omnium reliquorum, et ſumma genera omnium articulorum, nempe ſunt ea: exiſtentia Dei, ſub qua continetur vnitas et remotio corporeitatis. Legem eſſe a coelis, ſub qua comprehenduntur prophetia atque excellentia prophetiae Moſis magiſtri noſtri; praemium et poena, ad quam reducuntur ſcientia Dei, prouidentia, Meſſias atque viuificatio mortuorum. Videturque R. Ioſeph Albo hanc diſtinctionem ſummorum generum capitumque theologiae a doctoribus ſcholaſticis accepiſſe, quod cum paucioribus claſſibus omnia comprehendat, multis Iudaeorum placuit. Potior tamen eorum pars Maimonideo ſyſtemati adhaeſit, et hos tredecim articulos non tantum pro ſyſtemate fidei Iudaicae recepit, ſed et variis ſcriptis illuſtrauit, de quibus tamen plura in praeſentia dicere non licet t.

X. Doctrinam moralem Iudaeorum quod concernit, ea in hac gente non tractatione ſyſtematica et acroamatica, ſed exoterica, nempe paraenetica et aſcetica methodo tradita eſt, donec tandem ad Ariſtotelis ethicam deducerentur. Et exigua quidem totius moralis philoſophiae et theologiae cultura, pretiumque haud magnum apud Iudaeos fuit, eo quod toti in traditionum Talmudisque ſtudio haererent; cuius luculentum exemplum eſt, quod in vniuerſa Talmudis compilatione ingente vna tractatio, *Pirke abhoth* dicta, moralis ſit. Ex quo vero ſtudia philoſophica inter Iudaeos in Occidente habitantes emerſere, coeperunt quoque illi maiorem diligentiam ſtudio morali impendere. Vnde a ſeculo XI et XII, multi Iudaeorum doctores reperiuntur, qui in hoc

s) Ill. c. c. 3. p. 5.

t) Plura videſis apud ODHEL. l. c. p. 68. ſeqq. Io. A LENT. theol. Iud. hod. c. I. §. 14. p. 18. ſeqq. CARPZOV. pec. diſſ. diſput. Acad. p. 483. ſeqq. REIMMANN. l. c. p. 68. BVXTORFVM l. c. §. 32. p. 17. ſeqq. Inter recentiores articulos fidei omnium diligentiſſime illuſtrauit R. MENASSE BEN ISRAEL, cuius ſcripta huc pertinentia indicant KROMAYERVS in ſcrutinio religionum diſſ. IV. p. 76. ſeqq. REIMMANN. l. c. §. 18. p. 72.

hoc argumenti genere illuſtrando operam collocarunt ſuam. Quorum tamen recenſionem cum limites noſtri non admittant, viri eruditi Io. HENR. HOTTINGERVS [w], LAVRENTIVS ODHELIVS [x], I. B. CARPZOVIVS [y], IAC. FRID. REIMMANNVS [z] adeundi ſunt, qui eorum pleniorem dabunt notitiam. Fruſtra tamen ethicam ſyſtematicam, philoſophico ordine methodoque conſcriptam quaeres; cuncta enim aſcetice, exotericeque tractarunt, licet vnus prae alio ordinis ſit obſeruantior; quo nomine R. BECHAI *Chobhath Lebhabhot*, ſiue *officia cordis*; R. MAIMONIDAE *Halechoth Daoth*, ſiue *regulae morum*, R. IEDAIA HAPENNINI *Bechinath Olam*, ſiue *exploratio ſeculi* laudari merentur, de quibus libris bibliothecarum Hebraearum ſcriptores conſulendi ſunt. Fuerunt tamen, quibus, vti dictum, arriſit ethica Ariſtotelica, quique eam ſuis quoque popularibus commendare non deſtiterunt. Inter quos nomen tulere R. ABRAHAM BEN CHASDAI ob libros *de anima*, et ob *dialogum inter principem et Naziraeum* [a], et R. KALONIMVS, aliquot ſcriptis ethicis, vel ſcriptorum ethicorum verſionibus memorabilis [b]. Quibus addi poteſt, quod Cel. WOLFIVS [c] nos docet, R. MEIR ALGVADESCH, qui medicus regis Hiſpaniarum A. C. MCDXV fuit, Ariſtotelis libros ethicos in Hebraicum ſermonem transtuliſſe, et *ſententias Ariſtotelis* collegiſſe, in quas commentarium ſcripſit R. IOSEPH BEN SCHEM TOF [d]. Ceterum ex iis, quae de philoſophia Iudaica in genere monuimus, iudicium fieri poteſt, etiam in hac philoſophiae parte reuelationis et rationis principia inter ſe confuſa, traditionem philoſophicis argumentis admixtam, et quadrata rotundis aptata fuiſſe, parumque attuliſſe doctrinam Iudaeorum moralem ad emendationem voluntatis. Peculiari tamen docendi genere de morali doctrina merere voluere Iudaei, operoſa et affectata officiorum enumeratione, quae DCXIII legibus ex Moſaica lege, vt ferunt, deductis comprehenderunt, diuiſeruntque in CCXLVIII affirmatiuas, et CCCLXV negatiuas. Nimis longus eſt hic catalogus, quam vt hoc loco totus exhiberi queat, legendus autem vel in *catecheſi Iudaica* [e], et in tractatu Talmudico *Maccoth* [f], maxime vero, qui commentario eum illuſtrauit R. ABRAHAM BAR KETANI in *Kol Iehoua*, a PHILIPPO FERDINANDO [g] Latine edita: vel apud Chriſtianos Io. A LENT [h]: et Io. HENR. MAIVM [i], qui theologiam Iudaicam hodiernam enarrarunt, easque etiam leges notarunt, quae inter Iudaeos antiquatae ſunt. Harum legum conſideratio luculenter demonſtrauit, recte nos Iudaeis philoſopiae moralis cognitionem veram ſolidamque denegaſſe. De quo ſi lector nondum conuictus

w) Bibl. Orient. L. I. cl. 6. p. 27.
x) l. c. p. 71.
y) Introd. in theol. Iud. c. X. §. 8. p. 80.
z) l. c. L. I. c. 10. §. 7. ſeqq. p. 184. ſeqq.

a) Conf. WOLF. l. c. P. I. p. 58.
b) IDEM l. c. p. 1008.
c) pag. 744.
d) IDEM p. 821. 571.
e) Q. 21. f) c. 3. f. 23.
g) Ex Iudaeo, qui hunc librum edidit Cantabrig. 1697.
h) l. c. c. XIV. §. 3. p. 447. ſeqq.
i) Loc. XIII. §. 3. p. 192. ſeqq.

Digitized by Google

uictus fuerit, eum recordari iubemus, ex mente Iudaeorum praecepta affirmatiua, praeter tres, foeminas non obligare [k]: itemque ad conſequendam ſalutem obſeruationem impletionemque legis vnius in hora mortis ſufficere, reliquarumque obſequium tantum pertinere ad gradus beatitatis augendos [l]. Id quod peſtilentiſſimam morum corruptionem inducere, et Phariſaiſmum exhibere integra ſua malignitate conſpicuum, nemo non videt: Id tam abominabile viſum eſt quibusdam, vt contradicere impio afferto non dubitauerint, parum licet promouentes, qua de re digna ſunt, quae legantur, annotata ab ABARBANELE [m]. Quibus ſi addimus, ritualia et ceremonialia ab iis moralibus longe eſſe praelata, parumque de mentis emendatione cogitatum, aſſerta quoque multa ſanioribus rationis et reuelationis principiis aduerſa, conſentient omnes, qui veram moralis doctrinae conſtitutionem intelligunt, faciem ethicae Iudaicae eſſe miſerabilem et deteſtandam.

§. II. Sed vt paulo plenius intelligamus, quid de iis diuinioris doctrinae capitibus, quae ratione duce cognoſci poſſunt, Iudaei ſtatuerint, quibusue rationibus philoſophicis eorum veritatem aſſertum iuerint, adducemus iam ſpeciali enumeratione dogmata potiora, quae theologiam quandam naturalem Iudaeorum conſtituunt. Ita vero Iudaeorum magiſtri praecipiunt: *Conſpectus philoſophiae Iudaicae diuinioris.*

I. Creator, cuius nomen ſit benedictum, vnicus eſt in vnitate, quae nullam omnino ſimilem habet, et ille ſolus Deus noſter fuit, eſt, et erit. Ita quidem primum articulum fundamentalem Iudaici ſymboli fidei praecipere, ex antecedentibus notum. At roborauiſſe Iudaeos hoc dogma naturale, rationibus quoque philoſophicis ex MAIMONIDE [n] conſtat, qui vnitatis notiones Peripateticas huc aduocat, monendo: *eius vnitati nihil eſſe ex iis, quod in hoc vniuerſo vnum eſt, quod ei reſpondere queat. Nam nec eſſe vnum ſpecie, quippe quae multa contineat ſingularia, nec eſſe vnum corpore, id enim in partes et extrema eſſe diuiſibile; ſed ita vnum eſſe, vt nulla ei ſimilis in mundo reperiatur vnitas.*

II. Exiſtentia Dei nihil aliud eſt, quam ipſius eſſentia et veritas, et viciſſim eſſentia eius nihil aliud eſt, quam ipſius exiſtentia. Nam eſſentia eius non eſt ita comparata, vt exiſtentia ipſi accidat: nam ita exiſtentia foret res aduentitia, ſed ſemper et neceſſario exiſtit, nec quicquam noui vnquam in ipſo exoritur, neque etiam accidens aliquod ipſi accidit. Haec MAIMONIDES [o], qui argumentum ducit philoſophicum ex eo, quod eſſentia Dei nullum in

k) LEO MVTINENS. de cerem. et conſuetud. Iudaeorum P. V. c. 4.

l) R. IOSEPH. ALBO fundam. fid. L. I. c. 31. conf. ALENT. l. c. c. XIV. §. 8. p. 504.

m) Cap. fid. c. 13.

n) Iesode thora c. I. §. 4. p. 3. ed. Vorſt.

o) Moreh nebhochim P. I. c. 57.

Digitized by Google

in se accidens habeat, adeoque existentiam in se necessario includat, cum aliunde ei tanquam aduentitium quoddam aduenire nequeat. Quod argumentum pro existentia Dei ex idea Dei, et necessitatis essentiae eius desumtum tanquam nouam Dei demonstrationem in scenam reuocauit Cartesius, quem non primum eius auctorem esse, ex hac Maimonidae ratiocinatione patet, quem a Christianis mutuum eam accepisse nulli dubitamus: apud scholasticos enim non infrequens eius mentio. Subtiliter in hoc argumento explanando, et rationibus philosophicis deducendo versatur R. IOSEPH ALBO [p], qui monet: *Deum solum necessario existere, alia vero entia omnia esse contingentia; et in hoc conuenire quod sint contingentia, nihil vero esse, quod conueniat cum eo, quod necessario existit, neque in alia re, ne in nomine quidem entis: fieri enim non posse, vt sint duae necessariae existentiae, nulloque modo ea concipi posse paria.* Quam demonstrationem ex natura et definitione entis necessarii postea pluribus vrget, et ita tum ex entis summi idea, tum ex serie rerum contingentium tandem in ente necessario desinente ratiocinatur. Quibus ratiociniis nostra aetate plurimum fuisse tributum a magnis viris, aliis circulum committi et quaestionem peti contendentibus, notum est, hicque memorare fusius nihil attinet.

III. Fundamentum fundamentorum, et columna sapientiae est cognoscere, esse Deum primum ens, istudque existentiam largiri cuilibet existenti. Omnia enim entia coeli et terrae, quaeque intra illa sunt, non existunt, nisi ex veritate illius existentiae. Quod si concipias, illud non existere, nulla res poterit existere; sin autem tibi imagineris, nulla existentia esse praeter illud solum, istud existet, neque desinet esse, propter illorum destructionem: omnia enim existentia necessario dependent ab illo, ipse autem Deus opus non habet illis, ne quidem vllo eorum. Ita quidem R. MOSE [q] tractationem de fundamentis legum auspicatus, omnem realitatem rerum in solius DEI existentia latere, pro fundamento primo posuit. Qua ratiocinatione misero sophismate abusum fuisse Spinozam, suo loco ostendetur. Alia argumenta, praecipue a motu desumta, qui primum motorem supponit, affert alio loco.

IV. Essentia Dei comprehendi ab hominis intellectu non potest, sed longe supra eum est posita. Deus enim definiri non potest; cum definitio composita sit ex genere proximo et differentia; Deus autem non habeat genus, sub quo comprehendatur; nihil autem cognosci potest, nisi ex definitione eius [r]. Paria Iudaei passim tradunt: maxime vero Cabbalistae, hanc absconditam diuinae essentiae profunditatem multis pro-

p) Fundament. fid. L. II. c. 10. conf. IO. A LENT. l. c. c. III. §. 2. p. 72.
q) Constit. de fund. legis cap. I. §. 1. pag. 1.
R. ABRAHAM. PAGEL. Catechism. Iud. art. 1.
r) MAIMON. l. c.

Digitized by Google

proſequuntur, vt vel ex ſolo libro *Tik Runo Haſohar* patet, vbi inter alia: *Tu es iſte vnus extra numerum, itu es excelſus ſupra omnes excelſos, abſconditus omnium abſconditorum, nulla mens te omnino apprehendere poteſt, tu es, qui produxiſti decem ordines ſiue numerationes ad illuminandum in iis mundos abſconditos, qui non reuelati ſunt, et mundos, qui reuelati ſunt: et in iis te abſcondis a filiis hominum, et tu es, qui annexus es iis, et vnis te iis: et quoniam tu es in intrinſeco, quicunque te ſeparat vnum ab alio ex iſtis decem, reputatur ipſe, ac ſi ſeparaſſet te ipſum* [s]. Quem locum ideo attulimus, vt quam miſere corruperint Iudaei veritatem hanc: eſſentiam Dei infinitam comprehendi non poſſe. Valde enim fallitur RITTANGELIVS, qui haec de infinitatis attributo intelligenda eſſe, idemque dicere putat, Deum eſſe cauſſam cauſſarum infinitam et incomprehenſibilem. Iochaidis enim doctrina ex orientali philoſophia transſumta id vult, in infinito abyſſo latere incomprehenſibilem Dei profunditatem demerſam, eamque, vt ſe manifeſtaret, in illis emanationum ordinibus ita conſpicuam ſe feciſſe, vt quicquid in quatuor mundorum claſſibus eſſet, Deum euolutum ex profunditatis ſuae inacceſſo et incomprehenſibili lumine exhibeat et manifeſtet, ſicque in emanationibus tantum diuinis incomprehenſibilis Dei eſſentia comprehendi queat. Quam genuinam Cabbaliſtarum mentem eſſe, infra inuictis rationibus demonſtrabimus. Ex his vero de orthodoxia theologiae naturalis Iudaicae, deque philoſophia eorum de Deo iudicandum.

V. Deus itaque ex attributis tantum ſuis et nominibus cognoſci poteſt, quae cum eius eſſentia coincidunt. Fundamentum hoc eſt totius fere magiae Iudaicae, et Cabbaliſticae, qua mira nominibus diuinis effici poſſe gloriantur, qua de re paſſim obuia ſunt Iudaeorum effata [t]. Quod licet mirum videri queat, ad eiusmodi nugas Iudaeos potuiſſe delabi, deſinet tamen mirari, qui cogitabit, emanationis ſyſtema, quod Cabbaliſtae, et ab iis alii quoque Iudaei receperunt, poſtulare, vt nominum diuinorum quasdam quoque ex Deo emanationes ſaltem virtutes operatrices eſſe, concedatur, quibus commotis emanationum inferiorum ſeries ad ſuperiorum voluntatem pertrahi poſſe ſperari queat. Quod ex Orientali philoſophia ad Iudaeos tranſiiſſe, ex Gnoſticorum circa diuina nomina myſteriis colligi poteſt. Multa hic otioſa et nugarum plena ſomniant Iudaei, qui nomina diuina ſeptuaginta duo numerant, eaque ſepties diſpoſita interque ſe commutata ſeptingenta et viginti nomina Dei exſculpunt. Inter ea maxime nomen אגלא, Agla memorabile eſt, eo quod eo Iudaei in Cabbala practica vtuntur, et hoc ſcuto Dauidis, vt vocant, incendia extingui poſ-

s) Locum affert STEPH. RITTANGELIVS ad librum Iezirah p. 162.

t) Vid. PETR. GALATIN. L. II. c. vlt. REVCHLIN. Cabb. L. III. p. 697. ſeqq. Coll. Piſtor. Cabbal. denud. T. I. intr. in librum Sohar c. 5. p. 178. ſeqq. et quae praeter alios adduxit I. o. SAVBERTVS palaeſtr. theol. philolog. p. 61. ſeqq.

ſe contendunt, ſi igni immittatur, cuius figuram in lectoris curioſi gratiam hic appingimus.



Alii aliter pingunt, et angulis vocem ט"יר inſcribunt. Eſt autem vox Agla compendium vocum אתה גבור לעולם אדני, *tu es fortis in aeternum Domine*, quibus vim iſtam mirificam, etiam ad euitanda vulnera, et ſimilia ineſſe ſtatuunt, de quo tamen cum ad noſtrum inſtitutum id non pertineat, dici plura non poſſunt, legendi tamen ſunt, quos magno numero laudat Io. ALBERTVS FABRICIVS [w]. Ex his vero de reliquis iudicandum.

VI. Maxima vero vis ineſt nomini Dei יהוה, cuius tanta veneratio eſſe debet, vt nemini illud pronunciare liceat. Multa hic dici poſſent de hoc nomine Deo mirabili, quod *Schem ham phoraſch* vocant, eo quod eſſentiam Dei clare et luculenter explicet, ſi theologiae Iudaicae placita compilanda eſſent; ſed his immorari non licet, videndi vero quos laudat FABRICIVS [x]. Nos id, inſtituti noſtri memores, notamus, tanta ſeueritate interdictum eſſe vſum huius nominis Iudaeis, vt aeternae vitae exſortem eum dicant, qui illud vel voce vel ſcriptis efferat, qua de re videndus eſt tractatus *Sanhedrin* [y]: immo, teſte *Auoda Sarah* [z] R. Chanina Ben Teuadion ob hanc culpam igni, vxorque eius morti addicti ſunt. Qua vero de cauſſa venerabili nomine vti prohibuerint Iudaei, et non niſi ſacerdoti benedictionem pronuntianti efferre licitum putauerint; vtrum ad tollendum abuſum et conſeruandam eius maie-

w) Cod. apocryph. V. T. T. II. p. 1006. T. III. pag. 143.
x) Bibliograph. antiqu. c. VIII. p. 243. ſeqq.
y) c. XI. f. 90.
z) c. I. f. 18.

Digitized by Google

maieſtatem, aut propter vſum magicum, aut propter ignoratam hodie et amiſſam pronuntiationem eo vti vetuerint, ita diſceptatum eſt inter viros eruditos, vt nobis quidem veram cauſſam non liquere, ſit veriſimillimum. Legenda tamen quae induſtria HADRIANI RELANDI [a] collecta ſunt ſcripta virorum doctorum.

VII. Dei eſſentia tota ſpiritualis eſt, diſtincta ab omni prorſus corpore, eſt enim infinitus, omne vero corpus eſt finitum, finitamque habet potentiam. Ita iterum MAIMONIDES [b], et, qui eum ſequitur ALBO [c], quo ſimul omnem materiae infinitatem negant.

VIII. Eſt Deus eſſentia perfectiſſima, et quicquid a nobis pro perfecto habetur, id quoque attribuitur Deo benedicto, ad docendum, illum omnibus numeris, et gradibus eſſe perfectiſſimum, nullumque in ipſo eſſe defectum vel priuationem, vel paſſionem. Hinc omnes perfectiones non tantum potentia, ſed re ipſa in eo ſunt [d],

IX. Attributa Dei diuiduntur in tres partes: quaedam ſunt actiua, quaedam acceſſoria, quaedam negatiua. Actiua ſunt deſumta ab actionibus Deo tributis et a Deo prouenientibus per media naturalia; acceſſoria ſunt petita ab exaltatione loquentium de eo; haec licet ſint multiplicia, nullam tamen inferunt in Deo multitudinem, neque eximunt eum ab vnitate. Negatiua autem praedicantur de eo, ad negandum de ipſo contrarium illorum, non ad affirmandum illa eo modo, quo nos ea intelligimus. Subtiliter haec exſequitur auctor libri *Coſri* [e], ſic vt vix dubitare liceat, preſſiſſe eum Scholaſticorum veſtigia, adeoque etiam ex hoc quoque argumento ſuſpicari liceat, eſſe librum hunc ſeculo VIII, quo is ſcriptus dicitur, iuniorem. Multa imprimis de paſſionibus Deo attributis ſatis eleganter diſſerit, quocum conferendus MAIMONIDES [f]. Non itaque *κατὰ τὸ ῥητὸν* intelligendi ſunt Iudaei, de Deo indigne loqui viſi. Ita enim *ἀνθρωποπαθῶς* loqui ſolent de Deo, vt oblitos fuiſſe ſummi Numinis perfectionem credas. In quo allegoricae methodo ignoſcendum eſt, eiusque phraſeologia ex his theſibus philoſophicis explicanda, licet fatendum quoque ſit, obſcuros ſe ita feciſſe doctores Iudaicos, et plebi occaſionem dediſſe, venerationem ſupremo Numini debitam negligendi; vt taceamus, ſaepe has allegorias re ipſa in Dei perfectionem peccare, quamcunque etiam explicationem adhibeas [g].

X. Deus eſt infinitus (Enſoph Cabbaliſtis inde dictus, de quo in ſequentibus dicetur) diſtinctus quam maxime a creaturis finitis, habet enim infinitam durationem exiſtentiae tam antecedentem, quam ſubſequentem. Hinc attributa eius aeterna et infinita ſunt, quoniam fieri non poteſt, vt de nouo ipſi contingant, vel ita ſint in Deo, vt aliquando futura non ſint [h].

a) In dodecade exercitationum philologicarum, de vera pronuntiatione vocis Iehoua, Traiecti 1707.
b) Mor. nebh P. I. c. 25.
c) l. c. L. II. c. 6.
d) IDEM l. c. ALBO l. c. c. 26. Coſri P. II. §. 2. p. 77.
e) pag. 77.
f) l. c. c. 46. 59. 60.
g) Conf. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. IV. c. 2. §. 3. ſeqq. p. 8. ſeqq.
h) ALBO L. II. c. 25.

XI. Eſt Deus etiam infinitus ratione durationis, ita vt ſi primus et nouiſſimus, atque aeternus, non enim dependet a tempore, vt entia contingentia. Fuit itaque ante mundum, errantque illi grauiſſime, qui mundum Deo coaeternum ſtatuunt. Prolixe id contra Ariſtotelem proſequitur MAIMONIDES [i].

XII. Omnia quae praeter Deum ſunt, tempori ſubiiciuntur, et ideo tempus illa immutat. Hinc ipſae etiam intelligentiae ſeparatae, etſi ex contrariis minime compoſitae ſint, vt mutationi obnoxiae eſſe queant; nihilominus mutationem a tempore patiuntur. At Deus ſemper idem eſt, tam ante creationem mundi, quam poſt illius interitum, neque vllis mutatur temporibus [k].

XIII. Deus eſt eſſentia ſimpliciſſima, neque in eo eſt compoſitum aut accidens aliquod, ſed eſt ſubſtantia, quae ſine accidentibus ſubſiſtit. Hinc ſequitur, Deum eſſe intellectum in actu perpetuo, nunquam in potentia, ſic vt non quandoque apprehendat, quandoque non apprehendat, ſed ſit ſemper intellectus in actu. Sic conſequens eſt, ipſum et rem, quam comprehendit, vnum idemque eſſe. Ita iterum MAIMONIDES [l], cuius verba quidem ſanum ſenſum admittere non negamus, ſuſpicamur tamen praeceptoris ſui, Auerrois, principium, Deum eſſe intellectum agentem vniuerſalem in cogitationibus Iudaei philoſophi haeſiſſe, hasque ei locutiones ſuggeſſiſſe. Certe incommode dicit, rem quam comprehendit, et intellectum eius vnum eſſe. Aliud enim res eſt, aliud idea rei intellectui obuerſans. Verum de his alibi.

XIV. Ex eodem fundamento Deus quoque eſt immutabilis, non tantum quoad exiſtentiam, ſed etiam quoad voluntatem. Hinc nullae in eo proprietates corporis ſunt, nec variabile quicquam, quod mutationem in eo efficere queat. Quin et paſſiones ab eo ſeparandae ſunt, quia efficiens paſſionum aliud eſt, quam id, quod patitur [m].

XV. Vocantur proprietates diuinae Sephiroth, id eſt, illuminationes, eo quod plenae ſint lucis et ſplendoris. Ita quidem auctor *praefationis in librum Seaare Ora* [n], quem vnanimem nationis ſuae conſenſum a parte ſua ſtantem habere putat LENTIVS. Sed fallitur vterque; attributa enim diuina manent in eſſentia diuina, et cum ea realiſſime et formaliter vnum ſunt, vt ex antecedentibus conſtat: Sephiroth autem, ſunt formae virtutesque ſubſtantiales ex Deo eiusque vnitate ita egredientes et ſe ad inferiora effundentes, vt ſalua tamen eius vnitas maneat, id quod infra, vbi ex inſtituto de iis dicendum, prolixe probabimus. Hoc vero loco vnum tantum Iudaei [o] celebris locum afferimus, teſtantis *Abrahamum vocauiſſe in libro Iezirah Sephiroth, quaſi Saphiros, ad ſignificandum, quemadmodum Saphirus omnes colores recipit, ſic Deo omnes formas, bene-*

i) l. c. P. II. c. 15.
k) Also L. II. c. 19.
l) Fundam leg. c. II. §. 15. p. 83.
m) Citati.
n) l. c. p. 94.
o) R. Moses ad Iezirah c. I.

Digitized by Google

benedictiones, emanationesque tribui, ita tamen, vt haec omnia ſummam Dei benedicti vnitatem praedicent. Vnde non erraſſe cenſendus eſt doctiſſimus Iudaeorum ſcriptor R. MENASSE BEN ISRAEL [p], qui *decem illas Sephiroth ſeu diuinas perfectiones aliud quid eſſe*, dixit, *quam eſſentiam Dei, licet dici nequeat, eſſe illas diſtinctas creaturas; ſed tantum emanationes quasdam eſſentiae coniunctas, perinde vt radii ſolares cum ſole, flamma cum prunis ardentibus, aut, vti Plato ait, vltimum lineae punctum cum linea coniunctum eſt.* Rectiſſime enim ita Cabbaliſtarum mentem exprimi, ex dicendis conſtabit.

XVI. Deus ita omniſcius eſt, vt cognoſcat eſſentiam ſuam, quae eſt infinite perfecta, eam autem infinite perfectam cognoſcere non poteſt, niſi cognitione infinite perfecta. Ita R. ALBO [q], quae latius proſequitur MAIMONIDES [r], monens, idcirco non cognoſcere neque intelligere Deum creaturas per creaturas, vti nos apprehendimus eas, ſed perſemet ipſum, ideo quatenus ſe ipſum intelligit, etiam cognoſcere omnia, cuiuslibet enim rei eſſentiam in ipſo fundatam eſſe. Quibus verbis diſcipulum Auerrois differere de intellectu diuino, cautus lector monendus eſt.

XVII. Deus mundi Dominus eſt, totiusque terrae, gubernans ſphaeram potentia, quae caret fine et termino, et virtute nunquam ceſſante. Subtiliter haec explicat ALBO [s]: *Quia omne agens perfectum non poteſt operari quicquam, niſi poſſit operari illud, et ſciat operari, et velit operari: dicimus Deum velle, poſſe et ſcire. Ita tamen, vt illae notiones diuerſae agentis non inferant illi compoſitionem.* Res autem impoſſibiles a potentia Dei optimi maximi ideo excludi monet MAIMONIDES [t], quia earum exiſtentia ſit falſa, nec cadant in operationem agentis.

XVIII. Deus adeo non eſt in loco, vt potius locus ſit, quia omnis locus eſt plenus gloria eius [u]. Frequens Iudaeorum conſuetudo, vt Deum מקום, locum appellitent, licet de eo locum praedicari poſſe negent, eo quod nomen loci, vt ait ALBO [x], nonnſi rei, quae impletur corpore aliquo dimenſionem habente, tribuitur, quod in ea quieſcat, et quod eam ambiat. Nempe infinitam Dei omnipraeſentiam et immenſitatem cum negatiue magis, quam poſitiue definire liceat, idea loci vero diuerſiſſima ſit, prout nempe ad aliquid refertur, hinc factum, vt Iudaei incerta vocis ſignificatione Deum locum dixerint, ad ſcripturae verba [y] prouocantes. Qua de re loca eorum adeunda ſunt, quae collecta exhibent PAVLVS SLEVOGTIVS [z], Io. PASCHIVS [a] et vir ſummus, CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PEAFFLVS [b], qui recte

p) De creatione probl. 27.
q) l. II. c. 21.
r) Fund. leg. c. II. §. 15. p. 23.
s) l. c. c. 25.
t) Mor. nebhoch. P. III. c. 15.
u) R. ABEN. ESRA praef. comm. in Eſther.
x) l. II. c. 17.
y) Exod. XXXIII. 21. Pſalm XCI. 9.
z) Diſſ. Acad. XVI. §. 15. p. 355. ſeqq. BVXTORF. Lex. rabbin. f. 2000.
a) Diſſ. de Loco th. II. §. 10.
b) Diſſ. anti-Baeliana II. p. 19.

Digitized by Google

recte obseruat Christianorum quosdam Iudaeos in hac re fuisse secutos. Fatendum quoque, multos Iudaeorum ista voce nihil aliud indicare voluisse, quam Deum ita omnibus adesse praesentem, vt cuncta ab eo dependeant, et ab eo vi infinitae essentiae suae diuino et spirituali modo repleantur. At cum idea spatii locique semper extensionem aliquam admittat, incommode et obscure locutos fuisse, simul agnoscendum est. Placet acutissimi POIRETI [c] pronunciatum: *Non me latet viros eruditos, nec absurda alioqui mente praeditos, H. Morum, Hebraeorum aliquot antiquiores, aliosque statuere ipsum spatium a Deo siue ab eius immensitate non differre, qua propter etiam multa, quae spatio hic tribuuntur imperfecta, ab eodem remouent. Sed si quid veri in eorum sententia siue mente subsit, vt ipsi contendunt, fateor id a ratione mea, in quo quidem sum statu, minime comprehendi posse, atque ita eorum curae relinquo suam de Deo spatiosam ideam tam pure ab omnibus imperfectionibus liberare, et tantis ornare perfectionibus, vt eadem Deo non indigna, sed digna euadat.* Immo non negamus multos Iudaeorum Auerrois sequaces, qui intellectum aliquem vniuersalem, omnia animantem admiserunt, nobis suspectos esse, quando Deum locum dicunt. Ita enim MAIMONIDES [d]: *Sicut per formam res est, quod est, et per eandem veritas et quidditas illius subsistit: sic Deus se habet ad hunc mundum, et eatenus dicitur esse forma vltima, et forma formarum, quatenus existentia omnis formae mundanae eiusque conservatio vltima innititur Deo, et in ipso subsistit, quemadmodum res formam habentes in formis suis subsistunt.* Eadem suspicione premuntur Cabbalistae, qui Deum ita locum esse dicunt, vt mundus sit Deus expansus, Deus mundus contractus, eo quod Deus per emanationes ad omnia se essentialiter extendat, quod, vt alia absurda taceamus, reuera extensionem spatiosam Deo tribuit. Haec cum Iudaei tradant, quaestio non plane otiosa est, vtrum Spinoza systematis sui occasionem a Iudaeis acceperit, maxime Cabbalisticis scriptoribus? de qua tamen alibi dicetur.

XIX. Deus perficit omne ens, nulla vero perfectio ei aduenit extrinsecus, secus atque regibus, quorum perfectio extrinsecus accedit; regum enim imperium non eminet, nisi secundum gloriam et honorem, qui illis extrinsecus exhibetur: Apud Deum vero non ita res est: Deus enim gloriae dominatur; et quia rex est gloriae, regnum eius ab extrinseco se non erigit, neque mutatione aut destructione subditorum mutationem recipit [e].

XX. Deus ab aeterno disposuit totius mundi negotia, et diuina sua sapientia ac perspicacia vidit omnes effectus, qui in tempore futuri essent [f].

XXI. Sequuntur itaque res omnes scientiam Dei praecedentem, quae eas prout sunt, ordinat et disponit, siue sint existentia abstracta, siue exi-

c) Obi. et Resp. ad calc. Cogitat. ration. de Deo p. 742. ed. vlt. d) Mor. nebhoch. P. I. c. 69. e) ALBO L. II. c. 14. f) R. Isaac Bar Sefat apud MENASSE BEN ISRAEL de term. vitae p. 226.

Digitized by Google

exiſtentia ſingularia materiata firma, ſiue exiſtentia materialia; quorum Indiuidua mutantur ſecundum ordinem, qui nec corrumpitur, nec mutatur, ideoque penes ipſum nulla eſt ſcientiae vel multiplicatio vel innouatio, vel mutatio, dum enim ſubſtantiae ſuae immutabilis veritatem nouit, nouit ſimul omnia ſua, quae inde ſequuntur, opera [g].

XXII. Omnia fiunt ex decreto Dei, et tamen liberum eſt arbitrium et accidentia; ſunt enim actiones vel diuinae, vel naturales, vel accidentales, vel electiuae ſeu liberae. Diuinae a cauſſa diuina proueniunt omni modo, nullam aliam habentes cauſſam praeter voluntatem diuinam. Naturales ſunt a cauſſis mediis ſiue ſecundis, accommodatis illis, et perducentibus eas ad finem perfectionis ſuae, quam diu nulla reliquarum trium cauſſarum eas impedit. Accidentales ſunt etiam a cauſſis ſecundis, ſed accidentaliter, non naturaliter, vel ordinate, vel intentionaliter: nullam etiam habent praeparationem ad perfectionem, ad quam pertingant, et in qua ſubſiſtant: praeterea conditionem accipiunt a ceteris tribus partibus actionum. Electiuarum autem cauſſa eſt voluntas hominis electionem faciens. Ita auctor libri *Coſri* [h], qui ſubtiliter his diſtinctionibus inſiſtit, vt rationem concurſus praeſcientiae diuinae cum libertate hominis explicet.

XXIII. Quamuis Deus omnia praeſcientia ſua noſcat mala, origo tamen eorum non a Deo, ſed ab hominis libero arbitrio deriuanda eſt [i].

XXIV. Abſurdum itaque eſt dogma, prima principia eſſe duo, vnum boni, alterum mali. Nam bonum eſt per ſe in omnibus iis, quae exiſtunt, malum vero praeter intentionem primam, neque aliter eſt, quam per accidens [k].

XXV. Abſurda etiam ſententia, quae ponit praeſcientiam neceſſitantem abſolutamque; ea enim omnes motus et actiones animantium a Deo decretas ponit, nec penes hominem relinquit poteſtatem quicquam vel faciendi vel intermittendi. Tollitur etiam ſecundum illam opinionem rerum contingentia, et ſequitur, quod omnia ſint vel neceſſaria vel impoſſibilia, inutiles ſunt omnes leges et comminationes, inuſtumque eſſet, Deum punire hominem, eo quod ex vi decreti diuini non potuerit non facere [l].

XXVI. Fundamentum legis eſt, quod homo habeat abſolutiſſimam poteſtatem, hoc eſt, quod homo per naturam, arbitrium et voluntatem ſuam faciat, quicquid homo facere poteſt, ſine vlla re alia in ipſo creata et innouata. Et ſic voluit Deus optimus maximus, hoc eſt, voluntas Dei aeterna fuit, vt omne animal moueatur per voluntatem ſuam, et vt homo habeat poteſtatem eius, quod vult, vel eligit, in iis, quae cadunt ſub

g) Moreh nebhoch. P. III. c. 21.
h) P. V. ſ. 20. p. 367.
i) Moreh nebhoch. P. III. c. 20.
k) Albo L. II. c. 13.
l) Mor. nebh. c. 17. Coſri l. c.

Digitized by Google

ſub ipſius potentiam [m]. Multis haec exſequuntur Iudaei [n], qui omnibus modis in id connituntur, vt quam maximas humanae libertatis, ſiue liberi arbitrii vires extollant. Sine iis enim Phariſaica operum ſupererogatoriorum arrogantia et iuſtitia conſiſtere non poſſet. Hinc auctor *libri Coſri* [o], *liberum arbitrium* dicit *eſſe ex cenſu cauſſarum ſecundarum, et cauſſas habere catenatim dependentes a cauſſa prima, dependentia non coacta; quia poſſibili ſeu contingenti exiſtente anima conſtituta eſt inter conſilium et contrarium eius, facereque poteſt, quod vult.* Alia loca veterum et recentiorum Iudaeorum breuitatis cauſſa praetermittimus. Non negant diuinorum decretorum aeternitatem, nec ab eſſentia diuina ea ſeparant, verum ita cum libero arbitrio hominis conciliant, vt faciat homo, non quod Deus vult et decreuit, ſed quod ipſe decernit, Deus autem id decernat, quod facere velle hominem intelligit. Facile intelligi poteſt, quanta inde auxilia petat theologia Iudica et ἐθελοθρησκεία ab inani hominum ingenio profecta, qua legi ſatisfacere ſe poſſe credebant. Id quod tamen examinare, et emolumentum inde Phariſaiſmo enaſcens oſtendere huius loci non eſt. Ex his vero ſequentia quoque intelliguntur.

XXVII. Sunt itaque non omnia decreta diuina abſoluta, ſed innumera conditionata, quae ab hominis libera voluntate dependent, quae cum iuris ſui ſit, et velle poteſt, et nolle. Contraria ſentientem Abarbanelem, cui OROBIVS [p] addi poteſt, ideo reprehendit MENASSE BEN ISRAEL [q].

XXVIII. Liberum arbitrium et praeſcientiam diuinam conciliare arduum quidem opus eſt et ſatis intricatum; nec hoc mirum, eſſentiam enim Dei homo capere non poteſt, quacum praeſcientia idem eſt: Certum tamen praeſcire Deum, quia homo facit, non vero facere hominem, quia Deus praeuidit [r].

XXIX. Non itaque praecedit gratia Dei in operibus moraliter bonis merita iuſti, nam ſic nunquam bene agendi haberet poteſtatem, ſed initia boni capit ex voluntatis ſuae viribus, vt meritum conſequatur. Prouocat MENASSE BEN ISRAEL [s] in his ad Ariſtotelem [t], eo quod cum gentis ſuae Pelagianiſmo conſpirare illum videbat. Ita enim ſtatuere neceſſe habebant, vt meritorum ſuorum opera ad iuſtitiam ſufficere oſtenderent. Id quod Iudaei vbique crepant [u].

XXX. Simulatque vero homo honeſtam aliquam actionem ſibi proponit facere, mox etiam Deus ad eam actionem concurrit, et ſua gratia hominem adiuuat [x]. Vidit, hanc doctrinam in gratiam Dei iniuriam eſſe, ISAACVS OROBIVS [y], qui cum LIMBORCHIO [z] diſputauit, vnde

m) Citati.
n) Vid. quae affert LENTIVS p. 158. ſeqq.
o) l. c. p. 68.
p) Amica coll. cum Limb. p. 85.
q) De term. vit. p. 217.
r) Ibidem.
s) De fragil. hum. p. 216.
t) Ethic. L. III. c. 16.
u) Vid. tr. Suca c. 5. conf. DRVSIVS de ſectis L. II. p. m. 67. ſeqq.
x) De term. vit. p. 209.
y) loc. cit.
z) Cap. fid. c. 22. p. 105. Coſri P. V. p. 362.

Digitized by Google

vnde gratiae efficaciam agnouit, qua ſequatur effectus, vt Deus vult, et qua ſola fit, vt homo velit eo modo et gratiae gradu, quo ille ſcit hominem libere, ſed infallibiliter voliturum. At paucos in eo habet conſentientes ex contribulibus ſuis.

XXXI. Mundus creatus eſt, initiumque habuit, et finem quoque ſortietur. Primarium hunc fidei articulum putat R. ABARBANEL [a], quam agnouiſſe Iudaeos quoque in Aegypto ex PLATONE conſtat. Nec aliter ſtatuere poterant, ſi legem Moſis ſaluam veramque vellent. Quin et rationibus philoſophicis contra mundi aeternitatem pugnauerunt, vrgentes [b]: *Mundum nouum creatum eſſe, quia corpus ſit, corpus autem nequeat eſſe ſine motu et quiete; et haec duo ſint accidentia in eo innouata, atque ſibi inuicem ſuccedentia. Quod autem alicui accidat, id ſuo aduentu ipſo nouum eſt, et quod tranſeat, nouum eſſe, ſi enim aeternum eſſet, priuationem non paſſurum. Quod autem non poſſit eſſe ſine accidentibus, de nouo ipſi aduenientibus, illud ipſum nouum eſſe, quia non fuerit ante innouationes; cum ergo innouata ſint noua, ipſum quoque nouum eſſe.* Ita quidem Iudaeorum plerique: fuerunt tamen nonnulli, qui dogma hoc reuelationis et rationis lumine nixum reiicientes, de mundi aeternitate in errores delapſi ſunt. Quidam ante hunc mundum alium a Deo factum eſſe ſomniarunt, ex cuius reſolutione ortus ſit mundus praeſens. Cabbaliſtae relicto ſyſtemate Moſaico, ex ipſo Deo fluxiſſe mundorum genera quatuor, nugati ſunt, vt poſtea dicemus. Praecipue vero Maimonidae aetate de aeternitate mundi controuerſia inualuit, ex quo principia phyſica Ariſtotelis Iudaeis placuerunt. Quamuis enim materiae formationem, vt viſibilis mundi ornatus exiſteret, concedebant, quam ſalua Moſis hiſtoria negare non poterant, materiam tamen fecerunt aeternam, licet ex Deo exiſtentem. Huic errori totis viribus ſe oppoſuit MAIMONIDES, qui videndus [c]; cui Platonis in eo argumento ſyſtema prae Ariſtotelis arriſit. Recruduit controuerſia Sec. XV, cum aeternitatem mundi defendere ſuſcepiſſet R. Schemuel Sirſa, vel Sarſa, doctor Iudaeorum Hiſpanus, qui exſpirante Sec. XV vixit: huic ſe magno ardore obiecit R. Iſaac Kanpathon, tantaque inuidia lis ea inualuit, vt parum abeſſet, quin igni adiudicaretur: quod tamen factum non eſſe contra ZACHVTHI [d] relationem, (quam ſecutus quoque eſt REIMMANNVS [e],) recte affirmat WOLFIVS [f], ius enim vitae et necis Iudaeos in Hiſpania tum habuiſſe, demonſtrari non poteſt.

XXXII. Mundus non creatus eſt ex materia praeexiſtente, ſic vt ex nihilo producta ſint omnia, nihilque ante creationem fuerit praeter Deum. Ita quidem plerorumque Iudaeocum poſt euerſum templum tradebat do-

a) De opificio Dei p. 3. ſeqq.
b) Coſri p. 363.
c) Mor. nebhoch. P. II. c. 14. ſeqq. p. 223. ſeqq. conf. BASNAGE Hiſt. Iud. L. IV. c. 6. §. 4. p. 129.
d) Iuchaſin p. 134. MEN. BEN ISRAEL de creat. probl. III. p. 9. BASNAGE l.c. p. 120.
e) Intr. in hiſt. theol. Iud. P. I. c. 18. §. 29. pag. 612.
f) Bibl. Hébr. P. I. p. 1113.

ctrina. Non prouocabimus ad MAIMONIDEM, multis hoc dogma rationibus adſtruentem, vel ad auctorem libri *Coſri*, cuius verba ſupra adduximus, ſed ad ipſam potiſſimum traditionem eccleſiae Iudaicae reſpiciendum eſſe monemus, quam complexum eſt fidei ſymbolum, quod creationem ex nihilo inter prima fidei fundamenta ponit, vt taceamus alia a viris doctis [f] paſſim adducta, et a viro ſummo ISAACO DE BEAVSOBRE [g] diligenter collecta. Qui tamen vt ingenio erat magno, et eruditione elegantiſſima, omnem mouit lapidem, vt oſtenderet, eccleſiam Iudaicam veterem creationem ex nihilo non docuiſſe, ſed potius antiquo dogmati adhaeſiſſe. Qua de re hic quidem diſputandi nobis locus non eſt. Fatemur tamen, tales nobis videri viri eruditiſſimi, quem cum in viuis eſſet venerati ſumus nobis amiciſſimum, et poſt cineres quoque ob inſignia in rem literariam merita colimus, rationes, vt parum idoneae ſint, ad contrariam nobis perſuadendum. Nempe nec Philo huc pertinet, quem deuiaſſe ab eccleſia Iudaica adeo notum eſſe exiſtimamus, vt merito miremur, potuiſſe virum doctiſſimum in animum inducere, vt id negaret [h]; nec

f) Vid. LENT. l. c. p. 147. WITSIVS Mel. Leid. Ex. VIII. §. 32. p. 101. ſeqq.

g) Hiſt. de Manichée T. II. L. V. c. 3. p. 184. ſeqq.

h) Prolixior eſt materia, an Philo creationem ex nihilo crediderit, quam vt hic poſſit ex inſtituto tractari, pauca itaque annotamus, quae lucem quaeſtioni foenerari apud rerum intelligentes et a praeiudicio hypotheſeos liberos apta ſunt. Nempe I. concedendum quidem eſt, errare magnopere eos, qui Philonem inter illos numerant, qui mundi creationem ex nihilo, i. e. ex nullo praeexiſtente ſubiecto aſſeruerunt. Hi enim euidenti eius loco, de opificio mundi p. 2. refutantur, vbi duas cauſſas ponit Deum et materiam, illam actiuam hanc paſſiuam, illamque hanc ornaſſe, et ita mundum condidiſſe dicit. Vnde recte et eleganter obſeruat vir doctus, errare Witſium, qui, vt contrarium euinceret, ad Philonis verba prouocat, quibus „aeternitatem ſoli intelligibili et immutabili „enti vindicat, res viſibiles et ſenſibus expoſitas „generationi et formationi atque mutationi ob„noxias eſſe" dicit. Nam hoc de viſibili tantum mundo ex fluxa materia valere, non de materiae principio, verba eius clare docent. Ex quo intelligitur, etiam verba illa: „Nihil commercii habet, cum eo quod non factum eſt, is „qui id non fecit," ad mundum ex quorundam opinione aeternum pertinere, non ad materiam, de qua Philo non diſputat. Et hactenus quidem omnino viro doctiſſimo aſſentimur. At in eo fallitur, quod putat Philonem Platonis ſententiae inhaeſiſſe, qui duo abſoluta principia poſuit, Deum et materiam. Quamuis enim duo haec principia licet non abſoluta ſimul non neget, quae nullus philoſophus vnquam negauit, ne Cabbaliſtis quidem exceptis, cogitandum tamen eſt, fuiſſe Philonem ex philoſophorum Alexandrinorum numero, qui deſerto ſyſtemate dualiſtico, emanatiuum receperunt, ſtatueruntque Deum ex ſe ſinuque ſuo materiam expuliſſe, et emanare feciſſe, vt ſupra fuſe probatum, et infra de Cabbaliſtis quoque et de Origene ſuo loco probabitur. Hanc fuiſſe, mentem PHILONIS locus a Cel. viro iam adductus de creat. principis p. 728. probat, vbi ait: „Deum non „entibus dediſſe eſſentiam, confuſa digeſſiſſe in „ordinem, nouas qualitates rebus indidiſſe, ſi„milia feciſſe ex diſſimilibus, e diuerſis eadem, „ex inſociabilibus et diſſitis cohaerentia et ſocia„bilia, ex inaequalibus aequalia, et quicquid „delinquit deterior eſſentia transformaſſe in me„lius." Quae ſenſu Platonico dicta eſſe omnino concedimus, vbi ὑλη ἄτακτα materia eſt fluxa, inordinata, diſſimilis, diuerſa. Aſt ita, Deum πολλὴν ἐκ ἄντα εἰς τὸ εἶναι, ait, ἐκ σκότους φῶς ἐργασάμενος, „ex tenebris lucem producens." Quae intelligi non poſſunt, niſi ex Cabbaliſtarum in Aegypto enata doctrina teneamus, emanationes diuinas, cum longiſſime a ſummo lumine ſe remouiſſent, factas eſſe tenebras, ob priuationem luminis, per Sephiroth autem et canalem Adam Kadmon lucis radium tenebris immiſſum, ſicque mundum materialem conditum eſſe. Nec aliud vult Philo, niſi materia ex Deo emanante et longiſſime a fonte recedente tenebras ortas eſſe, at a Deo luminis immiſſione ordinatam et ornatam materiam. Melius id intelligent, qui Philonis mundum intelligibilem cum materia intelligibili Alexandrinorum philoſophorum eorumque mundo duplici ſupra delineato comparabunt. II. Miramur, potuiſſe dicere virum eruditiſſimum, Platonis ſyſtema eſſe Hebraeorum veterum doctrinam, habuiſſe enim a barbaris: adeoque non poſſe dici, Philonem platonizantem ſuae gentis dogmata reliquiſſe, neque enim probabile

Digitized by Google

nec quae porro de reliquis teſtimoniis addit momentum magnum habere nobis videntur. In hoc enim argumento et ſimilibus, non ratiunculis quibusdam, quae toti hiſtoriae dogmaticae inducere Pyrrhoniſmum et ineluctabilem incertitudinem conciliare poſſunt, ſtandum, ſed ad teſtimoniorum claritatem conſenſumque confugiendum eſt. Qui cum talis fuerit, vt in hunc fidei articulum conſpirauerit gens a traditionis ore tota dependens, cur non a maioribus accepiſſe illud dogma credamus? Quod enim duce Baſnagio excipit vir doctiſſimus, traditionis ſententiam non fuiſſe concordem et vniformem, parum roboris habet, cum hic non de priuatorum quorundam fide diſputetur, ſed de publica traditione, quam diſſenſus quorundam non tollit. Valde vero turbat quaeſtionem vir praeſtantiſſimus, quando Cabbaliſtarum placita cum exotericis Iudaeorum dogmatibus confundit, et ex his probare cupit, Iudaeos veteres materiam coëiſtentem Deo tradidiſſe: nam nec haec mens Cabbaliſtarum fuit, qui materiam quoque ex Deo emanantem ſtatuerunt, vt infra demonſtrabitur, adeoque ſuo modo ex non-ente deduxerunt, immo ſi eorum verbis ſtandum, id quod in materia reale eſt, prorſus materiale non eſſe, ſed ſpiritualem naturam habere, et materialitatis indolem a priuatione tantum adeoque ex nihilo accepiſſe, dixerunt: nec aliud inde ſequitur, quam, hanc theſin: materiae eſſentiam ex Deo effluxiſſe, fuiſſe acroamaticam, et ab exoterico dogmate diſtinctam, adeoque hoc alter ſtatuiſſe, quam illam, et vnum ex altero demonſtrari non poſſe. Ex quo meliori iure colligimus, creationem ex nihilo Iudaicum dogma ſemper fuiſſe, eo quod contraria ſententia ex gentiliſmo inter Iudaeos irrepſerit. Quod vero contendit Beauſobrius, Maimonidem de abſurditate aeternitatis materiae conuictum, traditionem opinioni ſuae de creatione ex nihilo conciliare voluiſſe, ideoque eam ad Abrahamum retuliſſe; doctores autem gentis ſuae de ea non fuiſſe concordes, hiſtoria Iudaiça refutat, quae hoc quidem refert, fuiſſe vnum alterumque a Peripateticiſmo inualeſcente ſeductum, qui de materiae aeternitate cogitauerit, oppoſuiſſe ſe vero ceteros omnes tanto feruore tradit, vt ignis ſupplicio dignos cenſuerint, qui talia docerent. Id quod luculenter probat, traditionis, tempore Maimonidae, eam fuiſſe concordiam inter Iudaeos, vt contraria ſentientes pro haereticis habuerint, nec ad Maimonideam philoſophiam hoc ἕυρημα poſſe referri. Eſſent quidem plurima, quae de hac re, ad illuſtrandam viri optimi opinionem, poſſent afferri, ſed inſtituti limites plura nobis non permittunt dicere, alia occa-

 ſione,

bile eſſe, voluiſſe Philonem errores Graecos Moſis doctrinae praeferre. Quae nollemus excidiſſe magno viro, ſed tenacius aliquando hypotheſi inhaerenti. Non et ſole meridiano clarius eſt, Philonem innumeros Platonicorum Alexandrinorum errores recepiſſe, mores Iudaeorum in Aegypto ſecutum, et Platonem ſua a Iudaeis non accepiſſe, ita luculenter probauit LENFANTIVS collega Beauſobrii et amicus intimus, hoc non improbante, Bibl. Germ. T. II. p. 124 ſeq. vt vix oculis noſtris fiſi ſimus, cum haec legeremus, Tacemus totam Moſis hiſtoriam aperte ſyſtema dualiſticum Platonis refutare. Plura addere locus non patitur.

ſione, ferente prolixius, de ea re disputaturis. Pauca tamen in fine paginae adiiciemus [i].

XXXIII. Mundus non est a se, sed a Deo conditus est in tempore [k]. Rationem auctoris libri *Cosri* adduximus, ab innouatione mundi petitam.

XXXIV. Ex lege Mosis vnica mundi creatio est, quae autem de rebus ante mundum conditum creatis doctores dicunt, ea allegorica sunt, et tantum de intentione Dei interpretanda. Scilicet, si quosdam Iudaeorum audis, non alius tantum mundus ante hunc visibilem a Deo conditus est, id quod ex eo probant, quod Moses creationis historiam auspicetur a litera ב, cum scribere potuisset אלהים ברא [l]. Alii scriptores Talmudici [m], septem res creatas esse antequam mundus conderetur; legem, poenitentiam, hortum Eden, gehennam, solium gloriae, domum sanctuarii et nomen Messiae. Quamuis autem de sensu huius dicti varient inter se Iudaeorum interpretes [n], vt absurditatem latentem euitent, patet tamen ex collatione locorum fere omnium, illud aut de obiecto primo aut de fine primo *in* intellectu diuino esse intelligenda; id quod satis commode exprimet R. IEHVDA LEVI [o], monens: *Conuenire id cum eo, quod philosophi dicunt, primum in cogitatione vltimum esse in executione*, id quod de fine creationis satis luculenter explicat, dignus qui de eo legatur. Quaecunque autem in dicto obscuro admittatur significatio, illud certum est, allegoricam sententiam *κατὰ τὸ ῥητὸν* non esse premendam, quod praecipue in doctrina de creatione notandum est.

XXXV. Quodcunque Deus benedictus in mundo creauit, ad honorem suum solum creauit [p].

XXXVI.

i) Quod ad Eliezeris testimonium ex Capitulis illi tributis attinet, non alia eius auctoritas esse potest, quam quoad traditionem Iudaeorum exhibet, post confectum Talmud regnantem receptamque. Eliezeris enim ea non esse, supra obseruauimus, conf. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 173. seqq. mirumque non est, vidisse Maimonidem *σοῦσατα* in illis capitulis plurima; nam diuersorum hominum sententias diuersis temporibus pronunciatas ea continere, notum est. Parum tamen obstant creationi ex nihilo verba illa; Deum ex lumine vestium suarum condidisse coelos, et hoc lumen extendisse, vt fierent coeli. Notum enim est, Talmudicorum scriptorum allegoricas locutiones *κατὰ τὸ ῥητὸν* premendas haud esse, nec aliud hoc velle dictum videtur, nisi Deum ex infinito lucis oceano coelos condidisse. Ast illa lux etiam a Deo. Quod si ipsa litera sequenda, dicendum lucem hanc ex Deo emanasse, quae ipissima est Cabbalistarum doctrina, quibus autem tantum abest, vt lux haec materia sit, vt potius totam eam spiritum faciant, adeoque materia ea tantum ex priuatione facta sit. Nec alia est mens libri Iezirah. Sec IX. p. 197. ed. Rittang. nisi omnia ex Deo emanantia, ex quibus mundus factus, esse vocem et spiritum Dei sanctum. Quae licet fermento philosophiae orientalis Aegyptum allato infecta sint, longe tamen absunt ab aeternitate materiae, quam Iudaeis affingit vir celeberrimus.

k) Prolixe de hac re PHILO de opificio mundi p. 3, seqq.

l) Cabbalistarum haec sunt somnia, quae mundum intelligibilem ex Deo fluentem supponunt, quaeque recentiores Iudaei quidem non satis intellexerunt. vid. LENT. l. c. p. 180. seq.

m) Pesachim f. 54. col. 1. Nedarim f. 39. c. 2. R. ELIEZER. capit. c. 3.

n) Conf. BASNAGE Hist. Iud. L. IV. c. 6. §. 7. p. 122. seqq. IAC. WINDET de vita functorum Sect 1. p. m. 6.

o) Cosri p. 254.

p) Bereschith Rabba apud LENT. l. c. p. 182. Pirke abhoth c. VI. §. 11. MAIMON. Moreh nebhochim P. II. c. 6.

Digitized by Google

XXXVI. Omnes animae olim in principio rerum omnium creaturarum creatae ſunt, et centenis annis iſtae felices et beatae fuerunt in glorioſo ſuo ſtatu, antequam informarent corpus. Magno conſenſu hanc praeexiſtentiam animarum amplectuntur Iudaei, ad quos ſine dubio ex gentili philoſophia profluxit, licet MENASSE BEN ISRAEL [q] contendat, eam a Iudaeis ad Aegyptios et Graecos, praecipue Pythagoram et Platonem peruenisſe. Id enim hiſtoria philoſophica luculenter refutat, quae hoc dogma inter gentes barbaras inualuiſſe docet, quae nunquam cum Hebraeis conſuetudinem habuerunt. Maxime vero philoſophia Cabbaliſtica hanc animarum originem amplexa eſt, cum ſyſtema emanatiuum aliud non patiatur. Qua de re cum infra dicendum ſit, hic nihil addimus. Videndae interim nugae R. ISAACI LORIENSIS [r], ex quibus origo dogmatis prorſus gentilis palpari poteſt. Locum, in quo animae ante ingreſſum in corpus commorantur, vocant Guph, de quo loca ſcriptorum Talmudicorum affert LIGHTFOOTVS [s]. Sed et hoc ab Alexandrinis philoſophis transſumtum eſt, animas a ſeptentrionali plaga deſcendere [t]. Alia Iudaeorum ſomnia de animabus recitat EISENMENGERVS [u], qui videndus. Immo, eſſe inter Iudaeos multos, qui animam per emanationem ex Dei eſſentia mediantibus Sephiroth deducant, ex locis a laudato viro allatis conſtat, quae Alexandrinas origines manifeſte produnt.

XXXVII. Praeter animas dantur etiam creati ſpiritus, qui vel boni vel mali ſunt.

XXXVIII. Angeli mali ſubſtantiae ſunt corporeae, aëriae, igneae, ex duobus his elementis ſubtiliſſimis conflatae [x]. Originem haec aſſertio ſine dubio accepit ex dictis ſcripturae male intellectis, quibus Deus angelos ventos et ignem flammantem feciſſe dicitur. Haec verbotenus accipientes et prementes arctius, quam par erat Cabbaliſtae, cum vi ſyſtematis emanatiui, malos angelos tanquam ſcorias et cortices emanationum diuinarum conſiderarent, et tamen craſſam iis materiae conditionem tribuere, propter operationes illis adſcriptas, non poſſent, eiusmodi corpora aërea et ignea illis tribuerunt, et quae a philoſophis Orientalibus et Alexandrinis acceperant, ſua fecerunt. Quos ſecuti etiam Talmudici ſcriptores, cum haud raro literam premere ſolerent, vbi non debebant, neglecta ea, vbi ſequenda erat, idem dogma receperunt, ex quo mira fabularum Iudaicarum commentorumque inanium ſeges prodiit.

XXXIX. Coelum animatum eſt, ſtellaeque rationales ſunt conditae aſtraque praedita intellectu et voluntate. Eſt et hoc ex dogmatum heterogeneorum numero, quod cum reliquo fermento gentili ex Aegypto irrepſit inter Iudaeos, et dictis quibusdam ſacrarum paginarum [y], quae

aliis

q) De creat. probl. XV. p. 61. conf. de reſurrect. L. II. c. 19.
r) Cabb. denud. P. III. tr. 2. c. 1. p. 244.
s) Ad Io. IX. 2.
t) Conf. WINDET. l. c. f. V. pag. m. 95. BASNAGE l. c. c. 13. §. 1. p. 878.
u) Iudaiſm. detect. P. II. c. 1. p. 1.
x) Vid. MENASSE BEN ISRAEL de creat. probl. 23.
y) Pſ. XIX. 1. Nehem. IX. 6. Iob. XXXVIII. 7.

ἀλληγορικῶς loquuntur, ſecundum literam acceptis, pictum ornatumque, et inſipida hypotheſi de influxu ſiderum ſuffultum. Ex Aegyto autem abſurdam doctrinam ad Iudaeos peruenisſe, ille non dubitabit, qui cogitat, et barbaram philoſophiam, maxime vero orientalem talia praecepisſe, Aegyptiosque eadem admisisſe, et inter Graecos in ſchola Pythagorae, Platonis et Zenonis paria fuisſe tradita; exque his fontibus colluuiem Alexandrinae philoſophiae confluxisſe, ex qua ad Iudaeos tranſiit. Vt taceamus, philoſophiam Cabbaliſticam, quae ex his quoque impuris lacunis hauſit, non potuisſe aliter ſtatuere, cum ſingulis mundis angelos praefecerit, emanationum diuinarum partes et ſimul cuſtodes, vt infra dicetur, a quibus ad reliquos Iudaeos, dictorum biblicorum interpretatione minus accurata deceptos, poſtea error digreſſus eſt. Certe apud Philonem paſſim iam hoc dogma obtinuisſe legimus [z]. Quamuis autem MAIMONIDES [a] ipſe huic dogmati faueat, quem tamen non Platoniſmo, ſed Peripateticiſmo adhaeſisſe conſtat, nihil tamen in eo aſſeruit, quod non cum placitis Auerrois ipſiusque Ariſtotelis concordet amiciſſime. Singulis enim ſphaeris cum intelligentiam aliquam, id eſt diuinum quendam ſpiritum praefectum eſſe dicat, aperte in Ariſtotelis caſtra transfugit, eta ſuprema intelligentia, ſummoque et primo motore imprimi ceteris motum cum Stagirita aſſerit. Fatetur autem eſſe inter gentem ſuam, qui ex hoc motu ſphaerarum ab angelis profecto oriri harmoniam ſonumque dulciſſimum credant, id quod Pythagoricum eſſe, nemo non videt. Totum vero dogma hoc ex Aegyptiaca philoſophia, ſingulis mundi partibus rectores ſpiritus praeficiente ortum eſſe recte monuit BASNAGIVS [b].

XL. Cum itaque ſtellae rationales ſint, motumque ſequantur maxime rationalem, ſequitur inde, earum influxum regere mundum, et earum ſitus poſitusque praedicere poſſe futura. Fatum hoc eſt aſtrologicum, quod מזל *planetam* vocant, et cui plurimum Iudaei tribuunt, qui dogma hoc vel ex Babylonia vel ex Aegypto acceperunt, cum nefanda idololatria ante captiuitatem iam ad eos transmiſſum. Vix enim ratio alia dari poteſt, cur tantopere in colendo exercitu coelorum inſaniuerint veteres Iudaei. Quaecunque autem veterum Iudaeorum de aſtrorum efficacia, influxu et ſignificationibus ſententia fuerit; illud certum eſt, tanta ſuperſtitione inhaeſisſe inepto dogmati Iudaeos poſt templi excidium, vt auſus fuerit his principiis nixus R. Abraham Auenaris, ex ſiderum poſitu et conſtellationis legibus Meſſiae indubitatum aduentum in A. C. MCDXLIV praedicere, nempe quando euenturum eſſet, vt Iupiter Saturno in cancri ſigno coniungeretur [c]. Nec mirandum magnopere, inter Iudaeos dogma hoc fuisſe receptum, cum non tantum indoli gentis ſuperſtitioni fauenti conueniat, ſed et inter tot migrationes et deportationes inter gentes peregrinas

z) Vid. de opif. mundi pag. 5. de gigantibus pag. 285.

a) Fundam. leg. c. 3. §. 11. Moreh nebhochim P. II. c. 7.

b) Hiſt. Iud. L. IV. c. 9. §. 14. p. 211.

c) Vid. VOSSIVS de orig. et progr. idololatr. L. II. c. 48. p. m. 573.

Digitized by Google

grinas illud vbiuis fere receptum facile haerere et purioribus miſceri ab iis potuerit.

XLI. Primus homo androgynus creatus eſt, nempe mas et foemina [d]. Solennis inter Iudaeos traditio, quam a gentilibus quoque accepiſſe nulli dubitamus.

XLII. Articulus fidei eſt, quod Deus benedictus prouideat non tantum in vniuerſali, ſed etiam in particulari, quodque rationem habeat non modo ſpeciei humanae in genere, ſed quod ſingulos quoque homines curet in indiuiduo. Hanc prouidentiam qui negat, haereticus eſt [e]. Lites inter ſectas Iudaeorum ſtante templo, de hoc dogmate ſupra enarrauimus, et ideo Sadducaeos a Iudaeis tanquam haereticos traduci oſtendimus.

XLIII. Nulla res fit per accidens, ſed omnia fiunt ex intentione intendentis Dei [f], adeoque prouidentiae diuinae influxus et directio ne in minima quidem creatura deſideratur. Dat enim cuique materiae formam optimam et conuenientiſſimam, quam poteſt recipere, neque ſuam gratiam, ſapientiam et gubernationem ſubtrahit vlli rei, ſic vt in pulice et in muſca aeque eluceat, quam in ordine ſphaerarum, neque aliter differant res, quam ratione materiae ſuae [g]. Aliter viſum fuiſſe MAIMONIDAE [h], quidam inter Iudaeos et Chriſtianos conqueruntur, eo quod tradiderit, diuinam prouidentiam non circa animalium indiuidua, plantas, folia aliaque vilia verſari, ſed coeco ea relinquere caſui. Sed fieri ei iniuriam, ex verbis Iudaei doctoris diligenter inſpectis diſpaleſcit, quibus non de prouidentia DEI generali, ſed de ſpeciali circa hominum actiones rationales verſanti loquitur, et Ariſtotelis magis, quam ſuam ſententiam exprimit [i]. Vnde magis pie in *fundamentis legis* [k] omnia ad Deum refert.

XLIV. Quicquid euenit hominibus, ſiue bonum fuerit, ſiue malum, prout in hoc mundo fieri ſolet, vbi mala mixta bonis, omnia illa operatur Deus, et nihil accidit fortuito. Malorum tamen auctor non eſt, id quod impedit, et punit, adeoque omne accidens malum obueniens homini, opus eſt in homine productum ex abſcondito vultu Dei benedicti ab eo, cum nempe Deus illi cuſtodiam ſuam ſubtrahit propter peccatum ipſius, vsque dum poenas peccato debitas ſoluerit [l].

XLV. Vitae humanae meta immobilis et immutabilis fixa haud eſt a diuina prouidentia, adeoque in hominis poteſtate ſitum eſt, diu aut breuiter viuere, prout nempe eius temperamentum, et ſeculi decurſus, et aſtro-

d) Bereſchith Rabba ſ. 8. Medraſch Tillim ad Pſalm CXXXIX. vid. quos nominat Io. A LENT. l. c. c. VI. §. 16. p. 206. RAYM. MARTINI pug. fid. p. 449. Ios. VOISSIN. ad h. l. HORNBECK. de conuinc. Iudaeis p. 335. alique.

e) Tr. Talm. Schabb. c. 14.

f) R. DAVID KIMCHI comm. ad Pſ. CIV.

g) Coſri P. V. §. 20. p. 368. P. III. §. 17. p. 176.

h) Mor. nebhoch. P. III. c. 17.

i) Conf. BASNAGE l. c. p. 304.

k) c. I. §. 1. 2. & II. §. 1.

l) R. LEVI BARCELON. in Cinuch ad legem 169. conf. LENT. l. c. p. 224.

aſtrorum ſitus permittunt. Prolixe de hoc aſſerto diſſerit MENASSE BEN ISRAEL [m].

XLVI. Per Dei exiſtentiam omnia exiſtunt, et ipſe quoque continuat ac conſeruat ſtatum ipſorum per influentiam [n].

XLVII. Non eſt vlla creatura, vel herba infra, quae non habeat Maſſal, id eſt ſidus influens, quod percutit illam: et indiuidua omnia generabilia habent virtutes ſuas a ſideribus vel ſtellis iis appropriatis: et licet virtutes orbium coeleſtium diffuſae ſint per omnia entia, tamen virtus vniuscuiusque ſtellae propria eſt. Prolixus in his explicandis eſt MAIMONIDES [o], qui tamen more ſuo veterem doctrinam philoſophiae Ariſtotelicae principiis adulterauit, ſingulis ſphaeris intelligentias praeficiens, ex quarum influxu res inferiores generabiles et corruptibiles regantur. Magis enim ſobrie magiſtros Iudaeorum ante illum de ea re pronuntiaſſe, ex libro *Coſri* [p] patet, cuius auctor *elementa*, ait, *ſolem, lunas, et ſtellas ceteras habere equidem operationes quasdam, veluti calefaciendi, refrigerandi, humectandi et exſiccandi, quaeque ab his dependent; neque tamen attribuendam illis eſſe ſapientiam, ſed miniſterium duntaxat, vim autem formatricem, menſuratricem, et proſeminandi, vt et omnia ea, quibus ſapientia ineſt cum intentione certa, non attribuenda eſſe niſi ſapienti et omnipotenti.*

XLVIII. Ex his ſequitur, vitam et alimenta non a pietate vel meritis hominum pendere, ſed a planeta, id eſt, fato ſidereo. Ita quidem ſcriptores Talmudici [q], quorum haec aſſertio eſt. Recentiores tamen, quos nominat Io. A LENT [r], ita haec moderantur, vt expoſitione aſtrorum, dicant, deriuari in infantem recens natum aliquam virtutem, et diſponi ordinem vitae et necis, opulentiae et paupertatis, ſed ita, vt aſtra non neceſſitent homines, nec voluntatem hominis eiusque liberum arbitrium tollant, ſed iuuent tantum, inclinent, et excitent. Quod dogma latius perſequitur MENASSE BEN ISRAEL [s], qui, et ad experientiam et impleta aſtrologorum oracula, et ad motuum coeleſtium in ſublunaria influxum, horumque ab illis dependentiam, et ad ſcripturae auctoritatem et dominatum ſiderum in Geneſeos initio declaratum prouocat. Qua in re eſſe hodiernos Iudaeos diſcipulos Phariſaeorum veterum recte monuit BASNAGIVS [t]. Sunt tamen inter eos, qui ſobrie magis hic philoſophantur, et parum ſideribus in res humanas poteſtatis tribuunt, qui tamen communi et receptae inter Iudaeos doctrinae opponi non debent, cum priuatam opinionem ſequantur. Aut itaque falſum eſt, quod contendit LENTIVS [u], reiicere Iudaeos fatum aſtrologicum, aut de abſoluta tantum neceſſitandi potentia intelligendum eſt.

XLIX.

m) De termino vitae.
n) MOSES Aegypt. Mor. nebhoch. P. II. c. 12. p. 214. coll. P. I. c. 69. p. 126.
o) P. II. c. 10. p. 206.
p) P. V. f. 77. p. 36.
q) Tr. Moëd. katon f. 28. c. 1.
r) l. c. p. 236.
s) De term. vitae p. 14.
t) l. c. L. II. c. 18. §. 8. p. 462.
u) loc. cit.

Digitized by Google

XLIX. Innumeri dantur angeli, quorum peculiaria ſunt nomina, claſſes, munera, affectiones et qualitates. Poſſet hic tota Iudaeorum de angelis doctrina afferri, ſi inſtituti limites id paterentur: licet enim pauca de iis teneat ratio, et pleraque ex traditione acceperint Iudaei, ita tamen ſcripturae dogmata admixtis Chaldaeis, Perſicis, Aegyptiacis, immo Alexandrinis quoque Pythagorico-Platonicorum placitis adulterarunt, vt ſine hiſtoriae philoſophicae adminiculo eorum opiniones peregrinae intelligi, fontesque earum perſpici nequeant. Sed prolixiora ſunt, quae de angelis nugantur, quam vt hic vno faſce comprehendi queant omnia. Paucis tamen potiora enarrabimus, quae huc redeunt: I. Angelos Dei eſſe conſiliarios in condendo mundo ſtatuunt; quae opinio ſine dubio in Aegypto inter Iudaeos primum recepta fuit ex ſchola Platonis, quem minoribus Diis conditorem permiſiſſe mundi fabricam et ornatum dixiſſe, alibi [x] notauimus. Immo ex Orientali quoque philoſophia, quae Platonicae in Aegypto attemperata fuit, hoc dogma fuiſſe Iudaeis commendatum, vix dubium erit ea legentibus, quae ſupra de philoſophiae Orientalis placitis diſſeruimus. II. Angelos quidem ſubſtantias puras et intelligentes eſſe dicunt, et quae corpoream naturam in ſcriptura innuunt, allegorice explicanda eſſe, concedunt [y]; at de origine angelorum eorumque naturae lucidae et intelligentis differentes, eos ex luce diuina effluxiſſe, vt ſcintillas ex lumine aſſerunt. Id quod non Cabbaliſtis tantum placuit, quorum de angelis ſomnia infra enarrabimus, ſed et aliis Iudaeorum doctoribus, inter quos ita R. IEDAIA HAPPENINI [z]: *A ſcintilla luminis tui ab antiquitate ſcaturigo diffluit, a ſplendore tuo effunditur, inde ſeparantur caſtra intelligentiarum admirabilium, quae ſunt ſubſtantiae puriſſimae intelligentes ex ſe ipſis.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, emanationis modo originem angelorum Iudaeos ſibi concepiſſe, naturamque eorum luminoſam eſſe, ex infiniti luminis effluente eſſentia ſtatuiſſe, ſicque corporeas ſibi notiones formaſſe. Quod vt philoſophiae Orientali iterum eſt conueniens, immo cum Alexandrina quoque philoſophia concordat, ita veriſimile eſt, ex his ſcholis Iudaeos haec quoque hauſiſſe. III. Placuit etiam multis Iudaeorum magiſtris, angelis tribuere corpora ſubtiliſſima aëria et aetheria itemque ignea [a], vt ſupra dictum, ſexum quoque, et potentiam generandi [b]: quae ex iisdem putidis philoſophiae Orientalis et Aegyptiacae lacunis hauſta eſſe, quilibet videt, qui harum nugarum hiſtoriam tenet, vel Iamblichi librum *de myſteriis Aegyptiorum* legit. IV. Diligentiſſimi porro Iudaei ſunt in definiendis Angelorum ordinibus, hierarchiis, muneribus, dignitatibus, poteſtatibus et ſimilibus. Tres nempe ſupremas angelorum claſſes conſtituunt,

x) Hiſt de ideis Sect. I. §. 6. p. 103. ſeqq.

y) R. MOSES BEN MAIMON. Ioſede hatthora l. II. §. 4. Mor. nebh. P. I. c. 49.

z) Intr. Bakkaſcha f. II.

a) Coſri P. IV. §. 3. qui tamen hoc ad certum genus angelorum reſtringit, quod ex Cabbaliſtarum pneumatica lucem accipiet.

b) Conf. BASNAGE Hiſt. des Iuifs L. IV. c. 9. §. 5. p. 195. ſeqq.

ſtituunt, quibus ſingulis domum iudicii, id eſt, curiam quandam coeleſtem aſſignant, in quo deliberent, et ex quibus ſynedrium coeleſte congregetur [c]. In prima claſſe collocant principes faciei diuinae, Michaëlem, Gabrielem, Vrielem, Raphaelem, eo quod perpetuo coram diuina facie apparentes illam intueantur; et de his mira ſomnia narrant [d], quae allegorice intelligenda ſunt, niſi prorſus delirauiſſe eos velis. Secundae claſſi angelos ſanctitatis attribuunt, qui interdum corpora aſſumunt, inter homines apparent, mundoque ſublunari praeſunt. Hos in decem ordines diſtribuunt, heic, vbi breuitatem ſectamur, non enarrandos, videndi vero, qui paſſim haec exponunt, viri docti [e]. Tertia in claſſe angelos damni, perditionis vel mortis conſtituunt, eo quod iuſtitiam diuinam in peccatore exequantur. Illis angelis in regione ſublunari et plaga ſeptentrionali ſedem tribunnt, vt ex ELIEZERIS *capitulis* [f] patet, pluribusque Iudaeorum locis probat ANDR. EISENMENGERVS. Habere hanc quoque claſſem ſuam originem, ſi loca de malis geniis in S. paginis occurrentia excipias ex philoſophia Orientali et Alexandrina, ex collatione vtriusque eſt manifeſtiſſimum.. Quaerunt hac occaſione paſſim viri docti, vtrum doctrinam de angelis Iudaei a gentilibus, vel hi ab illis acceperint? cuius diſceptationis hiſtoriam enarrare integram heic non licet. Nos in difficili quaeſtione diſtinguenda eius momenta eſſe arbitramur. Aliud enim eſt, vtrum dogma illud: dari angelos peculiari exiſtentia gaudentes, eſſe angelos bonos et malos, et quae his ſimilia ſunt, ex origine ſua apud Hebraeos fuerit, et an ab illis ad gentes dimanauerit: aliud, an doctrina Iudaeorum de angelis, qualem in compendio exhibuimus ex fontibus gentilis philoſophiae ſcaturierit? Prius omnes illi affirmant, qui diuinorum quorumcunque notitiam ab Hebraeis ad gentiles peruenisſe ſtatuunt. Inter quos eſt VOSSIVS [g] pater, qui per patriarchas traditionis ope ad gentiles hoc dogma tranſiiſſe, e. g. ad Iſmaëlitas ab Hagare, ad Ammonitas a Lotho, ad Moabitas a Bileamo &c. ſuſpicatur, id quod ea potiſſimum ratione veriſimile fieri contendit B. Io. IAC. SYRBIVS [h], quod angelorum exiſtentia a priori ex ratione non innoteſcat. Nos non id quidem praefracte negabimus, fuiſſe inter vetuſtiſſimas gentes quaedam traditionis patriarchalis veſtigia, ex quibus angelorum exiſtentiam et praecipue quorundam ex iis lapſum et malitiam diſcere potuerint. At hoc ſimul concedendum eſt, doctrinam de Deo, ceu anima mundi, quae omnem fere terrarum orbem peruagata eſt, per ſe eam opinionem potuiſſe gignere, eſſe in omnibus huius mundi partibus ſpiritus elementorum, partiumque mandanarum praeſides et rectores, prout

c) MAIMON. l. c. P. II. c. 16. et quos adducit LENT. c. 7. §. 4. p. 549.
d) Capit. Eliezeris c. 4. BASNAGE loc. cit. §. 7. p. 197.
e) MAIMON. conſt. fund. leg. c. 2. §. 8. G. VORST. ad h. l. p. 18. LENT. l. c. c. VII. §. 6. p. 252. ſeq. EISENMENGER. Iudaiſm. detect. P. II. c. 7. p. 374.
f) c. 3. MEN BEN ISRAEL de creat. probl. 22. EISENMENGER. l. c.
g) De orig. idololatr. L. I. c. 6.
h) Inſtit. philoſ. primae P. II. c. 2. p. 366.

Digitized by Google

prout in hiſtoria philoſophiae barbaricae *Tomo primo* fuſe etiam de Germanis Celtisque, longiſſime ab Hebraeis remotis, oſtendimus, ex *Tomo quarto* de Sinenſibus, nullo prorſus cum Hebraeis commercio vſis oſtendemus. Cumque miros naturae operum effectus viderent, et ineſſe quoque naturae rerum pernicioſos euentus obſeruarent, malos dari genios, qui iſta operentur, facile colligere potuerunt. Sane quae innumera de ſpiritibus ediſſeruit philoſophia barbarica, praecipue Orientalis ita comparata ſunt, vt ex limpidis Hebraeorum fontibus, dimanare non potuerint, et potius ingeniis ſacerdotum et fanaticis et fraudulentis imputanda ſint. Et in his quoque ſcholis nugas has et inania otioſi ingenii ſomnia didiciſſe Iudaeos, nulli dubitamus. Id quod in captiuitate Babylonica factum eſſe, poſt GROTIVM paſſim viris doctis viſum eſt[a]; nobis autem ſi non omnia, certa pleraque ex Aegypto deriuanda eſſe videntur, poſtquam prophetae doctrinae purioris cuſtodes eſſe deſierant, et in ſyncretiſmum quendam gens Iudaica Aegyptum incolens ruerat. Quaecunque enim de angelis tradunt a reuelationis lumine in Scriptura S. abeuntia, ita comparata ſunt, vt pateat, ea ex philoſophia Orientali, Aegyptiaca et Pythagorico-Platonica inter ſe confuſa et commixta, id eſt, ex philoſophia Alexandrina profluxiſſe. Quod qui negat, eum vel vnius Philonis ſcripta legere oportet[b], vt pleniſſime conuincatur. Sed haec de angelorum dogmate Iudaico paucis ſufficiant. Plura curioſi lectoris ſtudio non indigna dabunt BALTHASAR BEKKERVS[l], IOANNES SAVBERTVS[m], et ANDREAS EISENMENGERVS[n], qui videndi.

L. Notitia angelorum magnam partem ſapientiae Iudaicae conſtituit, et ad hominum ſalutem adhiberi poteſt[o]. Patebit id ex iis, quae infra de Cabbaliſtarum dogmatibus de angelis dicturi ſumus. Ita vero ſtatuere oportebat Iudaeos, qui philoſophiam ſuam arcanam magnam partem ex orientali philoſophia mutuum acceperant. Cum enim illa potiorem ſapientiae partem in eo conſtitueret, vt anima a malorum angelorum poteſtate liberata ad ſuperiores emanationum diuinarum ordines deduceretur; eodem modo Iudaeis praecipiendum erat. Quae ratio quoque eſt, cur in Cabbala practica, mirabiles illos effectus magicos angelorum inuocatione produci poſſe ſtatuant. Ita enim et orientales philoſophi decernebant, et qui eos ſuo modo ſequebantur philoſophi Alexandrini.

LI. Angelorum miniſteria varia ſunt, maxime vero ſingulis populis, regionibusque angeli rectores praefecti ſunt, totus orbis terrarum ab iis regitur, illisque ex mandato Dei curae eſt. Curioſiſſimos ſe in hoc dogmate praeſtiterunt Iudaei, quorum tamen placita hic recenſere loci

a) Diximus haec de re quaedam ſupra L. I. c. 4.
b) Hunc primum hanc de angelis doctrinam inter Iudaeos vulgaſſe non ſatis veriſimiliter coniicit HVETIVS in concordia rat. et fid. L. II. c. 4. p. m. 500.
l) Mund. faſcin. L. I. c. 12. p. m. 57.
m) Palaeſt. theol. philol. p. 31.
n) Iudaiſm. detect. P. II. c. 7. p. 320.
o) Conf. BVDDEVS Hiſt. phil. Hebr. §. 45. p. 415. ſeq.

anguſtia non patitur. Videnda autem, quae copioſe afferunt LENTIVS [p] et BASNAGIVS [q]. Quorum hic ex Philonis theſauris ita divitias ſuas auxiſſe Iudaeos ſuſpicatur, qua in opinione eum anteceſſit HVETIVS [r]. At ante Philonem iam inter Iudaeos hanc de angelorum nominibus, poteſtatibus et muneribus doctrinam inualuiſſe, ex iis, quae de Eſſenis ſupra retulimus, conſtat [s], dubiumque non eſt, Chaldaica, Perſica, Aegyptiaca, et reliqua Orientalia placita domeſticis quibusdam admixta materiam huic pneumatologiae Iudaicae ſubminiſtraſſe. Eam enim in diſtribuendis angelorum muneribus et praeſidio fuiſſe curioſam ſatis, ex iis, quae ſuo loco de illis dicta ſunt, liquet. Alexandrinam vero philoſophiam in hoc capite explicando fuiſſe diligentiſſimam vel ſolus Iamblichus docet.

LII. Deo praecipue archangeli, rebellionis contra Deum capita, cum ſeditionem in coeleſti curia excitaſſent, e coelo eiecti ſunt. Varie eorum nomina exprimunt Iudaei. Schamchazai et Vziel paraphraſtae Chaldaeo [t] vocantur. Alii vnum infernalium geniorum principem conſtituunt Sammaëlem [u], quem omnium diabolorum nequiſſimum, ſeductorem Euae, angelum mortis, Satanamque appellant. Angelum vero mortis ex duabus cauſſis nominant. Nam fuiſſe eum auctorem lapſus protoplaſtorum, mortisque duce Moſe, contendunt, & mortis ſimul nuntium eſſe dicunt, cuilibet homini moribundo apparentem, oculis minacibus ac igne rutilantibus, gladio horrendo: eique appenſam fellis guttam ori immittere aegroti fabulantur, ex qua mori et putrefactionem ſubire foetidiſſimam cogatur. Eſſe in hac fabula implicito ſenſu confeſſionem Iudaeorum, diabolum cuiuslibet morientis homicidam eſſe, eumque ex vita tollere, paſſim viris doctis * annotatum eſt: rectiſſime autem doctiſſimi *Bibliothecae Germanicae* auctores [y] monuerunt, non nimis inuidiae conflandae cauſſa premenda eſſe allegorica Iudaeorum verba, quae hoc tantum velint, mortem non eſſe opus Dei, ſed a mala quadam natura et diabolorum principe ortam, qui inimicus ſit Dei et humani generis. At cum tamen multi Iudaeorum literam ipſi arctiſſime ſequantur, his ſaltem, qui magiſtrorum ſuorum mentem non aſſequuntur, ea obiici poſſe in confeſſo eſt.

LIII. Angeli lapſi et ex coelo eiecti cum filiabus hominum concubuerunt, filiosque genuerunt diabolos et gigantes. Paſſim haec tradunt Iudaei, praecipue R. ELIEZER [z], quibus ſuo modo praeiuit IOSEPHVS [a], qui, vt patres quoque aliqui, ſeductus fuit verſione Graeca verborum Gen. VI. 2. vbi pro filiis Dei ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ legitur. Pertinent

p) l. c. §. 25. p. 275. ſeqq.
q) l. c. L. IV. c. 9. §. 14. p. 218.
r) loc. cit.
s) IOSEPH. Antiq. Iud. L. XVIII. c. 2.
t) Ad Gen. VI. 1.
u) ELIEZER capit. c. 14. Maſſecheth Baua Batra f. 16.
x) EDZARD. ad c. I. Auoda Sara pag. 163. EISENMENGER. l. c. P. I. c. 18. p. 820. BVXTORF. Lex. Talm. col. 1495. I. IAC. SCHVDT. Memorab. Iud. P. II. L. VI. cap. 36. §. 12. pag. 337. ſeqq.
y) T. XXXII. p. 72.
z) Pirke c. 22.
a) Antiq. Iud. L. I. c. 4.

Digitized by Google

nent vero huc ea quoque, quae de angelis ἐγρηγόροις in fragmento Henochiano veteres disputarunt, quae tamen heic afferre, instituti ratio non patitur. Sufficit annotasse, et hoc quoque dogma Aegypto sine dubio deberi et Aegyptiacae philosophiae. Ea enim angelorum ex pleromate diuino delapsorum inordinatos appetitus et connubia cum materia enarrabat, quae desumta esse ex orientali philosophia ex eius delineatione et Simonis Magi quoque historia constat [b]. Huic itaque dogmati, quod in istos malos angelos eorumque in materiam nisum et inclinationem omnium fere in orbe malorum caussam coniiciebat, quodque allegorico connubii spirituum cum filiabus hominum emblemate more Orientali depingebatur, et inter Iudaeos passim huic philosophiae manum dantes recipiebatur, patrocinium in domesticis monumentis quaesitum, et huc eo facilius Mosis verba tracta sunt, quod ipsa LXXviralis versio, quae maximae erat auctoritatis in Aegypto, fauere videretur. Quod PHILONIS *de gigantibus* [c] libellum, qui totus in hoc argumento explicando occupatus est, legenti erit manifestissimum. Ex eo vero luculenter quoque patet, allegorice haec intellexisse Iudaeos Alexandrinos, philosophiae Aegyptiacae addictos. Dabimus ipsa Philonis verba, cum eleganter rem totam luce perfundant: *Hi sunt illi mali angelorum nomen vsurpantes, qui rectae rationis filias scientias et virtutes nesciunt, morti autem obnoxias hominum mortalium progenies consectantur, quae nullam habent secum natiuam pulchritudinem, sola mente visibilem, sed fucatam formam, qua sensus decipitur. Accipiunt vero non easdem omnes filias, sed alii alias selectas sibi ex innumeris. Quidam per visum, quidam per gustum et ventrem, quidam per ea, quae sub ventre sunt, quidam etiam per remotissimas occasiones intendendo suas cupiditates varias.* Quibus ex verbis luculenter intelligimus, excitando inordinatos cupiditatum in materiali corpore motus, malos istos angelos se cum hominibus coniunxisse, si Philo audiendus. Hac allegoria ad Iudaeos dogma hoc propagatum esse, ex Eliezeris, vel quisquis capitulorum illi tributorum auctor est vetus, testimonio constat. At Iudaei sequioris aetatis cum sensum philosophicum huius dogmatis non intelligerent, malos vero angelos corpore vestitos esse statuerent, κατὰ τὸ ῥητὸν traditionem accipientes, eiusmodi connubium malorum spirituum cum filiabus hominum commenti sunt, quod a Iudaeis ad Christianos quoque aliquos transiit. Eidem sine dubio origini sequens fabula adscribenda est.

LIV. Quamdiu Adam protoplastus fuit in anathemate, genuit spiritus, daemones et spectra nocturna, et Eua genuit spiritus foeminas, separati enim erant per centum et triginta annos. Et hoc tempore enatus est spiritus foeminei generis Lilith. Absurda multa de his spiritibus pronuntiarunt Iudaeorum doctores, quae collecta sunt a Io. SAVBERTO

b) Conf. BVMDEVS H. E. V. T. T. I. p. 169. c) pag. 286.

TO [d] et ANDREA EISENMENGERO [e], quaeque hodie quoque inter Iudaeos obtinere oſtendit IO. IACOBVS SCHVDTIVS [f]. Aſt allegoriae cuidam natales inſulſae traditionis deberi, nulli dubitamus.

LV. Licet magna angelorum poteſtas eorumque vſus mirabilis ſit, adeo vt cum timore venerationem mereantur, nullo tamen religioſo adorationis vel inuocationis cultu proſequendi ſunt. Theſis haec, ex reuelata quidem Iudaeorum theologia eſt deſumta, confirmationem autem petit ex ipſis rationis principiis, quam Iudaei paſſim vrgent, quorum loca luculenta adduxit IOANNES A LENT [g], qui videndus. Mireris itaque merito, potuiſſe eo delabi viros quosdam doctos, vt ſui coetus praeiudiciis inſeruituri ſtatuerent, veterem eccleſiam Iudaicam angelorum quoque nomina inuocaſſe. Id enim non BARTOLOCCIVS [h] tantum ex ſupplicatione quadam Hebraea (Litaniam eccleſiaſtici ſcriptores vocant) ad angelos directa probare ſategit, ſed vir quoque doctiſſimus, et cetera cordatus LVDOVICVS ELLIES DVPINVS, peculiari diſſertatione, BASNAGII *hiſtoriae Iudaicae* in ea editione quam truncatam paſſim et mutatam ipſe Dupinius Lutetiae curauerat, inſerta demonſtrare conatus eſt, veterem eccleſiam Iudaicam cultum aliquem religioſum angelis exhibuiſſe, exceſſiſſe vero limites tempore Chriſti in terris viuentis, ideoque ab apoſtolis Petro atque Paulo reprehenſam fuiſſe, Rabbanitas autem ex πολυθεότητος metu in alterum extremum prolapſos omnem angelorum cultum religioſum ſuſtuliſſe, quo tamen impedire non potuerint, vt non hodie quoque eius veſtigia inter Iudaeos deprehendantur. Non patitur locus et inſtitutum, rationes Dupinii examinare, praecipue cum in noua hiſtoriae Iudaicae editione id ipſe praeſtiterit eruditiſſimus Basnagius. Obſeruamus itaque id modo, quod propius ad ſcopum noſtrum pertinet, et obiter tantum Basnagius tetigit, veriſimilitudinis praeſidium hanc opinionem inde petere, quod ad Sephiroth in precibus cogitationes dirigendas eſſe Cabbaliſtae moneant. Aſt, quod infra fuſe docebimus, hic paucis monendum eſt, nec Sephiras iſtas angelos eſſe, ſed emanationes diuinas omni angelorum ordine ſuperiores, et in vnitate eſſentiae diuinae radicatas; nec Iudaeos Cabbaliſtas ad Sephiras per ſe preces dirigere, ſed ad primam et infinitam cauſſam, quae in iſtis emanationibus ſuam vim et eſſentiae effectus demonſtrat. Vnde monuit MENASSE BEN ISRAEL [i]: *Sciendum eſſe, illas Sephiras, aut decem illuſtres luces aut numeros, quos receperunt Cabbaliſtae, emanaſſe ex prima cauſſa, ideoque radios diuinitatis eſſe, ipſamque diuinitatem iis infuſam. Quoniam autem in Deo nulla mutatio ſit, quando*

d) Palaeſtr. theol. philolog. p. 44. ſeqq.
e) Iudaiſmi detecti P. II. c. 8. p. 413. ſeqq.
f) Memorab. Iud. P. II. L. VI. c. 16. p. 7.
g) l. c. p. 879. conf. tr. Talm. Berachoth c. 9. ABARBANEL de cap. fidei c. 12. p. 40.
h) Bibl. Rabb. T. I. p 493.
i) Qq. in Geneſ. LXIV. §. 2.

Digitized by Google

do miſericordia alicuius moueatur, dici eum operari per Sephiram חסד *miſericordiae, quando ſeuere iudicet, per* גבורה *rigorem. Quare cum Cabbaliſtae dicant cogitationes noſtras in precibus conuerti debere ad talem Sephiram, velle eos ad primam cauſſam, quae per Sephiram illam vim ſuam exerceat.* Alia, quae huc afferri queant, Baſnagio non memorata adducit, lucemque egregiam toti argumento foeneratur IOANNES SAVBERTVS, duabus *diſſertationibus* [k] quaeſtionem excutiens, *vtrum angeli ex mente Iudaeorum ſint adorandi?* quas Baſnagius non vidit, dignaeque ſunt, quae legantur, cum mira luce argumentum hoc perfundant.

LVI. Homo creatus eſt ad imaginem diuinam, at ita, vt, quae in Deo ratione et ordine vniuerſali effectoris, productoris et creatoris eorum ſunt perfectiones, inueniantur in creaturis cum diſcrimine ſuo et ſubſtantia, prout formae extant in ſuis ſubiectis, et formae eorum in accipientibus ea. Prolixe de hac re philoſophatur R. ABARBANEL [l], oſtendens in homine ita imaginem Dei relucere, vt et diuinae perfectiones, tanquam vmbrae in eo refulgeant, et homo repraeſentet mundum paruum, rerumque omnium creatarum compendium, tum reſpectu facultatum, tum etiam membrorum eius: et ratione intellectus actualisque ſapientiae, qua praeditus fuit, ea ſe oſtendat. Quae omnia rationibus philoſophicis ſubtiliter ſatis munit, ſpeciminisque loco eſſe poteſt, quo modo philoſophiae praeſidiis in argumento theologico Iudaei doctiores philoſophantesque fuerint vſi. Plura vero de hoc ipſo dogmate, quod ad noſtros limites non pertinet, dabit BASNAGIVS [m].

LVII. Praeceptum diuinum de matrimonio eſt magnum, vniuerſale, praeſtantiſſimum, omnisque loci et temporis, adeoque omnes quoque homines ad id obligantur [n].

LVIII. Cauſſa mortis naturalis omniumque calamitatum peccatum eſt protoplaſtorum. Elegans de eo locus in *capitulis* ELIEZERIS [o], quo miſeriam mortis et calamitatum ex lapſu primorum parentum depingit. Multa hic nugantur Cabbaliſtae, quorum ſomnia exponit BASNAGIVS [p]. Cogitandum vero, eorum proponendi docendique modum eſſe allegoricum, vnde ad tertium comparationis tantum attendendum et ſyſtematicae emanationis rationes illis verbis aptandae ſunt, ſi veram eorum mentem et philoſophiam aſſequi velimus.

LIX. Ob ſtructuram hominis impoſſibile eſt, hanc perfectionem conſequi, ob materiam quae ipſum peccare facit, hinc nullus homo iuſtus eſt. Multi ſunt in eo doctores Iudaici, vt corruptionem hominis a formatio-

k) Extant in palaeſtra theol. philol. pag. 31. ſeqq.
l) Comm. in leg. p. 20. conf. LENT. l. c. c. 9. p. 303.
m) Hiſt. Iud. L. IV. c. 13. §. 16. p. 293. ſeqq.
n) R. LEVI BARZELONITA in Chinuch. ſ. 1. BVXTORF. diſſ. de ſponſalibus p. 8. ſeq.
o) c. 14. conf. MAIM. Mor. nebh. P. III. c. 17.
p) l. c. c. 14. p. 317. conf. Cabbala denud. T. II. p. 153.

Digitized by Google

mationis in vtero tempore deriuent, eamque multis rationibus adſtruant; nec negant, ex primorum hominum lapſu deformitatem hanc eſſe ortam [r]: at ex his R. PERISOL verbis patet, ad materiae inordinatos motus eos cauſſam referre; quod vt ex gentili philoſophia receptum eſt, ita cauſſam aperit, cur non obſtante peccandi neceſſitate libertati tamen hominis eiusque arbitrio vires ſufficientes ad incipiendum et cogitandum bonum tribuant. Multa paſſim Iudaei hanc in rem crepant [s], quae hic afferri non poſſunt, paſſim autem a theologiae Iudaicae ſcriptoribus collecta ſunt, eoque tendunt omnia, vt non tantum bono operi hanc peccandi inclinationem naturalem nullam inferre labem exiſtiment, ſed etiam abunde ſufficere virium ad ſuſcipienda opera bona contendant. Quod dogma a Phariſaeis acceptum caput eſt cardoque totius doctrinae moralis Iudaicae. Rationem vero philoſophicam a natura peccati deriuant, quod ſine electione libera committi poſſe negant. Ita enim MOSES Aegyptius [t]: *Homo habet abſolutiſſimam poteſtatem et per naturam, arbitrium et voluntatem ſuam facit, quicquid homo facere poteſt, ſine vlla re alia in ipſo creata et innouata. Omnia pariter animalia irrationalia voluntate mouentur ſua, et ſic voluit Deus optimus maximus, hoc eſt, voluntas eius aeterna fuit, vt omne animal moueatur per voluntatem ſuam, et vt homo habeat poteſtatem eius, quod vult vel eligit, in iis, quae cadunt ſub illius potentiam.* Rationem vero philoſophicam hanc adducit R.^o MENASSE BEN ISRAEL [u]: *Etenim videmus nonnulla ſine intellectu agere, vt lapidem deorſum cadentem, aliaque id genus, quibus iudicium haud eſt. Nonnullis ſcientia naturalis eſt, ſed determinata ad vnam ſolam rem, neque libera, vt mutis animantibus. Etenim ouis lupum ſentiens, ſcit fugiendum ſibi, ſed hoc ſit naturali intellectu, et non libere; quia naturae inſtinctu id neceſſario faciunt. Atqui huiusmodi iudicium omnibus animalibus eſt, ſed homini iudicium liberum eſt, quia per intellectum iudicat neceſſario alia ſibi vitanda, alia ſequenda; adeo vt iudicium hoc in ſingulis actionibus non a natura, ſed a ratione proficiſcatur, quae eum libera ſit, velle et nolle, agere et non agere poſſit. Cum igitur hominum actiones ſint contingentes, neque iudicium vni adſtrictum ſit, ſequitur ei eſſe liberum arbitrium.* Plura huius generis paſſim ingeminat philoſophus Iudaeus, qui in hoc fidei ſuae fundamento demonſtrando diligentem et acutum ſe praeſtitit. Sed haec attuliſſe ſufficiat, vt ſpecimen ſint philoſophiae Iudaicae. De re ipſa iudicare noſtri inſtituti locique haud eſt.

LX. Accipiunt praemium opera bona, iuſtitiam itaque ex illis conſequi licet. Hunc quoque articulum inter fundamentales retulit R. ISAAEL [x], huc enim tendit totus Phariſaismus.

LXI.

q) Conf. LENT. l. c. p. 358. ſeqq.
r) Vid. MAIM. l. c. MEN. BEN ISR. de term. vitae p. 198.
s) loc. cit.
t) Concil. in Ex. q. 6. p. 108. conf. BAMAGE l. c. c. 15. §. 13. p. 339.
u) Catech. Iud. q. 11. ex recentioribus OROBIVS amica collat. cum Limborch. p. 57.

Digitized by Google

LXI. Eiusmodi opus bonum est fides, quae donum est quod Deus mentibus nostris indidit, quo mediante credimus omnia illa, quae nobis per prophetas seruos suos dixit. Et haec quoque verba sunt *Catechismi Iudaici*, quae vero lucem accipiunt, ex verbis R. SAADIAE GAON [x], qui, *fidem*, dicit *esse, cum cor qualitatem rei alicuius cognitae apprehendit, quam cognitionem excipit intellectus, eamque bene comprehensam cordi studiose imprimit, vt sic homo rem obiectam credat, sibique in vsum commodum reseruet.* Similia MAIMONIDES [y] praecipit. Ex his vero intelligitur, fidem hanc mere esse philosophicam, nempe assensum religionis dogmatibus datum, propter rationes mouentes et assum imperant[z]; quare formalem rei conceptionem ad fidem requirit MAIMONIDES [a].

LXII. Ad opera iustitiam consequentia et reconciliationem cum Deo efficientia pertinent, ieiunia, oratio, poenitentia, lachrymae, calamitates et afflictiones, maxime vero exilium tot annorum, tandemque mors ipsa. Multis haec inculcant Iudaei, quorum loca adduxere LENTIVS [b] et EISENMENGERVS [c]. Et haec quidem ad nostrum scopum non pertinent: ad ideo tamen hic tanguntur, vt ea cum institutis gentilium, maxime philosophorum Alexandrinorum, comparari, et origines doctrinae moralis tam foedae et ineptae, atque a sacrorum oraculorum praeceptis regulisque tantopere deuiantis intelligi possint. Ieiunia enim, orationes, exercitia austera, et similia eos quoque ad purgandum animum et cum Deo vniendum commendauisse, supra dictum, ostensumque suo loco, philosophiae Orientalis alumnos similia postulauisse. Hi autem plerorumque errorum inter Iudaeos regnantium parentes sunt.

LXIII. Omnia opera virtutis gradus suos habent [d].

LXIV. Leges Mosis omnes aeternae sunt, et immutabiles. Ita MAIMONIDES [e], qui tamen contradicentem nactus est R. IOSEPH ALBO [f], qui prolixe ostendit, *in legem cadere posse mutationem, non quidem ratione dantis, attamen ratione accipientis; dantem enim praescribere quidem normam, similem quolibet tempore, tam pro incipientibus, quam pro assuefactis, quae tamen debeat mutari iuxta dispositionis variationem in recipientibus.* En exemplum philosophiae Iudaicae de iure naturali et diuino.

LXV. Anima hominis est spiritus immortalis, substantia cogitans et libera. Prolixe in hoc afferto ex ratione et reuelatione demonstrando, et rationibus philosophicis muniendo versatus est R. MANASSE BEN ISRAEL [g], qui in id maxime incubuit, vt immortalitatem animae ex connexione cum reliquis fidei articulis ex natura spirituali et cogitante,

x) Seph. Aemunah f. 4, c. 3.
y) Mor. nebhoch. P. I. c. 50.
z) Ibid.
a) l. c. c. 13. p. 416.
b) Iudaism. detect. P. II. p. 281. P. I. p. 33. 504. P. II. p. 274. 718.
c) R MACHIR in Abkat Rochel R. I. L. I. p. 4.
d) De fundam. legis c. IX. §. 1. p. 119.
e) De artic. fund. L. III. c. 13. conf. VORSTIVS ad l. c. Maim.
f) De resurrectione mortuorum.

ex libertate animae, ex commotionibus et defideriis voluntatis, ex iuſtitia Dei etc. probaret. Qua in demonſtratione veſtigia preſſit, R. Albo, R. Aben Ben Tibbon aliorumque, maxime autem auctoris libri *Coſri*, qui hoc loco philoſophum non inconcinnum ſe praeſtat, demonſtrans [a] exiſtentiam animae ex motu, naturamque eius ſpiritualem ita exponens, vt eſſe eam dicat ſubſtantiam abſtractam, proxime accedentem ad ſubſtantiam angelorum et habitantem in corpore tanquam rex, vel imperator, non localiter, coniungentem vero ſe corpori cum ſpiritu caloris naturalis, qui nequeat eſſe ſine loco, et colligatur cum corde ſicut flamma. Conſtituens porro tres facultates animae, vegetatiuam, ſenſitiuam et rationalem, easque ex operationibus et effectibus probans; formam quoque hominis vocans שלימות, perfectionem, qua eſſentia hominis illud fit, quod eſſe debet, quae eſt Ariſtotelis ἐντελέχεια, eam vero duplicem eſſe afferens, vnam, quae eſt ipſa anima operationum ſuarum principium, alteram, quae operationes comprehendit ex principio hoc oriundas: hincque animam definiens: *perfectionem corporis naturalis organici, vitalitate vel anima vitali praediti in potentia;* ex his vero animae operationes deducens. Ex quibus patet, pſychologiam Iudaeorum medii aeui fuiſſe totam Peripateticam. Eundem fere in modum paſſim differit de anima MAIMONIDES [b], eiusque immortalitatem ex eo probat, quod res ſcibiles a corpore ſeparatas intelligat. Ait enim in *fundamentis legis: anima cuiuslibet carnis eſt forma eius, quam dedit ei Deus, intellectus vero inſuper exiſtens in anima hominis eſt forma hominis perfecti cum ſuo intellectu, qui cognoſcit et intelligit obiecta non habentia materiam. Haec forma animae non eſt compoſita ex elementis, vt reſoluatur in illa, neque eſt ex potentia ſenſitiua animae; ſed a Domino e coelis eſt, ideoque ſoluta cum corpore anima ſenſitiua, haec forma non exterminatur, quia illa anima opus non habet, ſed intelligit atque cognoſcit res ſcibiles a corpore ſeparatas atque intelligit creatorem omnium, ac ſtabilis eſt atque permanet in ſecula ſeculorum.* Haec Maimonides, quem tamen Auerrois diſcipulum fuiſſe recordandum eſt, cuius ſchola poſt Ariſtotelem intellectum agentem extra ab intellectu vniuerſali immitti homini, et reuera vnum tantum eſſe ſtatuit. Ex his enim verba Maimonidis lucem capient. Caueat vero ſibi lector, ne ex hoc ſpecimine Iudaeorum de anima philoſophantium de tota gente iudicet. Hi enim non domeſticis principiis vſi ſunt, ſed peregrinis ab Ariſtotele acceptis, cuius veſtigia preſſerunt. Iudaeorum vero his temporibus antiquiorum ſcripta conſulentibus, et cum Cabbaliſticis placitis, de quibus infra, comparantibus, mira opinionum monſtra comparebunt, quae magna diligentia collegit EISENMENGERVS [i], ex quibus diſcimus, philoſophiam Aegyptiacam et Orientalem pſychologiam quoque Iudaicam adulterauiſſe.

Docent

a) P. V. §. 11. p. 339. ſeqq. P. II. §. 26. p. 101. ſeq.
b) De fundam. legis c. IV. §. 14. p. 45.
i) l. c. P. II. c. 1. p. 1. ſeqq.

Digitized by Google

Docent enim animas gentilium ortas esse ex extremis viribus Kolifoth, id est corticum, quo nomine malos genios intelligunt, animas vero Israëlitarum originem accepisse ex sanctitate emanationis Dei benedicti, quo dogmate more suo arroganti omnesque gentes despicienti se proximas ex Deo emanationes esse, gentes vltimas impuritatum materialium plenas garriunt. Animarum porro sedem esse vel bonarum vel malarum; eas autem ex Deo emanauisse [k], easque ante corpora praeextitisse, dicunt, et quae alia sunt philosophiae Aegyptiacae propudiosa γεννήματα. Animas vero quinque generum esse statuunt, et in Nephesch, Ruach, Neschama, Chaia et Iechida diuidunt, quae quidem Iudaei Peripatetici facultatum distinctioni Aristotelicae applicant, longe autem aliter magisque ad philosophiae orientalis et Alexandrinae normam explicant Cabbalistae, et qui eos sequuntur. Qui, ne nugarum finis sit, in Sabbatho, nouam et super additam ingredi Iudaeos animam dicunt, vt ceteras ineptias praetermittamus, quae recte displicuere MENASSE BEN ISRAEL [m], qui allegoria adhibita suos iuuare conatur.

LXVI. Anima post mortem superstes non protinus coelestia subit gaudia, sed per annum oberrat in hoc mundo, maxime circa suum versatur cadauer, et a daemonibus in aëre versantibus multa patitur, et in hoc purgatorio eluitur a maculis. Ita de statu animae post mortem Iudaei non philosophantur, sed insaniunt; et quidem non fabularum tantum magistri, sed ii quoque, qui sobrie magis philosophari cupiunt, qualis est MENASSE BEN ISRAEL [n]. Duodecim vero mensium spatium definiunt, intra quod purgari hunc in modum versarique animam in hoc mundo, maxime vero circa sepulchrum et cadauer suum, veteris hospitii memorem dicunt. Traditque LEO MVTINENSIS [o], filios parentibus orbatos indies mane et vesperi in synagoga parentum gratia preces recitare, quae dicantur Kaddisch, inque eo pietatis officio pergere et ferme totos esse per vndecim menses. Plura ea de re dabunt LENTIVS, BASNAGIVS, SAVBERTVS et WINDETVS [p], qui obseruat, gehennam superiorem hanc mansionem dici. In hac mansione elui et purgari animas multi Iudaeorum tradunt. Ita enim R. IOSEPHO ALBO [q]: *Supplicium hoc, de quo meminimus, siue ad corpus ipsum, siue ad animam simul cum corpore, siue ad animam solam pertigerit, pro vniuscuiusque statu ac conditione diuersum variumque est. Fieri enim nequit, vt is, in quo partim bona partim mala existunt, maximis istis cruciatibus aeternum torqueatur; peracto enim certo tempore supplicium illud cessabit, nempe cum nequam ista consuetudo peccandi absersa penitus et perpetua obli-*

 vione

k) Conf. MAIMON. l. c. c. 4. §. 15. pag. 46. et VORSTIVS ad h. l.

l) Tr. Ialkuth Chadasch f. 154. c. 4. apud EISENMENGER. l. c. p. 18.

m) In Nitschmath Chaiim f. 53. c. 2.

n) De resurrect. mort. L. II. c. 6. p. 171.

o) De ceremon. et consuet. Iud. P. V. c. 9.

p) LENT. c. XVII. §. 9. p. 594. BASNAGE l. c. L. V. c. 16. §. 5. p. 306. SAVBERTVS palaestra theol. phil. diff. I. p. 7. IAC. WINDET. de vita funct. statu s. VIII. p. 189.

q) De fundam. L. IV. c. 24. WINDETVS pag. 191.

Digitized by Google

vione abolita fuerit; ac iuxta doctorum noſtrorum b. m. ſententiam, tempus illud duodecim menſium erit. Aſt diſtinguere alios inter hanc animae e corpore diſcedentis et per annum per aërem vagantis ſtatum et inter purgandae conditionem in purgatorio, locus quidam libri *Emek Hammelech* [r] probat, in quo colloquium narratur doctoris Iudaei cum eiusmodi anima habitum. In eo enim inter alia traditur: Animam hanc, R. Chaiim ſubmiſſo a R. Iſaac Loriia, vt, eam ex foemina, quam obſederat, adiuratione expelleret, quaerentique, cur viginti & quinque iam annos נא ונד, *na venad*, profuga et vagabunda (ita enim poenam hanc appellant) oberret, cum ſecundum Rabbinorum effata, duodecim tantum menſium ſpatio infernalium cruciatuum duratio ſit, reſpondiſſe: eum non recte intelligere mentem doctorum, quae ea ſit, exantlatis poenis extra infernum, tum demum ſequi cruciatus infernales, et per duodecim menſes tormentis gehennae emaculari purgarique animam, vt ita eluta impuritate et labe recte praeparata Paradiſum ingredi queat. Nec dubitamus nos, hanc moram duodecim menſium ab iſto vago et incerto ſtatu diſtinguere omnes eos, qui transmigrationem dari animarum ſtatuunt, vt in ſequentibus dicetur. Nam non poſſunt eſſe in purgatorio vel inferno, qui poenae loco varia corpora ſubeunt. Quaecunque autem ſententia Iudaeorum vera fuerit, in qua in partes eos ire, et diuerſa ſentire eo facilius eſt, quo magis ad ineptias otioſorum hominum omnia redeunt; illud extra controuerſiam poſitum eſſe exiſtimamus, accepiſſe has quoque ſarcinas Iudaeos ex gentili philoſophia, maxime Orientali et Aegyptiaca, quae modo haud abſimili corpora transmigrationibus, poenitentiis, cruciatibus emaculari eluique ſtatuebat, vt ſupra probatum.

LXVII. Datur poſt mortem purgatorium. Solennis etiam haec inter Iudaeos doctrina eſt, quam peculiari tractatione euincere et pro purgatorio Romanae eccleſiae adſtruendo aſſerere conatus eſt IOSEPHVS VOISINIVS [s]. Tantae vero capacitatis ad vniuerſos pertinentis hunc infernum eſſe Iudaei volunt, vt omnes ferme homines etiam ſanctos piosque ei addicant, eo tamen diſcrimine, vt leuioribus maculis notati tantum transeant, alii vero duorum vel plurium menſium, quidam grauiſſime polluti duodecim menſium moram facere cogantur. Qua de re Iudaeorum fabulas deſideranti faciet ſatis ANDREAE EISENMENGERI [t] induſtria. Accepiſſe hoc purgatorium Iudaeos a philoſophis Alexandrinis non dubitabit, qui Orientalium, Aegyptiorum, et Platonicorum de ſtatu animarum poſt mortem placita cum Iudaicis contulerit. Dignumque obſeruatione, eandem iam annuam moram iisdem fere verbis a Platone definitam eſſe, qui in vltimo Socratis colloquio [u] inter alia: *οἱ δ' ἂν ἱκέσιμοι μὲν, μεγάλας δὲ δόξωσιν ἡμαρτηκέναι ἁμαρτήματα, τύτους ἐμπεσεῖν μὲν εἰς τὸν*

r) fol. 16. apud EISENMENGER. P. II. c. 1. p. 45.
s) Secutus eſt eum BARTOLOCCIVS Bibl. Rabb. T. III. p. 250. ſeqq.
t) l. c. P. II. c. 6. p. 336. ſeqq. p. 353. ſeqq.
u) Is eſt dialogus Phaedo.

Digitized by Google

τὸν τάρταρον ἀνάγκη· ἐμπεσόντας δὲ αὐτοὺς καὶ ἐνιαυτὸν ἐκεῖ γενομένους ἐκβάλλει τὸ κῦμα, *qui licet ſanabilia magna tamen flagitia admiſiſſe videantur, illos in tartarum incidere neceſſe eſt; incidentes autem atque annum illic commoratos eiicit fluctus etc.* Sed ſequentia quoque legenda ſunt, et cum Talmudicorum ſcriptorum nugis comparanda, quae originem inepti dogmatis ſatis manifeſte oſtendunt. Quod vero addit Windetus; nullam prorſus purgatorii mentionem fieri in ſcriptis Iudaicis Gemara antiquioribus: nihil ea de re habere Targumim, nihil Philonem, nihil Ioſephum, nihil Miſchnam: locum autem *Soharis* libri, in quo luculenta purgatorii mentio fiat, prodere, quod ſerius ſcriptus ſit liber: purgatorium autem ex Platonis ſchola per Origenem Chriſtiano orbi obtruſum, tum demum, vbi a Chriſtianis receptum eſſet, ad Iudaeos veniſſe etc. id examine aliquo opus habet, nec nude admitti poteſt. Et illud quidem neminem hiſtoriae philoſophicae et eccleſiaſticae vel mediocriter peritum latere poteſt, ex orientali philoſophia ex Aegyptiorum dogmatibus et placitis Pythagoricis Alexandriae potiſſimum aedificatum fuiſſe purgatorium, quod ad Chriſtianos per Originem traductum fuiſſe rectiſſime contendit vir doctus. At ſerius et poſt Miſchnicos ſcriptores demum inter Iudaeos inualuiſſe, credibile non eſt, et philoſophiae Cabbaliſticae antiquitas, quae mature in Aegyptum eius dogmata enata eſſe docet, aliud euincit. Haec enim cum purgatorium hoc neceſſario ſtatuere debuiſſet, quod non alia ratio eſſet, ea, quae a Deo emanarunt, et a prima origine recedentia materiae ſordibus ſe inquinauerunt, per priſtinos ordines gradusque reducendi in Deum fontem ſuum, in ipſa natiuitate cum reliquis erroribus hunc quoque eccleſiae Iudaicae commendare debuit. Nec ignotum fuiſſe hunc ad Deum per has purgationes in aëre maxime faciendas reditum PHILONI *, facile perſuadebitur ea legenti, quae de ſignificatione ſcalarum a Iacobo in ſomnio viſarum is affert, et cum Alexandrina philoſophia amice conſpirant. Quicquid autem Philoni placuiſſe videatur, illud certum eſt, nihil afferre librum *Sohar*, quod non cum tota Cabbaliſtica philoſophia concordet. Et hunc quoque fontem fuiſſe omnino ſtatuendum eſt, ex quo ad Iudaeos dogma peregrinum emanauerit. Inde vero ratio quoque dari poteſt, cur apud Iudaeos purgatorii huius non fiat mentio ante ſcriptores Gemaricos. Nempe ſupra iam oſtenſum, myſteria Cabbaliſtica arcana fuiſſe ſeruata et paucis tradita, donec tandem eius dogmata inter Iudaeos paulo frequentius circa medii aeui tempora increbeſcerent. Cum autem inter ea etiam purgatorium hoc fuerit, mirum non eſt, ex arcanis doctrinis inter exoterica et vulgaria dogmata id paulo ſerius fuiſſe receptum, adeoque antiquiores ſcriptores de illo ſiluiſſe. Immo nulli dubitamus, quin ſequioribus temporibus incomtum dogma iſtis demum narratiunculis exornatum, iſtisque fabulis auctum ſit, quas hodie Iudaei tradunt. Quamcunque autem aetatem originis purgatorii Iudaici ſtatua-

*) pag. 585.

Digitized by Google

ſtatuamus, illud dubitatione caret, ex Alexandrinis lacunis, luxuriantia Iudaeorum ingenia illud hauſiſſe, ſuisque propinauiſſe.

LXVIII. Migrant animae, vagatae poſt mortem per aërem, in alia corpora. Gentilem originem habere μετεμψυχώσεως dogma ignotum eſt nemini: obtinuiſſe vero inter Phariſaeos ſtante adhuc templo ſecundo, ex ſupra dictis conſtat. Cum itaque Phariſaeorum partes Iudaei poſt templi vrbisque euerſionem plerumque ſequerentur, haec quoque animarum migratio ab iis tanto applauſu recepta eſt, vt R. MENASSE BEN ISRAEL teſtetur [y], neminem inter ſuam gentem huic dogmati contradixiſſe: praeter R. Saadiam Gaon et R. Salomonem Ben Addereth, cui addit [z] R. Ioſeph Albo. Qui dum ad librum *Sohar* itemque ad Pythagoram, Platonem et Virgilium prouocat, prodit ipſe, ex qua officina ad Iudaeos illud transmigrauerit. Cui origini gentili vt colorem addat Iudaicum, Abrahamum patriarcham fingit Aegyptiis illud dogma primum tradidiſſe. Quo tacite concedit, quod veriſſimum eſſe putamus, etiam hanc peregrinam doctrinam Iudaeos ab Aegyptiis accepiſſe, quamquam fieri potuit, vt eius quoque femina ex captiuitate Babylonica reportauerint. Vocant vero hanc transmigrationem Iudaei *Gilgul Hanneſchamoth*, *reuolutionem animarum*, vt a reuolutione corporum verſus Palaeſtinam, quam in reſurrectione mortuorum futuram eſſe ineptiunt, diſtinguant: eique non in corpora tantum hominum, ſed in omnia quoque corpora bruta, animata et inanimata locum faciunt: iuſtorum tamen animis tres tantum migrationes aſſignant, de quibus placitis conferenda, quae diligenter viri docti a WOLFIO [a] laudati, maxime vero BASNAGIVS [b], LENTIVS [c], SLEVOGTIVS [d], et EISENMENGERVS [e] commentati ſunt, quorum primus etiam de reuolutione animarum per embryonatum et reuolutionem propriam [f] agit, de qua infra inter Cabbaliſtica dogmata dicendum eſt. Nec hic omittendum, eandem, quam olim iactarunt Pythagoras et Apollonius, facultatem ſibi vindicaſſe Sec. XII, R. Iſaac Ben Harrauad, dignoſcendi, quae anima migrationem iam paſſa ſit, quae non [g]. Fatetur tamen LEO MVTINENSIS [h], non omnes Iudaeos huic dogmati aſſentiri, ſed problematice de eo diſputari.

LXIX. Reſurrectio mortuorum non tantum eſt fundamentum fidei ex reuelatione et traditione certiſſimum, ſed ex ratione quoque demonſtrari poteſt. Prius ex catecheſi Iudaica patet, articulisque fundamentalibus ſupra expoſitis, tantaeque neceſſitatis inter Iudaeos reſurrectionis dogma eſſe

y) Niſchmath Chaiim f. 152. c. 2.
z) De reſurrect. mort. c. 18. p. 216.
a) Bibl. Hebr. P. I. p. 389. not. a.
b) Hiſt. Iud. L. V, c. 17. §. 7. ſeqq. p. 309. ſeqq.
c) l. c. c. XVII. §. 15. p. 605.
d) De transmigrat. anim. Iud. Diſſ. Academ. P. I. p. 835.
e) l. c. P. II. c. 1. p. 25. ſeqq.
f) Prius *Ibbur* vocant, et animae defuncti immiſſionem in corpus infantis notat, poſterius *Gilgul* appellant, qua anima in alium hominem anima iam praeditum migrat. Vid. EISENMENGER. l. c. p. 87. quod intolerabilius eſt transmigratione animarum gentili.
g) Vid. BAYLE Dict. T. II. art. Harrauad. pag. 697.
h) De cerem. et conſuet. Iud. P. V. c. 11.

Digitized by Google

esse creditur, vt Israelitarum albo expunctum illum velint, qui illud negare vel in dubium vocare audeat. Hinc Sadducaeos inter haereticos numerant, et cum Epicuri sequacibus ipsisque atheis in vnam classem coniiciunt [i]. Posterius dubium quidem visum est ABARBANELI [k], qui, *notum esse*, contendit, *articulum de resurrectione mortuorum non apprehendi per rationem, siquidem iuxta principia naturalia intellectualis demonstratio eam neget, sicque dici nequeat, hominem per modum rationis credere resurrectionem mortuorum.* At qui acutius ratiocinantur, nec rationis deesse argumentationes huic veritati demonstrandae statuunt. Hinc ita argumentatus R. Gebhia Ben Pesissa: *Si illud, quod non fuit, existit, quanto magis id restituetur, quod aliquando fuit.* Confugiunt etiam scriptores Talmudici [l] ad similitudinem a figulo, vitro, rege palatium exstruente, mure, limace petitum. R. MENASSE BEN ISRAEL [m] autem, vt contribules suos philosophico acumine vicit, ita non inepte ratiocinatus est: *Cum quis secum cogitat, Deum esse auctorem dominumque naturae, ac proinde eum pro arbitrio suo posse naturam intendere, extendere, contrahere ac mutare; facile is etiam credet, quod Deus aliquem sine cibo viuum conseruare, et mortuum in vitam reuocare possit.*

LXX. Surget idem corpus, quod cecidit, docente id non scriptura tantum, sed et ratione [n]. Argumenta ex ratione petita, quibus Iudaei euincunt, idem numero corpus resurrecturum, inde potissimum petunt, quod non noua creatio sit, sed resurrectio, quae nouum exemplar de mortui non admittat, quodque iustitia diuina postulet, vt idem corpus vel puniatur vel praemio afficiatur, quod peccauit vel bona opera produxit. Maxime vero ita ratiocinatur R. Saadias Gaon [o]: *Corporis humani natura vel casu extincti elementa non mutari, neque misceri aliis corporibus seu vniuersalibus elementis: sed signata ac distincta manere ad vniendum se et componendum rursus idem numero corpus; corpora vero humana de nouis partibus elementaribus semper fieri. Illas autem partes seruari eo fine, vt in resurrectione mortuorum idem corpus constituant; et quamuis separatae longeque a se mutuo seiunctae sint, nihilominus tamen potentia diuina facile coniungi ac copulari iterum posse.* Quae ratiocinatio an non principium quaestionis petat, et an recte concludat? hic loci non est disquirere, sed lectoris permittenda iudicio. Plura dabit R. MENASSE BEN ISRAEL [p], qui hoc dogma peculiari tractatione ex ratio-

i) MOSCHE DE TRANA beth Aelohim f. 103. cap. 4.
k) De cap. fidei c. 21. p. 103.
l) Tr. Sanhedrin c. 1. f. 91.
m) De resurrect. mort. L. I. c. 4. p. 26.
n) Prolixe hunc fidei Iudaicae articulum enarrauit ED. POCOCKIVS ad portam Mosis c. VI. p. 86. seqq. qui cum his conferendus.
o) Apud M. BEN ISRAEL l. c. L. II. c. 15. pag. 201.
p) loc. cit.

ratione et traditione affertum iuit. Reliqua Iudaeorum in hoc articulo commenta de resurrectionis tempore, modo, materia, ex qua homo resuscitandus, nempe osficulo Luz, et quae alia quaerere et curiose disputare solent, cum naturalem theologiam non tangant, sed pars sint traditionis Iudaicae, hic enarrari non possunt, videndus tamen post LENTIVM [f] et BASNAGIVM [g], qui diligentissimus fuit in opinionibus Iudaeorum dogmaticis colligendis ANDREAS EISENMENGERVS [h]. Pertinet ad has nugas etiam Gilgul siue reuolutio corporum, qua Iudaeorum corpora extra terrae sanctae regionem collapsa per minutissimos terrae meatus vsque ad istum locum voluenda sint. Quam ineptissimam opinionem ex allegoricis explicationibus dictorum quorundam propheticorum ortam esse, vt multa absurda alia, non sine verisimilitudine suspicamur.

LXXI. Erit aliquando iudicium vniuersale oecumenicum, quo praemia sequentur aeterna opera iusta, punientur mala in aeternum. Etiam hoc dogma Sadducaeismo oppositum est, vt ex iis patet, quae *capite huius libri primo* diximus. Tria vero iudicia diuina Iudaei statuunt, ne vllum dogma a commentorum palea purum maneat; primum, quod singulis annis in primo die mensis Tisri, qui September nobis est, a Deo peragitur; secundum, quod discedente ex corpore anima instituitur, tertium, quod vniuersale in extremitate dierum futurum est. Quae fabulis mire ornant vel potius deturpant, quibus saniorem sensum tribuere satagit R. MENASSE BEN ISRAEL [i], qui videndus. Totam enim theologiam Iudaeorum allegoricae methodi vitio misere foedatam esse, cum metaphorae audaciores secundum literam acciperentur, multis exemplis ex parte iam adductis constat.

LXXII. Erit aeterna vita in paradiso, et corpus quoque cumulabit voluptatibus. Tota haec quoque Iudaeorum doctrina allegorica est, et imaginibus a corporis voluptatibus et iucunditate petitis repleta. Quod methodum Orientalem, in sacris quoque paginis adhibitam non ignorantibus mirum non videbitur. Hinc tot terrenorum gaudiorum cumuli aeternae vitae adscripti, quibus scatent Talmudicorum scriptorum libri, quorum loca passim adduxere LIGHTFOOTVS [k] et WINDETVS [l]. Nec alia via incesserunt Cabbalistae, qui vt omnem suam philosophiam fecere symbolicam et emblematicam, ita de futurae quoque vitae gaudiis quae ex emanationum in fontes suos, fontemque fontium, Deum, reditu oriri dicunt, terrenis symbolis et imaginibus philosophemata sua ornarunt. Factum inde est, vt crassiori sub aëre natis inter Iudaeos insulsissimae, si litera prematur, fabulae de vitae aeternae felicitate et gaudiis commendarentur et reciperentur, cunctaque ad carnis voluptates referrentur. Quas naenias magna patientia et industria collegit ANDREAS EISEN-

f) l. c. c. XVIII. p. 608.
g) l. c. L. V. c. 20. p. 356.
h) l. c. P. II. c. 16. p. 890. seqq.
i) l. c. L. II. c. 20. p. 230.
k) Ad Euangelistarum loca passim.
l) l. c. c. VII. p. m. 131. seqq.

Digitized by Google

EISENMENGERVS [y]. Non tamen putandum eſt, tam obeſo omnes Iudaeos fuiſſe ingenio, vt haec κατὰ τὸ ῥητὸν euentura ſibi perſuaderent, et non philoſophia duce vſi, digniora Deo et humana mente ſibi conciperent. Ipſi ſane Talmudici ſcriptores [z] fatentur, *ſeculum futurum* (haec vox ſolennis de vita aeterna) *non ita ſe habere, vt ſeculum praeſens, nec in eo eſſe eſum, nec potum, nec liberorum procreationem, nec venditionem, nec emtionem, nec inuidiam, nec odium, nec contentionem, ſed iuſtos ſedere coronas in capitibus gerentes, et voluptatem capere e ſplendore maieſtatis diuinae.* Paſſim eundem in modum decernunt Rabbini, quorum loca adduxere WINDETVS [a] et LENTIVS [b]. Turbatos tamen fuiſſe limpidos traditionis diuinioris fontes lacunis gentilis philoſophiae, maxime Alexandrinae, locus quidam libri *Coſri* [c] prodit, vbi ſcriptor ait: *Spiritualem illam facultatem, quae ex conſortio prophetae alicuius oriatur, conferre Iſraëlitis illuſtrem dignitatem et ſplendorem in retributione vitae aeternae, nihil enim quaeri ab eo, niſi vt anima eius fiat diuina, a ſenſibus ſuis abſtrahatur, et videat mundum illum ſuperiorem, aſpectuque lucis eius angelicae, et auditu ſermonis diuini, fruatur. Talem enim animam tutam eſſe a morte, quando organa eius corporea deficiant.* Quae verba ſi cum ſimilibus PLOTINI paſſim, maxime in fine *Enneadum* occurrentibus comparentur, patebit illico, ex vno fonte vtraque fuiſſe hauſta. Multi vero Iudaei Graece philoſophantes et vel Platonis vel Ariſtotelis placita ſequentes hanc opinionem recepe-runt, in hac vita iam eiusmodi contemplatiuam beatitatem et cognitionem diuiniorem dari et in ea paradiſum inferiorem conſiſtere dicunt. Qua de re ſatis Peripatetice philoſophantem videſis MAIMONIDEM [d]. Hic paradiſus ſapientiae, ille animarum eſt, in ſuprema ſphaera collocatus. Multa vero ex Graecanica theologia ad Iudaeos peruenisſe in doctrina de vita aeterna, fuſe oſtendit ex comparatis inter ſe Hebraeorum et Graecorum ſententiis IACOBVS WINDETVS [e], ad quem, ne nimii ſimus, lectorem ablegamus.

LXXIII. Detinebuntur in Inferno infideles in aeternum, Iudaei vero ad tempus. Mira de inferno quoque, quem duplicem ſtatuunt inferiorem et ſuperiorem, comminiſcuntur Iudaei, quae ex allegoricis veterum diſputationibus iuxta literae ſignificationem ſumtis exorta eſſe, ex iis diſci poteſt fabulis, quas collegit EISENMENGERVS [f]. Fatendum vero etiam hic eſt, tum imagines et ſimilitudines, tum placita quoque multa Iudaeorum de inferno ex Aegyptiaca et Graecanica philoſophia profluxiſſe, quod inſtituta ſententiarum vtriusque gentis comparatione quo-

y) l. c. P. II. c. 5. p. 295. ſeqq. conf. WINDETVS l. c.
z) Tr. Berachoth c. 2. f. 17.
a) l. c. p. 145.
b) p. 672. ſeqq.
c) P. I. f. 103. p. 63.
d) De fundamentis lezis c. IV. §. 18. p. 49.
e) l. c. p. 174. ſeqq. conf. BASNAGIVS Hiſt. Iud. l. V. c. 19 p. 354.
f) P. II. c. 6. p. 383. ſeqq.

que demonſtrauit WINDETVS *g*, qui haec latius perſequendi otium nobis fecit. Prolixe hac occaſione diſquirit BASNAGIVS *h*, vtrum dogma de inferno Iudaei a gentilibus, vel hi ab illis acceperint? qua ſimul Windeti aliquot opiniones examinat, tandemque concludit, neutram gentem ab altera illud accepiſſe, ſed ſuo potius ingenio debere, cum iuſtitia diuina, quae tot ſcelera hominum, in hac vita non vlciſcatur, poſtulet, vt aeternis poſt hanc vitam poenis locus ſit: multa quoque poëtas veteresque theologos allegoria vſos confinxiſſe, et traditionem veterum ornaſſe. Concedi id facile viro eruditiſſimo poteſt, praecipue cum apud Hebraeos veteres ad rationis dictamen reuelationis fides acceſſerit. At de hoc quaeſtio in praeſentia non eſt; ſed de eo quaeritur, vtrum doctrinam illam de inferno allegoricam, qua veterem ſententiam de poenis impiorum aeternis Iudaei auxerunt et ornarunt, a gentilibus acceperint, vel hi, ab illis? In qua quaeſtione prius omnino affirmandum eſſe ipſa Iudaeorum hiſtoria non ſine magno labore ab ipſo Baſnagio explicata, pleniſſime teſtatur. Eam enim ſi conſulimus, conuincimur illico, Iudaeos ex regionum, quas incolebant indole atque moribus ad allegoricas explicationes proniſſimos, patriam domeſticamque de inferno poenisque impiorum poſt hanc vitam doctrinam illis metaphoris fabularumque commentis quaſi veſtiuiſſe, et iam forte inter Babylonios, certe in Aegypto habitantes ita ornauiſſe atque comfiſſe, vt inclinationibus ſuis et ingenio ad terrenas imagines coeleſtia et aeterna lubenter reuocanti facerent ſatis. Veriſimile tamen eſt, antiquis iſtis temporibus, ſi non omnes, certe plerosque arcanum ſenſum intellexiſſe et recepiſſe. PHILO *i* ſane eo vsque progreſſus eſt, vt *infernum locum impiorum* dicat *eſſe locum voluptatum; concupiſcentiarum et facinorum, in quem anima iniuſta impiaque fugata a ſe ipſa longiſſime recedat, et aptius infernum dici contendat, quam illum fabuloſum apud inferos; reuera enim infernum nihil aliud eſſe, quam vitam miſeri, ſcelerati, execrandique hominis.* Sed vt ſuccedente tempore Iudaeis craſſiora indies obtigere ingenia, ita tandem quod ἀλληγορικῶς dictum erat, κατὰ τὸ ῥητὸν intellectum et a ſtupida gente pro certo admiſſum eſt. Quod domeſticum eſſe Iudaeis et a maioribus traditionis fide acceptum, quis ſibi perſuadeat? Plura, quae hic dici poſſent, praecipue ad rationes Baſnagii reſpondentia, locus hic non capit. Ceterum Iudaeis non eandem, quam infidelibus moram tribuunt. Illis enim, ſi longiſſima, duodecim menſium moram aſſignant, qua anima et corpore in cinerem redactis precibus electorum in vitam et ad paradiſum reuocentur: adeoque purgatorium ab inferno Iudaeorum diſtinguendum non eſt. Impiorum autem, haereticorum, proditorum, Epicureorum, atheorum, et reſurrectionem negantium animas aeternum torqueri aſſerunt *k*. Quamuis itaque poſt mortem poeniten-

g) l. c. ſ. IX. p. 804. ſeqq.
h) l. c. c. 18. p. 317. *i*) pag. 432. *k*) Conf. LENT. c. vlt. p. 693. EISENMENGER. l. c. P. II. c. 6. p. 355.

Digitized by Google

nitentiae locum non esse dicant, purgationem tamen hanc exustione quasi fieri dicunt, quo nomine a purgatorio, quod ecclesiae Romanae placuit, distinguendum est, quae passim confundi videas. Sunt tamen inter Iudaeos doctores, qui poenarum infernalium aeternitatem agnoscunt, quorum loca adduxit LENTIVS [l]. Haud raro enim Iudaeorum placita inter se dissentire, ex conspectu hoc dogmatum Iudaicorum intelligi satis potest.

LXXIV. Non interibit mundus totus, quoad substantiam. Prolixe de hoc dogmate contra Graecos quosdam philosophos disputauit PHILO *de incorruptibilitate mundi:* eandem opinionem secutus est Maimonides aliique, qui loca scripturae, quae contrarium innuunt, metaphorice explicanda esse contendunt [m].

§. III. Et haec quidem potiora Iudaeorum de diuinis placita sunt, quae vel ratione duce cognosci possunt, vel ex rationis principiis ab iis demonstrata sunt, vel ob alias rationes, praecipue autem propter origines suas ex gentili philosophia momentum aliquod in historia philosophica habent. Philosophati autem sunt quoque de aliis rebus, de naturalibus, de metaphysicis et similibus, at in his mere Aristotelem secuti sunt, prout eius philosophiam ab Arabibus didicerant, vnde qualis earum facies, quae philosophandi ratio fuerit, ex historia philosophiae Peripateticae satis in antecedentibus enarrata, et ex historia philosophiae Saracenicae exponendae adhuc, disci potest. Exemplum vero desiderantibus vel liber *Cosri* legendus est, vel scripta Maimonidea: in vtroque enim multa φιλοσοφέμενα Peripatetica occurrunt. E. g. philosophatur ille [n] de causis et causatis, eorumque effectibus in natura, de operatione secundum intentionem primam, concatenationem et dependentiam; de causa libera, naturali et accidentali, de aeternitate mundi, de natura rerum, de causis Physicis leprae in creaturis animatis et inanimatis, de animae humanae facultatibus et vsu, deque mille aliis ex Peripatetica et scholastica philosophia hausti. Hic vero, vt supra iam in eius vita dictum, in *doctore* suo *perplexorum* philosophiam Auerroisticam vbique spargit, cuius plurima in antecedentibus specimina exhibuimus. Is alio quoque loco, quo vix quaeras, nempe in *Halechoth Iosede Hatthora* siue *constitutionibus de fundamentis legis* Peripatetica dogmata physica et metaphysica pluscula disseminauit, quorum ecce syllogen, vt philosophiae Iudaico-Peripateticae extet specimen [o].

Placita Peripatetica Iudaeorum.

l) l. c. §. 18. p. 692.

m) Conf. BASNAGE loc. cit. c. 20. §. 22. p. 537.

n) P. V. f. 19. p. 367. 368. P I. f. 66. p. 28. §. 72. p. 36. P. II. f. 60. p. 125. P. III. f. 5. p. 158. f. 11. p. 168.

o) Versionem, quam dedit GVIL. VORSTIVS, valde deformem esse et ineptam, dudum vitiis doctis obseruatum est. Adhibuimus autem emendationes, quas exemplari suo, quod recudis nostris accessit, olim adscripsit in margine MATTHIAS FRIDERICVS BECKIVS, grande in his literis Kaufbyrae, quae genuit, et Augustae, quae aluit et doctorem habuit, decus.

Digitized by Google

I. Deus eſt ſupremus primusque motor orbium.

II. Omnia, quae creauit Deus in orbe ſuo in tres diſpeſcuntur claſſes. Quaedam enim creaturae ſunt compoſitae ex materia et forma, eaeque perpetuo generantur et corrumpuntur; aliae ſunt compoſitae ex materia et forma, ſed non mutantur de corpore in corpus, et de forma in formam, ſicut priores, ſed forma earum perpetuo infixa eſt materiae, neque eſt materia aut forma earum ſimilis reliquarum materiae ac formis, vt ſunt orbes et in iis ſtellae. Quaedam etiam habent formam absque vlla materia, videlicet angeli, quia non ſunt corpora, ſed formae diſtinctae a ſe inuicem.

III. Nouem coelorum orbes ſunt, orbis lunae, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni reliquarum ſtellarum, et qui ſupremus cingit omnes et reuoluitur ſingulis diebus ab oriente in occidentem.

IV. Orbes ſunt puri et immaculati inſtar cryſtalli aut ſapphiri, idcirco apparent ſtellae orbis octaui infra orbem primum.

V. Vnusquisque orbis ex octo orbibus, in quibus ſunt ſtellae, diuiditur in plures orbes, vnus ſuper alium, vt inuolucra in caepa. Ex illis quidam circumeunt ab occidente in orientem; alii vero circumaguntur ab oriente in occidentem, vt ſphaera nona rediens ab oriente verſus occidentem, neque eſt inter illos locus vacuus.

VI. Nulli orbes ſunt leues neque graues, nec eſt illis color vllus, coeruleus enim color tantum prouenit ex phaſi viſus, propter altitudinem aëris.

VII. Omnes ſphaerae ambientes mundum ſunt rotundae inſtar globi, et terra pendet in medio. Sunt autem nonnullae ſtellae orbibus minoribus infixae et hi orbes non cingunt terram, ſed orbis paruus non circumiens infixus eſt orbi magno ambienti.

VIII. Numerus omnium orbium ambientium mundum eſt octodenarius, non cingentium eſt octonarius.

IX. Orbis nonus in duodecim ſigna diuiditur.

X. Iſtae duodecim figurae non reſponderunt ſibi inuicem iuxta rationem diuiſionum, niſi tempore diluuii, hoc autem tempore nonnihil dimotae ſunt.

XI. Omnes ſtellae conſpicuae vel ſunt ex ſtellis minoribus, quibus terra maior eſt, vel ex ſtellis maioribus, quarum vnaquaeque maior eſt terra, aliquot partibus: terra vero eſt maior luna ferme quadrageſies; atque ſol maior eſt terra quaſi centies et ſeptuageſies. Nulla vero ſtella maior eſt ſole, ſtellaque nulla minor eſt Mercurio, qui eſt in orbe ſecundo.

XII. Omnes ſtellae atque orbes praediti ſunt anima, notitia atque ſapientia, atque vitam agunt permanentque, et cognoſcunt eum, cuius dicto factus eſt mundus.

XIII. Con-

Digitized by Google

XIII. Condidit Deus infra orbem lunae materiam quandam, quae non eſt, vti materia orbium, et creauit in iſta materia formas, non ſimiles formae orbium. Haec elementa ignem, aërem, aquam, terram conſtituunt.

XIV. Ignis lunae proximus eſt, hunc ſequitur aër, aqua, terrae, ſunt enim vnum ſuperius alio et vnumquodque ambit inferius omni parte.

XV. Quatuor iſta corpora non habent animam, neque cognoſcunt; ſed ſunt tanquam corpora mortua, ſed ſeruant tamen ſuum ordinem.

XVI. Ex his elementis omnia corpora ſunt compoſita.

XVII. Omnia corpora infra expanſum praeter haec quatuor elementa compoſita ſunt ex materia et forma.

XVIII. Motus ignis et aëris eſt aſcenſus ex centro terrae ad coelum; aquae et terrae, verſus centrum.

XIX. Natura ignis calida eſt et ſicca, ac eſt leuior iſtis omnibus; aër autem calidus et humidus; aqua frigida et humida, terra frigida et ſicca et eſt grauior iſtis omnibus.

XX. In quolibet corpore ex iſtis quatuor compoſito inuenitur frigidum et calidum, humidum ac ſiccum coniunctim, ſed in quibusdam corporibus praedominatur ignis, in aliis aër, et ſic porro.

XXI. Quicquid ex elementis compoſitum eſt, tandem diſſoluitur, et ex vno in aliud tranſit, donec in elementum ſuum redeat.

XXII. Quatuor iſta elementa perpetuo inuicem permutantur, quolibet die ac hora, ſecundum partes ſuas, non iuxta totum corpus.

XXIII. Nunquam conſpicitur materia ſine forma, aut forma ſine materia; vtriusque tamen diſtinctio fit intellectu, qui ſolus formam concipit et comprehendit.

XXIV. Anima cuiuslibet carnis eſt forma eius, quam Deus ei dedit.

XXV. Intellectus exiſtens in anima hominis eſt forma hominis perfecti, cum ſuo intellectu.

Ex his omnibus facile intelligitur Peripateticus, et quidem Auerrois diſcipulus. Ex his vero de ceteris *φιλοσοφεμένοις* Iudaeorum eſto iudicium.

§. IV. Philoſophiae moralis facies inter Iudaeos qualis fuerit, antequam Ariſtotelem ſequi et de virtutibus iuxta eius praecepta cum decalogo confuſa differere coeperunt, ſupra dictum eſt. Nempe aut plane nihil inuenitur, aut exiguae tantum ſcintillae hanc noctem diſtinguunt, quae paſſim in ſcriptis Talmudicis veluti tenues igniculi deliteſcunt. Vnus libellus *Pirke abhoth*, qui Tanaitarum ſententias comprehendit, moralem doctrinam exhibet: ex quo vt lector habeat aliquod moralis quoque doctrinae ſpecimen, doctorum celeberrimorum effata quaedam afferemus, quae ex rationis principiis cognoſci poſſunt: quae enim reuela- *Philoſophia moralis Iudaeorum.*

Digitized by Google

uelatione et traditione nituntur, ad hanc noſtram tractationem non pertinent. Non vero compendium aliquod ſyſtematicum moralis philoſophiae expectandum eſt, ſed dicta tantum paraenetica, ex quibus de moralibus Iudaeorum principiis et regulis iudicandum. Nam a ſynagogae magnae temporibus vsque ad Talmudis obſignationem ſententias doctorum Iudaicorum in iſto libello comprehendi, ex eo diſci poteſt, quod ſupra de illo expoſuimus p. Illuſtriora vero doctorum horum apoptheg-mata haec ſunt:

I. Ne ſitis ſicut ſerui, qui ſeruiunt domino ea conditione, vt mercedem accipiant, ſed eſtote ſicut ſerui, qui ſeruiunt domino ſuo ſine ſpe mercedis, ſitque timor Dei ſemper ante oculos veſtros. Pulcherrimam ſententiam hanc Antigoni Sochaei occaſionem Sadducaeiſmo dediſſe, ſupra prolixe enarrauimus, monentes, ad praeiudicia gentis ſuae, temporalia operum praemia tantum affectantis, remouenda eum reſpexiſſe: vix enim amorem illum purum, ſui ipſius in ſeruiendo Deo rationem prorſus non habentem, qui nonnullis recentiori tempore placuit, in animo habuiſſe, credibile eſt.

II. Qui nati ſunt, morientur, qui mortui ſunt, reuiuiſcent, qui reuiuiſcent, iudicabuntur. Scient omnes, quod Deus eſt formator et creator: ipſe eſt, qui animaduertit omnia, ipſe iudex eſt, ipſe teſtis eſt, ipſe eſt, qui accuſat in iudicio. Ipſe eſt, qui in futurum iudicabit. Benedictus ſit ipſe, quoniam non eſt coram ipſo prauitas, neque obliuio, neque acceptio perſonarum, neque acceptatio muneris, omnia enim ſua ſunt. Noueris inſuper, quod omnia iuxta ſubductam rationem tranſigentur. Neque ſecurum te faciat malus genius tuus, quaſi ſepulchrum futurum ſit refugium tuum. Te quidem nolente formatus es, te vel nolente viues, te vel nolente morieris. Tandemque futurum eſt, vt ſtes coram iudicio, redditurus rationem coram rege omnium regum, qui eſt Deus ſanctus benedictus. Ita R. Eleazar Kapernaita q.

III. Tria haec diligenter conſidera, et nunquam incides in manus transgreſſionis: Quod nempe ſupra te ſit oculus omnia videns, auris omnia audiens, et quod omnia ac ſingula tua opera in libro ſint ſcripta: Ribbi, id eſt, R. Iehuda Hakkadosch r.

IV. Tria haec diligenter conſidera, et non incides in manus transgreſſionis: vnde veneris? quonam tendas? coram quonam ratio tibi ſit reddenda? Vnde veniſti? ex gutta foetida. Quo tendis? ad terram, tineam et vermes. Cui reddes rationem? regi regum Deo ſancto benedicto. R. Akabia Ben Mahaliel s, cum Akibha non confundendus, quod tantum non accidit OTTHONI t.

V. Omnes

p) Collegit IAC. PHIL. HARTMANNVS loca parallela capitulorum PP. in ſcriptis Talmudicis obuia, eaque ad illa in Latina quam dedit verſione Gieſſae 1708. 4. notauit, quae ſpecimen eſſe poſſunt philoſophiae moralis Talmudicae.

q) c. IV. §. 22. p. 32.
r) c. II. §. 1. p. 8. s) c. III. §. 1. p. 17.
t) Hiſt. doct. Miſchn. p. 72. ſq. quem errorem etiam etrauit VORSTIVS in Zemach Dauid p. 82. conf. RELANDVS ad h. l.

Digitized by Google

V. Omnes actiones tuae fiant in nomine Dei et ad gloriam Dei. R. Iose [a].

VI. Da Deo de suo, quoniam tu, et quaecunque habes, illius sunt. Dictum R. Eliezer Ben Iehuda [r], quem ob largissimam stipem in pauperes erogatam clarissimum fuisse tradit *Iuchasin* [s]: ex quo intelligitur, sententiam hanc proprie de operibus misericordiae large atque hilariter praestandis esse accipiendam.

VII. Vbi non est timor Dei, ibi non est sapientia, vbi non est scientia, ibi non est prudentia. R. Eleazar Ben Azaria [t].

VIII. Via bona est, oculus bonus, socius bonus, vicinus bonus, qui praeuidet futurum, et cor bonum. Discipuli R. Iochananis. Videtur in toto hoc §. auctor imitatus fuisse dicta sapientum Graeciae [u].

IX. Resipisce diem vnam ante mortem tuam. R. Eliezer [x], qui poenitentiae nullam faciendam esse moram, eo quod dies mortis incerta, ita eleganter per prouerbium monuit.

X. Noctu euigilans, et solus deambulans aut iter faciens, et conuertens cor suum ad cogitationes futiles, hic ream facit animam suam. R. Hanina Ben Hachinai [y]. Ita et *Ioma* [z]: *Peccati cogitationes grauiores sunt ipso peccato.*

XI. Cuiuscunque sapientia maior est operibus eius, illius sapientia non est solida. Cuius metus de peccato praecedit sapientiam eius, illius sapientia manet stabilis. Sapientiam hoc loco pro eruditione sumit apophtegmatis auctor R. Hanina Ben Dosa [a], et voluntatis rectitudinem ante intellectus perfectionem requirit.

XII. Qui discit eo fine, vt alios doceat, in eius manum sufficienter traditur et ad discendum et ad docendum. Qui vero ea conditione discit, vt faciat, in eius manum affatim traditur, quod discat, doceat, custodiat et faciat. R. Ismael [b].

XIII. Sapiens is est, qui discit a quouis homine. R. Schimeon Ben Zoma [c], qui stante et euerso templo vixit, et propter egregias conciones fuit celeberrimus, hunc viuum in Paradisum translatum fuisse, Iudaei iactant [d].

XIV. Septem res sunt in sapiente: non loquitur coram eo, qui est maior sapientia et auctoritate: non intercedit sermonibus sociis sui: non respondet praecipitanter et inconsiderate: interrogat rite, et respondet apposite: de primo dicit primum, et de vltimo vltimum: de eo quod non audiuit, dicit, hoc non audiui, et confitetur veritatem [e].

XV. Lex

a) c. II. §. 12. p. 14.
x) c. III. §. 7. p. 20.
y) p. 51. Conf. Wolf. Bibl. Hebr. P. II. p. 812.
z) c. III. §. 17. p. 24.
a) c. II. §. 9. p. 12.
b) Ibid. §. 10. p. 13.
c) c. III. §. 4. p. 18.
d) f. 29. 2.
e) c. III. §. 9. p. 20.
f) c. IV. §. 5. p. 27.
g) c. IV. §. 1. p. 25.
h) Vid. Reland. ad Otth. Hist. Mischn. p. 118. Wolf. Bibl. Hebr. P. II. p. 863.
i) c. V. §. 7. p. 35.

Digitized by Google

XV. Lex (id eſt eruditio et philoſophia Iudaica) quadraginta et octo rebus acquiritur: diſcendo, auſcultatione auris, diſpoſitione et elocutione labiorum, attentione animi, intelligentia cordis, terrore, timore, manſuetudine, laetitia, frequentatione et conuerſatione ſapientum, repetitione accurata cum ſociis, diſputationibus condiſcipulorum, ſedulitate, lectione biblica, ſtudio Talmudico, imminutione negotiorum, diminutione ſomni, voluptatum, luſus, viae terrae (id eſt conſuetudinis et praeiudiciorum plebis) longanimitate, hilaritate cordis, fidem adhibendo ſapientibus, patientia in afflictionibus, modico ſomno, modica negotiatione, modica locutione, modico riſu, modica conuerſatione hominum. Agnoſcendo locum ſuum, gaudendo in portione ſua, faciendo ſepem verbis ſuis, nihil boni adſcribendo ſibi ipſi, ex Dei amore dato Deum amando, diligendo homines, ſectando iuſtitiam, amando correptiones, diligendo aequitates, vitando honores, non efferendo ſe ob doctrinam ſuam, non nimium gaudendo ob inſtitutionem ſuam, ferendo aequale iugum cum ſociis ſuis, iudicando ſocium ſuum ad lancem innocentiae, reducendo eum ad veritatem, hortando ad pacem, doctrinam ſuam ſolide confirmando, quaerendo et reſpondendo, audiendo et proficiendo, diſcendo ea conditione, vt doceat, diſcendo ea conditione, vt faciat, praeceptoris ſui ſapientiam laudando, et rectificando lectiones eius, dicendo rem quamuis ſub nomine auctoris ſui [k].

XVI. Qui diſcit a ſocio ſuo caput vnum, vel lectionem vnam, aut verſum vnum, vel tantum literam vnam, tenetur illi deferre honorem [l].

XVII. Eſto cautus in doctrina, nam error in doctrina habetur pro ſuperbia. R. Iehuda [m].

XVIII. Qui elato animo eſt in docendo, is ſtultus, impius et amens merito eſt dicendus. R. Iſmael Ben Iofe [n].

XIX. Verecundus non bene diſcit, et iracundus non bene docet, et nullus, qui negotiatur multum, euadit ſapiens. R. Hillel [o], quem Schammaiam collegam hoc dicto impetere voluiſſe, ex iis quae de moribus placidis Hillelis et iracundis Schammai ſupra narrata ſunt, colligi poteſt. Et tamen illi ſequens apophthegma tribuitur:

XX. Fac legem tuam fixam, loquere parum et fac multum, et eſto excipiens quemuis vultu placido [p].

XXI. Pulchra eſt doctrina legis cum artificio aliquo adiuncto: labor enim vtriusque obliuiſci facit peccati. Nititur ſententia haec R. Gamalielis filii Iehudae ſancti [q] conſuetudine doctorum Iudaicorum, qui, vt gratis docere poſſent, praeter legis docendae munus opificium etiam exercuerunt. Ita R. Ioſe cerdo fuit, R. Iochanan ſutor, &c. Iniunctum itaque in tr. *Berachoth* [r], vt quisque filium ſuum doceat opificium. Plura dabunt

k) c. VI. §. 5. 6. p. 44. 45.
l) Ibid. §. 3. p. 43.
m) c. IV. §. 13. p. 29.
n) Ibid. §. 7. p. 28.
o) c. II. §. 5. p. 10.
p) c. I. §. 15. p. 7.
q) c. II. §. 2. p. 8.
r) f. 63. b.

Digitized by Googl

bunt LIGHTFOOTVS [s], et quos laudat WOLFIVS [t]. Exemplum ſacrum eſto D. Paulus ſub Gamaliele ſtudiis operam nauans, et tamen σκηνοποιός.

XXII. Ne cupias gloriam ampliorem eruditione tua [u].

XXIII. Nihil homini inuenitur melius ſilentio. Silentium enim eſt ſepes ſapientiae. R. Schimeon Ben Gamiel et R. Akibha [x].

XXIV. Cautus ſis in verbis tuis, ne alii ex iis fallere diſcant. R. Schimeon Ben Schetach [y].

XXV. Tribus rebus conſeruatur mundus, veritate, iudicio et pace. R. Schimeon Ben Gamliel [z].

XXVI. Riſus et leuitas capitis aſſuefaciunt hominem ad ſcortationem. R. Akibha [a].

XXVII. Is eſt fortis, qui vincit concupiſcentiam ſuam; is eſt diues, qui gaudet de portione ſua. Is eſt honore dignus, qui honorat alios. R. Schimeon Ben Soma [b].

XXVIII. Qui impudenti eſt facie, ad gehennam, qui vero modeſtus eſt et verecundus, ad paradiſum. R. Iehuda Ben Thama [c]. Verecundia autem ita aliis deſcribitur [d]; quid eſt verecundia? ne facies in occulto cuius te pudeat in propatulo.

XXIX. Elonga te a vicino malo, neque aſſocia te cum impio, neque deſpera de vindicta. R. Nithai Arbelita [e].

XXX. Ne multiplices ſermones cum muliere, etiam cum vxore tua, multo minus cum vxore proximi tui. Omni enim tempore quo homo multiplicat colloquium cum muliere, accerſit malum ſibimet ipſi, et impeditur a ſtudio legis, tandemque deſcendit in gehennam. R. Ioſe Ben Iochanan [f]. Valde contemſit foeminas et eruditione atque eruditorum conſortio indignas ceſuit faſtus doctorum Iudaicorum, cuius exempla pluſcula, hiſtoriam literariam foeminarum Iudaicarum illuſtrantia dabit B. ZELTNERI [g] induſtria. Adeo vero inſaniunt, vt de Iudaeis idiotis in Talmude [h] dicatur: eſſe eos abominationem, et eorum vxores inſecta, et filias beſtias.

XXXI. Cauete ab iis, qui in poteſtate ſunt conſtituti, non enim adiungunt ſe hominibus, niſi propriae neceſſitatis cauſſa. Amicos ſe ſimulant, quamdiu vtilitatem inde percipiunt, ſed non aſſiſtunt homini tempore calamitatis eius. R. Gamaliel tertius [i].

XXXII. Ne iudices proximum tuum, donec pertigeris ad locum ipſius, et iudica quemuis ad lancem innocentiae. R. Hillel et R. Ieho-ſchua Ben Perachia [k].

s) Ad Marc. VI. 3.

t) Cur. philolog. ad Act. XVIII. 3. p. 1273. BVXTORF. Lex. Talm. v. מרשערת column. 120. ZELTNER. diſſ. de Priſcilla §. 21. TRIGLANDIVS de Karacis p. 165.

u) c. VI. §. 4. p. 43.

x) §. 17. p. 7. c. III. §. 13. p. 22.

y) c. I. §. 11. p. 5.

z) c. I. §. 18. p. 8.

a) c. III. §. 13. p. 23.

b) c. IV. §. 1. p. 25.

c) c. V. §. 20. p. 42.

d) Tr. Miſchar Happeninim c. 31.

e) c. I. §. 7. p. 4.

f) c. I. §. 5. p. 2.

g) Diſp. de Alexandra, et de Beruria.

h) Tr. Peſachim f. 49. col. 2. conf. EISENMENGER. Iudaiſm. detect. P. I. c. 16. p. 720.

i) c. II. §. 6. p. 9.

k) c. I. §. 6. p. 3.

Digitized by Google

XXXIII. Ne ſpecta cantharum, ſed id quod in eo eſt, nam ſaepe cantharus nouus repletus eſt vino veteri, interdum cantharus vetus eſt, in quo nec nouum vinum eſt. R. Iehuda ſanctus [l], quem ita iugulaſſe praeiudicium ab externo vultu et habitu deſumtum, facile intelligitur. Ex hoc apophthegmate enata videtur fabula, de filia imperatoris, Iehudam ob habitum ſordidum deridente, quam ſupra explosimus.

XXXIV. Eſto humilis erga quemuis hominem, nam qui quaerit extendere nomen ſuum, perdit illud R. Meir et R. Hillel [m].

XXXV. Odi principatum vel magiſterium, neque familiaris ſis principatui. Dictum hoc eſſe in Hillelem principem ſynagogae, quocum lites fouebat Schemaia, ſententiae huius auctor [n], ex hiſtoria vtriusque ſupra enarrata coniici non ſine viriſimilitudine poteſt.

XXXVI. Noli te ipſum facere actorem iudiciorum, vel cauſſarum forenſium. R. Iehuda Ben Tabbai [o].

XXXVII. Sit gloria amici tui aeque chara ac tua R. Eliezer [p].

XXXVIII. Multiplicans diuitias, multiplicat curas; multiplicans mulieres, multiplicat veneficia; multiplicans ancillas, multiplicat ſcorta; multiplicans ſeruos, multiplicat fures; multiplicans legem, multiplicat vitam. Ribbi [q]. Sugillat oſtentationem ſuae gentis magna familia ſe efferentis, ſimulque Phariſaicum faſtum prodit, qui de mulieribus, ancillis, ſervis nihil boni ſperabat, quod eſſent filii terrae. Nam probiſſimam etiam mulierem ſuperſtitioni, in maleficia deſinenti, addictam eſſe, pronunciant ſuperbi magiſtri [r].

SECTIO II.

DE PHILOSOPHIA IVDAEORVM EXOTERICA, SIVE CABBALISTICA.

§. I.

Philoſophiae Cabbaliſticae nomen et ſcriptores.

Conſiderata philoſophia Iudaeorum exoterica, ad eſotericam atque arcanam ſiue myſticam tractatio noſtra conuertitur, quam obſcuram intricatamque eſſe, ex iis, quae de eius hiſtoria, docendi modo, librisque diximus, intelligi ſine labore poteſt, adeoque attentione opus habet, vt, quid placuerit obſcuriſſimis philoſophis e latebris ſuis prouocatis, deprehendi tandem queat. Vocatur haec philoſophia Cabbaliſtica, quod nomen a voce Hebraea קבל, *Kibbel* [s], *accipere*, vel

l) c. IV. §. 20. p. 31.
m) Ibid. c. I. §. 13. p. 6.
n) Ibid. §. 10. p. 13.
o) Ibid. §. 8. p. 4.
p) c. II. §. 10. p. 13.
q) §. 7. p. 11.
r) Tr. Kidduſch. in fine.
s) Buxtorf. Lex. Rabb. v. קבל p. 1453.

Digitized by Google

vel *recipere*, originem accepit, et neque in ſcriptura S. neque apud ſcriptores eccleſiaſticos occurrit, vt iam IOANNI REVCHLINO [b] notatum, qui quoque obſeruauit, Ioannem Picum Mirandulanum primum fuiſſe, qui voce Latina Cabbala, Romanis auribus hactenus inaudita, vſus fuerit. Immo nec inter Iudaeos vltimam antiquitatem nomen hoc קבלה tueri poſſe, ex eo recte demonſtratur, quod in antiquiſſimis Hebraeorum ſcriptis non occurrat, et tantum in libris Talmudicis Rabbinicisque, Iudaeorum, qui Chaldaiſmi veſtigia plurima habent, reperiatur. Quod mirandum non eſſe videtur, cum initio arcaniſſime habitam hanc philoſophiam, et tantum in Palaeſtina inter paucos eius diſcipulos ſacerrimo ſilentio quaſi obſignatam et cuſtoditam fuiſſe, ex antecedentibus conſtet. Ipſa vox קבלה, Kabbala, diuerſas ſignificationes apud Iudaeos habet. Nam nunc traditionem oralem, quam a Moſe virisque ſanctis ſe accepiſſe iactant, illa voce innuunt [c], nunc de ſcriptis propheticis totaque eccleſiae Iudaicae doctrina intelligunt; nunc arcana dogmata quaeuis, maxime vero magica, illo nomine appellant, ſtrictiſſima tamen ſignificatione doctrinam hanc myſticam et philoſophiam occultam ea voce comprehendunt. Non deſunt quidem, qui Cabbalae mentionem a PLINIO [d] iam factam eſſe contendant, eo quod de magia diſſerens ſcribat, ſi quorundam codicum lectionem ſequamur: *eſt et alia magices factio a Moſe et Iamne et Iochabele Iudaeis pendens*, vbi hominem Romanum nomen Hebraeum non recte cepiſſe, et ex Cabbala Iochabele efformaſſe ſuſpicantur. Aſt falli iſtam coniecturam inde certiſſima ratione euincitur, quia omnes ſcriptores, Plinio aetate vel pares vel ſuppares, hoc nomen ignorant, nec oſtendi cauſſa poteſt, cur ſoli Plinio nomen ceteris omnibus ignotum innotuerit. Et quamuis immerito BOCHARTVS [e], eundem locum ita afferens, vapulet IOANNI HARDVINO [f], qui in omnibus libris non Iochabele, ſed Iotape legi contendit, cum contrarium editio Frobeniana [g], cuius lectionem in margine quoque expreſſit IACOBVS DALECHAMPIVS [h], teſtetur, dubitandum tamen non eſt, nomen Hebraeum Romanis auribus infuetum vel ab ipſo Plinio corrupte expreſſum, vel ab exſcriptoribus, qui nobiliſſimum opus miſere truncarunt deprauaruntque, vitiatum fuiſſe, nec probabilitate caret Bocharti coniectura, Iochabedem Moſis matrem Plinium in animo habuiſſe, eamque in hominem magum conuertiſſe, qua ratione etiam Wechelianae editionis margo lectionem hanc exprimit. Vnde ſine veriſimilitudine coniicit IONAS DANIEL SCHRAMMIVS V. C. [i] eſſe verbum Arabica forma in futuro tempore ex Coniug. Pael

b) De arte Cabb. L. I. p. 629. coll. Piſtor.
c) Vid. Lexicographi paſſim, R. NATHAN in Aruch pag. 155. BVXTORF. l. c. pag. 1453. HOTTINGER. thelaur philol. L. I. c. 3. §. 5. p. 434. Io. MORIN. exerc. bibl. L. II. ex. 9. p. 362. WOLF. Bibl. Hebr. P. II. L. VII. c. I. p. 1192. aliique.
d) Hiſt. natur. L. XXX. c. 1.
e) Hierozoic. L. II. c. 53. p. 645.
f) Ad h. l. T. IV. p. 727.
g) Obſeruauit hoc REIMMANNVS Intr. in hiſt. theol. Iud. L. I. c. 15. p. 358. edidit hanc editionem Frobenius 1530.
g) In editione Wecheliana Fr. 1608. 8.
i) Introd. in dialect. Cabbalear. c. 1. § 10. pag. 14.

Digitized by Google

Paël expreſſum יקבלה *Iokkabela*, ſic vt Plinius Cabbalae, Arabica locutione expreſſae notitiam habuiſſe videatur. Hoc enim ſine teſte dicitur, nec oſtendi poteſt vel leuiſſima veriſimilitudinis vmbra, Cabbalae nomen inter Arabes tum notum fuiſſe. Alii in noui foederis libris veſtigia nominis huius ſe deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, eo quod vocem ἀποδοχὴ eodem plane ſenſu, quem vox קבלה fundit, adhibeat D. PAVLVS [i] apoſtolus. Aſſ hi quoque a recepto vocis apud Graecos paſſim occurrentis [k] vſu et ſignificatione ſine vlla ratione diſcedunt, adeoque audiendi non ſunt. Certum enim et indubitatum eſt, vocem hanc longe ſerius innotuiſſe, et inter Chriſtianos ante Pici tempora non auditam fuiſſe. Mirandum itaque magnopere non eſt, inuentum fuiſſe eo tempore, qui ſomniaret, Cabbalam fuiſſe hominem quendam perfidum et diabolicum, qui multa contra Chriſtianos ſcripſerit, et ſequaces habeat dictos Cabbaliſtas, vt ipſe Io. PICVS MIRANDVLANVS [l] narrat, cui ſimiles alios addunt HOTTINGERVS [ll] et IOANNES LEVSDENIVS [m]. Nam in notioribus Iudaicae hiſtoriae partibus, quam ſunt Cabbaliſticae, tales ſoloeciſmos literarios paſſim admiſſos eſſe, viris doctis de hoc lapſus genere curioſis notatum eſt [n]. Nominis vero huius rationem eam nunc ſequimur, qua non traditio oralis in genere, ſed ſpecialis illa indigitatur, quae venerabili traditiuae philoſophiae nomine, arcanas Iudaeorum opiniones metaphyſicas, phyſicas et pneumaticas nobis exhibet. Eius vero hiſtoriam resque qui expoſuerint inter Iudaeos, dogmata qui explicuerint in gente recutita, ex antecedentibus repetendum eſt. Chriſtianorum vero diligentiam enarrauit, ſcriptorumque de Cabbala indicem alphabeticum nobis exhibuit, deſideratiſſimus WOLIVS [o], qui alio loco ſupplementa [p] quoque ad hanc hiſtoriae literariae partem dedit: quibus adiungendus eſt IOANNES ALBERTVS FABRICIVS [q]. Quod ſtudium enumerandi ſcriptores de Cabbala, praeſtitere quoque Io. REVCHLINVS [r], THEODORVS HACKSPANIVS [s], et IAC. FRIDERICVS REINMANNVS [t]. Inter hos vero Cabbaliſticos ſcriptores Chriſtianos primum omnino locum et attentionem peculiarem meretur Mirandulae comes, Ioannea Picus, cuius vitae hiſtoriam eius ex fratre nepos Io. FRANCISCVS PICVS conſcripſit, ſuisque et patruelis ſcriptis [u] praefixit, et quo illius compendium expreſſit IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS [x]. Doctiſſimo huic iuueni, quem ob rariſſimam et inuſitatam prorſus illius iuuenilis aetatis eruditionem, Phoenicem eruditorum vocatum eſſe, conſtat, prima ſtudii

i) 1 Tim. I. 15.
k) Vid. APOLLON. ep. 2. 12. et OLEAR. ad h. l. p. 385. SEXT. EMPIR. L. VII. f. 401. et FABRIC. ad h. l. DIOG. LAERT. L. VII. f. 35. et MENAG. ad h. l.
l) In Apolog. p. 116.
ll) loc. cit.
m) In philologo Hebraeo diſſ. XXVI. §. 7.
n) Vid. Ven. MICH. LILIENTHAL. de ſoloeciſmo liter. §. 19. ſel. hiſt. et liter. p. 356.
o) l. c. L. VII. c. 2. §. 12. p. 1243. ſeqq.
p) S. IV. p. 734. ſeqq.
q) Bibliograph. antiquar. c. VIII. p. 244.
r) De arte Cabb. L. I. p. 629.
s) De Cabbala.
t) l. c. L. I. c. 15. p. 456.
u) Baſileae 1601. fol. editis.
x) Intr. in hiſt. philoſ. Hebr. §. 34. p. 224. ſeqq.

Digitized by Google

ſtudii Cabbaliſtici initia debemus. Is enim ex libris quibusdam Cabbaliſticis, quos magno aere redemerat, vt ſupra narratum, ſingularem quandam philoſophiam Cabbaliſticam, Chaldaeam, Orphicam, Trimegiſticam, Pythagoricam, ſibi conflauit, et affixas Romae CM theſes ex veteri theologia et philoſophia conſarcinatas omnibus omnium locorum eruditis ventilandas propoſuit, quorum ſummam diſcent, qui operibus Picorum rarius occurrentibus deſtituuntur, a Io. Francisco Buddeo *). Legi tamen eo nomine merentur, vt ex quo fonte ineptum, quod tot viros doctos faſcinauit auctoritatis praeiudicium et veneratio Cabbalae fluxerit, intelligatur: patebit enim ex hac prima eius inter Chriſtianos origine, eruditiſſimum quidem, at nec ſatis cautum nec iudicio tantopere, quam ingenii viribus inſtructum iuuenem inepta et male cohaerente commixtione doctrinarum Iudaicarum, Chriſtianarum et gentilium miſerum chaos orbi philoſophico obtruſiſſe. In quo tamen, licet peccaſſe cenſendus ſit, excuſationem meretur, eo quod coetui Romanae eccleſiae addictus, traditionem ſuo tempore extolli magnifice, et ſcripturae aequiparari audiuerat, et neſcio quae dogmata arcana ad poſteros propagata fuiſſe crediderat. Praeiudicio enim illo occupatus, libros iſtos Cabbaliſticos, quos ipſi pro genuinis vendiderant, licet ſpurii fuerint, eſſe foetus Eſdrae, cum veteris eccleſiae Iudaicae doctrinam eos continere ſibi perſuadebat, tum, quod multa dogmata, quibus fauebat eccleſia Romana in iis deprehendiſſet, veros fontes traditionis tantopere depraedicatae ſibi detexiſſe, eaque in ſcriptis Cabbaliſticis ſe inueniſſe arbitrabatur, quae Chriſtiani de SS. Trinitate, de nomine Ieſu, et filio Dei, de eius vnione perſonali, incarnatione, redemtione, paſſione, morte, et reſurrectione, veteris teſtamenti ſublatione, baptiſmo, purgatorio aliisque dogmatibus, quae in eccleſia tum perſonabant, hactenus docuerant. Haec cum Chriſtianae religioni magno cedere emolumento viderentur, et res obſcura et hactenus ignorata, neſcio quos theſauros promitteret, factum eſt, vt magno impetu in Cabbalae venerationem viri multi docti ruerent, qui Picum ſibi ducem elegerant. Cuius tamen induſtria tantum abeſt, vt omnibus placuerit, vt non tantum defendere theſes ſuas Romae prohibitus ſit, ſed tredecim quoque haereſeos ſtigmate notarentur; quarum orthodoxiam peculiari apologia conſcripta defendere, conſenſumque earum cum dogmatibus Romanae eccleſiae demonſtrare fategit. Nec depoſuit hoc praeiudicium in aliis quoque ſcriptis ſuis Picus, ſed errorem errore auxit, et Cabbalam ſuam, eo nomine haut dignam et a Cabbaliſtarum Iudaicorum mente longe abeuntem, cum Platonicis et Ariſtotelicis opinionibus nefando ſyncretiſmo conciliauit, cuius ſpecimina ſi lubet, in *opere* eius *Hepteplo* videas. Pici veſtigia preſſit Ioannes Reuchlinus, elegantiorum literarum inter Germanos reſtaurator praecipuus, cuius vitae meritorumque hiſtoriam *Tomo quarto* accurate delineabimus. Is cum ſe Pythagoricae potiſſimum philo-

*) l. c. p. 230. ſeqq.

Digitized by Google

philoſophiae addixiſſet, quam ab Hebraeis deriuatam fuiſſe cum veteris eccleſiae doctoribus multis credebat, ad fontes eius ſe peruenturum eſſe ſperans, ſi veterum Hebraeorum ſapientiam, qua arcanam eius partem, rimaretur, Cabbaliſticam philoſophiam ſibi excolendam eſſe ſtatuit, ſiue ita Pythagorica dogmata illuſtraturus, ſiue reuera Cabbaliſtica ſtudia gentilis eruditionis apparatu commendaturus, vt non nemini viſum [v]. Illud certum, duobus libris, tum *de arte Cabbaliſtica*, tum *de verbo mirifico*, Cabbaliſtica eum placita illuſtrare ſtuduiſſe, parum vero ad Pythagorica dogmata et aenigmata ſoluenda lucis attuliſſe. Quicunque vero eius ſcopus fuerit, de quo alio loco [w] diſpiciemus, illud indubitatum, conſtituiſſe ſibi virum cetera ſummum et de Germania noſtra immortaliter meritum, ſed φιλέλογον μᾶλλον ἢ φιλόσοφον vt Plotoni de Longino iudicio vtamur, Pſeudo-philoſophiam quamdam ſyncretiſticam ex Iudaicis, Graecis, et Chriſtianis principiis conflatam, et neutrius partis ſententiam atque mentem recte explicantem, Cabbalae etiam literali magis eiusque ſymbolis, quam reali et philoſophicae inhaeſiſſe. A quibus duumuiris mos poſtea ad noſtra fere tempora inter eruditos inoleuit, vt qui de Cabbala tractaturi eſſent, Cabbaliſticis tantum ſymbolis, quae in literarum nominumque varia combinatione, transmutatione vſuque conſtant, vterentur ad explicanda ea Chriſtianorum dogmata, quae ab Hebraeis ad gentiles philoſophos maxime Pythagoram et Platonem, et ab his ad Chriſtianos dimanaſſe credebant. De quo philoſophorum genere cum *Tomo quarto* ex inſtituto dicentum ſit, hic nihil amplius addimus; notantes tantummodo, iudicium in hoc philoſophiae genere tantopere neceſſarium, illos quoque in Reuchlino delideraſſe [x], qui ob ſtudium Cabbaliſticum eum in pretio habendum eſſe ſtatuunt [y]. Poſt Reuchlinum *de Cabbalae* ſtudio meruit Paulus Riccius Ex-Iudaeus, qui Papiae docuit, et ſanitati Maximiliani I. praefectus fuit, de cuius vita, meritisque legenda ſunt, quae poſt MELCHIOREM ADAMI [z] viri literatiſſimi, P. BAYLE [a], PAVLVS COLOMESIVS [b], IACOBVS BASNAGIVS [c] et I. C. WOLFIVS [d] collegerunt. Inter illius *opuſcula varia* enim reperitur etiam *Iſagoge in Cabbaliſtarum eruditionem*, quod breue eſt compendium R. GECATILIAE *Schaare orah*, id eſt, *portae lucis*, quod etiam in Piſtoriana ſcriptorum Cabbaliſticorum collectione legitur, et a Cl. SCHRAMMIO *introductioni in dialecticam Cabbaleorum* eſt adiectum. Eadem etiam veſtigia preſſit in libro *de coeleſti agricultura*, in quo contra atheos infideles, Iudaeosque diſputat, multaque ex Cabbala, qualem Picus et Reuchlinus formauerant, adducit. Eadem porro Sec. XVI via inceſſit Archange-

v) STOLL. Intr. in hiſt. lit. P. II. c. 1. §. 88. pag. 391.
w) T. IV. inter philoſophos Pythagorico-Platonico-Cabbaliſticos.
x) Vd. illuſtris SECKENDORFIVS Hiſt. Lutheran. p. 251.
y) BVDDEVS l.c. §. 35. p. 251. ſeq. 854.
z) Vit. Medic. p. 9.
a) Dict. T. IV. art. Riccius p. 54.
b) In Italia Orient. p. 17. ſeqq.
c) Hiſtor. Iudaic P. IX p. 858.
d) Bibl. Hebr. P. I. p. 966.

Digitized by Google

angelus de Burgonouo Franciſcano ſodalitio adſcriptus, qui et Picum et Cabbalam peculiari libro defendit, et *Cabbaliſtarum ſelectiora obſcuraque dogmata a Ioanne Pico ex eorum commentationibus pridem excerpta, et nunc primum luculentiſſimis interpretationibus illuſtrata* [e], edidit, vel potius, obſeruante CARPZOVIO [f] ex Reuchlini libro *de arte Cabbaliſtica* deſcripſit. Hos aliosque ſcriptores Cabbaliſticos collegit et ſyllogen eorum dedit IOANNES PISTORIVS Nidanus, M. D. hoc titulo: *Artis Cabbaliſticae, hoc eſt reconditae theologiae et philoſophiae ſcriptorum tomus I*, [g] quem tamen ſecundus ſecutus haud eſt [h], ſine dubio, quod emtores hae merces non reperirent. Seculo XVII plures inuenti ſunt, qui Cabbaliſticam philoſophiam excoluiſſe ſibi viſi ſunt, et certum ſapientiae theoſophicae genus, quod Cabbalae nomine honorarunt, fuere commenti. Quales praeter Paracelſum et Henricum Cornelium Agrippam Sec. XVI philoſophos, fuit IVLIVS SPERBERVS, philoſophus theoſophicus vel fanaticus potius, de cuius vita ſcriptisque et philoſophandi genere *Tomo quarto* ex inſtituto diſſeremus. Is *precationes Cabbaliſticas*, tractatum *de pretioſiſſimo theſauro Cabbalae*, hisque ſimiles dedit, caue tamen Cabbalam Iudaeorum ibi explicatam credas, cum allegoricas tantum explicationes ſomniorum ſuorum theoſophicorum iſto nomine obtrudat, vt ſuo loco oſtendetur. Potiori iure huc pertinet STEPHANVS RITTANGELIVS, qui librum *Iezirah*, cum R. ABRAHAM BEN DIOR, ſuisque commentariis edidit [i], vt ſupra dictum. Neglectum tamen plerisque Cabbalae ſtudium iacuit, cum ob incertitudinem et obſcuritatem non intelligeretur, donec vir illuſtris CHRISTIANVS KNORRIVS A ROSENROTH Duci Palatino Solisbaci a conſiliis ſecretioribus et cancellarius ducatus, qui praeter chemiae ſtudium Cabbaliſticam quoque eruditionem Hebraeasque literas magno ſtudio proſequebatur, clariorem ei lucem accenderet, poſtquam exhortationibus Helmontii patris, qui intimo amicitiae vinculo ei iungebatur, et hanc quoque philoſophiam deperibat, eſſet excitatus, et ad conſilia hunc in finem capta exſequenda pecunia quoque adiutus; quod occaſionem dedit Moſi Germano [k], Helmontio Cabbalae denudatae editionem adſcribendi, in quo tamen falſus eſt. Ipſe enim Knorrius hanc nobis in Cimmeriis his tenebris facem praetulit. Is cum praeter aulae et iuſtitiae negotia, quibus maxima fide et vigili cura praeerat [l], et chemicae et Hebraicae, Rabbinicae

e) Venet. 1569. 8.

f) Introd. in theol. Iud. c. VI. p. 21.

g) Baſil. 1581. fol. Comprehenduntur autem hoc Tomo R. IOSEPH CASTILIENSIS ſiue GRCATILIAE porta lucis, LEONIS HEBRAEI de amore dialogi tres, Io. REVCHLINI de arte Cabbaliſtica, et de verbo mirifico, ARCH. BVRGONOVENSIS interpretatio in ſelectiora Cabbaliſtarum dogmata et liber Iezirah.

h) Errat igitur MORHOFIVS, qui Polyhiſt. T. I. L. I. c. 10. p. 99. aliquot volumina ſcriptorum Cabbaliſticorum Piſtorio tribuit, conſer. REIMMANN. Cat. crit. bibl. theolog. p. 871. ſeqq.

i) Amſtelodami 1675. 8.

k) Apud Cl. WACHTERVM in Spinoziſmo in Iudaiſmo detecto p. 75.

l) Videnda de eius vita narratio CHRISTIANI THEOPHILI VNGERI in nouis literariis Lipſienſibus Latinis 1718. p. 191. ſeqq.

nicae atque Cabbaliſticae eruditioni ſe totum tradidiſſet, Henrici Mori exemplo, qui circa eadem tempora Cabbaliſticam philoſophiam Pythagorico habitu indutam in ſcenam producere tentabat, vt *Tomo quarto* narrabitur, excitatus, et ab Helmontio, vt dictum, conſilio adiutus Cabbaliſtarum ſcripta longe rariſſima et a Iudaeis ſollicita cura abſcondita, aere ſuo pretioque magno redemit, nactusque Iudaeum quendam in his literis verſatiſſimum, et Cabbaliſtica myſteria apprime doctum, ex his libris, maxime vero R. Iſaaci Loriiae et R. Abrahami Cohen Irirae ſcriptis ipſisque libris *Sohar*, *Iezirah*, aliisque ſupra enarratis arcanam Iudaeorum philoſophiam accurate didicit. Neque ſibi tantum hanc lucem acquiſiuiſſe contentus, potiores ſcriptores Cabbaliſticos, ſcriptaque lumen aliquod obſcuriſſimae diſciplinae concilliantia collegit, ſuisque commentationibus aucta duobus voluminibus edidit hoc titulo: *Kabbala denudata, ſeu doctrina Hebraeorum tranſcendentalis et metaphyſica atque theologica, opus antiquiſſimae philoſophiae barbaricae variis ſpeciminibus refertiſſimum* [m]. Non patitur loci huius anguſtia, vt operis rari atque commemoratione digniſſimi recenſionem, hiſtoriam, fata, laudes et obtrectationes, hic adiiciamus. Reſtinguent tamen ſitim omnem, qui haec noſſe cupiunt ex iis, quae beatae memoriae viri longe doctiſſimi et celeberrimi IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS [n], et Io. CHRISTOPHORVS WOLFIVS [o] attulerunt. Verbo tantum notamus, comprehendi parte prima: *Apparatum Cabbaliſticum*, *Lexicon* ſcilicet *Cabbaliſticum*, *Clauem ad Cabbalam antiquam ex libro Pardes*, *librum Schaare Orah*, *i. e. portam lucis R. Gecatiliae; R. Iizhak R. Loriae Cabbalam recentiorem; indicem plurimarum materiarum in ipſo libro Sohar propoſitarum, compendium libri Cabbaliſtico-Chymici, Aeſch mezareph dicti, de lapide philoſophico*; parte ſecunda praeter alia *tabulas duas ſynopticas Kabbaliſticas; cum explicationibus H. Mori; tractatum primum libri Druſchim, ſeu introductionem metaphyſicam ad Kabbalam, auctore R. Vizchak Loria, vna cum H. Mori quaeſtionibus et conſiderationibus; atque epiſtolas aliaque H. Mori ad Cabbalam pertinentia;* itemque *R. Moſis Corduero tractatus de anima et compendium libri Emek Hammelech.* Parte tertia et quarta exhibentur *R. Abraham Cohen Irirae porta coelorum*, qui liber omnium inſtar dux eligendus eſt, in cognoſcendis myſteriis Cabbaliſtarum, ob ordinem et perſpicuitatem, tum *tabulae ſiue arbores Kabbaliſticae*, *et quinque compendia Kabbaliſtica*, *typis aeneis expreſſa.* Alter operis tomus, *librum Sohar reſtitutum* exhibet, et parte prima *ſynopſin* tradit *dogmatum vulgatiorum totius libri Sohar*, *ſub certos titulos digeſtam*; altera *Introductionem* habet *in dogmata profundiora Libri Sohar*; tertia *libros Soharicos Sipara de Zeniutha*, qui eſt fundamentalis totius libri Sohar, deinde *Idra Rabba et commentarium in iſtum librum a R. Chaim Vital confectum; aliosque tractatus et com-*

m) Solisbaci 1677. 4. II. Vol.
n) Introd. in hiſt. philoſ. Hebraeorum l. c. p. 280.
o) Bibl. Hebr. P. II. p. 1293. ſeqq.

Digitized by Google

commentarios Soharicos; quarta: *Pneumaticam Kabbaliſticam ex libro Beth Elohim R. Abraham Cohen Irirae, et Lorienſis libro de reuolutione animarum* comprehendit. Quo tamen ipſo non omnes libri *Sohar* tractatus nobis dedit, quos integriori editione publicos eſſe poſt haec edita demum iuſſit Knorrius [p]. Inſigniter eum meruiſſe de philoſophiae Cabbaliſticae hiſtoria inde intelligi poteſt, quod primus nobis et libros arcanos Cabbaliſtarum detexit, et vt erat horum myſteriorum intelligentiſſimus, improbo labore obſcuris accendere lucem ſategit, et ſi verum fatendum, primus fuit, qui in Cabbalae philoſophicae receſſus arcanos et adyta nos introduxit, cum nihil certi antea de ea conſtaret, et plerumque cum Cabbala exegetica et literali confunderetur. Ad hunc itaque fontem recurrendum eſſe, in delineando Cabbaliſticae philoſophiae ſyſtemate quaecunque etiam illuſtris collectoris de Cabbala mens fuerit, ob quam multis laudatur, pluribus vero vapulat [q], ex ſequentibus luculenter conſtabit. Praeter Knorrium, et modo dictum, Henricus Morus, philoſophus Britannus acutiſſimus, et Cabbalae philoſophicae lucem ſcriptis ſuis accendit, et de ſenſu ſyſtematis Cabbaliſtici cum Knorrio amice diſceptauit, et cum theologo Herbornenſi SAMVELE ANDREAE [r], de Cabbala contentionis ſerram reciprocauit, de quibus tamen lucubrationibus *Tomo quarto* plura enarranda ſunt. Horum veſtigiis inſiſtere et profundiores Cabbaliſtarum ſenſus rimari ſategit vir *πολυμαθέστατος* IOANNES GEORGIVS WACHTERVS, qui cum controuerſiam cum R. Moſe Germano, qui inter Chriſtianos Petri Speethi nomen habuerat, de vero ſenſu ſyſtematis Cabbaliſtici fouiſſet, edidit tandem lingua Germanica: *Spinozaiſmum in Iudaiſmo, id eſt, mundum per Cabbalam Iudaeorum hodiernam deificatum; et in Moſe Germano detectum et refutatum.* Quo tamen in libro cum ſe perperam intellexiſſe quaedam Cabbaliſtarum crederet, edidit poſtea: *Elucidarium Cabbaliſticum, ſiue reconditae Hebraeorum philoſophiae breuem et ſuccinctam recenſionem* [s]. In vtroque libro magna eruditione auctor in eo verſatur, vt conſenſum ſyſtematis Cabbaliſtici cum Spinoziſtico demonſtret, et tamen diſcrimine, vt, cum in priore libro Cabbaliſtas atheiſmi reos peregiſſet, altero et illos et Spinozam ab ea macula abſolueret, de qua re infra dicendum. Multa etiam emendat, quae vir ſummus I. FR. BVDDEVS [ff] de Cabbaliſtico ſyſtemate dixerat. Poſſent his addi ſcriptores plures, ſi hiſtoria literaria nobis ſcribenda eſſet, ſed inſtituti ratio prohibet contentos, eos adduxiſſe, ad quos in ſequentibus ſaepius prouocandum eſt. Commendanda tamen hic etiam *ὡς ἐν παρέργῳ* celeberrimorum virorum IACOBI BASNAGII et IOANNIS MAYE-

p) Solisbaci 1684. fol.

q) Vid. WOLF. l. c.

r) Scripſit is examen generale Cabbalae philoſophicae H. Mori 1670. 4. Herbornae.

s) Romae, vel potius Roſtochii, vt vult Wolfius, vel Berolini, vt coniicit Reimmannus, 1706. 8.

ff) Obſ. Hal. T. I. obſ. 1. et in Intr. in hiſt. phil. Hebraeorum.

MAYERI diligentia, quorum ille in *hiſtoriae Iudaicae* opere [t] prolixe de Cabbala egit, eamque hiſtorica et dogmatica ratione illuſtrauit; hic diſſertationem dedit *de myſterio SS. trinitatis ex ſolius V. T. libris demonſtrato atque ex veterum ac recentiorum Rabbinorum, praeſertim Cabbaliſtarum rariſſimis monumentis illuſtrato* [u], qua lux multa doctrinae ſephirothicae accenditur. His aliisque praeſidiis munitus ſi quis animo ab auctoritatis praeiudicio libero ad cognoſcendam philoſophiam Cabbaliſticam acceſſerit, et ad origines eius paulo curatius attendat, protrahere is e latebris poterit obſcuriſſimos philoſophos. Quod ita praeſtare tentabimus, vt primo quidem in eo laborem, quantum fieri poteſt, ponamus omnem, vt veras Cabbaliſticae philoſophiae origines et progreſſum detegamus, deinde, naturam indolemque eius exponamus; tum eius diuiſionem partesque excutiamus; et tunc demum vera eius principia exploremus, nexumque totius ſyſtematis Cabbaliſtici detegamus: quo in apricum prolato facile erit, ſingula vel potiora ſaltem Cabbaliſtarum dogmata exponere, hisque omnibus iudicium interponere ſanum et a partium ſtudio alienum reique conuenientis.

Originem philoſophiae Cabbaliſticae.

§. II. Origines veras philoſophiae Cabbaliſticae detegere res eſt magni fereque deſperati laboris, adeo intricata, obſcura et incerta hic ſunt omnia, id quod plerumque euenire ſolet, vbi dogmata tacite irrepunt, et pedetentim adoleſcunt atque in certam formam ſyſtematisque habitum ſuccreſcunt. Nec ex virorum doctorum de hac Cabbalae origine diſceptationibus lux magna ſperari poteſt, quae tantopere inter ſe diſſentiunt et ſibi inuicem contradicunt, vt citius inter lucem et tenebras paciſci, quam has opiniones omnes conciliare inter ſe liceat. Quae ſententiarum varietas maxime ex diuerſo notionis, quam de Cabbala ſibi finxere ſcriptores, ambitu et ſignificationis vel extenſione vel reſtrictione, cum laude vel vituperio coniuncta orta eſt [x]; prout enim quis Cabbalae definitionem, ſaepe non ex rei natura et indole, ſed ex praeiudicio formatam pro fundamento poſuit, ita enim de Cabbalae origine iudicauit, quo fieri non potuit, vt non multi errores irreperent, verique eius natales miſere obſcurarentur. Sed vt cuncta ordine lectoris oculis ſubiiciamus, et proprio eum iudicio vti iubeamus, paulo diſtinctius omnia enarranda ſunt. Et I. quidem quod ad Iudaeos attinet, illi more ſuo in definiendis Cabbalae originibus prorſus inſaniunt, eas ab Adamo, Abrahamo, Moſe et Eſdra deriuantes, de quibus nugis ſupra iam aliquid dictum, quod hic non repetimus [y]. Non omittendum tamen hoc loco eſt, quod de lapſu et transgreſſione Adami Cabbaliſtae garriunt, quorum ſolennis aſſertio eſt:

Iudaeorum de origine Cabbalae ſomnia.

trans-

t) Hiſt. Iud. L. III. c. 10. ſeqq. p. 270. ſeqq. L. IV. c. 7. 8. p. 128. ſeqq.

u) Harderouici 1712.

x) Conferendus WOLFIVS l. c. P. II. L. VII. c. I. §. 4. p. 1194. ſeqq.

y) Conf. BAYLE Dict. T. I. art. Adam not. D. p. 72. BASNAGE l. c. L. III. c. 10. p. 270. maxime vero EISENMENGERVS Iud. detect. P. I. c. E. p. 312. ſeqq.

Digitized by Google

transgreſſio Adae fuit truncatio Malcuth, quo axiomate innuunt, Adamum, ſeparatione a circulo emanationum in regno diuino facta amiſiſſe et influxum ſephirarum ſuperiorum et ſapientiam Cabbaliſticam, de qua aſſertione videndus ANGELVS DE BVRGONOVO [z], qui tamen influxum ſephirarum in Malcuth, quae earum eſt infima, et in quam emanationes omnes ex mente Cabbaliſtarum deſinunt, et quaſi in centro comprehenduntur, cum influxu in Adamum confudit. Intelligi vero obſcura ſententia non poteſt ſine notitia ſephirarum, earumque fontis primogeniti hominis, quem Adam Kadmon vocant, quique ſumma et prima emanatio ex infinito diuinae lucis oceano eſt, ex quo tanquam ex radice ſua reliqua principia luminoſa, ſephiraeque ſcaturiuerunt, et qui vltimam inter decem luminis ſui radios fontesque ſephiram habet Malcuth, ſiue regnum, compendium omnium emanationum, quod ita in hominis actiones influit, vt totus ab eo dependeat, et eo influxu ab vno mundo in alium vsque ad primum rerum omnium fontem perducatur, non neceſſitante tamen emanationis ordine. His ſuppoſitis, quibus in ſequentibus lucem clariorem accendemus [a], ita de transgreſſione Adae et amiſſione luminis Cabbaliſtici atque ſeparatione a regno diuino praecipiunt, vt dicant, probe intellexiſſe Adamum, ſephirarum ſuperiorem triada, coronam, intelligentiam et ſapientiam latere in primo iſto Adamo, ſiue Meſſia, et in eo quoque radicari ſeptem emanationes poſteriores, adeoque per hanc emanationis ſeriem, qua lux diuina et infinita in regnum Dei propagetur, in Malcuth, id eſt regno Dei Meſſiam eſſe moderatorem vniuerſi, eo quod omnia per eum tanquam principiatum primum (veniam hic et in ſequentibus dabit lector beneuolus vocibus barbaris, ſine quibus vix intelligi obſcuri philoſophi poſſunt) exiſtant, et ex diuinitatis mari effluxerint. Id vero noluiſſe agnoſcere faterique, eo quod putaret, praeſtantiae ſuae aduerſum eſſe, nec poſſe ſe ad imaginem Dei conditum eſſe, Deumque perfecte referre, niſi etiam independentiae et libertatis gereret imaginem, ſicque ſperauiſſe, ſe, ſine mediatore illo, ſiue emanatione prima, ad Deum fontem fontium redire, foedusque operum inire poſſe: ſeparauiſſe itaque ſe a ceteris plantis arboris ſephirothicae, atque regnum DEI ab emanationum iſtarum ſerie maximo ſuo et poſteritatis ſuae malo auulſiſſe. Sanando itaque et ab errore reuocando Adamo Deum conſtituiſſe legem hortenſem et ſubornatum fuiſſe tentatorem ſerpentiformem, ſicque transgreſſionem procuratam, vt in arbore puſilla intelligeret, quod crimen in arborem ſephiroticam, primogenitum Dei ſiue Meſſiam commiſiſſet. Tunc vero demum amiſſo emanationis lumine intellexiſſe Adamum, quantae felicitatis iacturam fecerit, ſicque vere mortuum fuiſſe, extincta opinione et arrogantia, qua prius

z) In ſelectioribus Cabbaliſt. dogmatibus p. m. 19. ſeqq. ed. Venet. Accuratiora vero dat Cel. WACHTERVS in elucidario Cabbaliſtico c. I. §. 1. ſeqq. p. 15. ſeqq.

a) Videndum interim Lexicon Cabbaliſticum v. אדם קדמון Cabb. denud. T. I. p. 30.

ductus erat, et de quaerenda emanationis via in Messia et se Dei regno adiungendo iterum cogitasse. Quae interpretatio celeberrimi axiomatis Cabbalistici cum systemate emanatiuo accurate cohaeret, et in philosophia quoque Orientali vestigia sua monstrat, in qua vna emanationum extra pleroma progressa et a diuina plenitudine separata materiaeque se iungens animae maiorum omnium occasionem dedit. Nec alia sunt, quae philosophia Alexandrina praecepit, causam lapsus animorum exponens, vt ex illis intelligi potest, quae in delineatione systematis Alexandrini de anima supra dicta sunt. Vnde quantum errent illi, qui nescio quae mysteria Christianorum hic abscondi putant, et quam impura haec omnia sint, quilibet intelligit, fictasque Cabbalisticae eruditionis in Adamo origines manu quasi palpat. Vnde vero miraculosam Cabbalisticae sapientiae doctrinam Adamus praeter istum emanationis sephiroticae influxum acceperit, miras porro nobis fabulas et commenta Iudaei referunt, non contenti luminosam emanationum diuinarum notitiam et influxum Adamo tribuere, sed stulta quoque opinione persuasi, ista notitia emanationum diuinarum eiusque seriei et concatenationis pendentisque ab eo influxus mira eum potuisse praestare, quam scientiam Cabbalam practicam magicamque dici infra docebimus. Cui mendacio vt colorem quaerant, tradunt [b] Adamo adhuc in voluptatis horto versanti Angelum Rasiel librum de coelo attulisse, in quo res mirabiles summaeque efficaciae de mundo superiore fuerint comprehensae, eumque septuaginta duabus classibus sexcentisque et septuaginta libris sapientiam coelestem exhibuisse. Hunc librum vbi accepisset Adamus, angelos superiores ad discenda haec mysteria ad eum descendisse, Adamum autem id prohibitum arcana haec solum percepisse. Lapso vero protoplaste euolasse librum hunc mirificum; post eius preces, lachrymas et poenitentiam tamen restituisse Deum librum per angelum Raphaëlem, et sic ab Adamo ad Sethum et ad posteros fuisse propagatum et ad nostra vsque tempora seruatum. Quae omnia esse putidas fabulas nugantium et περιεργα sectantium Iudaeorum non melius intelligi potest, quam ex ipsius libri inspectione, quem diu arcanissimum seruauerunt Iudaei, licet scriptus in quorundam Christianorum manus peruenisset [c], donec R. Isaac Ben Abraham currentis seculi initio typis cum vulgaret [d], parum gratiae apud contribules meritus, qui librum fisco addici flammisque exuri optarunt [e]. Ex eius enim argumento [f] patet, non philosophiam Cabbalisticam in eo tradi, sed Cabbalam practicam siue magicam, exponique omnia angelorum et spirituum variorum, ac doceri, quomodo tam boni quam mali sint

b) Liber Sohar, par Bereschith. col. 171. Eisenmenger. l. c. c. 8. p. 376. P. II. c. 13. p. 676. vbi testimonia Cabbalistarum collecta habes.

c) Habuit eum Daniel Schwenterus, ex cuius narratione eum descripsit Buxtorfius Bibl. Rabbin. p. 184. Eo etiam vsus est Iac. Gaffarellvs ad curiositates suas inauditas. Add. Hottingeri. Bibl. Orient. p. 33.

d) Amstelod. 1701. 4.

e) Teste Wolfio Bibl. Hebr. P I. p. 112.

f) Conf. Reimmann. Hist. theol. Iud. L. I. c. 15. p. 351.

Digitized by Google

ſint conciliandi, quomodo cum ſole et luna loquendum, quomodo morbi procreandi et curandi, ciuitates euertendae, terrae motus excitandi, vires herbarum, gemmarum, piſcium, auium, quadrupedum, lignorum, florum, pernoſcendae; doceri etiam artem vaticinandi et ex aſtris praedicendi etc. Et has tamen quisquilias impoſtoribus, quam angelo auctore digniores ad Adamum referre, ſicque origines Cabbaliſticas cum mundi exordio coaeuas ponere non erubeſcunt bipedum nequiſſimi et impudentiſſimi, veneranda canitie exſurgentis mundi et protoplaſtae ſapientia ad palliandam abominabilem impietatem ſuam abutentes: quos ſucum facere potuiſſe REVCHLINO *a* merito mireris. Sed audiendi porro patienter ſunt nugiuenduli, qui tradunt, conſeruatam quidem eruditionem Cabbaliſticam arcana traditione inter Adami poſteros, multiplicato vero genere humano, et inualeſcente impietatis imperio negligenter habitam et tantum non prorſus amiſſam fuiſſe. Vt igitur tantos ſapientiae coeleſtis theſauros e puluere, quo ſqualebant, produceret, et obliuioni eriperet, ſicque ſaluti hominum proſpiceret, Abrahamum patriarcham omnem lapidem mouiſſe, diuinaque reuelatione adiutum tandem philoſophiam Cabbaliſticam reſtituiſſe, et vt poſteris tantam ſapientiam conſeruaret integram, myſteria haec in librum retuliſſe, et ſcripto conſignauiſſe, hincque exortum librum *Iezirah* *b*. De quo cum ſupra iam dixerimus, monentes Pythagoricam numerorum doctrinam tam aperte in eo ad placita Cabbaliſtarum transferri, vt manifeſtum ſit, eum confictum fuiſſe a ſciolo quodam, ſiue ipſo Akibha, ſiue eo poſteriore et iuniore, vt nugas Cabbaliſticas, ex Alexandrinis ſcholis enatas ab Abrahamo deſcendiſſe, non ſine gloria gentis ſuae Iudaei crederent, nihil dictis adiicimus. Huius porro patriarchiae poſteros negligentius habuiſſe myſteria Cabbaliſtica conqueruntur, eaque in peregrinatione moraque Aegypti fere fuiſſe oblitos aſſerunt, ideo vero Deum praeter legem ſcriptam, traditiuam quoque et oralem Moſi manifeſtaſſe; et ab eo ſenioribus populi, vt arcanam cuſtodirent hanc philoſophiam metaphyſicam, fuiſſe traditam *i*. Ita plerosque Iudaeos de traditionibus ritualibus reliquisque commentis legi aſſutis gloriari, ex ſupra dictis notum eſt. Ex quo patet, aut confudiſſe Iudaeos eorumque ſequaces traditionem oralem cum Cabbaliſtica doctrina, vel, quod magis veriſimile, placita peregrina inter ſe clanculum recepta et legi allegorica interpretatione obtruſa venerabili traditionis nomine texiſſe, et quae populares ſui de traditionibus gloriabantur, ad haec myſteria retuliſſe, vt et auctoritatem illis apud ſuos atque veneration em conciliarent, et tantae ſapientiae origines ad maiores ſuos referrent, gentilibusque philoſophis eriperent. Quaecunque vero ratio eius rei fuerit, illud certum eſt, Iudaeos Cabbaliſtas Moſen inter praecipuos huius ſapientiae doctores et anteceſſores ſuos numerare, eique potiſſimum reſtitutorum myſte-

a) De arte Cabbaliſt. L. I. p. 622. ed. Pistor. *b*) Conf. FABRIC. Cod. pſeudepigraph. V. T. p. 381.
i) Conf. Io. PICVS apolog. p. 81. 116.

myſteriorum Cabbaliſticorum gloriam tribuere. Quo praeiudicio occupati non erubuerunt, libellum quendam Cabbaliſticum, cui titulus: *Maian Chochma*, i. e. *fons ſapientiae*, qui de nomine tetragrammato eiusque myſteriis agit, ad Moſen referre, mentirique: angelum Michael eum doctori huic Hebraeo tradidiſſe, et Moſen reuelaſſe eum, vt ſapientes redderet poſteros, quamquam tam immemor fuit mendax impoſtor commenti ſui, vt in ipſo contextu paraphraſin Ionathanis allegaret, quem Iudaei ipſi in aetatem Seruatore IESV paulo ſuperiorem tantum collocant [k]. Hac enim ratione impudentiam prodere apud gentem ſtolidam et in his rebus et ſimilibus ad veriſimilitudinem prorſus non attendentem, ſolenne eſt. Et haec quidem tertia ab Adamo Cabbaliſticae ſapientiae ex mente Iudaeorum periodus eſt. Quartam ab Eſdra repetunt, cauſſati, amiſſa arcana ſapientia magnis iſtis calamitatibus, quas Iudaica gens in captiuitate Babylonica perpeſſa eſt, Eſdram cum vatibus diuinis Haggaeo, et Zacharia, eam non ſine peculiari reuelatione diuina reſtituiſſe, et conſignatam libris ſancte cuſtodiendam viris ſynagogae magnae, oretenusque ad poſteros propagandam commiſiſſe. De quo commento, cum *capite huius libri primo* ſatis dictum iam ſit, nihil addimus. Ita vero reſtituta haec myſteria propagata fuiſſe contendunt, at Sadducaeorum et ſcripturariorum contentionibus, praecipue vbi ſe potentioribus iunxiſſent, eorumque partes ſecuti fuiſſent, iterum tantum non interitum paſſa fuiſſe, fugatis disiectisque omnibus traditionis tum vulgatae ſiue ritualis, tum arcanae, ſiue Cabbaliſticae cultoribus, donec redux ex Aegypto, vbi incolumis illa viguerit, R. Schimeon Ben Schetach eam reſtituerit populo gloriam, traditionemque hanc arcanam poſtliminio reduxerit. Qua de re tum R. IEHVDAE LEVI [l] tum R. MARDOCHAI [ll] Karaei narrationes ſupra adduximus, qui tamen ſcopo ſuo inſeruientes haec de ſola traditione rituali intelligunt, quos non audiendos nec Cabbalam philoſophicam excludendam eſſe, et Aegyptiaca, vbi haec viguit, Schimeonis mora, ex quo loco illam attulit, et alia, poſtea dicenda, manifeſtum faciunt [m]. Ab eo tempore, quibus quintam Cabbaliſticae philoſophiae periodum conſtituere ex mente Iudaeorum licet, paſſim iſta doctrina, Gnos audis, viguit. Supra enim iam narrauimus, tradere Iudaeos R. Elkanam filium Ierucham, quem ante C. N. vixiſſe volunt, in libris *Sepher Happeliah* et *Sepher Hakkaneh*, filiumque eius R. Nahoniam adhuc ſtante templo haec myſteria tradidiſſe et conſeruaſſe; euerſo vero templo R. Akibhan et R. Iſmael Ben Eliſcha, aliosque doctrinam hanc eſotericam in gente ſua propagauiſſe, Seculo III vero exſurgente R. Schimeonem Ben Iochai et diſcipulos librum *Sohar* celeberrimum conſcripſiſſe, ſicque aliquod

k) Hiſtoriam libelli quatuor plagulas non excedentis exponunt BVDDEVS Introd. in phil. Hebraeor. p. 484. WALFIVS Bibl. Hebr. P. I. p. 874. Prodiit aliquoties, etiam in collectione eiusmodi ſcriptorum, cui titulus: *Cedri Libani.*

l) Coſri P. III. §. 65. p. 238.

ll) De Karaeis c. 6. p. 18.

m) Recte hoc quoque monuit Ven. REIMMANNVS l. c. p. 356.

Digitized by Google

aliquod Cabbaliſticae philoſophiae ſyſtema reliquiſſe, et ab eo tempore propagatam arcano ſtudio fuiſſe traditionem hanc philoſophicam eo modo, vt capite primo fuſe expoſuimus. Et haec quidem Iudaeorum de Cabbalae origine, fatisque hiſtoria eſt, quos tantopere ineptire, et nugas nugis cumulare nemo mirabitur, qui indolem gentis huius recte cognouerit. Ea enim cum ambitione turgeret, et inani opinione vetuſtiſſimae de ſapientiae poſſeſſione gloriae tumeret, illud praeiudicium, vt aliquoties iam monitum, patentibus portis excepit, deſcendiſſe omnem per totum terrarum orbem ſapientiam ab Adamo, Abrahamo aliisque, quos in maiorum ſuorum numerum referebant, et hoc demum ex fonte ad gentes, quicquid eruditionis, luminis et ſapientiae eſſet, fuiſſe propagatum. Quo ſemel poſito, cum Cabbaliſtica dogmata inter ſua recepiſſent, gloriamque inuentae et productae huius ſapientiae gentilibus inuiderent, non potuerunt non ab Adamo, Abrahamo et Moſe eam deriuare. Quibus accedebat, quod hac ratione inuiſa alias plerisque Iudaeis placita peregrina illis poſſent iucundiori titulo et venerabiliore nomine commendari. Ex his vero, quid de hac Iudaeorum opinione iudicandum ſit, nobis non monentibus quilibet intelligit, qui praeiudicium auctoritatis et antiquitatis exuit, et diuinam reuelationem viris inter Hebraeos ſanctis traditam a Cabbaliſticis ſomniis diſtinguere nouit. Illa enim quae *primo tomo* de philoſophia Hebraeorum diximus animo reputanti, ſimplicemque et ab omni artificio philoſophico remotam, quamuis egregiam et ſaluberrimam patriarcharum eruditionem illuminatione diuina et reuelatione magis, quam ingenii commentis nixam, cum artificioſo et ex imaginationis luxuriantis exorbitationibus enato Cabbaliſticae philoſophiae ſyſtemate et ſpeculationibus comparanti, erit manifeſtiſſimum, non potuiſſe obſcuras gerras et difficiles nugas a viris ſanctis proficiſci, ſed genuiſſe hanc opinionem fraudem et ambitionem Iudaeorum, quae, vt gentiles philoſophos ineptientis animi naeniis ſuperaret, talia commenta eſt, quae a viris ſanctis profecta eſſe dixit, et vt mendacio fidem faceret, venerandis nominibus foetus alienigenos miro auſu ſuppoſuit. Multum autem ad auctoritatem Cabbalae inter Iudaeos conciliandam attuliſſe cenſendum eſt nomen non metaphyſicae tantum arcanae, ſed etiam traditionibus *παρεπαραδότοις* tributum; vtrumque enim doctrinae genus Cabbalae nomine deſignari, ſupra diximus. Traditionum enim cum ſumma eſſet apud Iudaeos veneratio, easque ab antiquiſſimis maioribus ſuis, maxime vero a Moſe ad ſe deriuatas eſſe contenderent, factum eſt aut caſu, aut Cabbaliſtarum ſtudio, vt philoſophia haec *μυςικώτερος* pars eſſe illius traditionis crederetur, et Iudaei in Aegypto habitantes, quos inuiſos habebant Palaeſtinae incolae, eo quod eorum communionem cum gentilibus auerſarentur, nomine iſto contribulibus ſuis merces has ſuas commendarent atque venderent, quod conſilium non ſine felici ſucceſſu fuiſſe executum

R. Schi-

R. Schimeonem Ben Schetach, ex dictis repetendum eſt. Certe niſi hac obſeruatione vtamur, et ea indicis ducisque inſtar vtamur, in hiſtoria traditionis Iudaicae nunquam ex labyrintho, quo ea comprehenditur et inuoluitur, emergemus, ſed paſſim offendemus, vt Pico, REVCHLINO *) aliisque accidit. II. Ad id vero non attendentes viri multi inter Chriſtianos doctiſſimi, cum miros ſibi pro Chriſtiana religione adſtruenda theſauros promitterent ex Cabbala depromendos eruendosque, Iudaicis iſtis commentis ſeducti ſunt, vt diuinas eam origines habuiſſe, et a viris ſanctis ad poſteros propagatam inque libris Iezirah, Sohar et ſimilibus ab iis traditam fuiſſe ſibi perſuaderent. Fuerunt in ea opinione plerique Cabbaliſticae philoſophiae inter Chriſtianos cultores paulo antiquiores, Io. Picus, Ioannes Reuchlinus, ArchangelusBurgonouenſis PaulusRiccius, Stephanus Rittangelius, Athanaſius Kircherus, Guilielmus Poſtellus, Iulius Sperberus, et ex recentioris aetatis philoſophis Henricus Morus et Chriſtianus Knorrius, quorum vltimus vt reliquos omnes laboris induſtria et patientia in perſpiciendis Cabbaliſtarum myſteriis et calcanda via, tot ſcrupis, ſalebris, voraginibus praecipitiis impedita, tantoque coeno referta, vt plerique ineuitabili territi faſtidio, eam deſeruerint, ſuperauit; ita illam ſe philoſophiam indagauiſſe ſibi perſuaſit, quae ipſius etiam Chriſti et Apoſtolorum tempore viguerit, et e cuius ſcaturigine, quicquid fere eſt ſacrorum oraculorum, fluxiſſe videatur *). Seductos fuiſſe viros hos cetera eruditiſſimos, nec mala in eo animi intentione ſcopoque ductos praeiudicio illo, quod a Iudaeis ad veteris eccleſiae doctores plerosque tranſiit: eruditionem et ſapientiam omnem ab Hebraeis ad gentes reliquas peruenisse; itemque a perſuaſione, ea quae in Cabbaliſticis dogmatibus Chriſtianis myſteriis traduntur affinia, e. c. de trinitate ſephirarum, de Meſſia primogenito conditore et moderatore regni diuini, de reditu animae lapſae eo mediatore ad Deum, et ſimilibus, eadem nobis prorſus exhibere, dubium non eſt: at ex hac origine et natalibus huius falſitas facile detegi poteſt. Ineptum enim eſſe praeiudicium primum, eum latere non poteſt, qui origines philoſophiae, *Tomo primo* latiſſime enarratas probe ponderauerit; oſtendimus enim iam ſupra, ambitionem Iudaeorum illud totum genuiſſe, Philonem autem, Ioſephum aliosque, qui praeter domeſticam eruditionem Graecae literaturae ſe addixerunt, in eo propagando diligentiam adhibuiſſe ſummam, vt gentis ſuae gloriae velificarent: his vero ducibus ſeductos veteris eccleſiae antiſtites eo magis incautos in haec retia lapſos eſſe, quo magis e re Chriſtianae ciuitatis eſſe crederent, veritates inter gentes ſparſas, vel tales potius tantum viſas ab Hebraeis ad eas peruenisse, et iure poſtliminii Chriſtianis Hebraeorum ſucceſſoribus vindicari poſſe. Ortum vero ſine dubio pernicioſus error, qui multos alios poſtea genuit, habuit ex Aegypto, quo loco

*) De arte Cabbaliſt. L. I. p. m. 629. *) Conf. LAVR. ODHELIVS in ſynagoga bifronte p. 38.

Digitized by Google

loco gentilia placita inter Iudaeos irrepſiſſe, et ex more regionis illius ſyncretiſtico habitu illis commendauiſſe, ſupra *capite huius libri primo* non ſine magna veriſimilitudine demonſtrauimus. Cum enim ambitioſa natio moribus Graecorum, qui Aegypto potiti erant, et incolarum regionis illius, qui mirum ſibi patriarum, Graecarum et Orientalium doctrinarum Chaos formauerant, manus dediſſet, nec ſine inuidia hanc illis gloriam tribuere potuit, quod ab illis ea accepiſſet, nec ſine periculo concedere debuit, eo quod non ignoraret, legem Moſen a Deo immediata reuelatione accepiſſe. Non alia itaque via erat elabendi, quam vt ad ipſum Moſen, et eo antiquiores maiores ſuos noua, quae receperant, commenta referrent; et cum immane quantum vtraque praecepta inter ſe diſtare vidiſſent, allegoriarum methodo, per totam Aegyptum recepta inter ſe conciliare auderent, ſicque peregrina dogmata a Moſe et maioribus ſuis orta eſſe, ſtatuerent. Ita enim ſe rem habere, ex illis euinci poteſt, quae ſupra de fatis eruditionis Iudaicae in Aegypto veterum teſtimoniis nixi narrauimus. Nec haec ab indole gentis ſuperbae aliasque deſpicientis et faſtidientis aliena ſunt, eoque magis ſe commendare illi potuerunt, quo magis res eorum et exiſtimationem inter Aegypti incolas iuuare apta erant. Haec nationis ſuae praeiudicia cum ſequerentur Iudaei Graece doctiſſimi Ioſephus et Philo, illique a patribus eccleſiae legerentur, qui Graecanicam ſapientiam, praecipue Platonicam magni faciebant, non potuit non ad Chriſtianos quoque ineptum praeiudicium prorepere, idque eo magis, quo certius ita gentiles philoſophos confundi poſſe ſperabant, ſi haec ſpolia Aegypti ſibi vindicaſſent, et quae ab iis ſaniora docerentur, ab Hebraeis ad eos peruenisse oſtenderent. Id quod apologias veterum doctorum Chriſtianorum legenti erit certiſſimum, ſuoque loco *Tomo tertio* a nobis prolixe demonſtrabitur. Horum veſtigia cum recentiori aetate premerent viri multi eruditiſſimi, nimio PP. amore et veneratione ducti, eadem in deuia delapſi ſunt, et diuina putauerunt Cabbaliſtarum dogmata, eo quod diuinioris originis illa eſſe Iudaei traderent. At falli eos, falſitas alterius, quod deteximus, praeiudicii euincit; nam ſi dogmata Cabbaliſtica in toto ſuo complexu et connexione ſyſtematica intelligantur ſumanturque, quo habitu ea infra producemus, apparebit, immane inter Chriſtiana myſteria et Cabbaliſtica dogmata eſſe diſcrimen, fallique eos, qui a Iudaeis vel Hebraeis potius haec profecta eſſe ſtatuunt. Quod vt ex delineatione ſyſtematis Cabbaliſtici luculenter patebit, ſic vt ſuperſedere hoc loco eius demonſtratione queamus, ita alterius praeiudicii fontes facile exſtinguuntur et demonſtrari poteſt, gentiles philoſophos nihil ab Hebraeis accepiſſe, quod in ſua arua deriuaſſent, modo ad veram quaeſtionis ſignificationem attendatur, dimittaturque antiquitatis et auctoritatis, quod plerosque occupauit, praeiudicium p). III. Adeo haec

p) Eſſe plurimos, qui veritatem Chriſtianae religionis demonſtrandam ſuſceperunt, qui comparatis gentilium et Iudaeorum doctrinis harmoniam inter vtrasque eſſe oſtendere conati ſint,

haec clara atque manifesta sunt, vt hodie pauci inueniantur, qui has partes in totum sequantur. Cum vero talia quoque inter Cabbalistica dogmata inueniantur, quae cum doctrina in sacris oraculis V. et N. T. com-

sint, Steuchi Eugubini, Mutii Pansae, Guil. Postelli, Petr. Dan. Huetii, Edmundi Dickinsoni, Theophili Galei, aliorumque exempla, a τῷ πάνυ FABRICIO in syllabo scriptorum de V. R. C. enarrata ostendunt, et notissimum inter eruditos est. Ast falli eos in plerisque, non tantum dogmatum, si interior eorum nexus et sensus respiciatur, dissensus testatur, vt a multis, et a nobis quoque contra auctorem Historiae philosophiae gentilis in Otio Vindelic. Mel. II. est demonstratum, verum etiam ipsius opinionis falsitas, quae accepisse gentiles multa ab Hebraeis statuit, euincit. Recte vero ad euoluendam quaestionem de eius sensu statuendum est. Non enim de eo quaeritur, an non ab antiquissimis Hebraeorum patriarchis quaedam traditiones vniuersales per migrationes et colonias gentium ad has peruenerint: nec de illo quaeritur, vtrum inter religionem veterum Israëlitarum et barbararum Graecarumque nationum quaedam ostendi vel exsculpi queat similitudo? vtrumque enim lubentes concedimus, laudamusque virorum doctissimorum eruditionem et studium, quod valde se ingeniosum in his demonstrandis praestitit. At haec quaestionem non diriment, quae in eo proprie versatur: vtrum veteres Hebraei, et qui ab iis prodierunt, Israëlitae, ita cum gentibus barbaris et Graecis consuescuerint, et conuersati fuerint, vt ab illis ad has religio, placita, ritus et ceremoniae non potuerint non fluere, et dimanasse ex circumstantiis historicis sit verisimillimum? Qua ratione si quaestio formetur, neminem eam affirmaturum esse, certo persuasi sumus, qui praeiudicis exutis ad rationes historicas paulo liberius attenderit. Has enim si consulimus, nullo argumento satis valido ea connexio inter gentes barbaras Graecasque et Hebraeam atque Israëliticam demonstrari potest. Quamuis enim inter eos habitasse veteres Hebraeos et Israëlitas negari nequeat, scimus tamen, eamopere vtriusque mores a se inuicem abhorruisse, vt nullo modo credi queat, gentes vnius alteriusue Hebraei viri mores, placita, religionem, ab iis, quae a patribus acceperant diuersissima, in gratiam peregrini hominis recepisse, et domesticis patriisque opinionibus nuntium misisse. Valde vero se infirmitas huius opinionis ex eo prodit, quod philosophiam aliquam Hebraeorum veterum supponit, qua negata, totum illius fundamentum corruit. At siculneis eam niti rationibus, tam luculenter in historia Hebraeorum philosophica demonstrauimus, vt ea repetere loco hoc alieno superfluum putemus. Valde vero manifestam huius praeiudicii hyperaspistae, se ad temporum rationes non satis attendisse; eo quod non cogitant. Theut, Osirim, Hermetem Trismegistum, Zoroastrem Chaldaeum, hisque similes, quos sua ab Hebraeis accepisse volunt, esse Mosis, immo Abrahami temporibus antiquiores, adeoque ea, quae introduxerunt, dogmata accipere ab illis non potuisse. Quod si concedamus, fuisse ex Hebraeis quosdam his philosophiae barbaricae conditoribus coaeuos, demonstrandum tamen prius huius opinionis patronis est, qua ratione viri hi sancti populis superstitioni deditissimis, et sine iudicio paternos mores et statuta sequentibus contraria persuadere, eoque perducere sacerdotes quoque potuerint, vt inter dogmata sua arcana, quae emolumento suo prorsus erant dicata, illas quoque virorum sanctorum doctrinas reciperent, quae superstitionem prorsus euertebant. Quod qui probare suscipit, eum vetustissimarum gentium arcanas res, causas, fines perspicere, et ex certis monumentis haurire oportet, quod quam impossibile sit, veteris historiae peritos haud latet. Vehementer autem miramur, eo potuisse delabi viros doctos, vt ab Israëlitis plusculs hausisse Aegyptios, et inter dogmata sua recepisse statuerent. Sacra enim historia duce nouimus, valde abhorruisse ab Israëlis posteris Aegyptios, eosque tanquam seruos alienigenas vehementer contemsisse, habitasse illos ea propter in regione separata, et ita instituisse rationes suas, vt nulla cum Aegyptiis connexione familiari vterentur. An ab his Aegyptios in mysteriorum suorum circulos recepisse quicquam, vel leui vmbra est verisimile? At si hoc quoque concedamus, tantopere Aegyptiorum et aliarum gentium barbararum religio Israëliticae est dissimilis, vt contrarium statuendi rationem aliam vix afferre necesse sit. Pleraeque enim gentes aut systema dualisticum sequebantur et duo principia aequalia bonum et malum asserebant, aut vbi rationibus philosophicis religio plebis emendata erat, systema emanantium recipiebant, et Deum animae instar vel formalis vel emanantis per omnes mundi partes se diffundere statuebant, huicque fundamento idololatriam fere omnem inaedificabant: ex quo etiam verus sensus placitorum eorum iudicandus est. An vero has religiones istis principiis innixas ab Hebraeis fluxisse vel recepisse ab iis saniora vel mediocriter attento credibile esse potest? Fatemur esse quasdam inter has gentes, quae affinia Hebraeorum dogmatibus videntur, at aut exiguae vmbrae sunt, eaeque valde corruptae traditionis alicuius a primis hominibus disseminatae, aut dictamina rationis, aut externis tantum verbis similitudinem effingunt, interna significatione vero longe aliud dicunt. Quibus omnibus inter se collatis recte pronuntiari potest, minime demonstrari vel verisimili etiam ratione euinci posse, sapientiam inter gentes dispersam ex Hebraeorum fonti-

comprehenſa conuenire viris eruditis viſa ſunt, licet fateantur, impura, erronea, quin impia multa paſſim inter ea reperiri, admixtaque eſſe purae ſegeti lolia plurima; hinc enata aliis diſtinctio inter Cabbalam antiquam et puram et inter Cabbalam recentiorem atque impuram, itemque inter dogmata ſana et reuelationi conformia, atque inepta, peregrina et ex falſa philoſophia immixta. Qua adhibita viſum eſt, viris quibusdam eruditiſſimis, continuiſſe ab vltima Hebraeae gentis origine Cabbalam doctrinas ſublimiores de Deo eiusque attributis, perſona, Meſſiae regno et ſimilibus, eamque doctrinam methodo arcana atque eſoterica inter Iſraëlitas fuiſſe traditione propagatam; Iudaeos autem, ex quo gentilium populorum conuerſatione vſi fuerint, ex deamata philoſophia eorum multa aliena, impura et Moſis diſcipulos non decentia immiſcuiſſe, ex quibus aurum veteris traditionis, tanquam e ſcoriis ſit eligendum. Haec mens eſt STEPHANI RITTANGELII [q], IO. BENEDICTI CARPZOVII [r], SALOMONIS GLASSII [s], maxime vero, qui pro hac opinione operoſe eruditeque decertauit IOANNIS FRANCISCI BVDDEI [t], qui huic quoque fundamento quasdam locorum in oraculis ſacris explicationes inaedificauit, et cum erroris ob eam aſſertionem poſtularetur, diſtinctis aliquot poſitionibus hanc opinionem illuſtrauit [u]. Potiora huc redeunt, vt oſtendat; Habuiſſe Iudaeos veteres notitiam rerum diuinarum humanarumque, quam a maioribus traditione orali acceptam et ad poſteros propagatam Cabbalam appellauerint, quaeque nobis philoſophia audiat. Fuiſſe vero hanc philoſophiam Iudaicam iam tempore Chriſti valde corruptam, licet comprehenderit paſſim veſtigia veritatis diuinae, quae ex ſola verbi diuini regula iudicanda perquirendaque ſint. Eſſe porro poſſibile, ſcriptores ſacros noui foederis in ſcriptis ſuis ad certas hypotheſes philoſophiae Iudaicae reſpexiſſe, eiusque

fontibus derivatam fuiſſe. Quod praeiudicium recte reiecerunt exploſeruntque viri cordati, vid. BVRNETIVS Archaeol. philoſ. c. 7. p. 362. WACHTER. Spinoziſm. Iudaic. P. II. p. 221. ſeqq. Nec meliora eſſe, quae de Pythagorae Platonisque placitis ab Hebraeis acceptis paſſim traduntur, ſuo loco Tomo primo luculenter confecimus. His vero demonſtratis corruit omnis, quae pro Cabbalae origine Hebraea affertur argumentatio, quae hoc ſolo praeiudicio nititur, eoque magis incautis ſe commendat, quod magna eſt inter philoſophiam Orientalem, Graecanicam et Aegyptiacam atque inter Cabbaliſticam conuenientia atque concordia, viſumque ideo REVCHLINO de arte Cabb. L. II. p. 642. Pythagoram a Iudaeis edoctum ſimile Cabbaliſtarum doctrinae praecepiſſe, et IACOBO WINDETO de vita funct. ſtatu ſ. V. pag. m. 94. Pythagoram ab Eſſenis inſtitutum fuiſſe, quos Pythagorae aetate nondum extiriſſe conſtat. Verum cum haec ita ſe habeant, nec Aegyptii a Iudaeis ſua accepiſſe dici queant, inter Alexandrina vero et Cabbaliſtica dogmata magna ſit conuenientia, ſequitur inde Iudaeos ab iis, inter quos habitabant, hanc philoſophiam accepiſſe. Quod enim Cl. WACHTERVS monet, in Elucid. Cabbal. c. III. §. 6. p. 30. differentiam inter ſcholam Aegyptiacam et Hebraicam hanc eſſe, quod philoſophi Aegyptii philoſophiam ordiantur a re viliſſima materia, menti, Deo coaeua, Hebraei vero negent, quicquam vile e ſe exiſtere poſſe, quodque illi creationem per formationem materiae a mente ſuperueniente et opifice factam, hi vero per emanationem a Deo luce infinita explicent; ad veterem tantum philoſophiam Aegypti, non vero ad Alexandrinam, ex qua Cabbala formata eſt, quaeque emanationis ſyſtema recepit, pertinet.

q) Ad librum Iezirah p. 27.

r) Introd. in theol. Iud. c. 6. p. 30.

s) Philolog. S. L. II. Tr. II. c. 3. art. 7. conf. WOLF. l. c. P. II. p. 1197.

t) Introd. in hiſt. phil. Hebr. §. 43. p. 392. ſeqq.

u) Diſſ. de moderam. inculp. tutelae §. 10. p. 510. libri eit.

phraſeologiam in quibusdam, quae puriori doctrinae non aduerſarentur, adhibuiſſe in vſus ſuos. Eueniſſe tamen ex admixtis tot paleis et innumeris nugis tricisque humani ingenii, vt in veteri eccleſia philoſophia haec Iudaica mater euaderet plurimarum haereſium, maxime Gnoſticae et Valentinianae. Ab eo tempore praeter eruditionem Talmudicam Cabbaliſticam quoque inter Iudaeos viguiſſe, et ne oralis traditio periret, ſcriptis fuiſſe conſignatam, ſemper vero magis atque magis inuentis humani ingenii auctam adulteratamque et infinitis tenebris plus quam Cimmeriis involutam obſcuratamque. Licere vero dogmata quaedam, quae ſaniorem ſenſum admittunt, modo qui legibus interpretationis non repugnet, tolerabiliori quoque explicare ſignificatione, et ita veſtigiis veteris traditionis detectis, veritates euangelicas inde probare. Quod poſtremum inter exoptatiſſimos Cabbalae vſus quoque retulit KNORRIVS [a], et de applicatione dogmatum Cabbaliſticorum ad ſcripta N. T. diſſeruit; qui et ipſe orationem dominicam ex ſephirotica doctrina illuſtrari poſſe contendit, in quo ſequentem habuit B. BVDDEVM [b], quem cum Cel. WERENSDORFIVS [c], eo nomine notauiſſet, peculiari ſcripto defendit, IO. IACOBVS SYRBIVS [d] *νῦν ὁσ ἁγίοις*. Verum ne ſic quoque Cabbalam quandam puram atque orthodoxam admitti poſſe, viris aliis eruditis viſum eſt: qui conceſſere quidem, dari Cabbalam quandam V. T. at contenderunt intelligendam eſſe tantum interpretationem ſenſus myſtici et typici V. T. doctrinamque in ipſa ſacra ſcriptura comprehenſam, adeoque ſacrorum dogmatum illuſtrationem ex alia doctrina Iudaeorum Cabbaliſtica peti non poſſe. Quo nomine reiiecerunt quoque explicationem orationis dominicae ſephiroticam WERENSDORFIVS [e], OLEARIVS, [f] SCHMIDIVS [g], magni nominis et eruditionis theologi. Nobis de hac Cabbala exegetica, quae hoc nomine perſpicuitatis cauſſa a philoſophica diſtingui poteſt, diſputare non licet, cum ad praeſens inſtitutum non pertineat; monemus tamen, non dubitandum quidem eſſe, multa veterum Cabbaliſtarum placitis fuiſſe adiecta ſequiorum temporum *ἐυρήματα*, multa aucta et immutata, difficile vero, ſi non plane impoſſibile eſſe, de iis ſtatuere et impura a puris, genuina ab adulterinis diſtinguere, cum omnes libri Cabbaliſtici, quotquot ſuperſunt, ita corrupti ſint, ſi hanc diſtinctionem ſequi velimus, nec liceat e. g. in libro Sohar ea ſeparare, quae recentiores addiderint ab illis, quae vetuſtiſſima traditio ſuggeſſerit, niſi ſupponere velimus, nihil pro puro habendum eſſe, quod non cum Chriſtianis myſteriis concordet, quam argumentandi rationem vitioſam eſſe et laborare circulo, quilibet videt. Nec diffitemur, non videri

a) Praef. ad R. ISRAE portam coelor. P. I. Cabb. denu'.
b) Obſ. Hal. Lat. T. I. obſ. 1.
c) Diſſ. de Oſiandriſmo in Pietiſmo renato, et in Demonſtratione ſolida, Buddeum ſuſpicionem de Cabbala non ſuſtuliſſe, quae vernacule ſermone prodiit Viteb. 1709. 8.
d) In refutatione accuſationum iniuſtarum contra Buddeum, quae edita lingua Germanica Ienae 1709. 8.
e) In Vindiciis orat. dominicae.
f) Obſ. in Matth. XXIV. p. 218. ſeqq.
g) In Orat. dominica hiſtorice et dogmatice propoſita.

Digitized by Googl

videri probabile, eiusmodi dogmata, quae ad fundamentum fidei salutisque pertinent, in V. T. tot inuolucris fuisse operta et plerorumque oculis sublata et abscondita, vt non nisi intimae admissionis discipulis fuerint reuelata: id quod tamen admittere necesse habent, qui puriora N. T. mysteria in vetustissima Cabbala tradita esse suspicantur, eo quod in confesso sit, totam disciplinam Cabbalisticam semper fuisse arcanam et esotericam. Quod vero, nostro iudicio, huic opinioni omnem prorsus fidem detrahit, in eo potissimum versatur: nempe dogmatum illorum, quae pro purioris Cabbalae λειψάνοις venditantur, et quae conspirare cum sacra diuinarum paginarum traditione videntur, ea est conditio, vt longe aliud dicant, quam sacra Christianorum mysteria, et tantam puritatem doctrinae non habeant, quantam viri docti contendunt, si, quod omnino notandum, ea illis significatio, ea mens tribuatur, quam totum systema Cabbalisticum et principiorum atque conclusionum inter se nexus postulat, sine qua cautione nunquam de vero sensu Cabbalisticorum dogmatum erimus certi. Posset hoc exemplis luculentissimis illustrari ostendique, Cabbalistarum Messiam, primogenitum et creatorem rerum a Christianorum Seruatore Christo vnigenito patris immenso discrimine differre, illumque ex mente Cabbalistarum hoc longe esse inferiorem, Deoque ipso posteriorem, trinitatem sephirothicam a Trinitate Christianorum toto coelo distare, et principiorum triada, summo primoque Deo inferiorum exhibere, et quae alia sunt huius commatis, quorum in sequentibus mentio adhuc est facienda. His merito addimus perire omnem illam iactatam puritatem Cabbalae alicuius vetustioris, si comparatio instituatur inter ea dogmata, quae purioris traditionis reliquiae viris doctis videntur, et inter placita philosophiae Orientalis et Alexandrinae: ex ea enim quod certi sumus, tantopere vtrorumque eluceſcet consensus, vt desinat quilibet eorum puritatem depraedicare. Parum itaque et hisce originibus Cabbalisticae philosophiae tribuendum est. IV. Cautius incendentes alii, non negant, obtinuisse in V. T. praeter legem scriptam sacrasque paginas explicationem quandam oralem pleniorem et luculentiorem mysteriorum et oeconomiarum diuinarum, qua diuersa ratio ordoque, quem diuina gratia in distribuendis mediis gratiae secundum certas oeconomias seruauit, quique in lege ceremoniali et vaticiniis virorum θεοπνεύστων paulo obscurius et aliquantulum aenigmatice propositus est, explicatus clarius, sensus ceremoniarum legis propter gentes ex methodo arcana absconditus fidelibus expositus, et ad Messiae regnum applicatus, sicque mysteria maxima regni Dei inter Iudaeos orali traditione, cum reuelatione scripta, cuius explicationem et illustrationem illa exhibuerit, propagata fuerint. Quam sententiam praeter PETRVM CVNAEVM [e] aliosque multos [f] suam fecit feliciſſimus scripturae interpres CAMPEGIVS VITRINGA [ff], et ex Britannorum gente

e) De republ. Hebr. L. VIII. c. 8. qui tamen magis in allegorica explicatione dogmatum hanc Cabbalam continuisse putat, et prophetis tantum propriam fuisse dicit.

f) Vid. quos laudat WILLIVS l. c. p. 1198.

ff) Obs. SS. L. I. p. 133. ed. Ien.

gente V. C. PETRVS ALLIXIVS [g], quorum ille hanc Cabbalam clauem illam cognitionis esse contendit, quam Pharisaeis plebi eam inuidentibus Christus apud D. LVCAM [h] tribuit. Rationes, ad quas prouocant viri eruditissimi hae potissimum sunt: Nihil obstare, quo minus existimemus, semper fuisse in gente Iudaea viros sanctos diuinorumque mysteriorum callentissimos, qui typos et ceremonias et vaticinia prophetarum aenigmatibus quasi inuoluta, in vsum simpliciorum explicarent, eruerentque, et sic clariorem mysteriorum regni Dei sensum aperirent, cum hac quoque ratione in ecclesia Christiana mysteriorum diuinorum explicatio obtineat. Cognosci id ex vatum diuinorum prophetiis, quorum posteriores prioribus in doctrina de oeconomia gratiae in nouo foedere lucem clariorem accenderint: nec credibile esse, doctores Iudaicos hac explicandi legis et vaticiniorum sensum studium laboremque post vates diuinos abiecisse, et non illustrationibus, applicationibus, collationibus lucem obscuris accendere tentauisse. Id eo magis nobis persuaderi debere, quod Iudaei sine hoc labore et explicatione sensum ceremoniarum et vaticiniorum futuram regni Messiae oeconomiam sub imaginibus V. T. symbolica ratione adumbrantium intelligere et ad Messiam reparandamque per eum salutem applicare nunquam potuissent. Nec abhorrere id a totius Orientis moribus, vt doctrinae arcaniores et sublimiores, earumque explicationes luculentiores non scripto, sed ore traderentur, a qua consuetudine Iudaeos quoque non alienos fuisse, vel ipsum Talmud demonstrare, in quo non pauca in veteri ecclesia Iudaica recepta legantur, quae in sacras literas relata non sint. Quin in argumentationibus a Christo et apostolis contra Iudaeos prolatis, quibus ad typos obscuriores et vaticiniorum sensus magis latentes passim prouocant, et eorum significationem luculentiorem recludunt, aperte deprehendi, eiusmodi explicationi orali de mysteriis regni DEI locum fuisse; si enim non obtinuisset, eas vel tanta fiducia Iudaeis non obiecturos vel vsum aliquem largiorem speraturos fuisse: at sic ex concessis eos disputare et afferre cognita principia licet scriptis non comprehensa: ideoque Pharisaeos et Scribas non ausos fuisse aduersus quasdam locorum V. T. interpretationes a Christo eiusque discipulis allatas insurgere. Conuenire quoque sapientiae diuinae hanc traditionem siue Cabbalam doctrinalem, cui placuerit gradatim mysteria regni sui pandere; eam enim ante Mosen et patria narratione et reuelatione ἀμέσως facta patriarchis mysteria haec reuelauisse, sub Mose ceremoniis legis inuoluisse, hisque clauem addidisse explicationem clariorem oralem; in vltimis vero N. T. diebus clare omnia et plenarie in scriptis Apostolorum fuisse reuelata, sic vt traditione eiusmodi orali opus non sit. Non disputabimus hoc loco, vtrum verisimiliter satis ista tradantur, et eiusmodi Cabbala oralis inter Iudaeos viguerit nec ne? alium enim locum haec requirunt, et heic quidem facile concedi possunt omnia; parum tamen ad

g) In iudicio eccles. Iud. contra Vnitarios c. II. seqq.

h) c. XI. 52.

Digitized by Google

ad praesentem quaestionem faciunt; concedunt enim viri laudati, Cabbalam Iudaeorum philosophicam, qualis ex libris Cabbalisticis nobis innotuit, et in vetustissimis libris Cabbalisticis, *Iezirah*, *Bahir*, *Sohar* continetur, ab ista traditione orali longe differre, quamuis suspicentur, quasdam pristinae veritatis scintillas sub his cineribus latere, at et paucas eas esse, et difficulter detegendas, candide rectequefatentur, probeque perspiciunt reliqua esse gentilium somniorum farraginem, totque dumetis et vepretis hunc hortum plane deformatum esse, vt pauca, quae hinc inde latent, lilia detegere nemo facile queat, praecipue quod ea, quae saniora videri possint, ex absurdo et detestabili syncretismo, cum principiis dogmatibusque gentilibus, quem passa sunt, sensum longe alium et deteriorem acceperint, et mutare vultus orthodoxos in deformem philosophiae fanaticae faciem coacta sint. Non errare itaque eos, qui Cabbalae philosophicae origines in gentilibus scholis quaerant, et natales adolescentiamque in iis temporibus inuestigent, quibus simplicitatem Mosaicae sapientiae legisque patriae fastidientes Iudaei, gentilis *μωρολογίας* desiderio capti sint, coeperintque impuras gentilium philosophorum lacunas in limpidos Israelis fontes deriuare, et noua inde sibi eruditionis vel philosphiae flumina deriuare. Quae vt plerorumque hodie virorum doctorum sententiam exprimunt, ita recte dici prouideque, ex dicendis constabit[i]. V. Etsi autem in eo consentiunt, gentili philosophiae, tanquam parenti hunc pullum deberi, de vero tamen fonte ex quo deriuanda sit philosophia Cabbalistica valde inter se dissentiunt. Quidam, et inter eos praecipue eruditissimus WACHTERVS[k] barbaricam philosophiam pro fonte Cabbalae habent; contendit enim vir laudatus, esse Cabbalam opus Rabbinorum recentium post dispersionem inter gentes ex veteri philosophia barbarica compilatum, et centonis instar congestum, id quod peculiari libro: *de natura*, *indole*, *antiquitate et origine Cabbalae*, demonstraturum se promisit, quem adhuc expectamus. Alio tamen loco[l], Cabbalam ex Pythagoricorum atque Platonicorum et Orphei quoque dogmatibus deriuat: vnde coniicimus, virum praestantissimum philosophiae barbaricae nomine intelligere philosophiam Alexandrinam, quae nomen Chaldaicae, Hermeticae, Orphicae sibi vindicauit, et dogmata pluscula ex orientali philosophia accepta suo, quod a Pythagora et Platone accepit, systemati attemperauit. Eandem quoque sententiam sequuntur B. Io. IACOBVS SYRBIVS[m] et Cel. REIMMANNVS[n]. Esse hanc opinionem verisimillimam ex dicendis abunde constabit: at incommode haec philosophia barbarica vetus dicitur, et Orphica, a qua multis modis recessit, nec alio sensu ita vocari potest, nisi quatenus philosophia Alexandrina ex Orientali

i) Conf. quos laudat WOLFIVS l. c.
k) Spinozism. in Iudaismo P. II. p. 220.
l) pag. 69.

m) Instit. phil. primae P. II. c. 2. p. 379. seqq.

n) Intr. in hist. theol. Iud. L. I. c. 15. p. 341.

tali et Aegyptiaca veteri multa accepit, et hoc nomine Chaldaicam, Zoroaſtream, Hermeticam ſapientiam crepuit. Vetuſtiſſimae enim illae gentes, vt ſuo loco demonſtratum, et ab ipſo celeberimo viro notatum *), ſyſtema dualiſticum ſequebantur, et materiam Deo adiungebant coaeuam, Cabbaliſtae relicta hac abſurditate cuncta emanationis lege, etiam materia non excepta, ex Deo deriuabant; edocti ita ab iis, qui Zoroaſtris emendationem veteris ſyſtematis Magici miris commentis adulterauerant, et cum placitis Pythagorico-Platonicis, euerſo genuino eorum ſenſu, coniunxerant. Paulo aliter RICHARDVS SIMONIVS **), qui Chaldaeos ſomniorum iſtorum auctores eſſe pronuntiat, ea potiſſimum ratione ductus, quod Pythagoras atque Plato ex iisdem fontibus hauſerint, eorum vero ſcripta valde hac in parte cum Cabbaliſtis conueniant, figmentorum allegoricorum plena, et ingenioſis de numeris et literis alphabeti ſubtilitatibus referta. Eadem alio loco *) repetit, et exegeſin Cabbaliſticam a Platonicis et Pythagoreis deriuat. Fallitur autem Simonius, falſa perſuaſione ſeductus, Pythagoram ſua ex Chaldaicis accepiſſe, et libris ſuppoſititiis fidem incaute adhibens, quibus recentiorum Platonicorum nugae Chaldaicis originibus tribuuntur. Addi his merito poteſt, nimis antiquam facere hanc opinionem philoſophiam Cabbaliſticam, nec videri veriſimile, in captiuitate Babylonica, viuentibus adhuc et populum doctrina regentibus prophetis immediate a Deo inſpiratis, eum ad gentilia iſta placita deflexiſſe, praecipue cum eo nomine a vatibus diuinis non reprehenſi legantur, odium quoque et auerſatio Iudaeorum erga gentes peregrinas ſumma fuerit: nec credi etiam queat, Chaldaeos Perſasque arcana ſua dogmata tantopere cuſtodita Iudaeis, inuiſo hominum generi, tradidiſſe. Quibus ſi addatur: Chaldaica dogmata, qualia ſuo loco delineauimus, eſſe ſyſtemati emanatiuo contraria, quod tamen ſequitur Cabbala philoſophica, parum praeſidii in iſta opinione eſſe facile intelligi poteſt. Iuniorem itaque alii Cabbalae originem faciunt, et ab iis temporibus deriuant, quibus in Aegypto, deſerta Moſaicae doctrinae ſimplicitate; gens Iudaea coeperit ſitire lacunas eruditionis Graecanicae, et moribus victorum et imperantium ſe accommodans, patriam diſciplinam illius regionis doctrinae, in qua habitauit, attemperauerit. Idque in Aegypto maxime factum eſſe contendunt, qua in regione methodum allegoricam hieroglyphicam et arcanam occaſionem dare potuiſſe ſuſpicantur. Qua in ſententia mire ſe confirmatos ſentiunt, quod inter Cabbalam Iudaeorum philoſophicam et philoſophiam Platonicam atque Pythagoricam, qualis Ptolemaeorum ſub imperio in Aegypto caput extulit, magnam videant conuenientiam, nec ipſi Moro, Knorrioque *) aliisque negatam, qui pro diuina Cabbalae origine certant, eo quod Pythagoram et Platonem ſua ab Hebraeis accepiſſe, et proprii ingenii commentis demum corrupiſſe ſibi, licet falſo, perſuadeant.

*) Elucidar. Cabbaliſt. c. III. §. 6. p. 30.

**) Hiſt. crit. V. T. L. I. c. 7. p. 44.

*) L. I. l. c. 6. p. 17.

*) Vid. Cabbal. denud. T. I. P. II. p. 78. ſeq. p. 182. ſeq.

Digitized by Google

deant. Aegyptiacae itaque philoſophiae prolem Cabbaliſticam eſſe ſtatuunt. Quam opinionem eleganter ornauit vir celeberrimus, VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS[e], qui vbi de Iudaeis Helleniſtis dixiſſet, haec addit: *Inter hos Aegyptii excellebant, diſperſorum ſane principes: hi, eorumque imitatione ducti reliqui, adamare coeperunt Graecam philoſophiam maxime Pythagoricam et Platonicam ad eiusque genium theologiam ſuam et SS. literarum interpretationem applicarunt, vt relicta ſimplici et puriori doctrina, noua inauditaque myſteria, quae Platonem ſapiebant, in iisdem quaererent, et ſicubi id non feliciter ſatis cederet, tradita maiorum ſuorum vel augebant vel inuertebant, vel male applicabant: quae vera eſt origo Cabbalae, quam realem vocant, traditionem a Moſe vſque acceptam mentientes. Sane Aegyptiis Iudaeis eius natales debentur, a quibus partim ad Palaeſtinae incolas, partim ad primos Chriſtianorum haereticos peruenit.* Maximam partem vere haec dici et veriſimiliter ex dicendis conſtabit. Eandem ſententiam ſecuti ſunt Io. MICHAEL LANGIVS[f], IACOBVS BASNAGIVS[g], quin ipſe quoque CAMPEGIVS VITRINGA[ff]: quibus addi poſſunt omnes, qui concordiam philoſophiae Platonico-Pythagoricae cum Cabbaliſtica confeſſi ſunt. Tandem illuſtris MOSHEMIVS[h], rectiſſime obſeruans: *Ex ipſis noui foederis tabulis apparere, arcanam Iudaeorum ſcientiam, quam Cabbalam nominant, omnesque eius partes iam tum in hoc populo valde fuiſſe adamatas, neque rudes fuiſſe dogmatum Graecorum, verum a temporibus Alexandri M. multa ex iis adſciuiſſe, immo in ipſam religionem transtuliſſe; ex Chaldaeorum quoque, inter quos diu vixerint, ex Aegyptiorum, Syrorum aliorumque finitimorum populorum inſtitutis et opinionibus haud pauca fuiſſe ad eos deriuata, quae maiores eorum neſciuerint;* addit his: *Hebraeorum diſciplinam, quam Cabbalam vocant, valde affinem eſſe diſciplinae Orientali, circa initia ciuitatis Chriſtianae emergenti, aut potius hanc ipſam diſciplinam eſſe ad religionis Iudaicae indolem accommodatam, et veritatis parte quadam temperatam. Videriquè ſibi Iudaeos ex Chaldaea et Babylone redeuntes hanc philoſophandi formam una cum aliis Orientalium populorum fabulis ſecum aſportaſſe, atque ita ſenſim inſtruxiſſe, et limaſſe, ne nimis a lege Moſis abhorrere videretur.* Quae prorſus egregia et proxime vero dici ex ſequentibus patebit, quamuis fatendum ſit, non videri veriſimile, Iudaeos ex Chaldaea et Babylonica captiuitate hanc philoſophiam attuliſſe, cum nec in ſacrorum, qui tum et poſt reditum viuebant, vatum ſcriptis veſtigium vllum appareat, viros hos diuinos naſcenti malo ſe oppoſuiſſe, et impuritatem hanc gentilem in puriora dogmata illatam, conſpurcatamque eccleſiae DEI faciem reprehendiſſe, quod

e) Comm. de cauſſis linguae Hebraeae p. 74.
f) Diſſ. de charactere primaeuo bibliorum Hebraicorum p. 66.
g) Hiſt. Iud. L. III. c. 19.
ff) De Synagoga veteri L. III. P. I. cap. 5. pag. 675.
h) Hiſt. Chriſt. inſt. mai. Sec. II. c. I. §. 13. pag. 148.

non omiſſuri fuiſſent, ſi iam tum iſta corruptio doctrinae patriae inualuiſſet: nec philoſophiae iſtius orientalis aetas ad iſta tempora referri poſſe videatur, quam ex Zoroaſtrea veteris ſyſtematis Magici emendatione, quae vix anteceſſit tempora captiuitatis Iudaeorum, exortam fuiſſe, eamque nouis *φιλοσοφουμένοις* mutaſſe et auxiſſe, ex dictis *libro ſuperiore* conſtat. Et hae quidem potiores virorum doctiſſimorum de originibus philoſophiae Cabbaliſticae coniecturae ſunt; de quarum pondere et veriſimilitudine ita iudicabunt plerique, prout de Cabbala ſibi notionem fingunt, aut bene, maleue erga illam affecti ſunt. VI. Nos in tanto virorum eruditione et iudicii acumine illuſtrium diſſenſu arbitri nobis partes, reculatum et ſupellectilis noſtrae memores, non ſumimus: licebit tamen ſcopo noſtro obſequi, et quod inſtitutum noſtrum poſcit, luculenter explicare, quae vero propiora et tantum non certa eſſe nobis videantur, licet ingenue fateamur, eam eſſe quaeſtionis huius difficultatem et obſcuritatem, vt ſine omni oppoſiti formidine nihil omni exceptione maius definiri queat, ſufficereque putemus, ſi veriſimilitudinis gradus ita inſtruamus, vt magna ſe probabilitate detectae origines commendare queant. Aliter enim haec ſacra non conſtant, nec in inueſtigatione originum obſcurarum, quae coniectando tantum detegi poſſunt, certiſſima et nullis dubiis expoſita dari poſſunt. Non vero hic ſolis coniecturis indulgendum, ſed hiſtoriae Iudaicae filum ſequendum eſſe exiſtimamus, ſine quo facile in impedito itinere, in quo opinionum varietas et diuortia multos nobis labyrinthos conſtruxerunt, errare, et exitum non inuenire quis poteſt. Hoc vero duce inſtructi notamus α. methodum arcanam inter omnes fere gentes, et Graecas et barbaras, maxime vero, quae Orientis regiones inhabitarunt, receptam apud Hebraeos quoque, et ab his traductam ad poſteros eorum Iudaeos, in vſu fuiſſe. Non ignotum id eſſe poteſt illis, qui hiſtoriam philoſophicam a mundi incunabilis ad Chriſti nati tempora deductam attento perluſtrauerunt oculo. Cum vero inter Orientis nationes gens Iudaica non ignobilem locum occupauerit, merito inde concludi poteſt, diſciplinam arcani apud eos quoque inualuiſſe. Id quo ipſum Cabbalae nomen innuit, quod eiusmodi ſecretam myſteriorum arcanorum traditionem oralem, receptionem innuit, et doctrinae in vulgus ſparſae omnibusque praedicatae opponitur. Multa notatu digna de hac diſciplina arcani inter Iudaeos attulit, cauſſasque eius non ſine ingenio enarrauit praeſtantiſſimus WACHTERVS *), qui legendus eſt, at non ſine examine, ab illis, qui haec accuratius noſſe cupiunt. Nos ſupplementi loco hic notamus, multa eaque luculenta loca in ſcriptoribus Iudaeorum deprehendi, ex quibus demonſtrari queat, eiusmodi diſciplinam arcani inter Iudaeos obtinuiſſe. Collegit ea remque docte confecit IONAS DANIEL SCHRAM-

*) Elucidar. Cabbaliſt. c. II. p. 19. ſeqq.

Digitized by Google

SCHRAMMIVS [v], quocum conferendus CARPZOVIVS [w]. Nos breuitatis cauſſa praetermiſſis teſtimoniis Talmudicis, inter quae locus Miſchnicus in tr. *Chagiga* [x] notatu dignus eſt, ad vnum Cabbaliſtici ſcriptoris Iochaidis, vel diſcipuli alicuius ex eius ſchola prouocamus, qui in *Idra Rabba* [y], qui eſt ex tractatibus Soharicis ita: *R. Schimeon exorſus dixit: Qui ambulat vt circumforaneus, reuelat ſecretum; ſed fidelis ſpiritu operit verbum: Ambulans vt circumforaneus: hoc dictum quaeſtionem meretur, quia dicitur circumforaneus, quare ambulans, nisi circumforaneus dicendus erat, quid eſt ambulans? Verum enim vero in illo, qui non eſt ſedatus in ſpiritu ſuo, nec verax, verbum quod audiuit, huc illuc mouetur, ſicut ſpina in aqua, donec illuc foras expellat. Quamobrem? quia ſpiritus eius non eſt ſtabilis.* Haec dictis ſcripturae porro roborat, et tum ſubiicit: *Nec enim mundus in ſtabilitate manet, niſi per ſecretum, et ſi circa negotia mundana opus eſt ſecreto, quanto magis in negotiis ſecretorum ſecretiſſimorum et conſideratione ſenis dierum, quae ne quidem tradita ſunt angelis.* Tumque hoc epiphonemate claudit: *coelis non dicam, vt auſcultent; terrae non dicam, vt audiat; certe enim nos columnae mundorum ſumus.* Haec Schimeon Iochaides, quem iureiurando ad hoc ſilentium obligaſſe diſcipulos in antecedentibus dicitur. Nec obiiciat hic quis, librum hunc Soharicum ſubleſtae eſſe fidei, nec ad antiqua Iudaeorum tempora veteresque conſuetudines pertinere. Hoc enim, etiamſi de forma libri forte concedendum ſit, eius tamen materiam antiquam ſatis eſſe, et ad eam de quibus loquitur aetatem pertinere, ex ſupra dictis conſtat: at conceſſa etiam libri nouitate nihil ille affert, quod non indubitatis veterum teſtimoniis ſciamus, apud Iudaeos ante vrbis deuaſtationem et ſtante adhuc templo ſecundo obtinuiſſe. Id IOSEPHVM [z] legenti dubium eſſe non poteſt, qui non tantum in Iudaicae hiſtoriae initio ad id prouocat, ſed et inter Eſſenos obtinuiſſe ſacerrimum ſilentium, eiusque neglectum poena diuinitus immiſſa vindicatum fuiſſe tradit, id quod Porphyrius quoque apud EVSEBIVM [a] confirmat. Nec dubitamus, inter Iſraëlitas quoque eiusmodi diſciplinam arcani obtinuiſſe, cum ratio alias myſticarum explicationum, ceremoniarum et rituum a Deo praeſcriptarum, quas in epiſtola ad Hebraeos affert ſcriptor *θεόπνευστος*, quasque notas inter Iudaeos fuiſſe ipſa argumentandi ratio a diuino auctore adhi-

v) D. ſſ. de myſteriis Iudaeorum philoſophicis, et in introd. in dialect. Cabb. c. II.

w) Introd. in theol. Iud. c. VI. §. 8.

x) c. 2. Dabimus notabilem locum integrum ex verſione CHRISTIANI LVDOVICI, qui hunc tr. cum comm. BARTENORAE Latinum dedit, diſſ. II. „Non ediſſerunt de nudicatibus „(i. e. coniunctione maritali et conſanguinitatis „gradibus) cum tribus, neque de opere Bere„ſchith (de creatione ſiue rebus phyſicis) cum „duobus neque de Mercauah (ſcientiis ſublimio„ribus et Cabbaliſticis Ezechielis ſymbolis adum„bratis) coram vno." Quod RAMBAM explicet de rebus phyſicis et metaphyſicis, BARTENORA poſterius recte de nominibus diuinis angelisque, i. e. doctrina Cabbaliſtica de iſtis.

y) §. 16. Cabb. denud. T. II. p. 389. 390.

z) Prooem. hiſt. Iud. p. 2.

a) Praepar. L. IX. c. 3.

bita euincit, ratio dari nulla queat. Vt taceamus methodum ſymbolicam et emblematicam ab ipſo Seruatore facto auditorum diſcrimine vſurpatam [b]. β. Quamuis autem dubitandum non ſit, arcanam hanc methodum inter Iudaeos mature obtinuiſſe, impoſſibile tamen eſt, tum de eius vero modo, tum de dogmatibus, quae illa tegebantur et ſelectis auditoribus tradebantur, diſſerere, et certi quid tradere, quamuis certiſſimum ſit, nihil ea dogmata comprehendiſſe, quod reuelatae in ſacris literis doctrinae vllo modo eſſet contrarium, nec alia potuiſſe exhibere myſteria ad ſalutem neceſſaria, quam quae publicis ſcriptis eſſent conſignata. Non ſine veriſimilitudine tamen coniici poteſt, exhibuiſſe hanc ſecretiorem docendi methodum luculentiorem explicationem myſteriorum foederis gratiae, occultius ob *σκληροκαρδίαν* gentis terrenae tantum felicitati inhiantis propoſitorum, et tum ceremoniarum velo obductorum, tum vaticiniorum emblematibus et aenigmatibus expreſſorum, eaque illis, queis de meliore luto finxit praecordia Titan fuiſſe luce clariore explicata, ſicque arcanas rationes regni diuini demonſtratas, quas in nouo foedere luculentiſſimis nobis commentariis explicuit diuinus ſpiritus: nec dubitamus hoc cum celeberrimis quibusdam theologis Cabbalam vocare, eo quod traditionem doctrinalem communicatam cum Iudaeis orali docendi modo exhibuerit. γ. Hanc vero Cabbalam, id eſt traditionem doctrinalem puram quidem legique ſcriptae conformem ſeruatam fuiſſe, quamdiu vates diuini doctrinae cuſtodes fuerint, dubium non eſt; aſt ceſſante prophetiae dono cum ingenio humano patentior aperiretur, campus maiori licentia in propriorum commentorum campos exſpatiandi, valde eam fuiſſe corruptam, et in otioſas et deliras operis ſupererogatorii quaeſtiones et aſſertiones degeneraſſe, ea, quae ſupra de traditionum non ſcripturarum inter Iudaeos origine diximus, luculenter probant. Quae etſi humanae inuentioni debebantur, magnam tamen auctoritatem traditionis titulo nomineque nactae ſunt, eo quod huius nominis et docendi modi diu iam recepti, nunc vero ſurrogatis tricis humanis corrupti magna a longo tempore fuiſſet exiſtimatio. Et ita quidem Cabbalae, ſiue traditionis, quae doctrinas haud vulgares tradit, venerationem in genere ortam eſſe, minime dubitandum eſt. Quamuis autem haec Cabbala alius prorſus naturae indolisque fuerit, ſiue antiquam illam doctrinalem, ſiue poſt hanc ortam illam ritualem intelligas, quam Cabbala philoſophica, de cuius originibus in praeſentia diſpicimus, non negligenda tamen eſt haec obſeruatio, eo quod occaſionem oſtendat, quomodo, ſemel recepta inter Iudaeos hoc docendi modo ſecretiori et traditiuo facile fuerit, ſub venerabili nomine, peregrina dogmata Moſi veterique eccleſiae Iſraëliticae ſupponere. δ. Sed vt propius ad rem ipſam,

b) Conf. Cel. PFAFFIVS primit. Tubing. p. 149. ſcriptoresque de diſciplina arcani laudati FABRICIO Bibl. Graec. Vol. II. p. 176, et bibliograph. antiq. p. 622. conf. Cabb. denud. T. II. praefat. p. 19.

Digitized by Google

ipſam, dimiſſa occaſione, accedamus, illud de origine Cabbaliſticae philoſophiae tanquam indubitatum ſupponimus, inter Iudaeos Palaeſtinae incolas eam non eſſe quaerendam. Quaecunque enim de traditionibus in Iudaea obtinentibus ante conſtitutam Eſſenorum ſectam veteres referunt, ea omnia ad legis explicationes, ceremonias, iura, ſtatuta et conſtitutiones ſapientum inter Iudaeos pertinent, vt ex ſupra prolixe enarratis eſt manifeſtiſſimum. Quae ſi memoria recolimus, patebit Cabbalae philoſophicae veſtigia tum primum in Palaeſtina apparuiſſe, cum Eſſenorum ſecta Syrorum et Aegyptiorum mores imitata et ab his dogmata et inſtituta mutuans ſectam quandam philoſophicam conſtituiſſet. Inter eos enim et arcanam methodum, & dogmata quaedam philoſophica ſublimiora, a lege aliena obtinuiſſe, ex Ioſephi et Philonis teſtimoniis conſtat, quorum hic *) diſerte *philoſophari eos* ait *de Dei exiſtentia et generatione mundi et in morali argumento ſe exercere domeſticis vſos principiis, quae ſine peculiari numinis afflatu non queant percipi; diſcere vero eos haec myſteria ex ore ſenioris alicuius obſcuriora explicantis*, τὰ γὰρ πλεῖστα διὰ συμβόλων ἀρχαιοτρέπῳ ζηλώσει παρ' αὐτοῖς φιλοσοφεῖσθαι, *pleraque enim methodo antiquiſſima ſub ſymbolis et allegoriis ab eis philoſophice expendi.* Quae ſi cum illis comparentur, quae de theoreticis ſiue Therapeutis diſputat, et conſulantur ea, quae ſupra de ſectae Eſſenae origine diſſeruimus, luculenter patebit, Cabbalam hanc philoſophicam ſiue arcanam doctrinam, inter Eſſenos certo modo obtinuiſſe. Et haec quidem antiquiſſima et prima eius veſtigia inter Iudaeos Palaeſtinae incolas ſunt, ſi hiſtoriam ducem ſequamur; qua narrante non niſi Hyrcani regis et filiorum eius tempore fugatis et diſperſis Phariſaeis traditionariis, et Simeone Schetachide Alexandriam delato, reuerſoque rebusque Phariſaeorum mutatis, per illum ex Aegypto nouum traditionis genus ceteris Iudaeis innotuit. Ab Eſſenis enim illud diſcere non licebat, qui neminem extraneum ad haec myſteria admittebant. Ex his vero, quae rerum Iudaicarum ſeries et annales confirmant, manifeſtum eſſe putamus, falli eos, qui ex Chaldaea atque Babylonia Iudaeos Cabbalam illam philoſophicam attuliſſe coniiciunt. Hoc enim ſi ita euenisſet, non demum ab Eſſenis ea in Palaeſtinam fuiſſet introducta, nec Schetachides eam ex Aegypto attuliſſet. *e.* At hae ipſae Cabbalae philoſophicae inter Iudaeae incolas origines ad veram nos eius patriam deducunt, quae non alia eſſe potuit, quam Aegyptus, quam Eſſenae quoque familiae inſtituti ſui initia formamque ſuppeditaſſe, ſupra fecimus veriſimile. Hic vero paucis ea repetenda ſunt, quae *capite huius libri primo* de rebus Iudaeorum in Aegypto habitantium philoſophicis diximus. Nempe in illa regione Iudaeos a Cambyſis et poſtea Alexandri M. tempore conſediſſe, et ſub Ptolemaeo Lagide et Philadelpho deductis coloniis nationem eam ſe ibi dilatauiſſe, mori-

*) Quod omnis probus ſit liber p. 877.

moribus etiam Aegyptiorum Graecorumque se attemperauisse, et vt seculi sui indolem, et inualescentem eruditionis theologicae consuetudinem imitarentur, duce praecipue Aristobulo allegoricam legem explicandi illique aliena dogmata affricandi methodum introduxisse, eo loco adductis veterum testimoniis probauimus. Non erramus itaque, si Aegyptum patriam fuisse Cabbalae philosophicae dicamus, et ab eo tempore eius origines repetamus, quo ope allegoricae methodi, in his terris a cana vetustate vsque receptae, philosophia Aegyptiaca inter Iudaeos recipi et venerabili traditionis nomine, quod patriorum dogmatum communicationem et reuelationem oralem hactenus indicauerat, coli coepit, quod Ptolemaeorum tempore factum esse ex supra enarratis constat. 5. Philosophia Aegyptiaca vero qualis eo tempore fuerit, accurate, nisi fallimur, in *fine Tomi primi* docuimus, quae hic omnino repetenda sunt. Nempe, totam fere periisse veterem theologiam et philosophiam Hermeticam, incursionibus tot populorum vastata regione et sub peregrinos dominos ire iussa, ad quorum nutus et rationes sacerdotes se composuerint, facile ea mutantes, quae cerae instar ope hieroglyphicae methodi omnes figuras admittebant, eo loco ostendimus. Id factum quoque esse, cum Cambyses cum exercitu Aegyptum depopularetur, tumque remansisse Persicae doctrinae reliquias aliquas verisimile est. Monuimus porro post deuictos Persas superatamque Aegyptum Alexandrum M. excitata regni sede Alexandriae, omnium terrarum colonos eo attraxisse, sicque omnium fere religionum cultum et dogmata inualescere in Aegypto coepisse: maxime vero Graecanicam philosophiam et eruditionem in victoris gratiam valde fuisse Aegyptiis acceptam, hocque philosophiae et theologiae excolendae studium sub Ptolemaeo Lagide et Philadelpho mira incrementa cepisse; tumque praeter Peripateticam philosophiam regibus gratam Pythagorico-Platonicam eo magis se Aegyptiis, populo superstitioni et religionibus vehementer dedito, commendauisse, quo magis tum ab Hermete et Aegyptiis acceptam esse, tum accuratiori modo de diuinis differere eius assectae gloriabantur. Neque tamen Pythagorae et Platonis placita integra seruauisse Aegyptios, sed cum miro impetu in quendam religionum syncretismum ruerent, philosophi autem Orientales, qui caput attollere coeperant, frequenter Alexandriam adirent, eo quod celeberrima Musarum sedes esset, Alexandrini quoque philosophi aliquandiu in Asia consedissent, factum esse, vt quae Pythagorae et Platonis disciplina dicebatur, magnam mutationem pateretur. Et in naturalibus quidem propius presisse eorum vestigia constat. At in diuinis siue theologicis longe ab eorum, placitis Alexandrinos philosophos recessisse, luculentis exemplis confecimus [d]. Nempe reiecto systemate dualistico, emanatiuum ex philosophia Orientali recipiebant, hincque emanationum diuinarum varios ordines, genera

d) Conferendus IAMBLICHVS de mysteriis Aegyptiorum, ex quo facies integra recentioris theologiae Aegyptiacae patebit.

Digitized by Google

genera atque classes, vsque ad res visibiles et materiam constituebant; adeoque pleraque, quae Orientalis philosophia de Deo et virtutibus diuinis substantialibus praeceperat, recipiebant. Cui theologiae eo magis manus dabant, quo magis syncretismo, quem mire Aegyptii fouebant, portam aperiebat patentissimam, hocque cum doctrina sua de Deo omnia, religionum genera certo modo poterant in vnum confundi, vt Iudaicae atque Christianae exemplum in haereticis quibusdam luculenter demonstrat. Ita quidem desertis Platonis assertis, multa ex Orientalibus Zoroastreae theologiae reliquiis assumta, ea vero docendi modo Pythagorico-Platonica adaptata, et cum eius philosophiae praeceptis in concordiam ire mira confusione iussa sunt, donec Ammonius et sequaces, certos systematis limites constituerent, et ad Platonicos vultus paulo propius reformarent. Quae omnia cum suo loco, quantum veterum in his rebus negligentia et obscuritas patiebatur, rationibus et testimoniis roborauerimus, plura his addere opus haud est. §. Iudaeos vero huic philosophandi generi in Aegypto locum feciſſe, *capite huius libri primo* ex instituto ostendimus, discique vel ex vno Therapeutarum et Philonis exemplo potest. Id quod eo facilius fieri potuit, quo magis illud theologiae Pythagorico-Platonicae temperamentum, quod Orientalis philosophia offerebat, et syncretismum omnium religionum permittebat, aptum erat, illi se formae attemperare, quam de Deo diuinisque exhibebat doctrina Mosaica, et allegoricae methodi, Aegyptiacis philosophis solennis, machinis cuncta ex voto torqueri poterant. Cuius exemplum luculentissimum cum scripta Philonis exhibeant, lector ad ea dimittendus est, vt inde rei huius veritatem discat confirmatam. Quoniam autem superbia gentis magno supercilio alios populos contemnentis eiusmodi syncretismum natura sua non admittere videbatur, ad artes Aegyptiacis sacerdotibus et philosophis solennes illi ex Iudaeis confugiebant, qui in scholis philosophorum Pythagorico-Platonicorum erant educati: nempe cum tota Aegyptiorum natio nihil sacrum et diuinum haberet, quod non hieroglyphico, vel potius, qui ex illo enatus erat allegorico et symbolico modo esset traditum, haec docendi methodus ab Aristobulo aliisque, maxime vero a Therapeutarum familiae conditoribus in hunc vsum adhibitus est, qua facile postea fuit quadrata miscere rotundis, et quod Aegyptii toties in vniendis peregrinis religionibus et placitis cum suis fecerunt, dogmata in infinitum distantia inter se conciliare, vel corrumpere potius domestica atque adulterare, sicque Mosaicae doctrinae sensus eos affingere, quos suggerebat philosophia Aegyptiaca. Et vt eo promtius recens philosophiae genus absque nouitatis inuidia reciperetur, traditionis nomine, quod venerabile inter Iudaeos fuit, vt supra dictum, abortus hic philosophicus pictus ornatusque, sicque veneratio Mosaicae traditioni debita nouae philosophiae conciliata est. Id Therapeutarum exemplo luculenter com-

comprobari poteſt, quos praecipue hanc Cabbaliſticam philoſphiam recepiſſe atque excoluiſſe ex PHILONE conſtat [c]. Ait enim ille: *ἐγτυγχάνοντες τοῖς ἱερωτάτοις γεάμμασιν Φιλοσοφῶσι τὴν πάτριον Φιλοσοφίαν, ἀλληγορῶντες, ἐπιδὴ σύμβολα τὰ τῆς ἑητῆς ἑρμηνείας νομίζουσι Φύσεως ἀποκεκρυμμένης ἐν ὑποπτοίαις δηλημένης· ἔσι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγεάμματα παλαιῶν ἀνδρῶν οἱ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορεμένοις ἰδέας ἀπέλιπον, οἷς κατάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι μιμῆνται τῆς περαιρέσεως τὸν τρόπον.* Quae verba non ſatis commode expreſſit interpres Latinus GELENIVS, adeoque Graeca ipſe inſpicienda ſunt, quae manifeſte docent, eam philoſophiam fanaticam, quam iſta ſecta recepit, allegoricis explicationibus ad patrias traditiones fuiſſe pertractam. Quod paulo infra magis luculenter Philo prodit referens, ſtatuere hos viros: *Totam legem habere animalis ſimilitudinem, quod praecepta corpus referant, animam vero ſententiae retruſiores ſub velamine verborum abditae, in quibus rationalis anima egregie ſe ipſam contempletur tanquam in ſpeculo, ſub his ipſis verbis miram ſententiarum pulchritudinem conſpiciens, et explicans e figurarum inuolucris, atque ita penitiorem intellectum in lucem producens duntaxat apud eos, qui per occaſionem admoniti ſciunt obſcura ex apertis colligere.* Et hanc quidem veram originem Cabbaliſticae philoſophiae fuiſſe allatae rationes ſatis euincunt, quae comparatione dogmatum philoſophiae Orientalis, Aegyptiacae et Cabbaliſticae, quam infra inſtituemus, mire poſſunt confirmari oſtendique, quam arcte haec tria philoſophiae ſublimioris ſiue theologiae genera cohaereant concordentque. η. Ita vero facile quoque inter ſe conciliari poſſunt virorum doctorum de Cabbalae originibus ſententiae. Nam nec illi plane reiiciendi ſunt, qui philoſophiam barbaricam huc aduocant, cum non aliam intelligant, quam quae Zoroaſtris, Hermetis, Orphei, Pythagorae et ſimilium doctrinam mentita Alexandriae enata fuit. Aſt de ea quoque intelligendi ſunt, qui philoſophiam Platonico-Pythagoricam parentem philoſophiae Cabbaliſticae ſtatuunt: non enim genuina illa ſed ſyncretiſtica et ab Orientali multum adulterata huc referenda eſt, quam diſtinctionis cauſſa Alexandrinam diximus, et poſtea in Aegypto in Ammonii Plotinique ſchola in certam ſyſtematis formam coaluit, et a Iamblicho Aegyptiacae philoſophiae nomine commendata eſt. Rectiſſime vero inſtituit Cel. Moshemius, qui philoſophiam Orientalem huc adducit; ea enim theologiae Alexandrinae potiora dogmata ſubminiſtrauit, quae in Cabbalae ſyſtema fluxere: at attemperata placitis Pythagorico-Platonicis, cuius luculenta veſtigia in Cabbala deprehenduntur, intelligenda eſt, qualem ipſe quoque Philo eſt ſecutus. θ. Ex Aegyto hanc philoſophiam Iudaicam in Palaeſtinam partim per Eſſenos, partim per Simeonem Schetachidem peruenisſe, allata ſupra veterum teſtimonia nos dubitare non ſinunt, nec iis, quae abunde ſatis dicta ſunt, aliquid adiiciendum eſt, niſi hoc vnum, ipſos traditiona-

[c] pag. 895.

by Google

tionarios, dum a Simeone hoc introductam inter Iudaeos traditionem arcaniorem, plerisque ignotam ſtatuunt, innuere, hoc non de traditione rituali, ſed philoſophica intelligendum eſſe, eo quod traditionis alterius et vulgaris notitia diu iam in Iudaea viguerit, nec ex Aegypto aduehi potuerit, vbi eam hac quidem ratione obtinuiſſe non legimus. 4. Poſt templi euerſionem vero vrbisque et Iudaeae regionis deſolationem cum multi Iudaei in Aegyptum ad fratres ſuos Helleniſtas confugiſſent, et pacatis pauliſper rebus in patriam terram rediiſſent, ſedes autem eruditionis Iudaicae in Aegypto eſſet, ex qua viri docti in nouas ſcholas in Palaeſtina erectas conceſſerunt, mirum non eſt, inter earum moderatores inuentos fuiſſe, qui arcanam hanc philoſophiam mordicus tenerent, quales Akibham et Iochaidem fuiſſe ſupra oſtendimus. Quo magis autem reuelationis ſcriptae auctoritatem ſuppreſſit traditionis veneratio, eo magis arcanae quoque traditionis myſteria exculta ſunt; hoc tantum diſcrimine, vt, cum illa omnibus pateret, haec pauciſſimis tantum ſelectisque diſcipulis patefierent, ex quo fonte cauſſam ſupra deriuauimus, cur vetuſtiſſimorum Cabbaliſtarum in hiſtoria Iudaeorum literaria tam manca ſit notitia. Nam hoc poſtulabat et arcani diſciplina, et doctrinae a Moſaicis valde abeuntes, quas aperire ἀμυήτοις periculoſum videbatur. 5. Tandem hoc quoque notandum eſt, irrepſiſſe in philoſophiam Cabbaliſticam praeter Orientalia et Aegyptiaca atque Pythagorico-Platonica placita, etiam Peripatetica quaedam. Mature id factum eſſe, et adhuc ſtante templo, viſum eſt viro ſummo HENRICO MORO [f], qui in *epiſtola ad Knorrium* ita de hac re: *Sunt qui contendunt, etiam ab Antiochi temporibus philoſophorum ſcholis et certe Ariſtotelis praeter ceteros Iudaeam corruptam fuiſſe. Quo minus mirari debemus, Ionathanem F. Vriel ſectam Ariſtotelicam ſapere in ſua paraphraſi in viſionem Ezechielis, qui tamen multis annis vixit ante vrbis excidium. Nam rotas ille coelos Ariſtotelicos eſſe euincit, et in illius opinionis gratiam; et ecce vna in terra; interpretatur dicam, an peruertit ad hunc modum; ſphaera vna poſita erat ſub altitudine coeli. Quod ipſe* MAIMONIDES [g] *etiam notauit. Vides quam mature corrupta ſit Cabbala philoſophica apud Iudaeos etiam aliquot annis ante Chriſtum natum, immo multis, ſi calculum ineas ab Antiocho. Quam quidem ob cauſſam ſerio conſiderandum eſt, annon certiora veteris philoſophiae Iudaicae veſtigia inuenienda ſint apud Pythagoreos, quam apud ipſos Iudaeos, cum Pythagoras edoctus ſit arcana philoſophiae Cabbaliſticae quadringentis aut quingentis annis ante modo memoratam corruptionem.* Addit eius rei exemplum in ſequentibus ex libro *Iezirah*, omnium antiquiſſimo inter Iudaeos habito, *in quo praeter nugas aſtrologicas hypotheſis Ariſtotelica ſupponatur. Nam non ſolum*

f) Cabb. denud. T. I. P. II. p. 181. ſeqq. g) Mor. nebhoch. L. III. c. 4.

orbium ſignorumque coeleſtium ibi fieri mentionem, ſed dici etiam g *vocari intelligentiam perpetuam eo quod ducat motum ſolis et lunae iuxta conſtitutionem eorum, vtrumque in orbe ſibi conueniente; ad quae R Abraham Ben Dior; ducit ſolem et lunam illa intelligentia et reliquas ſtellas et figuras, vnumquodque in orbe ſuo, et impertit omnibus creaturis iuxta diſpoſitionem eorum ad ſigna coeleſtia et figuras coeleſtes.* Monet porro Morus: *In Tykkunin Zohar plane aſſeri hypotheſin Ariſtotelicam, affirmando mundum fabricae, mundum eſſe ſphaerarum ſeu orbium coeleſtium et omnia, quae in eo ſunt, vsque ad centrum terrae: denique in Emeck Hammelech haec occurrere: infimum circuli et ſphaerae huius ſplendoris eſt Aſiah ſpiritualis et corporea, in cuius medio iam nos ſubſiſtimus, nempe in terra, quae vocatur* ארבל, *i. e. terra habitabilis, Haec certe manifeſta eſſe indicia, Iudaeos phyſicae ſuae Cabbalae partem quidem potiſſimam iam tum perdidiſſe, et in illius locum hypotheſin Ariſtotelicam aſſumſiſſe, ſphaerasque decem Ariſtotelicas ſuas Sephiroth Aſialiticas eſſe, ratos ad eam menſuram reliquas excogitaſſe.* Hactenus Morus, in cuius tamen verbis accurationem merito deſideres. Nam vbi etiam concedimus, hanc eſſe mentem locorum iſtorum Cabbaliſticorum, quam illis tribuit, et ea Ariſtotelicas hypotheſes inferre, nihil tamen inde ſequitur, quam aut libros hos a manu audaci interpolationem alienorum dogmatum paſſos aut plane recentiori aetate confectos eſſe. Immo ſi ab iis auctoribus ſcriptos eſſe concedimus, quibus Iudaei tribuunt, nec adulterina dogmata irrepſiſſe ſtatuimus, nihil aliud inde euincitur, quam poſt natum Seruatorem Sec. I vel II Ariſtotelica quaedam inter Cabbaliſtica irrepſiſſe. At ſine neceſſitate ſupponit vir acutiſſimus hypotheſin de orbibus coeleſtibus in quorum ſupremo ſumma cauſſa reſideat, eſſe mere Ariſtotelicam. Nam Pythagoricam eſſe, et ab Ariſtotele a Pythagora aliisque mathematicis antiquioribus mutuum acceptam diſcere potuiſſet ex Anonymi vita Pythagorae apud PHOTIVM [h], qui ea de re luculentus eſt. Nec haec Pythagoricis et Cabbaliſticis placitis repugnant, quae emanationes ſephiroticas radios ſuos emittere non tantum in mundum Aziluthicum ſed et Aſiahticum atque viſibilem, adeoque orbes coeleſtes animare ſtatuebant: id quod in Alexandrinis Platonicorum ſcholis quoque perſonaſſe vel ex ſolo Plotino diſci poteſt. Neque tamen perfracte negauerimus, Ariſtotelica quaedam inter Cabbaliſtica mature, et ſorte iam in Aegypto irrepſiſſe. Syncretiſmus enim ſcholae illius ex qua Cabbaliſtica philoſophia prodiit, nec Ariſtotelem contemſit, ſed cum eo quoque foedus iniit, vt ſuo loco dictum. Recentiori tamen aetate, poſt Sec. XI, ex quo nempe Ariſtotelica philoſophia a Saracenis ad Iudaeos commigravit, id potiſſimum factum eſſe, nemo temere negabit, qui recentiorum Cabba-

g) f. 13. p. 144.

h) Cod. CCLIX. ex quo repetiit KVSTERVS ad calc. vitae Pythag. p. 56. ſeqq. Obſeruauit iam hic anonymus auctor harmoniam Pythagorae, Platonis et Ariſtotelis in hac re p. 60.

Digitized by Google

Cabbaliſtarum ſcripta legerit, nec negauit id KNORRIVS, qui ita de ea re differit [i]: *Poſtquam Saracenorum tempore Ariſtotelis philoſophia Arabica lingua tradi coepta eſt, Iudaeorum quidam eiusdem linguae periti, et inter eos quam maxime R. Moſes Maimonides haec amplexi ſunt ſtudia etc. ab eo tempore multi alii occidentales, praeſertim, qui ſublimitate Cabbaliſtica neglecta ſolius Talmudis ſtudiis fuere contenti, Peripatetica dogmata ſcriptis ſuis hinc inde immiſcuerunt. quod poſtremis hiſce temporibus Germani quidam, etiam Cabbalam tradituri ſunt auſi, inter quos potiſſimum eſt auctor libri Schepha tal Maimonidae amore deceptus, ſed a genuinis Cabbaliſtis Orientalibus nequaquam in hoc puncto receptus.* Et huic quidem rationi innixus Cl. IONAS DANIEL SCHRAMMIVS, *introductionem ſuam in dialecticam Cabbaleorum methodo Peripateticorum potiſſimum conformatam* conſcripſit, et IOANNES IVSTVS LOSIVS [k] ſingulari diſſertatione *conſenſum Kabbaliſticorum cum philoſophia Academica et Peripatetica dogmatum per capita quinque* oſtendere conatus eſt. In qua comparatione vero viros hos doctos non ſemper ad verum ſenſum nexumque ſyſtematis Cabbaliſtici attendiſſe, adeoque alienam mentem Cabbaliſtis affinxiſſe, fatendum eſt. λ. Quin et hoc coronidis loco his obſeruationibus de originibus philoſophiae Cabbaliſticae addendum eſt: Recentiores philoſophiae Cabbaliſticae ſectatores cultoresque haud raro illatis dogmatibus et explicationibus heterogeneis; et ex genuinis fontibus non petitis doctrinam Cabbaliſticam adulteraſſe, et prout quis ſyncretiſmo fauebat, ita conſenſum doctrinae Cabbaliſticae cum his illisue opinionibus vidiſſe, atque multa ſpuria intruſiſſe, id quod Iudaei paſſim ipſi conqueruntur, qua de re R. Meir Ben Gabbai teſtimonium adducit B. ABR. HINCKELMANNVS [l]: qui eo nomine Loriam accuſat, cui addere potuiſſet R. Abraham Cohen Iriram, qui paſſim ad Platonem, Plotinum, Parmenidem, Dionyſium Areopagitam prouocat. At hi ſcriptores Cabbaliſtici in eo non errauerunt, quod ex Alexandrinorum philoſophorum ſcholis domeſticam hanc philoſophiam illuſtrarunt. Quamvis enim aliquot ſeculis poſt conceptam natamque philoſophiam Cabbaliſticam Ammonii Plotinique ſchola ſyncretiſticam Alexandrinorum philoſophiam reformauit et in certum ſyſtema redegit, quod Platonem paulo melius referret, ad quem conatum eam praeter diſſenſiones philoſophorum Alexandrinorum vt ſupra dictum, haereticorum et philoſophia Orientali et Aegyptiaca progreſſorum diſputationes, aliaque multa ſuo loco enarrata coëgerunt: ex communi tamen fonte et Cabbaliſticae et Plotinianae ſcholae ſyſtemata hauſta ſunt, eo tantum diſcrimine vt emanationum diuinarum ordinem numerumque haec aliter exponeret, quam illa, et Platonis haec triadem illa Orientalium et forte Pythagoricorum quoque decadem elegerent.

i) Conf. WOLF. Bibl. Hebr. P. II. L. VII. c. 1. pag. 1207. k) Gieſſae 1706. l) In detect. fundam. Boehmiani p. 28. conf. SCHRAMM. l. c. p. 24. ſeq.

Obſeruationes de natura et indole philoſophiae Cabbaliſticae.

§. III. Conſtituta origine philoſophiae Cabbaliſticae veriſimili, iam de natura et indole eius paulo facilior erit diſquiſitio, eo quod multum lucis antecedentia huic argumento accendunt. Ex circumſtantiis enim huius philoſophiae, quas hiſtoria nobis ſuggerit, pleraque colligenda iudicioque accurate et ſine praeiudiciis interpoſito definienda. Sequemur vero ordinem in aliis hactenus adhibitum, et obſeruationibus quibusdam generalioribus potiora ſtrictim complectemur. Et

I. Quidem ante omnia monendus eſt lector, nobis hic ſermonem de Cabbala pura, quam nonnulli conſtituunt, et philoſophiam aliquam, vel theologiam potius arcaniorem Iudaeorum veterum orthodoxam fuiſſe dicunt, non eſſe. Quamuis enim ſupra iam conceſſerimus, non abhorrere a veriſimilitudine, ſenſum clariorem et luculentiorem explicationem ceremoniarum legis, et vaticiniorum de regno Meſſiae eiusque circumſtantiis orali traditione fuiſſe inter Iudaeos recluſam propagatamque, et tanquam ſtellam vsque ad ortum ſolis in N. T. luxiſſe; tantum tamen abeſt, vt eius dogmata, quorum poſtea pleniorem notitiam in nouo foedere Spiritus S. fecit, in Cabbala philoſophica, de qua agimus, contineantur, vt praeter aliquam externam ſpeciem et ſimilitudinem ex translatis ad peregrina placita myſteriis veteris eccleſiae Iudaicae oriundam nihil ſit, quod conuenientiam aliquam euincat. Non ignoramus quidem contrarium multa eruditione demonſtrare voluiſſe viros quosdam eruditiſſimos, qui contenderunt, latere in Cabbala philoſophica veſtigia myſterii SS. Trinitatis, filii Dei capitis regni diuini et creatoris, lapſus peccati, et quae his ſunt ſimilia; nec negamus attuliſſe eos quaedam magnam ſpeciem referentia. Aſt eueniſſe illis, quod in comparatis quoque gentilium philoſophorum ſyſtematibus cum fide Chriſtiana toties euenit, vt veros ſenſus dogmatum Cabbaliſticorum, quos ex tota ſyſtematis connexione habent, negligerent, et ex externa verborum ſimilitudine perperam conuenientiam aliquam colligerent, ſequens ſyſtematis Cabbaliſtici delineatio luculenter docebit, et in ſequentibus etiam exemplis aliquot illuſtrabitur. Vnum vero in praeſentia totam hanc obſeruationem clariſſima luce perfundet: nempe primum illius ſyſtematis fundamentum hoc eſſe: ex nihilo nihil fit, adeoque cuncta ex Deo emanarunt. Quo principio ſemel poſito impoſſibile eſt, Cabbalam aliquam puram oſtendere, cuncti enim Cabbaliſtarum libri huic vni fundamento ſuperſtructi huc omnia referunt. Ex hoc vero de reliquis iudicium interponere facile quis poteſt. Hoc principio ex gentili philoſophia admiſſo et ſuppoſito, neceſſario euenire debuit, vt quicquid ex veteri traditione Iudaeorum dogmatica retentum eſſet, in corruptos detorqueretur ſenſus, et ſic vetus illa puraque Cabbala tota periret, nec hodie inueſtigari queat. Agnouit id candideque faſſus eſt MAIMONIDES [11], qui luculenter: *Scito multas egregias ſententias, quae in gente noſtra olim fuerunt, de veritate iſtarum rerum, partim longinquitate temporis, partim*

11) Moreh nebhoch. P. I. p. 71.

Digitized by Google

partim infidelium et ſtultorum populorum in nos dominatione partim etiam, quod non cuiuis, ſicut expoſuimus, conceſſa erant myſteria, periiſſe, et in obliuionem deueniſſe. Nihil enim permiſſum erat literis mandare, niſi ea, quae in ſacros libros digeſta et relata erant. Quibus in verbis, quamuis rationes allatae minimam tantum cauſſam deperditorum veterum myſteriorum indicent, illud tamen recte vidit Maimonides, veterem ſapientiam Iudaicam in iſtis myſteriis Cabbaliſticis hodie reperiri non poſſe. Agnouit id. B. BVDDEVS [m], et, quo erat candore, faſſus eſt: *Propter easdem, quas Maimonides attulit rationes non tantum forte quaedam antiqua Kabbalae capita periiſſe, ſed alia corrupta et deprauata et cum gentilis philoſophiae erroribus permixta fuiſſe.* Qui tamen quando addit: *Non ſequi inde, omnia periiſſe, aut omnia fuiſſe corrupta, ſed fieri id omnino potuiſſe, vt plurima verae et genuinae Kabbalae ſubſint veſtigia, non attendit δελέων τῇ ὑπεθέσει*, petere ſe principium, quando ad diſcernenda pura ab impuris nos attendere ad ſcripturae ſacrae et rectae rationis ductum, non neglectis traditionis legibus, et tum quod verum deprehenſum fuerit retinere iubet; ita enim non dignoſcetur, quid ex domeſticis principiis Cabbala ſtatuendum eſſe poſcat, ſed quid iuxta normam rectam iuſtum et admittendum nos iudicamus: qua ratione facile omnis mundi philoſophia in ſanos ſenſus poteſt transferri. Rectius viri cordati [n] ſcapham nominantes, totam Cabbalam philoſophicam non quoad dogmata tantum adiecta et ſuppoſita, ſed quoad totum ſyſtematis habitum et connexionem impuram eſſe, et philoſophiam gentilem referre, ſtatuerunt: hoc enim danda in ſequentibus eius delineatio faciet clariſſimum. Vnde vehementer Cabbalae ſtudioſis commendamus, praeſtantiſſimi WOLFII [o] obſeruationem: *Dogmata Cabbaliſtica obſcuritatis puluere ita quaſi eſſe obtecta, vt et perſpicere ea perquam difficile ſit, et ampla de genuino verborum ſenſu diſputandi materies naſcatur, vel ſaltim dubitari ſemper poſſit, num, quem ſenſum nobis, doctrina Chriſti illuſtratis, verba aperte referre videntur, eodem ab iſtorum ſcriptoribus prolata fuerint?* Addimus; vt iuſta ſubnaſcatur ſuſpicio, Cabbaliſtas concluſiones ſuas cum principiis connexas voluiſſe, adeoque illas alio quam haec patiuntur, ſenſu, a Chriſtiano valde diuerſo, eſſe intelligendas.

II. Cabbaliſticam itaque philoſophiam explicaturis non ad huius vel illius ſcriptoris explicationem attendendum eſt; factum enim ſaepe numero, vt certis hypotheſibus inſtructi occupatique viri docti ad obſcuriſſimarum doctrinarum Cabbaliſticarum interpretationem accedentes, ea affinxerint Cabbaliſtis, de quibus nunquam cogitarunt. Exemplo erunt ea,

m) Introd. in hiſt. phil. Hebr. §. 46. p. 446. ſeq. conf. BVRNETVS Archaeol. philoſoph. L. I. c. 7. p. 378.

n) BVRNET. l. c. WACHTER. Spin. in Iud. P. I. p. 22. 69. Elucid. Cabb. praef. p. 6. LOESCHER. l. c. Morus et Knorrius ipſi, vid. Cabb. denud. T. I. P. II. p. 79. Ven. REIMMANN. Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 15. p. 430. WOLF. l. c. p. 1206. BASNAGE Hiſt. Iud. L. III. cap. 16. aliique.

o) l. c. p. 1248.

ea, quae de ſephirarum explicatione infra ſumus allaturi, quas alii dogma eſſe de Deo et attributis diuinis, alii de regno Meſſiano, alii de creatione mundi, alii de aſtronomia, alii de arithmetica, alii de dialectica exigua veriſimilitudine contenderunt. Id quod mirandum minime eſt, cum id ſaepe numero eueniat, vt doctrinis obſcuris allegoriarum ſymbolorumque velo obductis diuerſiſſimae ſignificationes tribuantur earumque explicationes dentur variae immenſa inter ſe diſtantia differentes, vt vel ſolae mythologiae Graecae vel hieroglyphicorum ſymbolorum explicationes comprobant, vt alia taceamus. Abiiciendum itaque in hac ardua de mente dogmatum Cabbaliſticorum quaeſtione euoluenda et feliciter definienda omne auctoritatis et hypotheſeos praeiudicium, et ante omnia de primis et adaequatis Cabbaliſtarum principiis diſpiciendum, quibus non ex vana et in ingenio enata hypotheſi, ſed ex iptis Cabbaliſtarum ſcriptis locisque claſſicis definitis ea concluſionum ſeries et ſenſus inde dependens conſtituendus, qui totum ſyſtema rationalis interpretationis legibus conformiter recludit.

III. Quamuis autem hac interpretationis lege adhibita nihil aequius ſit, quam ſperare, vt in veros ſenſus Cabbaliſtarum penetrare poſſimus; in ipſa tamen laboris huius executione innumerae ſe difficultates monſtrant, quae vix ſuperari poſſunt. Ita enim allegoriarum et ſymbolorum ineptiſſimorum velo ſe abſconderunt Cabbaliſtae veteres, barbararum gentium mores ſecuti, et diſciplinam arcani ſeruantes, vt eorum mentem perueſtigaturus ſyluam denſiſſimam nulla ſemita patentem, tenebrisque horridam vepretisque et dumetis inacceſſam ſibi merito videatur fuiſſe ingreſſus, adeo perplexa, incerta, et tenebricoſa ſunt omnia et peregrinis atque inuſitatis aenigmatibus referta. At his dare ſenſum clarum, obſcuris accendere lucem, ſymbola inſolita et abſurda rationali interpretatione delineare, aenigmata inaudita ſoluere, et iis quae a dementibus dicta videntur, ſenſum tamen tribuere non philoſophicum modo ſed et verum, ſaltem veriſimilem, explicatio philoſophiae Cabbaliſticae poſtulat. Quod quam arduum opus ſit atque difficillimum, non melius lector cognoſcet, quam ſi ipſe rei periculum faciat, et, tentaminis gratia librorum Soharicorum *Siphra de Zeniutha* et *Idra Rabba* imagines ſibi ſumat explicandas, dicturus quid diſciplinae Iochaidae alumni intelligi velint per regem microproſopon et macroproſopon, eiusque cranium, barbam, crinem, naſum, per reges ſeptem Edomiticos, per draconem eiusque caput, tergum, caudam, linguam et ſimilia, quibus imaginibus emanationum diuinarum ſeriem obſcurauit ineptiſſimus philoſophus et vt tenebras tenebris augeret, eas inſuper nominum et literarum permutationibus ex Cabbala verbali obtexit. Certe fatebitur poſt inutilia et fruſtranea tentamina, ſe labyrinthum ingreſſum, ex quo inuenire exitum non liceat. Certe aeque facile ex iis lapidem philoſophorum, aut inſularum Americanarum ſitum, aut alia quaecunque exſculpet foecundius ingenium, quam ſyſtema aliquod

Digitized by Google

aliquod metaphyſicum. Et his quidem nugis libri Cabbaliſtici ſcatent, et haec aenigmata in fronte prae ſe ferunt. Exemplum, Lector, cape ex R. Cohen Irirae porta lucis, eique, quem editor praefixit titulo *).

IV. Facile ex his colligent lectores prudentes ac ad abſurda et a ſenſu fere omni remota ſymbola et imagines Cabbaliſtarum itemque ad dogmata ὑπερφυσικὰ et ad nubes vsque tranſcendentia attenti, Cabbaliſticos ſcriptores ipſos ſaepe non ſatis ea intellexiſſe, quae ſcripſerunt. Quam ſuſpicionem magnopere confirmat, quod res metaphyſicas ſenſuumque imagines refugientes, quas abſtractione mentali non niſi acutiſſimi comprehendunt, eiusmodi ſymbolis corporeis veſtierint, quae non nexum modo cum iſtis propoſitionibus metaphyſicis habent nullum, ſed eas etiam ineptiſſime exprimunt, et ita obſcurant, vt quid velint, non intelligas. E. g. Quae connexio roris ſeu humiditatis cerebri macroproſopi cum ſephirarum ſiue fontium ſecundariorum atque emanationum diuinarum altera vel tertia: quid ſtatui androgyneitatis cum emanationum in inferiora combinatione? quae conuenientia caudae draconis in capite, et capitis poſt humeros tranſlati, et in tergo vxoris microproſopicae, cum circulo ſiue mutuo influxu emanationum ſuperiorum in pleromate diuino in regnum diuinum, quod extra pleroma in mundis inferioribus emanatiua continent? Lectorem prudentem et attentum iudicem poſtulamus, vt definiat, an ſeipſos ſatis intellexiſſe Iochaideae diſciplinae alumnos credendum ſit? Partim confirmant hanc coniecturam inepta ad ratiocinandum Iudaeorum ingenia, quae laxatis ſemel imaginationis, quam aeſtuantem habent, et viuidiſſimam Orientis incolae, habenis, Phaëtontis extra orbitam vagantis inſtar ſusque deque vertuntur. Hos in orbem reuocare homines et ſyſtema vbique cohaerens ex eorum tricis nugisque deducere nobis quidem videtur impoſſibile, et nec expectandum, nec poſtulandum, vt tenebrae hae omnes diſpellantur. Mirandum itaque non eſt, viros acutiſſimos, et horum myſteriorum notitiae acquirendae plurimum temporis impendentes de inuincibili obſcuritate et difficultatibus inſuperabilibus Cabbalae fuiſſe queſtos. Et ante Cabbalam quidem denudatam, cum pleraque adhuc ſepulta quaſi laterent in ſpeluncis Cabbaliſticorum ſcriptorum vi-

*) En illum, Cabbal. denud. T. I. P. III. Liber Schaar Haſſchamaim, ſeu porta coelorum, in quo dogmata Cabbaliſtica de Aen-Soph, Adam Kadmon, Zimzum, Aziluth, Briah, Iezirah, Aſiah, Nomine tetragrammato, reuolutionibus alphabethicis, Auur Kadmon, Perſonis Arik, Arich, Abba vel Imma, Seir Anpin, et vxore eius de lumine cranii, oculorum, aurium, narium, oris in Adam Kadmon, de partibus animae, Nepheſch, Ruach, Neſchamah, Chaiah, Iechidah, literis tetragrammati quaternario, denario, ſephiris, numeris, menſuris, pulchris veſtimentis, confractione et lapſu vaſorum, natura vaſorum, radiorum lucis ambientis et internae, de differentiis localibus, eoque, quod dicitur ſupra, infra, ante, retro, dextrum et ſiniſtrum, longum, latum, profundum in Sephiris, de deſcenſu animae in corpus, de Sephiris Akudicis, Nekudicis, Berudicis, de reſtitutione vaſorum, de conceptione, generatione, infantia, adoleſcentia, et vſu rationis cū Seir-Anpin, de Bilance, de ſuperintectione vel inuolutione perſonarum intra ſe inuicem, crinibusque capitis et barbae philoſophice proponuntur, et explicantur, et cum philoſophia Platonica conferuntur. En ſyluam Cabbaliſticam, in qua Oedipus aliquis ſe exerceat.

Digitized by Google

viros doctos eam rem passim molestе tulisse, non magnopere stupemus. Ex quibus vir de Hebraica literatura immortaliter meritus IOANNES BVXTORFIVS [q] filius eleganter monuit: *In librorum Cabbalisticorum explicatione, qualis liber Iezirah, Hebraeos ipsos inter se non convenire, sed in diuersa ire, insuper fructum labori non respondere. Cabbalisticam enim hanc doctrinam abyssum esse imperscrutabilem, labyrinthum inextricabilem, nec introitum ostendentem, nec exitum, fructum eius nullum.* Post editam Cabbalam denudatam vero accensa quidem lux maior tenebris, et clauis aliqua data aenigmatibus insolubilibus, maxime ex Irirae et Loriiae scriptis, attamen non desierunt de obscuritate ineluctabili conqueri viri magni et in perscrutandis veterum systematibus magno acumine gauisi. Inter quos THOMAS BVRNETIVS [r], *Cabbalistas* dixit *cum ratione insanire omnes: sed esse morbum animi Orientalibus communem, cum allegoriis insanire, et Iudaeis proprium, cum sua Cabbala.* Similia passi sunt viri docti magnaeque in his rebus perspicaciae I. G. WACHTERVS [s], FR. BVDDEVS [t], N. H. GVNDLINGIVS [u], I. CONR. SCHRAMMIVS [x], IO. IAC. SYRBIVS [y] et IAC. BASNAGIVS [z], qui post laboriosum Cabbalisticorum mysteriorum examen, profunditatem tantam se inuenisse fatetur, vt superare et ad fundum penetrare nequiuerit. Cuius rei causas, et molestiam nullo fructu et euentu laeto pensatam eleganter et ex vero depingit vir eruditissimus, quantusque labor incassus deuorandus sit, luculenter explicat, dignus omnino, qui ipse audiatur.

V. Auget porro ineluctabilem obscuritatem stilus scriptorum Cabbalisticorum dicendique ratio breuis, concisa, abrupta, et multoties hiulca nec satis cohaerens, cuius causa praeter indolem orientalium ingeniorum, ob feruidiorem conditionem in praeceps quasi ruentium et cum vi quadam festinantium, studium fuit se suasque opiniones occultandi, et sub his carectis eo tutius latendi. Qui homines cum omni diligentia adhibita in id fuerint conniti, ne possent intelligi, num philosophorum nomen mereantur, vel legi velint, lector ipse cogitet [w].

VI. Fluit porro ex dictis, in cassum laborare, quicunque systema vbique cohaerens ex Cabbalistarum scriptis eruere, et assertiones omnes necessario inter se nexu coniungere laborant. Nam fuisse apud Iudaeos exiguum rationalis philosophiae vsum ex supra dictis notum est, idque imprimis ad antiquiora tempora pertinet. Exigua itaque rationandi artis notitia illis instructis, mirum non est, si in Cabbalistarum scriptis multa inueniantur *ἀσύστατα*, in quibus conciliandis magis frustra laborabis, quam in

q) Ad Cosri P. IV. §. 27. p. 518. seq.
r) l. c. p. 372.
s) Elucid. Cabb. c. III. §. 1. p. 26.
t) l. c. §. 35. p. 293.
u) Hist. philos. mor. c. VII. p. 96.
x) l. c. c. I. §. 9. p. 12.
y) Instit. phil. prim. P. II. c. 2. §. 3. p. 367.
z) l. c. L. III. c. 14. §. 10. p. 363.
w) Legendum sobrium iudicium MORHOFII Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 9. §. 2. p. 311.

Digitized by Googl

in Aethiope dealbando. Et hunc quidem philoſophiae defectum in tota Iudaeorum eruditione ſupra deprehendimus, ſpeciali vero aliqua ratione ad Cabbaliſticam doctrinam pertinet. Et enim, vt nomen docet, non ratiocinatione innititur, ſed traditione, quam a maioribus acceptam ſine examine poſteris Cabbaliſtae tradiderunt, non paſſi, vt acceptorum myſteriorum examen aliquod adhiberetur. Cui conſilio magnum iecerunt fundamentum, aſſerendo, Cabbalam eſſe diuinae originis, et a ſummo Numine Moſi traditam humani iudicii tribunal et examen refugere; quo non potuit non auctoritatis praeiudicium, ſanorum principiorum locum occupare, cum tanta Moſis inter Iudaeos fuerit veneratio, vt iis, quae ab illo profecta fuiſſe dicebantur, ſine anathematis fulmine contradicere nemo auderet. Quod cum ſenſu quodam eminentiore Cabbaliſticis dogmatibus tribueretur, mirum non eſt, de nexu aſſertionum earumque ex principiis ſuis demonſtratione Cabbaliſticae philoſophiae doctores pariter atque diſcipulos ſollicitos non fuiſſe, hosque contentos eſſe debuiſſe, ſi obſcuriſſimarum imaginum aliquis recluderetur ſenſus et cum tremore atque veneratione ad haec adyta admitterentur. Cuius exemplum luculentum extat in *Idra Rabba* [x], vbi retertur, ſocios Iochaidis quaeſtionem quidem mouiſſe, aſt hunc reſpondiſſe: *Arcanum arcanorum eſt, quod homines nec ſcire, nec comprehendere, nec ſcientiam ſuam de illo vel muſſitare poſſunt.* Cauſſam huius rei et traditionis indoles et αὐτὸς ἔφα ex ſcholis Pythagoricis ad Iudaeos delatum aperit, quae ratiocinationem non admittunt, nec ſyſtematicam aliquam philoſophiam conſtitui patiuntur [y]. Accedit allegoriarum abuſus, eo inſaniae prouectus, vt abſurda et non cohaerentia multa inferat. Quod ipſe agnouit HENR. MORVS [z], qui in hac philoſophia Cabbaliſtica multa nec cohaerentia ſatis, nec a contradictione libera animaduertit, et conſequentias multas concluſionesque falſas detexit. Eandem de Cabbaliſtarum philoſophia querimoniam inſtituerunt BVRNETIVS [a] et BVDDEVS [b]. Id quod diſplicuit quidem Cl. WACHTERO, reprehendenti in B. Buddeo, *quod exiſtimauerit, operam luſurum, qui nexum aut iuſtum aliquod ſyſtema deſideraverit a gente, quae, quid ſyſtema ſit, neſcint. Hoc enim ſi verum ſit, Cabbalam non magis philoſophiam eſſe, quam ſunt nugae beccefylenae, aut ſomnia et incertae fabulae fragmenta etc.* At non tantum eſſe in vtrumque virum celeberrimum diſſenſum, facile intelliget, qui conſideraverit, non eſſe de eo quaeſtionem, an philoſophiae Cabbaliſticae ſyſtema aliquod exſtrui, et poſitis primis Cabbaliſtarum principiis concluſiones potiores ex iis queant deriuari, hoc enim nec negauit Buddeus, qui philoſophiam Cabbaliſticam ipſe delineauit, nec impoſſibile eſſe, ex ſequenti ſyſtematis Cabbaliſtici

x) Sect. II. Cabb. denud. T. II. § p. 390.

y) Conf. Acta philoſ. Vol. I. p. 614.

z) Qq. in librum Druſchim Cabbal. denud. T. I. P. II. p. 62.

a) Archaeolog. philoſ. L. I. c. 7. p. 366.

b) Hiſt. philoſ. Hebr. p. 445.

c) Elucid. Cabbaliſt. c. III. §. 13. p. 38. ad ea reſpondit HVNNIVS in noua editione Hiſt. phil. Hebr.

Digitized by Google

adumbratione patebit: ſed id velle viros doctos, qui Iudaeos hoc nomine accuſant, non habuiſſe auctores Cabbaliſticos ſyſtematis nexum in animo, cum ſomnia ſua traderent, nec ita ad principia ſua attendiſſe, vt concluſiones cum iis recta neceſſariaque conſecutione cohaereant, quod alias in quouis ſyſtemate philoſophico requiritur. Id quod verum eſſe, ſequentia luculenter docebunt, praecipue ſi ad veteres Cabbaliſtas, quorum auctoritate praecipue ſtandum eſt, reſpiciamus. Recentiores enim Cabbaliſtas quosdam methodum ſyntheticam ex mathematicorum atque Paripateticorum philoſophorum inſtitutione edoctos certiora nobis dediſſe, facemque praetuliſſe, in nexum eum, quem dogmata Cabbaliſtica inter ſe ex principiis ſuis habere debent, penetrandi, negari non poteſt, et Irirae atque Loriiae exemplum probat. De his vero ſermo in praeſentia non eſt, ſed de veteribus librorum *Iezirah*, *Sohar*, *Bahir* et ſimilium ſcriptoribus, in quibus ſyſtema aliquod detegere, oculos requirit plus quam lynceos. Agnouit id alio loco [d] vir clariſſimus, faſſus nationem hanc ſingulari aliquo iudicio coeleſti ad ratiocinationes eſſe ineptiſſimam, et ad monſtra delapſam eſſe, vbi ad eas ſe accinxerit. Alia quidem ratione Cl. SCHRAMMIVS [e] principia dialectica et ordinem logicum Ariſtoteleis in Cabbaliſtarum diſſertationibus ſe inueniſſe viſus eſt. Verum ea non reperiſſe in illis, ſed intuliſſe, plusque luminis logici vidiſſe, quam alii vident, ſeductum quoque fuiſſe ineptiſſimo praeiudicio [f]: *Non omne illud Peripateticorum ſectae tanquam origini ſuae deberi, quod forte ſtatutis illius principiis congruum eſt, ſed ipſum huius auctorem conſaluiſſe Hebraeos, itinere ad illos inſtituto, vel ſaltem, dum magnam doctrinae ſuae partem ex oriente acceperit beneque ordinauerit, vbi magiſtrum Platonem eſſet ſecutus;* palpabunt, qui viri cetera docti tractationem cum Cabbaliſticis ſcriptoribus comparandi laborem non ſubterfugient.

VII. Nouam vero ea, quae obſeruauimus, ſuſpicionem excitant: cum enim ex eo tempore, quo philoſophia Ariſtotelica inter Iudaeos obtinere coepit etiam apud ſcriptores Cabbaliſticos melior ordo et pulchrior quaedam ſyſtematis facies inueniatur, valde timendum eſt, ne Iudaei hi Peripatetice philoſophantes, cum defectum ordinis et ratiocinationis philoſophicae inter maiores ſuos viderent, puderetque eos, in tantorum myſteriorum iactatione illos parum ſolidi cohaerentisque attuliſſe, medicinam allaturi ea adiecerint de ſuis, de quibus veteres non cogitarunt, ſaltem eas concluſiones ex principiis deduxerint, quas anteceſſores eorum ignorauerunt. Dudum id viris doctis [g] animaduerſum ordinem methodumque a ſcriptoribus Cabbaliſticis tum demum fuiſſe adhibitam, vbi Pythagorae, Platonis, Plotini aliorumque gentilium philoſophorum libros legiſſent: Quo nomine Iriram quoque notauit H. MORVS [f], quod de ſephiroth

ita

d) Spinoziſm. in Iudaiſmo P. II. c. 17. p. 223.
e) In libro ſupra laudato.
f) L. c. p. 18.
g) Vid. LANGIVS diſſ. de charact. primaeuo biblior. Hebraic. p. 66.
g) Conſid. ad tr. 1. libr. Druſchium Cabb. demud. T. I. P. II. p. 51.

Digitized by Google

ita ratiocinetur, ac ſi ſphaerae eſſent Ariſtotelicae, poenaeque orbes Ariſtotelicos cum intelligentiis ſuis pro antiquae Cabbalae myſteriis reponere videatur. Id quod non negat KNORRIVS [h], ſed tantum reſpondet, *duorum eſſe generum Iudaeorum magiſtros, aeui quoque periodis et locorum varietate nec non ſtudiorum gradibus ſatis inuicem diſcretos. Nam qui vaſtationi vrbis fuerint propiores, quique in terra ſancta ſuas habuerint ſcholas, et ad Cabbaliſticorum dogmatum culmen aſcendant, puriores eſſe, et a pollutionis Graecanicae philoſophiae ſuſpicione liberiores; poſtquam autem Saracenorum tempore Ariſtotelis philoſophia Arabica lingua tradi coepta ſit, Cabbaliſtas quosdam Maimonidem in exotericis ita inſtituentem ſecutos, auſos eſſe ita Cabbaliſtica dogmata tradere.* Quibus in verbis datam obſeruationem ipſe mire confirmat, fallitur vero in eo, quod putat Cabbaliſtas veteres a pollutione Graecanicae philoſophiae prorſus eſſe immunes, cuius contrarium ex dicendis conſtabit, recteque ad haec monuit MORVS [i], magnum ſibi ſcrupulum iniici etiam de iis, qui vrbis vaſtationi ſunt propiores, et in terra ſancta ſuas ſcholas habuerint. Verum cum ſupra iam quaedam allata ſint, huc pertinentia, pluribus afferendis hic ſupersedemus.

VIII. Adiuuiſſe vero interpolationes Cabbaliſticorum ſcriptorum ipſiusque philoſophiae abiis traditae fata gentis Iudaicae, dubitandum vix eſſe videtur. Haec enim cum miris mutationibus, migrationibus et translocationibus Iudaeos fuiſſe expoſitos doceant, vt ſupra prolixe narratum, recte inde colligitur, non potuiſſe euenire aliter, quam vt inter nouas gentes, et noua ſtudia noua quoque placita irreperent, quae veteribus addita in vnum corpus coaluerint. Id quod eo facilius fieri potuit, quo magis allegoriae difficillimae, quicquid lubebat, affingere permitterent, et facile eſſet, quadrata miſcere rotundis. Id quod libris Iezirah et Sohar accidiſſe, ſupra, vbi de iis actum, luculenter demonſtrauimus, nec ipſe negauit KNORRIVS [k].

IX. His omnibus iam rationibus ſubductis fatendum eſt, in hiſtoria Cabbaliſticae philoſophiae certitudinem, quae ex omni parte ſatisfaciat, ſperari non poſſe et contentos nos eſſe debere, ſi ſubducto quod veteres Cabbaliſtae obduxerunt, allegoriarum denſiſſimo velo, eos inter Iudaeos philoſophos interpretes ſequamur, qui faciem paulo luculentiorem arcanae philoſophiae ſuae nobis depingunt, et quos veriſimili ratione ſperare poſſumus, non inepte anteceſſorum ſuorum mentem explicuiſſe, et ita calculos ſubduxiſſe, vt a veteribus tradita cum iis conſpirare videantur. Ex quo intelligitur, etiam ex hac hiſtoriae philoſophicae parte Pyrrhoniſmum ſobrium ſuisque limitibus circumſcriptum non eiiciendum, nec aliter de Cabbaliſtica philoſophia differendum eſſe, quam veriſimilitudinis leges patiuntur. Ex his vero patet, quid de illa cautela ſtatuendum ſit, quam in aures nobis toties inſuſurrant, qui Cabbalam aliquam

h) In amica reſponſione l. c. p. 73. i) pag. 101. 181. k) Praef. T. II. Cabb. denud. §. 6. p. 4.

puram venantur, nempe diffitendum esse Cabbalistis recentioribus, eo quod noua, peregrina et adulterina multa veteribus immiscuerint. Quod quamuis pertinaciter negandum non esse, ex hactenus dictis pateat, semper tamen difficultas restat, qua ratione pura ab impuris, domestica ab alienis, genuina a supposititiis discernere liceat, cum veteres scriptores Cabbalistici tantis se tenebris inuoluerint, vt non nili a sequioris aetatis interpretibus lux aliqua speranda sit. Frustra huc rationem, frustra reuelationem quis advocauerit, vt ea purae Cabbalae vestigia reliquiaeque dici queant, quae cum hac norma conueniunt. Hoc enim modo duplici ratione ratiocinandi leges violantur. Nam qui ita instituunt, eam primo hypothesin, quam tanquam purius aliquod dogma Cabbalisticum ex scriptis Cabbalisticis demonstrare satagunt, supponunt, et tum demum ad Cabbalae dogmata applicant, sicque quaestionem ratiocinii sui, praemissis vitioso argumentandi genere immiscent, et ex conclusione medium terminum demonstrationis suae deriuant: Deinde eum etiam sensum Cabbalisticis dogmatibus tribuunt, quem tota systematis, certe principiorum admissorum, ratio non patitur, Id quod in controuersiis cum Iudaeis, in quibus veritatem religionis Christianae ex Cabbalisticis scriptis viri quidam docti demonstrare satagerunt, saepe se manifestauit, Iudaeis clamantibus, ea Christianos Cabbalistis affingere, de quibus tamen disceptetur, quaeque illos statuisse ipsi negent atque pernegent. Vt taceamus, quod obiiciunt alii [f], nondum euictum esse, omne illud veteribus Cabbalistis ignotum fuisse, quod Irira, Loriia hisque similes recentiores illis tribuunt, et a placitis illis purioribus, quae animo praeconcipiunt suo, viri eruditi dissentiunt. Patebit enim ex iis, quae mox dicemus, potiora et quae fundamentum rei concernunt, ita ab iis disputari afferique, vt verisimile sit ipsos Cabbalae conditores, eorumque sectatores hunc in sensum praecepisse, licet concedi queat, plura postea accessisse, quae vetustissimis philosophis Cabbalistis indicta fuerunt, eo quod conuenienter eorum principiis asseri posse viderentur.

X. Nempe quamuis inter tot salebras inoffenso pede incedere vix liceat, illud tamen iter omnium minime impeditum videtur, quod ita recentiorum Cabbalistarum, qui magis philosophice et sine velo de his mysteriis disputarunt, explicationes sequitur, vt non tantum veterum scriptorum Cabbalisticorum cogitata cum iis comparet, et, quid sine coactione, et sua quasi sponte cum iis conueniat, et hac ratione inter se consentiat, et cohaerentis alicuius systematis rationem habeat, dispiciat: sed potissimum quoque ad fontes, ex quibus philosophia Cabbalistica hausta est, quosque in doctrina Orientalium et Aegyptiacorum philosophorum inueniri supra demonstrauimus, attendat, et id propius vero Cabbalistis veteribus tribui statuat, quod ex iis fluxisse res ipsa clamat. Hanc enim procedendi in inquirendis dogmatibus Cabbalisticis rationem omnium maxime rationalem et verisimilem esse, facile ex eo intelligi potest, quod

f) Wachter. Eluc. Cabb. c. III. §. 5. p. 28.

Digitized by Google

quod ex origine rerum de eius indole iudicandi via eſt proniſſima, et ab ipſa quaſi natura commendata. Hanc ſi ſequimur, deprehendemus in multis concordiam omni expectatione maiorem talemque, quae nos plane conuincat, recte id Cabbaliſtis veteribus tribui, quod tam luculenter origines ſuas prodit. Vnde vehementer miramur, plerosque, qui de Cabbaliſticae philoſophiae placitis fuere ſolliciti, maluiſſe coniecturas ſuas ſequi, quam huic viae inſiſtere. Et Henricus Morus quidem ſaepiſſime ad Pythagoricam Aegyptiorum philoſophiam prouocauit, et harmoniam inter eam et Cabbaliſticam veterem demonſtrare conatus eſt, eo quod crederet, Iudaicam philoſophiam in hac ipſa gente fere obliteratam et corruptam ad Pythagoram in eius itinere Orientali peruenisſe, priusquam corruptionem ſequentibus temporibus demum inualeſcentem ſuiſſet paſſa, hincque arborem quoque ſephiroticam iuxta praecepta Pythagorica explicuit et delineauit. At ignorabat vir cetera ſummus eam philoſophiae Pythagoricae indolem, qualem in Aegypto acceperat, cum Orientalis philoſophiae beneficio eſſet reformata, et quoad diuina in aliam prorſus formam tranſmutata; multa quoque, vt ipſe Platonicae philoſophiae erat addictiſſimus, ex ingenio finxit, et tum Pythagoreo, tum Cabbaliſtico ſyſtemati intulit, ſicque vtrumque corrupit. Vnde quae de Cabbala ille praecepit, non ſine grano ſalis legenda probeque ad veteres fontes examinanda ſunt [ll]. Alia ratione hanc quoque viam calcauit eruditiſſimus BASNAGIVS [mm], qui non ſine multo labore id egit, vt origines Cabbaliſticorum dogmatum ex philoſophia Aegyptiaca oſtenderet. At in eo offendit, quod eam ſibi Aegyptiacam philoſophiam ducem elegit; quam veterem ſuo loco vocauimus, eo quod antiquiſſimis temporibus in Aegypto obtinuiſſet. Hanc cum hieroglyphicis figuris atque ſymbolis praecepiſſe obſeruaſſet, et hac etiam methodo Cabbaliſtas vti vidiſſet, ex illa hos ſua depromſiſſe iudicauit. Qua in re magnopere falſus eſt. Suo enim loco euidentibus veterum teſtimoniis demonſtratum eſt, philoſophiam illam Aegyptiacam veterem eo tempore, quo Cabbaliſtica philoſophia inter Iudaeos enata eſt, iam intercidiſſe, et a ſacerdotibus ſua dogmata ope hieroglyphicae methodi ad victorum mentem aliasque circumſtantias immutantibus, longe alia fuiſſe tradita. Mirum itaque non eſt, parum veriſimilitudinis iis ineſſe, quae de hac re diſputat. Aliter itaque res inſtituenda, eaque philoſophia diuinior ſiue theologia exploranda eſt, quae poſt Alexandri M. tempora regnantibus Ptolemaeis in Aegypto obtinuit, quae qualis fuerit in *fine primi Tomi* luculenter deſcripſimus. Eam ex orientalium, qui tunc emergebant, philoſophorum ſomniis et ex placitis Pythagorico-Platonicis fuiſſe conſarcinatam, haecque ex illis, maxime de rebus diuinis praecipiendo emendata, relicto, quod Plato ſequebatur, ſyſtemate dualiſtico, emanatiuum recepiſſe, inque conſtituendis variis emanationum diuinarum virtutumque ſubſtantialium ex

ll) Conf. WACHTER. Spinoz. in Iud. P. II. p. 837. ſeqq. mm) Hiſt. Iud. L. III. c. 19. p. 509. ſeqq.

ex Deo progreſſarum ordinibus et claſſibus vsque ad animam, immo vsque ad ipſam materiam malosque ſpiritus, et definiendo rerum, quae per has claſſes emanarunt, ad Deum reditu occupatam fuiſſe, illic prolixe docuimus, monentes philoſophos Platonicos ſequioris aetatis duce Ammonio et Plotino eam philoſophiam reformaſſe et in formam certiorem concluſiſſe, quae a Platone paulo minus deuiaret. Hanc philoſophiam Aegyptiacam ex Orientali potiſſimum enatam excoluiſſe Iudaeos ſupra ſatis luculentis rationibus confecimus. At Cabbaliſticam inde enatam eſſe, ipſa comparatio plane docebit. Vt itaque in obſcuro et difficili argumento lectorem manu quaſi eo ducamus, vt ipſe iudicium interponere queat, exhibebimus σχηματισμὸν eorum dogmatum, quae praecepit philoſophia Orientalis, Alexandrina et Cabbaliſtica, ex quo parallelismus cuilibet intuenti erit euidentiſſimus. Ita vero praecepit philoſophia

Parallelismus Philoſophiae Aegyptiacae, Orientalis et Cabbaliſticae.

Aegyptiaca ſiue Alexandrina.	*Orientalis.*	*Cabbaliſtica.*
I. Ex nihilo nihil fit, adeoque omnia quae ſunt, ex vno principio efluxerunt.	I. Ex nihilo nihil fit, adeoque omnia emanarunt ex Mithra infinito lucis Oceano.	I. Ex nihilo nihil fit, adeoque ex vno ſunt omnia, infinita luce ſiue Or Haaenſoph.
II. Hoc vnum principium eſt Deus Deorum, Deus vnus prior etiam primo Deo et rege, qui in ſolitudine ſuae vnitatis permanet, qui eſt fons omnium et radix intelligibilium idearum.	II. Principium rerum omnium ſupremum optimumque ſuper omnia principia in infinito ſilentio quietum reſidet, fonsque eſt omnium principiorum emanantium.	II. Principium rerum omnium, quod eſt ſuper omnia, eſt ſenior ſeniorum, occultus occultorum, ex quo ſunt efformationes omnium regum, i. e. ſephirarum emanantium.
III. Ab hoc vno Deus per ſe ſufficiens ſe ipſe emittendo radios ſuos explicuit (ἐξέλαμψε) hinc eſt principium et Deus Deorum.	III. Ex hoc vno principio, quod immenſum lucis aequor eſt, alia omnia principia bona, lucida ſunt, duxque et origo reliquarum virtutum diuinarum inde ortus eſt.	III. Hic occultus cum lucis eſſet nimietas expandit ante ſe velum quoddam, in quo ſculpſit formas regum, id eſt, produxit Adam Kadmon principatum primum.
IV. Haec principia ſunt ſuper omnia, et antiquiſſima, quae Aegyptiaca philoſophia ſupra Deos aetherios et empyreos et coeleſtes conſtituit.	IV. Ad hoc principium et per hoc ad Deum omnibus principiis priorem cunctae virtutes ſubſtantiales pertinent, quibus ille prior et ſuperior eſt.	IV. Rex primus reſpectu regum filiorum Iſraël id eſt principiatorum ex ſe emanantium prior eſt.
V. Hunc excipit alius Deus, Emeth, qui eſt mens ſe ipſam intelli-	V. Principium ſecundum lucis primigeniae naturam habet, ni-	V. In productione velli illius, hominis primogeniti eiusque conforma-

alia

Digitized by Google

gens, et alia intelligibilia ad se conuertens.

VI. Hic est post vnum illud quod intelligit et intelligitur, et solo silentio colitur.

VII. Hoc principium prima illius vnius effigies est, et Ectton appellatur.

VIII. Praeter hos opifex est mens, qui et veritatis custos et sapientiae, et quatenus ad generationem sapienter descendit et incognitam rationum latentium vim producit in lucem, dicitur Amun, quatenus vero perficit omnia cum veritate, dicitur Ptha, quatenus beneficus est, dicitur Osiris, aliasque denominationes propter alias potestates habet.

IX. Sub hoc principio sunt alii quoque principatus super elementa tota in generatione posita.

X. Hae potestates siue virtutes (δυνάμεις) sunt octo, quatuor masculae, quatuor foemininae. Hae ad solem pertinent.

hilque inest tenebrarum.

VI. Est vero post primum illum Deum in abysso silentii latentem.

VII. Hoc principium virtus prima, maxima et summa post Deum est, Deique effigies.

VIII. Post hoc principium in pleromate diuino aliud est, quod rerum condendarum curam postea suscepit, et cum eo sunt aeones aliae ex eo fonte progressae, veritatem, sapientiam, potestatem diuinam comprehendentes.

IX. Hoc principium sive aeon angelos et archangelos condidit, qui rebus generabilibus praeficerentur.

X. Virtutes substantiales siue aeones praeter summum Deum et primam virtutem octo sunt, masculini et foeminini generis.

tione innotuit occultus occultorum, et sedet sub throno scintillarum, i. e. luce plenus est emanante

VI. Ita senior seniorum, occultus occultorum in illo principio in membra compositus, id est, expressa eius natura est.

VII. Adam Kadmon primogenitus Dei, et principatum primum est, eius imago.

VIII. Est ex hoc principio sub Or Haensoph trias principiorum, sephirarum superiorum trinitas, corona, sapientia, prudentia, quibus Adam Kadmon inferiorum caussa creator et moderator factus est, et ex his sephirae reliquae septem.

IX. Ex vasis emanationum diuinarum per Adam Kadmon singulis mundorum generibus dati sunt angeli illis praefecti.

X. Emanationum ex Deo per Adam Kadmon decem sunt, nempe decem sephirae, quarum reliquae sunt masculae, infima vxor Adam Kadmon siue macroprosopi foemina.

XI. Infra hunc alius

XI. Aeon demiurgus

XI. Ex fonte primogeni-

to,

Digitized by Google

principatus eſt, ſuper naturam omnem in generatione verſantem, qui Lunae aſſignatur.

XII. Diuiditur coelum vel in partes duas vel quatuor, vel duodecim, et ſic porro, et his duces praefecti ſunt vel plures vel pauciores, his vero vnus praeficitur, qui om. regit.

XIII. Ita ſecundum theologiam Aegyptiorum doctrina de principiis deſuper ad inferiora progrediens, ab vno incipit et definit in multitudinem vnius imperio gubernatam, et prorſus omnis indeterminata in ſe natura definitur et continetur aliquo certo termino, hoc eſt a ſuprema illa vniente omnia cauſſa.

XIV. Materiam, quae ex ſe eſſe non potuit, Deus ex eſſentialitate (i. e. ex ſe ipſo) produxit (παρήγαγεν) diuidendo materialitatem ab eſſentialitate.

XV. Hanc materiam Deus Demiurgus animatam accepit et ex ea ſimplices incorruptibilesque ſphæras fabricauit, ipſiusque quod erat poſtremum ad corpora generabilia et corruptibilia transtulit.

XVI. Materia, quia ex

extra pleroma progreſſus alios minores ſpiritus materiae praefecit, in ſublunaribus habitantes.

XII. Angeli orbis conditores duce matre ſua Ennoia mundi partibus praefecti ſunt illisque imperant.

XIII. Cuncta ex ſuperna virtute, ignota et latente emanarunt, et a primis ad infima ſe emanatio haec extendit.

XIV. Materia ex ſe eſſe non poteſt, adeoque ex infinito illo lucis divinae et inacceſſae oceano effluxiſſe cenſenda eſt.

XV. Materiam acceperunt angeli conditores exque ea coelum et quae ſub ſphaeris ſunt fabricarunt.

XVI. Materia mala qui-

to, qui ex infinito lucis diuinae oceano effluxit, flumina minora, et ex his in mundos inferiores miniſtri fluxerunt.

XII. Pandalphon ſpiritus mundi eſt, cum angelis ſuis mundo Aſiahtico imperans.

XIII. Emanarunt cuncta a prima et ſuprema luce infinita, vsque ad extrema, nempe cortices i. e. malos angelos.

XIV. Quicquid materiale eſt, non habet eſſentiam ex ſe, adeoque ad mundum condendum ab eſſentialitate radios infinitum lumen retraxit, ſicque ex priuatione tenebricoſa materia extitit, ex qua mundus materialis conditus.

XV. Ad mundos hos condendos radius infiniti luminis emanauit, nempe Adam Kadmon per quem conditus luceque repletus mundus et confracta vaſa.

XVI. Nihil itaque ma-

Deo

Digitized by Google

Deo opifice patreque omnium facta, habet perfectionem ſuſcipiendi Deitatem, quia ſuperiora diffundunt lumen ad inferiora.

XVII. Nihil terrenum eſſe poteſt, quod expers ſit diuinae communicationis, hinc ipſa quoque terra diuinam quandam portionem inde ſuſcepit.

XVIII. Materia propter conditionem viliſſimam et in momenta mutabilem comparari cum aeterna Dei eſſentia immutabilique natura intelligibilium non poteſt, adeoque non-ens eſt.

XIX. Anima ex Deo orta eſt, nempe ex intellectu diuino, adeoque vi emanationis pars eſt diuinae eſſentiae.

XX. Anima veſtimenta accepit in inferiorem mundum et regiones ſublunares delapſa, quibus induitur.

XXI. Liberanda eſt anima exercitiis philoſophicis et reducenda ad fontem, ex quo deſcendit.

XXII. Fiet hoc per varios gradus et purgationes et reuolutiones aſcendendo ex una mundi regione ad aliam, vſque redeat anima ad Deum, originem ſuam.

Hactenus Alexandrina philoſophia.

dem, ſed poteſt a con eam recipere et in ea apparere, vt lucem diuinam et felicitatem reſtituat.

XVII. Eiusmodi virtus ſubſtantialis in terra ad liberandos homines apparuit.

XVIII. Materia tenebricoſa, frigida, malorum plena a Dei eſſentia prorſus defecit, ſicque malorum ſylva facta eſt.

XIX. Anima ex Deo emanauit et diuinae eſt originis.

XX. Anima deſcendens corpori a malis angelis condito immiſſa eſt, hinc ab iis miſere vexatur.

XXI. Liberanda eſt anima variis exercitiis, poenitentiis, moleſtiis, magia, vt ad Deum reducatur.

XXII. Animae vinculis ſolutae ad Deum per migrationes varias iterum aſcendunt.

Hactenus Orientalis philoſophia.

teriale in ſe, cuncta ſpiritualia Deoque plena ſunt, malum vero ex privatione lucis.

XVII. Adam Kadmon igitur in materia ornanda ſe manifeſtauit, adeoque in mundo etiam Aſiahtico lux eſt.

XVIII. Quo magis emanationes a fonte primo-primo remotae ſunt, eo magis fiunt tenebricoſae, materia itaque retractis diuini luminis radiis per priuationem frigida et tenebricoſa, facta non-ens eſt.

XIX. Anima hominis ex intellectu diuino prodit.

XX. Animae vehicula ſua habent, quorum vnum alterum veſtit, quaeque deſcendens in hortum Eden et inferiora accipit.

XXI. Animae per exercitia et meditationem legis ab vno mundo in alium ſicque ad ſummum fontem eleuari poſſunt.

XXII. Poſt mortem anima Nepheſch migrat in mundo viſibili, Ruach abit in hortum Eden, Neſchama in hortum ſuperiorem, et ad Deum redit.

Hactenus Cabbaliſtica philoſophia.

Haec ſummorum tantum capitum comparatio eſt, quam vel ipſis Iamblichi [n], veterum de placitis haereticorum ex Orientali philoſophia progreſſorum ſcriptorum [o] et librorum Cabbaliſticorum [p] verbis, vel ex aſſertionibus ſuo loco, cum de Alexandrina et Orientali philoſophia ageremus, euidenter demonſtratis attulimus, ex qua coecum palpare poſſe credimus, ex vno fonte tria haec genera philoſophiae ſublimioris vel metaphyſicae fluxiſſe. Dubiumque nullum eſt, potiora ab Orientalibus profecta Pythagorico-Platonicis occaſionem dediſſe ita ſtatuendi, ex vtroque dein fonte Cabbaliſtas ſua hauſiſſe, et ad patria dogmata paulo diligentius inflexiſſe. Ex his vero abunde quoque patet, recte nos conſtituiſſe fontem Cabbaliſticae philoſophiae, Aegyptiacam, quae cum ſyſtema emanationis ab Orientalibus acceperit, clauem hanc nobis exhibet, qua adyta Cabbaliſtarum non infeliciter reſerari poſſunt. Cuncta enim, ſi in ſummam contrahantur vnam, eo redeunt; cum ex nihilo exiſtat nihil, omnia ex Deo, etiam materiam, quoad eſſentialitatem ſuam emanare, materialitatem vero priuationem ſiue non-ens eſſe. Omnia itaque hunc fontem et originem agnoſcere, nempe Deum omnibus principiis ſuperiorem et in infinita lucis abyſſo latentem; ex eo vero per principium aliquod primarium, quod omnibus emanatiuis fons mediatus conſtitutus ſit, primum quidem certa principia vel virtutes ſubſtantiales diuinas emanaſſe, quibus infinita et incomprehenſibilis lux diuina ad inferiora demittatur; ex his vero fontibus ſpiritualibus lucis diuinae mundos diuerſos pro gradibus emanationum propius vel longius a primo fonte diſtantium conſtitutos eſſe, et in his formandis vnam illarum virtutum ſubſtantialium diuinarum; (quas aeonas, voce ex Orientali phiſoſophia ſumta commode dixeris) et, vt plerique inter Orientales, et omnes Alexandrini atque Cabbaliſtae volunt, primam Deoque proximam reliquis emanatiuis praefici fontem, eumque Dei filium, atque imaginem eſſe: prodire quoque ex emanationibus intra diuini luminis plenitudinem adhuc, comprehenſis alios minores ſpiritus extra hoc πλήρωμα, eorumque varias claſſes, munera varia, naturamque magis minusue bonam ſpiritualemque eſſe, prout fonti emanationum vel propiores vel ab eo remotiores magisque craſſi et materiae affines ſint. Eſſe porro emanationes diuinae plenitudinis expreſſas imagines diuinae veritatis, ſapientiae, prudentiae, gloriae, potentiae; maxime vero triadem ſuperiorem ceu illi fonti fontium propiorem conſiderandam: et definiri poſſe atque concludi denario numero earum aeonum poteſtatem; eſſe quoque eas vel actiua vel paſſiua potentia praeditas, et ideo maſculini atque foeminini generis figura repraeſentari. Harum vero emanationum, operationum atque vim in regno Dei tum ſupracoele-

n) Conſulenda hic delineatio philoſophiae Alexandrinae ſuperiori libro data, pleraque heic ipſis IAMBLICHI verbis de myſter. Aegypt. ſ. VIII. c. 2. p. 158. Plotini, Porphyriique expreſſimus.

o) Conferenda hic ſyſtemata Simonis Magi et Menandri ſupra delineata, et quae de philoſ. Orient. in antecedente libro diximus.

p) Maxime ex libro Soharico Siphra de Zeniutha.

Digitized by Google

coeleſti, quod eſt ſpirituum, tum ſublunari, quod eſt creaturarum materialium ſe monſtrare, et ita cuncta diſponere, vt plena ſint manifeſtantis ſe Deitatis, idque lucis ſimilitudine omnium optime poſſe adumbrari comprehendique. Conſtituique poſſe certos orbes, gradusque, quibus euolutiones emanationum diuinarum ſe manifeſtent; et huc etiam animae originem aduocandam eſſe, quae ex Deo effluxerit, et per certas reuolutiones exutis veſtimentis, quae in deſcenſu acceperat, a materiae angelorumque malorum perſecutione liberanda, et ad fontem ſuum reducenda ſit. Haec communia illa dogmata ſunt, in quibus conſenſiſſe Orientales, Alexandrinos et Cabbaliſticos philoſophos ex delineatis eorum ſyſtematibus et danda infra horum adumbratione luculenter conſtat. Quae recedere a Platoniſmi genuina et ab auctore ſuo efformata facie quilibet rerum peritus facile deteget; ex quo euinci ſine labore poteſt, Orientalem philoſophiam primam foetus huius inuenuſti matrem fuiſſe. Quin ex iis, quae Iamblichum potiſſimum κατὰ πόδα ſecuti de Aegyptiaca theologia diximus, liquere putamus, laxius Alexandrinos philoſophatos fuiſſe de diuinis magisque a Platone receſſiſſe, quam poſtea factum, vbi hoc ſyſtema emanatiuum Ammonius et Plotinus reformauerunt, et trinitate principiorum ſummorum ex veteri philoſophia ſeruata et partim ad Chriſtianorum placita imitanda, partim ad Platonicam trinitatem exprimendam translata, reliquas aeonas abiecerunt, et in eo orientalibus philoſophis, et haereticis ex iis prodeuntibus ſe oppoſuerunt, vt ex PLOTINI diſputatione *contra Gnoſticos* eſt manifeſtum. Non vero dogmata tantum ſed et ſymbola illa peregrina et prorſus abſona tum inter Orientales tum inter Alexandrinos Platonicos recepta fuiſſe, inſtituta comparatio facile euincet, habebitque, qui rei difficultate non deterretur, luculentiſſimum exemplum in Dracone Cabbaliſtarum in Soharico tractatu, *Siphra de Zeniutha* delineato, ſi cum animali monſtroſo, quod Orpheo affinxerunt Platonici Alexandrini comparetur, quale *Tomo primo* ex Proclo deſcripſimus; vel in Oracula Zoroaſtris cum Cabbaliſtarum ſymbolis conferantur. Vtrosque vero haec ſymbola ab Orientalibus et Aegyptiacis philoſophis accepiſſe, nemo ignorat, quem philoſophiae barbaricae notitia non latet. Ex his vero manifeſtum eſſe putamus, errare eos magnopere, qui Platonicam philoſophiam, nulla addita reſtrictione parentem Cabbaliſticae fuiſſe contendunt; nam et Alexandrina philoſophia, praecipue ante Ammonii et Plotini reformationem, quam tamen ſequentes philoſophi mox immutauerunt iterum, vt ſuo loco dictum, et Cabbaliſtica multum ab ea diſcedit, eo quod plurima, quoad diuinas res ab Orientalibus acceperet. At nec illi tamen rem acu tangunt, qui prorſus exulare a Cabbaliſticis placitis philoſophiam Alexandrinam Pythagorico-Platonicam volunt. Hanc enim, vbi ſemel reformata eſſet, et ex Orientali nouos vultus accepiſſet, Iudaeis ſua comminiſcendi et dogmatibus domeſticis adaptandi occaſionem feciſſe, origo philoſophiae Cabbaliſticae ſatis luculenter do-

cet, et dogmata euincunt, quae ex hac ſchola tantum prodierunt. Quod qui negat, eum vel Soharicos tractatus, vel librum *Iezirah* nunquam legiſſe oportet, in quibus clara Pythagorico-Platonicorum placitorum deprehenduntur veſtigia. Nullo vero euidentiori argumento id euinci poteſt, quam ex paralleliſmo inter Philonem et Cabbaliſtas inſtituto. Philonem enim in Aegypto philoſophiae Pythagorico-Platonicae ſe addixiſſe, paucos hodie eſſe credimus, qui negauerint. Aſt ſi ea comparentur, quae ſupra de Philonis philoſophia *libri huius capite primo* diſſeruimus, patebit, Cabbaliſticam ei philoſophiam ſimili modo, vt Pythagorico-Platonicam placuiſſe. Poſſet id inſtituta comparatione luculenter prolixeque oſtendi, ſi locus tantam prolixitatem pateretur. Dabimus tamen rationem rei ſpecimenque vnum et alterum, quoniam luculentiſſimum exemplum Philo eſt, et Pythagoreos Platonicosque multa ex Orientali philoſophia ſibi per ſyncretiſmum in Aegypto inualeſcentem vindicaſſe, et horum veſtigia ſecutos fuiſſe Iudaeos in Aegypto philoſophantes. Non allegabimus vero allegorias legis, non ſtudium et venerationem Therapeutarum hanc philoſophiam excolentium et ſimilia, quae ſuo loco legi poſſunt, ſed dogmata adducemus duo apud Cabbaliſtas longe celeberrima, doctrinam ſephirothicam et de Adam Kadmon ſiue homine primo, quae ita Philo expreſſit, vt plane appareat, Cabbaliſticam, Orientalem et Platonicam philoſophiam in Philone conſpirauiſſe. Hunc vero ſupra, vbi de trinitate Philonis diſputauimus, praepoſuiſſe trinis principiis in diuinitate Deum ſummum in profunditate ſua latentem, oſtendimus, huicque ſubordinauiſſe tria principia ſumma et diuina, eaque tanquam virtutes ſubſtantiales ex Deo emanantes ſibi concepiſſe, demonſtrauimus. At his alia quoque ſubiunxit eiusmodi principia emanatiua, non rem tantum, ſed et nomina a Cabbaliſtis mutuatus: Rem ipſam vt cum arbore Cabbaliſtarum ſephirotica comparari queat, exhibebimus ex ſchemate ſcriptoris veteris Graeci, ex quo illud attulit magnum Germaniae Graecarumque in ea literarum ornamentum DAVID HOESCHELIVS [g] noſter, quod haec eſt:

τὸ ὄντως ὄν

Θεὸς	δύναμις,	κύριος
ἀγαθοτικὸς		ἐξουσία ἢ ἀρχὴ
ποιητικὴ		βασιλικὴ
εὐεργέτης		ἀρχικὴ
χαρετικὴ		κολαστικὴ
δωρητικὴ		κολαστήριος
κοσμοποιητικὴ καὶ		νομοθετικὴ
προνοητικὴ		προστακτικὴ
ἵλεος		ἀπαγορευτική.

Quo

g) In annot. ad PHILO. de nom. mutat. p. 1048.

Quo in ſchemate vnius virtutis ſubſtantialis diuerſa nomina ſunt [r], vt apud Cabbaliſtas quoque in arbore ſephirothica euenit[s]. Cuius nomina infra peculiari ſchemate delineanda, ſi cum hoc ſchematiſmo Philoniano comparentur, patebit ſephiroth Cabbaliſticas Philoni non fuiſſe ignotas, at nec aeonas Orientalium eum latuiſſe, immo, ſi dicendum, quod res, eſt, ex hoc fonte vtrosque hauſiſſe, Moſisque doctrinae de attributis diuinis corruptae et adulteratae applicuiſſe. Nam et Cabbaliſtae, virtutes emanatiuas ponunt, ἐξουσίαν, coronam, quam et κυρίον, Eieh dicunt; et ſapientiam, quam θεὸν Iah vocant, et prudentiam, quae Iehoua vocatur, porro δύναμιν quam Gebhurah vocant, allegant, et ἀρχικὴν, quae Gedolah hue magnitudo imperii dicitur, et ſic porro, quae omnia tandem in regno Dei, et potentia legislatoria ſe exſerunt. Verum ne haec noſtro tantum ingenio foecundiori forte in hac concordia inter Cabbaliſtas et Philonem videnda, deberi, cauſſetur quisquam, en luculentum ipſius PHILONIS [t] locum, qui totum ſyſtema, et Orientale et Cabbaliſticum continet, ſed Graece inſpiciendus eſt, cum interpres, qui hoc philoſophiae genus non intellexit, vim verborum veramque ſignificationem non tuerit affecutus. Ita vero philoſophus Iudaicus: τὸ γὰρ ὂν ᾗ ὄν ἐστιν ἐχὶ τῶν πρός τι, αὐτὸ γὰρ ἑαυτῷ πλῆρες, καὶ αὐτὸ ἑαυτῷ ἱκανόν καὶ πρὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως καὶ μετὰ τὴν γένεσιν τοῦ παντὸς, ἐν ὁμοίῳ· ἄτρεπτον γὰρ καὶ ἀμετάβλητον, χρῄζον ἑτέρου τὸ παραπαν οὐδενός· ὥστε αὐτῷ μὲν εἶναι τὰ πάντα, μηδενὸς δὲ κυρίως αὐτό· ΤΩΝ ΔΕ ΔΥΝΑΜΕΩΝ ΑΣ ΕΚΤΕΙΝΕΝ ΕΙΣ ΓΕΝΕΣΙΝ ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ συσταθέντος, ἐνίας συμβέβηκε λέγεσθαι ὡσανεὶ πρός τι τὴν βασιλικὴν, τὴν εὐεργετικὴν βασιλεὺς γάρ τινος, καὶ εὐεργέτης τινός· ἑτέρου πάντως βασιλευομένου καὶ εὐεργετουμένου· τούτων συγγενὴς ἐστι καὶ ἡ ποιητικὴ δύναμις, ἡ καλουμένη Θεός· διὰ γὰρ ταύτης τῆς δυνάμεως ἔθηκε τὰ πάντα ὁ γεννήσας, καὶ τεχνιτεύσας πατήρ· - - μεγίστη δὲ δωρεὰ τὸ, αὐτοῦ λαχεῖν ἀρχιτέκτονος, ὃ καὶ συμπᾶς ὁ κόσμος ἐλαχε. *Ens enim, quatenus ens eſt, non habet relationem ad aliquid; ſe ipſo enim plenum eſt, et ſibi ſoli plane ſufficiens, ſibique ſemper ſimile eſt, tum ante mundi generationem, et poſt genitum hoc vniuerſum. Stabile enim et immutabile eſt, nec vllius omnino rei indiget, ſic vt ex eo quidem ſint omnia, ipſum vero proprie nullius ſit. Ex illis vero VIRTVTIBVS, QVAS EXTENDIT ad generationem propter vtilitatem eius, quod totum conſtituit, quasdam accidit dici poſſe relatiuas, e. g. regiam virtutem et benignitatem. Rex enim ad aliquem refertur, et benefactor ſimiliter, cum alius ſit, cui imperatur, et cui beneficia exhibentur. Eiusdem naturae et indolis eſt etiam virtus effectrix, quae Deus vocatur. Per hanc enim virtutem conſtituit omnia pater, cum ea gignere et artificioſe producere vellet. Maximum vero munus eſt, eum architectum nanciſci, quem vniuerſus mundus nactus eſt.* Habes hic, lector, veriſſimum ſyſtematis ſephirothi-

r) Conf. CLEM. ALEX. Strom. L. I. p. 134. s) loc. cit.

rothici ſenſum et explicationem, illud enim, ex infinito lumine diuino ſibique in ſolitudine et occulto ſufficienti extendiſſe ſe virtutes diuinas propter generationem rerum, easque ad mundos emanatiuos relationem habere, operante per eas principiato primo, filio Dei conditore mundi rerumque omnium architecto, ſtatuit, vt ex ſequentibus diſpaleſcet. Alio vero loco [f] primum illum hominem Cabbaliſtarum luculenter exprimit, de homine ad imaginem Dei ex terra facto differens, ita tamen, vt ad Platonicas nugas ſimul eum referat. Ait enim: *Δίπτα ἀνθρώπων γένη, ὁ μὲν γὰρ ἐστιν ἐπουράνιος ἄνθρωπος, ὁ δὲ γήϊνος· ὁ μὲν ἐπουράνιος, ὅτε κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγονὼς. Φθαρτῆς καὶ συνόλως γεώδους οὐσίας ἀμέτοχος· ὁ δὲ γήϊνος ἐκ σποράδος ὕλης, ἣν χεῖν κέκληκεν, ἐπάγη· διὸ τὸν μὲν ἐπουράνιον φησὶν οὐ πεπλάσθαι, κατ' εἰκόνα δὲ τετυπώσθαι· τὸ δὲ γήϊνον πλάσμα ἀλλ' οὐ γέννημα εἶναι τοῦ τεχνίτου. Duplex hominum genus: alter coeleſtis homo eſt, alter terrenus. Et coeleſtis quidem homo ille eſt, qui ſecundum imaginem diuinam factus eſt, expers corruptibilis et ex toto terrenae eſſentiae. Terrenus autem e ſeminali materia, quam humum vocant, eductus eſt. Propterea de coeleſti homine dicit eum non fictum, ſed ad imaginem efformatum fuiſſe. Figmentum enim terrenum irrationalis artificis [g] progenies eſt.* Quibus verbis quamuis de homine intelligibili loquatur, patet tamen ex loco priore, virtutem illam architectonicam, quae ſecundum Dei effigiem ex eo producta eſt et emanauit intelligi, cuius homines fiunt participes, adeoque idem principium ſubinnui, quod Adam Kadmon, primum ſuperioremque hominem Cabbaliſtae vocant, et ab eo, qui eſt in Malcuth, ſiue regno diuino diſtinguunt, qui nempe hominem inferiorem, comprehendit, qui ſuperiorem vi emanationis influentis nanciſcitur [h]. Poſſent his addi plura, et paralleliſmus hic in doctrina de anima, deque angelis oſtendi, niſi vela tandem eſſent contrahenda, et redeundum in viam, a qua digreſſi ſumus. Sufficiunt quoque dicta, vt oſtendant, Cabbaliſtica dogmata iam naſcentis Chriſti tempore in Aegypto perſonuiſſe, et ex ſcholis Pythagorico-Platonicorum ad Orientalem philoſophiam reformatis Moſaicis illis accommodatis prodiiſſe, adeoque philoſophiam hanc Aegyptiacam, quodque in illa confirmatum eſt, emanationis ſyſtema veram clauem eſſe myſteriorum Cabbaliſticorum.

XI. Monendi vero ſunt Cabbalae arcana rimaturi, ſermonem non eſſe de Cabbala practica, ſed de theoretica; et in hac quidem non de artificiali et exegetica, ſed de philoſophica et metaphyſica, quae ſola ad hiſtoriam philoſophicam pertinet. Quid vero diſcriminis intercedat, in ſequentibus docebimus. Vt vero hoc addamus monitum, facit lapſus multorum, qui ante editam Cabbalam denudatam, Cabbalam artificialem et exegeticam, quae literalis et ſymbolica tantum eſt, arcani ſenſus

f) De allegor. leg. L. I. p. 46.
g) Haec non ex Moſaica, nec ex Platonica, ſed ex Orientali philoſophia eſſe, haereticorum, qui Gnoſtici dicuntur, ſomnia de demiurgo docent.
h) Conf. Lexic. Cabbal. v. Adam Kadmon. p. 28. ſeqq.

Digitized by Google

ſenſus ſcripturarum ſacrarum, cum philoſophica et reali confuderunt, vt ex Pici, Reuchlini, Hackſpanii aliorumque ſcriptis patet, in quibus Cabbala illa exegetica vtramque facit paginam. Vix vero ediderat Cabbalam denudatam Knorrius, cum videret BVRNETIVS [a], *Cabbalam illam verbalem, ad puerorum ſtudia et delicias pertinere, et iſta anagrammata ſciolis et ſemidoctis permittenda eſſe, nec in cenſum vnquam venire ſanae literaturae aut ſapientiae, aequumque eſſe, hanc partem tanquam inutile membrum aut maleſanum amputare a cetero corpore.*

XII. Ex his vero omnibus in genere de philoſophia Cabbaliſtica conſideratis a praeiudiciis liberati facile intelligunt, pſeudo-philoſophiae characteres in ea vbique deprehendi. Siue enim modum docendi vanum et ineptum, occultum et abſurdis atque inanibus imaginibus turbatum, ſiue ſyſtema emanatiuum, ordinesque emanationum conſtitutos ex meris ingenii otioſi ingeniis, ſiue notiones obſcuras, confuſas vagasque, immo nihili, ſiue conſequentiarum nexum miſerandum, calcemque ſine arena, ſiue praeiudicia auctoritatis et traditionis, ſine vlla rationis demonſtratione admiſſa, ſiue enthuſiaſmum impium et deiſmum, ad quem ſyſtema Cabbaliſticum ducit, conſideremus, nullibi eos ſapientiae characteres deprehendemus, quibus a nugis ingenii ſtolidi et imaginationis magis, quam iudicii imperium experti vera philoſophia diſtinguitur, et dignoſcitur. Quibus ſi adiicimus ſuperſtitionem deteſtabilem, ad quam confirmandam Cabbaliſtae hac metaphyſica in Cabbala ſua practica vtuntur, nemo, ſperamus, erit, qui durius nos, quam par eſt, de philoſophia, Cabbaliſtica pronuntiaſſe, conqueretur.

§. IV. **Progreſſuris vero** ad ipſius Cabbaliſtici ſyſtematis contemplationem prius Cabbalae diuiſio probe cognoſcenda eſt, ne, quod magnis viris accidiſſe iam monuimus, nobis quoque accidat, vt quae vno nomine gaudent, inter ſe vero diuerſiſſima ſunt, confundantur. Occaſionem vero comminiſcendi diuerſa Cabbalae genera dedit nugax Iudaeorum ingenium, praecipue in regionibus Orientalibus, in quibus imaginationis nimio ardore exagitatae furore accenſum, expulſa iudicandi vi ad ſymbola ſignificantiora, licet rei minus conuenientia delapſum eſt. Haec enim conſectantes Iudaei huncque corticem magis, quam nucleum doctrinae Cabbaliſticae ſectantes, miram nobis diſciplinam literalem Cabbaliſticam dederunt, et tricis naeniisque puerorum magis ludentium diligentia, quam virorum attentione dignis Cabbalam repleuerunt. Quas cum ſymbolorum loco adhibuiſſent, ad ſignificanda arcaniore modo myſteria ſua, inſuperabilibus obſcuritatibus repleuerunt, quicquid lucis in Cabbala in ſe ſatis tenebrarum complexa ſupererat. Quae niſi probe diſcernas, non tantum Dauus manebis in explicanda diſciplina Cabbaliſtica, ſed miris etiam modis con-

Diuiſio Cabbalae.

[a]) l. c. p. 364.

Digitized by Google

confunderis, id quod Sec. XVI, viris doctis, qui de Cabbala ſolliciti fuerunt, accidiſſe, aliquoties monuimus. Diuidi autem ſolet Cabbala Iudaeorum in theoreticam et practicam. Illam עיונית hanc מעשית appellant [v]. Theoretica nomen ſortita eſt ab obiecto, quia circa res ſpeculatione et meditatione aſſequendas occupatur: eſtque ſcientia explicandi ſcripturam ſacram ſecundum traditionem arcanam, et hac methodo dogmata ſublimiora de Deo ſpiritibusque atque mundis deriuandi, et myſticam quandam metaphyſicam, phyſicam et pneumaticam exhibendi. Cabbala vero practica arcanam ſcientiam promittit, artificioſa applicatione nominum diuinorum, dictorumque ſcripturae S. vel ſingularum quoque vocum certo ordine, combinatione et commutatione adhibitarum, res efficere naturae modum curſumque ſuperantes, morbos abigere, adiurare et expellere ſpiritus malignos, incendia reſtinguere, ictus armorum ſine vulnere excipere, et quae alia ſunt mirifica [w], quae iſtius ope ſe efficere poſſe iactat gens ſuperſtitioſa et impia: quam recte ideo notauit HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA [x], horum tamen, ſi quosdam audis, artifex ſtrenuus [y]. Ex hac vero Cabbalae practicae deſcriptione patet, tantum abeſſe, vt diſciplinam quandam philoſophicam exhibeat, vt potius nefandam ſuperſtitionem horrendo nominis diuini abuſu deteſtandam, magiamque aliquam philoſophiae nomine prorſus indignam promittat, licet quibusdam fundamentis ex Cabbala philoſophica petitis, quae infra ſuo loco explicabuntur, nitatur. Hanc verò ita Iudaei ſuſpiciunt, et non tantum licitam, ſed pro ſummo quoque ſapientiae theſauro commendandam eſſe iudicant, vt plures, praecipue recentiori tempore inueniantur, qui Cabbalae practicae ſe dedant, quam qui philoſophicae, de quo ardenti Iudaeorum noſtri temporis ſtudio quod Cabbalae practicae impendunt, digna ſunt lectu, quae congeſſit diligentiſſimi SCHVDTII [z] curioſitas. Ad eam vero inſaniam ineptum de Cabbala practica iudicium Iudaeos coëgit, vt non vereantur afferere, viros ſanctos in gente Iſraëlitica Abrahamum, Moſen [a] aliosque, maxime vero Salomonem hanc magiam Cabbaliſticam exercuiſſe, et ſecretis ſcriptionibus poſteritati commendauiſſe, nec admiſſum fuiſſe ad ſynedrium magnum quemquam, horum myſteriorum expertem [b]. De qua Iudaeorum impietate impudentiſſima collecta plura videſis apud EISENMENGERVM et SCHVDTIVM. Nec alio ex fonte hauſta ſunt, quae de libris magicis, qui hodie ſub Salomonis nomine ambulant et incautis venduntur, ſolent tradi, quales ſunt Clauicula Salomonis, Hiſtoria Aſmodaei, et his ſimiles nugis impiis et puerilibus pleni

v) R. ELIAS LEVITA in Thisbi lit. ס.

w) Vid. Io. IAC. SCHVDT. Memorab. Iud. P. II. L. VI. c. 31. ſeqq. p. 190. ſeqq.

x) De vanit. ſcient. c. 47. p. 49.

y) Multo labore ſe eam ſcrutatum eſſe ipſe fatetur c. 48.

z) l. c. §. 15. p. 196.

a) Etiam Adamum, vt ex iſs liquet, quae de libro Raſiel in praecedentibus dicta ſunt.

b) Conf. RAYM. MARTINI pug. fid. P. III. diſt. 3. c. 22. p. 933. EISENMENGER. Iud. detect. P. I. c. 8. p. 438. ſeqq. SCHVDT. loc. cit. pag. 191.

Digitized by Google

pleni[c], quorum librorum catalogum congeſſit doctiſſimus WOLFIVS[d]. Nihil vero in hac Cabbala practica magis ſolenne atque celebre, vel ad efficienda miracula magis efficax, quam nomen Dei adorandum יהוה, quod Schem hamphoraſch, id eſt, nomen expoſitum vocant, quo deteſtando abuſu ad res naturae vis et operibus longe maiores et miracula praeſtanda adhibere ſolent, nugati, maiores ſuos, maxime vero ſanctiſſimos viros in populo Iſraelitico, res ſtupendas et omni fide maiores eo nomine effeciſſe, ſeque non minora efficere poſſe, quibus tamen enarrandis hic inhaerere, cum ad noſtrum inſtitutum non pertineant, nolumus, dabunt tamen inſulſas impiasque fabulas Iudaeorum legere non faſtidientibus multa laudati viri EISENMENGERVS et SCHVDTIVS[e]. His nominibus diuinis miris inter ſe combinationibus commutatis chartam, membranulas et ſimilia ſignant, et amuleta certi generis miraeque, quod iactant, efficaciae conſtruunt, quale ſupra in clypeo ſiue ſcuto Dauidico deſcripſimus. Vocant haec amuleta קמיעות, ſiue kamea, et triplici forma in trianguli ſpeciem complicatas chartulas collo pectorique appendunt, eaque ſummo loco habent[f]: adiurationes vero ſpirituum, febrium medicationes, faſcinorum ſolutiones, et his ſimilia ea praeſtare, nugiuenduli gloriantur, quae quam inepta, quam impia, quam aliena ab omni iudicio philoſophico, vel mediocriter ingenio ſanus iudicioque recto pauliſper vtens intelligit, dudumque ineptiae ſtultiſſimae gentis viris doctis exploſae ſunt. Quam tamen ſanctiſſimum Seruatorem calumniari, quod iſta ratione vſuque Cabbalae practicae miracula ſua ediderit, merito indignantur omnes[g]. Probe id intellexerunt viri quidam prudentiores inter ipſos Iudaeos, qui ineptum et inſanum hoc contribulium ſuorum ſtudium damnauerunt. Inter quos imprimis MAIMONIDES[h] audiendus eſt, qui de hac re ita diſſerit: *Poſteaquam autem fatui et mali quidam homines ea, quae de ſupra dictis nominibus attulimus, inuenerunt, anſam inde plura mendacia componendi arripuerunt, literas aliquas pro lubitu in dictionem vnam colligenter, ac hominibus perſuadentes, illam hoc vel illo modo dictam aut ſcriptam, talem vel talem habere operationem atque effectum. Mendaciis his ita ab iſto hominum genere confictis coeperant illa in certos libros referri, qui cum ad manus bonorum alioqui, ſed nimis credulorum virorum, qui ſolidum non habebant iudicium, inter verum et falſum diſcernendi, peruenirent, et ab illis inter θησαύρισα ſua adſervati et abſconditi fuiſſent, ſimplices poſteri illos inuenientes, fidem eis tanquam veris adhibuerunt, et pro talibus receperunt, iuxta illud, quod Salomo*

c) EISENMENGER. l. c. p. 350. P. II. c. 8. p. 440. BARTHOLINVS de libris bibl. c. XIX. p. 64. FABRIC. Cod. pſeudepigr. V. T. T. I. p. 103. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 1047.

d) Ibid. P. II. p. 1216.

e) Vid. EISENMENGER. l. c. P. I. c. 3. p. 354. SCHVDT. l. c. §. 16. p. 198. BVDDEVS loc. cit. §. 38. p. 331.

f) SCHVDT. l. c. WOLF. l. c. P. II. p. 1377.

g) EISENMENGER. l. c. p. 354. SCHVDT. l. c. p. 195. WAGENSEIL. tela ign. Sat. p. 25. 32.

h) Moreh nebhoch. P. I. c. 61.

ait: *Stultus credit omni verbo.* Alia Iudaeorum loca Io. WVLFERO [b] adducta tacemus. Narratque CHRISTOPHORVS ARNOLDVS [i], Iudaeum quendam celebris nominis non tantum haec coram ſe improbaſſe, ſed addidiſſe quoque, patrem ſuum, cum mortis oppetendae tempus inſtaret, inter cetera vitae honeſtioris monita, id quoque filiis ſuis accuratiſſime commendauiſſe, vt ab iſtiusmodi artibus et ſtudiis per omnem vitam ſedulo ſibi cauerent. Eadem viri cordati inter Chriſtianos paſſim [k] inculcant, qui vero pretium aliquod Cabbalae practicae ſtatuere videntur, ſi alias ſapiunt, vt REVCHLINO [l] accidit, veram indolem eius non perſpexiſſe credendi ſunt. Certe exempla triſtia, quae male eueniſſe has artes magicas eiusmodi *περιεργίας* ſectantibus docent [m], luculentum argumentum exhibent, quam inanibus ſomniis illae nitantur. Nec rationes meliores ſunt, et omnino fanaticis et inſipidis Iudaeorum ingeniis dignae, quas pro incruſtanda illicita hac arte afferunt: eſſe nomina effluxus ex obiectis ſuis habereque ideo intimam cum iis connexionem; praefectumque eſſe ſingulis rebus angelum rectorem, qui eiusmodi incantationibus adiurari mouerique queat, vt ad voluntatem Cabbaliſtae euocantis adiurantisque ſe flectat [n]. Quam ineptam opinionem ex Aegyptiaca philoſophia habere originem, et ab eius ſectatoribus paulo ſanioribus fuiſſe reiectam, ex iis patet, quae *praecedente libro* de ſtudio magiae inter Alexandrinos philoſophos differuimus. Certe ad abominationes gentiles inter Iudaeos graſſantes hanc Cabbalam practicam pertinere, nobis non monentibus quilibet, qui ratione recte vtitur, intelligit. Cabbala theoretica porro in literalem ſiue artificialem, quam aliqui ſymbolicam quoque, licet minus accurate, vocant [o], et in inartificialem ſiue philoſophicam diſpeſcitur. Eſt vero Cabbala literalis, arcana et artificialis atque ſymbolica explicatio ſcripturae ſacrae, quam a patribus ſuis ſe accepiſſe Iudaei gloriantur, qua certo artificio commutatis transpoſitisque literis, ſyllabis et vocibus ſenſus verborum alius et arcanus eruitur. In tres vero claſſes hanc Cabbalam, ſiue exegeſin myſticam et traditiuam oraculorum ſacrorum diſpeſcunt, in Gematriam, Notarikon et Temurah, quas paſſim viri docti [p] explicuerunt, cum hae nugae multo notiores olim fuerint, quam Cabbala philoſophica. Eſt vero Gematria ſpecies conſiderationis textuum ſacrorum mathematicae, qua literae, voces, ſyllabae, commata, vel contextus inte-

b) In theriac. Iud. not. p. 65.

i) Append. ad WAGENSEIL. Sota p. 1199.

k) Vid. quos nominant WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 1219. SCHVDT. l. c. P. II. L. V. c. 35. pag. 211.

l) De verbo mirifico L. II. c. 12. pag. 924. Coll. Piſt.

m) Exemplum luculentum eſt incendium Francofurtanum in vico Iudaeorum per eiusmodi Baal Schemoth ſiue adiuratorem, R. Naphthali 1711 exortum, qui cum totius nationis ſuae pudore et indignatione prodidit, quam fruſtranea et falſa ſint haec miracula omnia. Rem prolixe narrat SCHVDT. l. c. c. 6. p. 70.

n) Vid. EISENMENGER. l. c. P. II. c. 7. p. 367. BASNAGE l. c. p. 388.

o) BVDDEVS Obſ. Hal. T. I. obſ. 1. §. 6. intr. in hiſt. phil. Hebr. § 38. p. 321. ſed philoſophica quoque tota ſymbolica eſt, eique hoc nomine literalis vel artificialis opponi accurate non poteſt.

p) Plura dabunt TH. HACKSPAN. Miſcell. S. p. 290. et in compendio GLASSIVS philolog. S. L. II. P. I. tr. 2. ſ. 3. art. 7. p. m. 430. alios laudat WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. p. 1210. ſeq.

Digitized by

Integri ex certo numerorum ordine expenduntur et cum aliis comparantur, quam variis modis Iudaei instituunt; maxime vsitatus tamen ille est, si literae, quae signa quoque numerorum apud Iudaeos constituunt, ita disponuntur, vt ex numerandi ordine vocis vel textus alicuius, inferatur altera vox vel alius textus, numero illi similis, hincque concludatur, hanc illius significationem arcanam esse. Hanc Gematriae speciem canon ille roborat, si in textibus vel vocibus duabus inter se collatis idem literarum exsurgit numerus, mysticus ibi sensus est. E. g. literae textus Gen. XLIX, 10. יבא שילה eundem numerum constituunt, quem vox משיח conficit, nempe CCCLVIII, adeoque inde concluditur, per Schiloh Messiam esse intelligendum *p*. Pertinet huc alia quoque Gematriae species, quam צורייח vocant, siue Cabbalam figuratiuam, nempe quando mysticae redduntur caussae, cur quaedam in textu Hebraeo literae maiusculo scribantur charactere, reliquasque quantitate superent. Cuius lusus ingenii specimina in ipsos Iudaeos eleganter retorta exhibet Io. IAC. SCHVDTIVS, ad quem lectorem [redacted]mittimus, cum ad nostros limites res non pertineat, sed prolixius in historia exegeseos sacrae delineanda sit, cuius breuem vero et perspicuam explicationem praeter multos alios dabit SALOMO GLASSIVS ὁ *μακαρίτης* *q*. Secunda Cabbalae exegeticae species et Notarikon, cuius duo potissimum modi sunt; vnus, quando ex initialibus seu finalibus aliquot vocum seu integri commatis literis vna vox colligitur, alter, quando ex vnius vocis singulis literis singulae voces, quarum illae literae sunt initiales, colliguntur. Prius Rascho Tebhoth, posterius Sophe-Theboth vocant, cuius exempla dabunt GLASSIVS, HACKSPANIVS *r* aliique. Tertia species Temurah dicitur, id est permutatio, fitque, vel per simplicem literarum earundem transpositionem, vel per alphabethariam permutationem seu reuolutionem. Prius Albam vocant, et purus putus anagrammatismus est; posterius Atbasch appellant, sicque literarum permutandarum seriem ordinant ex modo priore:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

ex modo posteriore:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל

Facile ex nominibus, quibus hae species Cabbalisticae insigniuntur, suspicari quis potest, falsa esse, quae de antiquitate Cabbalae huius artificialis Iudaei nugantur. Gematriae enim nomen a Graeca voce geometria formatum est, quia secundum proportionem mathematicam literae numerantur. Notarikon, fatente R. ELIA LEVITA *s* nomen habet a notariis Romanorum siue *ταχυγράφοις*, qui vnius literae notatione integras deno-

p) l. c. P. I. L. V. c. 11. §. 49. p. 487. seqq.
q) loc. citat.
r) ll. cc.
s) In Thisbi lit. ת

denotare voces solebant, vel compendia literarum alia adhibebant. A quibus figlis nomen hoc deductum esse agnouit etiam R. NATHAN [t]. Sed res ipsa quoque veterum temporum genio plane aduersa et inaudita, indigna quoque auctoritate scripturae sacrae est, et ingruentem sequioris aeui barbariem prodit, qua sepultis quasi et latentibus melioribus in eiusmodi tricis occupabantur otiosa hominum ingenia; nec inepta est coniectura HVETII [u], suspicantis, has nugas Iudaeos recentes accepisse a Graeculis esurientibus. Quod enim a verisimilitudine non abhorrere videtur BASNAGIO [x], Cabbalam hermeneuticam a literarum compendiis a DANIELE [y] vate narratis originem cepisse, frigidum admodum est, magisque probabile a gentilibus et Christianis in anagrammatismis et acrostichis, deperdito elegantiae literariae sensu meliore acumen ingenii demonstrantibus Iudaeos haec crepundia didicisse. Inter gentiles enim Graecos grammaticos mature coepisse in eiusmodi minutiis inepture ex GELLIO [z] constat, et Leonidae Isopsepha docent, hoc est, versus Homeri, qui collecto literarum singularum, quibus constant, valore, eundem numerum replent. In huiusmodi enim versibus, quorum priores literis constarent eiusdem numeri ac valoris, atque posteriores, Leonidas ille laudem quaesiuit, ex quibus aliqui in Anthologia extant. Vixit autem Leonidas hic poeta Alexandrinus imperante Marco. Ex Christianis autem in simili argutiarum genere panegyricum in Constantinum M. iusit Porphyrius Optatianus. Passimque exempla horum artificiorum extant apud scriptores Graecos ecclesiasticos, recteque huc etiam veterum ἀβραάξας et μέθρας referuntur. Vt taceamus Lycophronis anagrammata, aliaque quae satis euincunt, inter Graecos has ineptias primum, vt leuiori sunt ingenio, ortum habuisse. Alia praecipue de figlis notisque vocum integrarum literis initialibus expressis dabit BASNAGIVS [a], ea in re prolixus, qui consuli potest. Ex his vero intelligi sine labore potest, originem Cabbalae artificialis prorsus esse gentilem, nec ante templi vrbisque vastationem quaerendam, quamuis non audeamus cum REIMMANNO [b] initia eius in Sec. III reiicere. Ex his vero de exigua quoque vtilitate huius Cabbalae constat, quae euertendae magis, quam eruendae menti sacrorum scriptorum inseruit. Nisi in hunc eam vsum adhiberi quis velit, vt eiusmodi artificio Iudaeos ipsos oppugnet, et veritatem Christianam ita κατ' ἄνθρωπον defendat, vel ex his interpretamentis de illorum opinionibus statuere velit, quem vsum eleganter ostendit THEODORVS HACKSPANIVS [b]. Potissimus vero vsus se monstrat in addiscenda Cabbala reali, quam nemo intelliget, nisi hanc explicandi vel torquendi potius sacras paginas methodum intelligat, eo quod mysteria philosophica Cabba-

[t]) In Aruch h. v. conf. HVET. demonstr. ev. Prop. IX. c. 11. p. m. 413.
[u]) De vita sua p. m. 60.
[x]) Hist. Iud. L. III. c. 23. p. 613.
[y]) Cap. V. 5.
[z]) L. XIV. c. 6.
[a]) l. c. p. 614. seqq.
[b]) Hist. theol. Iud. L. I. c. 15 §. 4. p. 344.
[b]) In diss. de Cabbala Miscell. SS. pag. 341. seqq.

Digitized by Google

Cabbaliſtae, eiusmodi luſibus tanquam ſymbolis quibusdam abſconderunt. Cuius exemplum libri etiam antiquiſſimi Cabbaliſtarum Iezirah et Bahir [c] exhibent, ex quibus, quam puerilia et inania hi homines excogitauerint, luculentis ſpeciminibus videre eſt. In quibus, quam parum ſalis inſit, vel vno exemplo docere patietur Lector beneuolus. In *libro occultationis* [d], qui eſt tractatus Soharicus: Sex primae voces, quibus legem auſpicatus eſt diuinus ſcriptor, ſunt ſex numerationes microproſopi, et ſex membra eius, ſic vt legendum ſit pro בראשית in principio ברא שיה creauit ſex: tredecim vero voces verſiculi ſequentes tredecim formae ſunt, dignitatis digniſſimae, ſiue barbae macroproſopi. Vix riſum tenebit lector, has ineptias legens, niſi indignetur, ab impuris apellis maieſtatem ſcripturae ſacrae ita vilipendi. Plura addere et taedet et piget, dabit tamen alia citatus liber *Siphra de Zeniutha*, et qui magna patientia inſanientium Iudaeorum praecipue Cabbaliſtarum nugas collegit IACOBVS BASNAGIVS [e]. Haec vero ſufficere putamus, vt clare cognoſcatur, reiiciendam plane ex philoſophicis terris et in exilium pellendam eſſe Cabbalam artificialem, artem nugaciſſimam, pueris quam viris philoſophantibus digniorem. Aliam prorſus indolem habet Cabbala realis ſiue philoſophica, quae eſt doctrina metaphyſica ſublimior et ſymbolica de Deo, ſpiritibus, mundo, eius origine, initio et fine, de anima et ſimilibus ſecundum traditionem a maioribus acceptam. Eam in duas partes diſpeſcere ſolent, quas ab initiis Geneſeos libri et viſionis Ezechielis Bereſchith et Mercauah appellant. Quod ita interpretantur illi ex Iudaeis, qui Graecanico more philoſophantur, et in his praecipue MAIMONIDES [f], vt prius phyſicam poſterius metaphyſicam ſiue theologiam innuere dicant, eo quod in libro Geneſeos creationis hiſtoria, in prophetia vero Ezechielis apparentis diuinitatis viſio enarretur. Aliter tamen alii, praecipue ex Chriſtianis. Quidam [g], apud veteres Maaſeh Bereſchith continuiſſe putant ea, quae de Dei eſſentia, voluntate et operibus thetica et morali ratione reuelata fuerint: Maaſeh mercauah vero myſteria typorum legis ceremonialis et forenſis comprehendiſſe, exque priori, degenerante theologia Iudaica, Talmudicam, ex poſteriori Cabbaliſticam exortam eſſe. Aliis inter quos Cl. WACHTERVS [h], Cabbala Bereſchith eſt ipſa Cabbala contemplatiua, ſiue rerum diuinarum et humanarum cauſſarumque, quibus hae res continentur, vberrima ſcientia, qua vna nos cum ceteras res, tum quod eſt difficillimum, conatur docere, vt Deum et noſmet ipſos lumine naturali noſceremus, atque vt ex hac cognitione Dei et noſtri et ceterarum rerum adiumenta et auxilia peteremus, vitae bene beateque inſtituendae. Cabbala Mercauah autem eſt

e) Haec vero eſſe ſigna interpolationis ex ſupra dictis intelligitur.
d) Cab. denud. T. II. p. 349. ſeqq.
e) l. c. L. III. c. II. p. 301. ſeqq.
f) Conſtit. de fundam. legis c. II. §. 16. p. 24. c. III. §. 16. 17. p. 48. 49. et GVIL. VORSTIVS ad h. l. conf. Moreh nebhoch. P. II. c. 39.
g) I. B. CARPZOV. introd. in theolog. Iud. c. VI. p. 20. REIMMANN. l. c. c. 15. p. 380. 381.
h) Elucid. Cabbal. c. IV. §. 24. p. 67.

eſt ipſa Cabbala practica, theurgica et magica, cuius partes ſunt innumerae, quam qui nouit, dicitur admirandis pollere virtutibus. Docet autem praecipue myſteria nominum diuinorum, quorum inuocatione eduntur miracula, nomina et virtutes angelorum daemonumque, communicationem ſpirituum, verba mirifica, ſignaturas rerum, punctationem, ſcrutinium animorum, interpretationes ſomniorum, aſtrologiam, futurorum praedictionem, alchymiam, medicinam etc. Verum valde timemus, vt haec Cabbaliſtarum menti per omnia ſint conformia, vt enim Maimonidae teſtimonium, longe aliter hanc doctrinam explicantis ſileamus, quam explicationem veriſimillimam eſſe BASNAGIVS [i], iudicat, docente *Lexico Cabbaliſtico* [k], quod in *Cabbala denudata* extat, Mercauah doctrinas ſephirothicas comprehendit, quae ad Cabbalam practicam non ſpectant. Rectius itaque Bereſchith Cabbaliſtica dogmata de emanationibus ſuperioribus in Adam Kadmon et ſephiris comprehenſis, Mercauah de inferioribus vsque ad mundum Aſiahticum et materialem, et cortices ſiue malos ſpiritus pertingentibus comprehendere videtur: quamquam probabile eſt, ipſos Iudaeos in explicanda hac Cabbalae theoreticae diuiſione non ſemper concordare. Quidam ſcientiam de nominibus diuinis huc etiam aduocant, de quorum virtute et inſigni efficacia ad res miras perpetrandas Cabbaliſtae innumera garriunt. Maxime vero de nomine Iehoua plena ſunt Cabbaliſtarum ſcripta, vt vel ex ſolis libris *Iezirah* et *Sohar* cognoſci poteſt. Non vero patitur inſtituti noſtri ratio, vt in iis explicandis ſimus prolixi, vnde lectorem harum rerum curioſum vel ad *Lexicon Cabbaliſticum* [l], quod Cabbalae denudatae infertum eſt, vel, qui clariora deſiderat, ad BASNAGIVM [m] ablegamus; apud quos adorandi nominis myſteria explicantur: in illo etiam de aliis nominibus diuinis, v. g. de nomine Aelohim et Alla, de nomine Zebaoth, de nomine Ael Aelion, de nomine Aeiaeh, de nomine Adonai, de nomine Iah, de nomine El Schaddai Cabbaliſtica explicatio affertur. Vt vero ſpecimen habeat lector, ſubtilitatis Cabbaliſticae, nosque ἀσύμβολοι ab hoc quoque dogmatum Cabbaliſticorum genere non diſcedamus, en paucis explicationem Cabbaliſtarum philoſophicam nominis diuini Iehoua [n]. „Nomen ſcilicet tetragrammaton eſt quintum, quo velut columna ſuperiores inferioresque ſephiroth fulciuntur et cum eo vniuntur, ab imo „ad ſummum aſcendendo, et ab eo influxum accipiunt, a ſummo ad „imum deſcendendo. Et hoc nomen ſe habet vt arboris truncus, cui „alia ſancta nomina omnia ſupra et infra et circumcirca, vt frondes et ramos „inſerta comperimus. Eſt enim radix et fundamentum omnium diuino„rum nominum, quae ipſi implicantur, vnde omnes ſephiroth ſupernae „per illud ordinantur, omnesque gradus mundi excellentes ſecundum „ſpe-

i) l. c. c. 10. §. 12. p. 289.

k) Cabbal. denud. T. I. P. I. pag. 553. voc. מרכבות.

l) Illud enim librum Pardes comprehendit, qui de nominibus diuinis agit.

m) l. c. c. 13. p. 324. ſeq.

n) Lex. Cabb. v. יהוה p. 382. ſeqq.

Digitized by Google

„ſpeciem ſuam et omnia vehicula tam ſumma, quam ima ab eo repraeſentantur. Immo et literae et puncta ab hoc nomine dependent, et „quicquid cogitatur et dicitur, in eo conſiſtit. Prima eius litera eſt punctum intellectuale et formale, quod nulla creatura intelligit, quia abſconditum eſt, ab oculis viuentium, ita vt homini non liceat meditari „ſuper eo, cum credendum tantum ſit, quamuis non intelligatur, nec „comprehendi queat vera ipſius eſſentia *). Haec litera refertur ad ſephiram ſecundam, quae dicitur Chochma, ſiue ſapientia. Kether enim, „ſiue corona non adumbratur, niſi in apice tantum literae Iod, quantum „inuoluit myſterium Aenſoph. Duo enim nomina repraeſentat et apex „quidem illius ad ſuperna reſpiciens refert lucem illam magnam, primitiuam, profundam, exiſtentiam primitiuam in ipſa natura veritatis eius, „quae vocatur א״ריך et איך גבול, et אין ob nimiam deliteſcentiam, qua „latet omnia entia tam ſumma, quam ima, quorum nullum de eo quicquam valet intelligere: vocatur vero אריר quod habet ſignificationem „exiſtentiae, et denotat rem quae conſiſtit in ipſeitate veritatis ſuae, quaſi, „qui ſolus ſit, qui ſciat exiſtentiam ſuam. Et quia nomen א״ריך in profundo, vt principium exiſtendi eſt miſericordia magna, quae ſubiugat „omnes auctores, hinc vocatur אל. Ex iſtius apicis myſterio prodit „litera Iod, quae vocatur Chochmah, arbitrium illimitatum, quae eſt „ſephira ſecunda. Litera ſecunda tetragrammati ה״ ad Binah refertur, „quae eſt faſciculus nouem ſephirarum, immo decem, quia connectit tres „ſupernas cum ſex ſequentibus, immo et dicimam Malchuth, quando illa „vnitur cum Ieſod. Nomen huic appropriatum eſt tetragrammaton cum „punctis Aelohim, quia Gebhurah, quae vocatur Aelohim, prouenit ex „Binah, et hoc nomen denotat miſericordiam et iudicium, et ab ea pro„veniunt poteſtates iudicii. Litera tertia ו״ denotat ſex illas ſephiras, quae „tres ſupremas ſequuntur, eſtque myſterium vnionis omnium ſephira„rum ſuperiorum et inferiorum, et aſcendit vsque ad Kether, id eſt ſu„premam, deſcenditque vsque ad Malchuth, ſiue infimam, omnesque „eidem adhaerent, quaedam intra, quaedam ſupra, quaedam ad dexteram, quaedam ad ſiniſtram, ipſa autem vocatur linea media. Hinc „habet nomina Ael in Cheſed, Aelohim in Gebhurah, Iedid in Tiphereth, Iedud Zebaoth in Nezach, Aelohim Zebaoth in Hod, et Aelohi „in Ieſod. Ex his vero aliae quoque nominum diuinorum combinationes „oriuntur &c. Litera quarta eſt ה״ vltimum ad Malchuth pertinens, „quae eſt Dominium et Schechina et ſapientia poſterior et Adonai. Hoc „nomen eſt perfectae vnitatis myſterium et lapis Iſraëlis varias delicias „et bona ad eum deferens, et illa habitat ſemper inter Iſraëlitas etiam in exilio eorum Exod. XXV, 8. ſupra hanc autem in fine octo ſephirarum eſt „lapis alius pretioſior margaritis, qui ambit ſeptem ſephiras intra ſe locatas, et propterea vocatur lapis Schoeraeth Eſth. I, 6. Ex his omnibus „ſequi-

*) En ſpecimen philoſophantis.

„ſequitur, ſi pronuntiatur tetragrammaton, aſſumi ore omnia nomina „ſancta, totumque mundum cum plenitudine ſua, vnde intelligitur my- „ſterium praecepti illius Exod. XX, 7. non aſſumes nomen tetragramma- „ton Dei tui in vanum, quia creatura nulla digna eſt, illum lingua ſuſti- „nere, quo portantur omnes exercitus ſupra et infra. Cum itaque homo „effert tetragrammaton, linguaeque ſuae motu literas eiusdem motitat, „hoc ipſo commouet mundos in celſiſſimis, omnesque angelorum exer- „citus in ſupernis gradum ſiſtunt, et admiratione atque triſtitia ob eum „hominem capiuntur. Reliqua nomina diuina veſtes quaſi regiae ſunt, „non partes regis eſſentiales, ſed inſtrumenta ſaltem et habitus pro indu- „mento et defenſione eiusdem. Parciturus itaque mundo et miſerturus „induit Cheſed, Gen. XXI, 33. Cum iraſcitur mundanis ob peccata „eorum, tunc producit inſtrumenta indignationis ſuae, inque horum „vexillo eſt nomen Aelohim, Pſ. LXVIII. &c.“ Habes hic, lector, breue compendium eorum, quae in libro *Pardes* fuſe et confuſe, vt ſolent Cabbaliſtae, atque obſcuriſſime de nomine tetragrammato dicuntur, ex quibus, quantum per denſum ſatis velum perſpici poteſt, cognoſcitur, nomina diuina Cabbaliſtas ita cum doctrina ſephirothica coniunxiſſe, vt ex eorum figura ſonoque, quae neceſſario vinculo connexa ſint, atque inter ſe coniugata, emanationum diuinarum ſeriem fere omnem pendere, et eius pronuntiatione moueri poſſe credant. Quae quoque ratio eſt, cur nomini huic, naturam diuinam pleniſſime euoluenti miraculoſos effectus tribuant. Aſt quam frigida, quam puerilia ſint omnia, quamque inepta ex figura literarum ה, י, ה, י, ratiocinia, quam deteſtabilis ſcripturae S. abuſus inde fluat, ex hoc loco abunde liquere putamus. Cuncta vero, ſi ſymbola vocum literarumque tollantur, ad ſyſtema emanatiuum pertine- re, virtutumque ſubſtantialium ex Deo emanantium, et alias virtutes iterum ex ſe progenerantium operationes deſcribere, ex ipſo ſyſtemate ſephirothico conſtabit. Eiusmodi vero cognomina Deo tribuunt pluri- ma, quae in tabula exhibet liber laudatus [p]. Sed et artificiali Cabbalae ſua res eſt cum nominibus diuinis, quorum exempla, ne longiores ſimus, videnda apud BASNAGIVM [q]. Tandem ad Cabbalam realem et in- artificialem quoque a quibusdam referuntur literae coeleſtes ſiue alphabe- thum ſidereum, quod nouo ſomnii genere in ſcenam produxit IACO- BVS GAFFARELLVS, orbi literato *inauditas curioſitates* deſideran- ti perſuaſurus, plerorumque Cabbaliſtarum, praecipue auctorum libri *Sohar* et *Iezirah* hanc hypotheſin eſſe, quod eius fide repetiit THO- MAS BANGIVS [r]. Chriſtianos autem quos ἐμοψήφους allegauerit Gaffarellus, malumus apud ipſum legi [s], quam lectorem his nugis lon- gius, quam par eſt, detinere. Quamuis autem inter Cabbaliſtas notum dogma

p) p. 419.

q) L. III. c. 13. §. 14. p. 337. ſeq.

r) In coelo Orientis Ex. I. p. 96. II. p. 172.

s) Vid. in compendio HVNDIVS Intr. in hiſt. phil. Hebraeor. §. 45. p. 409. ſeqq.

Digitized by Google

dogma ſit, coelum ſtellasque et intelligere et loqui, et libri inſtar eſſe, ex quo a peritis ſiderum inſpectoribus futura diſci queant, nihil tamen illud commune habet cum ſomniis Gaffarelli, quae huc tendunt: ſtellas certo ordine a Deo eſſe diſpoſitas, quanquam mira primo intuitu in iis confuſio appareat. Hoc vero ordine literas alphabethi Hebraici eas conſtituere, at, quamuis ſtellae octauae ſphaerae fixae ſint, non tamen easdem literas ſemper conficere, ſed plerasque earum pro diuerſo planetarum aſpectu literas variare: maxime vero reſpiciendum eſſe ad ſtellas verticales, eas enim, quae alicui regno impendent, euentus eidem futuros praedicere. Diſtinguendas etiam ſtellas pro ratione coeli partium, orientis, occidentis, meridiei, ſeptentrionis. Haec et ſimilia multa tradit, nugasque has a Cabbaliſtis ſe didiciſſe, non adductis tamen eorum verbis, locisque allegatis, iactat. Verum vt de inſulſa inficetaque hypotheſi nihil dicamus, quam ridendam explodendamque lectoris iudicio permittimus, illud falſum eſt, Cabbaliſtas, licet cetera magnos ſomniorum nugacium patronos, talia protuliſſe. Vnde coniecit B. BVDDEVS [t], ab Arabibus ea inuenta ad Iudaeos quosdam recentiores peruenisse, et ab iis pro Cabbaliſticis placitis venditata eſſe: quae coniectura quoque BASNAGIO [u] placuit. Quamuis autem ab Arabum ingenio ea non abhorreant, euincendum tamen prius eſt, eos coeleſtes ſiderum imagines in literas commutaſſe. Ipſe tamen Gaffarellus inauditarum harum curioſitatum inuentor detectorque primus non eſt, ſi vera ſunt, quae ipſe tradit, Iudaeum quendam R. ELCHA BEN DAVID librum *de lectura per ſtellas* ſcripſiſſe, qui Cremonae in incendio a flammis deuoratus ſit, ſique KIRCHERO [x] fides, qui refert, Iudaeum quendam ABIVDA librum *de characteribus coeleſtibus* elaborauiſſe. Fatemur tamen, et Gaffarelli et Kircheri nobis fidem in hac re tantam non videri, vt nugaciſſimam hypotheſin Iudaeis tribuere audeamus. Quicunque autem eius auctor fuit, certe indigna eſt, quae in philoſophiae hiſtoria locum habeat, quamuis in Pythagorea hiſtoria ſuo loco commenta his non valde diſſimilia occurrerint. Nihil enim habet, quod vel mediocriter philoſophiam ſapiat, nihil, quod ad ſyſtema Cabbaliſticum pertineat, quare recte a viris doctis tota ea fabula ad aniles naenias reiecta eſt [y]. Eundem enim in cenſum recte refertur, in quem Cabbalam artificialem retulimus, qua ipſa adhuc deterior eſt, cum ne literas quidem veras, ſed mera imaginationis exorbitantis ſomnia et imagines vanas ſequatur. Sed de his nugis ſatis. Grauiora iam conſideranda et cardines philoſophiae Cabbaliſticae exponendi ſunt.

t) loc. cit.

u) l. c. L. III. c. 16. §. 9. p. 687. ſeqq.

x) In Oedipo Aegypt. T. II. p. 109. confer. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 13 FABRIC. Cod. pſeudepigr. V. T. Vol. II. p. 2.

y) RICH. SIMON. Bibl. crit. T. II. cap. 15. BANGIVS l. c. Obſ. Hal. T. IV. obſ. 12. §. 8.

Digitized by Google

Fundamenta systematis Cabbalistici.

§. V. Cabbalae philosophicae doctrinam descripturis de vero eius fundamento primisque principiis, quibus ea innititur, et ex quibus, rite cum iis connexis coaptatisque conclusionibus, clarius aliquod systema erui fictique potest, ante omnia dispiciendum est. Hoc enim filo Ariadneo nisi istum labyrinthum ingrediamur, nunquam inueniemus exitum verum optatumque. At quam arduum et difficile opus hoc sit, quam impedita et aspera via, quam obscurissimae, quibus incedendum est, semitae, et quam insuperabilia se obiiciant impedimenta, ex iis, quae supra in obseruationibus generalioribus de Cabbala diximus, abunde constat. Satisque id probant exempla virorum doctissimorum, qui Cabbalisticum systema explicare aggressi passim hallucinati sunt, certe sui magis ingenii ἐυρήματα, quam Cabbalistarum placita nobis propinauerunt. Non prouocabimus ad eos viros eruditos, qui ante Cabbalae denudatae editionem arduo operi manum admouerunt, eorum enim neminem haec mysteria feliciter satis inspexisse, constat: sed ad peritiores atque exercitatiores in hac parte historiae philosophicae prouocamus, Henricum Morum, Helmontiumque parentem, quorum de Cabbalistico systemate cogitationes in *Cabbala denudata* complexus est illustris KNORRIVS z). Qui duo viri, cum primi fuerint, qui Cabbalisticae philosophiae systema ex confusione Iudaeorum in ordinem redigere et ex tenebris in lucem pertrahere conati sunt, omnino attentionem merentur. Ne vero mysteria Cabbalistica perspecturi confundantur, quando vident contraria duo systemata tribuisse Cabbalistis viros hos valde acutos, enarrabimus heic loci paucis, vtriusque opinionem de systemate Cabbalistico, et quid iure in vtraque desiderandum sit, candide exponemus, vt his remotis, quae offendere possent, eo felicius et itinere minus impedito progredi in systemate Cabbalistico detegendo valeamus. Ita vero MORVS in *fundamentis philosophiae siue Cabbalae Aëtopaedomelissaeae*, summa capita Cabbalistica ordinat.

I. Ex nihilo nihil potest creari.

II. Ac proinde nec materia potest creari.

III. Neque vero ob vilitatem naturae suae a se existere potest, eo quod nulla res vilis a se existere potest.

IV. Nulla igitur est materia in rerum natura.

V. Quicquid vero est, spiritus est.

VI. Spiritus autem hic increatus est, et aeternus, intellectualis, sensibilis, vitalis, per se mouens, infinitus amplitudine et a se necessario existens.

VII. Proinde spiritus hic reuera est essentia diuina.

VIII. Nec vlla essentia praeter diuinam a se existere potest.

IX. Cum vero nulla omnino sit essentia praeter hanc in rerum vniuersitate, et manifestum sit, aliquam ex essentia hac vnica, actu diuidi, palam est, essentiam diuinam diuidi posse.

X. Cum

z) T. I. P. II. p. 293. 308. seqq.

Digitized by Google

X. Cum vero eſſentia diuina ſit, ſingulae particulae infinitae ſunt, et in orbes infinitae virtutis et amplitudinis poſſunt extendi expandiue.

XI. Et vero cum ſingulae arenulae lapidumue granula particulaeque aëris, aetheris, ſint partes huius diuinae eſſentiae, aeque manifeſtum eſt, quod in minutiſſimas has partes poſſint contrahi et conſtringi.

XII. Ex contractis partibus conſtat mundus, qui vocatur, materialis, cum reuera ſpiritualis ſit, conſtans vtique ex diuiſis ſpiritibus, particulisue diuinae eſſentiae, in monadas punctaque phyſica contractis et conſtipatis.

XIII. Contractio haec eſt ſtatus ſomni ſeu ſoporis, diuinis his particulis, expanſio vero ſtatus euigilationis.

XIV. Euigilationis vero gradus ſunt varii, videlicet in vitam vegetatiuam, ſenſitiuam, rationalem, et in Neſchamam, Chaiah, et Iachidah; immo tandem euigilatio fit et expanſio in infinitum fere amplitudinis et virtutis orbem, adeo vt haec diuina particula ſpiritusue particularis mundum ſibi fabricare poſſit ex terra, aqua, aëre, coelo, ceterisque partibus conſiſtentem.

XV. Ac proinde particularis hic ſpiritus e puluiſculo, pura marmoris, fieri poteſt planta, e planta brutum, e bruto homo, ex homine angelus, ex angelo denique nouae terrae coelique creator DEVS.

XVI. Idem dici poteſt de ſingulis diuinae eſſentiae particulis, quas neceſſe eſt aut actu ſeparatas eſſe, aut ſeparabiles, nempe omnes aut eſſe, aut eſſe poſſe Deos terrarum coelorumque creatores. Hactenus Morus, qui haec poſtea in ſcholiis latius exponit. Alterum ſyſtema Io. BAPTISTAE HELMONTII eſt, quem auctorem eſſe *dialogi Cabbaliſtici* ex fide Cl. WACHTERI [a] ſcimus, quod hunc in modum praecipit.

I. Creator in ſe conſtituit ſpiritualem naturam, idque ſemper, et ab aeterno generauit, ſpiritusque ex ſe exhalauit, ab eo re ipſa ſeparatos.

II. Horum ſpirituum aliqui ob cauſſam aliquam e ſtatu cognoſcendi et penetrandi ſeu mouendi deſcenderunt in ſtatum impenetrationis, et ſic in centra et profunditates ſuas migrarunt.

III. Hae monades inertes variis modis coaluerunt.

IV. Ex his ſpiritibus ita inter ſe coalitis orta eſt materia, tenebricoſa, mortua et impenetrabilis.

V. Materialis itaque mundus eſt reuera ſpiritualis, nempe ſubſtantia talis, quae in coecitate et quiete illa, atque priuatione prioris felicitatis aliquando ſpiritus fuit, et adhuc radicaliter et fundamentaliter talis eſt, dum conſtat ex ſpiritibus lapſis, obdormientibus et torpentibus.

VI. Adeoque materia, qua talis, ſeu priuatiue conſiderata, non exiſtit ex ſe poſitiue, ſed priuatiue, vt vmbra, quies etc.

a) Spinozism. in Iudaism. detect. P. II. pag. 237.

VII. Haec abyſſus ſpirituum mortuorum vel torpentium tandem euigilat, reditque in ſtatum liberiorem et ſolutiorem.

VIII. Deus itaque creator eſt materiae, at mediate, non vero immediate.

IX. Creatura ex eadem ratione Deo eſt ratione temporis coëterna, ſed non ratione ordinis naturae, vt radii ſolis a ſole dependent, ſed cum eo coëxiſtunt.

X. Creat itaque Deus per neceſſitatem intrinſecam, nempe ratione naturae ſpiritualis, ſpiritus ex ſe exaeſtuans; ſed in mediata creatione, quae eſt tranſiens ad extra, qua ex materia ex ſpiritibus torpentibus coalita creat v.g. alia coelum, alia terram, alia ſidera, agit libere.

XI. Sequitur inde, materiam, qua talem, non eſſe ſpiritum, ſed potius ſubſtantiae ſaltem ſpiritualis extrinſecam et accidentalem quandam modificationem, a qua quam longiſſime diſtet Deus intelligentiſſimus et omnium maxime motor.

XII. Deus itaque materialis dici nequit, ob infinitam eſſentiae ſuae intelligentis et mouentis ſe et alia omnia eſſentiam atque naturam.

XIII. Parum itaque ἀκριβῶς dicitur, materiam factam ex nihilo, eo quod abſurdum eſt, ab ente ſumme perfecto, ſumme intelligente, ſumme libero, motum per ſe habente in ſummo gradu, ſumme penetrante, ſumme immutabili, ſumme poſitiuo, ſumme viuo, produci immediate ens ſumme imperfectum, omniſcientia, intellectu et cognitione in ſummo gradu carens, ſumme neceſſarium, coactum, et ad leges motus paſſiui in ſummo gradu obligatum, adeoque omni omnino libertate et volitione deſtitutum, omni beatitate priuatum, adeoque ſumme mortuum et torpidum, et nihil eorum habens, quae in cauſſa continentur, cum tamen cauſſa nihil poſſit producere ſibi plane diſſimile.

XIV. Creatio itaque materiae facta eſt, ſpiritibus in ſtatum torporis et mortis deſcendentibus, et in monadas phyſicas atque atomos degenerantibus.

XV. Eſt vero ſpiritus idem quidem quod eſſentia diuina, ſed identitate generica vel ſpecifica, non numerica.

XVI. Eſt itaque ſyſtema ſeparatorum mundus a Deo ſeparatus.

XVII. Eſſentia vero diuina non admittit diuiſionem propter vnitatem.

XVIII. Spiritus in ſe conſideratus, quoad nos indefinitus eſt, eiusque amplitudo et extenſio tanta, quantam admittit gradus cognitionis et vnionis eius.

XIX. Non ergo conſtringitur ipſa diuina eſſentia, ſed illud quod ei analogum fuit, ſpiritus nempe creatus. Haec conſtrictio poteſt vocari ſomnus et torpor et mors.

XX. Euigilatio, quae a Cabbaliſtis vocatur ſecretio ſcintillarum, tot habet gradus aſcenſus, quot ſtatui poſſunt deſcenſus, quorum tamen ſummus eſt, vnio cum Deo, licet non vnitas, et vis creandi, non primaria,

Digitized by Google

maria, id eſt, producere ſpiritus, ſed ſecundaria, quae eſt formare vehicula, &c. quae eidem communicari queat.

Et haec quidem Helmontius, qui tamen academice et tentaminis gratia ſe tantum proponere dicit. Patet vero ex vtroque ſchemate, emanationis modum viros hos doctos, praecipue quoad materiam, excogitatis ſuppoſitisque nouis principiis oſtendere, et ex eo Cabbaliſtarum dogmata explicare voluiſſe. Quod recte quidem factum fuiſſe, ex ſequentibus conſtabit: at hypotheſibus precario aſſumtis tentandum non erat. Mirum itaque non eſt, non pauca in iis philoſophumenis diſplicuiſſe viris eruditis aliis, praecipue, qui in hac eruditionis, parte acutius vidit reliquis, Cel. WACHTERO [b], qui Mori ſyſtema examini ſubiecit. Recte is obſeruat theſin nonam, poſſe eſſentiam Dei diuidi, prorſus repugnare menti Cabbaliſtarum, qui cum tota Iudaeorum caterua vehementer inſiſtant doctrinae de vnitate Dei, quae τὸ multum in Deo reſpuit. Vnde Moſes Germanus negauit Helmontio, Deum vnum et multa eſſe. Poterat id diſcere Morus ex R. COHEN IRIRAE *porta coelorum*, qui deſerte [c]: *Cauſſa prima, Deus nempe benedictus, eſt vnus et ſingularis, incommunicabilis pluribus. Nam quia natura et eſſentia Dei ſunt ipſa diuinitas ſingularis, manifeſtum eſt, quod non extendatur ad alia, nec aliis ſit communis: quia alias eſſet hic, et alius ab hoc, adeoque non hic; vno verbo: indiuiduum et vniuerſale, eſſentia idem et eſſentia communis, indiuiſibilis et diuiſibilis. Et concluditur, quod eſſentia et natura Dei ſit incommunicabilis, ſed in indiuidualitate eſſentiam habens; vnde patet et demonſtratum eſt, quod non tantum non detur, niſi vnum ſingulare, indiuiduum, et identitatem eſſentiae habens, benedictus nimirum, qui cauſſatus non eſt, ſed cauſſa prima; ſed et repugnet, illum eſſe ſingularem in ſe, et indiuiduum, et ſimul communem alii vel pluribus.* Ita vero cadit etiam theſis decima, vndecima et duodecima, quae Cabbaliſtarum mentem non exprimunt. Illi enim, vt vir laudatus alio loco [d] recte obſeruat, conſiderant mundos non vt Deum, ſed vt naturae diuinae neceſſarium et immanentem effectum, hinc R. Lorienſis expreſſe dixit, mundum ideo conditum eſſe, vt poſſet Deus perfectus fieri in facultatibus ſuis et nominibus magnificentiae, vt Iehoua et Adonai, vel vt alii addunt, vt poſſet ſe ipſo frui, ſeque ipſum inuerſo quaſi oculo intueri. Cum vero neceſſe ſit, cauſſam alicuius rei, immanentem et emanentem cum illa ſingulariſſime vnum eſſe, quomodo omnes concipiunt, rem et modum rei a parte rei non diſtingui: hinc porro addunt Cabbaliſtae mundum eſſe opus ſubſtantiae diuinae infinitae, attributa ſua infinita varie modificantis, et ad varias ſephiras, emanationes, effluxus, virtutes, formas et naturas finitas determinantis, ſecundum intellectum infinitum. Sed ne quis mundum cum ipſo Deo benedicto in ſecula confundat, ſubiungunt, ſubſtantiam diuinam eſſe natura priorem affectionibus

b) l. c. p. 234. ſeqq.
c) Cabb. denud. P. III. p. 7.
d) Elucid. Cabbal. c. III. §. 7. p. 30. ſeq.

bus ſuis, adeoque etiam mundo Deum, ſed eſſe mundum manifeſtationem et reuelationem Dei in ſe occulti. Negantes autem mundum eſſe Deum de Deo in ſe ſpectato, quatenus ſpectatur vt En-Soph, ſeu occultus et ſe ſolo contentus, intelligi volunt. Si quis autem mundum velit vocare Deum, quatenus Deus ab intellectu humano conſideratur vt Adam-Kadmon, id eſt, quatenus reſpicitur non vt abſconditus, ſed per emanationes et effluxus a ſummis ad ima euolutus et explicatus, eatenus non repugnant, vniuerſum aliqua ratione poſſe dici Deum, ſed manifeſtatum. Rectiſſime haec vrget vir praeſtantiſſimus, quia ſyſtema Cabbaliſticum non diuidit eſſentiam DEI in multa, et vni multa ineſſe contendit, quod contra articulum fundamentalem primum et praecipuum eccleſiae Iudaicae pugnat, ſed tantum per modum emanationum et communicationis eſſentiae rerum omnium origines explicat, quod ſyſtema Mori prorſus euertit, qui Stoicam hypotheſin Cabbaliſtis affinxit, ea autem principia poſuit, quibus latiſſimum aequor, quod tangit Cabbaliſtica philoſophia, exhauriri non poteſt. Longe vero magis recedit a Cabbaliſtis Helmontianum ſyſtema, quod multitudinem in vnitate Dei alia, quam Morus, nec feliciore ratione ponit. Ita enim vnum in eſſentia Dei Cabbaliſtae ponunt, vt non queat ſeparatione ſpirituum torpentium in partes diuidi: quam ſeparationem nec nouit Cabbala, nec indicat ſyſtema ſeparatorum. Vt taceamus animae originem ex hac Helmontii explicatione non poſſe ſecundum Cabbaliſticorum doctorum mentem oſtendi. Anima enim non ex ſtatu euigilationis eſt, et ex torpente monade euoluta et excitata ad ſtatum ſenſitiuum, rationalem, ſpiritualem et diuinum eleuatur, quod Cabbaliſtis Helmontius affingit, ſed ex ſuperiore Horto Eden per mundos deſcendit, et veſtimenta in deſcenſu ſenſitiua et vitalia demum accipit. His itaque exemplis virorum acutiſſimorum, qui non ſatis feliciter in hac arena deſudarunt, moniti, abſtinebimus ab omni hypotheſi precario aſſumta, et ad emanationis leges, quas ſecutos fuiſſe Cabbaliſtas ſupra probauimus, attendentes, ea eligemus, quae cum veteres Cabbalae doctores obſcurius, tum recentiores huius philoſophiae interpretes paulo clarius tradiderunt, ſperantes fore, vt vbi hi tres fontes conſpirauerint, verilimili ratione vera mens Cabbaliſtarum queat detegi. Maxime vero ex recentioribus commendari merentur R. IIZCHAK LORIIA et R. ABRAHAM COHEN IRIRA, quorum prior ſcripſit *librum Druſchim*, qui introductionem exhibet metaphyſicam ad Cabbalam, ad quem ſcripſit HENRICVS MORVS *conſiderationes de quaeſtionibus*, in quibus dubia haud leuia contra ſyſtema hoc metaphyſicum in ſcenam produxit: poſterior autem in libro *Schaar Haſſchamaim*, i. e. *porta coelorum*, Hiſpanice, tum Hebraice ſcripto et poſtea in Latinum ſermonem translato tractationem de Cabbaliſticis dogmatibus metaphyſicam dedit, ſolito clariorem, et concinniori ordine decurrentem, in qua auctor Platonicis haud raro argumentis et illuſtrationibus vtitur. Vtrumque librum debe-

Digitized by Google

debemus ſtudio illuſtris KNORRII, qui eos partem haud ignobilem collectionis ſuae Cabbaliſticae esſe voluit. Eidem debemus etiam commentarium R. CHAIIM VITAL in librum Sohaicum *Siphra de Zeniutha* [f], ſed multo obſcuriorem, quem is demum recte intelliget, qui Irirae commentationem metaphyſicam probe expenderit.

§. VI. Iſtis vero fontibus conſultis his potiſſimum fulcris innititur ſyſtema metaphyſicae Cabbaliſticae: *Syſtematis Cabbaliſtici delineatio generalis.*

I. Ex nihilo nihil fit, i. e. oriri aliquid ex nihilo non poteſt. Caput atque cardo hic eſt totius philoſophiae Cabbaliſticae omnisque ſyſtematis emanatiui, quod ideo ex eſſentia diuina emanaſſe cuncta ſtatuit, quia impoſſibile ducit ex non-ente vllo modo fieri ens, ex nihilo aliquid. Luculenter id ſupponit IRIRAE [g], ſtatuens: *Non tantum produxiſſe Deum omnia entia, et quicquid in iis continetur, in cauſſato hoc primo, i. e. Adam Kadmon, ſed et modo quam perfectiſſimo produxiſſe, nimirum emanando, et non creando, per modum cauſſatorum, non formatorum, et, vno verbo, eminenter formalia et intellectualia.* Non ignota quidem apud Cabbaliſtas vox creationis, at longe alio ſenſu, quam in ſcholis Chriſtianorum perſonat, in quibus productionem rei finitae ex non-ente vel nihilo per virtutem cauſſae infinitae, et neceſſario per ſe ſubſiſtentis innuit, hoc enim ſenſu inter Cabbaliſtas creationis vox nunquam audita eſt. Sed creatio Cabbaliſtico ſenſu eſt emiſſio et expantio diuini luminis in tempore facta, vt mundi exiſterent. De qua luculentus locus LORIIAE [e], qui ita de creatione pronuntiat: *Ab illo tempore, quo coepit expanſio et emiſſio iſta horum luminum, mundorumque dictorum, dependet exiſtentia creationis, notio ſcilicet omnium creatorum, ſeſe inuicem ordine ſubſequentium, vsque ad hoc ipſum momentum. Quoniam igitur ordine quodam opus fuit expanſioni et emiſſioni huic, tempore ſibi ordine ſuccedenti, non ſane poſſibile fuit, vt vel citius fieret vel tardius creatio mundi huius: quilibet enim mundus creatus eſt, poſt creationem mundi ſibi ſuperioris, et mundi ſinguli creati ſunt atque extenſi et demiſſi, et procedunt alius ſub alio, temporibus diuerſis, et a ſe inuicem diſcrepantibus, donec ordo tangeret creationem mundi huius: atque tunc iſte creatus eſt, tempore ſibi debito creatis prius mundis ſuperioribus.* Similia paſſim apud Cabbaliſtas occurrunt, quorum loca exhibentur in *lexico Cabbaliſtico* quod videndum [h]. Non mirandum vero, Cabbaliſtas, alia in eccleſia ſua doceri, vt ſupra demonſtratum, videntes ad hunc lapidem offendiſſe, multo minus cum Cel. BEAVSOBRIO [i] ex hoc Cabbaliſtarum

e) Loriiae liber T. II. P. I. p. 28. Irirae T. I. P. III p. 1. ſeqq. extat.
f) T. II. P. II. tr. 4. p. 3. ſeqq.
g) Diſſ. IV. c. 1 p. 76.
h) Tr. I Druſchim c. I. p. 30.
b) Voce בריאה p. 208. voce בריאתא p. 571. conf. BVRNET. Archaeol. phil. L. I. c. 7. p. 366. BASNAGE Hiſt. Iud. L. IV. c. 7. p. 132. 150. ſeq. Praeiuit PHILO, quod mundus ſit incorr. p. 939.
i) Hiſt. Manich. P. II. L. V. c. 3. p. 195.

Digitized by Google

ſtarum dogmata concludendum, totam eccleſiam Iudaicam ita de creatione decreuiſſe. Aperte enim πρῶτον hoc καὶ κύριον δόγμα Cabbaliſtarum prodit, philoſophiam Cabbaliſticam non ex gremio veteris doctrinae Iſraëliticae, ſed ex ſinu gentilis philoſophiae prodiiſſe, quam in vniuerſum ita praecepiſſe, et ex non-ente etiam a cauſſa infinite potente et per ſe ſubſiſtente nihil poſſe produci, docuiſſe, adeoque vel duo principia coaeterna, Deum et materiam ſtatuiſſe, vel vnam omnino rerum omnium ſubſtantiam duabus partibus immanentibus, agente et patiente, Deo ſc. et materia conſtantem aſſeruiſſe, vel per emanationem ex Dei gremio cuncta effluxiſſe, contendiſſe, ex luculenta, quam hactenus dedimus, ſyſtematum metaphyſicorum et phyſicorum omnium philoſophiae gentilis delineatione patet, recteque a viris doctis affirmatum demonſtratumque eſt [a]. Cauſſa vero, quae inprimis Cabbaliſtas adduxiſſe videtur, vt hoc axioma in ſe veriſſimum ſenſu illimitato reciperent, haec potiſſimum eſt, quod inter ens et non-ens diſtantiam infinitam et contradictoriam eſſe viderent, et τὸ ex, ad cauſſam materialem referrent, quam in ſpiritibus quidem exulare dicunt, verum ad materiam pertinentem in Deo locum non habere putant, eo quod materiae contradictoria eſſet natura reſpectu Dei, quam nempe in priuatione ſola ſtatuunt, orientales philoſophos ſecuti: vnde non eſſe reuera in mundo materiam, aſſerunt, vt poſtea oſtendemus. Confudiſſe vero homines hos abſtractas ideas cum ſenſibilibus conceptibus, miſcentes cauſſam materialem cum materia, adeoque circulum commiſiſſe vitioſum, ex dictis liquet; quemadmodum veram mentem eccleſiae ſuae, ex nihilo condidiſſe Deum omnia, non ſatis aſſecuti τὸ ex male pro particula cauſſae materialis acceperunt, rati non-ens vel nihilum fuiſſe cauſſam materialem, ex qua Deus omnia condiderit. Quod falſum omnino et abſurdum eſt, eo quod ens et non-ens ſimul exiſtere, et in ordine cauſſarum reperiri inuoluit. Quam tamen abſurditatem creationis ex nihilo patroni recte reiiciunt. Vnde concidunt ſimul rationes omnes, quas pro Cabbaliſtis contra creationem ex nihilo affert HELMONTIVS [b] pater, eo quod ſupponunt, τὸ ex, ſolam cauſſam materialem innuere, ſicque nihil inter cauſſas referri et priuationem meram enti neceſſario adiungi. At nec eccleſia Iudaica vetus, nec quae eam ſecuta eſt Chriſtiana vnquam ſomniauit, priuationem eſſe cauſſam effectus poſitiui, quemadmodum, qui aſſerit cum D. Paulo: Deum ex tenebris produxiſſe lucem, nunquam tenebras cauſſam dicet eſſe materialem, ex qua Deus lucem produxerit et formauerit. Quin et haec ratio Cabbaliſtis id principium commendauiſſe videtur, quod metuerent, ne aeternitati Dei iniuria fieret, niſi ita ſtatuerent. Ita enim ratiocinati videntur: ſi ex nihilo fieri poſſit aliquid, poſſibile eſſe, vt aliquando Deus non fuerit, ſed ex nihilo demum ortus ſit atque extiterit. Verum hac quo-

a) BVRNET. l. c. p. 373. et qui ex inſtituto argumentum hoc excuſſit BEAVSOBRIVS l. c. T. 2. p. 163. ſeqq. et qui multo luculentius id demonſtrauit Cel. MOSHEMIVS pec. diſſ. CVDWORTHI Syſt. intellectuali inſerta.

b) loc. citat.

Digitized by Google

quoque ratione creationis ex nihilo ſenſum non percepiſſe dicendi ſunt, quae tantum abeſt, vt res omnes ſine cauſſa efficiente infinita ab aeterno neceſſario exiſtente ortas eſſe dicat, vt potius neceſſitatem entis infiniti cauſſaeque efficientis infinita potentia inſtructae euincat, et efficaci ratione ita Dei exiſtentia ex hoc ipſo principio, abſoluto ſenſu ſumto: ex nihilo nihil fit, demonſtretur. Quod ſi verum ſenſum creationis ex nihilo maleſani doctores cogitaſſent, ſi ad ea dogmata de Deo attendiſſent, quae ſacra oracula de infinita Dei potentia afferunt, parcius iſta ſtatuiſſent, et facilius impium emanationis ſyſtema, quod Deiſmum inuoluit, euitaſſent. Id enim vult dogma glorificandae ſummi Numinis maieſtati conuenientiſſimum: ex nihilo creaſſe Deum omnipotentem omnia: produxiſſe ens hoc infinitum, et neceſſario ex ſe exiſtens, perfectiſſimum nullisque impotentiae limitibus circumſcriptum omnia, ex nulla praeexiſtente materia, adeoque ante illud et cum illo nihil fuiſſe, cum omnia crearet, ſed ex liberae voluntatis et infinitae potentiae diſpoſitione, ſine cauſſa materiali extitiſſe omnia. Quod nec contradictionem, nec impoſſibilitatem vllam inuoluit, cum omnino ad entis abſolute infiniti naturam pertineat, vt a nulla cauſſa materiali infinita eius potentia et, quod idem eſt, eſſentia limitetur, hoc enim demum contradictionem inuolueret: cum e contrario hac ratione ens hoc ſummum et infinitum vera et ſola cauſſa ſit non exiſtentiae tantum neceſſariae, qualem in emanatione Cabbaliſtae fingunt, ſed et contingentis, qualis in rebus ex nihilo creatis obſeruamus. Quod an non magis et rationi et pietati conueniens ſit, quam Deum non cauſſam tantum efficientem, ſed et materialem rerum omnium facere, quod Cabbaliſtae faciunt, quicquid etiam de materiae notione priuatiua garriant, vt incautos decipiant, quilibet iudicare poterit, qui cauſſarum ſeriem intelligit. At hoc fundamento ficulneo innititur totum ſyſtema Cabbaliſticum; hac cynoſura praeeunte ab eccleſiae ſuae doctrina patriaque traditione receſſum fecerunt; hoc paranympho gentili philoſophiae connubium promiſerunt; hoc ſuaſore mundum in Deum expanſum, Deum in mundum contractum nefanda impietate conuerterunt. Quid itaque de toto ſyſtemate pio prudentique iudici ſtatuendum ſit, ex his colligi poteſt. Plura deſideranti affatim de hac re dabunt BASNAGIVS[m], MORVS[n] et WACHTERVS[o], viri acutiſſimi, vt alios taceamus, qui pro veritate creationis ex nihilo pugnarunt. Ipſe IRIRA[p], licet totus ſyſtemati emanatiuo inhaerens, fatetur, *vt aliquid exiſtat ex nihilo, requiri vim infinitam et actum, qui non reperitur niſi in cauſſa prima, eo ipſo, quod eſt aliena a finitate.* Quod ſine dubio ex Chriſtianorum ſcholis habuit, Cabbaliſtae enim veteres ideo emanationum ſeriem receperunt, quod ne ab infinito quidem lumine aliter, quam emanatione ex ſe aliquod produci crederent.

m) loc. cit.
n) l. c. T. I. Cabb. denud. P. II. p. 295.
o) Spinoz. in Iud. P. II. p. 224. ſeqq.
p) l. c. diſſ. II. c. 3. p. 47.

II. Non datur itaque ſubſtantia, que ex nihilo prodiit, vel ex non-ente creata eſt.

III. Hinc materia quoque ex nihilo prodire non potuit, ſed ex alio originem cepit. Probat id IRIRA [p] ex abſurditate proceſſus in infinitum ita: *Deſcenſus perfectionis a ſummo gradu ad imum, et a maximo ad minimum, non poteſt eſſe in infinitum, ſed perueniendum tandem ad id, quod omnium maxime priuatum eſt perfectione, quod eſt materia prima, quae aliena et priuata eſt ab omni perfectione et forma, et vsque adeo vicina atque propinqua nihilo et priuationi, vt ab hoc non differat per id, quod habet, quia nihil habet ommino, ſed per id, quod poſſit obtinere et recipere, quae eſt abſoluta eſſentialitas entium, id eſt formarum naturalium et compoſitorum.* Miſcuiſſe his in verbis Iriram notiones et axiomata Peripatetica Cabbaliſticis, rei huius periti facile deprehendent: at aſſumit tamen et rationibus ab Ariſtotele mutuum acceptis probat, materiam non eſſe ſolam priuationem, ſed ſubiectum ex quo, et emanationem infimam, ideo neceſſaria conſequentia aſſerendam, quod emanationes ex ſummo ente non poſſint in infinitum protrahi vel in merum abire non-ens.

IV. Materia propter vilem naturam ſuam originem a ſe habere non poteſt. Ratio eſt, quia ipſa materia forma caret, adeoque materia a non-ente vel a nihilo potius, vno tantum gradu differt, proximaque eſt nihilo, vt monet IRIRA [q].

V. Hinc vero ſequitur, non eſſe materiam proprie dictam in rerum natura. Ratio philoſophica theſis huius quae inter *κυρίας δόξας* Cabbaliſticae philoſophiae pertinet, haec eſt [r]: *Intentio cauſſae efficientis eſt, ſibi ſimile reddere opus ſuum, et quanto gradu ſimile eſſe poteſt opus cauſſae ſuae, in tantum etiam decet illud produci. Vnde cum cauſſa prima ſit ſubſtantia incorporea et intellectualis conuenit vt etiam producat ſubſtantiam incorpoream et intellectualem potius, quam materialem et corpoream, quia illa ſimilior eſt ipſi quam haec.* Valde id vrſit HELMONTIUS [s], monens, ſi materiam qua talem, Deus creaſſe ſtatuatur, poni in actiuam cauſſam produxiſſe paſſiuum effectum, vitam, mortem etc. verbo, effectum ſibi prorſus diſſimilem et contrarium, quod contra ordinem cauſſarum et effectuum ſit. Quas rationes in hanc vnam concludere poſſumus, ex ente non poſſe prouenire non-ens: adeoque id quod materiae nomen habet, debere habere entitatis aliquid, nec meram priuationem eſſe poſſe. Ex quo ſequitur, cuncta quae ſunt, reuera eſſe ſpiritum, nec poſſe eſſe materiam, quae in ſe mera ſit priuatio. Magna vero ſe hic premi difficultate Cabbaliſtae qui philoſophari et ratiocinari dedicerunt, vident, eo quod palpant, ſpiritum hunc modificatum, quem materiam vocari dicunt, ex priuatione ita factum, habere in ſe compo-

p) l. c. c. 4. p. 48.
q) Ibid. p. 49.
r) l. c. p. 57.
s) Loco ſupra laudato.

Digitized by Google

compoſitionem partium, at compoſita ex ente vno ſimpliciſſimoque emanare non poſſe. Cui difficultati vt occurrat IRIRA [y], *cauſſatum*, dicit, *quod a natura ſimpliciſſima progrediatur, habere entitatem, non vero unitatem vel ſimplicitatem, ſed eſſe quodammodo plura. Cum enim vnum ſit, quod cauſſae ſuae eſt inferius, neceſſario debere eſſe multum, vt ex. numerorum natura conſtat. Et quia compoſitum ſit ex conceptu, qui aliquid habet de cauſſa eius, et ex conceptu quo diſſimile eſt cauſſae ſuae, hinc apparere, quod non ſit ſimplex, vt illa, ſed compoſitum ex vnitate cuiusvis partis ſuae, et ex natura cuiusuis vniuerſali et ex omnibus ſimul ſumtis atque toto.* Quod totum argumentum Pythagoricum eſt, quae ſchola ex vnitate et duitate numeros resque omnes productas eſſe dicebat; quam philoſophandi rationem veteribus Iudaeis placuiſſe, qui principia Cabbaliſticae philoſophiae didicerunt, ex Philone conſtat. Verum ludere nos Cabbaliſtas, metaphyſicas notiones phyſicis immiſcentes et ex compoſito quodam in abſtracto, vel potius multo, compoſitum aliquod in concreto effingentes, facile deprehendet, qui haec paulo altius rimatus fuerit.

VI. Ex his porro fluit, omnia, quaecunque ſunt, eſſe ſpiritum.

VII. Spiritus hic increatus eſt, aeternus, intellectualis, ſenſibilis, vitalis, per ſe mouens, infinitus amplitudine, et a ſe neceſſario exiſtens.

VIII. Ac proinde hic ſpiritus eſt Enſoph, Deus infinitus. Rationibus has duas aſſertiones roborat IRIRA [z] philoſophicis, demonſtrans, hunc ſpiritum eſſe perfectum, ſimplicem, independentem, a corporis natura remotum, infinitum optimumque, adeoque Enſoph ſiue Deum benedictum in ſecula, cauſſam cauſſarum et eſſentiarum omnium.

IX. Cuncta itaque oportet ex hoc ſpiritu infinito emanare atque fluere. Hactenus principia negatiua Cabbaliſtae poſuerunt, quae recte quoque ſecuti ſunt Morus et Helmontius; qui vero primum iam principium poſitivum explicaturi pro emanatiuo ſyſtemate Stoicum elegerunt, vel Eleaticum, falſoque tribuerunt Cabbaliſtis. Eorum enim philoſophiae prora puppisque, et principium verum atque primum eſt: omnia ex Deo emanaſſe. Nempe negata rerum productione ex nihilo et vno Eleatico atque Stoico, duo tantum originis earum modi reſtant, vt nempe res omnes aut ex praeexiſtente materia formatae dicantur, aut emanaſſe ex eſſentia Dei aſſerantur; prior enim cauſſam materialem extra Deum ponit, poſterior in ipſo Deo. At priorem eſſe abſurdiſſimum, et primo articulo fundamentali eccleſiae ſuae, vnitati Dei aduerſum, probe intelligebant, reſtabat itaque poſterior, cum creationem ex nihilo, id eſt, nulla praeexiſtente cauſſa materiali pro impoſſibili haberent, vt dicerent, cuncta ex Deo emanaſſe. Quod vt ab Orientalibus acceperunt, qui id ad Zoroaſtre didicerunt, vetus ſyſtema dualiſticum Magorum in emendante et reformante, ita vbique in libris Cabbaliſticis crepant. Qua de re ne patientia lecto-

y) §. 7. p. 75 z) c. 4. p. 11. c. 6. p. 18. c. 8. p. 25. c. 9. p. 29.

Digitized by Google

lectoris abutamur, loca LORIIAE [y], et IRIRAE [z] apud ipsos legi volumus. Dabimus tantum locum Soharicum [a], vt constet, non recentiores tantum Cabbalistas hoc systema emanatiuum excogitauisse, sed veteres idem quoque suppositisse. Ita vero allegoricus liber: *Traditum est, antequam senior seniorum occultus occultorum instituerit efformationes regis, et diademata diadematum, principium et finis non fuit. Sculpsit ergo et proportiones instituit in se, et expandit ante se velum quoddam, et in eo sculpsit, et certa proportione distribuit reges, et formas eorum, et non substiterunt.* Non afferemus in praesentia, vbi alia agenda sunt, obscurissimi loci interpretationem, euolutae allegoriae velo, videri enim facile ea potest in paraphrasi quam adiecit *Cabbalae denudatae* auctor, sed id tantum monemus, aut nullum prorsus sensum verbis his inesse, aut intelligendam esse productionem sephirarum siue principiorum ex occulto occultorum emanantium per emanatiuum aliquod principium primum, quod primum principiatum recte vocites, constitutum, quod symbolo veli ex Deo occulto facti adumbrat. Eo enim fine ista efformatio facta est, vt Deus in occulto latens, per emanationes suas appareret, et conspiciendum se praeberet. Ait enim auctor in sequentibus: *Senior seniorum occultus occultorum, in membra compositus et praeparatus est, quasi diceretur inuentus est, et non inuentus est, non enim plane comprehendi potuit, sed formatus quidem est, nec tamen innotuit alicui. quoniam est senior seniorum, sed in conformatione sua innotuit, vt quidam senex senum, decrepitus ex decrepitis, occultus occultorum, et in signis suis innotuit, et non innotuit: canus habitus et aspectus apertura faciei cuiusdam, sedet super throno scintillarum, vt subigat illas etc.* Ex quibus verbis paulo curatius attento manifestum esse potest, macroprosopon, siue principiatum primum quod fontis instar reliquis omnibus est, ideo emanasse, vt Deus in aeterno latens conspicuus fieret, sicque mundus esset per emanationem Deus manifestatus. Hoc enim sine emanatione concipi non potest. Sed haec cuncta ex sequentibus lucem accipient. Et haec causa est, cur R. NAPHTHALI HIRTZ in *explicatione libri Sohar* [b], Deum locum mundi vocitet, qua in re contribules plerosque habet consentientes, vt supra dictum.

X. Ex hoc vero rerum omnium fonte spirituali constituto, necessario est, omnia effluxisse, adeoque in eo quoque consistere.

XI. Est itaque mundus effectus Dei immanens, in quo essentia diuina attributa et proprietates suas variis modis gradibusque explicuit et modificauit. Hoc luminis infiniti symbolo Cabbalistae exprimunt, quod retraxit radios, vt possent finita existere, inque iis per Adam Kadmon mundos figurauit. Ita enim laudatus commentator Soharicus [c]: *Principium emanatio-*

y) Tr. I. libr. Druschim c. 20. p. 30. c. 3. p. 39. 40.
z) l. c. diff. V. c. 9. p. 101. seqq. p. 108. seqq.
a) Idra Rabba Sect. II. Cabb. denud. T. II. P. I. p. 390. seqq.
b) Sect. I. §. 30. p. 159.
c) loc. cit.

Digitized by Google

natiuum omnium collegit veſtigium in puncta minuta, et ex centum punctis facta eſt litera una, in illis enim omnibus vita eſt, conſiſtuntque e luce ſubſtantiae eius. Quibus clariorem lucem affundit LORIA [d], cuius verbâ, cum rerum omnium ortum emanatiuum ſatis luculenter explicent, hic integra legenda dedimus. Ait enim: *Scito quod antequam emanarent emanantia, et creata eſſent creata, lux ſuprema extenſa fuerit pleniſſime, et impleuerit omne vbi, adeo vt nullus daretur locus vacuus in notione lucis, nullumque ſpatium inane, ſed omnia eſſent plena luce illa infiniti hoc modo extenſa, cui ſub omni notione ſua finis non erat, eo quod nihil eſſet, niſi extenſa illa lux, quae vna quadam et ſimplici aequalitate vbique ſibi erat ſimilis, atque iſta vocabatur Or Haënſoph, lux infiniti. Cum autem in mentem veniret extenſo huic, quod vellet condere mundos, et emanando producere emanantia, atque in lucem proferre perfectionem potentiarum ſuarum actiuarum et nominum atque cognominum ſuorum, quae erat cauſſa impulſiua creandi mundi, tum compreſſa quadantenus lux iſta a puncto quodam medio ad latera circumcirca receſſit, atque ſic relictus eſt locus quidem vacuus, dictus ſpatium inane, aequidiſtans a puncto illo exacte in medio eius conſtituto.* Quam manifeſtationem emanantis Dei infra ſchematiſmo explicabimus. Ex his diſcimus, cauſſam finitatis et modificationis eſſe, diſtantiam a cauſſa prima: quo longius enim a primo fonte emanans diſtat, eo maiorem oportet eſſe imperfectionem. Perfectionem enim emanationibus propter infinitatem ſumma cauſſa tribuere non poterat, ſed ſufficiebat infudiſſe eſſentiam finitam, quo ipſo quodammodo permanebant defectuoſa, et infinitate illa carentia, quam intra ſe habet: ſic vt diminutior cauſſati gradus ex eo proueniat, quod cauſſa eius non abſolute in illud extendatur. Pluribus haec luculenter explicat IRIRA [e], dignus qui legatur. His itaque ſuppoſitis porro neceſſario ex legibus ſyſtematis emanatiui ſequitur:

XII. Quo propius emanans eſt infinito fonti primoprimo, eo maius eſt et diuinius; et e contrario.

XIII. Quo magis longiusque a fonte hoc ſummo primoque diſtat emanatio, eo magis deficit diuina virtus atque natura [f].

XIV. Vt vero emanationes ex occulto latenteque infiniti luminis diuini fonte prodirent, apparerentque modificationes diuinarum poteſtatum et proprietatum, primum aliquem fontem principiatumque ex ſe emanare fecit, per quod et ex quo omnes reliquae emanationes conſiſterent; et hic Adam Kadmon eſt, id eſt homo primus, ſiue Dei primogenitus. Hic ille fons eſt primarius, ex quo emanarunt, tanquam ex principiato primo omnia, quod ſub veli imagine ab occulto occultorum expanſo Iochaidis ſchola adumbrauit; de quo in ſequentibus plura dicemus. Obſcure de hoc homine primo, quem a Moſe intelligi volunt narrante: Deum condidiſſe

d) l. c. p. 35.
e) Diſſ. V. c. 7. §. p. 96. ſeqq. c. 12. p. 107.
LORIA l. c. c. 2. p. 38.
f) Hoc ex ſyſtemate mundorum Cabbaliſticorum infra explicando lucem accipiet.

didiſſe hominem ad imaginem ſuam, veteres Cabbaliſtae diſſerunt, variisque eum ſymbolis abſcondunt [g], de quibus poſtea dicetur. Clarius tamen hanc cauſſam inſtrumentalem infiniti Dei primariam in condendis mundis expandendisque emanationibus ſuis depingunt LORIA [h] et IRIRA [i], quorum hic tredecim argumentis fortiſſimis euincere conatus eſt: *Quod a principio primo immediate emanauerit principiatum vnum tantum et perfectum.* Accepiſſe hoc quoque Cabbaliſtas ex ſchola Alexandrina Platonicorum ad Orientalium philoſophiam reformatorum, doctrina illorum de λόγῳ menteue diuina, ceterarum rerum omnium fonte, luculenter demonſtrat.

XV. Primogenitus hic Dei filius in emanationibus ſuis ſe Deum praecipuis modis manifeſtauit, decemque fontes luminoſos ex ſinu ſuo expulit, qui vocantur ſephiroth [k]. Ex inſtituto hanc aſſertionem infra explicabimus.

XVI. Per has ſephiras ſiue fontes lucidos ex primogenito homine prodierunt res omnes coeleſtes et in emanatione immanentes; ſpirituales productaeque ſine praecedente materia; angelicae, et creatae in ſubſtantia et ſubiecto, et materiales, quae dependent a materia in eſſe, ſubſiſtere, poſſe, et operari. Inde oriuntur quatuor mundi Aziluth, Briah, Iezirah et Aſiah, id eſt, emanationis, creationis, formationis et fabricationis [l]. Senſum aſſerti luculentius infra euoluemus, et qua ratione legibus ſyſtematis emanatiui quatuor hi mundi Cabbaliſtici conſtent, explicabimus. Hoc autem loco id monendum, cuilibet horum mundorum ſuum peculiare ſyſtema ſephirothicum tribui, ex Adam Kadmon ſiue principiato primo prodiens, quas emanationum diſtributiones per hos mundos per radios lucis ex primi hominis cranio, oculis, auribus, naſo, ore etc. prodeuntes ſymbolica ratione praefigurant; et ita e. g. ſephirothicas emanationes mundi Aſiahtici ſiue materialis ex pectore deriuant. De quibus nugis videndus LORIIA [m].

XVII. Ex his porro ſequitur, quicquid exiſtit, non exiſtere ex ſe ipſo, nec ex nihilo ortum eſſe, ſed ex Deo mediante principiato primo ſiue fonte emanatiuo, qui eſt primogenitus Dei, effluxiſſe ex infinito lucis diuinae oceano. Haec formalis ratio ſyſtematis emanatiui eſt, quod omnia ex latente occultaque Deitate mediante principio aliquo primo, quod ante omnia ex Deo effluxit, deriuat, qua ratione Zoroaſter ex Mithra Oromaſden, Simon Magus philoſophiae orientalis alumnus ex Deo abſcondito virtutem ſiue aeonem maximam liberatorem mundi, Alexandrini philoſophi mentem diuinam ſiue λόγον deriuauere, et ex hoc denum principio reliquis omnibus origines ſuas tribuerunt. Nam hi

g) Idra Rabba Sect. II. §. 31. Cabbal. denud. T. II. p. 391.
h) l. c. p. 36.
i) l. c. diſſ. II. p. 31. ſeqq.
k) Citati p. 35. 41. 73.
l) LORIA l. c. p. 44. IRIRA l. c. diſſ. V. c. 7. p. 97. diſſ. VI. c. 16. p. 134. Lexic. Cabbaliſt. v. Aziluth. p. 146. Et Cabbaliſtae tantum non omnes.
m) pag. 43.

Digitized by Google

hi omnes cum Cabbaliſtis, in his duobus fulcris totius ſyſtematis emanatiui conſpirabant, emanauiſſe lucida, realia, ſubſtantialia omnia ex Deo, eum vero, cum ob eſſentiae profunditatem in abyſſo deitatis occultus latuiſſet, ex ſe genuiſſe, vel expuliſſe generationis vel emanationis modo principium aliud diuinum ſibi proximum, per quod ſe manifeſtauerit, rebusque omnibus eſſentiam et exiſtentiam ex ſe largitus fuerit. Vidit id, vt in philoſophorum Graecorum ſcriptis raro inter ſuos exemplo erat verſatiſſimus, IRIRA [n], qui recte obſeruauit, Plotinum eandem doctrinam defendiſſe, demonſtrando, neceſſario exiſtere aliquid quod ſit ſupra omnia, et eſſe aliquid quod ſit infra omnia, nempe corpus, et quod inter duo extrema ſit medium aliquod, quod duo haec extrema vniat. Nam quod Alexandrinis philoſophis σεῖρα catenamue illam conſtituit, quae a mente diuina dependet, et per varios emanantium ordines et ſeriem vsque ad corpora pertingit, et ſumma imis coniungit, id Cabbaliſtis primigenius ille Dei filius, homo primus eſt, et quae ab illo dependet ſephirarum catena per quatuor mundorum ordines, vsque ad materialem mundum ſe extendens. De qua re cum ſuo loco luculenta Plotini verba adduxerimus, totumque horum philoſophorum ſyſtema explicuerimus, hic nihil mouemus, lectoris arbitrio relinquentes ea, quae ibi dicta ſunt, cum Cabbaliſtico ſyſtemate comparare, quod ſine nouo lumine in argumento in ſe obſcuro non fiet. Qui ſi ſimilitudinem PLOTINI [o] ea de re adhibitam, cum ea, quam R. NAPHTHALI HIRTZ [p] attulit, contulerit, videbit non ſine delectatione, ouum ouo non eſſe ſimilius, quam Alexandrinorum et Cabbaliſticorum philoſophorum de emanationibus ex primo principiato meditationes.

XVIII. Eſt itaque mundus a Deo diſtinctus, vt effectus a cauſſa ſua, verum non vt tranſiens, ſed vt immanens: ex quo patet, propter emanationem mundi ex Deo, eum eſſe Deum manifeſtatum, ſiue eſſe eum euolutionem et expanſionem Dei in ſua eſſentia occulti, et in eo, velut regno ſuo patefacti et viſibilis. Dedimus hac de re verba Soharica paulo ſupra; et neceſſario haec ex antecedentibus conſequuntur. Vi enim ſyſtematis emanatiui, non eſt quidem emanatiuum formaliter idem cum eo, ex quo emanauit, cum ratione ordinis naturaeque principium prius ſit principiato, et ita in ordine cauſſalitatis omnino ab effectu ſuo, licet in eſſentia immanente, diſtinguatur: quo ſenſu etiam recte dicitur, Cabbaliſtas Deum et mundum, creatorem et creaturas inuicem diſtinxiſſe. Aſt cum ex vno eodemque fonte fluxerint omnia, et eadem eſſentia gaudeant, per ſeriem emanationum communicata, licet varie modificata et limitata, patet tamen quo fundamento Cabbaliſtae accuſari queant, quod

n) l. c. diſſ. II. c. 2. p. 41.
p) Cabb. denud. T. II. p. 257.
o) Ennead. VI. L. V. p. 660. ſeqq.

quod vnitatis diuinae immemores essentiae diuinae multa radicaliter immo essentialiter quoque inesse, et finita ex infinito fonte effluere dixerint. Quaecunque autem in eo Cabbalistarum vel culpa vel innocentia sit, de quo hoc loco non disputabimus, illud certum, et, ne dogmata diuersissima inter se confundamus, probe notandum est, mundum Cabbalistarum esse necessarium et immanentem effectum DEI, ab essentia eius tantum ratione manifestationis distinctum separatumque, quemadmodum radii solis ex eius lumine emanantes in eo a sole distinguuntur, quod lucis expansio sunt, licet a lumine illius quoad essentiam non distent. Sunt itaque sephirae, aeones, ideae, effluxus, emanationes, formae, et quaecunque alia philosophorum hac de re vocabula occurrunt, Deo quidem fonte suo posteriores natura et ordine, et hoc quidem sensu mundus, qui per eas ex Deo emanauit, non est Deus, sed ex Deo, sicque systema Cabbalisticum a Stoico differt. Verum hoc tantum de Deo En-Soph, id est, de principio omnium primo-primo in occulto latente intelligendum est, non vero de Adam Kadmon siue Deo in principiatorum serie et euolutione se ad inferiora extendente et manifestante, sic vt hac significatione mundus Deus dici queat, non Stoico vel Eleatico sensu, sed Pythagorico-Platonico. Vnde licet Irira aliquoties ad Eleaticorum vnum prouocauerit, id tamen non eo sensu intelligendum, quo ex mente Xenophanis, Zenonis, et Melissi accipiendum esse *Tomo primo* demonstrauimus, sed eo, quo PLATO in *Parmenide* systema idealisticum Parmenidi tribuit, eiusque vnum explicuit.

Et haec quidem vera fundamenta sunt, quibus innititur totum systema Cabbalisticum. Quae verbis quidem ex Graecorum et Christianorum philosophorum scholis, quibus vti sunt Loriia et Irira petitis ob perspicuitatem describenda erant, reuera autem, et quoad rem ipsam, in omnibus libris Cabbalisticis, si allegoriarum velum reuoluas, inueniuntur. Ex quibus in summam contractis, recte pronunciauisse de Cabbala dicendus est perspicacissimus BVRNETIVS g: *Cabbalam realem tractare potissimum de rerum originatione et gradationibus, siue de modo productionis a summo ente, aut profluxu rerum a prima causa, et earundem rerum gradibus et descensu a summis ad ima, atque haec per suos mundos et sephiroth, et personas, et portas, per sua lumina et radios et vasa et receptacula et cortices aliosque modos extulisse.* Ex hac generali systematis Cabbalistici adumbratione autem specialia quoque et primaria dogmata explicanda sunt, quae iam propius intuenda, vt constet, qua ratione ex infinito omnis realitatis fonte rerum omnium origines naturamque Cabbalistae deduxerint. Singula vero capita peculiari aedificio metaphysico constant, quibus singulis rite perspectis, non difficile erit lectori, integrum sibi Cabbalisticum systema describere. Dabimus itaque in sequentibus systematicam enarrationem dogma-

g) Archaeolog. philos. c. 7. p. 371.

Digitized by Google

dogmatum Cabbaliſticorum de Adam Kadmon, de decem Sephiroth, de quatuor mundis, de angelis et ſpiritibus, de animae origine, deſcenſu et reditu, quibus adiiciemus in fine pauca de quinquaginta portis prudentiae et triginta duobus ſemitis ſapientiae. Sunt praeter haec alia multa apud Cabbaliſtas, ſed adeo obſcura et allegoriarum Cabbalaeque artificialis ineptiis deformata, vt nec patientia lectoris, nec noſtro otio in iis extricandis abutendum eſſe putemus. Certe qui iſtis deliciis capitur, et quae dicentur recte tenuerit, ſuo poſtea Marte in haec adyta poterit penetrare.

§. VII. Primum et praecipuum ſyſtematis Cabbaliſtici dogma eſt de Adam Kadmon, homine primo, filioque Dei, id eſt principiato primo, quod fontem reliquorum emanatiuorum conſtituit, quodque primum et immediatum poſt Deum excelſum principium eſt, quod ex infinito illo lucis diuinae aequore emanauit, et ex ſinu Deitatis ſcaturiuit, vt eius miniſterio et operatione mundus emanatiuus, ſpiritualis, aetherius et materialis, ſiue Aziluthicus, Briahticus, Iezirahticus et Aſiahticus ſecundum emanationis leges conderentur. Hunc fontem ideo a Deo conſtitutum eſſe Cabbaliſtae dicunt, vt, cum ipſe in occulto occultorum lateret, in his emanationibus euolutis explicatisque manifeſtaretur. Vt vero ſecundum conſuetudinem Orientalem hoc principiatum primum multis ſymbolis et allegoriis abſconderunt obſcuriſſimi philoſophi, et mox literarum nominumque diuinorum figuris, mox veli, mox draconis etc. imagine adumbrarunt, ita imprimis filii, hominisue figura depinxerunt, ex cuius partibus omnibus diuinae lucis radii rutilant, et e. g. ex oculis, barba, ore, labiis, capiteque toto, pectore, brachiis, pedibus, membrisque omnibus effluunt fontes luminoſi, luce diuina pleni, et in circulum in ſe agitati motique [e]. Hos fontes lucidos, per quos in mundos emanantes influit lux diuina in primogenito homine comprehenſa, variis iterum imaginibus exprimunt Cabbaliſtae, et perſonas nobis ex iis effingunt, quae vero non creaturae ſunt, ſed notiones et radii infiniti, qui per varios gradus ita a ſummo fonte deſcendunt, vt tamen ab eo non ſeparentur, ſed ipſe per has extendatur ad creationem et gubernationem entium omnium [f]. Hi itaque fontes lucidi, ſiue lumina, mundique enſophici perſonae creaturae Adam Kadmon, id eſt, hominis primi vocantur, eo quod ab eo immediate, et tanquam radii eradiantes ex vno centro proficiſcuntur, quod R. NAPHTHALI HIRTZ ſchematiſmo radiorum ex centro oblique emicantium non ineleganter depinxit, et phraſibus ad metaphyſicam ſcholaſticam magis adaptatis delineauit IRIRA [g]. Hinc mundum enſophicum, id eſt hominem primogenitum cauſſatumque primum et immediatum ex caligine id eſt ex occulto latenteque Deo progreſſum ſub ſimilitudine hominis et fa-

Dogma de Adam Kadmon.

e) Vid. Fig. XII. Cabb. denud. T. I. P III. p. 233.
f) Conf. IRIRA l. c. diſſ. IV. c. 11. pag 88. WAGENSEIL. Spinoz. in Iud. P. I. p. 91.
g) Cabb. denud. T. II. p. 257.
h) loc. cit.

cultatum partiumque animae et corporis adumbrant, et de eius membris, quin et genere et familia, patre, matre, vxore et similibus differunt, vt ex arboribus Cabbalisticis, quas Cabbala denudata exhibet, videre est, quibus lucem LORIIAE [y] et IRIRAE [z] disputationes accendunt. Cuncta vero seposito velo symbolico ad has assertiones possunt reuocari [x].

I. Priusquam emanarent emanantia et creata essent creata, lux suprema extensa fuit pleniſſime, et impleuit omne vbi.

II. Nullus itaque dabatur locus vacuus, in notione lucis, nullumque spatium inane, sed omnia erant plena luce illa infiniti hoc modo extensa, cui sub omni notione sua finis haud erat, eo quod nihil esset, nisi extensa illa lux, quae vna quadam et simplici aequalitate vbique sibi erat similis, atque ista vocabatur Or Haënsoph, Lux infiniti. Hic est fons ille fontium, et radix radicum, quam non Cabbalistae solum, verum omnes quoque Orientales philosophi ex Zoroastrea philosophia prodeuntes, et Alexandrini philosophi praesuppossuerunt, quamque Philo quoque, vt supra memoratum, agnouit. Hunc Deum primo priorem, quo nomine cum appellat Iamblichus, ab aeterno in infinitate lucis suae absconditum latuisse statuebant, donec per emanationes ex occulto prodiret, hinc occultus occultorum, et senior seniorum in libro *Sohar* passim dicitur. Multa de hoc lumine absconditо habet liber *Ieзirah* et commentatores eius, quibus ideo in mundo ensophico suprema et proxima emanatio, corona, splendorque vnitatis maxime aequalis dicitur אין האין non-ens, eo quod omnem entitatem, vnitatem, numerum, incomprehensibilitatem sublimitate hyperphysica supergrediatur, et omnem notionem intellectus humani propter naturam fontis sui superet. Eadem ex ratione caliginem quoque vocant Ensoph, non ratione naturae suae, quam totam lucem dicunt, sed ratione comprehensionis humanae, quia emanatiuis omnibus in tenebris vel absconditо potius incognitus manet. Cum his velimus comparari quae de hac Dei supremi vel fontis potius fontium diuinorum notione supra in delineatione philosophiae Orientalis et Alexandrinae diximus, vt communes natales eo luculentius pateant. Quod vero lucis symbolo Deum istum descripserunt, vel potius, lucem quandam veram at intelligibilem et spiritualem rerum omnium fontem fuisse dixerunt, id ex Oriente quoque eos accepisse dubium non est, cuius populos tantum non omnes sub hac imagine naturam diuinam descripsisse, historia philosophiae barbaricae testatur. Haec lux omnia replens, et ad omnia, modo tamen non corporali, extensa, πλήρωμα illud constituit, in quo aeonas Orientales, sephiras Cabbalistae, principia mentis idearumque diuinarum et animae ὑπερκοσμία Alexandrini Platonici constituebant.

III. Prae

y) l. c tr. I. libri Druſch. p. 43.
z) l. c. diſſ. V. c. 13. p. 184. c. 14. p. 189.
x) Damus in plerisque verba LORIIAE l. c. c. 2. p. 38. seqq. et IRIRAE l. c. c. 12. p. 105. ex quibus locis repetiuerunt quoque WACHTERVS l. c. p. 82. seqq. et BVDDAEVS l. c. p. 43. p. 383. seqq.

Digitized by Google

III. Prae nimietate ſplendoris vehementiſſime coruſcantis non poterat produci mundus, vel oriri aliud quid.

IV. Cum autem in mentem veniret extenſo huic, quod vellet condere mundos, et emanando producere animantia, atque in lucem proferre perfectionem potentiarum ſuarum actiuarum, et nominum atque cognominum ſuorum, quae erat cauſſa impulſiua creandi mundi, tum compreſſa quadantenus lux iſta, a puncto quodam medio ad latera receſſit, atque ſic relictus eſt locus quidam vacuus, dictus ſpatium inane, aequidiſtans a puncto illo, exacte in medio eius conſtituto.

V. Compreſſio autem illa vndiquaque ſibi aequalis fuit circa dictum centrum, per omne ſpatium, adeo vt locus ille vacuus exacte eſſet circularis ſub perfectiſſima aequalitate, nec concipi hic poſſit vlla quadratura vel angulositas, ſed contractio illa facta ſit circulariter.

VI. Deſcripſit itaque et formauit ſic lux terminos limitesque ac menſuras omnibus rebus, eſtque hic locus generalis rerum omnium, qui myſtice vocantur vacuum infiniti, in quo continetur lux ab hoc ibidem relicta deſtinata ac praeparata pro omnibus cauſſatis futuris [7].

VII. Nempe quoniam lucis tantum radii eſſent compreſſi retractique ad latera, erat adhuc eſſentiae diuinae aliquid in ſpatio tenebricoſo.

VIII. Hac itaque contractione infiniti locus factus eſt cauſſatis producendis.

IX. Ex retractione iſta producta eſt ita ſubſtantia luce carens, id eſt ſpiritualis et expanſa.

X. In hoc ſpatium luce carens, lux infiniti retracta puncta vel veſtigia impreſſit, quae eſſent vaſa futurorum mundorum. Symbolice in his loqui Cabbaliſtas ex lucis imagine patet, quamuis veriſimile ſit, materiam aliquam ſubtiliſſimam, actiuam, infinite expanſam eos cogitaſſe, ſed eam materiae craſſiori oppoſitam, ſpiritum dixiſſe. Niſi enim hoc ſupponamus, ratio dari non poteſt, quomodo retractis ad latera diuinae lucis radiis remanſerit in medio ſubiectum aliquod, ſiue vas, tenebricoſum, ſine lumine, quod tamen ſubſtantiae diuinae eſſet particula. Quamuis enim IRIRA moneat, *non putandum eſſe, vaſa illa et ſubiecta recipientia (quae ſpeculi inſtar radios lucis recipiunt) eſſe materialia, vt formas, ſed ſpiritualia et naturas determinatas, quae exiſtentiam a ſe ſuſcipiant, quae quodammodo ab ipſis erat ſeparata*, hoc tamen de ſubiectis materialibus Peripateticorum tantum intelligendum eſt, vnde extenſi notionem in hoc argumento Cabbaliſtae non refugiunt, Deumque, in Adam Kadmon et in ſephirarum ſuperiorum triade locum vocant [8]. Nec

7) IRIRA l. c. p. 106.

8) Vid. lex. Cabb. v. מקום p. 548.

Digitized by Google

aliud patitur ſyſtema Cabbaliſticum, quod ab omni materialitatis notione purgari non poteſt, niſi illud plane velis euertere. Hanc contractionem Cabbaliſtae vocant Zimzum [a].

XI. Erant itaque haec vaſa deſtinata ad recipiendam lucem et potentiam infiniti, quam ex luce concaui ſui a ſummis partibus deorſum vergentem in ſpatium erat demiſſura. Philoſophice haec explicat IRIRA [b], quod Enſoph reſtrinxerit atque limitauerit potentiam ſuam operandi, atque vim ſuam ad diſpoſitionem potentiae producti naturamque dependentis.

XII. Quia vero in ſpatio hoc tenebricoſo, ſi ex omni parte retractae lucis infiniti (Enſoph) radii in haec vaſa fuiſſent immiſſa, omnia luce infinita fuiſſent repleta, ſicque cuncta iterum infinita luce conſtitiſſent, nec fuiſſet diſcrimen inter finitum et infinitum, ideo vſa eſt lux infiniti ad immittendos radios in vas hoc tenebricoſum, linea quadam e luce concaui ſui, a ſummis partibus deorſum vergente, illamque demiſit et deriuauit in ſpatium dictum, vt certum lucis modum acciperet.

XIII. Haec linea inſtar canalis erat, per quem exundationes lucis infinitae et ſupremae in mundos, in hoc ſpatio producendo defluerent.

XIV. Summum autem initium iſtius lineae deductum erat ex ipſo infinito, hoc ipſum proxime attingens, finis vero pergebat deorſum intra ſpatium illud inane, et hac mediante emanatione produxit, creauit, formauit atque fecit omnes mundos.

XV. Quamuis autem lineae iſtius ſummum initium proxime attingant lucem infiniti in partibus concaui eius ſupremis, finis tamen eius non protrahitur ad tantam profunditatem, vt ipſam quoque lucem infiniti ſubter mundis gyratam attingat, illique adhaereſcat; alias enim non habere finem, vel ſuperius et inferius, ſummum et imum.

XVI. Lux autem haec demiſſa per hunc canalem, non ſtatim via recta pergit deorſum, ſed ſenſim illuc deriuatur, adeo, vt datis primis curſus rectilinei initiis, mox deflectat ad figuram circularem, orbemque illico conſtituat circumcirca tenuem, qui circulus tamen luci infinitae in circuitu ſuo non vſquequaque adhaereſcat, ne iſte circulus cum luce infinita confunderetur et res in priorem ſtatum recideret. Vnde circulus iſte propinquus quidem erit concauo infiniti, non tamen adhaerebit eidem vllo nexu, adeoque emanatio infiniti tantum ſub tenuitate lineae procedit, qua via lumen illud immanans circulo iſti infunditur: alias enim ſi lumen illud iſtis circulis vndiquaque afflueret, emanantia aeque atque

a) Ibid. v. צמצם p. 665. b) pag. 107.

Digitized by Google

atque ipſum ſcaturiens infinita eſſent, terminoque et menſura atque finibus carerent.

XVII. Ideo circulorum horum denarius conſtitutus eſt numerus, quoniam menſura ipſis modulusque et terminus competit.

XVIII. Iſte circulus, propinquior infinito, coronae nomine indigitatur, et tum linea haec vlterius protenſa paululumque promanans alterum circulum intra primi concauum conſtituit, qui vocatur ſapientia, et ſic porro protenſa deorſum alios circulos continuata ſua extenſione per vices circumgyrata vsque ad circulum decimum conſtituit, qui regnum appellatur.

XIX. Et hac quidem ratione decem ſephiroth, fontesque luminum ex iſta lucis diuinae linea in gyrum effluunt, a ſupremo circulo ad infimum, repetita ſimili emanatione per omnes mundos. Quilibet enim mundus ſephiras decem ſpeciales habet, et quaelibet ſephira ſpecialis cuiuscunque mundi compoſita eſt ex decem ſpecialioribus et ſic in infinitum c): omnes autem habent figuram circulorum homocentricorum, et ſe habent ad inſtar ſphaerularum caepariarum, ſibi inuicem incluſarum.

XX. Illa linea a ſummo illo culmine deorſum protenſa, a qua procedunt omnes circuli ſupra dicti, ſimul etiam via recta deorſum pergit ab excelſiſſimo ſummi illius concaui epiſtomio, vsque ad debitam circulorum depreſſionem, idque per medios illos circulos omnes et forma quidem hominis, ſtaturae debitae verſus coelum erecti, in quo numerari queant CCXLVIII membra dextro ſiniſtroque et medio ſitu diſpoſita.

XXI. Haec figura vocatur Adam, id eſt homo, eſt enim macrocoſmus, continens omnia cauſſae primae cauſſata, et ſicut Adam inferior accipit omnia ab omnibus, ita ſuperior omnia dat omnibus; ſicut ille eſt terminus lucis deſcendentis, ita hic aſcendentis etc.“ Adam Kadmon vero vocatur, quia primigenius Dei filius, prima creatura, id eſt prima emanatio eſt, cauſſatumque primum ex infinita luce emanans.

Haec celebris illa de primogenito homine, ſiue Adam Kadmon doctrina eſt, quae haud ignobile Cabbaliſticae philoſophiae caput conſtituit, et qua rite intellecta reliqua lucem clariorem accipiunt. Ex hoc enim primo emanationum finitarum fonte per omnes mundos facta eſt diuinae lucis ad eſſentiam rerum conſtituendam communicatio: in eo decem ſephiroth fundantur et comprehenduntur, et ex hac ſimilitudine intelligi poteſt, qua ratione emanationis negotium factum eſſe Cabbaliſtae velint. Vt vero lector imaginibus hiscemodi non aſſuetus, facilius ea, quae LURIIAE potiſ-

c) Vid. Fig. XII. T. I. P. III. Cabb. denud. pag. 233.

d) Multis haec exſequitur IRIRA diſſ. VI. c. 4. p. 109.

potiſſimum verbis attulimus, intelligat, en figuram Loriianam de Adam Kadmon in concauo lucis infinitae et decem ſephiris ex eo ſcaturientibus:

Ceterum variis nominibus hoc principiatum primum emanationum diuinarum Cabbaliſtae inſigniunt. Non enim filium modo Dei primogenitum vocant, ſed creaturam quoque, hominem, regem, &c. Quae nomina cum ſymbolica tantum ſint, caue hominem perſonamue ex nihilo vel ex incondita materia factam intelligas. Nihil aliud enim eſt, quam cauſſatum primum proximumque cauſſae cauſſarum, quod ideo ex ſinu ſuo infinitum lumen expulit, vt cum occultiſſimum et abſconditum lateret, proprietates ſuas in condendis mundis communicandisque eſſentiae ſuae perfectionibus emanatiuo ordine oſtenderet et manifeſtaret. Fons itaque hic Adam Kadmon eſt diuinitatis, ex quo emanationes luminoſae, quae ad conſtituendum mundum Aziluthicum, Briahticum, Iezirahticum et Aſiahticum neceſſariae erant effluxerunt. Creatura vero dicitur, quia ex Deo ortum accepit; creationem ex nihilo enim Cabbala ignorat.

Quod

Digitized by Google

Quod vero de eius cranio, oculis, naſo, ore, barba eiusque pilis, pectore, manibus, pedibusque et ſcintillis ex his partibus emicantibus operoſe nugantur, ſymbola ſunt ſonticulos fontium, et circulos circulorum ſephirothicorum ſatis craſſa imagine adumbrantium, eosque per variorum mundorum gradus deducentium. Recte enim notauit IRIRA [e]: *Lumina et perſonas non per ſe eſſe creaturas, ſed notiones* (emanatiuas) *infiniti radiosque, qui per gradus varios a ſummo fonte ita deſcendunt, vt tamen ab eo non ſeparentur, ſed ipſe per has extendatur ad creationem et gubernationem omnium entium, ſitque cauſſa vnica et perfecta, quamuis determinata ad hanc illamue operationem per hanc vel illam ſephiram modumque.* Quod enim de ſephiris hic dicitur, eo magis de Adam Kadmon valet, quo magis is ſephirarum fons eſt. Ex his vero iudicandum eſt, vtrum Cabbaliſtae per hunc hominem ſuperiorem, filiumque Dei, hominemue primum ſecundam ſacro ſanctae Trinitatis perſonam, filium Dei vnigenitum intelligant? Quam quaeſtionem omnes illi affirmant, qui myſteria Chriſtianae religionis in Cabbala deprehendiſſe, vidiſſeque veſtigia veteris dogmatis credunt. Satis enim inter ſe concordare putant, eo quod Adam Kadmon ex luce infinita Deitatis emanauit, et πρωτότοκος τῆς κτίσεως primogenitus, creator etiam moderatorque rerum omnium et mediator inter infinitum Deum in inacceſſo lumine habitantem et regnum eius hominesque in eo verſantes vocetur. Placuit hoc poſt veteres Picum, Reuchlinum, Angelum Burgonouenſem aliosque HENRICO MORO [f] et IOANNI FRANCISCO BVDDEO [g]. Rectius tamen alii [h] confundi inter ſe longe diuerſa monent. Filius enim Dei ſecunda SS. Trinitatis perſona intra En-ſoph eſt, Adam Kadmon autem eſt infra illud infinitum et ab eo vt cauſſatum a ſua cauſſa, principiatum a principio differt. Nec reuera Adam Kadmon infinitum principium eſt, cum initium et finem et modificationem habeat, et radius tantum infiniti luminis ſit, quamuis interdum En-ſoph vt ſuprema quoque ſephira Kether, vocetur, id enim nomen tantum propter originem ſuam emanatiuam infinito lumini proximam et connexam habet. Ex quibus patet, longe differre filium Dei vnigenitum Chriſtianorum, verum Deum lucis infinitae radium infinitum et χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως, ab Adam Kadmon Cabbaliſtarum. Nec vtriusque munus concordat. Adam Kadmon enim non virtute propria creat, ſed miniſter Dei in occulto latentis eius perfectiones emanantes ad inferiora tantum propagat, et ſic ordine retrogrado animam per mundorum reuolutiones ad ſuprema ducit, quod longe alio ordine modoque de filio Dei mediatore praedicat Chriſtiana religio. Ex quibus diiudicanda ſunt, quae de vnione diuinae

e) l. c. diſſ. III. c. 9. §. 7. p. 73.
f) Qq. in libr. Druſchim Cabb. denud. T. I. P. II. p. 63.
g) Intr. in hiſt. phil. Hebr. §. 43 p. 393.
h) WACHTER. Elucid. Cabbal. c. III. §. 11. pag. 35.

Digitized by Google

nae et humanae naturae in perſona primogeniti Cabbaliſtica obſeruauit Cl. WACHTERVS [1]: *Diuinam filii naturam in antemundanis vocare Cabbaliſtas eam, quae cum Patre et Spiritu S. vnum Enſoph conſtituit, humanam vero tandem, quatenus rebus creandis condeſcendit, et in deminoratione emiſſa eſt, et quatenus a diuinitatis fonte ſecundum aliquam ſui partem longe profluxit, vt poſſit incorporari et incarnari, et in illa et cum illa reliquae creaturae.* Haec enim a Chriſtianis dogmatibus longiſſime diſtare, vel ſola τῦ Adam Kadmon incorporatio prodit, quae non diuinae naturae cum humana vnionem perſonalem, ſed emanationum ex Adam Kadmon profluentium et ad mundum Aſiahticum pertingentium materialitatem, et luminis ab Adam Kadmon accepti priuationem innuit. Vnde melius faciunt, qui eiusmodi comparatione abſtinent, cum tota ſyſtematis emanatiui indoles adorando SS. Trinitatis myſterio applicari minime queat. Certiori vero comparatione Adam Kadmon Cabbaliſtarum cum λόγῳ philoſophorum Alexandrinorum conciliatur. Nam pleraque accurate conueniunt, λόγος enim Platonicorum horum prima et proxima emanatio ex Deo eſt, et in ſe habet ideas et emanationes omnes, eo quoque mediante et eſſentiam largiente non mundus tantum ὑπερκόσμιος (Aziluthicum et Briahticum Cabbaliſtae dicunt) ſed et ἐγκόσμιος, ſiue Iezirahticus et Aſiahticus Cabbaliſtarum conſtitit, ab eo tota emanationum per hos mundos catena dependet, et hoc nomine non demiurgus tantum, ſed et mediator eſt, vt haec omnia ex fuſe ſupra delineata horum philoſophorum doctrina de principiis diuinis pluribus pateſcet. Id quod luculentum argumentum eſt, non Iudaeos tantum in anteceſſorum horum hominum ſcholis philoſophiam hanc diuiniorem didiciſſe, ſed et Cabbaliſtica et Alexandrina dogmata ex communi philoſophiae Orientalis fonte fuiſſe hauſta. Cum vero hic λόγος hominem quoque intelligibilem conſtituat, ratio hinc patet, cur hominem ad imaginem Dei conditum apud Geneſeos ſcriptorem ſacrum, ab homine inferiori Philo loco ſupra adducto diſtinxerit, et quod eius Adam ſuperior et Adam Kadmon Cabbaliſtarum vnus idemque ſit. Hi enim eadem prorſus ratione verba loci iſtius ſacri explicant et ad Adam Kadmon transferunt. Quae ad confirmandas origines philoſophiae Cabbaliſticae ſupra poſitas omnino notanda ſunt.

Dogma de Sephiris.

§. VIII. Alterum, quod praecipuum in philoſophia Cabbaliſtica locum occupat, eſt dogma de ſephiris decem, quod arcte cum doctrina de Adam Kadmon cohaeret, vt ex antecedentibus intelligitur. Quamuis autem ex iis, quae de emanationibus principiati primi ex fonte fontium fluentibus adduximus, non difficile ſit veram Cabbaliſtarum mentem de ſephiris perſpicere, fecere tamen innumerae virorum doctorum diſſenſiones de vera earum ſignificatione totam hanc tractationem obſcuram et difficillimam. Facilius enim gryphis iungentur equi, et quadrata aptabuntur

[1] loc. cit.

Digitized by Google

buntur rotundis, quam diuerſiſſimae de ſephirarum ſenſu et ſignificatione opiniones inter ſe conciliabuntur. Priusquam vero vel ſcriptorum coniecturas enarremus, vel ſoluere aenigma hoc tentemus, danda prius eſt arboris ſephirothicae delineatio, qualem Cabbaliſtae nobis exhibent, quae haec eſt, vt in figura adiecta deſcripſimus. Produnt vero et ipſa *Fig. I.* figura, et nomina huius arboris, qua appellatione apud ipſos Cabbaliſtas gaudet, latere aenigmata metaphyſica et philoſophica ſub his vmbris, quae vt ſunt obſcuriſſima, ita innumeris virorum doctiſſimorum coniecturis ſunt expoſita [k]. Et ne de nominis quidem vera ſignificatione eruditi conſentiunt, ſed varias eius explicationes afferunt. Plerique ſephiras ex notione verbi ספר, numerauit, dictas eſſe contendunt, et per numerationes explicant, ſtatuentes ſephiras Cabbaliſtarum idem eſſe ac numeros Pythagorae, ſine intelligibilia et ideas Platonis. Id demonſtrare ſategit IRIRA [l], qui hoc nominis etymon probat, ad Platonicos prouocans, *iuxta quos ſicut infinitum eſt ante ens primum, quod neceſſario eſt multiplex et compoſitum, ita numerus, qui eſt in ente hoc primo, ſit ante omnia entia reliqua, quae ſint ideae diuinae, exemplaria et cauſſae omnium entium. Et ſupra numerum hunc, qui conſiſtit in entibus numeratis vel numerabilibus, neceſſe ſit dari numerum, qui per ſe ſubſiſtat abſolutiſſime, et qui cauſſa ſit, quod ens primum diſtribuatur in entia, id eſt ſpecies et ideas, ita vt per numerum illum, qui eſt eſſentialis enti primo, eueniat, vt ens hoc non ſubſiſtat gradu quodam certo, ſed ab illo vno deſcendant multa diſtributa in genera et ſpecies diſtinctas qualitatibus et numero.* Accipit haec opinio praetidium ex origine philoſophiae Cabbaliſticae, quam in ſcholis Platonicorum Alexandrinorum Iudaeos didiciſſe, ſupra veriſimile eſſe demonſtrauimus, Philonis quoque multa de numeris in Deo garrientis exemplum rem probare videtur. Re tamen paulo curatius penſitata ad veritatem non prorſus collineare videtur. Quamuis enim numeri Pythagorae idem forte ſignificauerint, quod ſephirae Cabbaliſtarum, nempe formas certas ex Deo, monade, oriundas atque progredientes, et ad denarium vsque quoque ordinati fuerint, non tamen in ipſis numeris, quae ſymbola tantum philoſophica fuerunt, ſed in formis, virtutibusque ſubſtantialibus ex Deo emanantibus principia haec poſuerunt Pythagorici; adeoque Cabbaliſtae non ad numerandi rationes et proportiones attendere potuerunt. Vt taceamus, non tam numeros, quam aeonas Orientalium vtrisque occaſionem dediſſe de emanationibus diuinis ita ſtatuendi, et ſuis principiis atque philoſophumenis ſectae ſuae applicandi. Paulo aliter HENRICVS MORVS [m], Pythagoricae Philoſophiae amator, qui credit, *ſephiroth ſiue numerationes omnino ſignificare, nihilque eſſe aliud, quam numeralia quaedam repoſitoria maxi-*

 morum

k) Conf. quae recenſet WOLFIVS Bibl. Hebr. P. II. L. VII. c. 2. p. 1221.

l) l. c. diſſ. V. c. 5. p. 149. ſeqq.

m) Epiſt. ad Knorr. Cabb. denud. T. I. P. II. pag. 53.

morum myſteriorum antiquae Cabbalae decadem non excedentia, manuumque decem digitis, ſuper quos res numerari ſolent, reſpondentia, denariumque Pythagoricum hinc originem ſuam traxiſſe. Variae vero notiones ſiue nomina ad ſingulos numeros relata fuiſſe. Qua in coniectura facile quidem admitti poteſt, occaſionem ex ſcholis Pythagoreorum et Platonicorum in Aegypto verſantium Iudaeos nactos fuiſſe, doctrinam de ſephiris ſiue emanationibus, aeonibus, formis, virtutibus intra denarium concludendi, et iis varia nomina imponendi: at nomen inde accepiſſe veriſimile non eſt, cum praeter denarii ordinem nihil ex numerationibus ſephirae magnopere habeant, quod ad ipſarum indolem naturamque pertineat, licet cum numerorum generatione et progreſſione comparari, eorumque ſymbolis et imagine adumbrari queant. Alii ad naturam ſephirarum propius reſpicientes, a luce et ſplendore, vnde etiam ſapphirus gemma nobilis nomen habet, etymon vocis deriuant [n], et per *ſplendores*, vel *radios* vertunt, quam explicationem vocis doctrina ſephirotica commendat, quae has ſephiras ex luce infiniti, ceu radios ex ſole emanaſſe ſtatuit. Quidam ſephiras, a ſphaeris dictas fuiſſe volunt, qua in opinione Loriiam fuiſſe ſuſpicatur H. Morvs [o], ſephiras enim emanationis modum circulari motu proſequi ſtatuit, vt allatum ſupra ſchema emanationum ex Adam Kadmon oſtendit. Cl. Wachtervs [p] ſpiritus fontanos (Kwell Geiſter,) vocat, ad rem magis, quam nomen reſpiciens, et ita virtutes ſpirituales et ſubſtantiales emanatiuas innui ſtatuens. Nos inutilem hanc et incertam de ſephirarum nomine diſputationem putamus, cum vera nominis origo nos lateat, nihilque adduci queat praeter coniecturas: proxime tamen vero eorum ſuſpicio eſt, qui a ſplendoribus radiisque lucis nomen deriuant, eo quod hoc etymon rem ipſam eadem ſimilitudine repraeſentat, qua Cabbaliſtae vtuntur, nempe lucis eradiantis ſymbolo. Quaecunque vero nominis huius origo eſt, illud certum eſt, et ex ſequentibus conſtabit, Cabbaliſtas ſephiras tanquam fontes quosdam lucis diuinae emanantis et ad inferiora ſe mediante Adam Kadmon effundentis conſiderauiſſe, vnde nos quidem fontium luminoſorum nomen reliquis praeferimus, eo quod rationem ſatis apertam rei ipſius exponit, ſephirasque fontes illos eſſe innuit, qui per fontem fontium, hominem primogenitum ex infinito lucis diuinae aequore effluentes, ordine emanatiuo ad inferiora radios diuinae lucis demittunt, et ita eſſentiam cum illis vitamque communicant. Porro in figura quoque ſephirothicae arboris delineanda eruditi non conſentiunt. Plerique eam figuram adhibent, quam ſupra expreſſimus. Quidam, vt ſymbola obſcuriſſima Soharica a Loriia explicata repraeſentarent, ſchema ſphaericum, ex multis ſphaerulis conſtans exhibuerunt [q], quod tamen non intelligent, qui non

n) Bahir p. 6. Ibira l. c. et quos nominat Wolf. l. c.

o) loc. citat.

p) Spinoz. in Iud. paſſim. Vſus eſt etiam hac voce Iacobus Boehmius.

q) Cabb. denud. T. I. P. II. p. 7. ex qua repetit Bvddevs l. c. §. 40. p. 346.

Digitized by Google

non Lorianas explicationes allegoriarum omnes probe tenent, eo quod subtilissimi ingenii homo circulos circulorum semper in se magis scaturientes sibi concepit, et ita combinationes emanationum per innumeras formas in omnibus mundis exprimere voluit. Alias figuras longe sublimiores et obscuriores exhibet *Cabbala denudata* [r], quae ipsa ab iis consulenda est, qui his aenigmatibus delectantur. Aliter Cel. CAMPEGIVS VITRINGA [s], qui operose et docte in eo versatus est, vt dispositionem ordinemque sephirarum ex imagine hominis stantis accinctique exponat. vid. *Fig. II.* Quod admitti omnino potest, at non aliter, nisi quatenus hominem primogenitum innuit, in quo illae sephirae resident: ea enim imagine Adam Kadmon delineari, in antecedentibus ex Loriia monuimus. Facile vero in his dissensus ferri potest, eo quod a cuiuslibet imaginatione eiusmodi schematismi dependent, resque tandem ad idem punctum reuocari queat: At in rei ipsius explicatione tantopere dissentire eruditos, historiae philosophicae studioso, non potest non esse molestissimum. Et Iudaeos quidem in eo conuenire, quod sephirae ad essentiam, attributa et emanationes Dei pertineant, Cabbalistarum libri omnibus paginis loquuntur. Inter quos R. MOSES, ita ad librum *Iezirah* [t] commentatur: *Abraham pater noster vocauit sephiroth, quasi saphiros, ad significandum, quemadmodum saphirus omnes colores recipit, sic Deo omnes formas, benedictiones, emanationesque tribui; ita tamen, vt haec omnia summam Dei benedicti vnitatem praedicent.* Nec his obstant, quae recentiori aetate verissime ex mente Cabbalistarum pronuntiauit R. MENASSE BEN ISRAEL [u]: *Dici sephiroth diuinas perfectiones, aliud quid esse, quam essentiam Dei, neque etiam dici posse, esse distinctas creaturas; sed tantum emanationes quasdam essentiae coniunctas, perinde vt radii solares cum sole, flammas cum prunis ardentibus.* Ea enim manifeste docent, sephiroth in vnitate essentiae diuinae radicari, adeoque suo modo vnum cum illa esse, certe ad affectiones essentiae diuinae tanquam causata essentialia ad causam suam referri. Quod equidem miratur doctissimus VITRINGA [x], qui cum monuisset: secundum recentiorem Cabbalam per sephiras intelligenda videri insigniora Dei, perfectissimi entis attributa, quae demonstrantur in productione et regimine mundi atque ecclesiae, haec addit: *Sed ita se habeat, an sephiroth rem continebunt tam arcanam, sacrosanctam, et remotam a sensibus vulgi? quis enim ignorat mortalium, qui rationem suam non prorsus negligit, in Deo mundi et ecclesiae rectore inesse attributa scientiae, sapientiae, magnificentiae, seueritatis, et quae hic recensentur alia. Verum equidem est, Cabbalistas singula horum nominum per notiones reconditas et obscuras exponere, illa varie ab inuicem diuidere et combinare, et respectum vnius ad aliud per circulos et lineamenta operose*

r) T. I. P. III.
s) Obseru. SS. L. I. c. 10, p. 120.
t) c. r. In comment. h. l. omnes.
u) De creat. probl. 27. x) loc. cit.

Digitized by Google

in variis figuris demonstrare. Sed talia sunt, quae ad mysticam hanc doctrinam suam explicandam afferunt, quae, fateor, me, paucis quibusdam generalibus exceptis, prorsus non potuisse capere. Sed deposuisset admirationem hanc vir cetera acutissimus, si paulo altius et attentius mysteria Cabbalistica fuisset rimatus; ita enim perspexisset, non in nudis attributis formalibus essentiae diuinae ponere Cabbalistas sephiras, sed in emanantibus, et certum systema metaphysicum atque physicum, naturis virtutibusque atque formis diuinis nixum constituentibus, quae euolutionem latentis essentiae diuinae per innumeros gradus, formas, ideas virtutes, emanationes, vsque ad materialem mundum ita nobis exhibent, vt a communi vulgarique Iudaeorum theologia innumeris in locis abeant, adeoque non vt nuda attributa ad relationes eorum ad regnum mundi sephiras considerandas esse, sed vt aeones, virtutesque substantiales ex essentia Dei progressas et in eo radicatas, quarum effluxu mundi conditi sunt, regnumque naturae longe alio modo producitur, quam theologia exoterica tradit. Hoc si teneamus, quod et concedit Vitringa BVRNETIO[y] obseruanti: *Antiquam Cabbalam praecipue circa id versatam esse, quomodo res omnes ex primo ente profluxerint per emanationem, et per refluxum quasi in Deum retrahi possint;* et fatetur, *verissimum hoc esse, si de Cabbala loquamur philosophica, vt inter Iudaeos iam circa aetatem Pauli excoli coepit illa scientia, et inter Christianos a Gnosticis, et hodieque traditur, in libris Cabbalisticis;* abiiciamus autem praeiudicium, quod virum eruditum fascinauit: Kabbalam aliquam a sanctis et prophetis primorum temporum excultam et conseruatam esse, et sephiroth qua forma nunc pingi solent, vere fuisse Cabbalae illius compendium aliquod; cum certissimum sit, non ex veteri philosophia Hebraea, sed ex Orientali hanc doctrinam sephiroticam originem cepisse: his, inquam praesuppositis, ratio haud obscura patet, cur latentes significatus et mysteria quaesiuerint Cabbalistae, nec in sola symbolica significatione, verum in doctrina arcaniore illa esse quaerenda. Id quod facile potuisset vir doctissimus intelligere, si vel *Cabbalam denudatam* vel librum *Iezirah* legisset, qui totus ista philosophia arcana nititur. Non diffitendum tamen, ita obscura, confusa, nec satis cohaerentia, et allegoriae insuper peregrinae et insolentis tenebris abscondita esse pleraque, quae veteres Cabbalistae de sephiroth differunt, vt in cohaerens aliquod systema cogi, et clarus omnibus sensus tribui nequeat, nisi quosdam, qui in scholis Christianorum philosophari didicerunt, interpretes adhibeamus. Inter Christianos plerique in eo quidem concordant, pertinere sephiras ad considerationem et explicationem diuinae naturae. At obstitit multis, quo minus in veram earum significationem penetrarent, opinio, supereſſe in Cabbalisticis scriptis vestigia veteris sapientiae Hebraicae, in veteri oeconomia gratiae latenter, et symbolice propositae et in N. T. clarius et remoto velo traditae; adeoque sephiras adorandi mysterii SS. Trinitatis, filiique Dei in condendo

y) loc. cit.

regno

Digitized by Google

regno Messiano se manifestantis complecti explicationem, et hoc ex fundamento personas, attributa, nomina gloriamque et oeconomiam Dei, in regno suo se manifestantis ostendere. Fuisse hanc Pici, Ricii, Reuchlini, Burgonouensis aliorumque Sec. XVI, et Mori, Knorrii atque Buddei Sec. XVII viuentium sententiam supra innuimus. Nemo vero eam vel ornauit elegantius vel magna scriptorum Cabbalisticorum lectione fulciuit diligentius, quam vir clarissimus IOANNES MEYERVS, peculiari eaque prolixa dissertatione [a] satagens, vt *mysterium Trinitatis ex solius V. T. libris demonstraret, atque ex veterum ac recentiorum Rabbinorum praesertim Cabbalistarum rarissimis monumentis illustraret.* Is satis confidenter supposito: *Ridiculum sane esse, a Platone eiusque discipulis haec manasse, quum omnia probata sint et demonstrata ex sacris literis, adeo, vt Plato aliique ethnici philosophi haec didicisse censendi sint a Iudaeis*, multis sententiam suam probare conatur, et ita in eo negotio versatur, vt primo quidem satis feliciter et non sine ingenio ex veteris testamenti oraculis adorandum mysterium demonstret, tum Cabbalistarum testimonia adducat, quibus conficitur, Deut. VI, 4. Cabbalistas agnoscere, vnitatem in Trinitate prodi, quamuis de Trinitate hac sephirarum trium superiorum in arbore Cabbalistica differentiant: in locis quoque Gen. I, 26. III, 22. et similibus pluralitatem in vnitate admittere, eam vero ad sephirarum superiorum Trinitatem restringere; tres porro has sephiras creatores mundi, sub variis symbolis et imaginibus, constituere, mediamque inter tres mediatorem facere, tres quoque has sephiras inter se distinguere, licet nomen essentiamque diuinam singulis tribuant: nec obstare, monet, sephiras septem inferiores, eo quod mensurae, modi, attributa vocentur et sic a superioribus tribus, quae intellectuales et spirituales dicantur, soleant distingui: haec vero trias vnum sit, et sephira secunda sapientia appelletur filius; foedusque inter tres illas intercessisse statuatur. Haec omnia adductis locis Cabbalistarum plurimis vir doctissimus roborat, et ex veteri ecclesiae Iudaicae traditione profluxisse contendit, eumque in finem pro antiquitate librorum Cabbalisticorum *Iezirah*, *Habbahir* et *Schar* contra Morinum disputat, et ita eruditionem lectionemque in Iudaeorum scriptis cumulat, vt non sine molestia argumentorum pondera sub ea latentia perspici queant. Aliorum, quae huc pertinent scriptorum Christianorum cogitationes, a BASNAGIO [b] adductas, breuitatis caussa tacemus. Alii vero in longe alia abeunt, et inter personas Trinitatis Christianae atque sephiras Cabbalisticas magnum intercedere discrimen statuunt, quae si in concordiam redigantur, necesse esse contendunt, vt vel Christiani vel Cabbalistici systematis verus et genuinus sensus euertatur, et quadrata misceantur rotundis. Id quod erudite monuere post SOVVERAINIVM [c] et C. GVIL. VORSTIVM [d] suis placitis velificantes, BAS-

a) Harderouici 1712. 4.
b) Hist. Iud. L. III. c. 14. §. 9. p. 348. seqq.
c) Platonisme devoilé P. I. c. 8. p. 88.
d) Append. ad bibliot. veritat. §. 7. p. 366.

Digitized by Google

BASNAGIVS [d], BVRNETIVS [e] et nuper Cel. HEVMANNVS [f], qui eleganter et ex vero iudicat, eiusmodi coactis interpretamentis et conciliationibus dogma Sacrosanctae Trinitatis magis profanari, quam illustrari, quamuis scopus virorum doctorum in se culpandus non sit. Nec diffitemur, probe penitato systemate Cabbalistico, ingens nobis discrimen intercedere videri inter Trinitatem Christianam et Cabbalisticam, siue triada sephirothicam. Nam quamuis verissimum sit, tribui a Cabbalistis sephiris istis superioribus diuinam originem, naturam, emanationem, et ab inferioribus ordine et dignitate eas distingui, creationem quoque illis adscribi, et quae his sunt similia, quibus addi potest, quod Cl. Mayerus praetermisit, vocari eas personas, longe aliud tamen haec volunt, quam quod personae SS. Trinitatis innuunt, et impossibile est, has cum systemate Cabbalistico conciliare, nisi id prorsus velimus euertere. Nam si tribus istis sephiris Christianus sensus personarum in diuinitate esset tribuendus, ponendae essent illae in ipso Ensoph, siue infinita Dei essentia, vt sint tres personae in eadem natura diuina, aeterna et infinita, eiusdem essentiae, sic vt dici posset: Cether est Ensoph, Chochma est Ensoph, Binah est Ensoph, vt dicimus praeeunte scriptura sacra, pater est Deus infinitus, filius est Deus infinitus, Spiritus S. est Deus infinitus. Ast hac ratione totum systema Cabbalisticum euertitur, et veri eius sensus misere corrumpuntur, totusque nexus soluitur. Quem si ponamus integrum, Ensoph, siue infinita Dei natura omnibus eius emanationibus est prior et superior, sine fine, a se ipso, causaque causarum et causatorum, fonsque fontium; sephirae autem, etiam superiores, eo sunt posteriores, finitae, ab eo ortae et emanantes, et causata atque principiata, et ne sic quidem immediate ab illo infinito, sed mediante homine primogenito ex Deo progressae. Eaedem ex supremo fonte Adam Kadmon ex infinito et latente Deitatis infinitae oceano scaturiente exortae tanquam fontes emanatiui ad varios mundos eorumque constitutionem ad inferiora descendunt: adeoque essentiam diuinam emanatione explicatam euolutamque quasi modificant, et vel intellectum diuinum, vel operationes diuinas, vel effectum diuinum siue regnum Dei manifestant. Nec hae solae emanationes diuinae sunt, sed etiam septem sephirae posteriores omnesque eodem nomine, origine, effectuque gaudent, licet ratione ordinis et modi in promanando ex infinito Deitatis aequore a superioribus differant. Habet quoque quaelibet sephira in se decem alias sephiras et sic in infinitum, et influunt omnes non in condendum tantum mundum creatum, factumque, sed in formatum quoque et emanatiuum. Haec conformia esse non Cabbalistarum tantum verbis, sed et systemati, in sequentibus luculenter demonstranda euincent. Iam vero huc vel mediocriter iudicandi

[d] l. c. §. 24. p. 370. seq.

[e] l. c. p. 365.

[f] Act. phil. Vol. I. p. 241. conf. WACHTER. elucidar. Cabbalist. c. III. §. 10. p. 34 seqq.

Digitized by Google

candi peritum, et ſacrorum myſteriorum ſanctiſſimae fidei noſtrae non plane ignarum iudicem aduocamus, vtrum ſephira corona pater, ſapientia filius, intelligentia Spiritus S. ſit, cum ſint tres illae ſephirae cauſſata cauſſae infinitae? et annon Trinitas Cabbaliſtica ſit Deo infinito minor et inferior, nempe trias emanatiuorum principiorum ex eſſentia Dei progreſſorum, quae non aliter in eſſentia diuina ſunt, niſi propter fontem et originem, quam habuerunt, et quemadmodum cauſſata ſunt in ſua cauſſa? Quae ſi myſterio SS. Trinitatis applicarentur, euerterent adorandum myſterium, et nobis Trinitatem quandam Philonianam, Platonico-Alexandrinam, Cabbaliſticam impuram et heterodoxam propinarent. His recte penſitatis non dubitamus Lectorem cautum feſtinatas iſtas conciliationes reiecturum, et manibus palpaturum eſſe, quam parum roboris iis rationibus et teſtimoniis inſit, quibus pro hac concordia viri docti militant. Cuncta enim ſpecioſo tantum appellationum nominumque ſimilitudinem mentientium fuco decipiunt, nec aliter explicari debent, quam patitur ſyſtematis Cabbaliſtici cohaerentia, nimiumque feſtinarunt viri eruditi ad hanc concordiam, cum viderent ſephiras has et nominibus diuinis inſigniri, et nomen Enſoph illis tribui, et tales operationes atque proprietates adſcribi, quae SS. Trinitatis perſonis tribuuntur. Felicius cum Trinitate Platonicorum Alexandrinorum haec Trinitas Cabbaliſtica conciliari poteſt, cum ex eodem fonte vtraque hauſta ſit. Quod licet ridiculum videatur Cl. Meyero, eo quod ex ſacris literis ſe iſtam concordiam demonſtraſſe putauit, optandum tamen eſſet, vt ipſe eandem in perſcrutandis Cabbaliſticae philoſophiae originibus, et affinitate cum Platoniſmo Alexandrino diligentiam adhibuiſſet, quam in conſarcinandis Cabbaliſtarum effatis erudite poſuit. Ita enim ſine dubio abſtinuiſſet a riſu, loco rationum afferendo, vidiſſetque non ſufficere, vt verba quaedam et dicta in alienos ſenſus obtorto collo rapta in ſuam rem vertantur, ſed requiri, vt cuncta ex legibus ſyſtematis ſui, et ſenſu eius neceſſario explicentur; ſicque fruſtra eſſe iactatam concordiam, qua nec indiget eccleſia, nec honorem laudesque dogmatibus ſuis conciliare poteſt, quia non ex limpidis Iſraëlis fontibus, ſed ex turbidis philoſophiae gentilis lacunis Trinitas Cabbaliſtarum hauſta eſt. Quae omnia cum neglexerit vir doctiſſimus, externa verborum Cabbaliſticorum ſpecie et blandiente ſpe confirmandorum contra Iudaeorum impietatem dogmatum et myſteriorum Chriſtianorum deceptus, mirum non eſt, ea illum vidiſſe, quae alii videre non poſſunt, et eo vsque fuiſſe progreſſum, vt Philonem aequalia Chriſtianis de ſacra Triade tradidiſſe, ſuasque allegoricas expoſitiones partim ex ſacro codice, partim ex traditione patrum mutuatum fuiſſe, in tanta noſtrae aetatis luce in hiſtoria philoſophica aſſerere auſus fuerit. Quamuis autem, inepte Trinitatem Chriſtianam et Cabbaliſticam inter ſe conciliari, ſit euidentiſſimum, non abludit tamen a veriſimilitudine, Iudaeos, cum eiusmodi Trini-

Trinitatem principiatorum in ſcholis Alexandrinis didiciſſent, ex domeſtica vero traditione hauſiſſent, eſſe in Deitate tres perſonas, quam veritatem vel ex vno legis loco, quem frontibus manibusque praeligabant, diſcere poterant, eo magis promtiusque illas impuras opiniones recepiſſe, quo magis domeſticae patriaeque traditioni affines, et tantum habitu magis philoſophico adornatas comtasque credebant, vel etiam a patribus ſuis ad gentes dimanaſſe inepte gloriabantur. Inter exoterica enim V. T. dogmata hoc quoque de SS. Trinitate fuiſſe, loca quaedam ſacrorum oraculorum ſatis euincunt. Eorum vero lumina poſt reditum e captiuitate Babylonica valde fuiſſe obſcurata, iisque has nugas gentiles ſucceſſiſſe, non eſt quod dubitemus. Sed de his diſputandi hic locus non eſt. Poteſt tamen Trinitas haec Cabbaliſtica, non obſtante magno, quod demonſtrauimus, diſcrimine, commode ad refellendos Iudaeos adhiberi. Cum enim Cabbaliſtae applicando dicta V. T. ad triadem ſuam ſephirothicam, pluralitatem in vnitate et ex vnitate in diuinis admittant, ſufficit ita Iudaeos κατ' ἄνθρωπον conuinci, inique eos Chriſtianis abſurditatem et impietatem obiicere, cum ipſi non tres tantum, ſed decem perſonas, lumina, fontesque diuinorum ſtatuant. Vt vero in excutiendis virorum eruditorum opinionibus de ſenſu et ſignificatione ſephirarum pergamus, audienda quoque eſt praeſtantiſſimi VITRINGAE f) explicatio, qui ea, qua ſolebat, elegantia eruditionis demonſtrare conatus eſt, latere in iis myſterium incarnationis filii DEI abſconditum et ſymbolice delineatum, idque vnum ex veſtigiis illis Cabbalae purioris eſſe, quae corrupta et deprauata in Cabbala philoſophica Iudaeorum inueniantur. Nempe, ſephirarum, monet, ordinem ſub imagine principis Orientalis, eo ſchemate, quod ſupra Fig. II. exhibuimus, concipiendum eſſe. Hunc vero principem, ſanctiſſimum Seruatorem noſtrum ita Ezech. I, 27. et Apoc. I, 13. adumbratum exhibere. Vbique enim in ſacris literis haec ſephirarum nomina Domino huic dominantium et aeternitatis patri pacisque principi tribui: coronam *Apoc. VI, 2. XIX, 11. 12.* et ſuper eam Enſoph *Luc. I, 33.* ſapientiam et intelligentiam *Ieſ. XI, 1. Col. II, 33.* magnitudinem, magnificentiam et ſeueritatem *Pſ. CXLV, 3. 4. Ieſ. XI, 2. Apoc. V, 12.* gloriam, tanquam cingulum regnique ſymbolum *Ieſ. XX, 21. Iob. XII, 18. Ierem. XIII, 11.* Victoriam et maieſtatem *1 Chron. XXIX, 11. Apoc. XIX, 16.* quam Meſſias de infernali dracone, non negantibus Cabbaliſtis reportauerit, fundamentum vero eſſe incarnationis myſterium, quia haec ſephira membrum foederis a Cabbaliſtis dicatur, et incarnatio fundamentum ſit habitantis in carne Dei *Col. II, 9.* regnum tandem humanam eſſe naturam diuinae arctiſſime vnitam, in qua habitet Schechina ſiue gloria Dei, et regnum amplificet *Io. I, 14.* Haec doctiſſimus et modeſtiſſimus theologus, qui eam tamen explicationem tantum pro probabili venditat, monet tamen, ad recentiorum Cabbaliſtarum effata non attendendum magnopere eſſe, eo quod a vetu-

f) Obſ. SS. L, I. obſ. 10. 11.

Digitized by Google

vetuſtiſſima Cabbala valde receſſerint. Laudanda in his eſt et pietas et eruditio Vitringae, fatendumque magis veriſimiliter haec diſputari, quam ea, quae de Trinitate ſolent afferri: eo quod haec comparatio ad primogenitum potiſſimum pertineat, in quo reſidere ſephirarum decadem ex allata ſupra explicatione ſyſtematis Cabbaliſtici liquet. Nec a vero prorſus abhorrent, quae de diſtributione ordineque ſephirarum dixit vir laudatus, eo quod ipſi Cabbaliſtae ita ſephiras ſub imagine hominis cuiusdam diſtribuere et collocare in ſedibus ſuis ſoleant; quamuis nullum Adam Kadmon membrum ſit, quod non totum ſephirarum ſyrma poſt ſe trahat. At ſi ipſam rem conſideremus, non alio argumento opus eſt, quam ipſius Vitringae confeſſione fatentis, in Cabbala philoſophica aliud quid has ſephiras ſignificare. Inter hominem primogenitum Cabbaliſtarum atque Vnigenitum Chriſtianorum, et inter illius incorporationem et huius incarnationem ingens diſcrimen intercedere, ſupra iam indicauimus. Nec iuuant multum Vitringae expoſitionem, non ex impura, ſed ex pura Cabbala haec explicanda eſſe. Nam vbi hanc puram Cabbalam inueniemus? vbi quaerenda eſt clauis eius? Dicit Vitringa, non in Cabbaliſtarum ſcriptis ex gentili philoſophia corruptis, ſed ex ſcriptura S. veteris traditionis Iſraeliticae interprete. At opponimus his: vnde probabitur, ea quae in S. Scriptura N. T. habentur, fuiſſe arcano modo tradita et propagata, et ſymbolica methodo ad poſteros translata? adeoque, fuiſſe eiusmodi Cabbalam puram ſiue doctrinam arcanam orthodoxam, Scripturae V. T. contradiſtinctam? Hoc enim praeſupponitur, quod tamen adhuc in quaeſtione verſatur. Illud ſane neminem in Cabbaliſtarum ſcriptis verſatum negaturum confidimus, ſyſtema emanationis, quod proram puppimque Cabbaliſticae philoſophiae conſtituit, hanc explicationem non admittere; ſaniorem vero et orthodoxam explicationem illi magis effingunt, quam eruunt, qui argumentis vndecunque conquiſitis ſine neceſſitate pro V. R. C. militant, et accommodationes ſuas, pias quidem et eruditas, ſed rei non apte conuenientes, nobis pro veris Cabbaliſtarum *φιλοσοφουμένοις* venditant. Nobis itaque ne haec quidem coniectura placet, quanquam placuit aliis [h], eo quod fundamento certo deſtituatur, merumque ſapiat praeconceptae hypotheſis praeiudicium. Ex his vero intelligi poteſt, quid de eorum opinione ſtatuendum ſit, qui ſephiras regni Meſſiani adumbrationem eſſe dicunt. Eadem enim ratione ſtatque caditque, qua Vitringina opinio, nec veri quid habet, praeter aliquam nominum accommodationem, et doctrinae Meſſianae ad dogmata Cabbaliſtica translationem ſymbolicam. Aliter hanc explicationem ſephirothicae doctrinae ornauit Cel. HEVMANNVS [i], qui coniecit, eam quidem ſapere delineationem regni Meſſiani, at corpoream, terrenam et praeiudiciis Iudaeorum, regnum ſibi huius vitae glorioſum et beatum ſpondentium prorſus reſpondentem. Id prodere putat ſephiram vltimam, Malchuth, i. e. regnum, quae clauis

h) Relationes innocuae 1712. p. 360.

i) Act. philoſ. Vol. I. p. 241.

ſit ad intelligendas reliquas, et in qua ſuprema coronae maieſtas ſtipata reliquis attributis reſideat: id quod ex *Prou. III, 19. 20. II, 6. Pſ. CXLV, 1. 1 Chron. XXX, 11.* probat. Verum, vt pace viri celeberrimi dicamus, tangunt haec corticem tantum explicationis arboris ſephirothicae, non nucleum; quem ſi reſpicias, difficile erit, totum doctrinae ſephirothicae ſyſtema huic regno Meſſiae terreno ita aptare, vt dici queat, quid ſit Enſoph a ſephiris diſtinctum, quid emanantium ternio in Adam Kadmon rutilans, quae ſephirarum in mundos emanatiuos, intelligibiles et materiales influentia, quae τῦ Adam Kadmon connexio cum rebus emanatiuis et materialibus, qui reuolutionum ordines, et quae alia ſunt, quae manifeſte produnt, phyſica et metaphyſica dogmata de originibus et gradatione rerum ſub his imaginibus comprehendi: quamuis omnino largiendum ſit viro praeſtantiſſimo, nomina ſephirarum ex locis ſcripturae allegatis eſſe petita: non enim hic de nominibus, ſed de doctrina, quam illa ſignificant, et ſymbolica ratione depingunt, quaeſtio eſt. Reliquae virorum eruditorum de ſephiris opiniones vt magis a veriſimilitudine recedunt, ita paucis enarrari poſſunt. Et HVETII [k] quidem coniectura, intelligi decem angelos ſpiritusque Deo propiores et reliquis angelis miniſterii ſuperiores, vel eo nomine falſitatem prodit, quod ſephirae ab eſſentia diuina non ſeparentur, vt angeli, ſed fontes ſint cum primo fonte fontium arcte cohaerentes, id eſt, ex primogenito emanantes, quod non poteſt de angelis accurate, ſaluo ſyſtemate Cabbaliſtico, dici. Vt taceamus, Cabbaliſtas angelos mundis non creandis et formandis producendisque, ſed regendis miniſtrandoque operi diuino a primogenito producto praeſici, quod cum ſephiris conſtare nequit. Vnde hanc ſephirarum explicationem iam ex Iudaeorum Cabbaliſtis reiecit R. MEIR BEN GABBAI [l], et ex Chriſtianis ABR. HINCKELMANNVS [m] et IO. MEYERVS [n], Viri clariſſimi. Permouit ſine dubio rei obſcuritas, nullum certum ſenſum promittere viſa, vt putarent nonnulli [o], nihil reale ſephiris ſubeſſe, ſed eſſe tantum quaedam receptacula vel repoſitoria articulorum theologiae Iudaicae, id eſt, certa ſchemata, ſub quibus dogmata ſublimiora lateant. Non vero cogitarunt, qui ita ſentiunt, de his dogmatibus in his receptaculis concluſis nobis quaeſtionem eſſe, nec de ſolo numerandi ordine et diſpoſitione eos ſollicitos eſſe, qui de ſephirarum ſignificatione quaeſtionem inſtituunt. Ex quibus etiam Cl. SCHRAMMII [p] de ſephirarum ſcopo ſententia diiudicari poteſt. Is enim decem ſephiroth repraeſentare putat decem categorias Ariſtotelis, eſſeque ſephiram ſummam coronam, ſubſtantiam ſiue ens ſummum, ſapientiam et prudentiam, virtutes politicas, vel ſpiritus mentisque operationes earumque modos, principia et ſedes; magnitudinem, quantitatem, potentiam, qualitatem et quae ex quali-

k) Q q. Alnet. L. II. c. 4.
l) Abhodath Hakkodeſch c. I. §. 21.
m) Deteſt. fund. Bohem. p. 35.
n) l. c. §. 32. p. 41.
o) Io. IVST. LOSIVS biga differt. diſſ. II. p. 28. MORVS Conſ. libr. I. Druſch.
p) Introd. in Cabb. Dialect. c. III. p. 42. ſeqq.

qualitate fluunt actionem et paſſionem; pulchritudinem, habitum et diſpoſitionem, aeternitatem, temporum differentiam et τὸ quando; gloriam, famam et nomen, laudes et conuicia, fundamentum iuſtitiam, regnum vero ſocietatum maiorum minorumque imaginem exhibere, et ſic omnibus definitionibus locum aliquem aſſignatum eſſe in hac arbore praedicamentali. At, ſi ita licebit in omnes partes ſephiras formare et traducere, facile erit ex iis quaecunque ſomniaueris, effingere. Ad res phyſicas vero earumque origines, gradationesque exponendas ſephiras pertinere, coniicit BVRNETIVS [q], quod reiiciendum quidem non eſt, at operationes ſephirarum cum earum natura et eſſentia confundit; adeoque non adaequatam ſephirarum notionem ſubminiſtrat. Alii ſphaeras coeleſtes et ſyſtema aliquod aſtronomicum cogitant [r], quam opinionem iam Loriiae tribuiſſe Morum ſupra diximus. Cadit vero haec explicatio hoc ſolo argumento, quod ſephirae ante conditos mundos in ſyſtemate Cabbaliſtico ponantur, et illae conditores ſphaerarum mundi intelligibilis et ſenſibilis ſint: neque ob motum eorum circularem ſphaerae inde exſculpi poſſint. Roberti vero Fluddi, Iulii Sperberi aliorumque huius furfuris philoſophorum theoſophicorum ſomnia, qui neſcio quem influxum ſiderum corporumque coeleſtium in inferiora innui putant, vix recenſione digna ſunt, quemadmodum illi quoque explodendi ſunt, qui chemiae myſteria, lapidisque philoſophorum et Χρυσοποιητικῆς aenigmata vel medicinae vniuerſalis tincturaeque ſolaris praeparationem condi coniiciunt. Ideam vero politiae ſecularis felicis, rectеque ordinatae et mutuo influxu attributorum moralium et politicorum nixae et adiutae ſephiris affingit ingenioſiſſimus HERMANNVS VON DER HARDT [s], a qua opinione Heumanni coniectura parum differt. Quin et ipſe Pythagoras eiusque denarius, myſteriaque numerorum hic in partes vocantur, et nihil fere eſt, quod denarii rationem vllo modo recipit, quod non ſephirarum decadi accommodetur, vt ex I. C. STEBII *coelo ſephirothico* diſci poteſt. His tenebris Cimmeriis, tot diuerſiſſimarum opinionum ſchiſmate mirum in modum auctis, mirum non eſt, deſperauiſſe viros haud obeſae naris, et in ſcrutanda veteri philoſophia alias acute videntes de vero ſyſtematis ſephirarum ſenſu explorando, et inductos fuiſſe, vt crederent, data opera ſuſpenſos tenere Cabbaliſtas lectores ſuos, coruosque eludere hiantes. Graui oratione hoc conqueſtus eſt peritiſſimus veterum doctrinarum interpres THOMAS BVRNETIVS [t], qui inter alia ita differit: *Deus bone, quae ſtrues rerum et verborum? ſine calce et arena, ſine nexu, ſine ordine, ſine cognatione. Locutiones tralatitiae, peregrinae, obtortae. Expoſitiones promittunt, afferunt aenigmata, aut vaga ſomnia, et dum ſe profitentur interpretes, coecis ambagibus argumentum confundunt. Quid aliud hoc*

 eſt,

q) l. c. p. 365.
r) Vid. laudati WOLFII Bibl. Hebr. P. II. L. VII. c. 2. §. 7. p. 1225. ſeqq. DETLEV CLVVER. Obſeru. rerum vtiliſſ. in mundo, A. 1706. p. 165.
s) Conf. Relat. innoc. l. c. p. 359.
t) loc. cit.

eſt, quam ludibrio habere mentem humanam, et pro veritate ſolida rerum vmbras aut nuda figmenta proponere? Durior haec ſententia non immerito viris aliis doctis paulo altius myſteria Cabbaliſtica conſiderantibus viſa eſt [a], eo quod credibile non ſit, data opera Cabbaliſtas omnes lectores ſuos inanibus et ſine mente ſonis ludere voluiſſe: fatentur tamen [x]: *rem omnem maiori laborare obſcuritate, quam vt lucem hic videre, certo poſſit quis confidere, cum antiquiores illi Cabbaliſtae, quorum ſcripta aetatem tulerunt, paſſim nebulas hic offundant, nec ſibi ſemper conſtent, recentiores vero eorum veſtigia vt plurimum deſerant, et in omnia alia flectant.* Non negamus, haec potiori ex parte vera eſſe, eſſeque in Cabbaliſtarum ſcriptis et δυνάμεις et ἀσύρματα plurima, quae ſoluere velle omnia, et tenebras diſpellere totas, idem eſſet, ac laterem lauare et dealbare aethiopem. Ita enim non potuit non euenire, poſtquam ineptum inſanumque allegoriarum ſtudium nulli rei minus, quam dogmatibus metaphyſicis aptum, Iudaeos coëgit multa effingere, quae ſenſum vel nullum, vel vagum et incertum, vel contrarium quoque ſyſtemati ſuo habent, et ſi tegumenta denſiſſima tollantur, nihil quod ad rhombum magnopere faciat, exhibent, ſaepe vero in tam obſcuro argumento ſoluendisque aenigmatibus diſſentiunt. Faſſus id eſt candide LORIA [y], quo tamen perſpicaciorem horum myſteriorum interpretem gens Iudaica non habuit, monens: *Eum, qui perluſtraturus ſit verba Simeonis Iochaidae in libro Sohar et Tikkunim, nec non librum Bahir, ibidem multa inuenturum capitula admodum diſcrepantia, quorum aliqua in hanc, alia in alteram ſententiam* (de ſephiris) *inclinent; Cabbaliſtas autem poſteriores imprimis occupatos eſſe circa euolutionem huius quaeſtionis, nec tamen ad ſcopum peruenire, quaeſtionem enim arduam eſſe et difficilem.* Neque tamen ob deſperatam hanc argumenti iſtius obſcuritatem animum prorſus abiiciendum eſſe putamus, in inueſtiganda vera ſignificatione ſyſtematis ſephirothici. Quamuis enim ſperandum non ſit, vt omnes tenebrae queant diſpelli, multaque obſcuriſſimis ineptisque philoſophis relinquenda ſint, poteſt tamen detectum ſupra ſyſtema Cabbaliſticum generale et ſpeciale de Adam Kadmon clauis eſſe, qua adyta haec referari poſſunt, modo ad eſſentialia, dimiſſis nugis Cabbalae literalis et artificialis, quibus illa teguntur, reſpiciamus, et ad nexum ſyſtematis emanatiui attendamus; reliqua enim et minutiora et difficiliora, qualia plurima ſunt, tuto ignorare et ineptienti popello Cabbaliſtarum relinquere licet. Tentabimus itaque, ducibus Cabbaliſtis ſupra iam delectis, vtrum emergere ex his tenebris queamus. En vera dogmata Sephirothica inuolucris remotis;

I. Seph-

a) BUDDEVS Intr. in hiſt. phil. Hebr. §. 40. p. 360. WOLF. l. c.
x) IDEM loc. cit.
y) Tr. I. Druſch. c. 2. Cabb. denud. T. I. P. II. pag. 31. conf. BASNAGE loc. cit. L. III. c. 14. p. 341.

Digitized by Google

I. Sephirae ſunt entia media, quae repraeſentant cauſſam primam, in ſe occultam plane, quae ab illa immediate emanarunt, et illius virtute produxerunt et gubernant omnia reliqua. Definitionem heic damus IRIRAE [a], qui ex tenebris philoſophumena gentis ſuae protraxit in lucem, eo quod non clara tantum eſt, ſed veriſimillima quoque; tota enim cum ſyſtemate emanatiuo arctiſſime cohaeret. Vocantur autem entia media, eo quod inter fontem emanationis infinitum et mundos emanatiuos, inter creatorem et creaturas ſenſu Cabbaliſtico ita dictas, media ſunt, quibus Deus eſſentialitatem (ſit venia verbo barbaro in explicatione philoſophiae barbaricae) ſuam infinitam explicuit, et in mundis euolutam et manifeſtatam oſtendit, vnde ex vtroque participant, nempe ex Deo ratione eſſentiae, et ex mundis, ratione finitatis. Eadem fere ratione Platonici Alexandrini de ideis loquuntur, qui eundem locum in ſyſtemate diuino apud eos tuentur, quem ſephirae apud Cabbaliſtas occupant. Errauit itaque Morus, qui nudas aridasque numerationes eſſe putauit; errant illi, qui neſcio quas relationes vel phyſicas, vel metaphyſicas, vel logicas, vel arithmeticas, vel aſtronomicas, vel ethicas, ex ſephiris exſculpunt. Vi enim ſyſtematis emanatiui, ſunt emanatiuae virtutes attributorum et perfectionum diuinarum, vt ſunt ſolis radii, calorque, et ſimilia [c].

II. Iſtae itaque ſephirae non ſunt a ſe ipſo, ſed productae ſunt ab vno primo ſimplici, manifeſtantes eius bonitatem infinitam, ſpecula veritatis eius, et analogia eſſentiae eius celſiſſimae: ideae ſapientiae eius, et repraeſentationes voluntatis eius: receptaculum potentiae eius, inſtrumentum operationis eius, &c. prolixe haec proſequitur IRIRA [b], et plerorumque nominum ſephirothicorum explicationes affert luculentas, et omnino legendas, eo quod lucem clariſſimam tenebris affundant. Praecipua inter haec nomina merentur notari ſequentia: genera generaliſſima, quae in ſinu ſuo comprehendunt omnia, et extra ſe edunt, prouidentiae extenſae ab vno extremo ad alterum, et cura ſua omnia dirigentes ad commodum et emolumentum ſuum: cauſſae ſecundae, per quas prima omnia operatur, conſeruat et gubernat: radii diuinitatis eius, per quos omnia illuſtrantur et manifeſtantur: formae, ideae, et ſpecies, per quas omnia producuntur: animae et potentiae, per quas omnibus datur eſſentia, vita et motus, loca incorporea, quae intra ſe comprehendunt omnia, monades ſupernae, ad quas reducuntur omnia multa et per illas ad vnum ſimplex &c.

III. Quamuis autem Deus eſt infinitus, non ſunt tamen ſephirae idem cum Deo infinito, ſed ab eo diſtinctae finitate ſua [c]. Probe id obſeruandum, et ex ſyſtematis emanatiui nexu deducendum eſt. Nempe cum omnia ex Deo emanare debuerint, eo quod ex nihilo nihil fit, nec, ſi Deus

a) Port. coelor. diſſ. VII. c. 4. p. 147. p. 345. ſeqq. b) Ibidem.
a) Agnouit id BASNAGIVS l. c. c. 14. §. 5. c) IDEM diſſ. III. c. 7. p. 71.

Deus neceſſitate naturali ex eſſentia ſua infinita entia quoque infinita in tempore infinito produxiſſet, aliquod extra immenſitatem eius fuiſſet, ſed omnia in ſe immotus comprehendiſſet, ſicque mundi nunquam extitiſſent, radiis eius infinitis omnia luce infinita complentibus; hinc neceſſarium fuit, vt lux infiniti radios ſuos ad producenda finita, et limitandam infinitatem ſuam, retraheret, et ſic ſpatium aliquod luce carens remaneret, in quod eſſentialitatis ſuae veſtigia imprimeret, vt ſcilicet illud vas eſſet, quod radios emicantis in ſephiris lucis diuinae reciperet. Hac retractione non potuere non ſpatia illa ſine luce relicta fieri finita, vas vero finitum non niſi finitam lucis portionem recipere potuit. Id quod et veteres et recentiores Cabbaliſtae, de Zimzum prolixe garrientes agnoſcunt. Eſt itaque haec operatio emanationum actus Dei voluntarius et finitus, iuxta quem produxit et creauit entia finita, temporibus finitis, et locis determinatis, et ad illa et in illa ita extenditur, vt non tantum eminentia quadam illis ſit ſuperior, ſed etiam per potentiam infinitam poſſet, ſi vellet, producere entia alia praeſtantiora et maiora in ſpatiis et locis aptioribus, latioribusue et longioribus, quae intra immenſitatem et amplitudinem ſuam perfectiſſime continet. Intelligi hoc luculenter poteſt, ex ſchemate primogeniti decem circulis luminoſis per modum canalis in ſpatium tenebroſum defluentis; omnes enim illi circuli vaſe aliquo luce vacuo circumdati, adeoque finiti ſunt. Hoc vero ſemel euicto, vt non poteſt non ſequi ſaluo ſyſtemate emanatiuo, quo emanatiuum a fonte ſuo finitate diſtat neceſſario, omnes eorum rationes ſimul euertuntur, qui trinitatis Chriſtianae veſtigia in ſephiris ſuperioribus ſe deprehendiſſe ſibi vili ſunt. Nam quamuis ſephiris eſſentiam diuinam Cabbaliſtae tribuant, immo ſuperioribus, maxime vero coronae, quae ſephira ſumma eſt, nomen Enſoph, ſiue infiniti adiiciunt, id tamen non eo fit ſenſu, ac ſi cum Enſoph, ſiue eſſentia DEI infinita vnum idemque adeoque infinita eſſet, ita enim totus emanationis ordo euerteretur, et cauſſa cum cauſſato, principium cum principiato confunderetur, vel plura aſſererentur infinita, quae omnia vt in ſe abſurda ſunt, ita menti Cabbaliſtarum repugnant. Sed apponitur Enſoph Coronae ideo, quia proxima infinito haec emanatio eſt, adeoque plurimum ex radiis lucis infiniti participat, quod cum et Sapientiae et Intelligentiae eueniat, quae propiores ſunt fonti ſuo, ideo ſeptem inferioribus praeferri a Cabbaliſticis philoſophis ſolent. Quae quam remota ſint a Chriſtiana Trinitate, quilibet palpat. Nec obiici hic quicquam poteſt, niſi hoc: recentiores Cabbaliſtas ita demum peruertiſſe veterum Cabbaliſtarum mentem. Hoc vero prius demonſtrandum erat, cum veteres Cabbaliſtae commode ita queant explicari, immo hoc neceſſario inuoluant, ſtatum inanitatis ſupponentes. Id vt teſtimonio Soharico probemus, en verba tr. *Idra Rabba* [d]: *Antequam ſenior ſeniorum, occultus occultorum inſtitueret effformationes regis* (Adam Kad-

d) Cabb. denud. T. II. p. 389.

Digitized by Google

Kadmon) *et diademata diadematum* (id eſt, varia inuolucra, quibus circumdaretur luminum nimietas) *principium et finis non fuit*, (i. e. omnia erant infinita) *ſculpſit ergo* (i. e. ſpatium euacuauit) *et proportiones* (luminis emanaturi) *inſtituit in ſe, et expandit ante ſe velum quoddam* (Adam Kadmon) *et in eo ſculpſit et certa proportione diſtribuit reges et formas* (ſephiras) *eorum.* Vides, lector, certa tantum modificatione luminis infiniti, finitas illas ſephiras fuiſſe productas. Hinc R. SCHABTAI [e] *lumen ſuperiorum ſephirarum* non infinitum, ſed tantum *magnum valde* dicit, *ita vt impoſſibile ſit creatis frui lumine earum, et hanc ob cauſſam neceſſe fuiſſe, in ramos ſe diffundere, in caput, medium et finem, qui ſunt ſeptem numerationes.* Quo longius itaque ſephirae ab infinito lumine abſunt, eo magis lux irradians decreſcit, et finitas augetur. Alia in re manifeſta tacemus.

IV. Hoc vero non obſtante ipſae ſephiroth, perſonae et lumina per ſe non ſunt creaturae, ſed notiones et radii infiniti, qui per gradus varios a ſummo fonte ita deſcendunt, vt tamen ab eo non ſeparentur, ſed ipſe per has extendatur ad creationem et gubernationem omnium entium, ſitque cauſſa vniuerſalis omnium vnica et perfecta, quamuis determinata ad hanc vel illam operationem, per hanc vel illam ſephiram vel modum [f]. Probe id obſeruandum eſt, ne emanationis ſyſtema euertatur. Sunt enim ſephirae emanationes et inſtrumenta Dei, ſed quae ſemper ex centro ſuo proſiliunt et promanant, adeoque ratione τῦ eſſe ſui ab eius natura dependent. Sunt itaque non inſtrumenta, vt e. g. malleus eſt inſtrumentum fabri, quod eius naturam non ingreditur, ſed ſeparari poteſt ab eo; ſed ſunt inſtrumenta eſſentialia in diuina natura radicata, et ex ea prodeuntia, vt v. c. radii ſolis ex eo prodeuntes inſtrumenta ſunt caloris cum ſolis natura arcte connexa. Prolixe id proſequitur R. SCHABTAI [g] qui videndus.

V. Sephirae hae, qui ſunt luciđi fontes radiique diuinae lucis, ſitae ſunt in primo cauſſato et emanatiuo ex Deo primogenito ſiue Adam Kadmon, qui viuificat et illuminat ſephiras emanantes, et per illas operatur in inferiora. Rectiſſime id monet IRIRA [h] prouocans ad R. MOSCHE CORDVERO [i], vnitatem illam infiniti non immediate adeſſe ſephiris illis Aziluthicis, ſed illis, quae ſunt in Adam Kadmon, qui eſt principiatum illud primum et ſummum, et cogitatio vel idea ſuprema conceptusque ſyſtematis Enſophici et radix atque ſcaturigo luminum ſupernorum, quae ad inſtar animae dat mundo emanationes. Quamuis nec cum decem ſephiris ipſius Adam Kadmon proxime vniatur En-ſoph ſeu cauſſa omnium cauſſarum, ſed per reſtrictionem illam ſaepe dictam, qua retraxit gloriam et excellentiam ſuam, et per canalem illum ſuppoſitum,

e) Ad libr. Iezirah p. 67.
f) Ibid. diſſ. IV. c. 7. p. 73.
g) loc. cit. h) c. 3. p. 82.
i) Pardes Rimmonim tr. 4. p. 83. 84.

Digitized by Google

tum, quem ex mente Loriiae ſupra p. 1000. expreſſimus. Ex hoc enim ſchemate clarum eſt, ſephiras ex Adam Kadmon prodire et circulari modo moueri, ſicque fieri emanationem radiorum lucis diuinae ad inferiora.

VI. Cauſſa itaque prima actu eminenti exſerit potentiam et proprietatem ſuam mediantibus cauſſis ſecundis et inſtrumentis, ita vt ſit cauſſa perfectiſſima tam mediorum iſtorum, quam eorum, quae ab iis producta ſunt [t]. Neceſſario id ex antecedentibus et ex natura ſyſtematis emanatiui ſequitur, in quo cauſſa primoprima, fonsque fontium operatur etiam in infima, ſed non immediate, verum mediate. Hinc Adam Kadmon mediator inter Enſoph et Sephiroth, et his mediantibus inter ſuprema et infima eſt.

VII. Monades illae ſeu ſephirae et lumina modique diuini quodammodo ſunt cauſſa prima, et quodammodo non: et ab illa quidem emanarunt, ſed vt a ſcaturigine ſua non ſeparentur, et ita per ſe ſubſiſtant, et extendantur ad omnia entia inferiora ſeparata, et diuiſa ab iis, quae propterea non tantum non ſunt perfecta et formalia, ſed et minus magisue talia, nec vnita niſi mediantibus his ſephiris cum cauſſa prima, quae per iſtas manifeſtatur et cognoſcitur [u]. Ex his ratio patet, cur ſephirae perſonae dicantur Cabbaliſtis ſiue פרצופים, eo quod per ſe ſubſiſtant, licet modi ſint et notiones diuinae eſſentiae, vbi ratione graduum vna alteram ſuperueſtit, et in ea continetur. Sunt enim parzuphim lumina inuicem colligata ſibique inuicem inſerta, et ſeſe ſuperueſtientia: nempe pro gradibus mundorum, quibus ſingulis eſt ſyſtema ſephirothicum, quorum vnum aliud ſuperueſtit et circumdat [w]. Hinc mox decem, mox duodecim, mox ſex, mox quinque perſonae numerantur; ex quo diſci poteſt, quam longe perſonae Cabbaliſticae a perſonis SS. Trinitatis diſtent. Perſonalitas enim Cabbaliſtica certa tantum modificatio et relatio luminum diuinorum eſt per ſe quidem ſubſiſtentium, ſed a cauſſa prima pendentium.

VIII. Sunt itaque ſephirae diuinitas determinata, et ſe habent ad omnia entia reliqua, tanquam centrum ad circumferentiam, et radii vel lineae a centro ad circumferentiam, vel contra, ductae [x]. Idem praecipit, quem ſupra laudauimus R. Schabtai [y] et Cabbaliſtae alii, et luculenter intelligi poteſt ex figura Adam Kadmon ſupra poſita; in ea enim lucis radii circulariter effluunt et vaſis ſuis ab infinito lumine ſeparantur, et modificantur atque menſurantur.

IX. Continentur in Adam Kadmon ſiue principiato primo non tantum omnes perſonae et ſephirae duorum mundorum diuinorum Enſophici et Aziluthici, ſed et Briahtici, Iezirahtici et Aſiahtici ſeu inferiorum, ita vt per-

t) Irira l. c.

u) Ib. c. 11. p. 88.

w) Conf. Lex. Cabbaliſt. v. פרצוף Cabbal. denud. T. I. p. 649.

x) Ibidem.

y) loc. citat.

Digitized by Google

perfectiones illae, quae in cauſſa prima tantum cognoſcuntur negatiue, in illud effluant ſpecialius, fintque ibi formaliter, tanquam monades determinatae pro omnibus numeris et entibus ſtabilibus p. Ratio in natura emanationum ſita eſt, ſine qua nihil inferiorum conſiſtere poteſt. Ex quibus ſequitur, etiam in mundo Aſiahtico ſiue materiali omniumque infimo cauſſas eſſe ſephiras ex principiato primo emanantes, eo tantum diſcrimine, vt gradu quarto vel quinto a fonte primo differant, adeoque limitata magis et attenuata luce conſtantes influant, ex quo influxu materia oritur. Ex his vero recte conficitur, qui mundum creationis et factionis ex nihilo productum eſſe volunt, eo quod emanatiuſs opponatur, magnopere errare, et Chriſtianas notiones cum Cabbaliſticis confundere.

X. Vt eſt natura mundorum, in quos influunt ſephirae, ita etiam ſe habet natura emanationis earum q.

XI. Primogenitus homo radios lucis diuinae in mundos demittens, gignit inde lumina decem ſiue ſephirarum denarium r. Ratio, cur denarium numerum in definiendis ſephiris Cabbaliſtae elegerint, ſine dubio a numeri denarii perfectione deriuanda eſt, quam non Pythagoreis tantum placuiſſe, ſed inter Orientales quoque fuiſſe commendatam conſtat. Eadem enim ratione, qua ex triade et hebtade decadis myſteria deriuarunt Pythagorei, etiam Cabbaliſtae inſtituunt. Qui enim a computandi modo ſecundum decem digitos numeri huius rationem deriuant, non audiendi videntur, eo quod falſo ſupponunt, aridas numerationes ſephiras eſſe.

XII. Quamuis autem ſephirae ſint menſurae perfectiſſimae, attamen pro diuerſitate analogiae ſuae magis vel minus lucidae ſunt s. Id vero ſalua earum perfectione, quatenus nempe id ſunt formaliter, quod in cauſſa infinita eſt cauſſaliter, ſicque et ipſae cauſſe fiunt ſequentis ſephirae formalis. Et hoc illud vult, quod ſupra diximus, ſuperueſtire perſonam ſephirothicam alteram et inferiorem ſuperiorem, id eſt intrare et pertransire, vel in illa conſiſtere: nempe ſuperiorem cum inferiore vniri, eamque informare et illuminare, vt perficiat per ſemetipſam. Haec quoque cauſſa eſt, cur tot ſephiras ſephirarum faciant Cabbaliſtae, et quamlibet ſephiram ſephirarum denarium in ſe habere dicant, et ſic in infinitum; nempe vt modificationum innumerarum rationes eo magis explanarent. Vt vero variae earum ſunt perfectiones, modique diuerſi, ita nomina quoque illis ex ſcriptura S. deſumta eos dediſſe, dubium non eſt, prout nempe mundus eſt, in quem influunt. Exemplum explicationis huiusmodi luculentum dabit IRIRA t monens: *Mundum Aziluth, ſiue emanatiuum, in quo lacent decem ſephiroth, quando conſideretur cum reſpectu ad Enſoph, nomen habere coronae, quia haec ab illo accipit omnem eſſentiam, potentiam et operationem. Quatenus autem deinde intelligat et concludat, vocari ſapientiam, ſed quatenus reſpectum habeat ad inferiora, et ad iſta ſe ex-*

p) IRIRA l. c. c. 14. p. 89.
q) Prolixe id explicat IRIRA diſſ. V. p. 93.
r) Ibid. c. 8. p. 100. ſeqq.
s) Diſſ. VIII. c. 19. p. 189. ſeqq.
t) Ibid.

porrigat, vocari intelligentiam: quae illis ſeſe applicet per excellentiam proprietatis et naturae ſuae, et hanc eſſe gratiam et benignitatem. Sed quando iuxta diſpoſitionem recipientium determinetur atque limitetur, eſſe ius ſtrictum, ſiue Gebhurah; porro quatenus coniungatur actiuum cum paſſiuo, Cheſed cum Gebhurah, vel actum cum potentia, vocari Tiphereth. Et quatenus benignitas omnibus influxum largiatur, vocari Nezech, victoriam: Quando autem quibusdam det aliquam partem debitam, videlicet praemium et poenam inferioribus, quae ſint compoſita e duobus contrariis, vt quae habeant liberum arbitrium, vocari Hod, gloriam. Sed Ieſod appellari, quatenus det omnia omnibus; et tandem regnum eſſe compagem omnium perfectionum emanantium, in qua omnes concurrunt et conſiſtunt. Ita Irira ſephiras mundi Aziluthici explicat, in qua quidem explicatione non diffitemur dubium eſſe, vtrum Irira proprias cogitationes, an placita veterum ſecutus ſit; certe quae de cauſſis ad ſephiras applicatis dicit, valde metaphyſicam ſcholaſticam redolent. Quaecunque vero cauſſa ſit, illud veriſimile eſt, nomina ſephirarum modum et affectiones cuiuslibet ſephirae per omnes mundorum gradationes indicare, quibus res omnes perfectionem habent.

XIII. Ita vero ſephirae, fontesque hi luminum ſibi inuicem ſubordinantur, vt, quo propinquior ſephira eſt luci infiniti, eo excellentior quoque ſit et perfectior. Quaelibet enim ſpatio quodam diſtinguitur, quo ab infinito lumine diſtat, donec materialem mundum inueniamus, qui eſt punctum medium circulorum et ipſius quoque ſpatii locique vacui, adeoque et remotiſſimum ab infinito, remotione *κατ' ἐξοχήν* ſic dicenda prae omnibus mundis reliquis: vnde et corporeus eſt et materialis perfecta corporeitate. Ita Loria [a]; cuius mentem Schema adiectum illuſtrat. *Fig. III.*

XIV. Iſtae Sephirae ſunt productae ab vno primo ſimplici, manifeſtantes bonitatem eius infinitam. Hinc varia earum nomina, quae ſupra ex parte recenſuimus, quae cum Mevrsii *denario Pythagorico* merentur comparari, ex quo libro diſcemus, nomina ſingulorum numerorum valde ſimilia eſſe ſephirarum nominibus.

XV. Quot ex ſe radios luminis emittit Adam Kadmon, tot ſephirarum ſyſtemata denariique exſurgunt [x]. E. g. Vnumquodque de quinque luminibus mundi Enſophici componitur ex decem ſephiris duplicibus, nempe partim ambientibus et externis, partim circumdatis [y].

XVI. Habet quoque ſephira quaelibet vas ſuum, קלים, ex retractione lucis ortum, et recipiendis lucis radiis deſtinatum.

XVII. Fit vero ea emanatio radiorum, vel in notione rectilinea, vel in circulari. Prolixius id exſequitur Loria [z], oſtendens, prius emanare decem ſephiras notionis circularis, et quidem initio vaſa decem con-

x) l. c. p. 37. conf. Irira l. c. p. 120.
y) Irira diſſ. VIII. p. 159.
y) Loria l. c. c. 2. p. 37.
z) loc. cit.

Digitized by Google

conſtantia partibus exterioribus et interioribus: quibus veſtiantur decem ſephiroth, praeter quae decem alia lumina inueniantur ambientia; deinde pari modo emanare decem ſephiras forma rectilinea hominis inſtar, quae excellentiores ſint circularibus &c.

XVIII. Prout ex membro primi hominis lumina haec emanant, ita etiam relationem habent, et conſideranda ſunt. Prolixi in hoc ſchemate explicando, radiisque ex omnibus partibus primogeniti promicantibus illuſtrandis ſunt Cabbaliſtae, quorum tamen nugae difficiles in hunc locum non poſſunt omnes transferri. Res ipſa huc potiſſimum redit: Depingunt Adamum illum primaeuum ſub imagine hominis erecti, et quidem capite lucem infiniti, pedibus vero mundum materialem attingentis. Huic homini membra CCXLVIII tribuunt, quae ſecundum ſephiras decem ordinant, ita vt Cether cranium, Chochma et Binah, cum ſede ſua Daath, tres cerebri ſpecies, Cheſed, Gebhurah et Tiphereth brachia duo et corpus; Nezach, Hod et Ieſod pedes duos membrumque genitale, Malchuth vero vxorem Adam Kadmon conſtituat. Sephiras vero omnes in perſonas transmutant, et in ſcenam quaſi producunt, hinc prima vocatur Arich Anpin, id eſt macroproſopos; ſecunda, Abba, pater; tertia, Imma, mater; reliquae ſex vnam perſonam effingunt Seir Anpin, microproſopon dictam, cuius vxor eſt ſephira vltima [a]. Secundum difficilem hanc allegoriam myſterium emanationum, mundorumque conſtitutorum per compreſſionem et immiſſionem radiorum lucis in vaſa ſua, in libris Soharicis deſcriptum eſt. Harum coniunctionem deſcenſumque vnius in alteram, et ſimilia multis deſcribunt Cabbaliſtae, et ex crinibus quoque capitis et barbae Arich Anpin, Seir Anpin, et vxore eius lumina dicunt emicare obiectiua et intelligibilia, quae reflectuntur, tenduntque ab imo ſurſum, prodeuntia per foramina innumera dictorum capitum et barbarum, ſuntque obiecta ſelectiſſima et ſingularia, admodum limitata, vt naturae inferiores per illa cognoſcant et intelligant id, quod de ipſorum ſcaturigine occulta alias non poterant comprehendere. Qua claui ab IRIRA [b] ſuppeditata referari poſſunt aenigmata Soharica, quanquam et ſic quoque multa ineſſe δυσνόητα καὶ ἄδηλα fateamur.

XIX. Sephirae cuiuslibet mundi tam in genere, quam in ſpecie ſumtae continentur literis tetragrammati [c].

XX. Ex harum itaque ſephirarum multiplici combinatione inter ſe coniugatarum influxu vaſa luce impleta, mundique producti ſunt.

Haec potiora Cabbaliſtarum placita de ſephiris ſunt, quibus innumera obſcuriſſima nullaque induſtria clare detegenda affuunt, et Cabbalae literalis applicatione, nominumque diuinorum impoſitione varia et multarum imaginum cumulatione ita confundunt, vt faſſi ſint viri in his myſteriis

a) Vid. LORIA l. c. c. 5. p. 48. et Tabula Sephirothica eius T. I. Cabb. denud. P. II. p. 7. et qui philoſophice de hac re differit IRIRA diff. VIII. c. 20. p. 189. ſeqq.
b) p. 191. ſeqq.
c) LORIA p. 49. IRIRA p. 143. 150.

Digitized by Google

ſteriis perſpiciendis acutiſſimi [d], ſibi non omnia conſtare, euidensque ſit, ipſos Cabbaliſtas non omnia intellexiſſe. Multum vero auxit quoque tenebras ſuperſtitioſa numeri ternarii, quaternionis et ſeptenarii obſeruatio. Adducta tamen et poſt ſindona protracta ſyſtemati Cabbaliſtico accurate conueniunt, et cum philoſophia emanatiua tota amice conſpirant. Ex quibus diſcimus, eſſe ſephiras, radios lucis diuinae per cauſſatum primum emicantes, et emanationes, quibus in quolibet ſyſtemate mundano omnia formantur, producuntur, gubernantur, eum in finem, vt regnum Dei, id eſt explicatio et euolutio Dei occulti, manifeſtetur, oſtendaturque, in omnium entium ordinibus Dei lumen, attributa, perfectiones, gloriamque, ipſamque Dei eſſentiam ſe manifeſtare [e]. Ideo enim regnum ſephirarum vltima eſt, quae Deum ita manifeſtatum exponit. Ex quibus recte colligimus ſaluo ſyſtemate Cabbaliſtico non de regno gratiae, ſed naturae eam eſſe intelligendam; quo obſeruato cadunt omnia, quae pro demonſtranda oeconomia gratiae ex Cabbaliſtarum ſcriptis viri docti afferunt [f].

Dogma de mundis.

§. VIII. Tertium, quod prae ceteris momentum in philoſophia Cabbaliſtica habet, dogma, vel aenigma potius, mundi ſunt quatuor, de quibus obſcura et intricata multa Cabbaliſtae garriunt. Indignatur hoc BVRNETIVS [g], faſſus quidem *inferiores Cabbaliſtarum mundos nos agnoſcere, ſuperiores autem*, monens, *vltra ommem oculorum aut mentis aciem elatos in vacuis ſpatiis et regionibus ſupermundanis abſcondi: neque enim aut ſua luce eos patere, aut mutuatitio lumine commentatorum, tam auctores enim, quam interpretes, rerum vmbris deceptos errores ſuos nouo fuco obducere.* Id quod ex fraudulento ſcopo methodi allegoricae confirmat, apte pronuncians: *eos, qui latibula quaerunt, ſemper ſibi ſuſpectos eſſe de ineptiis vel impoſturis.* Diſplicuit Burnetii confeſſio B. BVDDEO [h], eo quod mundorum ſuperiorum notionem ſatis claram dari poſſe confideret; negandumque non eſt, videri Burnetium non ſatis ad nexum ſyſtematis Cabbaliſtici attentum fuiſſe, ſed difficultate et obſcuritate allegoriarum abſterritum, a profundiore meditatione ſyſtematis Cabbaliſtici abſtinuiſſe; cum ſequentia doctura ſint, dari poſſe huius quoque dogmatis delineationem aliquam cohaerentem, et intelligibilem. At hoc tamen non obſtante, multa in eo eſſe intricata, obſcura, δυσνόητα, maleque cohaerentia, is demum experietur, qui his gryphis ſoluendis operam impenderit ſuam. Nos itaque ne in tenebroſo itinere a recta ſemita deuiemus, ſequemur duces ſemel non ſine fructu delectos, et potiſſimum ad ipſam ſyſtematis emanatiui indolem et naturam, tanquam ad cynoſuram reſpiciemus. Conſtituuntur vero a Cabbaliſtis mundi quatuor, nempe mundus Aziluth, ſiue emanationis, mun-

d) Vid. WACHTER. elucid. Cabb. p. 65.
e) Obtemuit hoc etiam BASNAG. l. c. p. 339.
f) Conf. WACHTER. l. c. c. I. §. 16.
g) l. c. p. 368. h) l. c. §. 42. p. 377.

Digitized by Google

mundus Briah, ſiue creationis, mundus Iezirah, ſiue formationis, et mundus Aſiah, ſiue fabricationis. His praefigunt Enſoph, quem mundum infiniti quidem vocant, et illi quatuor mundos iſtos, emanationis leges ſecuti, ita ſubordinant, vt ſuperior inferioris radix atque fons ſit, et ex enſophico Aziluthicus, ex Aziluthico Briahticus, ex Briahtico Iezirahticus, ex Iezirahtico Aſiahticus oriatur, et tum ordine retrogrado inferior mundus ſuperiorem ſuperueſtiat, de quo dogmate quatur mundorum Cabbaliſtarum ſcripta plena ſunt omnia [i]. Pertinet enim hoc dogma ad doctrinas fundamentales philoſophiae Cabbaliſticae, quae non tantum de cauſſa efficienti et inſtrumentali ſiue media emanationum, ſed de effectu quoque, nempe quatuor iſtis mundis, qui ex Deo emanarunt, differit. Eſt autem mundus Aziluth emanatiuum primum, ex infiniti luce mediante Adam Kadmon eiusque irradiationibus profectum, in quo perfectiones mundorum reliquorum ſubordinatorum negatis eorum imperfectionibus continentur, quique citra mutationem et variationem vel defectum cauſſae ſuae infinitae emanauit, reliquisque mundis fons communicatarum perfectionum ex cauſſa infinita eſt. Vocatur autem Aziluthicus mundus, eo quod non tantum ex nulla praecedente materia (id eſt, ex nullo ſubiecto externo, non tamen ex nihilo) productus eſt, reliquisque eſt ſublimior, ſed etiam vnitus et connexus principio ſuo, a quo emanando dependet cum omnibus attributis ſuis. Vnde IRIRA [k], adhibitis terminis ſcholaſticis τὸ Aziluth ita explicat: *quod ſit actus ſublimior, perfectior et purior, et magis alienus a motu, quam creatio, quia emanat immanendo communione et ſine ſeparatione, et ſi reſpiciatur cauſſatum, Aziluth etiam maiorem ſimilitudinem cum cauſſa ſua prae ſe ferat, dum ipſa iſtud eſt formaliter, quod cauſſa eſt cauſſaliter et eminenter, et nulla differentia ſit inter emanatum et emanatorem, niſi quae eſt inter cauſſam et cauſſatum, vsque adeo, vt quaſi vnum ſint, quamuis analogice habeat naturam multi et finiti.* Ex his mundus Briahticus intelligi poteſt, qui ideo nomen hoc accepit, quod creatus ſit ſine praecedente materia et ſubſtantia, ex mundo aziluthico ſcaturiens. Continet itaque illas ſubſtantias ſpirituales, quae non immediate ex infinito profluxerunt, adeoque perfectiones minores et quaſi limitatas habent, quamuis ex materia externa et accedente non ſint orta, ſed ex ipſa mundi Aziluthici eſſentia profecta: quae ratio eſt, cur creatus hic mundus dicatur [l]. Mundus Iezirah eſt mundus formatiuus illarum ſubſtantiarum ſpiritualium, quae quidem creatae ſunt ex nihilo, id eſt, ſine praecedente ſubiecto et ſubſtantia, adeoque ex mundo tantum Briahtico ortae ſunt, ſed tamen creatae ſunt in ſubſtantia et ſubiecto, cui deſtinantur, et quod informant. Lucem his accendent verba IRIRAE [m], monentis, *angelos* (horum enim eſt mundus

i) Vid. Lexic. Cabbal. v. Aziluth. pag. 146. IRIRA porr. cuelor. diſſ. V. c. 13. p. 124. ſeqq. R. MOSES CORDVERO de Palat. 24. c. 10. Cabb. denud. T. I. P. II. p. 100. R. IZH. LORIIA tr. I. libri Druſchim l. c. p. 44. R. NAPHTH. HIRTZ Vall. reg. Cabb. den. T. II. P. I. p. 259.

k) l. c. p. 97.

l) Ibid.

m) pag. 98.

Digitized by Google

dus Iezirahticus) *esse quidem substantias intelligentes et incorporeas, sed locatas super et in corpora firmamenti summi, et supra et in corpora coelestia, ignea, et aërea, vt illa viuificent et moueant: vel, vt loquuntur Cabbalistae, spiritus vtentes corporibus, quae vocant lampades ignis, quibus inuestiantur.* Id quod ex doctrina Iudaeorum de angelis lucem capit, quam supra exposuimus; ea enim nos docet [n], tribuere Iudaeos angelis corpora siderea; eosque omnibus elementis praesides et incolas dare. Id quod tamen de corpore tantum inuestiente, non de natura Iezirahtica et spirituali intelligendum est, nec spiritus Briahtici longe perfectiores cum Iezirahticis confundendi sunt. Hinc יצירה תּוֹ, scholae notionibus vsus IRIRA [o] definit *impressionem formae per se subsistentis in substantiam corpoream, quae ab illa non est plane aliena, sed per eius influxum producta.* Mundus Asiahticus autem materialis et visibilis mundus est, continetque substantias, quae omnino dependent a materia in esse, subsistere, posse, et operari, suntque compositae, et formae earum sunt partes vniuersi, quae per se esse non possunt, sed immersae sunt materiae extensae quantitatiue, adeoque diuisibiles, et subiectae motui perpetuo, multitudini, generationi, corruptioni etc. vt iterum habet IRIRA [p]. Et haec quidem satis clara sunt, nec difficilia intellectu. At in eo obscuritas haut leuis versatur, quo ordine, origine, forma, et subordinatione in systemate hoc mundano Cabbalistae eos constituerint et quomodo emanationem, creationem, formationem et fabricationem inter se distinxerint. Quidam enim viri docti [q], qui diligenter Cabbalisticam philosophiam inspexerunt, primum tantum mundum, nempe emanatiuum a Cabbalistis ex infinito, siue mundo Ensophico deriuari contendunt, reliquos tres creatos esse ex nihilo secundum Cabbalistas volunt. Cui opinioni contradicunt alii [r], magnopere repugnantes, statuentesque, euertere hanc explicationem totum systema Cabbalisticum, quod, cum, quantumcunque etiam sit, emanatiuum tantum sit, creationem ex nihilo, id est ex non-ente plane respuat, adeoque omnes hos quatuor mundos ex legibus emanationis, secundum quas emanatiuum prius posterioris caussa et fons est, exponendos esse, nec esse eos aliud, nisi Deum in essentialitate sua manifestatum et euolutum; siue, vt apte describit auctor *annotationum ad* LORIIAE *tractatum de reuolutionibus animarum* [s]: *Esse nihil aliud, quam quatuor repraesentatas diuinitatis classes, lumine semper magis magisque diminuto.* Nec nos quoque moram facimus, huic sententiae, tanquam menti Cabbalistarum magis conformi accedendi. Vt vero ipsum systema hoc mundanum intelligat lector, iudiciumque interponere suum possit,

n) Conf. ANDR. EISENMENGER. Iudaism. detect. P. II. c. 7. p. 373.
o) Ibidem.
p) loc. citat.
q) BYDDEVS l. c. p. 375. BASNAGE Hist. Iud. L. III. c. 8. §. 9. seqq. p. 170. seqq.
r) WACHTER. Spinoz. in Iud. P. II. p. 229. Io. IAC. SYRBIVS Init. phil. prim. P. II. c. 4. §. 3. p. 367. seqq.
s) Cabb. denud. T. II. P. III. p. 145.

Digitized by Google

ſit, en more hactenus ſeruato potiores aſſertiones huc pertinentes, quibus illud nititur:

I. Res omnes ſuperius in coelis, et inferius in terra, non ſunt a ſe ipſis, vel ex non-ente; ſed emanarunt a loco quodam ſuperiore. Ita R. MOSES CORDVERO [t], qui ideo cauere lectorem ſuum monet, ne ignominioſum quid dicat de vlla creatura. Omnia enim, quaecunque ſunt viſibilia et inuiſibilia, ſecundum Cabbaliſtas ex infinito lucis diuinae ſupremae oceano effluxerunt. Nec aliter ſtatuere poteſt philoſophia Cabbaliſtica, eo quod pro indubitato ponit, id quod eſſentiam aliquam habet, et non mera priuatio eſt, ex non-ente, quod eius contradictorium eſt, non poſſe oriri, ex quo ſequitur, nihil poſſe, ſenſu vero et accurato, creari, id eſt, ex nihilo produci, niſi priuationem. Quo ſemel admiſſo neceſſarium eſt, omnia quae reuera ſunt, ex Deo orta eſſe et effluxiſſe, eiusque manifeſtationem et explicationem eſſentiae eius prae ſe ferre. Vidit id rectiſſimeque monuit BVRNETIVS [u]: *Cabbaliſtas hanc ſibi concepiſſe animo ideam, primum ens, ſiue Enſoph in ſe continere omnia, et eandem ſemper eſſe entitatis quantitatem in vniuerſo, ſiue ſit in ſtatu creato, ſiue increato. Cum ſit in ſtatu increato ſiue antemundano, Deum eſſe omnia ſimpliciter: cum autem ſit mundus, non augeri quidem entitatis gradus aut menſuras, ſed Deum ſeſe explicare et euoluere, per emanationes et effluxus a ſummis ad ima, quibus conſtituantur diuerſae rerum creatarum formae et ordines. Ideoque ſaepe Cabbaliſtas verba facere de vacuis, et de vaſis et vaſculis, quaſi ad recipiendos hos effluxus; et de radiis effluentibus, et de canalibus, quibus decurrant et propagentur: denique cum Deus retrahat hos radios et reſorbeat, perire mundum externum, atque omnia fieri iterum Deum.* Subſcribunt verbis Burnetii Cl. WACHTERVS [x], et ipſe B. BVDDEVS [y]. Hoc vero poſito creatio ex nihilo concidit, palamque eſt, eam Cabbaliſtis perperam ex nimio conciliandi Cabbaliſticam philoſophiam cum Chriſtiana ſtudio tribui.

II. Id, ex quo omnia effluxerunt, eſt Enſoph, ſiue ens ſummum, Numen infinitum cauſſaque prima, quae immediate produxit Adam Kadmon, id eſt, illud, quod in ipſo dicitur homo primus, qui eſt intellectus occultus et cogitatio diuina: et ab iſto ſubſequenter lumina ſuperna prodierunt, quae ſeſe exſerunt in quinque decades ſephirothicas, ita quidem, vt ad productionem mundorum inferiorum extendatur ipſa illa eſſentia, quae et in mundum emanationis extenditur, eosque non tantum produxerit, ſed et conſeruet et gubernet [z]. Tota haec aſſertio ex hypotheſi de Adam Kadmon ſupra explicata facile intelligitur.

III. Quic-

t) De Palat. Cabb. denud. T. I. P. II. p. 100.
u) loc. cit.
x) l. c. P. I. p. 21. Elucid. Cabbal. c. III. §. 4. p. 87.
y) l. c. §. 44. p. 394. ſeqq.
z) IRENA diſſ. III. c. 9. §. 2. p. 72.

Digitized by Google

III. Quicquid eſt, vel eſt ex aliquo, et materia quadam, vel ex nihilo, id eſt, non praeexiſtente ſubſtantia et materia. Hoc a cauſſa prima eſt ſine praecedente aliquo ſubiecto, ſed ex potentia et operatione cauſſae primae [a]: illud vero creatur in ſubſtantia et ſubiecto. Ita quidem IRIRA [b] philoſophatur ad demonſtrandam mundorum inferiorum בי"ע productionem et diſcrepantiam a ſuperioribus. Recte vero intelligendus eſt, ne aliena ei tribuatur opinio, dum ſe Chriſtianorum locutionibus accommodat. Creatio enim ex nihilo non ad eſſentiale pertinet, quod ex potentia et operatione primae cauſſae neceſſario oritur, vt ipſe Irira prolixe demonſtrauit, ſed ad modificationem, qua eſſentia illa effluens diſtinguitur a cauſſa ſua, quaeque in materia ſeſe manifeſtat. Haec autem modificatio conſtat in diminutione luminis ex luce infiniti emanantis, et in vaſa tenebroſa atque vacua influentis: quae lux cum ſine modificatione, limitatione et retractione ſiue reſtrictione ex Deo non potuerit emanare, ne omnia infinita luce plena, et mundus enſophicus fierent, qui ſolus omni prorſus caret priuatione; omnino diminui, et a vaſis circumſcribi, et ita radii lucis condenſari debuerunt, vt tandem extrema vltimaque emanatio in materiam per iſtam priuationem degeneraret. Quae priuatio cum non in eſſentia lucis infiniti fuerit, ſed ex retractione radiorum, et limitatione luminis orta ſit, ideo creata dicitur, quia ex non-ente eſt. Id quod radiis lucis in longinquum emanantibus declarant Cabbaliſtae, qui quo longius a lumine proiiciuntur, eo infirmiores fiunt, eo magis ad tenebras accedunt; ſic vt ex ſola priuatione lucis producantur, et ex nihilo exiſtant. Quam originem materiae Cabbaliſtae ſine dubio didicerunt a philoſophis Orientalibus, quos ex ſchola Zoroaſtriana, vetus ſyſtema Magicum ita reformante, talia de ortu materiae, et tenebrarum, ipſiusque mali didiciſſe, *ſuperiori libro* demonſtrauimus.

IV. Materia non habet entitatem, ſed oritur ex priuatione perfectionis, ex ente ſupremo emanantis. Notio haec materiae oritur ex natura emanationis. Quo remotius enim emanatum ab emanatore eſt receditque longius, eo magis imperfectum eſſe oportet. Et haec ſacra ancora eſt, ad quam Cabbaliſtae confugiunt, materiae originem deſcripturi [c]. Cum enim materiam ob conditionem ſuam nimis vilem et imperfectam, ex Deo deriuare non audeant, neceſſario formalem rationem eius in priuatione ponere debuerunt, quae cum ens verum non ſit, ex Deo orta eſſe non poſſit, quamuis ſubiectum illud, in quod iſta priuatio inducitur, ex Deo effluxerit. Non itaque negant Cabbaliſtae materialitatem omnem, ſed eam tantum ex numero eſſentiarum eximunt, et in condenſatione radiorum lucis, vel luce ita attenuata ponunt, vt nihil remaneat; niſi materia quaedam tenebricoſa, carboque diuinae ſubſtantiae, in quo vix vlla ſcin-

a) Id vero non tantum ratione cauſſae efficientis, ſed etiam formalis intelligendum eſſe, leges emanationis iubent, qua fons emanans et cauſſa et forma emanationis eſt.

b) pag. 97.

c) Vid. LORIA l.c. p. 37. CORDVERO l.c. p. 108. conf. WACHTER. l.c. P. II. p. 831.

Digitized by Google

ſcintilla apparet. Eſt itaque materia, ſi ſubiectum materiatum reſpicias, Deus, retractis lucis radiis ſubiectum aliquod opacum relinquens, vel Deus obſcuratus, ſi vero priuationem illi ſubiecto inductam conſideres, non-ens, ſiue priuatio: quo reſpectu gentilibus philoſophis per materiam aliquod poſitiuum, licet imperfectiſſimum ens, deſignantibus Cabbaliſtae hanc theſin opponunt: non eſſe in rerum natura materiam, ſed omnia eſſe ſpiritum, id eſt, materiam, qua talem, ad entia realia et poſitiua non pertinere. Cuncta enim, quae realiter exiſtunt, ex prima cauſſa effluunt, adeoque ſpiritus ſunt, ſed accedente limitatione et circumſcriptione ita imperfecti et coarctati, vt inde materia exiſtat, mundusque materialis ex emanatione conſtare poſſit [d], quamuis ex Deo materia, qua talis, non ſit, quia non-ens ex ente ſummo ob nimiam et infinitam diſtantiam effluere nequeat. Adſcribemus in argumento non leuis momenti, quodque omnibus philoſophorum opinionibus de materia, quae ex Deo eam deriuant, lucem affundit, luculenta verba R. MOSIS CORDVERO [e]: *Nihil eſt in mundo, cui non affluat e ſupernis influentia et lux quaedam, quamuis illa differat pro diuerſitate deſcenſus a poſterioribus, ſeu Malchuth, quae ſunt anteriora reſpectu caeterorum graduum inferiorum. Sic ergo haec incraſſeſcunt, et manifeſtiora atque quaſi corporea fiunt, de gradu in gradum, prout congruit materiae illi turbidae. ita vt nihil penitus inueniatur in hoc mundo, in quo non ſit aliquid ſpirituale et vitale, ſecundum proportionem corporeitatis et materialitatis ſuae, et pro gradu diſtantiae ſuae a fonte et latomia rerum omnium. Et quando craſſa iſta materia ſic eleuatur, vt propinqua fiat tenuiori ſuae materiae, tum allucet ipſi lux aliqua materiae eleuatioris. Quemadmodum ſi magna quaedam lucerna accenſa ſit in media baſilica, illa certe ob baſilicae magnitudinem non illuſtrabit omnes angulos baſilicae, niſi modico quodam lumine, ita vt alter alterum ibi videre nequeat: qui vero accedet ad lucernam, maiore atque copioſiore lumine colluſtrabitur, ita vt ſi propius ad vaſculum eius acceſſerit, caligare incipiant oculi eius nimio perſtricti fulgore. Ita et hic ſe res habet.* Quae philoſophi Iudaici verba ſupra dicta mire illuſtrant, ipſa vero lucem ex illis accipiunt, quae ſuperiori libro de materia intelligibili et ſenſibili ex Alexandrinorum philoſophorum mente diſſeruimus. Nam et hi et illi ex communi fonte philoſophiae Orientalis hanc ὑληλογίαν didicerunt. Hinc ſequitur:

V. Quo propius aliquid eſt fonti ſupremo, eo perfectius quoque eſt, quo magis autem diſtat, eo magis imperfectione limitatur, et attenuatur, eo magis fit materiale [f]. Ratio haec eſt, cur mundus Aſiahticus ſiue materialis ſit omnium infimus, eo quod a mundo enſophico omnium longiſſime diſtat, et ita radii ex illo emicantes ſunt maxime condenſati, luxque

d) Quam craſſi paralogiſmi et abſurditates hic lateant, oſtendit MORVS ad libr. Druſchim c. 2. §. 4. p. 65

e) loc. cit.

f) Citati.

que ita attenuata, vt prae imperfectione tenebrarum, id eſt, materialitatis, percipi nequeat, quamquam aliquid lucis contineat.

VI. Cum itaque ante mundos conditos omnia infinita luce fuiſſent repleta, retraxit lux illa infinita radios ſuos, et coarctauit ſe, vt poſſint mundi exiſtere, ſicque reliquit ſubſtantiam aliquam ſpatiumque luce carens, in quod radios immittens mundos poſtea condidit.

VII. Nempe vt ſupra dictum, expulit infiniti lux e ſinu ſuo radium aliquem magnum, nempe hominem primogenitum, eumque motu illo rectilineo et circulari ita illi ſubſtantiae luce carenti immiſit, vt per emicantia ex eo lumina ſiue ſephirae mundi conderentur.

VIII. Quo propiores autem hae emanationes et radii diuinitus immiſſi in ſpatium illud luce carens ſunt fonti luminum ſupremo, eo purior et perfectior fit mundus.

IX. Mundus itaque puriſſimus et perfectiſſimus eſt Aziluthicus, ſiue emanatiuus, eo quod puriſſimae luci diuinae in mundo enſophico eſt proximus, et nullam limitationem vel diminutionem luminis patitur, ſed emanauit citra mutationem, variationem et defectum cauſſae ſuae infinitae [g].

X. Hunc excipit mundus Briahticus, cuius lux illabens coarctatur magis et ſuo modo limitatur, adeoque minus pura eſt atque magis attenuata, magisque finita. Nempe ad decreſcentem lucis perfectionem eiusque diminutionem increſcentem cuncta redeunt, emanationibus in progreſſu ſemper infirmioribus et imperfectioribus. Recte itaque dixit illuſtris KNORRIVS [h]: *creationis hunc ſenſum eſſe: Talem eſſe rei eſſentiam, vt manifeſtior ſit quam Aziluth, incraſſeſcendo quaſi; hanc autem incraſſationem rei fieri non poſſe, niſi per amotionem et ſeparationem a tenuitate et ſubtiliſſima ſpiritualitate.*

XI. Eodem modo magis perfectio lucis decreſcit in mundo Iezirahtico, quae magis adhuc a fonte omnium primo diſtat, et maiorem patitur lucis coarctationem. Ratio haec eſt, cur angelos, quibus hunc mundum tribuunt Cabbaliſtae, corpora habere aetheria, ignea, et ſimilia dicant, vt ſupra iam notatum.

XII. Vltimus vero mundus eſt Aſiahticus ſiue materialis, in quo, cum a fonte luminum ſupremo omnium longiſſime diſtet, neceſſario lucis radii ita comprimuntur coarctanturque, vt incraſſeſcant, et hic mundus inde fiat materialis atque corporeus. Hinc formae eius materiae impreſſae ſunt, vt Scholaſtico more loquitur Irira, Peripateticum cothurnum Cabbaliſtico pedi applicans, id eſt, entia ſpiritualia materiae ita immerſa ſunt, vt ſola materia percipiatur.

XIII. Operatur autem emanans ille radius diuinae lucis ex vno mundo et per eum in alterum, ſubordinato motu, ita vt mundus anterior, cum poſteriori lumen hoc communicet, et cauſſans ſemper perfectioris meliorisque

g) IRIRA l. c. h) In amica reſponſ. Cabb. denud. T. I. P. II. p. 84.

Digitized by Google

risque naturae sit, quam caussatum. Magnum in hac operatione influxus luminis diuini mediata et subordinata mysterium Cabbalistae quaerunt, et rem in se iam difficilem merisque conceptibus mentalibus et abstractionibus obscuram ineptis symbolis suis et sephirarum superiorum et inferiorum, quin et mundorum superiorum et inferiorum combinatione magis adhuc obscurant et reddunt impeditissimam. Cuncta vero eò reducuntur: sephiras superiores coniungentes se cum inferioribus, (quam coniunctionem per similitudinem mariti et vxoris coëuntis adumbrant) concurrere ex mundo superiore ad mundum inferiorem eiusque sephiras, sicque v. g. sephiras Aziluthicas, Binah et Malchuth, scilicet marito et vxore coniugatis, viribus suis creare mundum Briah, singulis sephiris illis ad huius mundi sephiras, v. g. Cether ad Cether &c. concurrentibus. Cui explicationi ex IRIRA [e] haustae luculentam addimus commentationem R. MOSIS CORDVERO [f], interprete KNORRIO [g], eo quod mysterium hoc Cabbalisticum mira luce perfundat. Ita vero ille: „Res „productorum mundorum ita se habet: Quod sephiroth quoad substan„tiam suam cum primae sint, quam proximae sint caussae caussarum, sint„que emanatio tenuis, quae occulta fuit in scaturigine sua; cum vero „beneplacuisset ei, manifestata est, vnde vnita sunt cum radice sua vnita„te perfectissima. Istae ergo insigniuntur nomine Aziluth. Post puram „hanc sanctamque emanationem placuit benedicto, secundam creare es„sentiam respectu Aziluth, quae est Briah, quae dicitur thronus gloriae, „estque vestis decadis Aziluthicae sephirarum: ipsae autem ramositates „emanantes ex decem sephiroth atque resplendescentes intra thronum „hunc, deinde sephiroth Briahticae vocantur, nempe sunt ipsae decem se„phiroth Aziluthicae, Briahticae autem vocantur, quod protendantur vs„que ad Briah. Post hunc mundum formauit Deus mundum Iezirah, siue „decem turmas angelorum, quae insigniuntur nomine Metatronis, quo„niam Metatron angelus princeps faciei ipsarum est praefectus, influen„tiam suam atque vitam cunctis distribuens. Rami autem protensi a de„cem gradibus Briahticis etiam in hoc refulgent atque vestiuntur, decem„que eius gradus vestimenti vicem illis praestant, vocanturque sephirae „Iezirahticae. Post istum mundum fecit Asiahticum, id est omnes res fa„ctas ab initio puncti factionis, vsque ad punctum abyssi, in quo com„prehenduntur Kippoth seu cortices maligni: in quibus quicquid est, est „virtute rerum sanctarum, quae ideo huc descendunt, vt deprimantur et „humilientur. Substantia Briah itaque est thronus, et Iezirah sunt ange„li, Asiah autem cortex est, et quicquid sub isto est in coelis et planeta„rum gyris, lux autem extensa a summitate mundorum vsque ad punctum „vltimum, splendorem dat, qui protensus in Briah, sephiras Briahticas, in „Iezirah, Iezirahticas &c. efficit, sic vt eaedem sephirae sint, quarum vir„tus in singulis mundis existat, ita vt per intermedias vestiantur, et ita e. g.

e) l. c. c. 9. p. 72. g) Sect. 16. Pardes c. 1. f. 92. f) l. c. p. 85.

„decem Asiahticae non existant, nisi per tres gradus superiores emana-„tionis, creationis et formationis, nec decem Iezirahticae nisi per duos „gradus emanationis et creationis, nec decem Briahticae, nisi per gradus „emanationis.„ Hactenus Corduero: quae si in summam contrahantur, id volunt: mundos illos constitui modificatione lucis diuinae per gradus mundorum protensa et communicata a perfectissimo ad imperfectissimum et materialem.

XIV. In omni mundo quatuor sunt elementa pro natura et indole cuiusuis mundi intelligenda. Quatuor elementa superiora sunt haec: Gedulah elementum aquae, Gebhurah, elementum ignis, Tiphereth elementum aëris, Malchuth elementa terrae. Ista vnita sunt in vnitatem verissimam atque firmissimam. Atque per haec elementa superiora emanata tenuiora extiterunt quatuor elementa sequentia succedentia de gradu in gradum, a caussa ad caussatum; et gradus isti in singulis mundorum gradibus inueniuntur [w]. Idem hoc vult, quod antecedentia innuunt, nempe quatuor elementa emanatiua, per gradus mundorum semper facta esse imperfectiora, donec tandem in mundo materiali, quatuor elementa, aquam, ignem, aërem, et terram constituerent.

Hae potiores assertiones Cabbalisticae philosophiae, de quatuor mundis sunt, quae ex natura systematis emanatiui facile iam possunt intelligi. Qui si comparentur cum diis intelligibilibus *νοητοῖς νοεροῖς* et reliqua incolarum coelestium caterua, quam finxit Alexandrina philosophia, sique conferantur cum archangelis, angelis, daemonibusque orientalium, harmonia horum dogmatum ex vno fonte hausstorum mira iucunditate patebit. Ex his vero sole meridiano clarius est, cosmogoniam Cabbalisticam a Christiana, immo a Mosaica toto coelo esse diuersam, et in contractione radiorum lucis infinitae, eiusque expansione et per gradus quatuor demissione limitata ad inferiora per varias modificationes consistere, adeoque supponere: omnia entia, qua talia, ex Deo effluxisse. Ita vero etiam hoc dogma accurate cum reliquis systematis Cabbalistici partibus cohaeret. Quae vero de modis influentis in inferiores mundos lucis diuinae, per sephirarum combinationem Cabbalistae garriunt, de iis eo minus sollicitos nos esse oportet, quo certius est, homines corruptae imaginationis morbo laborantes deliriisque assuetos talia nobis subinde prodidisse, quorum ipsi claram notitiam non habuere, et quae luce donare velle, est in arena vel littore maris arare et seminare.

Pneumatologia Cabbalistica.

§. IX. Non relinquit hos mundos philosophia Cabbalistica vacuos, sed incolas iis addit spiritus pro mundi cuiuslibet conditione naturam propriam nactos. Et in Aziluthico quidem mundo non spiritus, sed emanationes diuinas collocant, quae quales sint, ex doctrina de sephiris supra exposita declarataque intelligi potest. Id vnum hic monendum est, quam-

w) Corduero de Palat. 24. c. 10. Cabbal. denud. l. c. p. 100. conf. Wachter. l. c. P. II. p. 229.

Digitized by

quamuis emanationes hae cum vnitate Dei arctiſſime cohaereant, et ideo vnum cum ea ſint, attamen per mundum hunc Aziluthicum ab Enſophico diſtinctum a Deo in occulto latente quaſi ſeparari, vt cauſſata prima a cauſſa ſua, adeoque primum manifeſtati Dei gradum eſſe, radiosque diuinae lucis protenſos ad inferiora. Id quod ab Orientalibus didicerunt, qui eodem prorſus modo aeonas cum ſephiris amice conſpirantes in pleromate diuino poſuerunt, et ex earum progreſſione extra pleroma reliquos ſpirituum ordines deriuauerunt. Ita enim apud Cabbaliſtas quoque incolae mundi Aziluthici, id eſt, emanationes diuinae fontes ſunt reliquorum mundorum, eorumque habitatorum. Et hinc mundo Briahtico thronos, mundo Iezirahtico angelos, mundo Aſiahtico Klippoth, id eſt cortices, ſcoriasque emanationum, ſpiritus malignos atque materiales tribuunt. De his quatuor claſſibus ſpirituum multa enarrant Cabbaliſtae, quaſi exercitus coeleſtes luſtraſſent exploraſſentque. Quae ſi excutiantur omnia, aut ſomnia ſunt nugantis ingenii, aut Orientalis philoſophiae, domeſticis dogmatibus admixtis adulteratisque deliria [a]. Dabimus tamen potiora, ex ipſo Cabbaliſtarum ore, ita praecipientium:

I. Deus infinitus, qui ſcaturigo eſt lucis infinitae, mareque occultum et inexhauſtum, ex ſe prodire iuſſit fontem, deinde fecit quaſi vas magnum, inſtar maris, quod tertium eſt a ſcaturigine, et hoc vas diuiſit in ſeptem alueos fluminum, qualia ſunt vaſa oblonga, ita vt ex fonte in mare, et ex hoc in ſeptem flumina effluat. Ita ſcaturigo et fons, et mare, et ſeptem flumina efficiunt decem. Sub hac ſimilitudine concipere licet generationem emanationum in mundo Aziluthico. Nempe cauſſa cauſſarum fecit decem ſephiras, coronamque fecit ſcaturiginem, ibi enim nullus eſt finis ſcaturiendi lucem, et propterea vocauit hanc, ſicut ſe ipſum infinitum, namque et haec habet nullam ſimilitudinem vel figuram, et ibi nullum eſt vas, quo comprehendi queat. Deinde conſtruxit vaſculum, et hoc implet ex illa ſcaturigine et vocatur fons ſcaturiens ſapientiam; porro fecit vas magnum, ſiue mare, indiditque nomen Binah, i. e. intelligentia. Ex his vero eduxit flumina ſeptem, nempe reliquas ſephiras. Ita Iochaides vel qui ex eius diſciplina prodierunt ſoharici auctores, ex quibus patet, emanationes diuinas conſiderandas eſſe in mundo Aziluthico, non vt attributa et perfectiones immanentes, ſed prodeuntes, eſſeque haec cauſſata prima non creaturas quidem vel ſpiritus, quales ſunt angeli, at ſua tamen ſubſiſtendi vi propria ex Deo pendente frui, adeoque poſſe conſiderari vt entia peculiaria diuina, per ſe exiſtentia, licet in eo radicata, nempe eodem modo, quo ideas in intellectu diuino ponunt philoſophi Alexandrini, aeonasque Orientales. Quo reſpectu cum inſtar perſonarum ad ſequentes mundos ſe habeant, Parzuphin a Cabbaliſtis dicuntur.

II. Pro

a) Pneumaticam Cabbaliſticam expoſuit peculiari tractatione R. Cohen Irira tit. domus Dei, quae extat Cabbal. denud. T. II. P. III. tr. I. p. 188. ibi mox in limine adducitur locus ex Soharico tractatu Raia Mehimna P. III. f. 42. ex quo potiores has theſes excerpſimus.

II. Pro his vaſis, i. e. emanationibus diuinis fecit miniſtros, thronum nempe quatur fulcris et ſex gradibus conſtantem, quae itidem ſunt decem; nempe ſpiritus Briahthicos decem: quia conditus eſt mundus verbis decem [e].

III. Thronum autem inſtruxit certis turmis, quae miniſtrarent ei, ſuntque angeli (mundi Iezirahtici ſpiritus et incolae) nempe Chaioth ſpiritus viuentes *Ezech. I.* Ophanim, rotae, ibid. Arelim ſeu praeualidi, leonini *Iſ. XXXIII. 7.* Chaſmalim ſiue fulgores *Ez. I.* Seraphim, flagrantes ſpiritus *Iſ. VI, 3.* Malachim, angeli, Aelohim, Dii, Bene Aelohim, filii Dei *Gen. VI, 2.* Cherubim et Ischim, viri. Horum princeps eſt Metatron [f].

IV. Iſtis iterum fecit miniſtros Sammaëlem et omnes turmas eius, quae ſunt quaſi nubes, vt inſideant eis *Iſ. XIX, 1.* cum deſcenſuri ſint in terram, ſuntque quaſi equi eorum. Hi ſunt ſpiritus mundi materialis, maligni regnoque Dei oppoſiti, vocanturque Catariel, Adam Belial, Duces Eſau, Aganiel, Vſiel, Ogiel, Thomiel, Theumiel, Samiel et Lilith. Ex hac ſpirituum ſubordinatione apparet, ſpiritus hos materiales et malignos pro numero ſephirarum corticibus his ſiue nubibus circumdatarum diſtribui. Id quod in *ſupplementis Sohariſticis* ſiue *Tikkunim* [g] ita explicatur: *Sicut datur regnum ſanctum, ita datur regnum iniquum, vbi eſt Sammaël praeputiatus et vxor eius, nempe praeputium, ſerpens et mulier adultera. Et opponitur coronae ſummae Cathariel &c. iſti cortices ſunt paries intermedius inter Iſraëlitas et patrem eorum, qui in coelis eſt, quibus ille inuoluitur.* Multa de his angelis impuris Cabbaliſtae pariter et Talmudiſtae garriunt; quae IRIRA luculenter exponit, hic, vbi breuitatem ſectamur, non exſcribendus. Addi his debent, quae ex libris Iudaeorum de malis ſpiritibus collegit ANDREAS EISENMENGERVS [h].

V. Hi decem ſpiritus mali vocantur Klippoth, id eſt cortices emanationum per quatuor mundos ſcaturientium, quae ſi iſtis corticibus veſtiantur, tunc artis periti eos adiurare et impedire conſilia eorum poſſunt, per reuolutiones tetragrammati [i]. Hoc verum fundamentum eſt totius Cabbalae practicae, ſiue magiae Iudaicae, de qua ſupra dicta hic repetenda ſunt.

VI. Cum ſanctus ille, qui eſt Seir Anpin, ſiue microproſopus et ſex extremitates, nec non regnum ſiue Schechina interdum veſtiuntur iſtis corticibus modo dicto, mediantibus gradibus mundorum duorum creationis et formationis, id eo fine tantum fit, vt humilient frangantque et ſubigant illos, quamuis illis quoque vtantur ceu exactoribus ſaeuis atque lictoribus, vt iisdem corripiant plectantque impios peccatores.

VII. Tan-

e) Ibid. §. 13. p. 191.

f) §. 14. p. 191. conf. ANGEL. BVRGONOV. comm. in Cabb. dogm. p. 788. ed. Piſt. qui tamen nouem tantum claſſes perperam conſtituit, vt hierarchiis nouem Dionyſianis faueret. Conf. SYRSIVS inſt. phil. pr. P. II. c. 8. p. 375.

g) Suppl. 18. f. 36.

h) Iudaiſm. detect. P. II. cap. VII. pag. 370. ſeqq.

i) IRIRA l. c. p. 196.

Digitized by Google

VII. Tandem futurum eſt, vt ſanctus benedictus abiiciat cortices illos a ſe [t]. Recte id intelligendum eſt. Non enim hic aſſertionis iſtius ſenſus eſt, ſpiritus malignos totos iri reiectum, ſed tantum corticum naturam abiiciendam eſſe, quae cum extremitas emanationum in mundo Aſiahtico ſit, eos malos reddidit et quaſi feces ſcoriasque mundi iſtius. Ipſa autem eſſentia eorum ſpiritualis eſt, et pars emanationum diuinarum, adeoque ſuo tempore in magna reuolutione vniuerſi, quando retrahet in ſe Deus radios emanantes, abiectis et peſſundatis corticibus redibunt quoque in inexhauſtum Deitatis oceanum. Ita ſtatuiſſe Iudaeos, mirum eſſe non debet, nam nec aliud patitur ſyſtema emanatiuum, regreſſusque rerum omnium, ipſiusque materiae, exuſta vel abiecta materialitate, in fontem primum, nec aliud didicerunt in ſcholis Orientalium et Alexandrinorum philoſophorum: et ita ad illos ipſorum magiſtros a Zoroaſtre dogma hoc tranſmiſſum eſt, quem ſubacto Arihmanio et expugnato, cuncta per Oromaſden in Mithram reductum iri ſtatuiſſe, *Tomo primo* demonſtrauimus. Pone pro Mithra Enſoph, pro Oromaſde Adam Kadmon, pro Arihmanio Klippoth, et confer de vtrisque philoſophemata Zoroaſtriana et Cabbaliſtica, et manu palpabis, vnde Iudaei haec hauſerint. Prolixe vero horum decem ſpirituum malignorum naturam, operaque deſcribit IKIRA [u] plenus nugarum Rabbinicarum: cuius vt habeamus ſpecimen, en a Lilith quae eſt vxor Catharielis, et opponitur Malchuth vxori Seir Anpin ſiue microproſopi, multos prouenire ait [x] turmas daemonum, et lemurum, et malignorum ſpirituum, qui forma humana appareant, nocteque media diei expiationis corticem iſtum inuitum venire cogi, vi operationum a ſenibus ſapientibus inſtitutarum, aduolantem cum centum et triginta vno heroibus volantibus in aëre, quorum facies ſcintillas ignis de ſe euomat. Eiusmodi affaniis Iudaeorum ſcripta pleraque turgent.

VIII. Iſtorum corticum deſiderium vnicum eſt, vt aſſimilentur ſephiris ſuperioribus emanatiuis [y]. Nititur hoc origine corticum eorumque reditu in Deum fontem ſuum. Etiam hoc ex philoſophia orientali deſumtum eſt, ex qua Gnoſtici acceperunt, qui eiusmodi affectationem angelorum malorum ex Ennoia progreſſorum, et pleroma diuinum imitantium aſſeruerunt.

IX. Maligni hi ſpiritus pugnant contra regnum DEI et ex Lilith gignuntur peregrinae et malae poteſtates, quae cum virtutibus diuinis luctantur, et inimicum gerunt contra eos animum, diuiduntturque in duos exercitus, quorum vnum aduerſus Seir Anpin ducit Samaël, alterum aduerſus Malchuth ducit Lilith [z]. Multa

t) Ibid. §. 8. p. 195.
u) c. II. ſeqq. p. 210. ſeqq.
x) p. 289. ſeq.
y) Ibid. p. 197.
z) c. III. §. 4. p. 211.

Digitized by Google

ta hic garriunt Cabbaliſtae in exponendo bello malignorum ſpirituum contra bonos et ipſas emanationes diuinas, quae aperte ſcholam Orientalem ſapiunt. Ea vero cum ſacra Moſis hiſtoria coniungunt, et ſeductionem Euae ad mundos quoque intelligibiles miris et ineptis allegoriis transferunt, hosque ſpiritus peregrinos ex Lilith progreſſos, ſe Deo, ſpiritibusque bonis purisque, et Iſraëlitis opponere dicunt. Quod vero et Samaëlem et Lilith contra regnum DEI duces educunt, eius ratio inde petenda eſt, quia Tiphereth, quae eſt prima ſephirarum inferiorum in Malchuth, quae eſt vltima, influit, et in eo ſe reliquae ſephirae manifeſtant, tanquam in vxore Seir Anpin, quos duos duces ſanctorum illi aggrediuntur.

X. Cortices et ſpiritus immundi in ordine rerum incorporearum ſunt cortices vltimi, vlteriore velamento carentes, ita vt nudi incedant absque veſte. Ratio, quam IRIRA [a] quoque adducit, ex ſyſtemate emanatiuo naturali conſequentia fluit, nempe: Omnes mundi a ſummo vsque ad imum ita conſtituti ſunt, vt alter alterum inuoluat, ita vt ſupremus actiuus tantum ſit, et nihil patiatur; imus autem paſſiuus, et nihil agat: intermedii autem partim actiui ſint, partim paſſiui, eo ipſo tamen actiuiores, quo propiores ſupremo, et paſſiuiores, quo propiores imo. Hinc illi cortices materiales ſunt.

XI. Cum autem homo aliquando veſtiri queat duplici veſte, quarum vnam adipiſcitur per opera ſua, vt illorum beneficio eleuari poſſit, vsque ad mundum angelicum, alteram autem per ſpeculationem obiectorum verorum atque diuinorum vsque ad mundum Briahticum; immo vsque ad mundum Aziluthicum et Enſophicum; ipſi autem cortices ſemper manere cogantur in mundo hoc infimo ſiue Aſiahtico, nudi atque veſte priuati: ideo inuident homini, eique inſidias ſtruunt, et ſeducere meditantur, vt perdat veſtes ſupernas, et infernas atque corporeas in morte. Et hinc ortum eſt peccatum Adami [b].

XII. Hi ſpiritus maligni corpora habent ex aëre denſo, adeoque nec intellectu vtuntur defaecato, et lumen diuinum deſcendens obfuſcant. Subtilis hic eſt IRIRA [c] in comparandis Platonicorum et Cabbaliſtarum placitis de angelis malis, quae omnino merentur legi, eo quod clare indicant, ex communi fonte vtrosque hauſiſſe. Obſeruandum tamen, iuxta ſyſtema Cabbaliſticum omnes angelos habere veſtem aliquam materialem, ob diſtantiam ab Enſoph, et hanc veſtem eſſe naturam ſequentis mundi: at quo ſubtilioris naturae mundus ille eſt, qui illos veſtit, eo quoque ſubtilius illud vehiculum ſiue veſtis eſt. Hinc IRIRA [d], eundem fere in modum, vt Alexandrini philoſophi, de εἰδώλῳ animae, philoſophatus, coelum ſummum, quod Araroth dicitur, et puritate atque perſpicuitate cryſtallo ſimile eſt, habitaculum angelorum et manſionem animarum purarum

a) c. 4. p. 212.
b) Ibidem.
c) Diſſ. III. c. 1.
d) pag. 215.

Digitized by Google

rarum dicit esse, et vestimentum esse eorum incolarum tenue atque pellucidum, quo inibi vestiantur. Dissentiunt tamen Iudaei de natura spirituum malorum, quas vero contentiones enarrare, huius loci non est.

XIII. Angeli quidam referuntur ad sanctum illum, qui benedictus sit! qui est Seir-Anpin, nempe gradus Tiphereth, quasi complectatur sex sephiras inferiores; alii autem referuntur ad Malchuth, regnum sanctum, quae est vxor τῦ Seir-Anpin. Illud per י, hoc per ה nominis tetragrammati indicatur.

XIV. His duobus exercitibus praefecti sunt principes duo, Metatron et Sandalphon; et duo isti duces sunt duo Cherubim, qui super arca foederis domini locati erant, alter mas et alter femina, vt totus exercitus [e]; Id non materialiter accipiendum est, sed ita, vt in systemate sephirothico est mas et foemina, nempe influens et recipiens, illuminans et illuminatum, actiuum et passiuum est.

XV. Metatron est princeps faciei Dei, Sandalphon spiritus mundi: ille Chaioth praefectus est, hic Ophanim: ille mundo Iezirahtico praeest, hic Asiahtico imperat. Chaioth siue animalia locum habent in mundo Iezirah, proxime ad thronum gloriae, id est, mundum Briah: Ophanim siue rotae immediatae praefectae sunt gubernationi mundi Asiahtici. Suntque animalia quidem et rotae vnum idemque ratione essentiae et numeri, sed differunt ratione applicationis et operationis. Illi insigniuntur nomine יהוה hi nomine אדני. Multa de his angelis duobus principibus disputant Iudaei, sed in explicatione varie differunt. IRIRA [f] vt Platonica et Aristotelica in concordiam cum Cabbalisticis cogere haud raro tentauit, ita Metatronem cum Psyche prima et vniuersali subsistente per se, Sandalphonem autem, cum vita, quae est in corpore primo, comparat, et rotas etiam ab orbibus coelestibus vocatas putat, sicque intelligentias motrices in philosophiam Cabbalisticam infarcit. Melius clariusque ita distinguuntur inter se, non negante Irira, vt Metatron ad Deum eiusque ministerium respiciat, vnde etiam a Talmudistis dicitur princeps faciei, Sandalphon ad mundum materialem eiusque gubernationem referatur, vnde Rabbinis vocatur spiritus mundi: Ex his vero intelligi potest, qualis spiritus sit Sandalphon, nempe non orbis quidam coelestis, vt volunt Maimonides, R. Schem Tobh, et Iudaeorum philosophi alii in philosophia ducem Aristotelem secuti, sed princeps angelorum, quibus commissa est gubernatio mundi materialis. Quae enim de quinta essentia Aristotelis somniat Irira, nec attentionem, nec fidem merentur, et ex studio eius conciliandi Platonica et Peripatetica cum Cabbalisticis deriuanda sunt. Propius ex Cabbalistarum mente auctor *Lexici Cabbalistici* [g] Sandalphonem dicit esse *sandalium τῦ Tiphereth, quando Malchuth induta est calceo Metatrone.* Quamuis enim haec more Cabbalistico admodum aenigmatica sint, ex adductis tamen sensus eorum erui potest, qui hic est: Quemadmodum

e) c. 4. p. 228. f) p. 227. g) T. I. Cabb. denud. P. I. p. 605.

Digitized by Google

modum Tiphereth, siue caput sephirarum inferiorum, quod est Seir Anpin, angelos mundi Iezirahtici sibi ministrantes habet, eorumque principem Metatronem, ita eius vxor Malchuth, siue sephira vltima regnum DEI, eiusque Schechina, id est gloria in regno eius manifestata et apparens, habet angelos ministros in mundo Asiahtico operationem edentes, in quo mundo se regnum DEI ostendit visibile. His angelis cum praefectus sit Sandalphon, qui sub Metatrone est, necessario vocandus is erat, sandalium Tiphereth, id est subordinatus minister sephirae huius, cum regnum DEI per Metatronem ministrum eius defensum, confirmatumque τῦ Tiphereth influxu frueretur. Recte itaque et Knorrius et Morus Sandalphonem spiritum mundi vocarunt; hic vero praeter rem principium suum hylarchicum intrusit. Non enim est Sandalphon spiritus mundi informans, sed assistens. Pariter de Metatrone multa Iudaei garriunt, *superiori sectione* ex parte iam enarrata. Etiam quidam Christianorum angelum foederis et mediatorem hic se inuenisse somniant, facile vero ex loco et munere, quod hic angelus ex mente Cabbalistarum tuetur, refutari possunt. Ipsi vero Iudaei non omnes de Metatrone idem sentiunt, de qua tamen re aliisque huc pertinentibus, cum prolixiora sint, quam quae hic locum capiant, viri docti adeundi sunt, qui passim nugas Iudaeorum de angelis enarrauerunt [h]. Qui etiam pluribus exponunt, quibus creaturis in mundo materiali angelos Asiahticos praefectos Iudaei velint: de quo imprimis notabilem locum ex tr. *Berith menucha* affert EISENMENGERVS [i]. Vnde vero haec somnia Cabbalistae acceperint, quibusque ex fontibus hauserint, obscurum esse non potest, ad origines philosophiae Cabbalisticae attendentibus. Chaldaicam enim, Persicam Sabaeam, Aegyptiacam, praecipue vero Alexandrinam theologiam, et quae ex his scaturiginibus orta est mataeologiam Gnosticam cum Cabbalistica doctrina de angelis concordare amice, instituta comparatio ostendit luculenter, et nos circa potiora haec dogmata animaduertimus. Quamuis autem viri quidam eruditi [k] coniiciant, ab Hebraeis ad gentes barbaras hanc doctrinam dimanasse, et accepisse a natione sancta, quicquid de angelis eorumque natura et officio prodidere memoriae, orientales philosophos, attamen aut egregie falluntur, et sine veteris historiae testimonio id affirmant, aut ad quaestionis statum non recte attendunt. Quae non in eo versatur, vtrum nouerint gentes barbarae ab Hebraeis edoctae, esse angelos, distingui eos in bonos et malos, effeque vtrorumque varias operationes et munera varia. Tale enim quiddam tenui et obscura traditione ad eas perferri potuisse, non magnopere refragabimur, vt supra iam obseruatum; sed quaestio de eo potissimum agitur, vtrum philosophia Cab-

h) Conf. BASNAGE Hist. Iud. L. IV. c. 9. §. 9. seqq. p. 203. seqq. I. IAC. CRAMER. theolog. Israëlis P. II. p. 103 seq. G. ELIEZER EDZARDI not. ad c. I. Berachoth p. 229. seqq. BVXTORF. Lexic. Talmud. p. 1191. et imprimis ANDR. EISENMENGER. Iudaismi detecti P. II. c. VII. p. 375. 393. 396.

i) l. c. p. 379.

k) BVDDEVS l. c. p. 420. STRVVIVS Instit. philos. primae eccles. P. II. c. 2. p. 381.

Digitized by Google

Cabbaliſtica doctrinam ſuam de angelis ex patriis fontibus hauſerit, an ex lacunis philoſophiae gentilis? Quod poſterius omnino affirmandum eſt, niſi contra ſolem loqui velimus. Vt enim Cabbaliſtica dogmata de angelorum ex Deo emanatione ſatis abſurda quin et impia ſunt, ita miramur, potuiſſe eo delabi viros doctos, vt has ineptas et diuina ſapientia indignas gerras difficilesque nugas pro reliquiis philoſophiae ſanctioris habere potuerint? Cum manifeſtum ſit, Zoroaſtriana φιλοσοφήματα inter Orientales multis ineptiis aucta, mutata et deformata et in Aegyptum delata Iudaeis occaſionem dediſſe, ſimilia comminiſcendi, et cum domeſticis placitis commiſcendi. Ex hoc enim fonte philoſophiae Orientalis non ad Iudaeos tantum, ſed ad Platonicos Alexandrinos quoque iſta doctrina peruenit, qui haud pauca Cabbaliſticis dogmatibus affinia praecipiunt, de quibus Plato nunquam cogitauit. Vnde recte obſeruatum Porphyrio, placita haec de angelis, archangelis, et ſimilibus, eſſe doctrinam barbaricam, nam ab Orientalibus philoſophis eam Aegyptii, et ab his Platonici, didicerunt. Quod longe maiori veriſimilitudine dici poteſt, quam ſi a Iudaeis Iamblichum et ſequaces haec ſomnia accepiſſe dicamus. Philoſophia enim Orientalis illa, qualis paulo ante natum Seruatorem florere coepit, in hac doctrina multis declaranda potiſſimum verſata eſt, a cuius philoſophematis ideo diligenter ſibi cauendum eſſe monuit D. PAVLVS [l]. Quem itaque ſupra inſtituimus paralleliſmum inter philoſophiam Orientalem, Alexandrinam et Cabbaliſticam, ſi memoria recolimus, apparebit facile, ſi praeiudicia abiiciamus, ex communi fonte hanc quoque de angelis doctrinam profluxiſſe.

XVI. Spiritus aërii, qui vocantur daemones, medium occupant locum inter ſummum et imum, corpusque habent patibile vt homo, ſed incorruptibile, vt coeleſtia, vnde vitam habent perennem et ſempiternam. Ratione animae autem multis quoque paſſionibus ſubiecti ſunt, at quae magis animam eorum concernunt, quam corpus, ſuntque eae magis temperatae et ordinatae, quam humanae, propter facultatem ſuam intellectualem, cui magis illi ſpiritus ſubiecti ſunt. Prolixe de eo quoque diſſerit IRIRA [m], ſed Platonica multa Cabbaliſticis more ſuo immiſcet: id vero omnino cum ſyſtemate Cabbaliſtico conuenit, ſpiritus in elementis partibusque mundi verſantes iisque praefectos maiori gaudere animi perfectione, quam homines, ob corpus ſubtilius. His ſpiritibus aëriis tribuitur miniſterium animae in deſcenſu praeſtitum. Alia ſubtiliora habet Irira, ſed quae Platonicis magis recentioribus, quam Cabbaliſtis debentur.

XVII. Quamuis omnes angeli ſint immortales, haec tamen inter illos occurrit differentia, quod naturae coeleſtes omnino ſint incorruptibiles, ſed quae corpus aliquod habent vel terreſtre vel aqueum vel aërium

l) Col. II. 8. Ita conciliari poſſunt, qui hoc loco Paulum loqui contendunt, de philoſophia Platonica, cum illis, qui Cabbaliſticam intelligunt. Vtraque ſententia vera eſt, ſed reſpectu habito ad philoſophiam Orientalem, ad quem manifeſte alludit et ſomnia de angelis, de mediatore, de pleromate etc. refutat et emendat Apoſtolus.

m) pag. 537.

quaedam fui perdant, quae etiam refarcire teneantur. Spiritus autem vltimi generis magis craſſi terreſtresque nempe cortices immundi, opus habent odoribus craſſis et vaporibus humidis; e. g. ex carnis et ſanguinis odoribus aſcendentibus. Hinc illi aëris infimi incolae ſpiritus ſuperbi et iracundi, auctores ſunt arrogantiae et furoris, ſeductoresque hominum, qui et ipſi inter ſe flagrant igne diſſidiorum atque belli, et homines ad talia incitant, iisdemque variis modis illudunt [n]. Eadem ratione de ἀντιθέοις Iamblichus, et de malis angelis, mundi tyrannis Gnoſtici aliaeque ſcholae orientalis propagines praeceperunt. Quae iterum argumento ſunt, Cabbaliſtas ſua ex his turbidis lacunis hauſiſſe et in arua ſua deriuauiſſe.

Pſychologia Cabbaliſtica.

§. X. Angelis comitem Cabbaliſtae in metaphyſica ſua iungunt animam humanam, de qua non minus, quam in reliquis dogmatibus μετεωρίζοντες philoſophantur. Cumque caput hoc pneumatologiae in ſe tam difficile ſit, vt viris ſummis occaſio extiterit, in multa paradoxa et a veritate aliena delabendi; Iudaeorum autem philoſophi nec iudicio ſatis inſtructi, nec iis artibus praeparati fuerint, quibus felicem in philoſophando ſucceſſum ſibi promittere licet, parum in pſychologia ab ipſis expectandum eſt, quod ſatisfaciat; praecipue cum enthuſiaſmus, quem tota philoſophia emanatiua reſpicit, et deiſmus, ad quem ducit Cabbaliſticum ſyſtema, omnia ſana corruperit; et quae pauca erant meliora, ineptum allegoriae ſtudium prorſus deprauauerit. Non enim ſe ipſos explorauerunt, non ad animae operationes et functiones attenderunt, ſed admiſſis ſemel peregrinis placitis, domeſtica iis affuentes in meras nugas totam doctrinam de anima redegerunt Cabbaliſtae. Quorum de anima philoſophumena in Cabbala denudata omnium accuratiſſime enarrantur, et IRIRAE [o], MOSIS CORDVERO [p] atque ISAACI LORIIAE [q] ſcripta exhibentur. Quae priusquam enumeremus, monendus eſt lector, non conuenire inter ſe Cabbaliſtas de grauiſſimo hoc argumento, maleque cohaerere eorum de anima placita, quod non aliter euenire potuit, eo quod de argumento in ſe obſcuro et ambiguo, et cum reliquo ſyſtemate non ſatis connexo, ſecundum abſurdiſſimam methodum ſuam allegoricam praecipere ſint conati. Quem defectum cum ſupplere et emendare voluerint Cabbaliſtae quidam recentiores, qui in ſcholis Chriſtianorum philoſophiam Graecanicam didicerunt, accidit, vt Ariſtotelica et Platonica Cabbaliſticis ſupponerent, et arcanae philoſophiae ſuae myſteria ex his interpretibus minus aptis explicarent. Et tamen hi duces ſequendi ſunt, nam, quae veteres ſcriptores Cabbaliſtici habent, inuincibili obſcuritate laborant. Sequemur itaque viam, quam ſemel ingreſſi, et horum ducum fide ita progrediemur, vt ſimul ad nexum totius ſyſtematis attendamus, cum veriſimile ſit,

n) Ibid. p. 239.

o) In porta coelorum diſſ. VI. c. 12. pag. 121. agitur de partibus animae humanae; et Tomo II. P. III. p. 188. extat eiusdem Pneumatica Cabbaliſtica.

p) In app. ad librum Sohar T. I. P. II. p. 100. exhibetur eius liber de anima.

q) Eius tr. de reuolut. animarum ibidem T. II. P. III. p. 243. legitur. Ex horum trium virorum ſcriptis lux obſcurae apud reliquos Cabbaliſtas tractationi de anima accendi poteſt.

Digitized by Google

ſit, ita intelligi voluiſſe Cabbaliſtas, prout ſyſtematis deamati poſtulat ratio. Ita vero de anima praecipiunt:

I. Anima eſt ſubſtantia incorporea, rationalis, quae cum ſit producta ab intellectu diuino, iſtius etiam naturam in ſe habet.

II. Et quia applicatur ad corpus inclinante natura et voluntate eius, in illud infundit vitam ſecundum ſimilitudinem ſuam.

III. Ita ex ſe et ex corpore congruis qualitatibus diſpoſito membrisque et vaſis debitis praeparato conſtituit viuens et compoſitum vnum, quod vocatur viuum rationale, et hoc tanquam inſtrumento eſſentiali naturalique ſibi adhaerente haec anima rationalis vtitur, praedita intellectu, cuius, per influxum et operationem propriam, ipſa eſt cauſſa. Φιλοσοφούμενον hoc IRIRAE[r] eſt, qui ſyſtema influxus Cabbaliſtis tribuit. Rectene an ſecus, dici vix poteſt, nihil enim clari de ardua quaeſtione, quomodo anima operetur in corpus, Cabbaliſtae precipiunt, immo ne de ea cogitaſſe quidem videntur[s]. Nec tamen inepte hac in re egiſſe Irira videtur, ſyſtema enim influxus omnium optime reſpondet ſyſtemati Cabbaliſtico, in quo influxus primae cauſſae, vsque ad vltimum effectum, id eſt, materiam pertingit, et communi ſpiritualia materialibus iungit vinculo. Quod ſi quis tamen harmoniam inter mundos ſpirituales et materialem inſtitutam, circa animam et corpus quoque Cabbaliſtis tribuere velit, non refragabimur, nihil enim habemus, quod de certa eorum hac in re mente dicere poſſimus.

IV. Eſt itaque in homine vitalitas appropriata corpori naturali et inſtrumentali, in quo vita tantum eſt in potentia, quae tamen propter illud et per illud ſubſiſtit et operatur, vocaturque vegetatiua et ſenſitiua et apud Cabbaliſtas Nepheſch. Ita hanc animae partem alii quoque praeter IRIRAM[t] Cabbaliſtarum interpretes deſcribunt. Auctori enim *lexici Cabbaliſtici*[u] Nepheſch eſt pſyche anima vegetatiua, pars animae plaſtica, ſeu infima concupiſcibilis; quae etiam alibi[x] repetuntur, et Nepheſch ſpiritus dicitur vitalis, non quatenus plane corporeus, ſed infitus ille atque primitiuus et ſeminalis, quem recentiores archeum vocant, cum quo philoſophorum correſpondet anima vegetatiua, ſeu, plaſtica et Platonicorum τὸ ἐπιθυμητικὸν ſeu concupiſcibile. Cauendum autem eſt, ne hanc animam vegetatiuam faciamus ex mente Cabbaliſtarum materialem, pars enim eſt infima emanationis diuinae in hominem deſcendentis, adeoque non natura, ſed gradu et perfectione a reliquis partibus melioribus et ſubtilioribus differt.

V. Anima ipſa in corpus extenſa, per ſe ſubſiſtens, ſiue potentia quae aſſequitur ſapientiam idearum et ſenſibilium, et in homine ratiocinatur,

r) Port. coelor. diff. VI. c. 12. p. 121.

s) Dicunt quidem habitare animam ſuperiorem in inferiore, adeoque huius vinculo cum ſuperiori connecti; ſed hoc nihil ad rhombum facit, nec modum operationis mutuae explicat. Recentiores vero Cabbaliſtae aperte Platonem et Ariſtotelem ſequuntur.

t) loc. cit. u) pag. 589.

x) Annot. ad LORIIAE tr. de reuol. anim. P. I. c. 1. §. 7. p. 247.

natur, vtens corpore tanquam inſtrumento, vocatur Ruach. Ita iterum Peripateticis notionibus vſus Cabbaliſticas voces explicat IRIRA [y], qui alio loco [z], hanc animam tertium eſſe dicit inter intellectum et inter formas materiales, in ſe incorpoream, in corpus tamen extenſam, in ſe indiuiſibilem, diuiſibilem tamen quoad operationem et ſubiectam materiam: in ſe motum habentem, et primo motam, et ita quidem, vt ipſa cauſſa ſit omnis motus aliorum. Etiam hic Peripatetica more ſuo immiſcet IRIRA, vnde eum reliquit KNORRIVS [a], qui per Ruach animam ſenſitiuam et τὸ θυμικὸν Platonicorum intelligi pronunciat. Nobis veteres Cabbaliſtas conſiderantibus Ruach idem videtur eſſe, quod recentiores philoſophi intellectum impurum, animamque cum corpore et in corpus agentem appellant.

VI. Porro in homine etiam datur intellectus ſpecialis communicatus ab intellectu generali et diuino, qui vno momento intelligit omnia ſimul et ſemper, et hic dicitur Neſchamah, intellectus animae eſſentialis infuſus in eam ab intellectu diuino [b]. Sapere et haec ſcholam Peripateticam, intellectum paſſiuum ab actiuo ab extra communicato diſtinguentem, facile ex comparatione praeceptionum Peripateticarum intelligi poteſt. In *Pneumatica Cabbaliſtica* [c] cum poſuiſſet Irira animam naturam mediam, quae ita vnitur cum ſupernis, vt tamen non negligat infera, ſed ad vtraque feratur, ſicque ad intellectum abſtractum eleuatur, vlt. tamen facultatibus ſuis inferioribus deſcendat in materiam et ad formas corporeas, diſtinguere videtur Neſchamah et Chaiah tantum ratione obiecti circa quod verſatur. Rectius nobis KNORRIVS [d] pronunciaſſe videtur, qui Neſchamah reſpondere dicit animae rationali ſeu potius intellectuali, et Platonicorum τῷ λογικῷ et νῷ, quanquam ſine dubio in eo errat, quod Chriſtum *Io. VI, 53.* diſtinguentem inter carnem, ſanguinem et vitam, ad harum trium animarum diſtinctionem reſpicere putat [e].

VII. Praeterea in homine datur vnio intellectus iſtius communicati cum generali et diuino, a quo ille formatus eſt, perque hanc intelligit, ſicut et ipſe, perfectiſſime omnia intelligibilia ſumma et ima. Et haec vocatur Chaiah [f]. Eam Knorrius definit vitalitatem quandam ſublimiorem ab extra homini ſuperuenientem, nec intrinſecus tantum eam penetrantem, ſed et extrinſecus eum ambientem: et intellectum a Deo illuminatum eſſe putat, de quo Chriſtus *Io. VI, 54.* rectene an ſecus? hoc loco non diſputamus. Conuenientiori huc ratione aduocari poſſet intellectus in Deo, ideas omnes percipiens Mallebranchii, vel νῆες Platonicorum: optimum autem eſt, ab omni comparatione abſtinere.

VIII. Tan-

y) loc. citat.
z) Pneumat. Cabb. diſſ. III. c. 4. §. 6. p. 240.
a) Ad Loriiam l. c.
b) Ibid. diſſ. VI. p. 121.
c) loc. citat.
d) loc. cit.
e) Reiectus ideo BVDDEO l.c. §. 44. p. 430.
f) IRIRA l. c.

Digitized by Google

VIII. Tandem etiam gradu quinto et vltimo in ſe habet vnitatem illam, qua ſimilis eſt cauſſae ſuae primae, quae eſt vnum ſimpliciſſimum, cum qua vnita eſt, ſicut punctum lineae, vel radii cum centro circuli, nempe cum principio et fine generaliſſimo, omnibus entibus intimo. Et haec Iechidah vocatur, qua vnione fit ſimilis cauſſae ſuae primae, et cum illa cohaeret et connectitur, vt haec ſit illius caput, cor vel centrum, a quo dependeat, et ad quod reducat, quicquid ipſa eſt, et quicquid continet atque operatur. Hunc intellectum abſtractum, ait IRIRA [f], quaſi per ſe conuerti ad cauſſam primam ſe. ſuperiorem, neglectis penitus inferioribus. Quando autem dicit [g]: intellectum ſuprema cauſſa immobili eſſe poſteriorem, ſed immobilem tamen et eſſentia ſtabilem et permanentem; at non vnum verum multiplicem, quia natura eius conſiſtat ex intellectione et obiectis intelligendi diuerſis: animam autem adhuc magis multiplicem eſſe, quia ipſa natura eius admittat compoſitionem numericam; apertis verbis in Platonicorum recentiorum caſtra tranſit. Qui, licet intimo conſanguinitatis nexu Cabbaliſtas attingant, iisdem parentibus nati, non videntur tamen veteres Cabbaliſtae tam ſubtiliter philoſophati fuiſſe, ſed Iechida pro ea tantum facultate habuiſſe, quae aſcendere ad Enſoph eique iungi poteſt. Has enim quinque animas pro conditione quinque mundorum Enſophici, Aziluthici, Briahtici, Iezirahtici et Aſiahtici eſſe diſpoſitas, ex comparatione vtriusque dogmatis clariſſime liquet.

IX. Vt mundi illuſtrantur quinque gradibus lucis et animae ſupernae, id eſt Adam Kadmon, pro ratione et natura cuiuslibet mundi, ita et in homine inferiore, qui eſt typus ſuperioris, hos quinque gradus reperiri neceſſe eſt [i]. Multa hic congeri poſſent ex ſcriptis Cabbaliſtarum de quinque iſtis animae τῦ Adam Kadmon gradibus per lumina cranii, oculorum, aurium, naſi et oris Adami primi emicantibus, et eadem ſe ſubordinatione, vt in humana anima oſtendentibus, ſi liceret patientia lectoris iſtis difficilibus nugis abuti. Qui ergo eiusmodi ſpeculationibus delectatur, Loriianas et Iririanas diſceptationes ipſe adeat. Hoc vnum notandum eſt, emanationes animae humanae per quinque gradus iſtos mundanos fieri, vt et reliquas omnes, mediante Adam Kadmon, quo obſeruato, non difficile erit reliqua, abiectis allegoriis ineptis, intelligere et ſyſtemati emanatiuo applicare.

X. Vna anima veſtit alteram, eiusque eſt quaſi vehiculum. Nepheſch eſt vehiculum Ruach, ſicut Ruach eſt vehiculum Neſchamah. Emanatio autem omnium trium eſt a ſephiris ſuperioribus, quae ſunt radices omnium radicum. Differunt autem emanatione ſua: quia Neſchamah emanat ex Binah, Ruach ex Tiphereth, et Nepheſch ex Malchuth. Hinc Ruach

g) II. cc.
h) Pneumat. Cabb. diſſ. III. c. 4. p. 240.
i) IRIRA port. coelor. l. c.

Ruach eſt thronus et habitaculum τῦ Ruach, et Ruach habitaculum Neſchamae [k]. Haec doctrina Soharica eſt, de ordine emanationum animae, quo ſemper deterior veſtit meliorem, inferior eſt thronus et vehiculum ſuperioris. Et haec quidem intelligi ex ordine ſyſtematis emanatiui poſſunt. At quae porro CORDVERO [l] addit, qua ratione ſephirae ad conſtituendas iſtas animae emanationes concurrant, ea plena ſunt nugis inutilibus, quorum ſenſus, ſi quis modo verus ſubeſt, hic eſſe debet, quo nobiliorem gradum pars animae tuetur, eo nobiliorem ſephiram concurrere; quemadmodum autem ſephirae mutuo inter ſe influxu concurrant, ita etiam eſſe mutuam inter has partes animae influentiam, vt vna ab altera ſuſtentetur, nutriatur, perficiatur, omnes autem ex ſupremi fontis emanatione participent. Haec clauis eſſe debet ad otioſa ſomnia Soharica intelligenda; niſi haec omnia exiguo tuo damno, lector, ignorare malis.

XI. Ex hac emanationum ſerie conficitur, conſtare omnem animam denario [m]. Nempe veſtigia ſephirothicae decadis intelligit, in anima latentia; ait enim: *Impoſſibile eſſe, vllam operationem e ſummis deriuari, nec tamen complecti totam decadem, tunc enim appareret ſeparatio.* At diſtinguit tamen inter emanationem animae, quae ex Malchuth, et quae ex parte Metatronis ſiue ſerui atque miniſtri prouenit. In illa enim ob inſeparabile decadis ſephirothicae vinculum latere omnes ſephiras in Malchuth connexas, ait; in animis autem ex Metatrone prouenientibus illam decadem non apparere vllatenus et ratione tantum ad eſſe concludi, cum in illis Malchuth appareat. Multa hic obſcuriſſime philoſophatur CORDVERO [n], eo potiſſimum fine, vt oſtendat, quae emanatio in anima excitanda ſit, vt ad gradum ſuperiorem aſcendat: et virtutis ſupernae influxu et illuminatione induatur. Nam hunc enthuſiaſmum tota reſpicit pſychologia Cabbaliſtica. Non habuiſſe autem hos philoſophos notiones claras et diſtinctas, ex confuſa tractatione facile poſſet oſtendi, niſi lector ipſe palparet, et feſtinandum eſſet, vt ex his tandem dumetis emergamus.

XII. Anima conſiſtit etiam ex quatuor elementis ſuperioribus, ſicut et corpus ex quatuor elementis conſiſtit: nempe ex aqua, ex parte Cheſed, ex igni, ex parte Gebhurah, ex aëre, ex parte Tiphereth, ex terra tenuiſſima ex Malchuth [o]. Haec apparitio quatuor illorum elementorum in anima magis viget, quam decem ſephirarum, donec reſpectus illi quatuor magis magisque in illis illuſtrentur, prae reliquis e decade. Ratio huius aſſerti eſt, quia in ſephiris, quatuor elementa ſpiritualia refulgent, vt in §. *antecedente* dictum.

XIII. Influxus hic emanationis in animam manifeſtat ſe ex Binah in mundo Briahtico, ex Tiphereth in mundo Iezirahtico, ex Malchuth in mundo

k) IRIRA l. c. c. 13. p. 124. CORDVERO l. c. p. 100. T. I. Cabb. denud. P. II.
l) l. c. p. 101. ſeqq.
m) CORDVERO Pardes tr. I. c. 5. f. 7. Cabb. denud. T. I. P. II. p. 107.
n) loc. cit.
o) Ibid. p. 109.

Digitized by Google

mundo Aſiahtico. Idem dicunt, expreſſis, qui influxum hunc miniſterio ſuo dirigunt, angelis miniſtris, nempe ita manifeſtare ſe hunc influxum in throno, Metatrone et Sandalphone p.

XIV. Quaelibet itaque anima oritur ex radice ſua et e ſuperis deſcendit, ita vero, vt vna alteram veſtiat. Ita Neſchamah prouenit ex parte lucis manifeſtatae atque veſtitae et protenſae cum ſubſtantia Sephirarum in Briah; Ruach autem eſt ex luce veſtita in Iezirah, et Nepheſch ex luce veſtita Aſiah q.

XV. Praeter has tres animae partes deſcendit ad hominem et ſuperne demittitur a Sancto, figura quaedam ad typum hominis configurata, et illa in congreſſu procreatur. Eſt haec anima ex petra ſancta exciſa, ſiue particula illa diuina extra in hominem adueniens. Ante hanc imaginem deſcendentem hominem non procreari CORDVERO r ſtatuit, aitque imaginem illam parari, antequam exeat in mundum. Haec eſt anima Chaiah, quae in concubitu homini aduenit. Hac nullum quidem hominem carere ait, verum Iſraëlitis hanc imaginem ſanctam eſſe ait, illisque e loco ſancto aduenire, cum aliis, qui cultum habent alienum, imago haec deſcendat e ſpeciebus illis malignis atque latere impuritatis. Ita ſuperbiam gentis ſuae prodit, ſe ſolam animam ex Deo, reliquas gentes ex malis daemonibus accepiſſe, ſtultiſſime oſtentantis s. At et ſibi contradicit, et in abſurda delabitur. Dixerat enim in antecedentibus, Chaiah eſſe hominem illum, ad cuius typum Deus hominem primum condidit. Aut itaque Klippoth et maligni genii imago Dei ſunt, quod impium eſt, aut totum humanum genus, ad eius imaginem conditum ex Deo locoque ſancto Chaiah accepit, nec ſoli Iſraëlitae hoc priuilegio gaudent. Reliqua quae affert, omnia manifeſte Platonicam ſcholam eiusque εἴδωλον animae loquuntur, ad notiones Iudaicas translatum, quae ſatis produnt, hanc pſychologiam Cabbaliſtas in Aegypto didiciſſe. Simili vero rem illuſtrat luculento, quod in re ſatis obſcura in lectoris gratiam hic apponemus: Sic ſe, dicit, habere conſtitutionem animae, ſicut cum aurifex formaturus eſt fuſile quoddam pro arbitrio ſuo fuſurusque argentum in hunc finem; tum ſane antequam figuram debitam operi ſuo conciliet, neceſſe eſſe, vt prius locum aliquem effiguret, in quo efformetur figura illa, argento in hunc finem deſtinato impreſſa. Animas vero ſpirituales eſſe, poſtquam igitur beneficio concubitus directionem ſuam adepta ſit influentia iſtis partibus debita, tum notionem quandam quartam hic requiri, iuxta quam iſtae concreſcant, in figuram hominis, quae configuretur in aëre horti: typum autem atque modulum illum aëreum, in quo effigurentur figurae iſtarum partium in formam hominis, vocari Zelem, id eſt imaginem.

p) Ibid. p. 114.
q) Ibid. r) p. 123.
s) Vid. EISENMENGER. Iudaiſm. detect. P. II. c. I. p. 1. ſeqq.

XVI. Nulla eſt animae exiſtentia ante generationem ſuperiorem [t]: poſt iſtam autem generationem nuda nihilominus eſt, nec veſtitur, niſi poſtquam deſcenderit in hortum Eden inferiorem, vbi veſtis ei datur pura ex aëre horti Eden. Atque ſic gradus ſinguli eleuandi aliquando tunc deſcendunt, atque veſtiuntur. Valde hanc de veſtimento animae doctrinam obſcurauere auctores Soharici allegoriis ſuis, quas explicat CORDVERO [u], qui Phariſaicam Iudaeorum opinionis meriti ſuperbiam luculenter deſcribit. Ait enim: *Poſtquam anima hoc in mundo operam dat operibus legis, tum digna ſit veſte pulchra, quae vocatur tunica magiſtrorum, eſtque veſtimentum legis et praeceptorum, quibus operam dat in hoc mundo. Hac igitur veſte aſcendere meretur, vt videat faciem Domini exercituum, regemque et patrem ſuum. Antequam enim hunc in mundum veniat, nuda eſt, et ex hoc mundo egreſſa progredi ad regem nequit, niſi veſtita veſtibus legis et praeceptorum. Veſtis enim aërea Paradiſi ſimplex admodum eſt, et alba tantum omni decore vacua: debebat autem eſſe byſſina et purpurea, quae ſunt veſtes decoris, nimirum ſpirituales ex praeceptis conſtantes, quae ſunt tenuia et ſpiritualia, vt ita in illis admoueri poſſet altari per ſacerdotem magnum* [x]. Tolle allegoriam, et habebis Pelagianiſmum Phariſaicum inter Cabbaliſtas quoque triumphantem, quamuis ex ſtercore gentili prorepentem.

XVII. Quia inferiora ſunt habitaculum ſuperiorum, vt dictum, ideo ſuperiores inferioribus adhaerere deſiderant. Nam quemadmodum cauſſatum deſiderat aſcendere ad cauſſam ſuam, ſic etiam cauſſa deſiderat, vt cauſſatum prope ad ipſam accedat. Et in hoc conſiſtit connexio mundorum. Quod ſi enim cauſſa aſcendere, et cauſſatum deſcendere ſtuderet, nihil in mundo ſubſiſteret. Hoc ex ſyſtemate emanatiuo neceſſario ſequitur [y]: omnes enim emanationum gradus a ſupremo ad infima explicantur, et omnia inter ſe vniuntur. Hinc eſt concatenatio emanationum ex mundo Aziluthico in Briahticum, ex hoc in Iezirahticum, et ex eo in Aſiahticum, et vice verſa.

XVIII. Sic etiam anima habet concatenationes cauſſae et cauſſati et corpus vehiculum eius ei eſt ſimile in omnibus partibus eius, quae ſunt CCXLVIII membra et CCCLXV venae, quae omnes concatenationem cum influxu ſephirarum habent. Miram hic nobis anatomiam corporis metaphyſicam et Cabbaliſticam vendit CORDVERO [z], quae luculentiſſimo exemplo eſſe poteſt, ad quas pueriles nugas otioſa Cabbaliſtarum ingenia excurrerint; et quam parum ſani, vel lucidi in eorum cerebro fuerit, ſed quod totam eorum philoſophiam manu quaſi duxerit imaginationis delirium. Rem ipſam malumus legi in compilatione Knorriana, quam hoc loco lectorem morari.

XIX.

t) Et tamen praeexiſtentiam animarum in Adamo creatarum ponunt. Verum haud inſolens, Cabbaliſtas ſuorum dogmatum obliuiſci, ſibique contradicere.

u) l. c. c. 5. p. 129. vbi verba Soharica affert.
x) Conf. Cel. WACHTERVS Spinoziſm. Iud. P. II. p. 259.
y) Ibid. c. 8. p. 139. ſeq. z) Ibid.

Digitized by Google

XIX. Spiritus vitalis non ex ſuperiori altiorique emanauit loco, ſed natus eſt in ipſo corpore e ſubtili quadam materia, in quantum nimirum illa attenuari poteſt. In hoc vitali ſpiritu reſidet Nepheſch, et in Nepheſch Ruach, et in Ruach Neſchamah [a].

XX. Quodlibet opus intentione opus habet, et quo maior eſt intentio hominis, eo maior ſit ſpiritualitas eius. Cum igitur quis copulatur cum ſocia ſua perfecta intentione ad vnionem ſponſi cum ſponſa directa, qua mediante in ſe deriuare poſſit animam aliquam de ſanctitate, tunc ſane deſtinatur ſemini eius anima quaedam de animabus ſanctis, praeſertim ſi praemiſerit preces debitas, vbi intentio duplicatur. Ex illo enim opere tunc corpus aliquod prodit et gutta idonea pro anima ſancta. Deſiderata itaque haec intentio eſt gutta illa, quam eleuat angelus ille praefectus huic negotio. Multa hic cumulat CORDVERO [b] acumine recutiti philoſophi digna, quae maxime huc ſpectant, per intentionem ſanctam et cupiditatem eo fine coëundi, vt anima pura prodeat, immitti cum femine ſanctam animam. Ex quo patet, intellexiſſe Cabbaliſtas myſterium illud conciliandi inter ſe problemata toto coelo diuerſa de animae origine per traducem et per creationem. Hoc enim ſuppoſito poteſt homo gignere animam, licet ſuperne immittatur [c]. Ex eadem ratione eluceſcere putat, quare licitum ſit coire cum grauida et lactante, quod nempe, ſi ad generationem corpoream non conducat talis concubitus, ad ſpiritualem tamen conducat, quoniam ob bonam intentionem talium coniugum vniuntur ſponſus et ſponſa in diuinitate, ſicut per cetera opera. En vero acumina Cabbaliſtica!

XXI. Spiritus vitalis ille in homine permanet, etiam ſomni tempore, cum ab homine aufertur Nepheſch eius, vt rationem reddat, coram creatore ſuo. Atque tum ſpiritus ille vitalis interea oeconomiam conſeruat humanam [d].

XXII. Anima iuſtorum eſt ſupra mundum Iezirahticum, adeoque angeli inferioris gradus cauſſata ſunt, et ipſa poſita eſt ſupra omnes angelorum manſiones, et delectatur ſplendore ſuperno deliciisque ſummis, nempe luce Domini benedicti, quae omnes mundos illuſtrat. E contrario vero angeli aliquid hauriunt influentiae a iuſtis [e]. Adeo ſuperbia tumet gens Iudaica, vt animam ſuam ſuper angelos ponat, et ſedem in mundo Briahtico, immo Aziluthico figat: eo quod ex primo emanationum ordine nempe Aziluthicis exciſam eam putat. Quam Iudaeorum inſaniam Rabbinorum teſtimoniis probat EISENMENGERVS [f], exemplo vero ſuo illuſtrat recutitus apoſtata R. MOSES GERMANVS [g]. Hanc vero

a) Ibid. p. 142.
b) pag. 143.
c) Ita enim in Sohar referente CORDVERO l. c. p. 144. traditur, hominem amore flagrantem erga coniugem ſuam immittere in ipſam radium quendam de ſpiritu ſuo, et ſpiritum illum perſiſtere in corpore eius et incruſtari, et hac gutta ſpirituali animam ſuperne demiſſam veſtiri.
d) Ibid. p. 145.
e) Ibid. p. 102.
f) l. c. p. 9. 10.
g) Apud WACHTER. Spinoz. Iud. P. I. p. 73.

vero dignitatem tantum animae vindicant: corpus enim ſiue vehiculum angeli praeſtantius eſſe corpore humano, non negant.

XXIII. Quamuis ſint quidam, qui ſunt domini arcanorum legis, id eſt, qui in lege diuina eiusque myſteriis ſtudent, quique arcanis deciſionum, expoſitionum allegoricarum, atque iudicialium traditionum et ceremoniarum ſecundum ſenſum literalem inuigilant: non digni tamen illi ſunt tali animae excellentia, niſi pertingant ad myſteria ſephirothica, quae ſunt arcanum diuinitatis, atque iſti vocantur Domini metrorum, animamque accipiunt ex Malchuth, non ex Metatrone [k]. Prodit ſe hic fanaticiſmus philoſophiae Cabbaliſticae, quae in contemplatione intelligibilium, id eſt emanationum, ſummam dignitatem quaerit atque felicitatem [l].

XXIV. Poſt mortem non mox redeunt partes animae humanae ad ſcaturigines ſuas; ſed manſio Nepheſch eſt in ſepulchro, et manſio Ruach in horto inferiore, Neſchamah autem manſio in horto ſuperiore, in quo viuit in faſciculo viuentium [m]. Multa hic ineptiunt Iudaei, vt ex dictis ſectione ſupra et ex EISENMENGERO [n] videri poteſt. Veſtem autem Nepheſch vadere, dicunt, et circumuolitare in mundo, in Sabbatho autem et ſingulis neomeniis vadere et aduniri τῷ Ruach in horto terreno, qui eſt inter cortinam pretioſam, vt ab illo diſcat atque cognoſcat, quae deinde circumuolitans manifeſtet in mundo. Ita diſciplina praecepit Iochaidis, quem nugatores reliqui ſequuntur. Alia huius generis dabit CORDVERO [o].

XXV. Redit tamen quaelibet anima poſt mortem tandem ad ſcaturiginem ſuam atque radicem, ſed non ad ſuperiorem eamque, ex qua emanarunt, nempe mundum Aziluthicum, ſed eam, qua veſtiuntur; veſtis autem Aziluth eſt Briah, et Briae Iezirah, et Iezirae Aſiah. Vnde neceſſario Neſchamah Aziluthica veſtem aliquam habere debet, quae eſt Neſchamah Briahtica [p]. Multa hac de re ediſſerunt libri Soharici eorumque additamenta ſiue *Tykkunim:* quae omnia eo redeunt: cum nulla anima ſuperior ſit, quae non ab inferiore certa quaſi forma modificetur et contineatur, ideo non poſſe reditum ad ſuperiora fieri alio loco, quam vbi haec modificatio facta eſt.

XXVI. Praeter has tres partes adhuc duae aliae dantur, qui ſunt angeli illi comitantes hominem in cuſtodiam eius: hi emanarunt cum emanatione animae eius, vnus a dexteris, et alter a ſiniſtris. Si dignum ſe praebet, iſti cuſtodiunt ipſum: ſin minus, accuſant ipſum. Illud figmentum bonum et malum eſt [q]. Vetus opinio, ex Aegypto forte profecta, certe barbaricae philoſophiae adſcribenda, quae omnem fere terrarum orbem poſtea peragrauit, vt erudite demonſtrauit COTELERIVS [r].

XXVII.

k) Pardes tr. I. c. 5. f. 7. Cabb. denud. l. c. p. 106.
i) Etiam hoc ab Orientalibus et Alexandrinis didicerunt.
k) Ibid. c. 2. p. 110. ſeqq.
l) l. c. p. 20. c. 5. p. 318. ſeqq.
m) Ibid. p. 112.
n) Ibid. p. 112. o) Ibid. p. 120.
p) Ad HERMAE paſt. L. I. m. VI. p. 871. ed. Fabric.

Digitized by Googl

XXVII. Quemadmodum gradum anima conſequitur, prout operam legi dat in hoc mundo, ita anima coram facie Dei ex corpore diſcedens comparere non poteſt, niſi veſtita ſit veſtibus legis et praeceptorum [q].

XXVIII. Vt Zelem, ſicut ſupra dictum, ante conformationem hominis aduenit, ita abſcedit ante mortem die trigeſima, et contemplatur locum ſuum [r].

XXIX. In Adamo omnes iam praeextiterunt animae, quas ſimul in eo creauit Deus. Multa de hac quoque praeexiſtentia tradunt Cabbaliſtae, maxime LORIIA [s], qui tamen de animabus tantum Iſraëlitarum eſt intelligendus, vt ex teſtimoniis Rabbinicis ab EISENMENGERO [t] collectis diſci poteſt.

XXX. Adam Belial, id eſt cortices, maliue daemones dominati ſunt in Adamum ſanctum, quae erant animae Adami protoplaſtae, easque ſuperinduerunt et occultarunt intra ſe ipſos, ſuo commodo, vt, quoniam in homine eſt aliquid ex Schechinah, ipſi vitam inde acciperent, et nutrimentum; hinc manibus pedibusque contendunt, vt ad peccandum alliciant hominem, quo anima eius ipſis ſubiiciatur, et intra ipſos abſcedat, ipſique hac ratione vitam, alimenta et tranquillitatem ſortiantur.

XXXI. Impoſſibile tamen eſt, animam Iſraëliticam, cum ſancta ſit, etiamſi peccauerit, et ſubter cortices abſceſſerit, penitus expelli, cum ne minima quidem ſcintilla ſanctitatis dispelli queat. Opera itaque danda eſt homini, vt extrahat animam ex corticibus, ad quod preces tempore copulae maritalis et prolificationis, tum opera iuſtitiae requiruntur, quae hominem ab iſto malo ſeparant, ſed non plene, id enim in die mortis demum fiet; tunc enim putreſcit malum intra terrae puluerem, tolliturque ab eo et diſcedit [u].

XXXII. Quaedam animae veniunt in mundum per myſterium embryonatus, quaedam per myſterium reuolutionis, prius Ibbur, poſterius Gilgul vocatur; omnes autem ideo in mundum veniunt, vt reſtituant ſeparentque bonum a malo.

XXXIII. Reuolutio, quae Gilgul dicitur, eſt, cum infans quidam de vtero matris prodit, in corpus illud ſubintrat anima quaedam, eademque tolerare cogitur omnes illos dolores atque miſerias, quaecunque ſuperuenerint eidem corpori, ex quo prodiit in auram mundanam, vsque ad mortem eius. Ita vt penes illam non ſit abhinc exire, vsque ad diem mortis. Huius *μετεμψυχώσεως* explicationem ſuperiori ſectione iam dedimus. Cuncta vero ordine ſyſtematico complexus eſt LORIIA [x].

XXXIV. Embryonatus ſiue Ibbur eſt, ſi anima quaedam in hunc mundum venit, in hominem iam in hunc mundum natum, atque adultum; tunc enim iſte homo ſimilis fit foeminae praegnanti, quae embryonem

q) Ibid. pag. 129. r) Ibid. p. 125. t) l. c. c. 1. p. 11.
s) LORIIA de reuol. anim. c. II. p. 252. ſeqq. R. MEN. BEN ISRAEL Niſchmath Chaiim f. 70. column. 2. u) LORIIA l. c.
x) l. c. c. V. §. 1. p. 263. ſeqq.

nem in vtero gerit. Id non poteſt fieri, niſi alter ille iam annos natus fuerit tredecim et vltra, quia ex eo tempore vir reputatur, qui obligatur obſeruare praecepta: tunc ergo eidem aduenit anima altera, vt eundem adiuuet et iuſtum reddat [y]. Fundamentum inſanientis hypotheſis ſtolidi philoſophi quaerunt in loco *Deut. III, 26.* Cabbaliſtice expoſito.

XXXV. Duplex autem eſt embryonatus: primo, cum anima illa, quae de nouo impraegnat hominem iſtum, ipſa hoc caſu indiget, quia ipſi deeſt aliquod praeceptum, quod non obſeruauit in reuolutione praeterita: deinde quando ideo in hominem venit, vt opituletur ei, eumque iuſtificet et gubernet, ipſa vero embryo facta nullum patitur defectum. In priori caſu extenditur per totum corpus hominis et omnes perfert dolores: in poſteriori vero nullas miſerias tolerat, vnde nec tempus habet definitum, quo egredi debeat, ſed quod melior euadit homo, eo arctius fortiusque cum eo vnitur. Hac ratione animas parentum liberos ingredi Rabbini delirant [z].

XXXVI. Reuolutionum variae dantur cauſſae, e. g. vel ad vitium exuendum et reſarciendum, vel ad praeceptum antea vel neglectum vel occaſione implendi deſtitutum obſeruandum et perficiendum, vel ad iuuandos alios, vel vt accipiant meritam vxorem, quam in priore reuolutione non acceperant.

XXXVII. Poſſibile eſt, vt reuoluantur ſimul duae vel tres ſcintillae in corpore vno, quod tamen fieri nequit, niſi hae reuolutae omnes ſint de vna radice animae, et de DCXIII ſcintillis illius radicis. Plures autem animas, quam quatuor, in vno corpore reperire impoſſibile. Multa huius generis ineptit Apella inſaniens [a], quae ſomniis febricitantium ſimiliora ſunt, quam φιλοσοφεμένοις virorum prudentium.

XXXVIII. Ordo reuolutionis pergit ab imo ad ſummum, ex vno gradu ad alterum, et a mundo Aſiahtico ad Iezirahticum, et ſic porro vsque ad ſingularitatem emanatiuam. Vilius enim praecedit, et quo quis euadit iuſtior, eo eleuatur altius. Tenetur autem homo perficere atque reſtituere omnes ſpecies, nempe animam ex mundo factiuo, ſpiritum ex formatiuo, mentem ex creatiuo: qui tres hos gradus perfecit, non amplius peccabit. Iſtae igitur tres ſpecies debent reuolui, donec reſtituantur, et ſi prima reuolutione non reſtaurantur, ter redeundum eſt. Id probat LORIIA' ex *Iob. XXXIII, 29.* Lucem haec capiunt ex iis, quae *ſectione antecedente* iam de hac migratione et reuolutione diximus, qua purgari credunt animas, ſemperque magis extrahi corticibus iſtis malignis, quibus per peccatum protoplaſtorum erant implicatae, donec purae aſcendere ad radices ſuas queant. Ex quo paralleliſmus philoſophiae Orientalis et Alexandrinae cum Cabbaliſtica cognoſci poteſt, quae eundem in modum praeceperunt.

XXXIX.

y) Citati EISENMENGER. l. c. p. 81. ſeqq.
z) Conf. EISENMENGER. l. c. p. 88. ſeqq.
a) pag. 265. ſeqq.
b) c. VI. p. 269.

Digitized by Google

XXXIX. Impio autem, in quem dominium habet ignis gehennae, ita vt intret in eum, ibique abſumantur delicta eius, melius eſt in gehenna pati, quam venire in reuolutiones plures, quoniam ſingulis vicibus cumularet peccata ſuper transgreſſiones priores. Hinc ſtatim poſt trinam reuolutionem gehennae committitur [c].

XL. Pro iuſtis vero diſcipulisque ſapientum elegit Benedictus potius multas reuolutiones prae poena infernali, quantusque eſt numerus transgreſſionum, tantus reuolutionum eorumque temporis diuturnitas: qua etiam plura opera iuſta acquirunt et iuſtiores euadunt.

§. XI. Verum maturandus tandem exitus ex hoc labyrintho, emergendumque ex dumetis philoſophiae Cabbaliſticae. Pauca itaque de quinquaginta portis prudentiae, et triginta duabus ſemitis ſapientiae dictis ſubiungimus. Hae enim portae atque ſemitae inter Cabbaliſtas valde commendantur. Originem ſine dubio acceperunt ab auctore libri *Iezirah*, qui in ſemitas XXXII totam introductionem ſuam in doctrinam ſephirothicam diſtribuit. Dabimus paucis recenſionem myſterii, vt videat lector, quam ſapientiam gens Iudaea Abrahamo patriarchae tribuerit. *Semitae ſapientiae et portae prudentiae.*

Sem. I. Vocatur intelligentia admirabilis, vel abſcondita, ſiue corona ſumma, eſt enim lumen dans intelligere primordialitatem ſine principio et eſt gloria prima, nulla creaturarum valet aſſequi eſſentiam eius.

Sem II. Eſt intelligentia illuminans, quae eſt corona creationis et ſplendor vnitatis maxime aequalis, quae ſuper omne caput eſt exaltata.

Sem. III. Vocatur intelligentia ſanctificans; et illa eſt baſis et fundamentum ſapientiae primordialis, quae vocatur artifex fidei.

Sem. IV. Vocatur intelligentia metalis ſeu receptacularis, quod in eam tanquam metam ex ſuperioribus intelligentiis delatae, ab ea emanant omnes virtutes ſpirituales, qua emanant vna ab altera virtute emanatiui primordialis coronae.

Sem. V. Vocatur intelligentia radicatiua, quod illa eſt ipſa vnitas maxime aequalis, quae coadunat ſe cum Binah, ſiue intelligentia, quae emanat e penetralibus ſapientiae primordialis.

Sem. VI. Vocatur intelligentia influentiae mediantis, quod in eo multiplicantur influxus emanationum.

Sem. VII. Vocatur intelligentia recondita, quod illa eſt ſplendor refulgens in omnes virtutes intellectuales, quae oculis intellectus et fidei contemplatione perſpiciuntur.

Sem. VIII. Vocatur intelligentia abſoluta ſeu perfecta, quod illa eſt apparatus primordialitatis, quae non habet' radicem, cui inhaereat, niſi in penetralibus magnificentiae, quae emanant de propria ſui ipſius ſubſiſtentia.

Sem. IX. Vocatur intelligentia munda, quod mundat ſephiras et probat et emendat exſciſſionem imaginis earum.

Sem. X.

c) pag. 271.

Digitized by Google

Sem. X. Vocatur intelligentia reſplendens, quod illa exaltata eſt ſuper omne caput, et ſedet in throno Binah, et illuminat fulgorem omnium luminarium.

Sem. XI. Vocatur intelligentia fulgida, quod illa eſt ipſa cortina, quae ordinata eſt iuxta ordinem diſpoſitionis.

Sem. XII. Vocatur intelligentia claritatis, quod illa eſt ſpecies magnificentiae, et locus, de quo oritur viſio videntium in apparitione.

Sem. XIII. Vocatur intelligentia inducens vnitatem, quod illa eſt ipſa ſubſtantia gloriae, et perficit veritatem ſingulorum ſpiritualium.

Sem. XIV. Vocatur intelligentia illuminans, quod eſt Chaſmal, qui eſt inſtitutor arcanorum et fundamentorum ſanctitatis et apparatus eorum.

Sem. XV. Vocatur intelligentiá conſtituens, quod conſtituit creationem in caligine munda.

Sem. XVI. Vocatur intelligentia triumphalis vel aeterna, quod illa eſt voluptas gloriae, infra quam nulla alia gloria eſt, et vocatur paradiſus voluptatis, qui paratur piis.

Sem. XVII. Vocatur intelligentia diſpoſitiua, quae aptat piis fidelitatem, vt per eam induantur ſpiritu ſancto.

Sem. XVIII. Vocatur domus influentiae, quod ſcrutantes ex ea trahunt arcanos et abditos ſenſus.

Sem. XIX. Vocatur intelligentia omnium actiuitatum ſpiritualium, propter affluentiam, quae diffunditur in eam de benedictione altiſſima et gloria excelſa.

Sem. XX. Vocatur intelligentia voluntatis, quod illa eſt apparatus omnium et ſingulorum creatorum.

Sem. XXI. Vocatur intelligentia complacentiae quaeſiti, quod illa accipit influentiam diuinam, vt influat de benedictione eius in omnia et ſingula exiſtentia.

Sem. XXII. Vocatur intelligentia fidelis, quod in ea augentur virtutes ſpirituales, vt prope adſint omnibus habitantibus ſub vmbra eius.

Sem. XXIII. Vocatur intelligentia ſtabilita, quod illa eſt virtus conſiſtentiae omnibus numerationibus.

Sem. XXIV. Vocatur intelligentia imaginatiua, quod illa dat ſimilitudinem omnibus ſimilitudinibus, quae iuxta ſimilitudines ſuas in decoribus ſibi conuenientibus creatae ſunt.

Sem. XXV. Vocatur intelligentia tentatoria ſeu probatoria, quod illa eſt tentatio primaria, qua tentat creator omnes pios.

Sem. XXVI. Vocatur intelligentia renouans, quod Deus ſanctus renouat per illam omnia noua in creatione mundi.

Sem. XXVII. Vocatur intelligentia concitatiua, eo quod de ea eſt creatus intellectus omnium creatorum ſub orbe ſupremo, et concitatio ſiue motus eorum.

Sem. XXVIII.

Digitized by Google

Sem. XXVIII. Vocatur intelligentia naturalis, quod per illam conſummata et perfecta eſt natura omnis exiſtentis ſub orbe ſolis in perfectione.

Sem. XXIX. Vocatur intelligentia corporalis, quod illa format omne corpus quod corporatur ſub apparatu omnium orbium, et incrementum eorum.

Sem. XXX. Vocatur intelligentia collectiua, quod colligunt ex ea aſtrologi iudicio ſtellarum et ſignorum coeleſtium ſpeculationes ſuas.

Sem. XXXI. Vocatur intelligentia perpetua, quod ducit motum ſolis et lunae iuxta conſtitutionem eorum in orbe ſibi conueniente.

Sem. XXXII. Vocatur intelligentia adminicularis, eo quod dirigit ſeu concurrit ad omnes operationes ſeptem planetarum et ad partes eorum.

Haec illa ſapientia eſt, quae introductionis loco libro *Iezirah* praefixa eſt. Quam conſtare totam notionibus abſtractis, vagis et incertis, ex ipſis definitionibus patet; vnde mirandum non eſt, Cabbaliſtas in harum ſemitarum explicatione inter ſe valde diſſentire. Illud tamen dubitandum non eſſe videtur, exhibere nobis has ſemitas certas claſſes, ordinesque metaphyſicos, quibus conſideratio ſephirarum inſtitui poteſt, et quibus affectiones, modi, gradus et combinationes ſephirarum tum inter ſe, tum ratione mundorum, quibus influxum praebent, commenſurari et conſiderari poſſunt, et intellectus hominis inſtrui poteſt, vt in his ſemitis ad cognitionem ſummae cauſſae perueniat. Huc enim omnes commentatorum meditationes collineant, praecipue R. ABRAHAM BEN DIOR, qui tamen et ipſe commentario eget, et luce, et cuius tenebras RITTANGELIVS nondum diſcuſſit. Vterque commentator etiam aliena Cabbaliſticis immiſcuit, et ראב"ר quidem Peripatetica, Rittangelius Chriſtiana. Merentur vero hae ſemitae cum Pythagoricis numerorum contemplationibus eorumque nominibus comparari: ex eo enim intelligi poteſt, vnde has delicias metaphyſicas Cabbaliſtae acceperint. Idem de quinquaginta portis prudentiae iudicandum eſſe videtur. Portas enim apud Iudaeos ſignificare introductiones, diſtributiones et capitula, linguae Hebraeae peritos non latet, vt obſeruauerunt ED. POCOCKIVS [d], et IO. BVXTORFIVS [e]. Quomodo vero has portas Cabbaliſtae diſtinxerint, de eo variant interpretes. Et REVCHLINVS [f] quidem earum catalogum dedit, quem B. BVDDEVS [g] repetiit; ſed valde timemus, vt menti et ſyſtemati Cabbaliſtarum ſit conformis, et non profectus ſit ex Reuchlini ingenio. Aliter doctiſſimus BASNAGIVS [h], qui eas diuidit in quinque portas portarum, hasque ſingulas in portas decem, primamque agere putat de materia prima, de chao, de vacuo, de elementis, de aquis ſupracoeleſtibus; ſecundam de mineralibus, floribus, ſuccis, maribus, lacubus,

d) Praef. ad Maim. port. Moſis.

e) Bibl. Rabb. p. 422. Eandem opinionem tuentur BASNAGIVS Hiſt. Iud. L. III. c. 14. §. 17. p. 358. et BVDDEVS Introd. in hiſt. phil. Hebr. §. 43. p. 380. ſeqq.

f) De arte Cabb. L. III. p. 693. ſeqq. Coll. Piſtor.

g) loc. cit.

h) l. c. §. 18. p. 360.

fluminibus, plantis, feminibus, reptilibus, auibus etc. tertiam de creatione hominis, eius fenſibus, anima et facultatibus eius, de homine angelico, coeleſti et diuino etc. quartam de planetis, firmamento, primo mobili et coelo empyreo; quintam de nouem angelorum ordinibus; vltimam vero non eſſe apertam, cum Moſes tantum per quadraginta et nouem tranſierit [i]. Sed haec quoque recentiorum ingenio, Peripateticam phyſicam ſecuto debentur, et vel hoc nomine improbanda ſunt, quod phyſicas nobis claſſes, non vero metaphyſicas exhibent; cum tamen tota philoſophia Cabbaliſtica metaphyſica ſit [k]. Quaecunque vero earum ſignificatio ſit, illud dubio caret, ſemitas has portasque maiorem prudentiam atque ſapientiam non promittere, quam repoſitoria Lullii, et vtrumque hoc diſtributionis genus in eundem cenſum referendum eſſe. Per has itaque portas et ſemitas tandem ex hoc labyrintho philoſophiae Cabbaliſticae, ſpinarum pertaeſi et ſpectra lemuresque horreſcentes propere aufugimus.

Iudicia eruditorum varia de vſu pretioque Cabbalae ponendo.

§. XII. Antequam vero philoſophiae Iudaicae, maxime Cabbaliſticae, conſiderationem relinquimus, quaedam etiam de dignitate vſuque Cabbalae dicenda ſunt, lectorque inſtruendus eſt, vt inter tot virorum doctorum de ea re concertationes tantumque diſſenſum ipſe iudicare, et quid philoſophiae incrementis inde promittendum ſit, vel quid detrimenti inde acceperit, quaque ratione difficilis haec metaphyſica in vſum quendam conuerti queat, diſcat. Audiemus vero viros doctos ſententiam dicentes, et iudicium modeſte interponemus. Et inter Iudaeos quidem philoſophiae Cabbaliſticae tantam exiſtimationem eſſe, vt eam vulgo inuideant, ideoque non arcaniſſimam tantum ſeruent, ſed et ſymbolis obſcuriſſimis tegant, ſtatuentes neminem ad ſummam felicitatem peruenire eiusque ſupremo gradu potiri poſſe, licet in legis ſtudio literali ſit perfectiſſimus, niſi etiam myſticam hanc doctrinam teneat, in antecedentibus luculentis eorum teſtimoniis confecimus. Tantaque eſt apud ipſos huius artis veneratio, vt eam vulgatam graues et atroces poenas ſequi ſtatuant, et ſic poenam illuſtrem Knorrium luiſſe dixerint [l]. Fatendum tamen, dari inter Iudaeos quosdam, qui futilitatem ſtudii Cabbaliſtici agnouerint et reiecerint, quos dum refutat R. NAPHTHALI HIRTZ [m], non diffitetur, eſſe inter contribules ſuos, qui improbent, inquiri in ſenſus legis arcaniores, obtrudique hominibus dogmata ſublimiora captuque difficillima, quibus melioris et facilioris philoſophiae ſtudium impediatur, praecipue cum facile in Deum peccari ſicque periculum contrahi queat maximum. Immo R. Mardochaeum Concors contra artem Cabbaliſticam et in ſpecie contra doctrinam ſephirothicam ſcripſiſſe, at prohibitum a ſuis

i) Conf. AUG. BURGENSIS. de Cabb. dogmat. p. 854. Coll. Piſt.

k) Conf. MORHOF. Polyhiſt. T. I. c. 7. p. 396.

l) Vid. ipſe KNORRIUS praefat. ad Tom. II. Cabb. denud. p. 19.

m) In praef. ad vallem regiam, conf. WOLF. Biblioth. Hebr. P. II. L. VII. c. 3. §. 1. p. 1230.

Digitized by Google

a ſuis fuiſſe, ne hanc commentationem ederet, referunt IVLIVS BARTOLOCCIVS [a], et I. C. WOLFIVS [b]. Inter Chriſtianos vero de Cabbalae dignitate, praeſtantia et vſu in opiniones diſceſſum eſt toto coelo inter ſe diſtantes. Et mature quidem poſt reſtauratas literas elegantiores fuiſſe viros doctos, qui de diuina origine Cabbalae perſuaſi, latere in ea pleraque Chriſtianae religionis myſteria, exque illa contra Iudaeos et infideles alios pulchre poſſe demonſtrari, crediderint, ſupra Io. Pici Mirandulí, Io. Reuchlini, Archangeli Burgonouenſis, Pauli Ricii aliorumque exemplis probauimus. Sed et hoc ſupra monuimus, inuentos eſſe alios, qui non quidem negauerint, eſſe in Cabbaliſtica philoſophia impura, falſa, impia multa non ex limpidis Iſraëlis fontibus, ſed ex lacunis gentilis philoſophiae hauſta; aſt inueniri tamen ſub allegoriis ſymbolisque philoſophiae Cabbaliſticae, a recentioribus eius interpretibus in peruerſos et heterodoxos ſenſus raptis veſtigia priſtinae veritatis per traditionem ad Chriſtianos ab Iſraëlitis et Iudaeis, arcana methodo illam ſeruantibus translatae, et praecipue rudera luculenta myſteriorum de SS. Trinitate, de Meſſia eiusque incarnatione, de mediatore inter Deum et regnum eius, et de varia oeconomia gratiae et ob eam cauſſam reſpexiſſe ipſum ſanctiſſimum orbis redemtorem et diſcipulos eius in ſermonibus ſcriptisque ſuis ad hanc Cabbalam puriorem. Ex quo hunc praecipue Cabbalae purioris vſum demonſtrant, vt ex ea arcani quidam et latentes ſenſus Scripturae S. queant referari producique in apricum. Cuius luculenta ſpecimina cum ex opinione virorum doctiſſimorum Campegii Vitringae et Ioannis Meyeri ſupra iam attulerimus, his nihil addimus, niſi quod moneamus, virum de omni eruditione, maxime vero de ſacris literis immortaliter meritum B. IO. FRANCISCVM BVDDEVM [c], qui huic opinioni tenacius adhaeſerat, eam poſtea non quidem deſeruiſſe, verum ita tamen limitibus arcte concluſiſſe, vt tantum non totam abieciſſe videri poſſit, certe ab iis, qui hac ratione ſtatuendum eſſe putant, longe receſſerit, et circumſpectione longe maiori hunc Cabbalae vſum commendauerit. Alios qui Chriſtiana dogmata ex Cabbala vel demonſtrari vel confirmari poſſe credunt, a Cel. WOLFIO [d] enumeratos tacemus. Nec defuit diligentia quorundam, qui Iudaeos hac ratione ad veram fidem reuocare conati ſunt, quod interdum feliciter ceſſiſſe, exempla Iudaeorum hac ratione conuerſorum probant [e]. Alii tamen longe aliter de Cabbala ſtatuunt, et obſcuritate inſuperabili, confuſione, et ἀταξία in ſcriptis Cabbaliſticis regnante commoti, omnem eam pro otioſis nugis ingeniorum muſcas captantium et cum laruis lemuribusque colluctantium habent, verbaque caſſa et ſine mente ſonos, affanias pueriles notiones vel nihili, vel vagas, allegoricae methodi beneficio

a) Bibl. Rabb. T. IV. p. 56.
b) Bibl. Hebr. P. I. p. 798.
c) Vid. differt. de moderamine inculpatae tutelae, quae recuſa eſt ad calcem nouae editionis Introd. in hiſtor. phil. Hebr. conf. quae habet WOLFIVS l. c. §. 5. p. 1237.
d) l. c. conf. B. MARTIN. DIEFFENBACH in Iudaeo conuertendo §. 18. p. 93.
e) Conf. Io. WVLFER. in not. ad Thariae Iud. p. 66. WOLF. l. c. p. 1240.

vendi ſicque pro theſauris carbones exhiberi a Cabbaliſtis conqueruntur. Hoc fuiſſe de Cabbala iudicium BVRNETII [s], ex verbis eius ſupra adductis conſtat: quamuis fateatur tandem, λείψανα quaedam veteris phyſicae et metaphyſicae Hebraicae ibi latere: eo quod hypotheſibus ſuis, quas Moſi affinxit vir doctus, quaedam affinia in iis eſſe videret. Fuiſſe vero in hac quoque ſententia Souuerainium, Vorſtium, Loeſcherum aliosque de origine Cabbalae gentili perſuaſos, ex ſupra dictis conſtat [t]. Alii inueniri quidem poſſe et detegi ſyſtema aliquod et ſignificationem quandam atque doctrinam ſymbolorum et allegoriarum Cabbaliſticarum concedunt, at nihil eſſe in ea, quod vel ſacrae reuelationi vel rationi ſanae conueniat, cunctaque erroribus magnis ex turbidis gentilium fontibus oriundis et ad enthuſiaſmum ducentibus plena, totumque ſyſtema impium et abſurdum eſſe ſtatuunt, iisque indignantur, qui ex Cabbala ſacra dogmata et ſcripturam S. illuſtrari explicarique poſſe contendunt, eo quod putent, dignitati et auctoritati ſacrarum paginarum ita valde derogari. Id quod illi potiſſimum vrſerunt, qui improbauerunt [u], quod B. BVDDEVS orationem dominicam ex Cabbaliſticis dogmatibus illuſtrare conatus eſſet. Hi omnes magna vi pertendunt, parum vtilitatis afferre philoſophiam Cabbaliſticam ad explicanda oracula ſacra, et confirmandam religionem Chriſtianam, eo quod neceſſario vel mens Cabbaliſtarum vel ſcripturae ſacrae peruertenda ſit [x], miſcendaque quadrata rotundis, ſi id negotii ſuſcipiatur, quod hoc modo feliciter ſuccedere nunquam poſſit. Longius proceſſerunt alii, qui in ſyſtemate Cabbaliſtico latere ſemina impietatis, et atheiſmum prodi, aſſeruerunt. Quo reſpexit imprimis HENRICVS MORVS [y]; qui hanc impietatis ſuſpicionem methodo geometrica roborare conatus eſt. Eundem ſcopum habuiſſe initio Cl. WACHTERVM [z], ex eius diſputationibus contra Petrum Speeth ſiue Moſen Germanum patet. Nec alia mens Ven. REIMMANNO [a], cui hoc nomine philoſophia Cabbaliſtica vehementer diſplicet. Hinc diſputatio orta de Spinoziſmo in Cabbaliſtica philoſophia detecto, deque Atheiſmo Cabbaliſtarum, quem tamen negare et pro Cabbaliſtis apologiam ſcribere conatus eſt R. MOSES GERMANVS [b], quemadmodum ab hac infamia liberos Cabbaliſtas pronunciauit B. Io. IACOBVS SYRBIVS [c], et B. I. FR. BVDDEVS [d]. Qui tamen poſtremus ita poſtea ſuam opinionem mutauit [e], vt

s) Archaeol. philoſ. L. I. c. 7. p. 363.
t) Conf. laudatos WOLFIOL. c. p. 1242.
u) GOTTL. WERENSDORFIVS et Io. ANDR. SCHMIDIVS peculiaribus diſſertationibus. Add. Ven. LOESCHER. praenot. theol. p. 230. EHREGOTT DANIEL COLBERG, Chriſtianiſm. Platon. Hermet. P. II. c. 14. p. 649. ſeqq.
x) Prius feciſſe Morum, poſterius Knorrium, iudicat BVDDEVS l. c. §. 35. p. 255. et in Iſag. in hiſtor. theol. lit. p. 137.
y) In fundamentis philoſophiae aëtopaedomeliſſene.
z) In Spinoziſmo Iudaico.
a) Hiſt. theol. Iud. L. I. c. 18. §. 23. p. 604. ſeq. §. 34. p. 627. ſeqq.
b) Libelli titulum habes apud WOLF. Bibl. Hebr. P. II. p. 1235. conf. WACHTER. loc. cit. P. I. p. 49. FABRIC. Syllab. ſcript. de V. R. C. c. 13. p. 361. De infelici hoc patriae noſtrae alumno multa notatu digna dabunt WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 813. et M. DIEFENBACH in Iudaeo conuerſo p. 128. ſeqq.
c) In diſſ. de orig. atheiſmi p. 22.
d) In diſſ. de Spinoziſmo ante Spinozam Anal. H. P. p. 346.
e) Theſ. de ath. et ſuperſtit. c. I. §. 6. p. 12. Intr. l. c. p. 388.

Digitized by Google

vt concederet, recentiores Cabbaliſtas omnino Spinoziſmi ſuſpectos eſſe, eo quod ſyſtema emanatiuum recta via ad atheiſmum ducat, quamuis contra Wachterum tueatur, differre inter ſe ſyſtema Spinoziſticum et Cabbaliſticum: aliter tamen pronunciandum eſſe de Cabbala veteri atque puriori, eamque ab hac culpa prorſus liberandam eſſe. Fluctuat autem BASNAGIVS [f], et alio quidem loco operoſe demonſtrare contendit, Spinozam ſyſtema Cabbaliſticum in ordinem redegiſſe, et ſuam philoſophiam ab his praeceptoribus didiciſſe, noluiſſe autem ambitione ductum fateri, per quos profecerit, nec Iudaeos inuidiam, quam ſibi conflauit, cum eo, fatendo quod ſcrinia Cabbaliſtarum expilauerit, participare voluiſſe: alio vero loco [g] emanationis ſyſtema a Spinoziſtico diſtinguit, cum prius ob emanationem, quae diuinae eſſentiae modificationem certam innuit, hanc ei notam inuſſiſſet. Aliter tamen pro Cabbaliſtis et Spinoza mutata ſententia ſua pronunciauit Cel. WACHTERVS [h]. Is enim non negauit quidem, inter Spinozam et Cabbaliſtas intercedere concordiam, ſed hanc potiſſimum cum Cabbaliſtis hypotheſin de rerum omnium ortu ex Deo adornauiſſe, ex ordine philoſophandi, ex definitione Dei, ex ſuppoſito infinito rerum omnium principio, ex negata creatione materiae, eiusque exiſtentia ſublata, ex admiſſa ſpiritualitate rerum omnium, et euicta inde entitate ad ſolum Deum referenda, ex admiſſo aliquo principiato primo, ex aſſerta rerum omnium vita, ex mundo praedicato infinito, ex duplici reſpectu intellectus diuini interno et externo, ex eſſentia mentis humanae ex Deo deriuata, aliisque philoſophiae Spinoziſticae partibus cum Cabbaliſtica conuenientibus probat, et in vno hoc receſſiſſe a Cabbaliſtis putat, quod non decem, ſed duo tantum attributa poſuerit in Deo, et inanes imaginationis nugas de vacuis, vaſis, vaſculis, canalibus, radiis, punctis, aeonibus, ſpiritibus eorumque membris, coniugiis et his ſimilibus abiecerit: negat autem Spinozam Deum et naturam confundere, eo quod diſtinguat inter naturam naturantem et naturatam, et eos oppugnet, qui naturam Dei ad eſſentiam rerum creatarum ſpectare dicant: tota quoque eius philoſophia hoc praecipue fundamento nitatur: quod Deus et natura nequaquam vnum idemque ſint, neget etiam, Deum eſſe effectuum naturalium cauſſam immediatam. Quibus omnibus poſtquam de vſu Cabbalae eiusque tolerantia in Academiis quaedam monuiſſet, finem tractationi ſuae imponit, contendens, eos praecipitanter nimis de Cabbala iudicare, qui eandem atheiſmum docere perhibent, adeoque neque Spinozam eius culpae reum agi poſſe. Valde diſplicuit celeberrimi viri conatus non BVDDEO [i] tantum τῷ μακαρίτῃ, ſed aliis quoque [k], qui vel magnum inter

f) l. c. L. IV. c. 7. p. 128. ſeq.
g) c. 8 p. 158. ſeqq.
h) in elucidario Cabbaliſtico c. IV. p. 39.
i) ll. cc.
k) Vid. IAC. STAHLKOPFII diſſ. de Benedicto de Spinoza atheiſmi conuicto, contra auctorem praefationis in illius opera poſthuma, G. Arnoldum et I. G. Wachterum. Gryph. 1707. PAVL. BERGER. in Cabbal. Iud. Chr. derecta p. 42. DIEFENBACH. l. c. Relat. innoc. 1709. p. 417. DET. CLVVER. annot. hiſtor. de rebus vtiliſſimis p. 213. ſeqq.

inter Spinozam et Cabbaliſtas intercedere diſcrimen contenderunt, vel vtrasque partes recte impietatis accuſari aſſeruerunt: de qua tamen re, cum infra de Spinoza tractaturis adhuc quaedam dicenda ſint, hic nihil adiicimus: ſed hoc tantum notamus, quod ipſe vir acutiſſimus, cum ea legeret, quae de hac controuerſia in Germanico opere H. P. differuimus, annotauit, et per manus communis amici ad nos transmiſit. Monet nempe, *iniuriam fieri Cabbaliſtis, ſi iis obiiciatur Atheiſmus. Nullam enim doctrinam de Deo et creatione ex Deo vocari poſſe Atheiſmum, quacunque etiam ratione ſe habeat, quia alias eſſet oppoſitum in appoſito: talem vero eſſe doctrinam Cabbaliſticam, quae tantum abſit, vt Atheiſmum foueat, vt potius deiſmus ſit, quia ex Deo, principioque primo omnia explicat. Eam vero doctrinam atheam eſſe, quae mundum ſua Deo ortum ſtatuit, aut res naturales, excluſo Deo, exponit. Neutrum hoc facere vel Cabbaliſtas vel Spinozam. Rectiſſime itaque ex ſua opinione eos facere, qui haec philoſophemata pro hypotheſi habent, qua origines rerum luculentius exponere voluerint.* Id quod ideo hic monendum erat, quod neſcio quo iure haec Cabbaliſtarum et Spinozae defenſio virum eruditiſſimum fecerit ſuſpectum.

Praemonenda quaedam de Cabbalae pretio, vitandisque praeiudiciis circa eam.

§. XIII. Difficile eſt in tam ancipiti argumento, rationibus ex vtraque parte haud leuibus a viris doctis adductis in medium, de Cabbalae dignitate, praeſtantia et vſu certam ſententiam ſtatuere; praeſertim cum tota haec diſputatio lectorem requirat ab omni prorſus partium ſtudio et ab omni praeiudicata opinione liberum, attentum quoque in ſublimi philoſophiae genere ad nexum principiorum et concluſionum, et nec obſcurorum atque ſymbolicorum dogmatum veneratione, vt plerumque fieri ſolet, nec antiquitatis nimia opinione faſcinatum. Qui veri fontes ſunt, cur philoſophia Cabbaliſtica non obſtantibus obſcuritate eius ſumma, ineptiis methodi ſymbolicae, et exiguo fructu, qui ex ea redundat, tot viros inuenerit doctos, qui hederam ei ſuſpenderunt, et pro eius praeſtantia verba fecerunt. Quosdam enim antiquitatis ſeduxit veneratio, eo quod noſſent, Hebraeos fuiſſe inter gentes antiquiſſimas, et diuinam ſapientiam ex peculiari reuelationis dono poſſediſſe, habitaſſe quoque diu inter gentes; ex eo enim concludentes, philoſophiam ab iis ad gentes dimanauiſſe, crediderunt Cabbalam priſcae ſapientiae Hebraeae opus eſſe; vnde factum, cum vidiſſent magnam intercedere inter philoſophiam Cabbaliſticam, et Pythagorico-Platonicam ſimilitudinem, vt iudicarent, hanc ab illa profluxiſſe, Pythagoramque et Platonem in itineribus ſuis inter barbaros hanc philoſophiam accepiſſe ab Hebraeis. Alii palparunt quidem, erronea Cabbaliſtarum dogmata difficilesque nugas hominum otioſorum, cum ſimplicitate et puritate philoſophiae Hebraicae vetuſtiſſimae non conuenire, illaque prorſus indignas eſſe: cum autem praeconceptam de Cabbalae diuina origine ab Hebraeis opinionem dimittere nollent, diſtinctionem inter Cabbalam puram et impuram excogitarunt. In quo praeiudicio, licet nullibi

eam

Digitized by Google

eam Cabbalam puram oſtendere potuerint, confirmati tamen ſunt, cum intelligerent, in oeconomia foederis diuini Moſaica, neceſſario obtinere debuiſſe oralem quandam explicationem luculentiorem myſteriorum gratiae, in typis legis et vaticiniis occultius reuelatorum. Quam cum pro veteri illa Cabbala haberent, ea, quae ex religione Chriſtiana et ſacrarum paginarum N. T. reuelatione didicerant myſteria, non tantum ad Iudaeos retulerunt, ſed has eſſe quoque reliquias Cabbalae veteris atque purioris contenderunt, eaque, quae apud Cabbaliſtas de tribus ſephiris ſuperioribus, de origine, generatione, officio, naturaque media τῦ Adam Kadmon et ſimilibus inuenere, ad illa myſteria, inuito licet ſyſtematis Cabbaliſtici ſenſu nexuque, transtulerunt; quae vero in concordiam redigi non poterant, ea impura eſſe, et a ſequioribus Cabbaliſtis in falſos ſenſus deprauata aſſeruerunt, ſicque veram ſyſtematis Cabbaliſtici mentem euerterunt. Qui tamen licet in vero ſenſu myſteriorum Cabbaliſticorum definiendo aberrauerint, veniam tamen merentur, eo quod veritati ſacrae non obfuerunt; in eo ſolo peccantes, quod comtiorem melioremque, quam natura ſua habet, faciem philoſophiae Cabbaliſticae exhibuerint. Longe grauius vero lapſi ſunt alii, qui ſymbolorum obſcuriſſimorum profunditate tenebrisque plus quam Cimmeriis decepti, myſteria nullibi propalanda ſacroque ſilentio tegenda latere ſibi perſuaderi a Iudaeis paſſi ſunt. Hi cum neſcio quam ſapientiam coeleſtem et ſublimiorem ereparent, et ſe theoſophiae cuiusdam arcanae alumnos eſſe iactarent, myſteriaque multa et artes diuinas, etiam circa arcana phyſica ſibi reuelatas eſſe mentirentur, facile in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ſimilia in Cabbala latere; hoc igitur praeiudicio, tanquam face, praeeunte, ad rimandas Cabbalae allegorias accedentes, cum haud eſſet difficile, ex obſcuriſſimis ſymbolis, quaecunque vellent effingere, vel potius multis verbis nihil dicere, ſua ſomnia Cabbalae ſuppoſuerunt, et in ea patrocinium ineptiarum ſuarum quaeſiuerunt, qua mente Cabbaliſticam philoſophiam iactauiſſe Fluddum, Sperberum hisque ſimiles, ſupra monuimus. Nec id magnopere mirandum eſt, intellectu humano de obſcuris et haud facile intelligendis plerumque magnificentius iudicante:

Semper enim ſtolidi magis admirantur amantque
Inuerſis quae ſub verbis latitantia cernunt.

Quae cum ita eſſe exemplis adductis conuincamur, omnino attentio ſumma in diiudicando ſyſtemate Cabbaliſtico adhibenda, cauendumque eſt, ne de argumento obſcuro totque tegumentis allegoriarum ineptiſſimarum abſcondito, aliquem nobis ſenſum fingamus clariorem, eumque deinde regulae inſtar in explicandis hypotheſibus Cabbaliſticis adhibeamus, et interamus magis, quam eruamus ex ſcriptis Cabbaliſticis, quaecunque optamus; vt in iis inuenire queamus, licet totius ſyſtematis harmonia et conne-

connexio repugnet. A quo lapſu ſi ſibi cauiſſent viri doctiſſimi, qui pro Cabbalae antiquitate et puritate pugnauerunt, et inter eam et recentiorem atque impuram diſtinxerunt, non contendiſſent pro conuenientia eorum dogmatum, quae nunquam Cabbala agnouit, ſed libere fuiſſent faſſi, longe alia philoſophiam Cabbaliſticam tradere, quam ſacram Chriſtianorum doctrinam, et nec Pythagoram atque Platonem a Iudaeis, ſed hos potius ſuo modo ab illis, vel potius ab eorum ſectatoribus reformatis haec opinionum portenta accepiſſe, nec admittere poſſe totam Cabbaliſticam philoſophiam ſecundum principia ſua vera et natales ſuos conſideratam eas doctrinas, quas agnouiſſe quidem veterem eccleſiam Iudaicam negare non licet, at Cabbaliſtas docuiſſe, ipſa eorum dogmata eorumque ſenſus verus atque genuinus reclamant. Et hac ratione neque ex tribus ſephiris ſuperioribus Trinitatis myſterium Meyerus, neque ex Adam Kadmon filium DEI mediatorem Vitringa, neque ex ſephirarum combinatione orationem dominicam Buddeus, neque ex mundo Briahtico creationem ex nihilo Baſnagius et alii alia exſculpſiſſent, veramque ſyſtematis Cabbaliſtici mentem peruertiſſent. Ceterum pro expellendo nimio de Cabbalae antiquitate et auctoritate praeiudicio ipſa Cabbaliſtica methodus antidotum exhibet efficaciſſimum. Obſcuritas enim inextricabilis, allegoriae difficillimae, affectatae literarum, nominum et notionum relatiuarum argutiae, et quae alia puerilia in cortice exteriori exhibet Cabbala philoſophica, iuſtam apud rectos rei aeſtimatores ſuſpicionem excitant, parum ſapientiae verae ſolidaeque ſub iſtis crepundiis latere; nec multum felicitati humanae mentis promouendae afferre philoſophiam eam, quae a pauciſſimis intelligi poteſt et vult. Veritas enim et ſapientia nudae ſunt, nec vllius hominis complexus refugiunt. Quae omnia fundamenti loco poſita, recte animum praeparant, ad ferendam iuſtam de Cabbaliſtica philoſophia ſententiam.

Iudicium de Cabbala.

§. XIV. His praemiſſis de Cabbalae pretio vſuque ſequentia notanda eſſe putamus: I. Scripta Cabbaliſtica antiquiora, qualia ſunt Soharica, Iezirah, Bahir et ſimilia, tanta caligine denſaque nocte repleta, tantaque confuſione ſcripta eſſe, vt aeque facile ſit, album et nigrum, quadrata et rotunda ex illis exſculpere, et eadem veriſimilitudine dogmata ſibi e diametro aduerſa effingere. Quin et corticem illum, ſub quo latet nucleus philoſophiae Cabbaliſticae, tam durum eſſe, vt ferri aciem quaſi refugiat, id eſt, allegorias ſymbolaque horum librorum adeo incondita, inepta, nullumque ſaepe ſanum ſenſum fundentia eſſe, vt ne de eorum quidem literali ſenſu certus lector eſſe queat. Ex quo ſequitur, etiam in hac philoſophicae hiſtoriae parte ad ſobrium et moderatum Pyrrhoniſmum confugiendum eſſe, fatendumque, notitiam philoſophiae Cabbaliſticae, ſi ex iſtis ſcriptis antiquioribus haurienda ſit, exiguis arctisque circumſcribi limitibus. Haec vt in ſe iuſta ſunt, ita medium inter eos tenent, qui ex vtraque parte de Cabbala iudicant, animumque praeparant, ne ſecus, quam par

Digitized by Google

par eſt, in ferenda de hac philoſophia ſententia, agat et hallucinetur. His enim ſuppoſitis non negatur, abſurdiſſimas et vix intelligibiles eſſe Cabbaliſtarum allegorias; at cum homines tamen fuerint ratione gaudentes, quos data opera inſanire, multisque verbis nihil dicere voluiſſe veriſimile non eſt, recte inde coniicitur, concepiſſe eos ſibi quosdam ſenſus melius cohaerentes, et certam aliquam doctrinae formam comprehendentes. Qui vt deprehendantur, non proprii ingenii cogitationes et inuenta pro interpretandi norma adhibenda ſunt, quibus loqui coguntur Cabbaliſtae, quicquid voluerimus, ſed nexus atque cohaerentia totius ſyſtematis conſideranda, origines philoſophiae Cabbaliſticae conſiderandae fontesque veri, ex quibus illa hauſta eſt, expendendi, ſicque concluſiones cum ſuis principiis coniungendae, vt ex his demum mens Cabbaliſtarum obſcura patere queat. Hac cautione muniti ſi ad interpretes Cabbaliſtas recentiores, qui abiecta methodo allegorica, ſecundum conſuetudinem philoſophiae Graecanicae philoſophari et Cabbaliſtica myſteria rimari coeperunt, accedamus, ſperare poſſumus, fore, vt veriſimili ratione in mentem veram obſcurorum librorum penetrare queamus. Vbi tamen aſſenſus prudenter cohibendus, nihilque pro Cabbaliſtico admittendum eſt, niſi quod examinatum diu, ita ſe nobis probet, vt cum amuſſi dicta conſpiret: ſemper etiam cum metu quodam oppoſiti progrediendum, ne nimia fiducia ſecuri, et praecipitanter iudicantes hallucinemur. Hanc nobis legem poſuimus, hac via in delineanda philoſophia Cabbaliſtica nos inceſſimus, quam nos iterato ſtudio deuoratis mille moleſtiis emenſos fuiſſe nondum poenitet. Ex hac vero prudentia logica moderationem quandam moralem oriri oportet, in hac hiſtoriae philoſophicae parte omnino commendandam. Cum enim illius tam inſuperabilis difficultas et obſcuritas ſit, aegre ferendum non eſt, ſi viri alii docti a noſtra ſententia et interpretatione diſſentiant, et ſe alia vidiſſe credant: multo magis in tam obſcuro et ambiguo argumento inuidia eiicienda abſtinendumque eſt a conſequentiis odium quoddam diſſentientibus conflantibus, ſed tolerantia, in omni hiſtoriae philoſophicae ſtudio tantopere commendanda, ſeruanda eſt. Quod ſi obſeruauiſſent viri quidam eruditi, qui acrius, quam par erat, iudicium ſuum de dogmatum Cabbaliſticorum interpretatione interpoſuerunt, abſtinuiſſent a quibusdam, quae parum placitura ſunt poſteritati, ſine inuidia et aemulatione iudicanti. II. Non refugiendi ſunt Cabbaliſtae recentiores, ſed pro interpretibus, cautione modo dicta obſeruata adhibendi, ducesque eligendi, qui in obſcuro itinere viam praeparent. Parum quidem illis placent, qui in eorum ſcriptis nihil reperiunt, quod cum Cabbala, quam animo praeconcipiunt ſuo, puriore conſpiret, hinc eos corrupiſſe veterum myſteria ſenſusque heterodoxos et gentiles illis affinxiſſe clamant. At viros optimos eruditiſſimosque rogamus, vnde ſciant, Cabbaliſtas recentiores veterem doctrinam corrupiſſe? et non tantum nouis commentis auxiſſe, quod equidem facile largimur, ſed ipſum

quoque ſyſtema adulteraſſe? et e. g. pro ſacri foederis typo, quem in veteri Cabbala quaerunt, ſyſtema emanatiuum introduxiſſe? Veteres enim libros Cabbaliſticos ſine duce non intelligi poſſe, ea, qua ſunt modeſtia, ipſi fatentur, aut itaque prorſus de dogmatibus philoſophiae Cabbaliſticae tacendum, aut hi, qui haberi poſſunt, interpretes eo vsque audiendi, quo vſque malae fidei accuſari non poſſunt. Hoc vero vt fieri queat, veram Cabbaliſticae doctrinae faciem noſſe nos aliunde oportet, ad cuius comparationem de corruptione Cabbaliſtarum recentiorum iudicandum eſt. Cum autem illam latere viri docti fateantur, ſole meridiano clarius patet, paralogiſmum hic admitti, et aut incertum per aeque incertum probari, aut committi circulum vitioſum, quae hypotheſin pro demonſtratione obtrudit. Legibus itaque hiſtoriae et interpretationis quoque conueniens eſt, eos tamdiu audire teſtes et interpretes, quamdiu veriſimile eſt, et potuiſſe et voluiſſe eos veritatem profiteri, et quamdiu conſtat, dediſſe illos interpretationes tales, quae quoad ſummam rei et potiora dogmata cum originibus, natura, indole, connexione, paralleliſmo et ſimilibus Cabbalae philoſophicae conſpirant, ſenſumque ſcriptis Cabbaliſticis talem tribuunt, qui ad illa recte intelligenda omnia ſufficit. Attamen et hic cautela adhibenda eſt, ne pro certiſſima et indubitata veterum Cabbaliſtarum mente hanc interpretationem venditemus, ſed pro tali habeamus, quae veriſimili ratione illis tribui poſſit, licet poſſibile ſit, vt in his illisue dogmatibus aliam opinionem, quam quae illis a recentioribus tribuitur, habuerint. III. Magnopere vero iuuare hanc diſquiſitionem poſſunt, et ad iuſtum Cabbalae pretium ſtatuendum plurimum conferunt detectae ſupra origines philoſophiae Cabbaliſticae. Eam enim in Aegypto enatam parentes habuiſſe philoſophiam Aegyptiacam ſiue Alexandrinam ad philoſophiae Orientalis placita in theologicis dogmatibus reformatam [1], et ab hac et ſyſtema emanatiuum et varios emanationum ordines, et mundi varia ſchemata et quae ſunt alia accepiſſe, ſupra veriſimillima ratione euicimus. Rationi vero conueniens eſt, ita obſcura φιλοσοφέμενα explicare, prout natales et origines eorum poſtulant, indolesque ſyſtematis eius iubet, quod illis dedit naſcendi initia. Recte itaque emanatiuam philoſophiam Cabbaliſtis tribui, et ſecundum eius leges hos explicandos eſſe, quilibet videt, qui ratione vtitur. Prodiderunt id ipſi viri docti, qui harmoniam philoſophiae Pythagoricae, vel potius Alexandrinae, id eſt, Platonicae reformatae, cum Cabbaliſtica faſſi ſunt, at putauerunt, illam ex hac ortam eſſe. In quo poſteriori licet eos falli norint, qui hoc praeiudicium a nobis ſuo loco inuictis rationibus iugulatum eſſe recordantur, prius tamen ſatis prodit, qua ratione, ſecundum has origines de Cabbala iudicandum ſit, quamuis non niſi cum certo moderamine ſenſuque reſtricto philoſophia

[1] Eam tamen ab Ammonii ſchola propius ad Platonis mentem iterum emendatam fuiſſe et ſupra monuimus, et emanationum ordines apud Cabbaliſtas decem, apud Ammonii ſectatores tres tantum docent.

phia Pythagorea mater Cabbaliſticae dici queat. Hanc vero originem aperte produnt recentiorum Cabbaliſtarum explicationes, ex quo recte concluditur, eos quoad potiora dogmata, quae ſupra retulimus, recte veterum mentem expoſuiſſe, praecipue cum totum ſyſtema, ex legibus emanationis accurate ſatis cohaereat. IV. His iam demonſtratis, exigua attentione opus vt intelligamus fruſtra laborare omnes, quotquot in Cabbaliſtica philoſophia purius quid, et cum ſacris myſteriis in oraculis diuinis manifeſtatis conueniens inueniri aſſerunt. Quamuis enim haud inuiti concedamus, verba quaedam et loquendi formulas in ea deprehendi, quae typum illum oeconomiae gratiae referunt, qui in veteri teſtamento patribus reuelatus fuiſſe recte ſtatuitur, nihil tamen hoc euincit aliud, quam nefandos philoſophaſtros, faſtidientes diuinae reuelationis myſteria, et aptius, quod credebant, atque elegantius ad gentilis mataeologiae normam philoſophari cupientes, ingenii fanatici ſomnia ſapientiae domeſticae ſuppoſuiſſe, et vt fraus lateret ſuos, gentiles autem crederent, tantos ſapientiae theſauros ad eos ex gente ſua peruenisſe, formulas ſacras inter ſuos receptas impio ſyſtemati adaptaſſe. Id quod inductione facta facile demonſtrari poſſet, niſi ex praecedentibus ſatis iam poſſet intelligi colligique. Cum enim e. g. de Trinitate in diuinis quaedam audiuiſſent, ex eo trinitatem quandam Cabbaliſticam exſculpſerunt: cum filium Dei eſſe creatorem rerum omnium didiciſſent, Adam Kadmon inde efformatus eſt: cum hunc mediatorem inter Deum et homines conſtitutum nouiſſent, primo principiato ſuo hoc officium mediatorium, in emanationibus diuinis diſtribuendis datum eſt: cum regnum diuinum in oeconomia gratiae manifeſtatum eſſe ex ore patrum percepiſſent, regnum inde Cabbaliſticum, in quo Dei eſſentia ſe viſibilem et palpabilem exhibet, exſtruxerunt: cum animam ad Dei imaginem conditam legiſſent, nouam inde animam ex eſſentia DEI ſculptam et fabricatam, tanquam emanationem quandam, homini tribuerunt: cum ex nihilo condidiſſe Deum omnia a patribus traditum accepiſſent, paradoxa inde creatio Cabbaliſtica formata et emanationi vox alienae ſignificationis tributa eſt: cum angelos quosdam defeciſſe legerent, inde angelis corticibus natura mala adſcripta eſt, ex emanationis remotiori a fonte ſuo diſiunctione orta: cum lapſum protoplaſtum eſſe, vniuerſalis traditio affirmaret, auulſionem hominis ab emanationum ſerie, et implicationem corticum ad eum lapſum ſignificandum excogitauerunt. Verbo, cum lucem eſſe Deum in ſcripturis inuenirent, phraſi allegorica ad impuras notiones ſuas de lumine infinito ſe vsque ad materialitatem ex eſſentia ſua producendam extendente abuſi ſunt. Haec et alia tantum abeſt, vt nobis, puriora dogmata in Cabbaliſtica philoſophia latere, perſuadeant, vt potius nefanda conſilia eorum, qui domeſtica ſapientia ita abuſi ſunt ad palliandos errores gentiles, faciant manifeſtiſſima. Qui itaque hic aurum ex ſcoriis ſeligere ſatagunt, laudando quidem conatu pietatem produnt, prudentiam

vero non item; dum incautiores externis verbis decepti rerum quandam atque dogmatum concordiam perperam cogitant, et eadem ratione hallucinantur, quo illi labuntur, qui harmoniam nobis Platonicam vel Stoicam cum Chriſto cudunt externo verborum ſplendore decepti. Neque vero huius rei culpa in ſolos recentiores Cabbaliſtas referenda eſt, ſed veteres quoque in eodem luto haeſerunt. Quod qui negant, eos rogamus, vt doctrinam Soharicam de tribus ſupremis principiis ex Deitate profluentibus, ſiue tribus ſephiris ſuperioribus cogitent, expendantque ſimilitudinem, quam Iochaideae diſciplinae alumnus quidam in tr. *Raia Mehimna* [m] attulit; eamque cum ſacroſancto dogmate de Trinitate Chriſtianorum comparent: ex ea enim luce meridiana clarius intelligent, ea tria principia nec cum infinito Deo coëxiſtere, ſed ratione originis eo eſſe inferiora, nec aequali inter ſe gradu conſtare, ſed inaequalitatis rationem tenere; et ad inferiora ita emanare, vt in omnibus mundorum ordinibus, etiam in materiali eorum eſſentia deprehendatur. Quod qui pro Chriſtiano et orthodoxo habet, is nae, quid Chriſtiana religio doceat, neſcit; qui corruptum ac deprauatum a recentioribus Cabbaliſtis eſſe clamat, ſyſtema Cabbaliſticum ſe non intelligere, prodit. V. Poſito vero ſyſtemate Cabbaliſtico tali, quale non ſine veriſimilibus rationibus Iudaeis tribuimus, haud difficile eſt, de eo pronunciare, quid ſtatuendum ſit. Nempe et matris et ſororis, (philoſophiam Orientalem et Alexandrinam intelligimus) faciem accurate refert, et cum ex iisdem fontibus hauſta ſit, idem quoque de ea iudicandum eſt. Nempe eſſe philoſophiam quandam fanaticam, ex iudicii accuratioris defectu et imaginationis extra orbitam vagantis imperio ortam, et enthuſiaſmum quendam nefandum habuiſſe pro ſcopo. Prius enim ex inepta hypotheſi, Deum tanquam lucem quandam extenſam non modo ſe explicuiſſe, ſed in tot quoque emanationum partes ſe diſſecuiſſe, vt materialis tandem eius eſſentia fieret, vel potius, ſi hos philoſophos audias, cuncta, ne materia quidem in ſe excepta, diuina natura ſpirituali conſtare liquet, et genealogiae ineptiſſimae ſephirarum mundorumque fundamento alio nullo niſi imaginariis quibusdam notionibus nixae probant: poſterius tota conſtitutio philoſophiae huius demonſtrat, quae ſuppoſito principio: cuncta ex Deo fluxiſſe, effeque radios explicantis ſe Dei, cuncta quoque iterum in eſſentiam DEI reuocat, reducitque; id quod enthuſiaſmi omnis cardo eſt. Ita enim Cabbaliſtae docent: omnes res, ne quidem materia excepta ex Deo effluxiſſe, eſſe animam particulam ex eſſentia Dei excerptam, exciſamque; Deum radios eſſentialitatis ſuae vsque ad materialitatem extendere, eamque illius facere participem; cuncta itaque, et praecipue animam per varias gradationes, ordinesque atque reuolutiones ad hunc fontem fontium infinitum eſſe reducenda, et in eo felicitatem hominis ſummam conſiſtere. Haec cum ſyſtemate Orientali et Alexandrino diligenter conferenda

[m] Cabb. denud. T. I. P. IV. p. 189.

Digitized by Google

renda ſunt, ſcopusque eorum conſiderandus eſt, quo facto, niſi toti fallimur, luce meridiana clarius conſtabit, enthuſiaſmum proram puppimque eſſe, vt Orientalis et Alexandrinae, ita Cabbaliſticae quoque philoſophiae. Nec aliud ſyſtema emanatiuum patitur, quod, vt omnia ex Dei natura atque eſſentia deriuat, ita cuncta quoque in eam reducit, maxime vero homini eum philoſophiae finem commendat, vt in hunc fontem ſuum regredi et abſorberi tandem ab eo, ex quo effluxit, queat: quae vera anima enthuſiaſmi philoſophici et theologici eſt. VI. Ex his vero quaeſtio etiam de Atheiſmo philoſophiae Cabbaliſticae decidenda eſt, quae tantopere viros doctos in partes ire coëgit. In qua vt λογομαχίαν euitemus, quae ſaepius ancipitem et incertam in hoc argumento concertationem fecit, praemonendum eſt, de atheiſmo philoſophico diſputaturos, aut de directo aut de indirecto loqui. Directus atheiſmus eorum eſt, qui aut Deum eſſe diſerte negant, aut aliud praeter ens ſummum Deum conſtituunt, aut ſine Deo rerum omnium origines definiunt explicantque, Deum dicis gratia tantum afferentes: indirectus atheiſmus autem eorum eſt, qui quidem et Deum ſummam eſſe cauſſam, et accepiſſe ab eo originem omnia referunt, eam vero Dei naturam, illumque rerum omnium ortum ponunt, quibus neceſſario eſſentia Dei euertitur, eaque Deo natura, ea attributa adſcribuntur, quae ipſam Dei notionem tollunt. Et prius quidem apertam impietatem prae ſe ferre, dubio caret. De poſteriori vero diuerſa ratione pronunciandum eſſe putamus. Quidam enim ita de Deo inſtituunt praecipiuntque, vt licet cuncta ex eo deriuent, per eum tamen non aliam naturam, quam hoc vniuerſum varia ratione modificatum intelligant, quae impietatis ſpecies praecipue Spinozae ſolet tribui, rectene an ſecus? hic loci non diſputamus, id vero facile conceſſuros eſſe omnes cordatos ſperamus, tales philoſophos impietatis valde eſſe ſuſpectos. Quidam cautius inſtituentes Dei naturam, quantum pote ab omni imperfectione liberant, et diſtinctionem quoque inter eum et effectus ſuos extrinſecos ponunt; at ita tamen de rerum omnium origine differunt, vt naturam diuinam in partes diſcerpant, et dum omnia ad hunc fontem reuocant, deiſmum quendam introducant, qui implicite naturam Dei euertit, quamuis nec hanc impietatem intendant, nec forte hanc conſequentiarum ſeriem agnoſcant fateanturque. His, vt debent, praeſuppoſitis, ne praecipitanter agamus in ardua quaeſtione, doctrina Cabbaliſtarum tota probe conſideranda eſt. Quod vbi agimus, diſpaleſcit primo, vt Iudaeos omnes, ita etiam Cabbaliſtas ab omni non atheiſmo modo, ſed pantheiſmo quoque vehementer abhorrere, omnemque in eo locare operam, vt Deum ab omnibus, quae ex eo dependent, diſtinguant, et vnitatem Dei in tuto collocent. Non prouocabimus ad exotericam Iudaeorum doctrinam et articulos gentis huius fundamentales, ſed ipſos Cabbaliſtas teſtes volumus, qui ſollicite cauent, ne Enſoph cum reliquis emanatiuis confundatur. Id vel ex vno

τῶ Adam Kadmon ſchemate intelligi poteſt, in quo vaſa illa luce vacua ideo excogitarunt, vt hac quaſi ſepe infinita lux deitatis ab omnibus emanatiuis finitis diſtingueretur: hinc res quidem omnes a ſuprema vnitate dependere, et cum ea connecti aſſerunt, ſed diſtinctas ſimul a Deo eſſe fatentur. Prolixe id demonſtrare conatus eſt IRIRA [n], euincens: *quod cauſſata, quae emanant a cauſſa prima, non aſcendant ad copiam infinitam, quodque neceſſe ſit, eſſe vnum, quod ſit ſummum et perfectiſſimum inter omnia contingentia: quod infinitus ſit attributum ſolius cauſſae primae: quod cauſſa prima non agat ex abſoluta neceſſitate et natura, ſed ex conſilio intellectus ſui et arbitrio voluntatis et electionis ſuae: quod magna ſit differentia inter bonum perfectiſſimum infinitum ſiue emanatorem, et inter emanationes, luminaque enſophica et mondica, et differant ea, vt formans et formatum, perficiens et perfectum, cauſſans et cauſſatum: quod cauſſa prima omnibus cauſſatis ſuis manifeſtauerit eſſentiam et naturam ſuam, ſed non ipſam, quatenus talem, ſed ita, vt ſe ipſam reſtrinxerit, et quaſi multiplicauerit, atque illa produxerit finita et multiplicata. Quod Deus ſeſe applicuerit ad cauſſata ſua futura, non ſecundum eſſentiam ſuam, quae incomprehenſibilis eſt, ſed ſecundum illum conceptum determinatum et definitum, quem de immenſitate et amplitudine eius iſta poſſint ſupportare, quique ſecundum exiguitatem intellectus noſtri ab ipſo admodum diuerſus et diſtinctus eſt, licet ſemper maneat radix quaſi aliqua cauſſatorum finitorum, multiplicium, mobiliumque remanens in ſimplicitate infiniti, cauſſaque eorum immobilis, quamuis coniungatur cum natura multiplici et mutabili.* Talia paſſim et Irira inculcat, et ceteri quoque monent, quae luculentum argumentum ſunt, procul abfuiſſe mentem Cabbaliſtarum ab eo atheiſmi genere, quod omnia eſſe vnam numero ſubſtantiam facit. Quamuis enim cuncta ex Deo emanaſſe ſtatuant, tantam tamen differentiam inter fontem et emanatiuum ponunt, quanta eſt inter infinitum et finitum, emanationes quoque non vt actus Dei immanentes, ſed vt prodeuntes et tranſeuntes conſiderant. Et hac quidem atheiſmi notione ab eius culpa omnino liberandi ſunt. Aſt cum quaeritur, annon indirecte eiusmodi dogmata affirmauerint, quae viam ad atheiſmum ſternant, eiusque indolis ſint, vt naturam Dei euertant, fatemur Cabbaliſtas, ſi non manifeſtae impietatis, certe imprudentis impiaeque negligentiae accuſandos eſſe, quod ea admiſerint, quae multis modis in Deum peccant. Non fieri in eo Cabbaliſtis iniuriam, intelligent, qui conſideraverint: poſuiſſe eos *ſecundo* pro indubitato principio axioma illud ſenſu abſoluto ſineque vlla reſtrictione aſſertum: ex nihilo nihil fit, et hinc, *tertio* Deum pro ſubiecto, ex quo omnia, tanquam ex fonte, profluxerint, habuiſſe, omnemque entitatis rationem non radicaliter tantum, efficienter et dependenter, ſed et eſſentialiter (ſi ita loqui licet) ad eum retuliſſe, adeoque *quar-*
to ita

n) Diſſ. II. c. 4. ſeqq. p. 48. ſeqq. V. c. 3. p. 93. c. 9. p. 101. c. 10. p. 104.

Digitized by Google

to ita rerum omnium ſubſtantias, cum vnitate Dei connectere, vt tantum ratione finitatis, dependentiae, et modificationis, non vero ratione eſſentiae ab eo differant; naturam Dei, *quinto*, in extenſa quadam notione poſuiſſe, et ex eius modificatione, retractione, et ſeparatione partium finitarum a toto infinito, rerum omnium eſſentias et origines deriuauiſſe, hincque, *ſexto*, ipſam materiam ex condenſatis et compreſſis diuinae lucis radiis deriuauiſſe, quamuis voce materiae luſerint, et notionem mentis priuatiuam ad palliandum errorem nobis obtruſerint; et ita cum omnibus aliis emanatiui ſyſtematis generibus, recte accuſari poſſe, quod extenſionem in Deo poſuerint: ob eam quoque rationem *ſeptimo*, mundum Deum expanſum et manifeſtatum, etiam in creaturis atque ſubſtantiis materialibus dixiſſe; diſtinctionem vero, *octauo*, inter cauſſam et cauſſatum non in differentia eſſentiali ſed metaphyſica, et in ſolis conceptibus intellectus verſanti poſuiſſe, et ſic reuera Deum a creaturis eſſentiali quadam ratione non ſatis diſtinxiſſe, hincque, *nono*, inepte quoque, licet ſyſtemati ſuo conuenienter, rerum omnium refluxum in eſſentiam DEI, per modum compreſſionis et retractionis emanationum aſſeruiſſe. Eſſe haec omnia Cabbaliſtarum dogmata genuina, in antecedentibus inuictis rationibus demonſtrauimus: at impietati ſtratam haec aperire viam, quis eſt, qui negare audeat? Nam cum emanatio πρῶτον ψεῦδος ſit, quod Cabbaliſtas ad hos errores omnes ſeduxit, eo quod deſerta ſimplicitate religionis patriae negarent ex nihilo, etiam per operationem cauſſae infinitae, nihil fieri poſſe, manifeſtum eſt, eos de Dei eſſentia notionem ſibi formaſſe extenſam, ſine qua totum ſyſtema Cabbaliſticum nec conſiſtere, nec intelligi poteſt, quomodo communicata eſſentia ſua, Deus ita ſe limitauerit, vel vt Cabbaliſtice loquamur, radios ſuos retraxerit, vt tandem materiae quoque eſſentialitas ex ea oriri, et per hanc retractionem et limitationem ei materialitas induci potuerit? Quam abſurditatem recte notauit acutiſſimus MORVS *), monendo: *Cum Or Haïnſoph naturae ſit neceſſariae ac immutabilis, qui fieri poſſit, vt retrahat ſe ipſum a puncto vllo, quo adeo vaſtam relinquat concauitatem, in qua mundis creandis ſit locus? Quaſi natura Dei craſſa eſſet, ac corporea, nec mundi, vbi ipſe ſit, eſſe poſſint: praeterea diſcerptibilitatem, ſiue ſeparationem vnius partis ab altera, corporis proprietatem eſſe, non ſpiritus. Cumque Deus vbique ſit ſibi ſimilis, ſi poſſit disiungere eſſentiam ſuam a tali puncto, poſſe profecto a quouis puncto, atque ſic fiſſuram facere per totam ſuam eſſentiam, atque ſic dimidere ſe ipſum in duas partes: quod etiam demonſtrationi eſſet, contra infinitatem eius. Poſtremo vacuum illud, quod imaginentur, poſtquam Deus ſe a puncto quodam retraxerit, non eſſe meram nouentitatem, ſed ſubſtantiam incorpoream et neceſſario exiſtentem, et tamen diſtinctam a Deo, quod ſit impoſſibile.* Nec diſtinctio inter Deum et creaturam, inter emanans et emanatum ſufficit, vt haec ſubſtantia ſua et natura differre oſtendant, cum in modo tantum, nempe in limitatione eius ea tota quaeratur, omnia vero vnam tantum conſtituant ſubſtantiam, licet alio, quam Spinoza, magis philoſophice ineptiens, aſſeruit modo, nempe non affectione quadam, ſed emanatione, vt radii ſolis, quamuis ex ſole emanent, et in notione atque idea intellectus noſtri a ſole diſtingui queant clariſſime, tamen cum ſole vnam eandemque ſubſtantiam conſtituunt. Non ignoramus, nec negamus quoque, veniam hic poſcere philoſophos Cabbaliſtas, eo quod nec conſequentiarum harum abſurditates viderint, nec accurate philoſophari in ea re potuerint, cum metaphyſicis meditationibus non ſatis aſſueti, et imaginationis ſimulacris, more

*) Cabb. denud. T. I. P. II. p. 65.

more Orientalium feducti, corporeos quosdam sibi, de rerum originationibus conceptus formauerint: nec inuiti concedimus viris doctis, eis ideo exoso atheorum nomine parcendum esse. Interim tamen cum de dignitate, praestantia et pretio philosophiae Cabbalisticae sententia dicenda sit, haec quoque non reticenda sunt, sed ficus ficus appellanda & scapha scapha. Aequitas vero hoc quoque loco postulat, vt apologiam pro Cabbalistica philosophia audiamus, pro qua ita perorauit vir prorsus in his literis egregius, et quod vehementer dolemus, nimis mature melioribus eruditionis partibus ereptus B. Io. Iacobvs Syrbivs *p*, quem primum fere nobis historiae philosophicae, maxime dogmaticae accuratioris amorem studiumque instillasse, grati recordamur. Monet is: falsum esse, quod Cabbalistae vnam tantum substantiam posuerint, cum principiatum primum substantiam quidem dixerint, at differre a substantia causiae primae agnouerint: per emanationem eos non intelligere diuisionem essentiae participatae, sed, vt loquitur Irira *q*, costitutionem de non esse in esse, adeoque notionem istam alio longe sensu, quam alias fieri solet, accipiendam esse, cum alias emanans coëxistere illi, ex quo emanat, dicatur. Nec omnes res emanasse, sed aliquas tantum, reliquas fabrefactas et formatas tantum dici, vt ex definitionibus mundorum appareat. Hinc etiam de Deo ita eos philosophari, vt eum finem suum obtinere, ideoque existere posse sine rebus creatis, has autem mero nudoque arbitrio suo produxisse fateantur. Reseruare quoque Deo illos independentiam, infinitatem et simplicitatem, perfectionem, vim agendi infinitam, immutabilitatem, creaturas vero finitas multiplices & compositas, potentiales, mutabiles esse contendere. Retractionem autem allegorice et aenigmatice intelligendam esse. Dici haec erudite et acute, facile aequus lector fatebitur, an vero vir doctissimus ita causam Cabbalistarum perorauerit, vt ab omni suspicione erroris liberandi sint, merito dubitamus. Nam principiatum primum substantia sua a causa prima differre facilius dicitur quam probatur, et totum systema τῶ Adam Kadmon euertit, qui eadem ratione cum causa prima connectitur, vt cum causatis suis inferioribus, quae ex natura diuina, eo mediante, participant. Emanationis autem notionem veram secutos fuisse Cabbalistas, Irirae verba non negant, sed adstruunt. Quemadmodum enim in emanatione emanatiuum ab emanationis fonte progressum in eum statum prodit, in quo prius non fuit, id est, in eum qui fuit non-ens, ita necessario prius in τὸ esse fontis sui latuit, alias ex nihilo extitisset, quod primo Cabbalistarum principio est aduersum; sicque substantiam fontis sui retinet. Id quod non negat Irira *r*, sed operose adstruit. Quod vero inter mundum emanatiuum et creatiuum discrimen posuerint et vtrumque inter se distinxerint, certum quidem est, at non euincit, mundum Briahticum ex non-ente creatum esse: id enim non admittit primum Cabbalistici systematis principium. Supra quoque luculenter ostendimus, hanc creationem ex non praeexistente materia non de substantia, sed de modificationibus emanationis, et lucis diuinae in progressu mundorum attenuatae magis et limitatae intelligendum esse, quae priuatio omnino ex non-ente extitit, at nihil minus, quam creationem substantiae ex nihilo inuoluit. Nullus enim mundus est, ne materiali quidem excepto, qui non ex Deo emanauerit, eius radiis a supremis ad infima descendentibus, vt supra demonstratum. Quamuis itaque mundi variis modis pro gradatione emanationum a Deo differant, essentiale tamen in mundo non ex Deo tantum est, sed ipse Deus, in mundis explicatus. Id quod luculenter indicauit Irira *s*, qui ita philosophatur: *Deus cum omnibus causſatis sit eminentior, ita retraxit ſeſe* in

p) Diss. cit. p. 22. seqq.
q) Diss. V. c. 9. §. 2.
r) l. c. c. 12. p. 108. c. 3. p. 94.
s) loc. citat.

Digitized by Google

in ſe, vt cum nullo eorum conueniat, et per hanc retractionem (id eſt limitationem infinitatis ſuae) *ab omnibus videtur ſeparatus: ſed quia etiam applicatur ad omnia tanquam cauſſa, quoad eſſentiam, potentiam et operationem eorum, ſimul tamen etiam eſt omnia in omnibus, vt, quia ipſe lux eſt, quae illa implet, ipſis plane ſit intimus.* Eadem alibi quoque repetit, et imprimis hoc vrget, quod rem totam extra diſputationem ponit: *Enſoph tam intra ſe, quam qui foras in emanationem ſe exſerit, eſſe vnum, et ſubſtantiam vnam, cum hac tamen diſtinctione, quod Sephirae in Enſoph ſint per modum vnius et ſingularis, cauſſantis et eminentis, atque independentis et infiniti, in Aziluth modo quodam, formali, plurali et determinato.* Haec non Irirae tantum metaphyſica eſt, ſed veterum quoque Cabbaliſtarum, qui, quamdiu ſyſtemati emanatiuo adhaerere creduntur, tamdiu ab his erroribus liberari non poſſunt. Quae vero adiicit vir eruditus, haec ſomnia Loriiae, Irirae et recentiorum veteribus Cabbaliſtis tribui non poſſe, reuera nihil dicunt: non enim alios habemus Cabbaliſtas, quam qui huic ſyſtemati adhaerent. Quod ſi ergo Cabbaliſtae athei dicendi non ſunt, quod voce ſtricte ſumta facile largimur, agnoſcendus tamen Deiſmus eorum ab iſta impietate prope remotus, eo quod totam Dei definitionem euertit. Ex dictis vero quaeſtio quoque illa lucem accipit, vtrum Spinoza Cabbaliſtarum placitis inſiſtens, eorum in caſtra transierit, nec ne? Nos totam quaeſtionem curioſam magis, quam neceſſariam eſſe putamus, parumque noſtra intereſſe, vnde errores ſuos Spinoza habuerit? Quod ſi tamen aliquid de ea dicendum, non eius roboris nobis videntur eſſe Cl. Wachteri rationes, licet copioſe adductae, vt eadem inceſſiſſe via Spinozam, qua Cabbaliſtae, exiſtimemus. Cauſſam praecipuam eam eſſe putamus, quod Spinozae ſyſtema emanatiuum non placuerit, ſed is immanente Dei modificatione mundum extitiſſe ſtatuerit. Quod ſatis manifeſte prodidit, mundum diuinae naturae neceſſarium effectum eſſe afferens, cuius contrarium Iriram pronunciantem ſupra audiuimus. Quando autem vir doctus contendit, principiatum primum Spinozam deſignaſſe per abſolutam naturam, per quam Deum omnia produxiſſe dicit, in eo, niſi prorſus coecutimus, fallitur. Ait enim de hac natura Spinoza [1]: *Omnia quae ex abſoluta natura alicuius attributi Dei ſequuntur, ſemper et infinita exiſtere debuerunt, ſiue, per idem attributum aeterna et infinita ſunt.* Hoc vero totum ſyſtema Cabbaliſticum euertit, cuius cardo in eo vertitur, quod Deus radios ſuae lucis infinitae retraxerit, vt poſſint exiſtere mundi, id eſt, quod infinitati ſuae limites induxerit, ſicque ſubſtantiam ex ſe emanantem fecerit finitam, vnde omnia praeter Enſoph finita ſunt, licet propter propinquitatem emanationis Adam Kadmon eiusque ſephirae in Aziluth conſideratae, nomen Enſoph gerant, non quod ipſae infinitae ſint, ſed quod proximum gradum ab infinito tueantur. Sed vno eoque luculento argumento differentia inter ſyſtema Cabbaliſticum et Spinoziſticum oſtendi poteſt, licet eo ipſo loco Spinoza ad antiquorum Hebraeorum conſenſum prouocet [2]: nempe *Deum rerum omnium cauſſam immanentem, non vero transeuntem* ſe agnoſcere fatetur Spinoza. At Deum eſſe cauſſam rerum non immanentem, ſed emanantem, ſicque Deum manifeſtatum explicatumque a Deo occulto diſtinguendum eſſe Cabbaliſtae vbique ingeminant, ſicque ipſi immane inter ſuum et Spinoziſticum ſyſtema diſcrimen ſtatuunt.

§. XV. Ex his vero, quae de praeſtantia pretioque Cabbalae philoſophicae ſu- *Vſus Cabbalae.*
pra diſſeruimus, iam de vſu quoque eius iudicare quis facile poterit. Eum enim exiguum eſſe in confirmanda veritate religionis Chriſtianae, ex dictis manifeſtum eſſe putamus. Quamuis enim κατ' ἄνθρωπον contra Judaeos eo nomine adhiberi queat, vt oſtendatur, nec trinitatem, nec filium DEI creatorem et mediatorem, nec alia

1) Prop. XXI. Eth.

2) Ep. XXI. ad Oldenburg.

Digitized by Google

dogmata, quae Chriſtiana religio habet, adeo Cabbaliſtis diſplicuiſſe, vt non hanc arcanam philoſophiam ſuam ad horum dogmatum typum diſtribuerent et attemperarent, adeoque iure nos credere, ea dogmata, quæ gens Iudaica tam foede corrupit, ex quo in ſcholis gentilium philoſophari coepit, olim inter Iſraëlis poſteros nota atque tradita fuiſſe: cauendum tamen magnopere eſt, ne Cabbalam aliquam puram exſculpamus, quam, vbi Iudaei negauerint, nullibi inuenire poſſimus, niſi in mente illorum, qui ea, quae demonſtranda ſibi ſumſerunt, pro rationibus demonſtrationis vitioſo concludendi modo afferunt. Meliorem vero vſum habet philoſophia Cabbaliſtica in hiſtoria philoſophica, in qua meliorem et iucundiorem partem hiſtoriae philoſophiae Iudaicae conſtituit, & non contemnendum fructum promittit. Eleganti enim exemplo humani ingenii deliria, relicto ſemel rationis et reuelationis ductu, ob oculos ponit, et enthuſiaſmum philoſophicum, quae deteſtanda animorum peſtis eſſe ſolet, viuis depingit coloribus. Maxime vero nobilis pars eſt hiſtoriae philoſophiae Orientalis et Alexandrinae, quae cum circa Saluatoris in carne apparentis tempora magnam Orientis et Aegypti partem fuiſſet peruagata, etiam in eccleſiam Iudaicam et Chriſtianam irrepſit. Vnde prodeuntes ex hac ſchola tum Iudaei, tum Chriſtiani quidam, receptis dogmatibus his tribus philoſophiae generibus communibus, nouas haereſes condiderunt. Cuius luculentum exemplum Gnoſtica deliria, maxime vero Valentiniana ſomnia eſſe poſſunt, de quibus noſtro tempore inter G. HOOPERVM [v], RENATVM MASSVETVM [x] et I. FR. BVDDEVM [y] diſputatum eſt, illis earum origines ad Platonicam, hoc ad Cabbaliſticam philoſophiam referentibus. Qui ſi paulo attentius ad origines harum haereſium reſpexiſſent, vidiſſent, quod tandem B. BVDDEVS [z] candide faſſus eſt, philoſophiam Orientalem a Platonicis Alexandrinis intra limina ſua receptam, nouumque, quod ex hac cuſum eſt, theologiae genus verum fontem horum omnium fuiſſe, nec mirum eſſe, ſi ſyſtema Orientale, Alexandrinum, Cabbaliſticum, et Valentinianum in multis conueniat, cum in eo conſpirauerint hae ſectae omnes: eſſe non tantum in Deitatis ſinu certum emanationum numerum, ſed ex hoc quoque pleromate progreſſos eſſe alios emanationis ordines ad condendum mundum. Hoc aeones Orientalium et Valentinianorum volunt, hoc ſephirae Cabbaliſtarum, hoc trina principia Alexandrinorum in diuinis et reliqua Deorum daemonumque caterua innuunt. Quae vero Maſſuetus obiicit, qui recentiorem Cabbalam eſſe putat, quam vt referri ad illa tempora queat, quo mundum erroribus repleuit Gnoſtica mataeologia, ea ex ſupra dictis facile refelli poſſunt, vbi ad obiectiones Morini, quas ſuas fecit doctus ille coenobita, accurate reſpondimus, et veros natales Cabbalae philoſophicae detexi-mus. Verum de his in hiſtoria philoſophiae Chriſtianorum veterum dicendi locus erit commodior. Quae itaque hiſtoriae philoſophicae vtilitas in genere eſt, ea etiam hiſtoriae philoſophiae Cabbaliſticae adſcribenda, praecipue vbi accurate tradita fuerit, cum ob ingentem, quam fouet, obſcuritatem et difficultatem, pauci ſint, qui lucem his tenebris foenerare laborant, ſicque praeiudicia diſpellere ſatis perniciosos errores gignentia conantur. Quod cum pro virium modulo nos praeſtitiſſe ſperemus, tractationi de philoſophia Iudaica, et ſimul Tomo ſecundo philoſophicae hiſtoriae iam imponimus

FINEM.

v) In coniecturis de Valentinianorum haereſi ex Aegyptiaca theologia Lond. 1711.

x) Diſſ. I. in Irenaeum §. 21. p. 20.

y) Pec. diſſ. de Valentin. haereſi ad calc. intr. in hiſt. phil. Hebraeorum.

z) Conf. noua editio p. 619. et Iſagoge p. 138.

I. INDEX

Digitized by Google

I. INDEX
PERSONARVM ET NOMINVM.

A.

Aben Esra 851, 855, 856
Abhina 829
Ablabius 262, 263
Abraham Patriarcha 711
Bara Chasdi 852
de Balmis 853
Chiia 853
Ben Dior 850
Ben Elimelech 851
Galante 851
Ben Iom Tof 853
Ben Isaac 851
Leui 851
Abtalion 792
Abu Alpharaus 739
Achaicus 464
Acro 632
Ada Bar Ahafa 819
Adraftus 464, 479
iun. 479
Aedesius 232, 262, 370 seq. 464
Aedesia 232, 316, 326
Aelianus 129
Aeneas Gazaeus 306, 355
Aenesidemus 629
Aeschines 304
Aeschrio Empiricus 184
Aeschylus Cnidius 37
Agapius 338
Agatarchides 464
Agathobulus 512
Aharon, Rabbi 847
Akibha 711, 815, 834
Alabarcha Alexandr. 797
Alaricus 314
Albinus 184
Albutius 65
Alcibiades 23
Alcinous 163, 165
alii 165
Alexander Aegeus 62, 464, 474
Alexander Antiochenus 62
Aphrodiseus 62, 480, 685
Cornelius 579
Cotyaeus 579
Damascenus 62, 464, 478
de S. Elpidio 482
Imperat. 84
Lysimachus 797
Magnus 662, 685
Severus Imperat. 84, 150
Alexander Platonicus 582
Alexandra 719
Alexicrates 98
Alphet 850
Alypius 265
Amafanius 67
Amasis 124
Amelius 177, 223, 233
Ammianus Marcellinus 355
Ammonius Grammat. 476
episcopus 209, 210
Hermeae 207
233, 326, 349
Peripateticus 207, 476
Plutarchi praeceptor 180
Saccas 180, 205, 464
Amphiclea 224
Ananus 720
Ben Dauid 738
Ben Dosae 834
Anatolius 185, 260, 464
Anaxilaus 86
comicus 86
Andro 579
Andronicus Rhodius 19, 60, 464
Callistus 61
Annaeus Cornutus 536
Annius 214
Antigonus Sochaeus 716
Antimachus 167
Antiochus 29, 32
Ascalonita 37
AntiochusEpiphanes 704, 713
Laodicenus 632, 636
Antipater Tarsensis 52, 535
Tyrius 53
Antoli 853
Antoninus M. Aurelius 84
98, 533, 535, 578 seq.
Caracalla 149
Pius 84, 155, 586
Platonicus 232, 276
Rhodius 243
Antonius 212
Marcus 41 seq.
Rhodius 243
Apellico Teius 18
Aper 579
Apion 799
Apollodorus Athenienf. 223
Apollonides 57
Apollonius 37
Peripatet. 464
Rhodius 37
Stoicus 586
Tyaneus 84, 98 seqq.
Apuleius 163, 171
Medicus 174
Aratus 35
Archiades sen. 314, 338
iun. 339
Archias 35
Archidemus 535
Aretinus, Leonhard. 34
Areus 98, 536, 630
Didymus 98
Aristides 595
Aristo 464
Cous ibid.
Aristobulus 698
Epicuri frater 703
alius ibid.
Aristocles Messenius 464, 479
Aristodemus 82

Digitized by Google

Ariſtoteles 18
Ariſtoxenus 464
Arnoldus Godofr. 640
Arria 534, 625
Arrianus 573
Aſche 829, 850
Aſclepiades 327
Mendeſius 328
Aſclepigenia 314
Aſclepiodotus 233, 326, 341
Aſclepius Trallianus 233
Aſpaſius 178, 464, 478
Athenaeus Naucratita 473
Peripatetic. 473
Stoicus 214, 474
Athenagoras 206, 208
Athenodorus Cordylio 54, 536
Platonicus 528
Stoicus 84, 531, 536
Tarſenſis 536
alii 54 n.
Attalus 547
Atticus 65, 175
Licinius 175
Medicus 175
Platonicus 163, 175, 478
Plutarchi 175
alii 175
Attilia 52
Auguſtinus 627, 641
Auerroes 857
Auguſtus C. Octau. 83, 84
98, 466
Auina 829
Aulus Gellius 170
Aurelianus Imp. 215
Aurelius Marc. Imp. 186,
533, 578 ſeq.
Autobulus 179

B.

Bacchius 580
Baithoſus 714
Banuni 709
Bar Cochebas 836
Kaphra 827
Bardanes 108, 109
Bardas Imp. 492
Baruch Ben Schemuel 851
Baſilides 427, 580, 641
Baſſus Aufidius 602
Bayle Petr. 217
Bechai 851, 167, 855
Beckius, Matth. Frider. 855
Beruria 818
Blount Car. 99
Boethius 469
Boethus 82, 185, 464, 468 ſeq.
Sadoki diſcip. 714
alii 469
Brutus M. 28, 31
Burrhus 532, 551

C.

Caecina Paetus 534
Caecilius 167
Caiaphas 720
Caius Seuerus 176
Platonicus 184
Caligula 466
Callimachus 327
Calliſthenes 464
Caninius Celer 579
Canius Iulius 83
Caracalla 99, 149
Carneades 7
Caſſius 66
Scepticus 631
Caſtricius 223, 234
Catius 67
Cato maior 10, 14
minor 51 ſeq.
Dionyſius 599
Catullus Cinna 580
Celſus, Cornelius 627, 629
Cilix 605
Epicureus 602, 604
Platonicus 604
Ceruidius 84
Chaeremon 536, 543
Aſtronomus 544
Chalcidius 233, 355
Chanania Ben Iſaac 854
Chiia 827
Choſroes 638
Chryſanthius 232, 273, 290,
464
Chryſaorius 247, 249
ChryſoſtomusDio 128, 167, 562
Cicero M. T. 33, 167, 627
Cicero Quintus 42
Claudianus Rhetor 282, 464
Claudius 84
Seuerus 582
Clearchus 286, 464
Clemens Alexandrin. 206, 208
Cleopatra 54
Clitomachus 7, 464
Clitus 464
Clodius 34
Conſtantinus M. 84, 262,
263, 270
Conſtantius Imp. 297 ſeqq.
Cordylio 54
Cornelius Fronto 580
Celſus 627
Cornutus Ann. 464, 536, 537
Hiſtoric. 539
Cotta 33
Craſſidius 87
Craſſus 16, 62
Cratippus 45, 62
Creech Thom. 69
Creſcens 517
Criſpina 595
Critolaus 7, 464
Cronius 178
Cyrillus 352

D.

Damaſcius 233, 337, 347,
349 ſeq. 599
Damiane 327
Damis 99, 106
Epicureus 99
Darius 662
Dauid Ben Aui Simri 851
Kimchi 860
Ben Saccai 847
Ben Saul 860
Delrius Anton 545
Demetrius 57
Alexandrinus 478, 505
Chytras 505
Cynicus 84, 116, 118
127, 128, 167, 505, 547
Erythraeus 19
Phalereus 464, 666
alii 505
Democritus Platonicus 214

Demo-

Digitized by Google

Demonax 511
Dexippus 223,233,355.464,484
Dicaearchus 464
Didymus Alexandrin. 464
Dinarchus Lyncaeus 464
Dio Chryſoſt. 128, 167, 562
Caſſius 66
Pruſaeenſis 128, 536, 562
Diodorus 36, 464
Epicureus 622
Diodotus 36, 468
Diogenes Laertius 622
Phoenic. 347
Diognetus 580
Diomedes 339
Dion 122, 123
Dionyſius Magnes 37
Cato 599
Mileſius 167
Thrax 19
Diophantes 304
Domitianus Imp. 84, 127, 570
Domna Iulia 84, 92, 145
Domninus 222, 317
Doſitheus 668, 679
Druſius Ioan. 712

E.

Ecebolus 294
Elias 851
de Candia 853
de Garmiza 851
Eliezer Ben Chiſma 817
Ben Hyrcan 816
Ben Iacob 815, 827
Elkan Ben Ierucham 833
Ennius 24, 127
Epheſius 464
Epicrates 19
Epictetus 167, 523, 536
Epicurus 64
Epiphanius Alex. 351
Eraſiſtratus med. 464
Eſdras 656, 657
Eubulides 260
Euclides 214
Eudemus 186, 464, 478
Eudorus 464
Eugenius 484
Euhemerus 124, 296
Eulalius 347
Eulamius 347
Eumenes 54
Eunapius 232, 303
Rhetor 303
Eunoius 527
Euphorio 579
Euphraſius 232, 263
Euphrates 122, 123, 536, 565
Eupithius 339
Eurylochus 627
Euſebius Myndius 232, 273
279
Pamphil. 100
Euſtathius 232, 262, 273, 464
Euſtochius 223
Euthydemus 102
Eutychius Proculus 579
Euxenus 98, 102
Ezechias Ben Chiia 828

F.

Fabianus Papir. 547
Fabius Gallus 65
Fabricius Ioh. Albert. 318, 463
Franciſcus 34
Fronto, Cornel. 580
Fannia 84, 534
Fauorinus 163, 166, 478, 573
627
Fauſtina 585
Feſtus 288
Ficinus Marſilius 217, 223
Flauianus 90
Flauius Philoſtratus 99
Fronto 580
Furius 13

G.

Galenus 183, 464, 478
Galienus Imp. 225
Gallio 546
Gallus C. 15
Gamaliel Iafnenſis 814, 816
Ben Schimeon 821
Gaudentius Pagan. 4, 463
Gazaeus 233
Gedalius 249
Gellius A. 170
Gemina 224
Geminus 579
Geſner, Io. Matth. 611
Gordianus 84, 220
Gregorius 315
Nazianzenus 485

H.

Hadrianus Imp. 84, 149, 159
167, 571
Haggaeus 656
Hai 849
Haſchem II. 850
Hegias 317, 327, 338
Helena, Scort. Sim. 671
Adiaben. regina 822
Heliodorus 167
Alexandr. 214, 233, 326
Heliogabalus 84
Heluia 546
Heluidius Priſcus 84, 535
Heraclianus medic. 185
Heraclides Lembus 95, 535
Heraclius 347
Heraiſcus 327
Herennius 213, 214, 216
Senecio 84, 216
alii 216
Hermias 347
Alexandr. 232, 315
Eunuchus 464
Herminus Peripatet. 464, 478
Stoicus 214
Hermippus Berytius 216
Hermodorus 7
Hermogenes 579
Hero 322
Chriſtian. ib.
Epicur. ib.
Herodes Atticus 159, 158
579, 788
Magn. 470, 471, 788
Herodotus Philad. 575
Tarſ. 575, 630, 636
Heſtiaeus 19
Heumannus Chriſt. Ang. 217
Hierius 233, 314, 326
Hierocles Bithyniae praeſes
100, 307
Platon. 100, 232, 305, 341
Hieronymus 464
Hilarius Bythinius 290

Hillel ſen. 745, 791, 824
junior 791
Hillus 327
Hipparchus 464
Hippolochus 464
Holſtenius, Lucas 318
Homerus 167
Horatius 75
Hypatia 232, 233, 351 ſeq.
Hypatus 464
Hyrcanus 761

I.

Iacobus Medicus
Ben Aſcher 851
Corduero 851
ben Iſaac 854
Mantinus 854
ben Simſon 854
Iaddo 662
Iahiel 851
Iamblichus 97, 232, 249 260, 464
Senior 224, 260
Syrus 224, 260, 268
alii 269
Iannai 828
Iarchas 110
Ibnu Saig 857
Tophail 857
Iedaiah Happenini 852
Iehoſchua 739
ben Chanania 816, 821
Iehuda 665
Cohen 854
Hachaſid 851
Hakkadoſch 820, 831
Leo 851
Leui ben Saul 855
ben Tabbai 705, 737
ben Tibbon 855
Ieſchua Halleui 850
ben Sirach 769
Iethro 760
Innocentius pater Chryſanthii 290
Iochanan ben Elieſer 828
ben Godgoda 818
ben Saccai 793, 814, 816
Iom Toph 847
Ionadab 760
Ionathan ben Vziel 793, 834
Ionathas Maccabaeus 745
Ionſius, Io. 463
Ioſech 850
Ioſephus 708
Aben Caſpi 854
ben Alpachar 860
Gecatilia 851
ben Iakan 851
Kamitol 851
ben Megas 857
ben Meir 850
Salomo del Medico 854
ben Schem Tof 854
alius 850
Iſaac Bar Abba 851
ben Aramah 855
ben Chonaim 852
Iſraelita 852
ben Latech 854
Loriia 851
Orobio 854
ben Said 852
Sangari 855
Iſaſchar Naphthali 851
Isdegerdes 829
Iſidorus Guzaeus 233, 338 339 ſeq.
Mercator 349
Peluſiota 349
Iſmael ben Eliſa 834, 839
Iudas ſanctus 818, 820 ſeq. 831
Bar Moſe 854
Iulia Domna 84, 99, 145
Iulianus Apoſtata 232, 263 273, 282, 293 ſeq.
Medicus 185
alii 250
Iulius Caeſar 54, 466
Iunius Ruſticus ſen. 83, 535 573
Priſcus 128
iunior 580
Iuſtinianus 349
Iuſtinus Heſychius Martyr 518
Izata 822

K.

Kimchi 855

L.

Labbeus, Philippus 183
Lachares 323, 540
Laelius 13
Lamprias 179
Launoius 463
Leo Iſaurus 321, 493
Leonas 321
Lepidus 35
Leui Pontif. ſum. 683
Rekanati 851
ben Gerſom 853, 855
Leſcalopierius, Petr. 44
Libanius 282, 294, 485
Lilienblat, Guſt. Pering. 733
Lipſius, Iuſt. 545
Liuius 81
Druſus 52
Longinus 214, 242
Lucanus 79
Lucianus 604, 615 ſeq. 627
Arianus 622
Lucilius Balbus 51
Lucilla 589
Lucius Craſſitius Tarent. 90
Lucius Verus Imp. 186
Lucretius 67
Lucullus 16, 31, 52
Lycius 509
Lyco 464
Lycophron Iſaeus 260
Lyſimachus 214, 233

M.

Macrobius 233, 355
Maimonides 850, 557
Malachias 656
Malchus vid. Porphyrius.
Sophiſta 259
alii 259
Mammaea 84
Malich El Hadul 858
Manilius 78
Manlius mathematicus 78
Mar Raf Iacob ben Netruna 847
Marcella 249
Mardochai Nathan 855

Marcel-

Digitized by Google

Marcellinus 530
Marcellus Orontius 223
Marcianus 580
Marcus 86, 579
Mardochai 850
Mardonius 294
Marinus 233, 318, 327
Mauritius 492
Maximus Aegienſis 99, 288
Byzantinus 288, 464
Cynicus 288
Epheſius 178, 232, 281, 287
Epirota 289
Stoicus 580
Tyrius 163, 177, 288
alii 178
Mecaſcher 847
Mechilta ben Iſmael 827
Medius 214
Meir 665, 818, 851, 855
Alquateſch 854
ben Arama 854
Mela, L. Annaeus 546
Melita 290, 303
Memmius 66
Menachem 739, 796
Menander 501, 641
Samarit. 680
Menaſſe Pontif. 663
ben Iſraël 854, 855
Menippus Car. 37
Cynicus 116, 509
MenodotusEmpiricus 630, 636
Menon 464
Meſomedes 524
Metrodorus 18
Michael Epheſius 492
Cohen 854
Mneſarchus 16
Moderatus Gaditanus 97
alius 98
Moecenas 83
Moecianus 582
Moerageneſ 100
Molon 37
Monobazus 822
Moſes 823
Alatinus 854
Leo 840
Moſes Corduero 851
ben Ioſua 854
ben Maimon 850, 857
ben Nachman 834, 851
855
ben Samuel 852
Mosheim, Io. Laurent. 190
639, 667
Mucianus 541
Mucius Augur 36
Quint. 35, 84
Munatius 51
Muraena 473
Muſonius Babylon. 501
iunior 504
Rufus 556, 540
Tuſcus 214, 501
alii 501
N.
Nathan 831
ben Iechiel 850
Nearchus 10
Nechonia Ben Kana 712
834
Nehemias 833, 656
Nemertius 249
Nero Imp. 84, 117, 466, 533
Nerua 129
Neſtor 535
Nico 183
Nicocles 294
Nicolaus 223
Alexandrinus 473
Damaſcenus 84, 466
469 ſeq.
alii 473
Nicomachus 162, 464
Nicoſtratus 464
Nigidius Figulus 24, 86, 89
Nouatus, M. Annaeus 546
Numa 5, 6, 23
Numenius 163, 176
alii 177
Numeſianus 184
Nunneſius, Io. Petr. 463
Nymphidianus 282, 464
O.
Odenathus 215
Oenomaus 509
Olearius, Godofr. 99, not. 190
Olympiodorus 233, 307, 322
356, 464, 490
Thebanus 491
alii 491
Olympius Alexandrinus 228
Oreſtes 353
Oribaſius 292, 296
Origenes 97, 216
Adamant. 213, 214, 216
241
Orion 321
Orontius 223
Oſchaia 827, 828
Ouidius 77
P.
Paetus, Caecina 534, 535
Pamprepius 550
Pampretius 527, 530
Panaetius 13, 45
Panſa 65
Pantaenus 206, 208
Papirius Fabianus 547
Paetus 65
Pappus 351
ben Akibha 837
Paſicrates 562
Patricius 286
Patricius Franciſc. 463
Patro 35, 66
Paulinus Scythopol. 223
Paullina 549
Pelops medic. 184
Peregrinus 518
Perez 851
Perſius 78, 80, 537
Phaebio 214
Phaedrus 35
Epicureus 35, 65, 67
Phanias 464
Philippus L. 15
Philo Academ. 33, 464
Iudaeus 692, 797
Lariſſaeus 25
Philodemus 66
Philolaus 118
Philometor 276
Philopator 184
Philoponus, Io. 336

Philoſtratus 22, 145
alii 22
Phocas 492
Phocion 25
Photius 340, 351
Phraotes 109
Piſo 31, 32, 65
Plato 189, 214
iunior 464
Plinius Senior 609 ſeq.
iunior 565, 609
Plotinus eclecticus 214, 217
L. Gallus 84
alii 176
Plotius L. 34
Plutarchus 178 ſeq. 312
Neſtorii 232, 263, 312
464
Polemo Soph. 168
Pollio Valerius 540, 579
Aſinius 540
Ioſephi 797
Polybius 113
Pompeius 16
Popilius Laenates 42
Poppea 709
Porcia 57
Porphyrius 97, 215, 236 ſeqq.
Optatianus 259
Portus, Aemilius 318
Poſidonius 57
Potamo 193
Priſcianus Lydus 347, 492
Priſcus 232, 273, 285, 289
Proaereſius 301, 303
Probus 246
Proclinus 214
Proclus 223, 232, 263, 315 ſeqq.
iunior 317, 345
Pſammetichus 684
Pſellus 492
Ptolemaeus Claudius 629
Cyrenaeus 629
Philadelph. 464, 685
690, 764
Philometor 663, 690
Stoicus 629
Pyrrho 637
Pythagoras 23, 189

Q.

Quintilius Varus 72
Quintus Medicus 184

R.

Raf Ioſe 819
Chasdam 820
Hunna 820
Schalum ben Miſael 847
Raſchba 851
Rhodius 505
Roſcius 36
Rogatianus 223
Rubellius Plautus 81
Ruffinus 90
Rufus 569

S.

Saadias Gahon 739, 847
Saalthiel 656
Sabinillus 223
Sabinus 184
Salluſtius 527
Platon. 528
Salonina 527
Salomon Iarchi 850
ben Abraham 851
ben Melech 855
Sammeas 797
Samuel Babylonenſ. 820
ben Iehuda 854
Sirſa 855
Tibbonides 860
Sando 536
Sanfeius Luc. 65
Sanneballatus 662
Sapor 274
Sarpedo 53
Saturninus Cythenas 630
636, 637
Satyrus Medicus 184
Scaeuola P. Mut. 35
Q. Mut. 14, 35, 84
Ceruidius 84
Scaliger, Ioſeph. 712
Schammai 745, 796
Schelomoh Al Karez 851
ben Melech 855
ben Abraham 860
Schemaiah 792
Schem Toph 850, 855
Scherira Gaon 849
Schimeon ben Hillel 794
ben Gamliel 818, 821
831
ben Iochai 711, 839
ben Schetach 706
Schottus, Andreas 340, 545
Schupartus, Io. Godfr. 730
Scipio Africanus 10, 13
Caluus 8
Naſica 9
Secundus Athenienſ. 158
Seneca L. Ann. 96, 536
544
M. Ann. 546
Serapion 324, 347
Serarius, Nicol. 712
Seruilia 52
Seuerianus 233, 327
Seuerus Chriſtian. 582
Claudius 582
Septimius 84
Sextius Q. 86
Sextus 90
Chaeronenſis 536, 575
589
Iul. Africanus 631
Maximi fil. 576
Empiricus 575, 536
627, 630, 631 ſeq.
II. Pontifex 90
Siber, Urban. Godofr. 90
Simeon Ben Schetach 706
Ben Iochai 711
839
Simon Magus 667 ſeq.
Simonides 287
Simeon Iuſtus 716
Ben Hillel 794
Simplicius 233, 326
347, 350, 355
491 ſeq.
Siron 72
Sixtus II. 90
Socrates 23
Sopater 232, 262
Sopatra 273
Sopolides 304

Digitized by Google

Sofigenes 464, 466, 467 seq.
iunior 474
Sofipater 464
Sofipatra 232, 275, 282
Sotion Alexandr. Peripat. 95
464, 478
alius 95
Pythagor. 88, 95
547
Sphaerus 536
Staſea 32, 62
Strabo 82, 468
Strato Geographus 82
Amaſenus ib.
Lampſacenus ib. 464
Stratonicus Medicus 184
Suilius 550, 552
Sylla 18
Syneſius 352
Syrianus 232, 315, 464
iunior 317, 339
Syron 66, 72

T.

Tacitus 81
Tandaſides 580
Tarphon 815, 817
Taurus Berythius 163, 169
478
Telefinus 119
Terentia 19, 41
Theagenes 314, 327
Themiſtius Euphrades 233
355, 464, 484
Calonymus 488
Themiſtocles Stoicus 214
Theo Alexandr. 233, 349,
351
Smyrnaeus 163, 164,
351
alii 164, 351
Theodas 631, 636
Theodorius 232
Theodorus Aſinenſis 232,
249, 263
Theodoſius 85
Bithynus 637
Tripolites 637
Theodotus 310
Theomneſtus 20, 63
Theophraſtus 18, 464
Theoſebius 306, 599
Theſpeſio 125
Theudas 631, 636
Thraſeas Paetus 51, 83,
509, 534, 535
Thraſyllus 161, 163
Tiberius 84, 117, 466
Tigellinus 119
Timo 627
Timocrates Heracleotas 512
Titus 127, 709
Torquatus L. 65
Traianus Imp. 84, 180, 564
Trebatius ICtus 61, 65
Triglandius, Iac. 730
Troſius 579
Tryphon 817
Tubero Q. 14
Tullia 41
Tyrannio grammat. 19, 60
iun. 19 n.

V.

Valens 286
Valentinianus 85, 286
Valeſius, Henricus 340
Varro, M. Terent. 30, 627
Acacinus 30
Varus Quintil. 72
Velleius C. 65
Verrius 65
Verus Imp. 588
Veſpaſianus Imp. 122, 541,
709
Virgilius 72
Vlpianus 233, 322, 341
Voluſius Moecianus 582
Vranius 627, 638
Wachterus, Io. Georg. 640
Wolfius, Io. Chriſtoph. 350
731

X.

Xenarchus 82, 464, 473
Xenocles Adramytten. 37
Xenophon 36
Xylander Guilielmus 318
Xyſtus II. 90

Z.

Zacharias 656
Zadocki 715
Zeno Iudaeus 528
Diogenes 535
Pergamenus 528
Platonicus 527
Sidonius 65, 67
Stoicus 189, 535
Zenobia 215
Zenodotus 233, 326, 338,
349
Stoicus 339
Zetus 223
Zeuxippus 630
Zeuxis 630
Tarentinus 630
Zoroaſter 651
Zorobabel 656
Zoticus 223

II. INDEX
RERVM ET MATERIARVM.

A.

Abolla, quodnam veſtitus genus 499
Abraham, an autor libri cabbaliſtici Iezirah 711
Academiae primae ſectatores apud Romanos 28. mediae et nouae apud Romanos aſſeclae 32
Adamus, genuiſſe ſpectra dicitur 895. eius lapſus 925
Adam Belial, quid ſit 1047
Adam Kadmon quid ſit 991. 992. ſqq. depictus mox hominis mox veli figura. 995 et 1000. diuerſus a filio Dei Chriſtianorum 1001. varia eiusdem nomina 1000. conciliatur cum λογω Alexandrinorum philoſophorum 1002. eſt mediator inter Enſoph et Sephiroth 1018. eſt productus ex ſinu lucis diuinae 1028. eius membra quot 1021
Adiaphoria, magnam affectant Cynici 498
Admirandus, quisnam ita vocatus 265
Aedeſius, patria eius et familia 271. opificii loco philoſophiae operam dat 271. indignationem patris ob eam rem in ſe concitat 271. ſtudiis dicatur ib. ad Iamblichum ſe confert 271. per inſomnium docetur, quid ſibi faciendum 271. oraculum in laeua manu inſcriptum conſpicit 272. ad paſtoritiam vitam ſe confert 272. an θειατικὸν habuerit ib. Pergami docet 273. diſcipulos plurimos nanciſcitur ib. humanus et popularis eſt ib. cum diſcipulis deambulat 273. cum opificibus diſſerit 273
Aegyptiaca philoſophia quomodo ad Iudaeos in Palaeſtinam traducta 697
Aeones, vnde effluxae 674. primum par aeonum quodnam ib. quidnam a Gnoſticis ita vocatum 647. quid ſint 964. eos in pleromate diuino orientales philoſophi poſuere 1031
Aëris natura quae 911
Agla nomen Dei quid efficere poſſit, et eius figura 875. 876.
Akibha, quando vixerit 835. ſponſae inſtinctu ad litterarum ſtudia XL annos natus animum adiecit 835. ſumma eius fuit exiſtimatio. ib. nugas ſectatus eſt 836. ad extremam peruenit ſenectutem 836. a partibus Bar-Cochebae ſtat 836. pelle detracta interficitur 837. Cabbaliſticae philoſophiae fuit doctor ſubtiliſſimus, ib. an libri Iezirae autor 838
Albo, Ioſeph, reprehendit Maimonidem 870 eiusdem liber Ikkarim quid comprehendat 871
Allegorica philoſophandi apud Iudaeos methodus vnde 690
Alexander Aphrodiſaeus, praeceptores eius 480. exegetes quare dictus ib. ab Ariſtotelicis magni aeſtimatur 485. immortalitatem animae negat 481. eius atheiſmus ib. opera eius ab Arabibus in ſuam linguam transferuntur 482
Alexandrei, ſecta peripatetica 480
Alexandria, quaenam ſcientiae et artes ibi cultae 185. *not. a.* facultas medica huius vrbis valde celebris ib. ſchola ibi exſtructa qualis 185. *not. b.*
Alexandrini philoſophi multum recedunt a Platone 965
Alphabeti ſiderei nugae vnde ſint 978. et 979
Alteritas non eſt qualitas entis 393
Amelius, quisnam natione fuerit 233. quare maluerit Amerius nominari 233. ante Plotinum Lyſimachum habuit praeceptorem 233. quando ad Plotinum transierit 234. ſcripta Numenii deſcripſit et memoriae mandauit 234. valde eſt induſtrius ib. colligit ex lectionibus et diſputationibus multa ſcholia et commentariolos 234. Plotino quaeſtiones de grauiſſimis rebus philoſophicis proponit 234

prae-

Digitized by Google

praeceptorem vindicat ab obiecto plagii crimine 234. aduerſus haereticos ſcribit ib. Plotini libros deſcribit et explicat 234. fautores habet Romae ib. in Plotini familia fuit 235. an Porphyrii fuerit praeceptor 235. in ſcribendo prolixus 236. an Ammonio coaetaneus 236. quando et vbi obierit incertum 235. fanaticus eſt et ſuperſtitioni deditus ib.
Ammianus Marcellinus philoſophiae Alexandrinae deditus 357
Ammonius, vnde Saccas vocatus 205. non ſectas tantum Graecas, ſed religiones quoque fere omnes conciliat 205. quando vixerit ib. eius natiuitas 205. Chriſtianorum ſchola educatus 206. gentilem ſuperſtitionem amplexus eſt 205 an eclecticam philoſophandi methodum a Clemente Alexandrino didicerit 205. *not.* an ab Ammonio Chriſtiano diſtinguendus 207. nihil ſcripſit 207. 213. an ipſe fuerit Chriſtianus cum philoſophiam doceret 208. an ad veritatem ſit reuerſus 209. quare nouum philoſophandi genus conſtituerit 210. qua occaſione philoſophiam eclecticam condiderit 211. multos nactus eſt diſcipulos, Chriſtianos quoque 212. Θεοδίδακτος audit 212. quaenam eius fuerit arcana diſciplina 213. quando deceſſerit 213
Amorei, quinam 819
Amuletum, quaenam illis ex mente Iudaeorum vis et quod nomen ſit 971
Amun quid 455. et 960
Anagoges finis qualis 457
Anatomiam exercet Galenus 185. 186
Andronicus Rhodius multum de Ariſtotelica philoſophia meruit 60
Angelus, vnde eorum nomen ad Platonicorum ſcholas peruenerit 441. an Samaritani illos non crediderint 665. illos dare negarunt Sadducaei 723. illos adorare idololatria eſt 743. dari illos a Phariſaeis creditur 755. ſunt innumeri 894. cum filiabus hominum concubuerunt 894. Dei conſiliarii in condendo mundo 891. ſubſtantiae purae, quae ex luce diuina effluxerunt 891. ſubtiliſſimis corporibus praediti creduntur 891. ſunt populorum cuſtodes 893. num adorandi ſint 896. ordines eorum 891. eos dari vtrum Iudaeorum an gentilium patrium dogma 892. et 893. eorum notitia magna pars Iudaicae ſapientiae 893
Anima ſemper eſt in motu 152. humana conformis eſt ſupramundanae 411. quomodo illae ſint in anima mundi ib. differunt in hominibus 411. quibusnam in rebus differant 412. neque corporea eſt neque ex elementis compoſita 412. vel meliores vel deteriores ſunt ib. quomodo ſit in corpore 412. quomodo corpori adſit ſeparabiliter 412. quaelibet vis eius in qualibet corporis parte tota eſt 413. vbinam agere dicatur 413. formas rerum ſenſibilium nunquam ſuſcipit ib. praecipue homo eſt 413. ſemetipſam mouet 414. diuinioris ſempiternaeque naturae cognata eſt 414. vitia et mala eius tantum ſunt additamenta et ab extrinſeco ei iniecta 414. eſt in illis conſonantia ad ordinem vniuerſi ib. ſecundum reuolutionum periodos deſcendunt 414. quomodo deſcendat 415. ex intellectu diuino deſcendens intellectum habet communem et proprium 416. natura illius extra malorum cauſſam eſt 416. quomodo non peccare dici poſſit ib. quidnam in generatione ei fiat 416. illam oportet eſſe informem, ſi omni carere debet obſtaculo 417. nemo per vim extrudat illam ex corpore 418. per totum coelum reuoluitur alia in aliis ſpeciebus 418. illi in hoc mundo facultas data ad beatitatem conſequendam 422. coeleſtis quae ſit et quaenam facit 424. quae in generatione aduenit, coeli fato ſubeſt ib. qualem naturam habeat 436. nihil patitur 437. quomodo ad Deum aſcendat 437. ſaepe in ordinem maiorem angelicum euehitur 440. duplicem habet vitam 444. quomodo diuinam harmoniam recuperet 446. habet principium in ſe ipſa proprium 456. exſtitit antequam corpus ingreſſa 458. materiae compedibus conſtricta detinetur ib. non purgata quomodo ad inferos trahatur 461. mente Simonis vnde orta 675.

Digitized by Google

Archangelus, vnde eorum nomina ad Platonicorum ſcholas peruenerint 441 rebelles contra Deum, quinam fuerint 894
Ariſtobulus quando vixerit 698. an duo fuerint, Iudaeus et Peripateticus 699. an ſcripta eius ſint ſuppoſita ib. Ariſtotelicae philoſophiae operam dat 701. inter doctos impoſtores refertur 702. patria eius ib.
Ariſtotelis libri Romam deportati 18. ethici in Ebraicum ſermonem translati 872
Ariani publico edicto Porphyriani dicuntur 255. qua de cauſſa hoc factum 256
Articulus, fundamentales apud Karaeos quinam 741
Aſcenſus ad Deum, eius gradus quinam ſint 459
Aſclepigenia Procli precibus ſanata 314
Aſiah mundus 1024. quare ſit materialis et infimus 1027. eius natura 1028
Aſtanitae, quinam 788
Aſtrologia an a Platonicis culta 164
Aſtronomia, an Graeci illam ab Aegyptiis didicerint 107
Atheus quis ex mente Apollonii 152. victimas offerre poteſt 157
Atheiſmus Ciceronis 50. Lucretii 69. Virgilii 74. Apollonii Tyanei 154. Plutarchi 182. Galeni 188. Ammonii Hermeae 226. Alexandri Aphrodiſei 481. Saluſtii Cynici 529. Senecae 560. Plinii 613. Luciani 621. Sadducaeorum 720. num et quatenus ſit in cabbala 1054. et 1063. quas ob cauſſas eidem mediate adſcribi poſſit 1064
Attributa Dei quomodo diuidantur 877
Auguſtus imperator doctis valde fauet 470
Autochiria Catonis, ex quo fonte orta 58. Lucretii 68
Aziluthi mundi definitio 1023. eſt mundus puriſſimus 1028. in hoc emanationes diuinae tantum 1030

B.

Babylon, ibi Synagoga fuit 791. not. 820
Bahir, aetas huius libri cabbaliſtici quaenam 712
Baithoſaeorum ſecta, quomodo orta 717. an cum Sadducaeis eadem 718
Baptiſmus Menandri quisnam 680. illum Tertullianus ridet 682
Baptiſtae quinam 788
Barba a Cynicis alitur 499
Barbatus magiſter, quinam Philoſophorum ita dicti 499
Bar-Cochebas Pſeudo-Meſſias 836
Bardi, in tres claſſes diuiſi 1079
Bath-Kol, quae de illo tradunt Iudaei, ſuſpecta ſunt 746
Belitae, quinam 788
Beneficentia Aedeſiae quanta fuerit 316
Beroſus, an hiſtoricus ab aſtronomo diſtinguendus 1072
Bibliotheca Apelliconis Teii Romam deportata 18. ab Hadriano Athenis conſtituitur 310. Perſii Cornuto legata 537
Binah quid ſit 1031
Bittera, ſchola ibi Iudaica celebris 815
Briah eſſe mundum 1023. eius natura 1028
Brutum, quicunque poſt mortem brutum euadat 419

C.

Cabbala, a quibus temporibus inter Iudaeos floruerit 707. fata eius ſtudii apud Iudaeos poſt excidium templi 832. eſt metaphyſica Iudaica ib. origines eius 833. negligitur 845. vnde eius nomen ſit 916. quid ſit 918. eiusdem ſcriptores 918. an conſentiat cum Spinoziſmo 923. et 1054. eiusdem origines 924. ſeq. eius ex ſententia Iudaeorum periodi 927. ſeqq. eiusdem origines diuinae quibusdam Chriſtianis videntur 930. 931. antiqua et pura, recentior et impura 933. eiusdem puriora dogmata non conſpirant cum Chriſtianorum myſteriis 935. et 950. eiusdem origo quaerenda in philoſophia Alexandrina Pythagorico-Platonica 937. Orientali 943. etiam Peripatetica 945. ſqq. eam adulterarunt recentiores Cabbaliſtae 949. eius natura et indoles 950. eius primum fundamentum quodnam 950. in ea vetus Iudaeorum ſapientia fruſtra quaeritur 951. eam explicaturo non ad vnius ſcriptoris explicationem attendendum 951. eam multis ineptis Allegoriis refertam explicare arduum 952. 955. traditione, non

Digitized by

non ratiocinatione nititur 955, 956. Eidem falsum saepe sensum Christiani adfingunt 958. eiusdem doctrinae capita quaenam 964. eiusdem diuisio duplex in theoreticam et practicam 970. theoretica duplex 968. 972. theoretica quid sit 970. practica quid sit 970. eandem prudentiores Iudaei damnant 971. artificialis triplex, vel Gematria, vel Notarikon, vel Temurah 972. figuratiua quid sit 973. hermeneuticam a Daniele esse absurdum 974. litteralis, quis vsus 974. realis tractat de originatione et gradationibus rerum 994. eius quae sit praestantia 1052. eandem aestimaturus abstineat a praeiudiciis 1056. eius quae sit vanitas 1057. eius quis sit vsus 1066
Cabbalistae se ipsos non intelligunt 953. ob stilum hiulcum et obscurum vix merentur legi 954. noui, an de suis cabbalae adiecerint, de quibus veteres non cogitarunt 956. confuderunt caussam materialem cum materia 986
Cabbalistica philosophia, an Esdras eius autor 657. eius doctrinarum conspectus 980. seqq.
Caesarea, ibi schola est iudaica celebris 815
Carmina qualem effectum apud Deos habeant 445
Caro, suillam reprobant Platonici 317
Cathedrae magna dignitas Athenis 311
Casus, illi atque fortunae committere essentiam et compositionem vniuersi irrationale est 420
Cato Vticensis, quinam eius vitam enarrauerint 51. omnes Stoicos vita et actionibus suis superat ib. quo genere natus 52. educatio eius ib. morum seueritatem iam in prima aetate prae se fert 52. qualem se in discendo gesserit ib. morali et ciuili doctrinae est intentus 53. quaenam eius fuerit eloquentia 53. exercitationibus validis corpus ad perferendas molestias assuefacit ib. stipendia facit 54. Athenodorum habet secum ib. in Asiam proficiscitur ib. Quaestor constituitur 55. qualem se in administranda republica gesserit ib. Pompeii partes sequitur 56. exercitum ducit et Vticam custodiendam in se recipit ib. cum philosophis inter pocula confabulatur ib. se ipsum interemit 57
Celsus an Epicureus fuerit 604. quando vixerit 607. quo animi fuerit charactere 608. contra Iudaeos et Christianos scripsit ib. alia eius scripta 608
Cether quid sit 1021
Chalcis, variae huius nominis fuerunt vrbes 260. *not.*
Chochma quid sit 1021
Christiani, an seditionem et arma in principes suos mouerint 121. *not.*
Christus philosophorum numero adscribitur 373. pro aeone habetur 648
Chrysanthius, quo genere ortus 290. Pergamum ad Aedesium se confert 290. in philosophiae mysteria cito penetrat 290. Platonis et Aristotelis dogmata discit et explicat 290. sublimiori Deorum cognitioni se totum tradit 290. futura potest praedicere 290. recusat cum Maximo Constantinopolin proficisci 291. pontificatum regionis Lydiae accipit 291. Christianis non valde est molestus 291. munere motus vitam priuatam Athenis agit 291. inopiam patiens tolerat 291. scribendis libris et docendae iuuentuti se tradit 292. ambulationibus animum recreat 292. virtutes eius ib. filii mortem magno perfert animo 292. mors eius 293
Cicero, M. T. quinam eius concinnarint vitam 34. 11. puer iam celebris ib. in Poësin diligenter incumbit 35. cur philosophiam Academicam secutus 35. *not.* militat sub Sylla 36. conuertit quaedam e Graeco in latinum sermonem 36. quanam de caussa in Graeciam abierit 37. in Asiam et Rhodum nauigauit. ib. Scholasticus habetur 37. ad rempublicam se confert 38. patria pellitur 38. in illam reuocatur 40. adolescentibus philosophiae studiosis et litteris vacat 41. proscribitur 42. interficitur ibid. scripta eius philosophica 43. multum vtilitatis in philosophiae historia praestat 46. philosophia eius ib. seq. non e philosophorum numero reiiciendus 49. an fuerit atheus 50. Lucretii libros emendat 68

Coelum ſempiternum eſt 424. in illo ſolus ignis ib. eius motus a quonam fiat ib. an ſit animatum 867. an eorum influxus mundum regat 888. coeruleus eius color vnde 910
Coena, inter coenam philoſophatur Taurus 170
Concatenatio corporis et animae 1044
Cognationis affectus ſapientia vinci nequit 152
Cognitio diuinorum ſanctos nos facit 444
Cometa, laetos quoque interdum habere euentus oſtendit Chaeremon 544
Comminationes in Deos locum habent 454
Concurſus Dei generalis 889
Connubium, in iliis propinquitatis gradus accurate ſunt obſeruandi 743
Conſenſus Alexandrinorum et Cabbaliſtarum de emanationibus 993
Conſtantinus M. an ob denegatam caedis expiationem a Sopatro ad Chriſtianos transierit 262, 270
Conſtrictio ſpiritus quid ſit 982
Contractio eſſentiae diuinae quid ſit 997 ſqq.
Conuictum philoſophantium aluit Cornutus 537
Corduba Romanorum colonia patricia 545
Cornutus, Annaeus, an a grammatico A. Gellii ſit diſtinguendus 537. tragicus vocatur ib. conuictum philoſophantium aluit ib. multum laudatur 537. argentum illi a Perſio legatum non accipit, libros accipit 538. an hiſtoriam ſcripſerit ibid. an libri de natura Deorum auctor 539. exilium paſſus eſt 540
Corporeitas quid 420
Corpus, naturalium corporum affectiones quae 204. abſente anima nunquam potuit ſubſiſtere 407. illi oportet adeſſe ſubiectum in mundo intelligibili 419. quomodo corporibus miſceatur 420. carcer animae 439. eius durationem aeternam Menander ſtatuit 681. idem ſurget quod cecidit 905. qua re conſtet 911
Cortices Cabbaliſticae quid 1047
Coſmogonia Chriſtiana diuerſa a Cabbaliſtica 1030
Coſmologia Eclecticorum quae 419
Creatio, Eclecticorum de mundi creatione doctrina explicata 426. ſeqq. qualem crediderint Karaei 732. mundi vnica 885. materiae, quomodo facta 982
Creaturae habent ſidus regens 890. earundem animae 911. earundem claſſes quot 910
Creſcens Pſeudo-Cynici mores expreſſit 517. obtrectationibus et calumniis in Chriſtianam inuehit religionem 518. Iuſtinum atheiſmi accuſat ib.
Cynicus, veri Cynici imago 500. cum Monachis comparantur 501
Cynica ſecta, fata eius ſub imperatoribus 496. illam eiiciendam eſſe ſtatuit Cicero 497. contra illam declamat Lucianus ib. eius addicti homines ſunt diſſoluti 498. principibus viris maledicunt ibid. veſtitus eius 499. ſcortorum ſit ludibrium ib. a veteribus Cynicis deuiata 500

D.

Damaſcius, quid de illius vita Iſidori ſentiendum 340. Alexandriae litteris operam nauat 349. in dicendi artem, philoſophiam Peripateticam, mathematicas artes et Platonicam philoſophiam incumbit 349. Athenas ſe confert et totum ſe tradit philoſophiae ibid. vltimus philoſophiae Platonicae eſt profeſſor 349. ſuperſtitioni inhaeret ibid. ad Choſroem emigrauit 349. redux ex Perſia vbi vixerit 349. an Stoicus dicendus 350. de philoſophia meruit ib. ſcripta eius 350. Photii de illo iudicium ib.
Daemones, eorum et Deorum genus 425. paſſiones iis inſunt ibid. nullus eſt in mundo intelligibili 425. quinam ſint ib. ad vniuerſi vſum ſunt geniti 425. non ſunt materiae corporeae 426. nihil patiuntur 437. nullis rebus afficiuntur 438. nec oculis nec ſenſu percipi poſſunt 439. praefecturam mundi ſunt ſortiti ib. quomodo oriantur 440. eorum potentiae quaenam ib. phaſmata eorum varia 440. diſtinctiones eorum a Diis 440. quibusnam in rebus eorum apparitiones ab aliis differant 441. ſeq. quibusnam corporibus veſtiantur 451. quodnam vehiculum daemonibus inſeruiat ib. malos commi-

Digitized by Google

comminationibus ſacerdos commouere poteſt 453. ineffabilium arcanorum cuſtodiam agunt 454. quo quilibet homo gaudet proprius, vnde 455. qualis hic ſit 457. per Hebraeorum Deum adiuratus exit 306
Demetrius Cynicus an idem cum Sunio 506. vbi et quando vixerit 506. quibus ſatis Romae fuerit vſus ib. Roma pulſus Athenas commigrauit 507. amicitiam cum Apollonio colit ib. in exilium mittitur ib. canis a Veſpaſiano appellatur 507. Tito praeficitur, vt illi vera dicat ib. Roma Puteolos ſecedit ibid. quidnam de eius colloquiis cum Apollonio cenſendum 508. moribus vere Cynicis fuit ibid. paupertatem ſummam magno fert animo 508. liberrimo ore in ſcelera inuehit 508. vir magnus appellatur 509
Demonax, an eius vita a Luciano conſcripta fidem mereatur 511. patria eius et praeceptores 512. qua ratione philoſophiae ſe dederit 512. ſectariam philoſophiam reiicit 513. Socrati ſe maxime addixiſſe videtur 513. Cynicum inſtitutum eligit ibid. affectatam Cynicorum virtutem euitat 513. lenitate aliorum peccata reprehendit 513. eius praeſentia omnibus grata 514. dicacitatem in Pſeudo-Cynicis damnat. ib. diſcordes reconciliare ſtudet 514. amicis fidem atque dexteritatem demonſtrat ib. reipublicae gerendae non ſe ſubtrahit 515. mordax eſt in philoſophos arrogantes 515. multis gaudet amicis ib. Atheiſmi accuſatur 515. ſe defendit 516. ad captioſas philoſophorum quaeſtiunculas acute inſtructus eſt 516. vitam coelibem ducit ib. ad extremam peruenit ſenectam 516. vitae ſuae finem accelerat ib. ſepulturae non habet curam 517. ampliſſimo funere effertur ib. quando vixerit ib.
Deus, illum rerum omnium vnam ſubſtantiam variis modis indutam Apollonius ſtatuit 154
Deus ex mente Secundi quid 160. non libertas neque aliud attributum ei adſcribendum 398. quomodo inuocandus 399. quomodo illum cognoſcamus 417. a nullo vſquam abeſt et tamen quodammodo abeſſe videtur 417. argumentum Iamblichi pro illius exiſtentia 432. omnium cauſſa et vniuerſa in ſe complectitur 454. ante principia vniuerſalium eſt Deus vnus ib. Deus Emeth qualis 455. omnium mentes notione ſui informauit 489. occultari vult 490. Gnoſticorum de illo doctrinae 646. an Sadducaei illum fecerint corporeum 724. qualem crediderint Karaei 724. Phariſaeorum de illo ſententiae 751. Philonis de illo doctrina 803. primum ens 874. vnde cognoſcatur 875. totus ſpiritualis eſt 877. perfectiſſimus 877. infinitus ratione exiſtentiae et durationis 877. 878. ens ſimpliciſſimum, quid inde ſequatur 878. immutabilis 878. quo pacto omniſcius ſit 879. eſt mundi dominus ib. eiusdem locus qualis ſit 879. eidem nulla perfectio extrinſecus aduenit 880. ab aeterno diſpoſuit mundi negotia 880. eiusdem decretum non officit libertati 881. eiusdem decreta qualia 882. non eſt origo mali 881 et 889. quando ad actionem iuſtam concurrat 882. omnia in honorem ſuum creauit 886. ſupremus orbium motor eſt 910. eius timor qualis eſſe debeat 912. eſſentia eius diuidi poteſt et in infinitum expandi et contrahi 980. et 9.1. eſt ſcaturigo infinitae lucis 1031. exhalauit ab aeterno ſpiritus 981. creator materiae mediate 982
Deuterotae quinam 818
Diabolum morientium homicidam eſſe 894
Dialectica Eclecticorum quaenam fuerit 393
Dii, quis eis gratus 157. duplices ſunt in coelo incorporeo, intelligibiles et intellectuales 405. eorum et daemonum genus 425. ſunt in mundo intelligibili ib. ſecundi quinam 425. Deos dari noſtra nos natura conuincit 432. diuerſa inter eos ſunt genera 433. idiomata eorum ib. quorum auxilio cum animabus nectantur 433. quomodo eorum et animarum actiones inter ſe differant 435. vnitas pertinet ad eorum idioma ib. non compinguntur vllis mundi regionibus 436.

omnia eorum plena sunt ib. nihil patiuntur 437. nullis rebus affici possunt 437. quales necessitates illis tribuendae 438. quomodo preces ad se recipiant ib. benefici sunt ibid. intelligibilium origo 439. conspicua eorum simulachra 439. vinculum inter illos ib. distinctiones eorum a daemonibus 440. epiphaniae eorum quibusnam rebus respondeant ib. phasmata eorum simplicia sunt 440. quomodo eorum apparitiones ab aliis differant 441. seq. in sacris operibus adesse debent 447. bonis apparentibus malum aut daemonicum fugit 448. materiales quinam 451. quare vnusquisque eorum colendus 452. illorum ordines ex mente Iamblichi 454. coeli partibus praefecti 455. ad eos conuersio vnde 457. opinio de illis quinta habetur virtus 53

Dio Prusaeensis, ab eloquentiae dulcedine Chrysostomus dictus 562. sophistae munere fungitur ib. in philosophos calamum exercet 562. nullos discipulos potest nancisci 562. professionem sophisticam abiicit et ad philosophiam se confert ib. sectae Stoicae adhaeret 563. eloquentiam suam ad eiusdem praecepta reformat ib. vita seueritatem prosequitur 564. Roma aufugit ib. ad castra Romana conuersus militum animos rebelles compescit 564. a Nerua et Traiano magni aestimatur ib. corporis eius dotes 565

Diognetus pictor, an idem cum philosopho 583

Diogenes Laërtius, patria eius 622. vnde Laërtius appellatus 623. quando vixerit ib. liber eius de vitis philosophorum 624. cuinam illum dicauerit 625. in illo scribendo iudicium non adhibuit ib. an Epicureus fuerit 626

Disputatio, illas fugit Priscus et qua de causa 289

Diuinare quis possit mente Apollonii 156

Diuinitas quaenam irradiet 436

Diuitiae, earum studio nos peregre agere videri turpissimum est 151. molestiam creant 157

Doctrina, morum Iudaica qua methodo tradita 871. eiusdem exigua cultura 871. 872. de inferno quae 907. vnde hausta 907

Dogmata Cabbalistica quomodo inquirenda 958

Domini metrorum quinam sint 1046

E.

Eclectica secta, vnde dicta 189. illius origo 190. quando orta 199. an Diogenes Laërtius illi fuerit addictus 205. occasio illius condendae 211. vnde Alexandrina audiat 231. fata eius Athenis 310. in Damascio finem inuenit 349. mulieres illi quoque addictae 351. indolem accepit a patria Aegypto 358. ante Ammonii tempora iam fuit 359. occasio syncretismi ad philosophiam ab illa translati 360. philosophiam Pythagorico-Platonicam fundamenti loco elegit 361. sed cum Aristotelica conciliat 362. et cum reliquis sectis 363. enthusiasmus finis illius 363. tota illius philosophia enthusiasmo superstructa 364. Platonicum systema in illa adulteratum 365. causae electi enthusiasmi 366. philosophiam orientalem sibi vindicat 368. Christianorum rationibus illam attemperat 369. superstitionis facies in illa picta et emendata 370. philosophorum dissidia tollere conatur 371. vitas philosophorum sanctas Christianis opponit 372. Christianorum doctrinas recipit 372. Christum philosophorum numero adscribit 373. philosophis non minora miracula vindicat, quam essent Christi 376. fraudes, suppositiones, mendacia licita habet 378. seueriorem et praestantiorem de Deo diuinisque doctrinam excolit 380. sanctiorem philosophiam moralem reuocat ib. speratum ex huius sectae conditione emolumentum philosophiae 382. damna plurima reipublicae et philosophiae infert 383. alia philosophiae damna inde exorta 385. recensio damnorum ex illa in ecclesiam redundantium 387. discordia huius sectae 390. dialectica eius 393. eius metaphysica 395. psychologia eius 411. Cosmologia eius 419. philo-

Digitized by Google

philoſophia eius moralis 457. ſtudium eius in Ariſtotelem 483
Eicton quid? 961
Eleemoſynae, quomodo in illis dandis ſe geſſerint Phariſaei 957
Elementa quae 911. eorum ordo ib. non habent animam 911. continuo permutantur 911. quatuor ſuperiora animam conſtituentia 1041
Emanationis vniuerſalis dogma 989, 990. ſeqq. Cabbaliſticae animarum ordo 1045. ea Spinozae viam aperuit 1065, 1066
Embryonatus quid ſit 1047. quotuplex ſit 1048
Emeth quid ſit 455 et 960
Empirici medici an cum ſcepticis philoſophis fecerint 632. a rationalium et methodicorum ſecta diſtinguendi 632. not.
Empuſa, quale ſpectrum 116
Enchiridion, ſub Sexti nomine exſtans cui adtribuendum 90
Ens quidnam verum ex Eclecticorum mente 393. eius proprietates ib. ipſa entia intelligenti inſunt 402. ens ipſum atque intellectus vna eſt natura 402
Enſoph quid ſit 996. continet in ſe omnia 1025. immediate produxit Adam Kadmon 1025
Enſophicus mundus quis 995. doctrina de eo 996, 997
Enthuſiaſmus, ſigna eius 445. eſt raptus diuinus ib. cauſſae eius ib.
Epictetus, quisnam eius vitam conſcripſerit 568. ſeruus fuit ib. vnde crure claudus ſit factus 569. ſumma viuit paupertate ib. Stoicorum maximus appellatur ib. orationis eius genus quale 570. vitae eius integritas aliis exemplo eſſe poteſt ib. virtus eius maxima 570. vrbe excedere iuſſus 570. Nicopoli philoſophiam docet 571. cum Hadriano familiariter viuit ib. an auctor altercationis Hadriani 571. An ſub Antoninis vixerit 572. diſcipuli eius 573. memoria eius poſt mortem ſancte colitur 573. ſcripta eius 574. an inter Chriſtianos referendus ib. philoſophiae eius ſumma 574
Epicurea ſecta, cauſſae eius durationis 599. publicas cathedras occupauit 601. criminatur 602. ſectatores eius poſt C. N. 622. quare pauci de illis noti 603. nihil litteris mandant ib.
Epicurus, eius philoſophiae apud Romanos gratia et fortuna 64
Eruditio quot rebus acquiratur 914
Esdras an fuerit philoſophus 657. an philoſophiae Cabbaliſticae auctor 657
Eſſeni vnde enati 714. eorum ſectae origo 759. an ad vetuſtiſſima Iudaeorum tempora ſit referenda 760. quomodo orti 762. qualis illa fuerit 763. vnde eorum nomen 764, 765. cur Therapeutae ab illis in multis diſſenſerint 764. deſcribuntur ex Ioſepho 766. ſicarii dicuntur 767. not. et Zelotae ib. an ſolem adorauerint 768. not. ſe Sadducaeis oppoſuerunt 771. an ſacrificauerint 772. eorum deſcriptio ex Philone 772. vtrum ſnerint Iudaei an philoſophi gentiles 774. multa ex philoſophia gentili dogmatibus ſuis admiſcuerunt 777. an Pythagoras ab illis quaedam hauſerit 778. an a Pythagoreis dogmata quaedam acceperint 779
Eſſentia ſemper eadem 152. prima quae 153. rerum tantum vna 154. quidnam ex mente eclecticorum 493. Dei comprehendi non poteſt 874, 875. praeter diuinam nulla exiſtere poteſt 980
Eunapius, qua mente philoſophorum quorundam Platonicorum hiſtoriam ſcripſerit 246. quidnam de eius vita Euſtathii iudicandum 277. quando vixerit 303. praeceptores eius 303. Athenas ſe confert ib. inter nauigandum vehementi febre corripitur 303. in vrbem deportatur ib. apud Proaeretium valde aegrotat 304. pharmaco ei infuſo conualuit 304. Aegyptum adire ſtatuit, vt ſacros ritus addiſceret 304. in patriam reuocatus artem ſophiſticam excoluit 304. illuſtris in dicendo euadit ibid. artem medicam tractat 304. theurgiae operam dat 305. Sacris Eleuſiniis initiatur 305. ſcripta eius ib. in Chriſtianos inuehit 305
Euphrates, Apollonii amicus primo eſt 565. vnde eius inimicus factus ib. an Apollonium conuiciis proſciderit 566. laudatur

tur 566. seq. Hadriano se commendauit 568. veniam voluntariae mortis ab Hadriano expetit 568
Eustathius ab Aedesio scholasticam accipit prouinciam 273. valde eloquens est 273. ad regem Saporem legatus mittitur 274. Magus habetur 274. vxor eius Sosipatra 275
Eua, dum in anathemate fuit, genuit spiritus foeminas 895
Euigilatio spiritus quid sit 982. seqq.
Exegesis philosophica Iudaeorum inepta 864
Exegetes sensu eminentiori, ita vocatur Alexander Aphrodisaeus 480
Existentia Dei quid 873. ea necessaria demonstratur 873. 874. caussa est existentiae rerum omnium 890

F.

Fatum, illius vis mutari nequit 156. sempiternum dicitur 559. non esse statuerunt Sadducaei 726. quodnam Pharisaei docuerint 751
Fastus, Pharisaici exemplum 756
Fauorinus eunuchus est 166. cum Hadriano de eloquentia certans ei vltro cedit victoriam ib. magna eius est auctoritas Romae 168. adulterii accusatur ib. rhetor est 168. de philosophiae historia meritus est 169. Academiae mediae adhaeret ib. et inter Pyrrhonicos referendus ibid.
Fides quid 892
Figulus, quare Nigidius ita appellatus 24. not.
Flagellatio, an apud Pharisaeos vsu venerit 757
Flauia Neapolis quaenam vrbs 327
Foeminae eruditae, Portia Marcella Gemina 224. Amphiclea ibid. Sosipatra 275. Asclepigenia 314. Aedesia 316. Hypatia 351. Arria 625. quaedam Pharisaismo nomen dederunt 759
Forma tantum comprehenditur 911
Fortis quisnam 915
Fortuito nihil accidit 889
Fulmen, ex illo prodiisse dicitur Apollonius Tyaneus 102
Fundamentum legis quale 881
Futura vita, Pharisaeorum de illa dogma 753

G.

Galenus diuinissimus vocatus et diuino cultu honoratus 183. quinam eius scripserint vitam 183. parentes eius 184. anno aetatis XV. philosophiae operam dat 184. medicam artem cum philosophiae studio coniungit ib. Smyrnam se confert ib. varias per prouincias peregrinatur ad excolendam artem medicam 184. vulnerum curationem in patria excolit 185. gladiatorum curationi praeficitur 185. se Romam conuertit 185. medicorum Romanorum inuidiam expertus est 186. anatomicis operationibus inclarescit 186. conuiciis proscinditur 186. ob pestem vrbem relinquit ibid. ab imperatoribus Marco Aurelio et Luc. Vero in Italiam reuocatur ib. in Germaniam cum imperatore proficisci recusat 186. libris scribendis se dat 186. sub Seuero adhuc vixit 187. an CXL. annos vixerit 186. iudicium eius de Christo coecum sanante fabula est 186. quot annos vixerit 186. varii generis libros scripsit plurimos 188. an atheus ib. figuram quartam syllogismorum inuenit 188. nulli sectae ex integro est addictus ib.
Galilaei, quinam 788
Garizim, an Samaritani in illo monte idola coluerint 665
Gazaeus quisnam ita dictus 341
Gebhurah, quid sit 1030
Gemara, eius origo 827
Gematria quid sit 972. 973. vnde hoc nomen 973
Genera rerum quot et quae 394
Generatio quid ex mente Pythagorae 152
Genistae, quinam 788
Genius, eorum ordo a Diis diuersus 433. Deos et animas communi vinculo nectit ib. nihil patiuntur 437. Cabbalistici quid sint 1046
Genus substantiae quomodo distingui possit 394
Geonatus quidnam 849
Geonim, quinam 819
Gilgul quid sit 1047
Gnostici, quinam ita vocati 641. vtrum ex Christiana an gentili disciplina profluxerit hoc

Digitized by Google

hoc nomen 642. an Platonem sint secuti 643. cum philosophia Pythagorico-Platonica quaedam dogmata habent coniuncta 644. doctrina illorum de Deo, quaenam fuerit 645. de mundo visibili quidnam docuerint 648. doctrina eorum moralis 649
Graecienses quinam 788
Gratia Dei an praecedat in operibus moraliter bonis merita iusti 882
Gymnasium Athenis condidit Hadrianus 310

H.

Habitus Pharisaeorum qualis 757
Hachosari quisnam huius libri auctor 855
Hadrianus omnes eruditos superare studet 166. cum Fauorino de eloquentia certat ib. eruditos fouet 167. not. quaestionibus vexat eruditos ib. professoribus salaria constituit 185. not. a. bibliothecam et Gymnasium condidit Athenis 310
Hasidaei apud Iudaeos quinam ita dicti 713
Hebraeorum philosophia post captiuitatem Babylonicam nulla 653. an decem eorum tribus in Americam deductae 654. quo sensu eis philosophia tribuenda 655. viri sapientes inter illos 656. historiae eorum noua diuisio 660. eorum colonia Aegyptiaca 684. sibi eruditionis omnis fontes atque origines vindicant 688. philosophiae gentilis inter eos initia 690. quomodo Aegyptiaca philosophia ad illos traducta 697. graecanicam philosophiam abhorrent 705. lege illam vetant ibid. introducitur 705. philosophiae arcanae progressus inter illos 711. origines sectarum apud illos 712. sectae minores illorum 788. viri docti inter Hebraeos veteres 788. conditio eorum philosophiae post templi euersionem 813. doctores eorum in septem classes distributi 815. schola eorum babylonica 820. status eorum litterarius seculo X. 846. finis eorum eruditionis in oriente 849. fata eorum philosophiae in occidente 850. eorum philosophia exoterica 861. pauca philosophica apud illos occurrunt 864. eorum philosophiae diuinioris conspectus 873. philosophia moralis 911. religio eorum et placita num ad gentes dimanauerint 930. et 931
Heliogosti quinam 788
Hemerobaptistae quinam 788
Herodes an inter Philosophos referendus 471. not.
Herodianorum secta quaenam 788
Heroes, eorum ordo quisnam 433. Deos et animas communi vinculo nectunt ib. nihil patiuntur 437
Hierocles, quando vixerit 306. vxorem habet daemonio obsessam 306. quomodo ille expulsus ib. verberibus caeditur et in exilium mittitur 306. Alexandriae philosophiam docet ib. Platonem et Aristotelem conciliare studet 306. syncretismo philosophico fauet ib. corruptor veteris philosophiae est 307. quomodo Platonem explicauerit 307. Commentaria eius in aurea carmina ib. an illorum auctor 308. in philosophicis magis quam theologicis doctrinis eminet 309. laus eius 310
Hillel senior, siue Hassaken, eius parentes 751. Babylone per quadraginta viuit annos 792. Hierosolymas cum vxore migrat ib. maximo legis studio flagrat 792. quare magni synedrii principatui praefectus ib. multos habet discipulos 793. eruditio eius Salomoneae aequiparatur ib. praecepta eius moralia 793. vitam se dignam gessit 794. prima fundamenta Talmudis posuit ib. annos centum et viginti vixit 794
Historicus, Latinorum historicorum philosophia 81
Homo, illo moriente Deus fit ex homine 153. ex mente Secundi quid 160. quicunque iterum homines renascantur 419. Deorum brutorumque medius est 423. an peccatum ex se ipso agat 423. eorum status duplex 451. duas habet animas 456. necessario indiget influxu diuino in suis operibus 742. primus androgynus fuisse creditur 889. creatus ad imaginem diuinam quo pacto 897. eiusdem anima quid 911. oportet eundem rationem dare 912
Horatius, Epicureus videri voluit 75. in

Digitized by Google

Stoicos profert ſcommata 76. in Academia philoſophiam didicit ib. aliis quoque philoſophis eſt addictus ib. ad Stoicam diſciplinam ſenex eſt conuerſus ib.
Hymni, eorum effectus apud Deos 445
Hypatia, quinam illius fata enarrauerint 351. patria eius atque parens ib. a parente geometriam et aſtronomiam didicit 351 reliquae philoſophiae ſtudium impendit 352. docendi auctoritatem capit 352 per mediam vrbem digreſſa volentibus quemque philoſophorum explicat ibid. plurimos nanciſcitur auditores 352. magna valet auctoritate ib. modeſtia ſe venerabilem reddit 352. formoſiſſima virginitatem ſeruat illibatam ib. aedes eius a principibus reipublicae viris frequentantur 352. hoc illi ceſſit exitio ib. mors eius miſeranda 354. libri eius 355
Hyſſopus, eius vſus in Aegypto non infrequens 782

I.

Iaſne, ibi erigitur poſt euerſam Hierosolymam a Iudaeis ſchola 814
Iamblichus, familia eius, parentes et patria 260. praeceptores eius 260. quisnam eius vitam concinnauerit 260. not. an Porphyrio non fuerit inferior 261. quando vixerit 261. diſcipulos nanciſcitur plurimos 262. an Plutarchus Neſtorii eius fuerit diſcipulus 263. an Iulianus et Proclus ib. in diſcipulis erudiendis diligentiam probat et dexteritatem 263. ſanctitatis famam apud illos conſequitur 264. ficta de illo miracula 264. imperium in daemonas exercuiſſe traditur 264. conuictus Pythagoreus ab illo obſeruatus 264. not. a. diuiniſſimus vocatur 265. et θαυμασιώτατος ib. ingenio fuit felici atque fertili, ſed iudicii vi non firmato 266. elegantiae dictionis eſt incurius 266. plagii reus eſt ib. non ſatis in ſcribendo attentus 266. eruditus et mathematicarum diſciplinarum peritus 266. vita eius Pythagorae ibid. ſcripta eius 266. ſeq. an in libro eius de myſteriis Aegyptiorum Chriſtianae veritatis ſcintillae micant 267. quando obierit 268. an ab Iuliano laudatus 269. an Valentis ſucceſſorem detexerit 269. ſcholae eius poſt illius mortem fata 270
Ibbur quid ſit 1047
Idea, extra intellectum diuinum non ſunt ideae 402. rerum irrationalium ideae diuinae quales ſint 404
Identitas non eſt qualitas entis 393
Idola an coluerint Samaritani 665
Iechidah quid ſit 1041
Iehouah, huius nominis quaenam vis 876. et 877. nomen diuinum putatur miraculoſum eſſe 971. eiusdem explicatio Cabbaliſtica philoſophica 976
Ieſus Siracides quando vixerit 789. quando eius enchiridion morale ex Hebraea in linguam Graecam ſit translatum 789. cum Ben Sira in ſcriptis Talmudicis idem eſt 790. an illius enchiridion inter Hagiographa relatum ib.
Ieiunia ſtrictiſſime ſunt obſeruanda 743
Iezirah liber quid ſit 927. cui adſcribendus 711. definitio et nominis expoſitio 1023. eius natura 1028
Ignis ſolus eſt in coelo 424. adſcendit 911. eius natura 911
Ikkarim quid 870
Illuminatio, quae 446
Immortalitas animae ab Alexandro Aphrodiſeo negatur 481. a Sadducaeis negata 725. qualis a Phariſaeis credita 754
Incendium Francofurtanum 1111. per quem ortum 972
Influxus animae in corpus Cabbaliſticus 1039. emanationis in animam quomodo ſe manifeſtet 1042
Inquiſitores ſapientiae apud Iudaeos 707
Inſania iracundiae flos eſt 157
Intellectus, primus vnum eſt et multa 394. qui ideas contemplatur a ſuo quodam ſuperiore minime ſegregatur 394. poſt ſe habet animam ibid. eſt melius omnium quae fiunt 400. Dei imago eſt ib. puriſſimae mentis appellatione dignus ibid. animam generat 400. mentis lumen eſt 401. vbicunque eſt, ibi etiam ſunt multa 401. ipſius actio intelligentia eſt 401. eſt multiplex ib. obiecta eius ſunt res reuera exiſtentes 401. eſt ſimul omnia ib. ab illo non differt intellectualis eſſentia

Digitized by Google

tia et idea quaelibet 401. in se ipso in eodem secum habitu conquiescens aeterna est omnium plenitudo 402. liber viuere dicitur 417. omnia fabricauit 421
Intelligentia Cabbalist. admirabilis quid sit 1040. quid illuminans ibid.
Intentio quid sit et praestet in propagatione animae ex sensu Cabbalistarum 1045
Interpolationes Cabbalistarum qua re aduitae 557
Interpretatio Cabbalae quomodo instituenda 1059
Inuocationes quomodo nos cum Diis connectant 437
Iosephus quando natus 709. in legis studio maxime profecit ib. ab eremita ueteram viuendi rationem edidicit 709. Pharisaeorum sectam sequitur ib. proficiscitur Romam ib. reuersus domum suos a vindictae studio dehortatur 709. in Galilaeam salutis publicae promouendae caussa mittitur ib. Vespasiano imperium praedicit 709. Tito in obsidione Hierosolymarum adest ibid. quo vsque vixerit 710. libri eius historici 710. Graecae eruditioni operam dat ib.
racundia, flos eius est insania 157
Irira quare notatus a Moro 956 seqq.
Isidorus, vitae eius scriptor 339. vnde Gazaeus dictus 341. Alexandriae litteris operam dat 341. ab Asclepiodoto morti eripitur ib. philosophiae et theologiae studio se dedit 341. Athenas ad Proclum se conuertit 342. Aegyptia addidicit et Chaldaica mysteria 342. Aristotelicam philosophiam capere nequit 342. Enthusiasmo fauet ib. superstitioni est deditus 343. ad discendam theurgicam artem animum applicat 343. Proclo sacrificat ib. magna illius inter condiscipulos est auctoritas 343. Morini successor designatur 343. reiicit hoc munus ib. precibus tamen victus cathedram Platonicam suscipit 343. arcanam philosophiam docet 344. Alexandriam secedit ib. an Hypatiae fuerit maritus 344. Domnam habuit vxorem 345. discipulos habuit 347. in Persiam abiit cum aliis philosophis 347. valde senex obiit ib. corporis eius habitus venustatem prae se fert 348. animi eius dotes ib. temperamentum eius 349
Iudaei, eorum philosophiae status 653. seq. vid. Hebraei. Iudaei quomodo intelligendi 877
Iudicium oecumenicum erit 906. diuina quot 906. variorum eruditorum de Cabbala 1052. auctoris 1058. et 1062.
Iulianus vbi et quomodo Maximum Ephesium audiuerit 282. seq. quinam de eius vita consulendi 293. educatio eius 294. ad gentilium superstitionem pronus est 294. magno discendi flagrat ardore 294. quaenam fuerit caussa, cur gentilem amplexus sit cultum 295, 282. Philosophos et Magos magni aestimat 296. Alexandrinam philosophiam et theurgicam est edoctus 296. Athenis philosophiae operam dat 297. sacris Eleusiniis initiatur 297. Deos carmine sacro euocat 297. Caesar constituitur ib. in Gallias mittitur contra barbaros ib. inter arma litteras colit 298. Augustus renunciatur ib. apparitionem habet 299. in Constantium mouet exercitum 299. a Constantinopolitanis summo gaudio excipitur 299. superstitionem restituit ib. gentilium religionem ad Christianorum mores attemperat 299. non vi Christianos adigit ad mutandam religionem ib. magnam prae se fert moderationem 300. philosophos colit 300. et qui sacratioris generis esse credebantur ib. Alexandrinam sectam nouis conatibus stabilire vult 300. ingens turba impostorum aulam eius sequitur 301. artibus magicis omnes superat 301. ad fatale in Persidem bellum a Magis instigatur 301. Christianos a docendis artibus arcet 301. libros scribit philosophicos 301. in omnibus se vt Alexandrinae philosophiae alumnum gerit 302. cum diis commercium habere dicitur 302. philosophos Platonicos, theurgos, vates secum habet in bello 302. oraculum de eius bello Persico 302. mors eius 303
Iuris consulti Romani philosophiae studiosi 14
Iustinianus philosophos gentiles philosophiam

Digitized by Google

phiam docere Athenis vetuit 347, et 349
Iuſtus, eius definitio apud Deos alia eſt quam apud homines 448
Iuſtitia Hermiae magna 316. apud Phariſaeos quaenam 750
Iynx, quodnam fuerit inſtrumentum 331

K.

Karaeorum ſecta, quando inceperit 706, 732. vnde orta 714. ſcriptores de illa quinam 730. quid nomen eorum ſignificet 731. valde antiqua eſt 733. an Sadducaeorum ſit propago 734. an eorum origines ad Sec. VIII reiiciendae 734. coniectura de eius origine 735. an nomen eorum dicteriis Aegyptiacis adſcribendum 736. nomen ipſum apud Iudaeos in dicterium valde inuidioſum abiit 736. a ſcribis et Phariſaeis diſtinguitur 737. decreſcit 738. caput iterum extollit 738. eorum dogmata 740. hodiernorum vita 743
Kenaei, an Eſſeni ex illis orti 760
Klippoth quid et quinam ſint 1032. adiurari poſſunt 1032
Knorrius a Roſenroth Cabbalae lucem accendit 921. ſeqq. eiusdem Cabbala denudata quid comprehendat 922. ſeqq.

L.

Laboris vtilitas 914
Lapſus primi hominis quomodo factus 1047
Lectuli lucubratorii apud Romanos 584
Legati Athenienſes philoſophi, quo tempore Romam miſſi 7
Lex, in interpretatione illius ad quodnam attendendum 741. oralis, anima Phariſaismi 748. datur praeter legem ſcriptam 750. non ſcriptae reiiciuntur a Sadducaeis 721. affirmatiuae non obligant foeminas 873. earum diuiſio apud Iudaeos in affirmatiuas et negatiuas 872. illis veſtita ſit anima coram Deo apparitura 1047. Moſaicae quales 859
Legio fulminatrix 594
Leonidae Iſopſepha quid 974
Liberator humani generis, ita ſe Simon Magus praedicat 673. et Menander 680
Libertas agendi cui tribuenda 417. quanam in re verſetur ib.
Liber ſapientiae Salomonis an ab ipſo Salomone conſcriptus 693. Platonismi Alexandrini veſtigia in eo deprehenduntur ib. quisnam eius auctor 693. loca quaedam Platonismi ſuſpecta adducuntur 694. ſeqq.
Libri, multorum Varro eſt auctor 30. Cabbaliſtici Iezirah, Sohar et Bahir cui adſcribendi 711
Linea quaedam recta lucis emanantis canalis fuit 998
Lilith qualis Spiritus 895. quid ſit 1021. et 1033. ex eo lemures et ſpectra nocturna 1033
Locus in materia non eſt 420
Logica, illam ſcripſit Maimonides 859
Λογος quid hac ſub voce intellexerit Philo 808. 811. cum Alexandrinorum conciliatur Adam Kadmon 1002
Longinus, natiuitas eius et educatio 214. variis locis in ſtudia litterarum incumbit 214. quosnam audiuerit philoſophos 214. Platonis memoriam quotannis conuiuio celebrat 214. philologi magis quam philoſophi nomen meretur 215. nomen eius pro critico excellentiſſimo habetur 215. viua vocatur bibliotheca 215. multum valet apud Zenobiam 215. interficitur 216
Loquacitas multa habet praecipitia 157
Lucerna fictilis Epicteti magno pretio venditur 573
Lucianus an dixerit, Peregrinum a Chriſtianis pro Deo eſſe habitum 519. quando vixerit 615. artem ſtatuariam diſcere debet 616. ſomno monetur quamnam artem profiteri eum oporteat ib. cauſſas dicit 617. eloquentiam excolit ib. per varias terras proficiſcitur 617. philoſophiae ſe tradit totum 617. ſanas de philoſophia habet notiones 618. ſectarios philoſophos ludibrio habet 618. Epicuri fauet ſectae 619. omnem philoſophorum gentem inter impoſtores numerat ib. in ridendi arte excedit 620. Chriſtianam religionem ſarcaſmis excipit 620. an atheus fuerit 621. Aegypti procurationi prae-

Digitized by Google

praeponitur 622. quo mortis genere vitam finiuerit 622. quo aetatis anno obierit ib.
Lucretius, quinam eius vitam ſcripſerint 67. amatorio poculo in furorem verſus eſt ib. propria manu ſe interficit 68. phyſiologiam Epicuream eleganti ſtylo conſcripſit ib. an principia ſua interdum fuerit oblitus ib. vitiis infenſum ſe praebuit 69. atheiſmus eius 69. editiones carminis eius ib.
Lucullus philoſophiae Graecae apud Romanos fautor maximus 16
Lumen ex Deo vndecunque radians quidnam 673. ex illo naturae diuinae effluxerunt 674
Luſtrationes quid efficiant 437
Lux ſuprema quando extenſa fuerit 996. eius ſplendor 997
Lydda, ſchola ibi Iudaica celebris 815

M.

Maaſeh Bereſchith quid 975. Mercauah quid 975. vtrum comprehendat Cabbalam practicam an doctrinas Sephirothicas 976
Macrobius philoſophiae Alexandrinae deditus 256
Macroproſopos quid 1021
Magia, naturalem cum ſuo damno exercet Anaxilaus Lariſſaeus 86. an a Iudaeis poſt captiuitatem Babylonicam culta 703
Magnus, quis ita vocatus 313. 315
Magus Deorum minifter eſt 152
Maian Chochma libri quis auctor 928
Maimonides librum eccleſiae Iudaicae ſymbolicum conſtituit 869. vid. Moſes.
Malkuth quid 925
Malum, morale vnde deriuetur in Eclecticorum ſchola 458. intra puluerem terrae putreſcit 1047
Manilius Stoicus fuit 79. an pantheiſmi fautoribus aggregandus ib. an cum Spinoza faciat 79
Marinus, quemnam ſibi propoſuerit ſcopum in deſcribenda Procli vita 318. quisnam fuerit 337. Proclo in philoſophica Athenienſi cathedra ſuccedit ib. an ſcriptorum mathematicorum ſub eius nomine exſtantium ſit auctor 337. infirmo fuit corpore 338. Athenis Epidaurum ſeceſſit 338. diſcipuli eius ib. Athenis mortuus eſt 338. Grammaticos rhetoresque quaeſtionibus criticis vexat ib. vultu fuit grauis et lingua diſertus ib.
Martyr, an in eorum contumeliam concremtio Peregrini ſit excogitata 525
Masbathaei quinam 788
Materia nunquam informis exiſtere voluit 407
Materia quid 419. eſt in mundo quoque intelligibili ib. primae nihil prorſus eorum, quae in ipſo ſenſibilium genere percipiuntur, tribui poteſt 419. indefinita eſt ib. non eſt nomen inane 420. non eſt actus ſed potentia ib. apta eſt ad Deos ſuſcipiendos 452. quomodo Deus eam produxerit 455. tenebricoſa extra diuini pleromatis lumen creditur a Simone Mago 675. non poteſt creari 980. nec poteſt a ſe exiſtere ib. nulla eſt in rerum natura 980. 988. 989. qua re orta 981. ex nihilo prodire non potuit 988. praeexiſtentis dogma abſurdum 989. eiusdem origo 1026. non habet entitatem ib. quid ſit 1027
Materialitas quid ſit? 964
Maximus Epheſius, eius genus 281. valde diſertus eſt 282. Alexandrinam philoſophiam diſcit ib. Aedeſio et Soſipatrae charus ib. Iulianum inſtituit ib. ingenti cum comitatu Conſtantinopolin appulit 284. benigniſſime ab imperatore excipitur ib. ab aulicis honoratus ib. elatior inde factus ib. ad bellum Perſicum cum Imperatore proficiſcitur ib. in cuſtodiam redux rapitur 285. mulcta ei imponitur ib. iterum quaeſtioni ſubiicitur ib. cauſſa inquiſitionis quaenam ib. a Clearcho vinculis eximitur 286. reuerenter habetur ib. vaticinio de imperatoris morte et ſucceſſore intereſt 286. ſeq. interficitur 287. mortem eius diuina Nemeſis vlta eſſe dicitur 287. dotes corporis et animi eius 288
Mathematicus, varia huius vocis ſignificatio apud veteres fuit 635. not.
Matrimonii lex qualis 897

Mediator, Eclecticorum de mediatoribus doctrina 433. seqq.
Medicina cum corpore etiam animae curam habet 157. Alexandriae maxime culta 185. not. a. quare illam respuerit Plotinus 225
Menistae, quinam 788
Mens, eius progenies ex sententia Eclecticorum quae 401. diuina quomodo per suas ideas in materiam agat 404
Metatron quid sit 1032. 1035. 1036
Metempsychosis Pythagorae cum Stoica metensomatosi ab Ouidio confunditur 78. in schola Eclecticorum 461. an a Pharisaeis credita 254. Cabbalistica quid sit 1047
Methodus Iudaeorum duplex 867. arcana vbi inualuerit 941. praecipue inter Ebraeos ib.
Microprosopos, quid 1024
Minerua, vnde Simonis Magi scortum apud gentiles ita dictum 672
Miracula nominibus diuinis effici posse 875
Mischna Iudaeorum quando facta 825
Mithra, noua eius cultus explicatio 1072. an apud Etruscos eius fuerit cultus 1080
Modestia Themistii inter summos honores depraedicata 487
Monachi cum Cynicis comparantur 501
Moralis philosophia orientalis 649. Eclecticorum 457. Iudaicae conspectus 911
Mors, quid ex mente Pythagorae 152. ex mente Secundi quid 160. philosophica quidnam sit 461. animae, quidnam ita dicendum, 742
Moses atticissans dicitur Plato 377
Moses Maimonides, natiuitas eius 857. praeceptores eius ib. apud Auerroem viuit 858. ad Muhammedanos se conuertisse dicitur ib. in Aegyptum fugit ib. Auicennae scripta conuertit ib. venenum sine noxa haurit 859. vbinam obierit ib. eruditio eius ib.
Motus non est qualitas entis 393. in primo est intellectu ib. quidnam sit ex Eclecticorum sententia 395
Mulieres philosophantes. vid. Foeminae eruditae.
Mulierum sermones vitandi, quare 915
Mundus ex mente Secundi quid 159. qualis ex Eclecticorum opinione factus 408. quomodo animatus ib. est duplex, intelligibilis et sensibilis 419. est quidem semper, nunquam vero non est 420. verus et primus quis 421. quomodo factus ib. totum quiddam pulchrum est 422. perfectus est ib. non perfectum in eo malum est ib. durat perpetuus 423. compositum quoddam est 425. mixta eius est natura ib. quando Deus sit ib. quomodo creatus ex mente Gnosticorum 648. ex Deitatis oceano effluxit 677. an creatus sit 883. an ex nihilo sit productus ib. et 884. non est a se 886. an totus interiturus sit 909. quibus partibus constet 981. materialis reuera spiritualis ib. redibit in statum meliorem 982. immanens naturae diuinae effectus 983. 990. 993. opus substantiae diuinae attributa sua varie modificantis 1022. per emanationem manifestatus Deus 990. ensophicus quid sit 995. quilibet mundus habet quatuor elementa 1030. qua re constituantur mundi ib. mundi Cabbalistarum quatuor Aziluth, Briah, Iezirah et Asiah 1022. seqq. quomodo orti sint 1029. eorum systematis delineatio 1025. seqq. eorum connexio Cabbal. 1044. emanatiui et creatiui mundi differentia 1067.
Musonius Babylonius Cynicus cum Stoico confunditur 501. ab illo est distinguendus 502. proximus ab Apollonio sapientia habetur 504. in carcerem coniicitur ib. commercium litterarium cum Apollonio init 504. in exilium mittitur vinculis constrictus, vt Isthmum fodiat ib. quo fati genere obierit 505. laudatur ib.
Musonius Rufus. genus ejus et patria 540. artium studiis se vehementer dedit 541. an Hermogenes eius fuerit praeceptor ib. ad philosophiam Stoicam animum applicat 541. exilio mulctatur ib. reuocatur Romam ib. an a munitionibus praefecto distinguendus. ib. viuendo etiam est philosophatus 542. quaedam eius dicta atque praecepta ib.
Musonitae quinam 788

Digitized by Google

Myſteria diuina male a Cabbaliſtis et ineptis Allegoriis exprimuntur 1061. eorum explicatio oralis olim obtinuit 936. ſeq.

N.

Naſi quis ita dictus 820
Natales Platonis conuiuio quotannis celebrat Longinus 214
Natiuitas, diem Natiuitatis ſtudioſe celat Plotinus 219
Natura corporea aequiuoce dicitur eſſentia 394. an genitricem ſtatuerit Ouidius 77. not.
Naziraei, an ex iis Eſſeni orti 761
Nepheſch quid ſit 1039
Neſchamah quid ſit 1040
Nihil, ex illo aliquid fieri poſſe docet Apollonius 157. ex nihilo nihil fit mente Eclecticorum 458. Gnoſticorum 646. ex nihilo nihil creari poteſt 980. 985. nihil ex ſe ipſo exiſtit, ſed omne per Adam Kadmon 992
Nicolaus Damaſcenus, quando vixerit 469. parentes eius ib. ſingularem laudem conſequitur ephebis nondum egreſſus 469. comoedias tragoediasque iuuenis ſcribit 470. Ariſtotelem ſibi imitandum proponit ib. humaniorum litterarum diſciplinas edoctus ad philoſophiam ſe confert ib. Platonem magni facit ib. ab imperatore Auguſto et rege Herode diligitur ib. vniuerſalem hiſtoriam ſcribere aggreditur 471. mores eius et virtutes ib. ſcripta eius 472
Nimbus, radiante circumfunditur caput Procli 332
Noetarcha, quare Deus ita dictus 455
Nomina diuina quot 875
Nonaria, quodnam ſcortum ita dictum 499. not.
Norma fidei et vitae non alia aſſumenda praeter ſcripta Moſis et Prophetarum 740
Notaricon quid ſit 973. vnde nomen 973
Numenius quando vixerit 176. magni aeſtimatur inter Platonicos ib. eius ſcripta Amelius memoria ediſcit 177. libri eius de differentia Academicorum a Platone 177. priſcos philoſophos ab Hebraeis veri Dei notitiam adeptos eſſe ſtatuit 177
Numerus non inter prima rerum refertur 321

O.

Obſcuritas Cabbalae quanta ſit 1058. ſeq.
Obſecrationes in Deos nullum locum habent 454
Oenomaus, an inter Cynicos referendus 509. ſcripta eius 511
Olympiodorus quando floruerit et qua in ſchola docuerit 490. an auctor commentarii in Ariſtotelis libros meteorologicos 491
Omnia ex vno effluxere 960
Opera ſupererogationis a Iudaeis praeſtita quaenam 713. bonorum non datur remuneratio alia, quam quae in hac vita 727. bona accipiunt praemium 898. iuſtitiam ergo ex iis conſequi licet ib. iuſtitiam conſequentia et cum Deo reconciliantia quae ſint? 899
Opiniones de origine Cabbalae diuerſae conciliantur 946
Opiniſtae apud Iudaeos, quinam 819
Oraculum vaticinii diuini ſpecies 446. in laeua manu inſcriptum conſpicit Aedeſius 272
Oralis lex a Sadducaeis reiicitur 721
Oratio, longarum Phariſaei ſunt ſtudioſiſſimi 756
Orbes coelorum quot 910. quales ib. vnusquisque ex octo aliis orbibus conſtat ib. orbis nonus in duodecim ſigna diuiditur ib. omnes habent animas ib.
Ordo rebus ineſt eique Deus praeſidet 156. hic mutari nequit ib.
Or Haënſoph quidnam ita vocatum apud Gnoſticos 646. explicatur 673. 996
Orientalis philoſophiae momentum 639. exiſtentia eius probata 640. nomen Gnoſticorum ſibi vindicat 641. origines huius ſectae 642. cum philoſophia Pythagorica Platonica quaedam dogmata habet coniuncta 644. metaphyſica quaedam et theologia fuit 645. eius de mundo viſibili placita 648. doctrina eius moralis 649. diſcordia ſectarum ex ea orta 650. ex Zoroaſtrea orta 651. difficultates in eius hiſtoria 652
Origenes an Porphyrii praeceptor aut condiſci-

discipulus fuerit 241. seq. an allegoriae methodum a Cornuto acceperit 540
Originem Cabbalae scire quid prosit 1060
Osiris quid 455. quis 961
Osseni dicuntur Essenі 765
Ouidius, philosophiae Graecae quidem interpres est, sed non ipse philosophus 77. an naturam genitricem statuerit ib. not. Pythagoreum systema et Empedocleam physiologiam exprimit 78. an systema historiae naturalis tradiderit ib.

P.

Parallelismus philosophiae Aegyptiacae, Orientalis, et Cabbalisticae 960
Particulae singulae infinitae sunt 980
Patria, omnis terra est censenda 151
Pauperem quomodo esse deceat 157
Paupertas, summam magno fert animo Demetrius Cynicus 508
Peccatum, an homines illud ex se ipsis agant 423. protoplastorum caussa mortis et calamitatum 857. inclinatio peccandi vnde oriatur 898. eius cogitationes grauiores ipso peccato 913. Adami vnde ortum 1034
Perdix vocem humanam intelligens respondet 247
Peregrinus Pseudo-Cynicus habetur 518. Proteus dicitur ib. lasciuiae deditus 518. parentem senem praefocauit ib. in fugam se confert 519. Christianorum sapientiam perdidicisse fertur ib. in Palaestina cum sacerdotibus conuersatus est 519. an a Christianis pro Deo sit habitus ib. an ad Iudaeorum transierit castra 520. an libros scripserit Christianos ib. an Ignatium Martyrem voluerit imitari 521. quare Cynici habitum sumserit 522. an e Christianorum coetu eiectus 523. in Aegyptum peregrinationem instituit ib. ex Aegypto in Italiam soluit ib. dicax est in imperatorem ib. ex vrbe relegatur ib. an cum Epicteto et Dione sit conuersatus 524. in Graeciam se confert, omnesque verbis lacessit ibid. contemnitur ib. se ipsum comburit ib. quid de eius vita a Luciano conscripta iudicandum 625. an concrematio eius in cometiam martyrum excogitata ib. laudes eius 526. eius aetas ib.
Pergamus vrbs eruditione celeberrima 184. ob templum Aesculapii morborum curationibus famosum clara ib. Alexandriae aemula 185. not. b.
Peripatetica secta Romae excepta 18. cultores eius apud Romanos 60. eius fata sub Imperatoribus 463. eius historia in classes distribuitur 464. quo fauore vsa 466. eius doctores syncretistae 477. genuini 479. decrescens philosophia peripatetica 492. obseruationes generales de hac secta sub Impp. 453. seqq.
Pharisaei, vnde orti 714. an a Mose 744. an Zacharias eorum sectam adumbrauerit 744. quando orti ib. seq. eandem cum Sadducaeis habent antiquitatem 746. vnde dicti 747. a communi viuendi ratione se separant 748. lex oralis et traditio anima Pharisaismi ib. vnde eorum familia tanta incrementa ceperit 749. eorum dogmata 750. vtrum Stoicorum propago sint censendi 752. eorum vita 756. eorum classes 757. vnde eorum auctoritas 758. vitia eorum ib. inter illos quoque foeminae fuere 759
Philo, familia eius 797. quando natus ib. Platonis eloquentiam et philosophiam sibi imitandam proposuit 798. Mosi Platonis dogmata adscribit ib. philosophiae contemplatiuae inhaerere optat 798. legationes ad Imperatorem suscipit 799. an cum Apostolo Petro sit locutus ib. an fuerit Christianus ib. Hebraicae linguae an prorsus fuerit ignarus 800. allegoriae studium amat ib. Platonicus Alexandrinus 801. an Platonismum reformatum professus fuerit 802. an creationem ex nihilo crediderit 884. 885. fuit Cabbalisticus et Pythagoreo-Platonicus 966
Philosophia, fata eius apud Romanos 3. seqq. quare a Romanis primis temporibus non admissa 6. Graeca Romae recepta 12. Stoica Roman. ICtis placet 14. quare 15. cur sectaria Romae admissa 20. Pythagoricae fata apud Romanos 23. ratio eius sub Caesaribus 70. Virgilii 71. Horatii

Digitized by Google

ratii 75. Ouidii 77. Manilii 78. historicorum Latinorum 81. quare philosophandum mente Apollonii 151. rerum omnium est praestantissima 152. Eclectica quaenam fuerit 189. seq. eius finis ex Eclecticorum sententia est liberatio a vinculis humanis 459. consistit in serio sapientiae studio 563. Iudaica, vid. Hebraei, eius conditio et indoles 862. cum illa theologia fere coincidit ib. confusa habet rationis et reuelationis principia 864. falsa est ib. orientalis 693. Aegyptiaca et Alexandrina qualis 944

Philosophus, Graecorum fata apud Romanos 10. an a Nerone vrbe eiecti sint omnes 118. vrbe et orbe Romano eos proscribit Domitianus 128. Philosophus ex mente Apollonii qualis 151. paucis ei opus est ib. liber est ibid. non mercedem pro philosophia accipiet ib. philosophus futurus quid sibi faciendum 542. quis sit 563

Philostratus, quare vitam Apollonii conscripserit 145

Physiologia, Empedocleam exprimit Ouidius 78

Pictoria ars an apud Romanos fuerit seruilis 583

Picus L. Franc. praecipuus in Cabbalisticos 918. 919

Pingi non se patitur Plotinus 226

Pirke abhoth liber quid comprehendat 911

Plagium, illius suspectus est Plotinus 230. et Proclus 233. et Iamblichus 256

Plato, eius libri quidam a Cicerone iuuene in latinum sermonem translati 36. atticissans Moses dicitur 177

Plenum quomodo mente Apollonii visibile et inuisibile fiat 153

Plinius senior, de patria eius disputatur 609. in iuuentute equestribus militiis perfungitur 610. libros de dubiis Grammaticis scribit ib. gratiosus est apud Vespasianum 610. sumine est industrius ib. eius historia mundi 611. eius philosophia quaenam 612. atheismus ei obiicitur 613. fatale eius exitium 614

Plotinus, quinam eius vitam scripserint 217. patria eius 218. quo tempore natus 219. diem natiuitatis studiose celat ib. octauo adhuc aetatis anno nutricis papillas fugit ib. serus ad philosophiam accedit ib. omnes Alexandriae scholas frequentat ib. sed omnes ei displicent 220. Ammonium vndecim annos auscultauit ib. Gordiani exercitui se adiungit ib. Romam venit 221. scholas philosophicas instituit ib. ad libros scribendos se accingit ib. non cum omnibus illos communicat ib. ordinis et elegantiae in scribendo non curiosus ib. non reiegit, quae scripsit 222. orthographiae nullam habet curam ib. inter meditandum cum suis verba facit ib. scripta sua Porphyrio tradit emendanda ib. libri eius ab aliis partiuntur 223. plures habet auditores quam sectatores ib. eum quoque audiebant mulieres 224. studio philosophiae tantopere deditus, vt somni atque cibi obliuiscatur ib. magna illius est aestimatio ib. facultates orbatorum liberorum ei traduntur administrandae ib. plurimorum ciuium est arbiter 225. ab imperatore colitur ib. ciuitatem iuxta Platonis leges instituendi facultatem sibi expetit ib. non firma vtitur sanitate ib. quare medicinam respuerit, abstinueritque a balneis ib. non se pingi patiebatur 226. quare ib. in anginam incidit miserandaque moritur morte ib. temperamentum eius 227. philosophia eius spectat ad Enthusiasmum 227. 230. multum laudatur 227. Diis est familiarissimus 228. incantatorem incantationibus vincit 229. quanta fides oraculo de illo sit habenda ib. valde obscurus est et subtilis ib. inde laudatur ib. ad ecstases rapitur 230. plagii expilatique Numenii suspectus est ib. astrologicas vanitates contemnit ib. Deum summum vidisse iactat ib. impostor fuit et praestigiator 231. successio scholae eius ib. Ammonii systema exornat et ad fastigium ducit ib. an eius schola iure meritoque Alexandrina sit vocanda 232

Plutarchus, eius natiuitas 179. iudicium eius mediocre ib. magis in moralibus quam physicis valet ib. an philosophis

summis annumerandus ib. ingenii fertilitate est gauisus ib. et memoria vsus excellenti ib. eius familia ib. vitam eius quinam scripserint ib. quo tempore vixerit 180. iuuentutem mature reipublicae applicuit ib. apud Traianum valde gratiosus est ib. an epistola ad illum ab eo scripta ib. senex latinam linguam didicit ib. procurator Graeciae factus ib. philosophiam docet Romae ib. plura eius scripta interciderunt 181. reliqua magni aestimantur ib. plus agit philosophorum interpretem, quam ipsum philosophum 182. scepticum agit ibid. maxime fauet Platoni et Academiae veteri ib. Stoicis et Epicureis est infensus ib. an inter Dei hostes referendus ib. quando obierit 183

Plutarchus Nestorii quando vixerit et quosnam praeceptores habuerit 312. an Iamblichum ipsum audierit 313. non conciliatricem tantum Ammonii sed et theurgicam Plotini philosophiam edoctus est ib. magnus appellatur ib. scripta eius deperdita ib. maxime in theurgia excelluit ib. liberi eius Philosophi 314. multos habet discipulos ib. peculiari eius nomine discipuli appellantur ibid. quot annos vixerit ib.

Pneumatologia Cabbalistica 1030

Podagram laudat Lucianus 622

Poenitentia vera quemuis tollit reatum 743

Poëta, Latinorum poëtarum philosophia qualis 71

Portae prudentiae quae, quid, et quot sint 1051

Politices professores Athenis an ab rhetoribus fuerint distincti 310

Polygamia est reiicienda 727

Porphyrius, vnde nomen acceperit 214. 241. an illi in Plotini vitae enarratione fidendum 217. Christianae non fauet religioni 251. Plotini scripta emendat 222. 244. de suis quaedam illis adiicit 223. an Amelii fuerit discipulus 235. quinam vitam eius scripserint 236. eius patria 237. an Iudaeus fuerit ib. quare Batanaeota dictus 238. vnde se Tyrium dixerit 240. Malchi nomen in patria gerit 241. quando natus ibid. Origenem Adamantium fere puer audit ib. ex eius schola ad Longinum discedit 242. in elegantiores incumbit litteras 243. multos legit libros ib. Ammonii philosophiae studet ib. Romam venit ib. a Plotino benenole recipitur 244. diligens est in addiscenda eius philosophia ib. praeceptorem Plotinum defendit ib. litterarum commercium cum Plotino fouet ib. melancholia opprimitur ib. de se interficiendo cogitat ib. pro furente habetur 245. in Siciliam proficiscitur 246. pestilentissima contra Christianos scripta exarat 246. libris philosophicis scribendis manum admouet 247. Carthaginem se confert ib. Romae docet 248. magnam consequitur gloriam 248. Deum sine imagine videt ib. Plotini vitam scribit 248. quando obierit ibid. in coniugio vixit 248. multos habet discipulos 249. temperamentum eius 249. an summus philosophus sit habendus 250. theurgicis imposturis operam dat 250. supra has artes se emersisse gloriatur 251. hostis Christianorum infensissimus 251. an Christianus fuerit 251. seq. non fuit apostata 253. Christianae doctrinae non ignarus in illam insurgit 255. libri eius prohibiti ib. refutantur ib. male habetur 255. Ariani publico edicto Porphyriani ab illo dicuntur 256. ingenium eius et eruditio 257. multos scripsit libros varii generis 258. quinam de illis nobis adhuc superfint ib. quidnam de eius historia philosophica iudicandum 258

Potamo, quare Eclecticae sectae auctor nominatus 193. quo tempore vixerit 194. seqq. aetas eius definita 198. eius philosophumena 203. Platonicos cum Stoicis et Aristotelicis conciliat 204. sequitur Stratonem et Democritum 204. et Epicurum ib. Stoicos et Peripateticos coniungit ib. schola eius cum ipso interiit 205

Praeexistentia animarum 887. animarum omnium in Adamo 1047

Praeiudicia in Cabbala vitanda quae sint 1056

Digitized by Google

Praefcientia diuinum quid et fupernaturale eſt 444. quomodo fiat ib. neceſſitantis dogma abſurdum 881
Preces, inter illas Iamblichus ab humo attolli traditur 264. Aſclepigenia precibus Procli ſanatur 314. an Dii illis afficiantur 437. ad Deos ſunt dirigendae 438. quomodo illas ad ſe recipiant Dii ibid. magna pars ſunt ſacrificiorum 453. amicitiam nobis ad Deos conficiunt ibid. quomodo in illis coram Deo comparendum 743
Principes vitandi 915
Principium Eclecticorum de illo doctrina 395. rerum vniuerſarum duo ſunt ex Potamonis ſententia 204. rerum omnium principium quid 960. ex hoc omnia principia bona 960. ſecundum quid 960. 961. duo, an ſtatuerit Simon Magus 675
Proclus, vitae eius ſcriptor qualem ſibi propoſuerit ſcopum 318. patria eius et parentes 319. genethliacon eius 320. an claſſem Vitaliani Thracis ſpeculis vſtoriis combuſſerit 320. annus eius natalis 320. totum ſe litteris tradit puer 321. adoleſcens ab Apolline ſanatus dicitur ibid. Alexandriam profectus eloquentiae et elegantioribus litteris ſe tradit 321. a Leone Iſauro in familiam recipitur ac filii inſtar habetur ib. grammaticam excolit 321. magnos in lingua Romana facit progreſſus 321. iurisprudentiae ſe dedit ib. dicendi arte clarus eſt ib. cum Leone natale ſolum inuiſit 321. a Minerua in ſomnio excitatur, vt Athenienſium inuiſeret ſcholas 322. Alexandriam reuertitur ibid. philoſophos frequentat 322. praeceptoribus eſt acceptus ibid. condiſcipulis praeceptorum lectiones exponit 322. Athenas contendit ib. in Syrianum incidit 323. ad Plutarchum Neſtorii deducitur 323. ab eo inſtruitur ibid. a Syriano ſuſcipitur 323. quare Diadochus vocatus 323. not. a Syriano in conuictum recipitur 324. diu noctuque ſtudiis inuigilat ib. annum agens XXVIII commentarium in Platonis Timaeum conſcribit 324. theurgiam ab Aſclepigenia diſcit ibid. theurgum ſe praeſtat mirabilem 324. a Syriano ſucceſſor deſignatur ib. eruditio eius 325. induſtrius fuit in docendo 325. plurima ſcripſit ib. rudis ſaepe indigeſtaque moles in illis deprehenditur 326. magnum diſcipulorum nanciſcitur numerum ibid. virtutes eius corporis et animi 328. conſultationibus politicis ſaepe intereſt 328. pro bonarum litterarum profeſſoribus intercedit ib. profeſſores ad diligentiam cogit 329. amicorum ſalutem curat ib. cibi et potus eſt parciſſimus 329. in Aſiam proficiſcitur 329. coelibem vitam agit ib. pietas eius laudata 329. conuerſatio eius cum Diis prorſus familiaris fertur ib. frequentes habet apparitiones 330. omnium gentium numina colit 330. vna Iudaeorum et Chriſtianorum religione excepta 331. an a Chriſtianis quaedam in colendis numinibus receperit ib. miranda in theurgia perfeciſſe dicitur 331. caput eius nimbo radiante circumfunditur 332. diuinae inſpirationis particeps creditur ib. ſuperſtitioni fuit addictiſſimus 332. vniuerſis defunctorum animabus ſacra facit 333. iudicio caret ib. fraudibus vtitur 333. plagii crimen in illum cadit ib. ambitioſus eſt 334. caſtitas eius in ſuſpicionem adducta 334. ira eius quomodo a Marino excuſatur ibid. pecuniam amat 335. quomodo ſe in morbo geſſerit 335. quando obierit diem ſupremum ib. quonam loco ſepultus 336. ad ſepulchrum eius thura affert Iſidorus 336. ſcripta eius ib. iudicium de illis 336. hiſtoriam philoſophiae adulterauit 336. ſucceſſores eius 338
Prometheus, an vincula eius ex petris ſuſpenſa ſupereſſe Damis viderit 109
Proprietates diuinae quomodo vocentur 878
Proteus, quisnam ita dictus 518
Prouidentia accuſari non poteſt, quod homines non fecerit Deos 423. vtrum a Sadducaeis negata 726. Dei circa omnia verſatur 742. illam fatum eſſe credidерunt Phariſaei 751. diuinae influxus in omnes res vel minimas 889
Proximus non iudicandus 915
Prudentia, vis animi ab illa non ſeparanda 152

Pſychologia Cabbaliſtica cur tam obſcura 1038. ſeq. Eclecticorum 411. Platonica explicata 1084
Pſeudophiloſophiae characteres ſunt in philoſophia Cabbaliſtica 959
Phtha quidnam ita dictum 455. et 561
Purgatio duplex vel theurgica, vel anagogica 281. animarum eſt philoſophiae finis 459. duplex 461. animarum Cabbaliſtici quid ſit 1048
Purgatorium datur 902. vnde hoc dogma hauſtum 903
Puteoritae quinam 788
Pyrrhoniae ſectae apud Romanos cultores 69
Pyrrhoniſmus ſobrius vbi locum habeat 957
Pythagoricae philoſophiae fata apud Romanos 23
Pythagorica ſecta, an poſt C. N. refloruerit 85
Pythagoreus, quaenam ab illo diſcenda 152

Q.

Qualitas non inter prima rerum refertur 393. quidnam in eius genere ponenda 395. quae qualitates nominantur, actus ſunt 420
Quantitas non inter prima rerum refertur 393. quanam in re ponenda 396
Quies quid ſit ex Eclecticorum ſententia 395

R.

Rabbanitae Phariſaeorum propago genuina 750
Rabbanus, qui primus ſe ita dixerit 794
Raſcho tebhoth quid ſit 973
Ratio ſeu λογος quid 421. quomodo ex illa pullulauerit vniuerſum 421. artifex mundi non omnia fecit aequaliter perfecta et bona 423. ſeminaria mundi quid ibid. ſeminales quaenam ſint 425
Rechabitae an Eſſenorum parentes 760
Remuneratio bonorum operum alia, quam in hac vita, nulla eſt 727
Requies, quid ſit 395. quando nobis contingat 418
Res in ſapiente quot 913
Reſurrectio, an Samaritani illam non crediderint 665. illam Simon negauit 679. negant et Sadducaei 725. 726. an tantum bonorum a Phariſaeis credita 754. mortuorum reuelatione et ratione euicta 904. 905
Reſuſcitatio corporis nulla creditur 679. an Menander illam ſtatuerit 681
Reuolutio animarum quid 904. vnde hauſta ſit ib. corporum quid 906. magna vniuerſi 1033. vnde hoc dogma hauſtum 1033. in genere quid 1047. earum cauſſae quae 1048. modus eiusdem poſſibilis quis ſit 1048. eiusdem ordo ibid. eiusdem gradus ib. ea impio plus nocet quam prodeſt 1049. pio diuturna et iterata multum prodeſt 1049
Romani, tempore poſt reges proximo nullum philoſophiae dederunt locum 5. quare philoſophiam non admiſerint 6. quare a moribus litterisque aliarum gentium veteres abhorruerint 20. quodnam philoſophiae genus ſint ſecuti 20. ſeq. vnde Academiae mediae et nouae philoſophiae placita Romanis valde arriſerint 33
Ruach explicatur 1039

S.

Saadias Gahon quibusnam ex cauſſis in hiſtoria philoſophica attentionem mereatur 848
Sacerdos, Platonicus brutis quibusdam ſpiritibus imperare poteſt 448
Sacrificium, quare a cruentis abſtinendum 157. illorum effectus cuinam tribuendi 450. illorum ritus connectuntur et comparantur ad Deorum ordines 451. quare diuerſis opus 452. quodnam perfectiſſimum ib. non Diis indignum offeramus 453. preces magna pars ſunt eorum 453. ſacrificia an fecerint Eſſeni 772
Sadducaeorum ſecta vnde enata 714. primae eius origines incertae 715. quomodo orta 716. magna inter Iudaeos gauiſa eſt auctoritate 719. an de traditionum neceſſitate cum Phariſaeis diſputauerint 720. athei habentur ib. diminuitur 720. recentiori aetate nunquam emergere poteſt 720. Saracenorum perſecutionem experta 720. eorum doctrinae 721. an praeter

Digitized by Google

praeter Pentateuchum nihil admiserint 721. eorum vita 728. Epicureis annumeratur 729
Salaria professoribus omnium disciplinarum a M. Aurelio Antonino Athenis constituta 310. a sequentibus imperatoribus vero illis plane sunt ademta aut valde imminuta 311
Sallustius Cynicus, patria eius et genus 527. ad iurisprudentiae studia se applicuit 527. Demosthenis orationes edidicit ib. Alexandriae eloquentiae studet 527. Athenis Proclum audit 527. Cynicum philosophandi genus eligit 528. quomodo dolorem contemnere didicerit 528. odio in philosophos ducitur magno ib. cum Iulidoro Alexandriam secessit 528. vrbanus et eloquens est 529. falsae homines perstringit ib. impietatis suspectus factus est 529. an libelli de Diis auctor 530
Samaritae quinam 788
Samaritanorum historia 661. Cuthim a Iudaeis vnde dicti 661. varios coluerunt Deos ib. Iudaeos auersantur 662. cum iis vnionem inire laborant 662. doctrinam suam emendant 663. eorum doctrina 664. an Idola coluerint 665. an resurrectionem non crediderint 665. contra Peripateticos disputant 683
Sandalphon quis sit 1035
Sapiens quo animo paucis contentus est 157
Satisfactio, eius genera atque classes apud Pharisaeos 750
Satyrae a Varrone scribuntur 32
Sceptica secta, eius historia quare brevis 627. Romanis quare non accepta ibid. quidam eius assectae celebriores 629. sectae nomen refugit 637. Christiani se opponunt illi vehementer 638. prorsus euiluit ib.
Schaar haschamaim libri argumentum 953
Schammai Hillelis collega 795. schola eius celebris ib. acerrime contra traditiones disputat 795. dissensio inter illum et Hillelem orta 796. truculenti animi fuit 796
Scholasticus, quidnam haec vox Romanis denotauerit 37. not.
Scutum Dauidicum quid sit 971
Scribae apud Iudaeos quinam fuerint 738
Sebaste vrbs Samaritanorum exstructa 664
Seburaei, quinam 819
Secta peripatetica Romae excepta 18. eiusdem fata sub imperatoribus 463. Academicae sectatores apud Romanos 25. seq. Alexandrina 231. Cynicae fata sub imperatoribus 496. seqq. Eclectica 189. seqq. Epicurea 599. Essenorum origo 759. Gnosticorum 641. seqq. Hebraearum origines 712. Karaeorum 706. 714. 730. seqq. Pharisaeorum 714. 744. seqq. Pyrrhoniae inter Romanos fata 69. Pythagorica an post C. N. reflоruerit 85. Sadducaeorum 714. Scepticae fata et sectatores apud Romanos 627. seqq. Sextia, quaenam fuerit 87. seqq. Stoicae inter Romanos assectae 50. fata eius sub imperatoribus 531. seqq. Platonica post C. N. emergens 162
Seir Anpin quid sit 1021. it. 1032
Semitae sapientiae quae et quot 1049. quid sint 1051
Seneca, L. Annaeus, quinam eius vitam scripserint 545. patria eius ib. parentes eius 546. quando natus ib. fratres eius 546. philosophiae studio prae eloquentia se dedit 547. Sotionem habet praeceptorem 547. ad Stoicos transit ib. vtrum sectariis an Eclecticis sit annumerandus 547. patris iussu causias agit 549. honores eius et matrimonium ib. adulterii suspectus in exilium mittitur 550. philosophiae et litteris elegantioribus ibi indulget 550. reuocatur intercedente Agrippina 551. Neroni praeficitur ib. ampliſſimis opibus affluere coepit post reditum 551. Neronis animus ab illo alienatur 552. missionem ab aula flagitat ib. quo animo mortis nuncium acceperit 553. mors eius 554. animi et corporis eius qualitates ib. dictio eius sententiarum abundantia plurimos cepit 555. reprehenditur eius dicendi ratio 556. iudicium de illa 557. historiae

Digitized by Google

riae philoſophicae eſt gnarus 558. laudatur ib. criminatur 559. defenditur 560. atheiſmus ei obiicitur ib. an cum Apoſtolo Paulo familiaritatem habuerit ib. an Chriſtianus fuerit 561
Senſus, eius obiecta 401. differt ab intellectu ib.
Sepher haaemunah quid comprehendat 868
Sephirae quid ſint 992. omnia ex iis oriuntur 992. 1004. vnde nomen 1003. ſunt Deo poſteriores 944. earum ordo 1005. an delineationem regni Meſſiani contineant 1001. an ſint decem angeli Deo propiores 1012. an ſint decem categoriae Ariſtotelis 1012. ſeqq. an ſint ſyſtema aliquod Aſtronomicum 1013. ſunt entia media quibus eſſentialitatem ſuam Deus explicuit 1015. quibus aliis nominibus veniant 1015. ſunt diſtinctae a Deo, quomodo 1015. et ſeqq. non ſunt creaturae ſed eſſentialia Dei inſtrumenta 1017. ſitae in Adam Kadmon 1017. quo pacto ſint cauſſa prima 1018. cur perſonae vocentur ib. ſunt diuinitas determinata ib. earum emanatio quaenam ſit 1018. 1019. ſunt numero decem, quare 1019. ſunt inter ſe perfectionibus diuerſae 1019. 1020. quomodo ſibi ipſis ſint ſubordinatae 1020. tot ſiunt Sephirae quot Adam Kadmon radios luminis emittit ib. habent quaelibet vas ſuum ibid. earum emanatio qualis 1020. 1021. quomodo vocetur 1021. omnes nomine tetragrammato continentur ib. ex eisdem mundi producti ib. earum coniunctio explicatur 1029. iisdem vt aſſimilentur, corticum deſiderium vnicum eſt 1033
Septuaginta interpretum verſio quando facta 685. an ante illam iam exſtiterit verſio quaedam Bibliorum Graeca 688
Sepulchrum, ad Procli thus affertur 536
Sextus Chaeronenſis, praeceptor Marci Aurelii conſtituitur 575. Aurelius iam imperator eum adhuc frequentat ib. an vna cum imperatore ius dixerit 576. cum Sexto Empirico confunditur ibid. ſcripta eius 577
Sextus Empiricus, patria eius 631. quare Empiricus dictus 631. an fuerit methodicus ib. Alexandriae vixit 632. Chriſtianus non fuit 633. a Sexto Chaeronenſi diſtinguendus 633. libri eius aduerſus mathematicos 635. quando vixerit 636
Sextius, Q. nouam inter Romanos inſtituit ſectam 87. ſeqq. rerum naturalium fuit peritiſſimus 90. an enchiridion illud ſententiarum moralium illi attribuendum ibid.
Signa coeleſtia quando ſibi reſponderint? 910
Silentium per totam vitam obſeruat Secundus 158
Simeon ben Iochai quando vixerit 839. fabula de eius habitatione in ſpelunca ib. librum Sohar in illa conficit 840
Simon Magus, hiſtoria eius valde obſcura et intricata 667. idem cum Simone illo, qui cum Paulo eſt congreſſus ibid. Samaritanus fuit 668. in Aegyptum deſcendit, vt artes magicas ibi diſceret ib. Dei virtutem ſe dicit 669. an pro Deo habitus ib. an ſtatua illi poſita 669 quid per Dei virtutem magnam intellexerit 670. an haereticorum parens fuerit ib. quid ſibi voluerit, quum ſtantem ſe dixerit 661. ſcortum eius Helena ib. vnde illam Mineruam apud gentiles dixerit 672. cum hac foemina miſſum ſe iactat ad liberandum mundum 673. philoſophia eius explicata 673. an duo principia ſtatuerit 675
Simulacra non ſunt toleranda 743
Sohar libri Cabbaliſtici auctor quis 714. eius hiſtoria 814. quid ſit 911
Sol, an Eſſeni ſolem adorauerint 768
Sophe tebhoth quid ſit 913
Sopater ob eloquentiam laudatus 262. not. a. qualia fata habuerit in Conſtantini aula ib. an a Conſtantino interfectus 262. not. b.
Soſipatra vxor Euſtathii 275. fabula de illius inſtitutione a peregrinis colonis ib. ſcit quae non vidit 275. plenius eruditur 275. et quidem a geniis 276. difficillima

Digitized by Google

ficillima quaenis explicat 276. Euſtathio nubit et matrimonii ſata praedicit 276. liberos ſuos inſtruit ib. abſentia ſcit et praedicit futura 276. Philometorem amat ib.
Sotion, cui ſectae addictus 96. an Eclecticis aggregandus 97
Speculum, an vſtoriis Vitaliani Thracis claſſem combuſſerit Proclus 320
Sphaerae mundum ambientes quales 910
Spinoza an Cabbaliſta 1067. eius concordia cum Cabbala 1055
Spinoziſmus num ſit in Cabbala 1054
Spiritus, an illos negauerint Sadducaei 724. dari a Phariſaeis creditur 755. an ſit omne exiſtens 980. hic qualis 981. eſt eſſentia diuina 989. ex hoc cuncta emanare debent 989. Spiritus in ſtatum impenetrationis migrantes quid ſint 981. 982. habent veſtem materialem 1034. aëriorum natura quae 1037. eorum corporum corruptibilitas 1037. ſeqq. vitalis ortus 1045. ex ſomno quid praeſtet 1045
Statua, an Simoni Mago poſita 669
Status rei in primo eſt intellectu 393. non eſt qualitas entis ib. animae poſt mortem immediatus 1046. poſt mortem mediatus et ſucceſſiuus ib.
Stellae non mutant naturam 424. quare futura portendant ib. minores et maiores 910
Stoicae ſectae inter Romanos aſſeclae 50. fata eius ſub imperatoribus 531. quisnam illius nouum quaſi fundamentum iecerit ib. ICtis Romanis perplacet 531 aliis ſapientiae ſtudioſis arridet 531. admiratur 532. verba et doctrinam Chriſtianorum eſt imitata ib. a Chriſtianis magni aeſtimatur 533. hypocriſis et fucata eius virtus habetur 533. viros ſummos foeminasque illuſtres habet ſectatores 534. Antoninorum aetate maxima incrementa habet ib. in cathedra publicum honorem et ſtipendium meruit 534. an ludos aperuerit Romae ibid. conuictus eius philoſophici 535. cum reliquis ſectis bella gerit 535. ad Syncretiſmum prolabitur ib.
Subſtantia ex mente Eclecticorum quid 394
Suffitus ſacer rite peractus cur Deos moueat 449
Suidas, Lexicon eius male habitum 200
Super-ens quid ex mente Eclecticorum 395
Superbia Phariſaeorum intolerabilis 756
Superſtitio, quaedam eius genera tam flagitioſa quam atheiſmus 182
Supplicationes, quid de iis cenſendum 437
Syncretiſmus, aduerſus philoſophicum ſcribit Taurus 170. et Atticus 175. fundamentum Eclecticae eſt philoſophiae 190. 191. 359. Platonicorum inter Platonem et Ariſtotelem quando inceperit 477 Peripateticorum 475. Stoicorum 535. philoſophiae Iudaicae noxius 865
Syſtema, Cabbaliſtici delineatio generalis 583
Syſtema emanatiuum apud Eclecticos quale 395. 428. 462. apud Gnoſticos quale 645. an a Simone Mago propoſitum 675. Philonis 809. emanatiuum vbi receptum 944. 950. 960. vera clauis myſteriorum Cabbaliſticorum 968. Orientalis et Alexandrini concordia cum Cabbala 1062. ſeparatorum explicatur 582
Syllogiſmus, eorum figuram quartam innenit Galenus 488
Symbolicam myſteria occultantem rationem vbi acceperint Iudaei 868
Syrianus, an Gazaeus fuerit 315. a Plutarcho ſen. ſucceſſor deſignatur ib. magna Iamblichi admiratione capitur 315. philoſophiam ſyncretiſticam amat ib. methodus eius docendi 315. libri eius ib. ſummo loco habetur Athenis 315. multos habet diſcipulos 315. magnus vocatur ib. not. magni a Proclo aeſtimatur 317. Procli epitaphium in illum ib. in ſomnio Proclo viſus 317

T.

Talismanes, contra illos pugnat Iamblichus 447
Talmud, illius prima fundamenta poſuit Hillel

lel 794. origines explicatae 822. in Arabicam linguam conuertitur 850
Tanaitae, quinam 818
Tarsus, precibus ciuis sui Athenodori vectigalibus leuatur 536
Traditio oralis, quando apud Iudaeos introducta 704. an de eius necessitate cum Pharisaeis disputauerint Sadducaei 720. reiiciendas esse statuerunt Sadducaei 721. et Karaitae 740. an a Mose 748
Terra ex mente Secundi quid 160. quasi contrum mundi est et velut vna ex stellarum numero 423. omnia elementa in se continet 426. est animal ib. non inepta est motui ibid. sentire potest ib. eius magnitudo 910. descendit 911
Themistius, patria eius et parentes 484. iuuenis libros Aristotelis illustrat 485. quibusnam in locis docuerit 485. multis gaudet discipulis ib. ad grauissima euehitur munera ib. imperatoribus gratus est 486. praefectus vrbis Constantinopolitanae constituitur ib. an Arcadium Theodosii filium erudierit 486. quo vsque vixerit 486. mores eius et virtutes 487. an Christianus fuerit 488
Themurah quid sit 973. eius species Alba et Atbasch ib.
Theologia Iamblichiana explicata 431. seqq.
Theologumena arithmetica, quis eorum auctor 161
Theogonia Ouidii, qualis 77
Theophrasti libri Romam deportati 11
Therapeutae cur in multis ab Essenis differint 764. diuersae de illis sunt opiniones 779. quaenam Philo de illis narrauerit 779. seq. an gentiles fuerint philosophi 783. an fuerint ascetae Christiani 784. an certa Essenorum fuerint familia 785. vnde nomen eorum 786. philosophia eorum quaenam 787. praecipue receperunt Cabbalisticum systema 945. 946
Theurgia, nihil in illa potest praestari, nisi adsit aliquis superum spectator operis et consummator 447. in illa omnia nascuntur ex caussa diuina ib. non huc Magi aduocandi ib. eius effectus 457. eius gradus 459. virtutes theurgicae quaenam 461
Thronus quid sit 1032
Tiberias, ibi erigitur schola Iudaica 815
Tipheret quid sit 1030. influit in Malchûth 1034
Tragoedias scripsit Nicolaus Damascenus 470
Transmigratio animarum, vid. Metempsychosis.
Tribus Iudaeorum an in Americam deductae 654
Trinitas, qualem Plotinus admiserit 398. Platonica consideratur 410. Philonis quaenam 806. Cabbalistica quid sit 1008. haec conspirat cum Alexandrinorum trinitate 1009. ea ipsa refelli Cabbalistae possunt 1010
Trogloditae quinam 788
Trophonii antrum describitur 133

V.

Vacuum ante creationem nullum 996. quando ortum fuerit 997. ortum circulare fuit 997. in hoc lux infiniti puncta et vestigia impressit, quae ad recipiendam lucem erant facta 997. et 998
Vapor exhalans ab animalibus cur Deos moueat 449
Varro Academiae veteris famam inter Romanos optime vindicat 30. primus philosophiae rationalis praecepta latino explicuit sermone 32
Vaticinium, de eorum generibus quaenam a Diis 446
Vaticinatio, diuinae fructus 457
Vehiculum quodnam daemonibus inseruiat 451
Velum ab occulto occultorum expansum quid 991
Venus duplex est 406
Verecundia, quid sit 915
Veritas, eius examen duplex ex mente Potamonis 203
Versio septuaginta interpretum quando facta 685
Vestimentum animae quomodo induatur 1044

Digitized by Google

Veſtitus Phariſaeorum qualis 757
Vincula Promethei an ex petris ſuſpenſa ſupereſſe Damis viderit 109
Virgilius philoſophiae fuit deditus Epicureae 72. aliorum Philoſophorum opiniones libris ſuis inſerit 73. annum Platonis exprimit ib. principia Stoica verſibus ſuis immiſcet ib. an fuerit atheus 74. philoſophia eius moralis quaenam 75. mathematicae et medicinae artis cognitione imbutus eſt ib.
Virtus vnde acquiratur 151. quid ſit ex mente Eclecticorum 417. earum gradus 460. phyſicae quaenam ſint 460. ethicae et politicae ib. theoreticae ib. 401. purgatoriae quaenam 461. theurgicae 461. tanquam praeſtantiſſima philoſophiae pars commendatur 542. magna Dei virtus Simon Magus appellatur 669. quidnam haec verba ſibi velint 670. emanatiuae quid 967
Vita, quaenam ex mente Apollonii breuis, quaenam longa 159. omni virtute perfectae finis ad quem omnia referenda 204. plena eſt ſeruitutis et impietatis 459. Phariſaeorum de futura vita doctrina 753. humanae meta qualis 889. an ab fato fidereo pendeat 890. aeterna eſt qualis 906. eius doctrina vnde hauſta 907
Viua, quando anima ſic dicenda 742
Vnio deifica quomodo acquiratur 444. cum Deo finis eſt philoſophiae 459. in hac vita obtineri perfecte non poteſt ib. gradus ad illam obtinendam ib.
Vnitas Dei qualis? 873
Vniuerſum, non fuit vnquam tempus, in quo non animaretur hoc vniuerſum 407
Vocalia puncta an reiecerint Karaei 741
Vſus Cabbalae in probandis veritatibus euangelicis infirmus eſt 1068. in hiſtoria philoſophica non ſpernendus eſt 1068

X.

Xenophontis oeconomicon Cicero iuuenis in latinum conuertit ſermonem 36

Z.

Zabii, eorum ſuperſtitio Deo anſam dediſſe leges illi opponendi fertur 560
Zacharias, an Phariſaeorum ſectam adumbrauerit 744
Zelem quid ſit 1043. abſcedit die XXX ante mortem 1047
Zelotae, ita Eſſeni ſunt dicti 767. not.
Zennah verennah, liber, quid peperit? 865
Zimzum quid ſit 998
Zindici, quinam ita vocati 721
Zipporienſis ſchola Iudaica valde celebris 815
Zoroaſter, eius doctrina fundamentum eſt philoſophiae Orientalis 651

FINIS TOMI II.

Aut
1453-76

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google